

BIBLIOTHECA
PATRVM
CONCIONATORIA,
A PASCHA AD FESTVM
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

OPERA ET STVDIO F. *FRANCISCI COMBEFIS*
Ordinis FF. Prædicatorum Congregationis ſancti Ludouici.


TOMVS IV.





PARISIIS,
Sumptibus ANTONII BERTIER, viâ Iacobeâ,
ſub ſigno Fortunæ.

M. DC. LXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS, AC SVPERIORVM PERMISSV.



INDICVLVS,

TRACTATVVM, SERMONVM, SYMBOLARVM,

TOMI QVARTI BIBLIOTHECÆ PATRVM CONCIONATORIÆ

ID EST, A PASCHA AD FESTVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

IN NOCTE SANCTA PASCHÆ.

EVANGELIVM, *Vespere autem sabbati.* Matth. 28.
Glossa Ordinaria 2. Catena Aurea. 2.
* Eusebii Pamphili de illo ὀψὲ σαββάτων. Ex MS. Reg. 4.
* De Angelis ad monumentum visis. Item ex MS. Reg 5.
S. Hilarii Episcopi. 6.
S. Ioannis Chrysostomi. 6.
S. Cyrilli Episcopi. Ex Caten. in Matth. 6.
S. Augustini Episcopi. 1. 2. 3. 4. 5. à pag. 7. ad 9. De diuersis omnes, & genuini.
S. Petri Chrysologi. 1. 2. 3. 4. à p. 10. ad 13. Tribuit S. Thomas Seuero, siue Seueriano: siue est Seuerus Malacitanus, in cuius & quadrant tempora, siue Seuerianus Gabalitanus: de Seueriano enim Chrysostomi æmulo nulla videtur ratio.

IN LITANIIS MAIORIBVS ET Minoribus.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

IN FESTO ASCENSIONIS Domini.

DOMINICA INTRA OCTAVAM Ascensionis.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

AVCTORES ET TRACTATVS,

FERIA SEXTA POST Pentecosten.



EVANGELIA.



FESTA DOMINICA,

AC

EVANGELIA

DE TEMPORE.

A DIE SANCTO PASCHÆ,

AD FESTVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

Patrum Symbolis, Tractatibus, Sermonibus, Panegyricis illustrata, ac exornata.

IN NOCTE SANCTA PASCHAE.

Euangelium, *MATTH. XXVIII.*



Quando primùm licuit operari.
ESPERE autem sabbati quæ lucescit in primâ sabbati; venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum. Et
Præbens auxilium Domino suo
ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini
a Non vt egressuro ianuas aperiat; sed vt egressum eius pandat, iam factum.
descendit de cœlo, & accedens [a] reuoluit lapidem, & sedebat super eum.
Ipso habitu terribilem futurum reprobis, & blandum significat iustis.
Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Præ
b Quia vitam viuere desperabant.
timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut [b] mortui. Respon-
Quia blandus iustis.
c Quia multi hoc nomine dicebantur, determinat, Qui crucifixus est. d Per præsentiam carnis. Impossibile est non fieri, quæ dixit.
dens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos. Scio enim quòd, Iesum, qui [c] crucifixus est, quæritis: [d] Non est hîc: Surrexit enim, sicut dixit.
Etsi verbis non creditis.
Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam: Ibi eum videbitis ecce prædixi vobis.

A Paschate. A

GLOSSA ORDINARIA.

V*Espere autem sabbati.* Marcus ait, *Valde mane;* in quo discordat à Lucâ & Ioanne. Matthæus à primâ parte noctis (id est, à vesperâ) noctem significat; cuius fine venerunt ad monumentum. Ideo autem sic nominat, quia ab eo tempore licebat facere, quod vellent, transacto sabbato.

Vespere autem sabbati; id est, nocte diei sabbati. Vespere quidem cœperunt venire, id est, aromata præparare: sed lucescente mane peruenerunt: Quod Matthæus breuitatis causâ ponit obscuriùs, alij apertiùs. Vespere solet tenebrescere: sed Mysticè dicit *lucescere*, pro gloriâ resurrectionis. Hucusque dies noctem præcedere dicebatur: nunc ordo mutatur, & nox quâ resurrexit, diei quo se ostendit adiuncta est. Congruè priùs diem nox sequebatur, quia homo à luce in tenebras ceciderat. Nunc dies sequitur noctem: quia post resurrectionem à peccatis, ad vitam reducimur. *Vespere*, id est, nocte: *quæ lucescit*, id est, quæ terminatur luce: quod non prima pars noctis est, sed extrema pars noctis est; diluculum quo venerunt.

Maria Magdalena, & altera Maria. Duæ vnius nominis & deuotionis mulieres, duas significant plebes pari deuotione Christi passionem, & resurrectionem amplectentes.

Terræ motus. Sicut in passione, & in resurrectione fit motus terræ. Significat autem corda terrenorum per fidem passionis & resurrectionis ad pœnitentiam mouenda.

Reuoluit lapidem. Clauso potuit exire sepulchro, qui clauso natus est Virginis vtero. Reuolutio lapidis significat reserationem sacramentorum Christi, quæ velo literæ tegebantur; quo ablato, resurrectio, mortis abolitio, vita æterna cœpit toto orbe prædicari.

Qu. 6. ad Hedibiam.

HIERON. Angelum non putemus idcirco venisse vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem; sed postquam Dominus resurrexit, horâ quâ ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quod factum est: & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentiâ.

Sedebat. Regnantem indicans, qui in natiuitate stando, bellaturum significauerat. *Super lapidem*, quo monumentum claudebatur, vt claustra inferorum superata ostenderet.

Sicut fulgur. In candore vestis significabat blandum iustis: in terrore fulguris, significat terribilem futurum reprobis.

Nolite timere. Quæ vestros ciues videtis. Illi timeant, qui ad eorum societatem non pertinent.

Et citò euntes. Nec concessum est nobis hoc gaudium occulto cordis tenere, sed similiter amantibus pandere.

Et ecce præcedet vos. Quia iam à morte ad vitam transmigrauerat: cuius resurrectionis gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitijs ad virtutes transmigramus.

CATENA AVREA.

Apud Chrysost.

V*Espere autem sabbati.* AVGVST. Serm. de Resurrect. Post illusiones & verbera, post aceti & fellis pocula mixta, post supplicia crucis & vulnera; & postremò post ipsam mortem & A inferos, surrexit de suo funere caro noua, redit ab occiduo latens vita, & in morte salus reserata resurgit, pulchrior reditura post funus.

hom. 3. de Resurrect.

AVG. de cons. Euang. De horâ verò quâ mulieres venerunt ad monumentum, non contemnenda exoritur quæstio. Cùm enim Matthæus hîc dicat, *Vespere autem sabbati*, quid est quod dicit Marcus, *Et valdè mane vnâ sabbatorum venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum?* A parte quippe primâ noctis (quæ est vespera) ipsam noctem voluit significare Matthæus, cuius noctis fine venerunt ad monumentum. Ergo quoniam sabbato impediebantur, vt non antè facerent, ab eo tempo-B re nominauit noctem, ex quo eis licere cœpit vt facerent quodcunque vellent tempore eiusdem noctis. Sic itaque dictum est, *Vespere autem sabbati*, ac si diceretur, nocte diei sabbati, id est, nocte, quæ sequitur diem sabbati. Quod ipsa verba eius satis indicant. Sic enim ait, *Quæ lucescit in primâ sabbati*: quod fieri non potest, nisi tantummodò primam noctis particulam (id est, solum initium noctis) intellexerimus dicto *vespere*, significatam. Neque enim ipsum initium noctis lucescit in primâ sabbati, sed ipsa nox, quæ in luce incipit terminari; & vsitatus modus est diuinæ Scripturæ, à parte totum significare. Vespere ergo noctem significauit, C cuius extremum est diluculum. Diluculo enim venerunt ad monumentum.

L. 3. c. 24. Expeditiùs alij ipsam vocem Græcam ὀψὲ exponunt; nec in eâ necessariæ tot ambages sunt.

BEDA. Vel aliter, Quod dictum est (quia mulieres vespere sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venerunt videre sepulchrum) ita intelligendum, quia vespere quidem venire cœperint, sed lucescente mane in primâ sabbati ad sepulchrum peruenerint; id est, vespere aromata parauerunt, quibus corpus Domini vngere desiderabant, sed aromata vespere præparata manè ad sepulchrum detulerunt. Quod Matthæus quidem breuitatis causâ obscuriùs posuit, sed Euangelistæ alij quo ordine facta sunt, euidentiùs ostendunt. Sepulto namque feriâ sextâ Domino, reuersæ à monumento mulieres præ-D parauerunt aromata, & vnguenta quandiu operari licebat; & sabbato quidem siluerunt secundum legis mandatum, sicut & Lucas apertè designat. Cùm autem transisset sabbatum, vesperaque adueniente tempus operandi rediisset, promptæ ad deuotionem emerunt, quæ minus præparauerant aromata (sicut Marcus commemorat) vt venientes vngerent Iesum; & valde manè veniunt ad monumentum.

HIERON. Vel aliter, Quòd diuersa tempora istarum mulierum in Euangelijs describuntur, non mendacij signum est (vt impij obijciunt) sed sedulæ visitationis officium, dum crebrò E abeunt & redeunt, & non patiuntur à sepulchro Domini diu abesse, vel longiùs.

REMIG. Sciendum autem quia Matthæus mysticè loquens studuit nobis insinuare, illa sacratissima nox quantam dignitatem ex honore deuictæ mortis, & Dominicæ resurrectionis accepit. Ideo dixit, *Vespere autem sabbati, &c.* Cùm enim consuetus ordo temporum habeat, vt vespere non lucescat in diem, sed potiùs obtenebrescat in noctem; ostenditur his verbis, quod Dominus totam hanc noctem luce suæ resurrectionis festiuam & coruscam reddidit.

1. inter Æstiuales t. 7. BEDA. in Hom. Ab exordio eriam mundanæ creationis vsque huc ita temporum cursus distinguebatur, vt dies noctem præcederet; quia homo à luce paradisi peccando lapsus, in huius sæculi tenebras ærumnasque decidit. Aptissimè autem nunc dies sequitur noctem, quandu per fidem resurrectionis à peccati tenebris, & vmbrâ mortis, ad lucem vitæ Christo largiente reducimur.

Chrysol. 74. quæ est 2. de resur. & 75. quæ est 3. SEVER. in Serm. de Pasch. Quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur. *Non*, inquit, *veni soluere legem, sed adimplere.* Illuminatur, vt in diem Dominicam luceat; clarescat in Ecclesiâ, quod in Synagogâ (Iudæis obscurantibus) fuscabatur. Sequitur, *Venit Maria Magdalene, &c.* Serò quidem mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam; quæ de paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de sepulchro; contendit capere de morte vitam, quæ de vitâ rapuerat mortem. Non autem dixit, Venerunt; sed, *Venit*; sub vno nomine veniunt duæ mysterio, non casu. Venit ipsa, sed altera; vt mutaretur mulier, vitâ, non nomine; virtute, non sexu. Præcellunt autem Apostolos fœminæ, quæ Ecclesiarum typum ad Dominicum deferunt sepulchrum; Maria scilicet & Maria; sic altera vt ipsa, ipsa vt altera; altera ipsa Maria, Maria mater Christi. Vnum nomen in duas geminatur fœminas; quia hîc Ecclesia ex duobus populis veniens (id est, ex Gentibus, & ex Iudæis) vna esse figuratur. Venit autem Maria ad sepulchrum, sicut ad resurrectionis vterum; vt iterum Christus è sepulchro nasceretur fidei, qui carni fuerat generatus ex ventre; & eum, quem clausa virginitas ad præsentem tulerat vitam, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Diuinitatis insigne est, clausam virginem reliquisse post partum; & de sepulchro clauso exisse cum corpore. Sequitur, *Et ecce terræ motus factus est magnus.*

HIERON. Dominus noster vnus atque idem Filius Dei & hominis iuxta vtramque naturam diuinitatis & carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signum demonstrat. Vnde & in præsenti loco quanquam homo sit, qui crucifixus est, qui sepultus est; tamen quæ foris aguntur, ostendunt Filium Dei.

Can. vlt. in Matth. HILAR. Motus enim terræ, resurrectionis est virtus; cùm contuso mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris (resurgente virtutum cœlestium Domino), inferorum trepidatio commouetur.

Hom. 91. in Matth. CHRYS. in Hom. Vel ideo terræ motus factus est, vt exurgant & euigilent mulieres: etenim accesserant, vt vnguentum mitterent; & quia in nocte hæc gerebantur, probabile est quasdam obdormisse.

BED. in Hom. Quòd etiam terræ motus resurgente Domino de sepulchro (sicut etiam moriente in cruce) factus est magnus, significat terrena quidem corda per fidem passionis prius, ac resurrectionis eius ad pœnitentiam concutienda, salubri pauore permota.

Chrysol. Serm. 74. & 77. SEVER. in Serm. Pasch. Si autem sic terra tremuit, cùm Dominus ad veniam Sanctorum resurgeret, quomodò contremiscet, cùm noxiorum omnium surget ad pœnam? dicente Prophetâ, *Terra tremuit, cum resurgeret in iudicium Deus.* Et quomodò Domini præsentiam sustinebit, quæ Angeli præsentiam sustinere non valuit? Nam sequitur, *Angelus Domini descendit de cœlo.* Surgente siquidem Christo, morte pereunte, terrenis redditur cœleste commercium; & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum Angelo colloquium fit vitale.

Can. vlt. vt supra. HILAR. Misericordiæ enim Dei Patris insigne est, resurgente Filio ab inferis, Virtutum cœlestium ministeria mittentis; atque ideo prioris resurrectionis ipse est index, vt quodam famulatu Paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur.

Hom. 1. inter Æstiuales. BED. in Hom. Quia enim Christus Deus & homo est, inter acta humanitatis, semper & Angelorum ministeria Deo debita non desunt. Sequitur, *Et accedens reuoluit lapidem.* Non vt egressuro Domino ianuam pandat; sed vt egressus eius iam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis clauso Virginis vtero potuit nascendo ingredi mundum, ipse factus immortalis clauso sepulchro potuit resurgendo exire de mundo.

REMIG. Significat autem reuolutio lapidis reserationem sacramentorum Christi, quæ literâ tegebantur. Lex namque in lapide scripta fuit; & ideo per lapidem designatur.

Chrysol. serm. 74. SEVER. Non autem dixit, Voluit, sed, *Reuoluit lapidem*; quia lapis aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit resurrectionis assertor. Mutatur hîc ordo rerum: sepulchrum mortem, non mortuum deuorat; domus mortis, mansio fit vitalis; vtero noua forma præscribitur; mortuum recipit, reddit viuum. Sequitur, *Et sedebat super eum.* Sedebat, inquit, cui nulla inerat lassitudo; sed sedebat vt fidei doctor, vt resurrectionis magister; & sedebat supra petram; vt soliditas sedis daret credentibus firmitatem. *Apud Chrysol. cõcipit, parit.* Ponebat Angelus super petram fundamentum fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus. *Alius hic auctor.* Vel per lapidem monumenti potest designari mors, quâ omnes premebantur. Per hoc ergo quòd Angelus super lapidem sedit, significatur quòd Christus mortem suâ virtute subiecit.

Hom. 1. inter Æstiuales. BED. in Hom. Et rectè stans apparuit Angelus, qui aduentum Domini in mundo prædicabat: vt stando designaret quia Dominus ad debellandum mundi principem veniret: Præco autem resurrectionis sedisse memoratur, vt sedendo significaret eum superato mortis auctore sedem regni iam conscendisse perpetui. Sedebat autem super lapidem reuolutum, quo ostium monumenti claudebatur; vt claustra inferorum ipsum suâ virtute deiecisse doceret. Sequitur, *Erat autem aspectus eius*

Chrysol. serm. 75. SEVER. Vultus claritas à vestium candore separatur; & facies fulguri, niui vestis Angeli comparatur, quia fulgur de cœlo, nix de terrâ. Vnde Propheta, *Laudate Dominum de terrâ, ignis, grando, nix.* In facie ergo Angeli claritas cœlestis seruatur naturæ; in veste, significatur gratia communicationis humanæ; & sic temperatur species Angeli colloquentis, vt carnales oculi & vestium ferant placidam claritatem, & ex fulgore vultus nuntium sui tremerent & reuererentur auctoris.

Serm. 77. IDEM in alio Serm. Quid autem facit indumentum, vbi tegendi necessitas non habetur? Sed Angelus nostrum habitum, nostram for-

mam, nostram similitudioem io resurrectione præfigutat, vbi homo ipsâ corporis sui claritate vestitur.

Hier. Io candido etiam vestitu Aogelus significat gloriam triumphantis.

Hom. 21. in Euang.

Greg. in Hom. de Pasch. Vel aliter; Io fulgote terrot timoris est; io niue autem, blandimentum candotis. Qoia verò omnipotens Deus & terribilis est peccatoribus, & blandus iustis, rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgote vultus, & in candore habitus demonstratur, vt de ipsâ suâ specie & terretet teprobos, & mulceret pios: Vnde sequitur, *Præ timore autem eius, &c.*

Raban. Timoris anxietate sunt territi, qui amoris fiduciam non habebant; & facti sunt velut mortui, qui resurrectioois veritatem credere noluerunt.

Chrysol. serm. 75.

Saver. Ser. de Pasch. Custodiebaot enim crudelitatis studio, non pietatis obsequio. Stare enim non potest quem conscientia destituit, impellit reatus. Hinc est quòd Angelus percellit impios, pios alloquitur, & solatur. Sequitur, *Respondens autem Angelus, &c.*

Hieron. Custodes quidem timore perterriti ad instar mortuorum stupefacti iacent; & Angelus tamen non illos, sed mulieres consolatur, dicens, *Nolite timere vos.* Quasi dicat, Illi timeant in quibus permanet incredulitas; cæterùm vos, quia Iesum quæritis crucifixum, audite qoòd surrexerit, & promissa perfecerit. Vnde sequitur, *Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis.*

Chrysol. serm. 77.

Sever. Adhuc enim crucifixum & mortuum requirebant, quarum fidem sæua passionis procella turbauerat; & tentationis ita eas pondus iocuruauerat, vt cœli Dominum quærerent in sepulchro.

Non est hic. Rab. Per presentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam maiestatis. *Surrexit enim, sicut dixit.*

Hom. 91. in Matth.

Chrys. in Hom. Quasi dicat, Etsi mihi non creditis, illius mementote verbotum. Deinde & alia sequitur demonstratio, cùm subditur. *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.*

Chrysol. serm. 76.

Sever. Angelus ergo prædicit nomen, crucem dicit, loquitur passionem; sed mox resurrectionem, mox Dominum confitetur: &, si Angelus post tanta supplicia, post sepulchrum, agnuscit Dominum suum: cur homo aut minorem in caroe iudicat, aut in passione existimat defecisse virtutem? Dicit autem crocifixum, & ostendit locum vbi positus etat Dominos; ne alter, & non idem crederetur resurrexisse à mortois. Et, si Dominus in eadem redit carne, & suæ resurrectioois facit iodicia, quare homo in aliâ putat se caroe rediturum? Aut carnem fortè seruus dedignatur suam, cùm nostram Dominus non mutauit?

Sit hæc coniectura forsitan nō mentiri, quem sancti Doctoris Codex titulum habuit, Sever. quòd is tunc potissimùm error vigeret, cùm Seuerus Malacitanus scriptis aduersus Vincentium Cæsaraugustanum clarus, &c. viueret. ann. circiter 590. Eutychio Patriarchâ Constantinop. illius assertore. Nisi Petrus Rauennas, & Chrysologus, superiorem Origenis, & sequacium errorem respicit.

Raban. Non autem solis verbis hoc gaudium magnum concessum est occulto corde tenere, sed similiter amantibus debetis illud pandere. Vode sequitur, *Et citò euntes, &c.*

Hom. 91. in Matth.

Chrys. io Hom. Hoc autem dicit, eripiens eos à periculis; oe timor fidem impediret.

Hier. Mysticè aotem, *Præcedet vos in Galilæam*, hoc est, in volutabrum Gentilium; vbi ante error erat, & lubricum, & firmo ac stabili pede vestigium oon tenebat. Sequitur, *Ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.*

Hom. 1. inter Æstiuales.

Bæda in Hom. Beoè autem Dominus in Galilæâ videtur à discipulis, qui iam de morte ad vitam; iam de corruptione ad incorruptionem transierat. Galilæa quippe *transmigratio* interpretatur. Felices fœminæ, quæ triumphum resurrectionis mundo annuntiare meruerunt! Feliciores animæ, quæ in die iudicij (percussis pauore reprobis) gaudium beatæ resurrectionis intrare meruerint.

EVSEBII PAMPHILI IN illud, ὀψὲ σαββάτων.

Ex Regio Cod parisimque ex Catenâ in Ioan. Conciliatur Matthæus Marco.

QVomodò apud Matthæum quidem, *serò sabbatorum* apparet suscitatus Dominus: apud Marcum autem, *Manè, vnâ sabbatorum?* Ne quis illud, *serò sabbatorum*, vespertinum tempus existimet, quod est post Solis occasum: sed tardam ac seram noctem. Sic enim quoque consueuimus dicere, serò horæ, ac serò temporis, seróque ac tardiùs quàm vsus postulasset: non vesperam ac sero diei significantes, sed quod valde tardum ac serum sit, indicantes. Nam etiam Matthæus, velut semet ipse exponens, postquam dixisset: *Serò sabbatorum*: subiunxit, *Quæ lucessit in primâ sabbati*: sigoificans horam ac tempus, eius noctis, quæ secuta est à sabbato; nimirum tempus quod est circa auroram diei primæ sabbati. Eâ enim, inquit, quæ lucescit: nempè, horâ: quæ iam deinceps io diem Dominicam illucescebat: eratque, serò, ac iam procul à sabbatis progressa. Quippè mos erat, totam hebdomadam, *sabbata* appellare; omnesque dies, nuncupare sabbatum. Vt, prima sabbatorum, & secuoda, & tertia, & quarta sabbatorum. Quamobrem io hoc qooque consentiunt Euangelistæ: Nam Matthæus, illud: *Serò sabbatorum*; tempus appellauit, quod illucescit in aororam diei Dominicæ, vti dictum est: quod ipsum Marcus, *Manè, vnâ sabbati*, dixit: Alioqui enim nisi hoc esset, vtiqoe deberemus die sabbati, post occasum solis, statim facto vespere ieiunium soluere: quæ tamen consuetudo in Christi Ecclesijs non obtinuit; sed vbi iam nox successit, vel ipsâ mediâ, aut sub gallicinium. Prætereà verò, siquidem resurrectio ac terræ motus accidisset in ipsâ vesperâ sabbati, omnibus adhuc vigilantibus, quomodò oon omnes percipissent? quomodò autem non factus esset concursus ad monumentum, Angelo vesperâ apparente, ac saxum ab ostio monumenti reuoluente? Sed & loci custodes, turma scilicet militaris, quiqoe cum eis Iudæi custodiebant sepulchrum, qui non statim Pontificibus ac Principibus Iudæorum, quæ facta erant annuntiaueruot? maximè postquam illi per semet pridiè venientes sepulchrum obsignassent, *signantes lapidem cum custodibus.* Consequens enim erat, vt lapide mirabiliter reuoluto, custodes staom, cùm per horam opportunom esset, nuntiaturi accurreteot, ac quæ gesta essent significarent. Secùs verò, etiam postridiè à Principibus Sacerdotom docentur, io vulgus spargere, venisse eius discipulos noctu, ac ipsis dormientibus, eum furatos esse: quod vti-

Quâ horâ ac tempore, ieiunium Sabbati Paschæ soluebant.

Vt non vesperi facta sit resurrectio ac terræ motus.

quæ ab eis fingi non poterat, si ille vesperâ resurrexisset.

Primò gesta quæ narrantur à Ioanne de Magdalenâ.

A Quocirca non errauerit, qui initia Dominicæ resurrectionis apud Ioannem significari dixerit, vbi Maria Magdalena, sola manè, cùm adhuc tenebræ essent, semel iterumque veniens ad monumentum, nec inuento corpore Saluatoris, plorat; quòd nemo hactenus de eius resurrectione cognouisset: eiusdem verò horæ partem alteram esse, tempus à Matthæo consignatum, quando eadem Magdalena tertiò veniens ad monumentum, vnà cum alterâ Mariâ, non ampliùs plorat, quæ nimirum Angelos ipsumque Saluatorem, apud Ioannem iam viderat.

B Porrò, quæ habentur apud Lucam & Marcum tempus aliud designauerint, quo plures mulieres ad spectaculum occurrunt. Arbitror enim Mariam Magdalenam, cùm procul ab eis esset, occurrisse; simulque, ac per idem subinde tempus in eum incidisse; primùm quidem per se solam; postmodom verò cum aliâ Mariâ. Sic enim eadem Maria, cùm ea spectauit quæ apud Matthæum, tum quæ apud Ioannem memoriæ prodita sunt. Nihil enim præsenoâ deerat, aut absistebat à loco, quamobrem etiam vidit, quæ narrantur apud alios. Aderat enim ac permanebat, stupens quæ videbat: ac nedum primâ, sed & secundâ, & tertiâ diuinâ apparitione donari desiderans. Vnde etiam postea consecuta est: cùm plures fœminæ, variè ad monumentum venissent, aliasque ac alias Angelicas visiones habuissent; ac ipsa, in visionibus singulis occurrisset. Sic itaque Magdalena omnium spectatrix fuit, quæ Euangelistæ quatuor conscripserunt, ac ideò eius omnes mentionem fecerunt.

Maria magdalena omnia videt, quæ aliæ mulieres.

EVSEBII PAMPHILI: DE *Angelis ad monumentum visis.*

Ex Reg. peruantiquo Cod.

QVomodò apud Matthæum quidem, dicitur Maria Magdalena, vnà cum sibi cognomine, vnum duntaxat Angelum aspexisse extra monumentum sedentem super lapidem: iuxta verò Ioannem, duos Angelos videt intra monumentum: iuxta Lucam autem, duo viri mulieribus occurrunt: ac denique iuxta Marcum, iuuenis est, qui ab eis conspicitur?

Prima sunt quæ apud Math. tum quæ apud Ioan.

Sanè quidem præcedunt illa, quæ apud Matthæum habentur: vnde etiam duæ Mariæ Angelum inueniunt, cùm ille tum veniens lapidem reuoluisset: postmodom verò gesta sunt, quæ apod Ioannem, apparentibus duobus Angelis intra monumentum, aliis existentibus ab iis, qui ante illud super lapidem sedent apud Matthæum. Duo autem viri apud Lucam in veste fulgidâ, ad festi designandam lætitiam conspecti; quique apud Marcum iuuenis, & ipse candidâ amictus stolâ, atque à dextris, non à sinistris cernitur, eò quòd læta faostaque mulieribus oumia perferret; alij rursum & ipsi fuerint, cùm inter se, tum ab iis, quos primi referunt: quare hi, ne Angelos quidem, eos appellarunt. Nam neque visionum Saluatoris meminerunt, potioribus se, Matthæo ac Ioanni, vt qui Apostoli essent, potiora ac maiora scribere atque narrare permittentes; ipsiq; eorum narrationes quæ secunda viderentur, ea vicissim impleotes, qua illi tacuissent: quæ plaoè secunda erant, ac longo interuallo à priorum historiâ aberant; Ita nimirum

Marcus ac Lucas minora narrant.

distribuente Spiritu sancto, vt quisque sibi congrua aptáque narraret.

Quæ ergo mulieres apud Lucam profundo diluculo venerunt ad monumentum, ferentes aromata, quæ parauerant; aliæ sint ab iis, quæ apod Matthæum referuntur ac Ioannem. Quippe absonum est, vt Mariæ tam multis antè visis, tunc primùm aromata ferrent, tanquam nihil hactenus nouissent de resurrectione. Quamobrem dicendum sit, eas, quæ apud Lucam designantur, alias à prioribus esse. Hoc verò, ipse quoque Euangelista narrat, his verbis: *Et dies erat parasceues; & sabbatum illucescebat. Subsecuta autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæâ, &c.* Eo ostendit, alias fuisse istas: Quamobrem etiam, qui visi sunt, alij erant, præter priùs designatos. Nam neque intra monumentum erant iuxta Ioannem; neque sedebant super lapidem, vti Angelus ille apud Matthæum. Prætereà verò, ne Angelos quidem Lucas appellauit; sed *duos viros*; tametsi *in veste fulgenti*, ad festæ lucis designandam lætitiam. Sed & sermones quos habent ad mulieres, peculiares sunt: erantque illæ plures, non vna illa quæ apud Ioannem: nec verò duæ Mariæ, quæ apud Matthæum occurrunt.

Mulieres apud Matth. & Ioan. ab iis quæ apud alios diuersæ.

Luc. 23. v. 54.

Quod porrò spectat ad singularem illam Mariam apud Ioannem, quæ diluculò, cùm adhuc C tenebræ essent, venit ad monumentum, viditque sublatum lapidem à monumento, quam etiam Euangelista Magdalenam vocat, subit quædam suspicio, aliam quandam Magdalenam esse, quæ nihil eorum quæ duæ aliæ Mariæ, quarum est mentio apud Matthæum, vidissent, hactenus nosset. Sin autem vna eademque est, cuius ambo Euangelistæ meminerunt, præcessisse oportet quam habet Ioannes historiam, eam quam Matthæus conscripsit: eandemque Magdalenam, cùm prima venisset sola, duos Angelos vidisse sedentes in monumento: tumque venientem iterum ad eundem locum cum aliâ Mariâ, vidisse Angelum sedentem super lapidem. D Harum autem duarum expositionum, priorem veriorẽ existimo; nimirum alteram esse Mariam, quæ apud Ioannem legitur, ab eâ, quæ apud Matthæum; quanquam vtrique Magdalenæ epithetum inscriptum est: duabus, vt videtur, existentibus, quibus ab eodem oppido Magdalenæ nomen esset. Nam hoc dato, soluta manet omnis dubitatio; postquàm Matthæus aliarum mulierum meminit: aliarum verò Ioannes texit historiam; estque aliud tempus, Angeli sedentis super lapidem, ac duorum aliorum apparentium apud Ioannem intra monumentum: eúmque item sit aliud tempus, ac alij sermones, cùm Angeli sedentis super lapidem, tum eorum qui in E monumento apparuerunt.

Eusebii sententia de duplici Magdalenâ.

Iuxta autem Marcum, *Valde manè vnâ sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole.* En iterum sunt hæ aliæ, inque alio tempore: quæ *& ad inuicem dicebant: Quis reuoluet nobis lapidem? Et viderunt iuuenem sedentem.* Quemadmodum apud Lucam, *Viri*; & non Angeli; ita & modò, non Angelus appellatus est, neque vir; sed, *iuuenis*: vt & hæc narratio sit peculiaris; aliúsque sit qui apparuit, atque aliæ quæ accesserunt; ac similiter tempus aliud: nempe post Solis ortum.

Cùm ergo sint quatuor Euangelistæ, quaterno item æquali numero videntur, quas conscripse-

runt, visiones: tempora item quatuor: ac personæ iis singulis visæ, aliæ atque aliæ: similique ratione, spectatrices fœminæ, diuersæ; nec non varij ad eas habiti sermones. Primùm enim tempus consignatum fuit apud Matthæum, quod ait, *Serò sabbatorum*: quartum autem ac vltimum, quod apud Marcum, *orto sole*: media verò, tum quod apud Ioanné, tum quod apud Lucam. Ij quoque qui per singula tempora apparuerunt, alij atque alij. Apparuit siquidem serò sabbatorum vnus Angelus extra monumentum; postque eum ipse Saluatur: profundo autem diluculo, alij iuxta Lucam, *viri duo* appellati, non intra monumentum conspecti: postremus omnium, iuuenis: antéque illum, ac eos, quos Lucas commemorat, duo illi visi intra monumentum.

SANCTI HILARII EPISCOPI,
Euangelij eiusdem expositio.

Can. 33. in Matth.

MOtus terræ tempore matutino diei Dominici, resurrectionis est virtus; cùm contuso mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris, resurgente virtutum cœlestium Domino, infernorum trepidatio commouetur. Angelus autem Domini de cœlo descendens, & reuoluens lapidem, & sepulchro assidens; misericordiæ Dei Patris insigne est, resurgenti Filio ab inferis, Virtutum cœlestium ministeria mittentis. Atque ideo prior ipse resurrectionis est index, vt quodam famulatu Paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur. Sed confestim Dominus mulierculis per Angelum adhortatis occurrit, & consalutat; vt nuntiaturæ expectantibus discipulis resurrectionem, non Angeli potiùs quàm Christi ore loquerentur. Quòd verò primùm mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus aduoluuntur, nuntiare Apostolis iubentur, ordo in contrarium causa principalis est redditus: vt quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primùm resurrectionis gloriâ, & visus, & fructus, & nuntius redderetur. Emitur verò à custodibus, qui omnia hæc viderant, argento resurrectionis miraculum. Principes verò Sacerdotum qui debuerant conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitiâ, & pecuniam quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut ante triginta argenteos Iudæ dederant proditori. Omnes igitur qui stipe templi, & his quæ conferũtur ad vsus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium, & sanguinem Saluatoris.

Eadem Hieron.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI,
Euangelij eiusdem expositio.

Ex hom 90. in Matth.

POst resurrectionem venit Angelus. Quâ igitur de causâ venit, & abstulit lapidem? Propter mulieres: illæ enim eum tunc in sepulchro conspexerant. Vt igitur eum resurrexisse crederent, vident sepulchrum corpore vacuum. Ideo lapidem abstulit; ideo etiam terræ motus factus est, vt surgerent & à somno excitarentur. Venerant enim vt corpus vngerent, ac noctu ista fiebant; & verissimile est, quasdam etiam obdormisse. Sed cur, ac quam ob rem ait, *Nolite timere vos?* Priùs eas metu liberat; ac tunc de resurrectione disserit. Cùm autem ait, *Vos*, multum id præ se fert honoris; simulque etiam declarat, eos, qui summâ audaciâ facinus illud ausi fuerant perpetrare, nisi resipuerint, extrema passuros esse. Non enim vestrum est, inquit, timere, sed illorum qui crucifixerunt. Metu itaque sublato, tum per ea quæ dixit, tum ipso etiam aspectu (hilarem enim vultum ostentabat, vt pote qui talia, tamque læta afferret nuntia) subiunxit, dicens, *Scio quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis*; ac ne sic quidem vocando, erubescit. Hoc enim caput est, & summa bonorum. *Surrexit.* Id vnde liquet? *sicut dixit.* Itaque etiamsi mihi non creditis, illius verba rememoramini, nec dicenti fidem abrogabitis. Tum alia quoque probatio. *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.* Propterea amouerat lapidem, vt hinc quoque illæ argumentum sumerent. *Et dicite discipulis, quòd in Galilæâ eum visuri sint.* Alijs etiam faustum nuntium, vt afferant illas instruit; quòd maximè ad fidem incitabat. Et benè dixit, *In Galilæâ*, à molestijs & periculis liberans, ne metus fidem perturbet.

ἔλαμψε δὲ ἀλλὰ vt bene Cat. & Sauil. non vt alij, ἀλλὰ. Mat.28.v.5.

Crux, summa bonorum ac caput.

V. 6.

Et exierunt de monumento cum timore, & gaudio. Quorsum verò? Rem stupendam viderant, & admirandam; sepulchrum vacuum, in quo prius Dominum positum conspexerant. Propterea etiam eas Angelus ad spectaculum adduxit, vt vtriusque testes essent, & sepulchri & resurrectionis. Secum enim reputabant, quòd nemo eum sustulisset, tam multis assidentibus militibus, nisi ipse se suscitasset. Propterea & gaudent, & admirantur; & tantæ perseuerantiæ retributionem accipiunt, vt primæ videant, & annuntient; non dicta solùm, sed etiam visa. V. 8.

Exeuntibus itaque cum timore & gaudio, *ecce Iesus occurrit, dicens, Auete.* Illæ autem ipsius tenentes pedes, immensaque ei lætitiâ affusæ, etiam tactu resurrectionis ipsius documentum, ac certitudinem accipiebant. *Et adorauerunt eum.* Quid igitur ipse? *Nolite timere.* Rursus etiam ipse timorem amouet, fidem præstruens, easque illi aptans. Sed *ite, dicite fratribus meis vt eant in Galilæam; ibi me videbunt.* Considera quemadmodum ipse quoque per eas discipulis nuntiet (quod nempe sæpenumerò dixi) sexum maximè spretum, atque notatum, honore prouehens, ac spe benigniori augens, sanansque labefactatum. Non desit fortè, qui celebrium illarum mulierum instar esse ambiat, ac pedes Iesu tenere. Potestis etiamnum quicunque vultis non solùm pedes & manus, sed & sacrum illud caput tenere, si modò purâ conscientiâ tremenda mysteria percipiatis. Neque verò præsenti duntaxat æuo, sed & die illâ videbitis illum cum ineffabili claritate ac maiestate, stipante Angelorum multitudine venientem, dummodò misericordes esse volueritis; & audietis, non id tantùm quod mulieribus insonuit, *Auete*; sed & illud, *Venite benedicti Patris mei, &c.*

V. 9.

V. 10.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,
in idem Euangelium.

Ex Cath. in Matth.

POstquam Dominus in cruce nostri causâ sustinuerat passionem, ac pro omnium nostrûm vitâ, suam ipse carnem pretium dederat, eratque in sepulchro *velut* quidam *mortuus sine adiutorio*, vti in Psalmis canitur, accurrerunt mulieres, ea afferentes, quæ ad corporis officium spectabant; ac aromatibus confertæ. Existima-

Psal. 87. v. 6.

bant enim fore, vt simol cum alijs iaceret in sepulchro, ac mortuus maneret. Ac ne mireris ignorasse mulieres, eum, qui Deus ac vita esset, imperium mortis dissoluturum, atque ad vitam

Luc. 24. v. 11.

rursus euasurum fuisse; quando etiam Apostolis, qui de eius resurrectione sermo increbuerat, tanquam delirium omninò, resque conficta visus est, quòd ne ipsi quidem Scripturam diuino afflatu allatam intelligerent. Itaque venerunt quidem mulieres ad monumentum; non inuento tamen Christi corpore, quâ dilectione in eum ferebantur, Angelum sanctum vident. Is namque factus illis nuntius est, ac præco resurrectionis. Nolite enim, inquit, eum qui semper viuit (qui scilicet per naturam sit vita) quærere cum mortuis. *Non est hîc*; nempe in morte, ac monumento; sed *surrexit*; non tam sibi ipse, quàm vobis via factus adipiscendæ amissæ olim incorruptionis. Idcirco enim se ipse demisit, ac

Hebr. 2. v.9.

exinaniuit, nobisque similis factus est, *vt gratiâ Dei*, quemadmodum loquitur beatus Apostolus, *pro omnibus gustaret mortem*; idque mortis interemptio fieret, ac latæ quondam in protoplastum dissolutio maledictionis. In istiusmodi enim spem nos induerit Dominus, cùm ait,

Ioan. 11. v. 25.

Amen dico vobis, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet,

Hanc ipsam sent. pluribus Hieronymus.

Notandum enim, Angelos in Bethlehem pastoribus partum annuntiasse; nuncque adeò, rationales Virtutes resurrectionem prædicare. Subseruiit igitur cœlum eius præconijs, colunrque

πρόσωπον non benè Cord. *sequuntur*.

Filium, supernorum Spirituum agmina, tanquam vniuersorum rectorem ac Dominum, posteaquam etiam caro factus est, id est, homo extitit.

V.9.

Auete. Muliebris sexus, tum probri solutionem adeptus est, tum maledictionis, cassâ sententiâ euersionem.

Gen. 3. v.16

Qui enim olim ad eas dixerat, *In dolore paries filios*, requiem eis dedit occurrens in horto, ac dicens, *Auete*: summoque illæ gaudio accurrentes, ipso ex tactu argumentum, certamque resurrectionis fidem accepere, ac eum adorauere.

SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI, *in Vigiliâ Paschæ.*

SERMO I.

Est 7. de diuersis.

BEatus Paulus Apostolus exhortans nos ad imitationem suam, inter alia multa suæ virtutis insignia, dicit etiam, *In vigilijs sæpius*.

2. Cor. 11. v. 27.

Quantò ergo alacriùs in hac Vigiliâ velut matre omnium sanctarum vigiliarum vigilare debemus, in quâ totus vigilat mundus? Non ille mundus, de quo scriptum est, *Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo: quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi: quæ non est à Patre*. Talem quippe mundum, id est, filios iniquitatis, regunt diabolus & angeli eius: contra quos nobis esse colluctationem idem dicit Apostolus, vbi ait, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum*. Quod & nos fuimus aliquando; nunc autem lux in Domino. Luce itaque vigiliarum, resistamus rectoribus tenebrarum. Non ergo ille mundus in hac solenni-

Vigiliæ Paschalis antiqua celebritas.

1. Ioan. 2. v. 15.

Eph. 6. v. 12.

Dom. à Paschate.

A tate vigilat: sed ille de quo dicitur, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum*. Quanquam tam clara sit Vigiliæ huius celebritas toto orbe terrarum, vt etiam illos vigilare carne compellat, qui corde non dico dormiunt; sed tartareâ impietate sepulti sunt. Vigilant etiam ipsi nocte istâ, de quâ etiam visibiliter redditur, quod tanto antè promissum est, *Et nox tanquam dies illuminabitur*. Fit hoc in cordibus piorum, quibus dictum est, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Fit hoc etiam in æmulis omnium, & qui vident in Domino, & qui inuident Domino.

2. Cor. 5. v. 19.

Psal. 138. v. 12.

Eph. 5. v. 8.

B Vigilat ergo istâ nocte & mundus inimicus, & mundus reconciliatus. Vigilat iste, vt laudet medicum liberatus: vigilat ille, vt blasphemet iudicem condemnatus. Vigilat iste mentibus piis feruens & lucescens: vigilat ille, dentibus suis frendens & tabescens. Denique istum charitas, illum iniquitas: istum Christianus vigor, illum diabolicus liuor nequaquam dormire in hac celebritate permittit. Vnde ab ipsis etiam nostris inimicis nescientibus admoneamur, quemadmodum debeamus vigilare pro nobis, si propter nos etiam vigilant qui inuident nobis. Eorum quippe qui nullo modo sunt Christi nomine consignati, tamen istâ nocte multi dolore, C multi pudore, nonnulli etiam (qui fidei propinquant) Dei eum timore non dormiunt. Diuersis causis excitat eos ista solennitas. Quomodò ergo debet gaudendo vigilare Christi amicus, quando & dolendo vigilat inimicus? Quomodò in tantâ Christi gloriâ inardescat vigilare Christianus, quando erubescit dormire Paganus? Quomodò decet eum, qui hanc domum magnam intrauit, in tantâ eius festiuitate vigilare, quando iam vigilat qui disponit intrare? Vigilemus ergo, & oremus: vt & forinsecus & intrinsecus hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquatur in lectionibus suis; Deo loquamur in precibus nostris. Si eloquia eius obedienter au-D diamus, in nobis habitat quem rogamus.

Translata iam noctis illa solennitas in diē ipsum sabbati, cum solenni officio, ac Missâ, celebrari olim solitâ in aurorâ diei Dominicæ.

EIVSDEM IN EADEM *Vigiliâ.*

SERMO II.

Serm. 78. de diuersis.

SCimus, Fratres, & fide certissimâ retinemus semel Christum mortuum esse pro nobis: pro peccatoribus iustum: pro seruis, Dominum: pro captiuis, liberum: pro ægrotis, medicum: pro miseris, beatum: pro egenis, opulentum: pro perditis, quæsitorem: pro venditis, Redemptorem: pro grege, Pastorem: & quod est omnibus E mirabilius, pro creaturâ, Creatorem: Seruantem tamen quod semper est, tradentem quod factus est: Deum latentem, hominem apparentem, virtute viuificantem, infirmitate morientem, diuinitate immutabilem, carne passibilem, vt ait Apostolus, *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Hoc semel factum est; optimè nostis. Et tamen solennitas tanquam sæpius fiat, reuolutis temporibus iterat, quod veritas semel factum, tot Scripturarum vocibus clamat. Nec tamen contraria sunt veritas & solennitas: vt ista mentiatur, illa verum dicat. Quod enim semel factum est in rebus veritas indicat, hoc sæpius

Rom. 4. v. 25.

celebrandum in cordibus piis celebritas renouat. Veritas quæ facta sunt sicut facta sunt, aperit: solennitas autem non ea faciendo, sed celebrando, nec præterita præterire permittit. Denique *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ille vtique semel occisus, qui *iam non moritur; mors ei vltra non dominabitur.*

1. Cor. 5. v. 7.
Rom. 6. v. 9.

Pascha semel factum & quot annis venturum.

Proinde secundum vocem veritatis semel Pascha dicimus factum, & vlterius non futurum: secundum autem vocem solennitatis, omni anno dicimus Pascha venturum. Sic intelligi arbitror, quod in Psalmo scriptum est. *Cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem solennem celebrabunt tibi.* Nisi enim quod de rebus temporaliter gestis dicitur cogitatio memoriæ commendaret, nullas post tempus reliquias inueniret. Ideo cogitatio hominis intuens veritatem Domino confitetur; reliquiæ verò cogitationis, quæ sunt in memoriâ, nouis temporibus non cessant celebrare solennia, ne ingrata cogitatio iudicetur. Ad hoc pertinet noctis huius tam præclara solennitas, vbi vigilando tanquam resurrectionem Domini per cogitationis reliquias operamur, quam semel factam cogitando veriùs confitemur. Quos ergo fecit doctos prædicata veritas, absit vt faciat irreligiosos deserta solennitas. Hæc istam noctem per totum mundum fecit illustrem. Hæc demonstrat Christianorum agmina populorum: hæc confundit tenebras Iudæorum, hæc euertit idola Paganorum.

Psal. 75. v. 11.

Colendæ solẽnitates, ad memoriam diuinorum beneficiorum.

ITEM EIVSDEM DE *eodem.*

SERMO III.

Serm. 79. de diuersis.

Dicendum est cur tantâ celebritate hodiernâ potissimum nocte vigilemus. Quòd die tertio resurrexerit à mortuis Dominus Christus, nullus ambigit Christianus. Hac autem nocte hoc factum esse, sanctum Euangelium contestatur. Totum enim diem à præcedente nocte computari non dubium est: non secundum dierum ordinem qui commemoratur in Genesi, quanquam & illic tenebræ præcesserunt. Nam *tenebræ erant super abyssum*, cùm, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux*: Sed quia illæ tenebræ nondum erant nox; nondum enim præcesserat dies: *diuisit* quippe *Deus inter lucem & tenebras*; & priùs *lucem vocauit diem*, deinde *tenebras noctem*: & factâ luce vsque ad alterum mane commemoratus est dies vnus: manifestum est illos dies à luce cœpisse, & transactâ luce vsque ad mane singulos terminatos. Sed posteaquam creatus homo à luce iustitiæ ad peccati tenebras declinauit, à quibus eum Christi gratia liberat, factum est vt nunc dies à noctibus computemus: quia non à luce ad tenebras, sed à tenebris, ad lucem venire conamur, & Domino adiuuante fieri speramus. Sicut & Apostolus dicit, *Nox processit, dies autem appropinquauit. Abijciamus itaque opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis.*

Gen. 1. v. 2.

Primi dies à luce ad tenebras: à Christo, à tenebris ad lucem.

Rom. 13. v. 12.

Dies igitur Dominicæ passionis quo crucifixus est, iam transactam noctem propriam sequebatur; ideóque clausus & terminatus est vsque ad Parasceuem, quam Iudæi etiam cœnam puram vocant, ab eius noctis exordio incipientes sabbati obseruationem. Deinde sabbati dies à suâ nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominici diei: quoniam eum Dominus suæ Resurrectionis gloriâ consecrauit. Illius itaque noctis ad initium Dominici diei pertinentis, nunc istâ celebritate memoriam celebramus: illam noctem agimus vigilando, quâ Dominus resurrexit; & illam vitam, de quâ paulò antè dicebamus, meditamur, vbi nec mors vlla, nec somnus est: quam in suâ carne nobis inchoauit, quam sic excitauit à mortuis, vt iam non moriatur, & mors ei vltrà non dominetur. Nam quando venientes ad sepulchrum, eius, à quibus diligentibus quærebatur, diluculo corpus non inuenerunt, responsúmque acceperunt ab Angelis, quòd iam resurrexerat. manifestum est quod eâ nocte resurrexit, cuius extremitas, illud diluculum fuit.

Cœna pura, sabbati parasceue.

Excitatus Dominus nocte Dominicidiei.

Deinde cui resurgenti, paulò diutiùs vigilando, concinimus, præstabit vt cum illo sine fine regnemus. Sed etsi fortè his horis quibus nos ducimus istam vigiliam illius adhuc corpus in sepulchro erat nondumque resurrexerat, nec sic vigilando sumus incongrui, quia ille dormiuit vt vigilemus, qui est mortuus vt viueremus.

ITEM EIVSDEM DE *eodem.*

SERMO IV.

Citat. Beda, ad Ephesios 6.

Cvm vos, dilectissimi, ad vigilandum & orandum ipsa solennitas sanctæ huius noctis hortetur, etiam nostrum vobis tamen solenniter debetur alloquium: vt aduersus contrarias & inuidas potestates, rectorésque tenebrarum, velut contra nocturnas bestias Dominicum gregem etiam vox Pastoralis exsuscitet. *Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*, Sicut Apostolus dicit, (id est, aduersus homines mortali corpore infirmos) *sed aduersus principes & potestates, & rectores, mundi tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitia in cœlestibus.* Nec ideo sanè diabolum & angelos eius, quos Apostolus his verbis significat, mundi huius existimetis rectores, de quo scriptum est, *Et mundus per eum factus est.* Nam eos rectores mundi cùm etiam ipse dixisset, ne quis mundum intelligeret, qui plerisque Scripturarum locis cœli & terræ nomine nuncupatur, continuò tanquam exponendo addidit, *tenebrarum harum*, hoc est infidelium. Propter quod iam fidelibus dicit, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sunt ergo ista spiritalia nequitiæ in cœlestibus, non vbi sidera disposita refulgent, & sancti Angeli commorantur: sed in huius aëris infimi calliginoso habitaculo, vbi & nebulæ conglobantur. Et tamen scriptum est, *Qui cooperit cœlum nubibus*: vbi & aues volitant, & tamen dicuntur volatilia cœli.

Serm. 8. de diuersis.

Eph. 6. v. 12. *Beda.*

Ioan. 1. v. 10.

Eph. 5. v. 8.

Psal. 146. v. 8.
Gen. 1. v. 26.

In his ergo cœlestibus, non in illâ superiore tranquillitate cœlestium habitant illi nequissimi spiritus, contra quos nobis colluctatio spiritalis indicitur: vt deuictis Angelis malis, illo præmio perfruamur, quo Angelis bonis incorruptâ æternitate sociemur. Vnde alio loco idem Apostolus cùm significaret tenebrosum diaboli principatum, *Secundum spiritum*, inquit, *mundi hu-*

Eph. 2. v. 2.

ius, secundum principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filijs infidelitatis. Quod ergo est, *Spiritus mundi huius*, hoc suot *rectores mundi*. Et sicut illic exposuit quid dixerit mundum, *in filijs infidelitatis*: sic etiam hîc, cùm addidit, *tenebrarum harum*. Et quod ibi ait, *Principem potestatis aëris*, hoc isto loco, *In cælestibus*. Gratias itaque Domino Deo nostro, qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnom Filij charitatis suæ.

Ab illis ergo tenebris Euangelicâ luce distincti, & ab illis potestatibus sanguine pretioso redempti, vigilate & orate ne intretis in tentationem. Nam quicunque babetis fidem, quæ per dilectionem operatur, missus est princeps huius mundi foras à cordibus vestris: sed forinsecus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Non ergo detis locum diabolo quacumque ex parte penetrare volenti: sed qui eum foras misit patiendo pro vobis, aduersus eum habitet intus in vobis. Cùm vobis ille dominaretur, fuistis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino: sicut filij lucis ambulate. Aduersus tenebras earumque rectores in matre luce vigilate, & Patrem luminum in sinu matris orate.

EIVSDEM DE EODEM.

SERMO V.

Citat Venerabilis Beda, ad Ephesios 5.

Serm. 81. de diuersis.
Gen. 1. v. 4.

IN libro qui appellatur Genesis Scriptura dicit, *Et vidit Deus lucem, quia bona est: Et diuisit Deus inter lucem & tenebras, & vocauit Deus lucem, diem, & tenebras vocauit noctem.* Si ergo Deus vocauit diem lucem, sine dubio illi, quibus dicit Apostolus Paulus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, dies erant: quoniam ille qui iussit de tenebris lumen clarescere, illuminauit eos. Infantes isti, qnos cernitis exteriùs dealbatos, interiúsque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant, cùm peccatorum suorum nocte premerentur, tenebræ fuerunt. Nunc autem quia mundati sunt lauacro indulgentiæ, quia irrigati fonte sapientiæ, quia perfusi luce iustitiæ: *Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eo.* Audiat nos dies Domini, audiat nos dies factus à Domino. Audiat & obaudiat, & exultemus, & lætemor in eo. Quoniam, sicut ait Apostolus, hoc est gaudium & corona nostra, si vos statis in Domino. Audite ergo nos, ô nouelli filij castæ matris: in vno audite nos, filij virginis matris. Quoniam *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate*; filijs lucis adhærete. Atque vt hoc ipsum planius dicam, bonis fidelibus adhærete. Sunt enim, quod peius est, fideles mali. Sunt fideles, qui vocantur, & non sunt. Sunt fideles, in quibus Sacramenta Christi patiantur iniuriam: qui sic viuunt, vt & ipsi pereant, & alteros perdant. Pereunt quippe ipsi, malè viuendo: perdunt verò alios, malè viuendi exempla præbendo.

Eph. 5. v. 9.
2. Cor. 4. v. 6.
Dies quam fecit Dominus, recens baptizati.
Psal. 117. v. 4.

Vos ergo, dilectissimi, nolite talibus iungi. Bonos quærite; bonis adhærete: boni estote. Neque miremini multitudinem Christianorum malorum qui Ecclesiam implent, qui ad Altare communicant: qui Episcopum vel Presbyterum de bonis moribus disputantem magnis vocibus laudant. Per quos impletur quod congregator noster prædixit in Psalmo, *Annuntiaui & locutus sum; multiplicati sunt super numerum.* In Ecclesiâ huius temporis possunt esse nobiscum: in illâ verò quæ post resurrectionem futura est congregatione Sanctorum esse non poterunt. Ecclesia enim huius temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis: habitura post iudicium, sine vllis malis omnes bonos. Hæc area continet messem ab Apostolis seminatam, à sequentibus vsque in præsens tempus bonis doctoribus irrigatam, non parum etiam inimicorum persecutione contritam: sed quod solùm restat, nondum supernâ ventilatione purgatam. Veniet autem ille de quo reddidistis in Symbolo, *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Et sicut Euangelium loquitur, *Habebit ventilabrum in manu suâ, & expurgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quod dico audiant & antiqui fideles. Qui granum est, cum tremore gaudeat, & permaneat, & ab areâ non recedat. Non se iudicio suo velut à paleâ conetur exuere: quoniam si se voluerit modò à paleâ separare, non poterit in areâ permanere. Et cùm venerit ille qui sine errore discernit, quod in areâ non inuenerit, ad horreum non leuabit. In cassum se de spicâ tunc grana iactabunt, quæcunque nunc ab areâ recesserunt. Implebitur illud horreum, atque claudetur. Quicquid extra remanserit, flamma vastabit.

Psal. 39. v. 6.
Ecclesia, areæ similis.
Matth. 3. v. 12.
Luc 3. v. 17.
Ventilatio futuri iudicij.
Al. discedat.

Qui ergo bonus est, charissimi, toleret malum: qui malus est, imitetur bonum. In hac quippe areâ possunt in paleas grana deficere: possunt rursùs grana de paleis consuscitari. Quotidie fiunt ista fratres mei. Plena est hæc vita supplicijs atque solatijs. Quotidie qui videbantur boni, labuntur & pereunt: & rursus qui videbantur mali, conuertuntur & viuunt. Non vult enim Deus mortem impij, quantum vt reuertatur, & viuat. Audite me grana, audite me qui estis quod esse desidero. Audite me grana. Nolite contristari de permixtione palearum. Non erunt vobiscum in æternum. Quantum est hoc quod premit palea? Deo gratias quia leuis est. Nos tantùm grana simus, & quantacunque fuerit, non grauabit. Fidelis est enim Deus qui non permittet nos tentari supra id quod possumus: sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt sustinere possimus. Audiant nos & paleæ; vbicunque sunt audiant. Nolo hîc sint. Alloquamur eas tamen, ne fortè sint. Ergo audite me paleæ: quamuis si auditis, paleæ non eritis. Audite ergo. Prosit vobis Dei patientia. Granorum coniunctio, commonitio, grana vos faciant. Non vobis desunt imbres verborum Dei: non sit sterilis in vobis ager Dei. Ergo reuirescite, granascite, maturascite. Qui enim vos seminauit, spicas vult inuenire, non spinas.

Mutatio continua palearum in grana, vicissimque.
1. Cor. 10. v. 13.

SANCTI PETRI CHRYSOLOGI, A
in idem Euangelium, deque Dominicâ resurrectione.

Est 74.

SERMO I.

S. Doctor hos & sequentes Sermones Seuero, siue Seueriano tribuit: vtique quod ita inscriptos habuerit. Nec veri speciem habet esse Seueriani Chrysostomi æmuli, sed scriptoris Latini, siue is Seuerus est, puta Malacitanus, siue Seuerianus Gabalitanus noster; siue certè ipse Petrus Rauennas, cuius totos characteres habet; vndecunque orta sit diuersitas illa inscriptionis.

ALiquantulùm nos tacere, Fratres charissimi, & vigiliarum labor fecit, & coëgit ieiunij lassitudo; & ideo hodie reddimus de Dominicâ resurrectione sermonem, io quâ, si diuinum est, quòd ex Virgine nascitur Christus; quantùm diuinum est, Christus à mortuis quòd resurgit? Quod ergo diuinum est, humano non accipiatur auditu? B

Matth. 28. v. 1.

Vesperâ, inquit, *Sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati. Vesperâ sabbati*: Hoc nescit dies sæculi, hoc non haber mundi vsus. Vesper finit, non inchoat diem: tenebrescit vesper, non lucescit: non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat. Vespera, mater noctis, parturit diem; mutat ordinem, dum agnoscit auctorem: radiat de nouitate mysterium; anhelat Creatori seruire, non tempori. C

Vesperâ sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Setò mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam. Vespere quærit Christum, quæ io matutinis Adam se nouerat perdidisse. *Venit Maria, & altera Maria videre sepulchrum.* Quæ de Paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de sepulchro: contendit rapere de morte vitam, quæ de vitâ rapuerat mortem. *Venit Maria.* Hoc nomen Matris est Christi: venit ergo mater in nomine; venit mulier, vt fieret mater viuentium, quæ facta fuerat morientium mater, vt quod scriptum est impleretur, *Hæc est mater omnium viuentium.* D

Gen. 3. v. 20.

Venit Maria, & altera Maria. Non dixit, venerunt, sed *venit*: sub vno nomine veoeruot duæ mysterio, oon casu. *Venit Maria, & altera Maria.* Venit ipsa, sed altera; altera, sed ipsa: vt mulier mutaretur, vitâ, non nomine; virtute, non sexu: & fieret resurrectionis nuntia, quæ internuntia & lapsus fuerat, & ruinæ. *Venit Maria videre sepulchrum.* Vt quam deceperat arboris visus, visus repararet sepulcbri: & quam prostrauerat illecebrosus aspectus, aspectus salutaris attolleret.

V. 2.

Ecce, inquit, *terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cælo.* Tremuit terra, non quia Angelus descendit de cœlo; sed quia ab inferis Dominator ascendit. E *Ecce terræ motus factus est magnus.* Mouetur chaos, dissiliunt ima terrarum, montium tremunt pondera, orbis fundamenta quatiuntur, corripitur tartarus, sistuntur inferna, addicitur mors, quæ in reos tendens incurrit in Iudicem; dominata seruis, exarsit in Dominum; sæuiens in homines, prosiliuit in Deum. Meritò ergo perit lex tartari, remota sunt inferni iura, potestas mortis ablata est, & in pœnam temeritatis suscitauit mortuos cogrutoris iniuria. Denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur; & constat de veniâ iam totum, quia io auctorem vitæ mors est transgressa seotentiam.

Ecce terræ motus factus est magnus. Modò terræ motus magnus: O si tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset! O si nebula fumus, illius mulieris tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si manus tangens inconcessa tremuisset! O si peccati diem tenebrasset nox iniusta! & lamenta muodi, & incrementa mortis, & Creatoris iniuriam tunc tulisset. Sed vitijs semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus verò aostera, & fortia sunt amica.

Quæ scilicet indi bitum lucis locum, ac diei vsurpa et: nec eius tot congestis à Mitâ.

Angelus enim Domini descendit de cælo. Resurgente Christo, morte pereunte terrenis redditur cœleste commercium; & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum Angelo colloquium fit vitale. *Angelus Domini descendit de cælo; & reuoluit lapidem*, Non dixit, Voluit, sed *reuoluit.* Reuoluit lapidem, qui aduolutus probauit mortem; & reuolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis, qui Christum & reuelare meruit, & velare: beatus, qui ooo minus corda aperit, quàm sepulchrum: beatus, qui dat resurrectioni fidem, fideique resurrectionem; qui diuinam carnem resurrexisse testatur. Mutatur hîc ordo rerum: mortem, non mortuum deuorat hîc sepulchrum: domus mortis mansio fit vitalis: vteri noua forma mortuum concipit, parit viuum.

Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Et Angelo quæ causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo? Sed sedebat vt fidei doctor, vt resurrectionis magister. Sedebat super petram, vt soliditas sedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Matth. 16. v. 17.

V. 3.

Erat, inquit, *aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix.* Ad Angeli gloriam non sufficit fulgor? ad cœlestem naturam quid attinet vestimentum? Sed splendore tali referebat speciem nostræ resurrectionis & formam: quia resurgentes per Christum, Christi mutantur io gloriam.

V. 4.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Miseri, quos tunc percutit pauor mortis, quando securitas redditur vitæ: Sed crudelitatis ministri, perfidiæ executores alienæ fiduciam sumere quomodò poterant de supernis? Obsidebant sepulchrum; resurrectioni ianuas obstruebant: & ne quà posset intrare vita, mors perire, seruabant. Meritò eos Angeli perculit, & prostrauit aduentus. Misera, & sibi semper inimica mortalitas dolet se mori: ne resurgere possit, oppugnat: sepulchrum aperire conuenerat, & ad resurgendum quicquid erat facilitatis afferre, vt esset miraculum de facto; de exemplo spes; de reuerso res; credulitas de videndo. Grandis dementia est hoc, hominem oolle credere, quod sibi desiderat euenire. Hoc de his custodibus hodie dixisse sufficiat. Quid autem nostra fides habeat, ne hodie longum sit, pòst dicemus; præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum Patre Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

DE EADEM.

SERMO II.

Est serm. 75.

QVantùm à vobis ego, à me tantùm peregrinatus est sermo: sed orate Fratres Dominum, vt sicut me vobis Deus reddidit, ita mihi dignetur reddere & redonare sermonem. Audistis Euangelistam dicentem, *Vesperâ sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati.* (Matth. 28. v. 1.) Quid hîc intelligit humanus sensus? quid hîc humana sapit sapientia? *Vesperâ, quæ lucescit?* Vesper finit, non inchoat diem: nec lucem parturit, sed tenebras: sed hîc elementorum auctor, vices elementorum mutat; vt in resurrectione Domini totum diuinum sentias, nil humanum. Denique resurgente Christo fidelibus lucessit vesper, dies infidelibus tenebrescit. Discipulis nox mutatur in diem; Iudæis dies vertitur, & mutatur in noctem. *Ab horâ,* inquit, *sextâ, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* (Matth. 27. v. 45.) Vt ipsa, quæ tota est meridiana claritas, obscuraretur; & illud, quod scriptum est, impleretur, *Occidet illis sol in meridie.* (Amos 8. v. 9.) Occidet illis, id est, Iudæis: nostris autem, *Nox sicut dies illuminabitur.* (Psal. 138. v. 11.) Quia vesper, qui in profundam semper caliginem vergit, totam tunc Christi tetendit, & erexit in lucem: ac splendore toto, tota mortalium pectora ab inferis Christo resurgente compleuit, *Vespere sabbati.* Quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur: *Non enim venit soluere legem, sed adimplere.* (Matth. 5. v. 17.) Illuminatur, vt in die Dominico luceat, clarescat in Ecclesiâ, quod in Synagogâ Iudæis obscurantibus fuscabatur.

Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Præcedunt Apostolos ad ministerium fœminæ, quæ sexu viros, quæ ordine discipulos sequuntur: sed non hinc faciunt Apostolos segniores, quæ non fœminarum formas, sed Ecclesiarum typum deferunt Dominicum ad sepulchrum. Maria & Maria, sed altera vt ipsa; ipsa vt altera: altera ipsa Maria, Maria mater Christi: (Altera Maria, Maria mater Domini.) vnum nomen duas geminatur in fœminas, quia hîc Ecclesia ex duobus populis venient vna figuratur: ex duobus populis, id est, ex Gentibus & Iudæis; quia *primi nouissimi, & nouissimi primi.* (Matth. 20. v. 16.)

Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis vterum, venit ad vitæ partum, vt iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre: & cum quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam.

Diuinitatis insigne est clausam Virginem reliquisse post partum; de sepulchro clauso exisse cum corpore est diuinitatis insigne. Maria & Maria venerunt, vt viderent sepulchrum. (Mariæ Christi resurrectionem credentes.) Vides quia venerunt, non vt Dominum cernerent, sed sepulchrum: nec quærebant cum mortuis iam viuentem, quæ Dominum iam resurrexisse credebant.

Angelus enim Domini descendit de cælo; & accedens reuoluit lapidem. (V. 2.) Reuoluit lapidem, non vt egredienti Domino præberet aditum, sed vt Dominum mundo iam resurrexisse monstraret; conseruis ad credendum daret fidem, non ad resurgendum Domino præstaret auxilium. *Reuoluit lapidem.* Reuoluitur ad fidem

A qui ad perfidiam fuerat aduolutus. *Reuoluit lapidem.* Vt idem esset vitæ titulus, qui acceperat mortis tenere custodiam. Orate, fratres, vt nunc descendat Angelus, & totam duritiem nostri cordis emolliat; aperiat sensuum clausa nostrorum; resurrexisse Christum nostris etiam testetur ex mentibus: quia sicut illud cor cœlum est, in quo viuit & regnat Christus; ita illud pectus sepulchrum, in quo Christus adhuc habetur mortuus, & sepultus. (Cor cœlum & sepulchrum.) Christi mors, sicut fuisse, ita pertransisse credatur. Christus homo passus, mortuus, sepultus fuit; est, viuit, regnat, manet, permanet Deus. Audi Apostolum dicentem, *Etsi nouimus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus.* (2. Cor. 5. v. 16.) B Et, *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem viuit, viuit Deo:* (Rom. 6. v. 10.) huc est viuit Deus. *Et accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Sedebat ad docendum resurrectionem, non ad lassitudinem subleuandam. Cœlestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem: sed factus est lapis vas Angelicæ sessionis doctrinæ cœlestis cathedra; schola vitæ, qui à Iudæis ad mortis ianuam, ad cineris seruitium, ad triste silentium fuerat constitutus.

Erat, inquit, *aspectus eius sicut fulgur: vestimenta autem eius sicut nix.* (V. 3.) Vultus claritas à vestium candore separatur; & facies, fulguri; C niui vestis Angeli comparatur; quia fulgur de cœlo, nix de terrâ. Audi Prophetam dicentem, *Laudate Dominum de terrâ ignis, grando, nix.* (Psal. 148. v. 7.) In facie ergo Angeli claritas cœlestis seruatur naturæ; in veste verò figuratur gratia communionis humanæ: (Vestium cãdor, vultus fulgor.) & temperatur species Angeli colloquentis, vt carnales oculi, & vestium ferant placidam claritatem; & ex fulgore vultûs, nuntium sui tremerent, & reuererentur auctoris.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes. (V. 4.) Quare territi? Quia custodiebant crudelitatis studio, non pietatis obsequio. Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. Hinc est, quòd Angelus percellit D impios, pios alloquitur, & solatur.

Nolite timere vos. (V. 5.) Hoc est, illi timeant: quærentes non timeant, timeant persequentes. *Nolite timere vos, scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc.* Hoc est, Ego veni vt instituerem vos, non vt illum exuerem, qui & rerum factor est, & suus est suscitator. *Non est hîc: surrexit enim sicut dixit.* Vides, quia venit Angelus, vt factis assereret seruus, quod Dominus prædixerat verbis; & doceret moriendi, & viuendi penes illum potestatem fuisse, qui ante suam mortem, prædixerat resurrectionem. Nam vtique qui scire potuit, potuit & cauere; sed quia vincere potuit, declinare contempsit; E quia resurgentis gloria sepeliuit morientis iniuriam. De sequentibus, fratres, sequenti sermone tractabimus, quia protrahere nos, & dilatare sermonem, adhuc recens itineris prohibuit lassitudo.

DE EADEM, DE QVA secundâ Christi manifestatione factâ mulieribus à monumento regredientibus.

A

SERMO III.

Est serm. 76.

SVperiori fermone Mariam, & altetam Mariam Ecclesiæ ex duobus populis venientis figuram diximus habuisse; hoc ex sequenobus hodie cupimus approbate, si modò nobis vester benignus præbeatur auditus.

Matth. 28. v. 5.

Respondens, inquit, *Angelus dixit, Nolite timere vas; scia enim quia Iesum, qui crucifixus est, quaritis: non est hîc; surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum vbi positus erat Dominus.* Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, fatetur mortem; sed B resurrectiooem mox, mox Dominum confitetur.

Ariani perstricti.

Et si Angelus post tanta sopplicia, post sepulchrum agnoscit Dominum, suam loquitur seruitutem; & iniuriam passionis totam transisse sentit resurrectionis in gloriam, cur homo aut minoratum Deum in carne iudicat, aut in passione eius existimat defecisse virtutem, aut consumptam dominationem credit seruitute dignâ? Dicit Angelus crucifixum; ostendit locum, vbi positus etat Dominus; ne alter, & non ipse idem C resurrexisse crederetur ex mortuis. Et sic Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipsa clauotum foramina resumit, & ipsa facit testimonia sui corporis, suæ resurrectionis indicia, quæ suæ fuerant contumelia passionis; quare homo sic in aliâ putat, aut in suâ non putat carne, rediturum? aut carnem fortè seruus dedignatur suam, cùm nostram Dominus non mutatr Acquiesce homo, ipsum te futurum io carne tuâ, ne tu ipse non sis, si in carne surrexeris alienâ.

Resurrectio futura in ipsâ nostrâ carne.

V. 7.

Mariæ Ecclesiarum typus.

Adiecit Angelus, *Et citò euntes dicite discipulis, quia surrexit, & pracedet vos in Galilaam: ibi eum videbitis.* Angelus hîc noo fœminas, sed Ecclesiam duabus io fœminis mittit: D vnam mittit, vt eam mittendo sic longè, latéque diffundat. Angelus hîc sponsam mittit ad sponsum. Denique euntibus illis occurrit Dominus, & salutat eas, dicens, *Auete*. Occurrit, & non potestate terret, sed præuenit charitatis ardore: noo auctoritate turbat, sed salutat lege sponsi: non dominantis iure onerat, sed honorat dilectione consortis. Salutat, *Auete*. Dixerat discipulis ipse, *Neminem salutaueritis in viâ*; & quid est quòd hîc in viâ tam festiuus salutator occurrit; non expectat cognosci, intelligi non requirit, nun vt ioterrogetur admittit, sed in salutationem vadit totus, vadit feruens, E & suum soluit ipsâ suâ salutatione mandatum? Fecit, fecit, quia totum vincit, & exuperat vis amoris: simul, quia Christus io Ecclesiâ se salutat, quam suaio fecit esse; & sic viscera sua, suum sic recepit corpus, diceote Apostolo, *Et ipse est caput corporis Ecclesia.*

V. 9.

Luc. 10. v. 4

Christi ad eas salutatio.

Col. 1. v. 18.

In istis verò fœminis Ecclesiæ figuram manere plenam res ipsa ostendit euidenter, quia discipulos suos Christus de resurrectione notantes arguit; trepidantes firmat; ostensione lateris, clauorum cauerois, sumptione cibi, vix reuocat ad fidem. Vnde & meritò in fide paruulos sic pueros appellat, dicendo, *Pueri, nunquid habetis pulmentarium?* ipsamque alibi Mariam

Discipuli tardi ad fidem, pueri.

Ioan. 21. v. 5.

flentem quasi de mortuo, *mulierem* vocat, atque tangendi se licentiam negat: istas autem sic perfectas inuenit, sic credeotes, sic non de sexu trepidantes, sed mysterio currentes; sic Dominum toto fidei ardore requirentes, vt habendum se tradat eis salutatione tali, dicens, *Auete*. Angelus dixerat, *Scio enim quia Iesum Crucifixum quaritis;* & requirentibus Christus, *Auete* respondit. Alibi autem Mariæ non tangendi datur facultas: hîc non solùm tangendi, sed & tenendi facultas tota cooceditur. *Illa autem*, ioquit, *accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Istæ tenent pedes Christi, quæ in Ecclesiâ typum Euangelicæ prædicationis tenent, & merentur ex cursu; ac sic fide tangunt sui vestigia Saluatoris, vt ad totius deitatis pertingant gloriam, perueniant ad honorem. Illa autem meritò audit, *Noli me tangere*, quæ in terris deflet Dominum, & sic in sepulchro quærit mortuum, vt eum in cœlis nesciat regnare cum Patre. *Noli me tangere*; id est, obsequi tactu carnis, quem fidei tactu deberes attingere; nec quasi hominem tantùm tangere te præsumas in terrâ, quem Deum nondum sapis in cœlestibus adorare. Fœminea cura desinat, muliebris solicitudo desistat, virilis credulitas tuam conscendat mentem; ascensum meum cutdis tui capiat latitudo, vt in cœlestibus æternâ tactus mei beaotudine perfruaris, iuxta illud Prophetæ, *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, Domine; ascensus in corde eius disposuit.* In terrâ manu non taogit Christum, qui fide in cœlum non conscendit ad Christum.

Ioan. 20. v. 15.

Repulsa Maria fide nudâ à tactu Dominici corporis.

tantùm carne Mss.

Psal. 83. v. 6.

Quòd ergo eadem Maria nunc in fidei vertice constituta, nuoc in Ecclesiæ sublimata fastigio, & tangit Christum, & tenet toto sanctitatis affectu, nunc imbecillitate carnis, & fœmineâ infirmitate deiecta dubitat, & tactum sui non meretur auctoris; non facit quæstiooem; siquidem illud de figurâ est, hoc de sexu: illud est de diuinâ graoâ, hoc de humaoâ naturâ: quia nos ipsi cùm diuina scimus, Dei munus est; cùm humana sapimus, cæcamur ex nobis. Sic beatus Petrus Christum, dum Dei Filium confitetur, Patre reuelante cognoscit: cùm negat Christum, carnis sentit, & patitur cæcitatem.

Gratiæ in nobis opera, & naturæ.

Matth. 16. v. 7.

Inter hæc Iudæi crimina aut malè emunt sua, aut distrahunt peius aliena, dum peccata taxant pretio; dom pecuniâ pensant, & compensant delicta: dum io sceleribus suis fundunt, quod toto scelere congregauerunt. Sic Iudam comparant proditorem Domini sui; & pretio, Redemptoris mundi sanguinem pensant. Sic aperti sepulchri fidem claudunt sacculo, vt negandæ resurrectionis crimeo omnis criminum mercarentor: *Pecuniam*, ioquit, *copiosam dederunt, &c. Diffamatum est verbum istud apud Iudaos.* Apod Iudæos; nunquid apud Christianos? Iudæe, quod tu in Iudæâ obscurabas anto, fide toto claruit, & eluxit in mundo. Discipuli receperunt, non furati sunt Christum: tu perfidiam comparasti, sed non furatus es veritatem. Iudæe, resurrexit Christus, tu pecuniam perdidisti. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Iudæe, Christus viuit; tu, & te, & tuos posteros occidisti.

V. 12.

Matth. 27. v. 25.

DE RESVRRECTIONE *Christi.*

SERMO IV.

Est sermo 77.

PLenum satis, & perfectæ deuotionis indicium, quòd tempore passionis tota Creatori suo compatitur creatura. Quæ caro terrâ tremente non tremuit: quæ mens non torpuit, quod ingenium non defecit, cùm sol ante tempus occidit, lux refugit? Denique fratres, & nostra occubuêre tunc viscera Sensus est commotus, sermo noster suo est consepultus auctori, vt eius totam nunc suscitaretur ad gloriam. Ista extitit silentij mei causa: ista debiti mei deuota dilatio fuit. Nec mirum, fratres, si prouidè sermo meus toto affectionis obsequio ad inferos etiam suum secutus est largitorem, quia sine ipso vobis talibus, ac tantis creditoribus, quod redderem, non habebam. Quòd si cupidus aliquis, & auidus exactor de solutionis tarditate conqueritur, calumniam temporis nobis desistat inferre, quia diues Dominus meus multiplicem fœnoris ipsius auget, & repensat vsuram. Absoluat ergo nos iam Euangelicæ larga lectionis humanitas, quos officij necessitas tantum deduxit, & adduxit ad debitum.

Matth. 28. v. 1. *Vesperâ*, inquit, *sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati.* In Domino resurgente non humanæ solùm conuersum est ius naturæ, sed etiam ipse creaturæ ordo insigniter est mutatus. *Vesperâ sabbati, quæ lucescit.* Ecce Domino resurgente non tenebrescit vespera, sed lucescit: & fit lucis exordium, quod principium noctis esse consueuerat. *Vesperâ sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati.* Sicut mortalitas in immortalitatem, corruptio in incorruptionem, caro in Deum, ita tenebræ transferuntur in lucem: vt se nox ipsa taliter non perijsse gaudeat, sed esse mutatam; quæ obscuritate magis, quàm tempore sic defecit: quæ interualla, quæ vicem suæ feliciùs perdidit seruitutis, vt in perpetuæ lucis proflueret & erumperet libertatem, dicente Prophetâ, *Et nox illuminatio mea in delicijs meis.* *Psal. 138. v. 11.*

Sabbati primatus in Dominicũ diem translatus. *Vesperâ quæ lucescit in prima sabbati.* Sabbatum secundarium se lætatur effectum, quod iussione legis torpebat in otio; & per dici Dominici primatum in diuinæ virtutis opera mirabiliter excitatum, quod Iudaicæ obseruationis inertiâ à virtute salutari reddebat extraneum, dicente *Luc. 6. v. 9.* Domino, Non licet sabbatis ægris curam, afflictis opem, cæcis visum, vitam mortuis condonare? & interpretando taliter, à Deo diem sabbati sanctæ legis studijs deputatum, miseræ tantùm ventris addixerat seruituti.

Vesperâ sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria. Vna venit nomine, quæ nunc alia legitur in diuersâ personâ. *Venit Maria, & alia Maria.* Quò & vnam in duabus nominis vnitas figuraret, & mutatam fœminam diuersitas panderet personarum. *Venit* enim, non venerunt: & cùm dicit, *alia*. in vtraque eandem mystico designat affatu; vt aliam venisse ante fidem, aliam post fidem redituram esse monstraret. Venit mulier, sed redit Maria: venit, quæ intulit mortem, redit, quæ genuit vitam: venit Adam quæ deduxit ad inferos, redit quæ ab inferis Christum recepit.

A Paschate.

Venit Maria, & alia Maria. Quare? *Videre sepulchrum*; & non Christum quærere: tantùm videre sepulchrum, reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, suæ cum diabolo præsumptionis, sui quæstus ferale commercium; vt inde recuperaret fidem, vnde perpetuum suæ præuaricationis sustinebat opprobrium.

Et ecce terræ motus factus est magnus. *V. 2.* Si sic terra tremuit, cùm suorum Dominus resurgit ad veniam, quemadmodum contremiscet, cùm noxiorum consurget ad pœnam? dicente Prophetâ, *Terra tremuit, & quieuit, cùm resurgeret in iudicium Deus.* *Psal. 75 v. 9.* Et quæ conserui, hoc est, Angeli, præsentiam sustinere non valuit, quemadmodum Deum iudicem sustinebit? Ecce eisdem lineis, quibus perierat salus humana, reparatur. Prima ad perfidiam mulier, prima procuratur ad fidem: prima currit ad interemptorem mortis, quæ prima cucurrerat ad mortis auctorem. Prima audit ab Angelo, quæ prima cum diabolo fuerat collocuta.

Angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Non vt conferret resurrectionem tali operatione, sed vt proderet, dicente Domino, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* *Ioan. 10. v. 18.* Nobis clausa aperit, nobis occulta reserat; nec auctorem suum, qui iam non erat in sepulchro, educit ad lucem, sed conseruos suos, qui positi erant in dubitationis obscuro, ad fidem resurrectionis adducit, ipso attestante, cùm dicit, *Non est hîc, surrexit.*

Reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Quare non voluit, sed *reuoluit*? Vt quem perfidia Pharisæorum ad offensam voluerat & scandalum, Angelus ad fidem reuolueret, & salutem, dicente Prophetâ, *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* *Isai. 8. v. 14. & 28. v. 16.* Reuoluitur ergo lapis, vt euolueret mortem, qui vitam clauserat aduolutus, dicente Scripturâ, *Videbitis vitam vestram pendentem coram oculis vestris, & non credetis.* *Deut. 28. v. 66.*

Et sedebat super eum. Non lassitudinem recreans, sed sacri, & vitalis sepulchri se esse præsidem sic demonstrans: & destructam esse mortem cœlestis minister officij tali sessionis suæ declarauit indicio: & esse Deum, qui passus est; Deum, qui intra nostri corporis est receptus angustias; Deum, quem habitu superno sic residens testabatur assertor. Et quid plura, fratres? sedet, quia ab illo tam venerabili sepulchro nunquam Angelus recedit.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt sicut mortui. *V. 4.* Quos prosternit terror noxios, ad conscios mox recurrit. Sic, sic innocui cùm resurgent, terror, & mors iniustos, & impios possidebit. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix.* *V. 3.* Quid facit vestis, vbi nulla est nuditas? quid indumentum, vbi tegendi necessitas non habetur? Sed Angelus, fratres, nostrum habitum, nostram formam, nostram similitudinem in resurrectione taliter præfigurat, vbi homo ipsâ corporis sui claritate restituitur, dicente Domino, *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* *Matth. 13.*

Respondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis. *V. 43.* Adhuc crucifixum, &

Atqui in superioribus vnum in eis videndi sepulchrum, votum laudauerat. mortuum requirebant, quarum fidem sæua passionis procella turbauerat; & tentationis eas ita pondus incuruauerat, vt cœli Dominum adhuc quærerent in sepulchro. *Non est hic.* Secundum id, quod in loco extitit: hîc est autem, per hoc, quod vbique est, & loci capacitate non clauditur.
V. 6. *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.* Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo suadente vetitæ arboris macularat aspectus. Ingrediuntur sepulchrum, vt consepulto Domino totam fidei resurgerent in salutem. A *Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus* Rom. 6. v. 5.

Euntes dicite discipulis eius. Reuertere ad virum mulier iam sanata, & suade fidem, quæ perfidiam suasisti. Refer homini Dominicæ resurrectionis indicium, cui antè tentationis, & ruinæ consilium detulisti. V. 7.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Euangelium, *MARC. XVI.*



¶ Electi qui sunt stellæ maris.
IN illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome eme-
a Id est primâ sabbato. Eadem, prima sabbati dicitur, quæ nunc Dominica appellatur.
runt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane [a] vnâ
b Id est, requietionum quæ in sabbatis custodiebantur. c Post occasum corporis. d Christo.
[b] sabbatorum veniunt ad monumentum [c] orto iam [d] sole: & dicebant
e Legem mortis.
adinuicem: Quis reuoluet nobis [e] lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes
f Originale peccatum. g Legem mortis. ¶ Id est, etiam infantes tangit in vtero gemitus omnium & omnibus grauis.
[f] viderunt reuolutum [g] lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in
h Bed. In domum scilicet rotundam quæ erat excisa in petrâ. i Regnantem in prosperis: Hic iuuenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. k Quæ vera lætitia est, hoste depulso,
[h] monumentum, viderunt iuuenem [i] sedentem in dextris coopertum [k] stolâ can-
regno adempto. l Hier. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus se. m Deus charitas est, timor
didâ, & [l] obstupuerunt. Qui dicit illis: [m] Nolite expauescere: Iesum quæritis
non est charitate. n A loco. o A causâ. p Radix amara crucis euanuit, flos vitæ cum fructibus erupit: qui iacuit in morte, surrexit
[n] Nazarenum, [o] crucifixum: [p] surrexit, non est hic. Ecce locus, vbi posuerunt eum.
in gloriâ. q Mulieribus dicitur, vt nuncient Apostolis: quia per mulierem, mors nunciata est: per mulieres, vita resurgens.
Sed ite, [q] dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: Ibi eum
s Non sicut vidistis.
[s] videbitis, sicut dixit vobis.

GLOSSA ORDINARIA in alterius Euang.



ET cùm transisset. BED. Lucas dicit, quia *reuertentes à monumento parauerunt aromata, & vnguenta, & sabbato siluerunt*: quia mandatum erat, vt sabbati silentium à vesperâ vsque in vesperam seruaretur. Ideoque religiosæ mulieres sepulto Domino dum licuit operari, id est, vsque ad Solis occasum, vnguenta parauerunt, vt Lucas dicit. Et quia præ angustiâ temporis explere non potuerunt: mox transacto sabbato, id est, occidente Sole, vbi operandi licentia rediit, festinauerunt emere aromata, sicut Marcus dicit, vt venientes manè vngerent Iesum. Neque vespere sabbati, præoccupante iam noctis articulo, monumentum adire valuerunt.

Marc. 16. v. 1. Luc. 23. v. 56. Lucæ, ac Marci concordia.

Vt venientes vngerent. Moraliter sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, & ei quem viuentem dilexerunt, etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur. Et nos ergo in eum qui mortuus est credentes, si odore virtutum refecti cum opinione bonorum operum quærimus Dominum, ad monumentum eius cùm aromatibus venimus. Quòd autem valdè manè veniunt ad monumentum orto iam sole, id est, cùm iam cœlum ab Orientis parte albesceret, quod fit Solis orientis vicinitate, ad literam magnus quærendi, & inueniendi Dominum feruor charitatis B ostenditur. Mysticè autem nobis exemplum datur illuminatâ facie decussis vitiorum tenebris odorem bonorum operum Domino, & orationum suauitatem offerre.

Greg. in homil. 4. Mulierum in Christi corpus obsequium mysticè.

HIERON. Nunc cum aromatibus redolentibus cum sponsâ, & adolescentulis quæ currunt post eam conspergimus librum & cubiculum mentis nostræ. Nunc introducit nos Rex in cellaria sua. Nunc surgit amica Maria; *hyems abijt, pluuia recessit, flores apparuerunt, vox turturis audita est in terrâ nostrâ, vinea florentes odorem dederunt*: rediit sponsus de vmbrâ, sub quâ dormit in meridie. Post tristia sabbata felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet: luce primâ in eâ lucescente, & Domino in eo cum C triumpho resurgente, & dicente: *Hæc est dies quam fecit Dominus, &c.*

Auctor nomine Hier. in Marcû. Fort. lectû. Cant. 1. v. 4. Cant 2. v. 11. Cant. 1. v. 6. Psal. 117. v. 24.

Et valdè manè. HIERON. Quod alius dicit *diluculo*. Diluculum est inter tenebras noctis, & diei claritatem, in quâ salus venit in Ecclesiâ declaranda more Solis, qui consurgens roseam præmittit auroram, vt tantus splendor præparatis oculis possit videri, cùm tempus Dominicæ resurrectionis illuxit: vt tunc laudes Christi tota cantaret Ecclesia sanctarum fœminarum, quando vitam præstitit & lumen credulitatis infudit.

V. 2. Luc. 24. V. 1. Idem auctor, apud quem & purior textus.

Et dicebant. HIERON. Aquilæ congregantur ad corpus: mulieres, & Apostoli vident lapidem reuolutum, qui est lex mortis: quasi dicat, *Vbi est mors aculeus tuus?* V. 3. Matt. 24. v. 28. 1. Cor. 15. v. 55.

Reuolutum lapidem. BEDA. Quomodò la- v. 4.

Math. 28. v. 2. pis pet Angelũ sit reuolutus, Matthæus dicit. Alleg. autẽ lapidis reuolutio reserationem sacramẽtorum Christi, quæ velamine literæ legis tecta erant, insinuat. Lex etenim in lapide scripta est, cuius ablato tegmine, gloria resurrectionis ostensa est, & abolitio mortis antiquæ, & vita nobis speranda perpetua toto orbe cœpit prædicari.

Lapis reuolutus allegoricè. Exod. 24. 31. & 34.

Iuuenem. HIERON. Non senem, non infantem, sed iocundum ætate, vt dicitur; *Lætare iuuenis in adolescentiâ tuâ.*

V. 5. Eccl. 11. V. 9.

BEDA. Mulieres Angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia illæ mentes supernos ciues aspiciunt, quæ cum virtutibus ad Deum per sancta desideria veniunt.

Beda ex Gregor.

Sedentem in dextris. BEDA. Ad meridianam partem loci illius, vbi positum fuerat corpus Iesu. Corpus enim quod supinum iacens caput habet ad occasum, dextram necesse erat habere ad austrum. Scribit autem Matthæus, quòd Angelum, qui reuoluit lapidem ab ostio monumenti, primò viderunt super ipsum lapidem sedentem, qui eas intrare in locum vbi positus erat Dominus iusserat, & videre quòd iam resurrexit à mortuis. Lucas autem, quòd intrantes in monumentum duos Angelos stantes ibi inuenerunt.

Math. 28. v. 2. Luc. 4. v. 4.

GREG. Per sinistram vita præsens, per dexteram vita æterna signatur, iuxta illud: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Quia Christus iam præsentis vitæ corruptionem transierat, rectè qui eius vitam perennem nuntiabat, in dexterâ sedebat. Qui in stolâ candidâ apparuit, quia & suæ, & nostræ festiuitatis gaudia nuntiauit. Illa enim Domini resurrectio, & nos ad immortalitatem reduxit, & ad Angelorum numerum restituens, cœlestis patriæ damna reparauit.

Angelus à dextris. Cant. 2. v. 6. In stolâ candidâ.

Nolite expauescere. GRAN. Quasi dicat, Paueant illi qui non amant aduentum Domini, vel supernorum ciuium: qui vitiis pressi de eorum societate desperant. Vos autem quid timetis, quæ vestros concines videtis? Vnde Matthæus Angelum apparuisse describens, ait: *Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Iesum,* Salutare. Sed quia multi non substantialiter, sed nuncupatiuè hoc nomine dicebantur determinat per locum, *Nazarenum,* & causam subdit. *Crucifixum.* Atque addit: *Surrexit, non est hic.* Per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam maiestatis.

V. 6. Math. 28. v. 3.

Ecce locus, Ostenditur mortalitas mortalibus ad actionem gratiarum debitam, vt intelligamus quid simus, & fuerimus, & sciamus quid erimus.

Et Petro. BEDA. Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione. Nisi enim eum Angelus nominatim exprimeret, qui magistrum ter negauerat, inter discipulos venire non auderet. Et notandum cur eum, quem Ecclesiæ suæ omnipotens præferre proposuit, ad ancillæ vocem negare permisit. Hoc enim actum ea magnâ pietatis dispensatione, vt qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in suâ culpâ disceret, quomodo aliis misereri deberet.

V. 7. Petrus cur nominatim expressus. Ecclesię cur præpositus.

HIER. *Et Petro.* Qui se indignum discipulatu indicat, eum ter magistrum negat. Sed peccata præterita non nocent, quando non placent.

Præcedet vos. Breuis sententia in syllogismis, licet ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, æternitatis nostræ origo præparata est. Ibi congregantur dispersiones Israël, & sanantur contriti corde. *Ibi eum videbitis sicut dixit vobis.* Non sicut vidistis.

Præcedet. Benè de Redemptore nostro dicitur. Galilæa namque transmigratio facta interpretatur. Iam enim à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœnâ ad gloriam transmigrauerat. Et benè post resurrectionem in Galilæâ à discipulis videtur, quia resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigremus. Qui ergo in sepulchro nuntiatur, in transmigratione ostenditur. Et qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. Galilææ mysteriũ.

BEDA. Nota quòd Marcus dicit: *Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Nec tamen ibi visum retulit. Matthæus autem dicit, discipulos in Galilæam abiisse in montem, ibique Dominum vidisse, & adorasse, & præceptum ab eo accepisse eundi, docendi, baptizandi omnes Gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Alij autem Euangelistæ docent eum antea sæpiùs discipulis visum fuisse, maximè die resurrectionis in Ierusalem, & ipso die in castello Emaus. Quare ergo in Galilæâ specialiter se præcessurum, & ibi vidẽdum prædixit, cùm neque ibi solùm, nec primùm visus sit? Quia verò specialiter hæc vox non Euangelistæ narrantis, sed Angeli ex mandato Domini, & ipsius Domini est, propheticè dictum intelligendum est. Galilæa namque transmigratio, vel reuelatio dicitur: Prius secundum transmigrationis significationem, quod dicitur: *Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis,* significat, quòd gratia Christi de populo Israël erat transmigratura ad Gentes, à quibus Apostoli nullo modo prædicantes susciperentur, nisi eis Dominus viam præparasset in eorum cordibus: & hoc est: *Præcedet vos in Galilæam.* Quod autem gaudentes mirantur, victis omnibus difficultatibus aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium: hoc est: *Ibi eum videbitis.* Id est, ibi membra eius inuenieris: ibi corpus eius viuum in eis qui vos susceperint, cognosceris. Secundum autem hoc quòd Galilæa reuelatio dicitur, non intelligendum est in formâ serui, sed in quâ est æqualis Patri, qui dicit: *Ego diligam eum, & ostendam ei meipsum:* non secundum hoc quod videbant eum: non etiam secundum hoc, quod cum cicatricibus videndum, & tangendum post resurrectionem ostendit, sed secundum ineffabilem lucem quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* secundum quod *lux lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Illuc nos præcessit, vnde ad nos veniens non recessit, & quò præcedens nos non deseruit. Illa enim reuelatio vera est Galilæa, cùm *similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Ipsa etiam erit beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram aggregari mereamur. Tunc enim *ibunt in ignem æternum sinistri, iusti autem in vitam æternam.* Hinc illuc transmigrabunt, & ibi eum videbunt, quo modo non vident impij. *Tolletur enim impius vt non videat claritatem Dei, & impij lumen non videbunt. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum,* sicut in illâ æternitate cogno-

Math. 28. v. 16. Ioan. 14. v. 21. Ioan. 1. v. 9. & 5. 1. Ioan. 3. v. 2. Matt. 25. v. 46. Isai. 26. v. 10. Ioan. 17. v. 3.

ſcetur, quò & nos perducet propter formam ſerui, vt liberi contemplemur formam Domini.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Marc. 16. v. 1. In hoc loco.

ET *cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* HIER. Poſt ſabbati triſtitiam felix irradiat dies, qui primatum in diebus tenet, luce primâ in eo luceſcente, & Domino in eo cum triumpho reſurgente. Vnde dicitur, *Et cùm tranſiſſet ſabbatum Maria Magdalena, &c.*

Ordinaria.

GLO. Religioſæ enim mulieres ſepulto Domino cùm licuit operari (id eſt, vſque ad Solis occaſum) vnguenta parauerunt, vt Lucas dicit. Et quia præ anguſtiâ temporis non potuerunt explete, mos tranſacto Sabbato (id eſt, occidente ſole) vt operandi licentia rediit, feſtinauerunt emere aromata, ſicut Marcus dicit, vt venientes manè vngerent corpus Ieſu; neque veſpere Sabbati, præoccupante iam noctis articulo, monumentum adire valuerunt. Vnde ſequitur, *Et valde mane vnâ ſabbatorum, &c.*

Eſt apud Chryſo. 82. ſiue eius te ipsâ eſt, ſiue Seueriani, Galli ſcilicet.

SEVER. Mulieres hoc loco fœmineâ deuotione diſcurrunt, quæ non vt viuenti fidem, ſed vt mortuo vnguenta deferunt ad ſepulchrum: & vt ſepulto parant mœroris obſequia, non vt reſurgenti diuinorum gaudia triumphorum.

In hoc loco. Vnctio corporum, vt exſiccata non putreſcant.

THEOPH. Non enim magnitudinem atque dignitatem diuinitatis Chriſti ſapiunt. Venerunt autem iuxta conſuetudinem Iudæorum, vngere corpus Ieſu; vt ſcilicet maneret odoriferum, & ne humiditate ſcaturiret: nam aromata virtutem habent deſiccatiuam, humiditatem corporis abſorbentia, vnde incorruptum corpus conſeruant.

Hom. 21 in Euang.

GREG. in hom. Nos autem in eum qui eſt mortuus credentes, ſi odore virtutum referti cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum illius cum aromatibus venimus. Sequitur, *Et valde manè vnâ Sabbatorum, veniunt &c.*

Libr. 3. c. 24.

AVG. de con. Euang. Quòd Lucas dicit *diluculò*, & Ioannes *manè, cùm adhuc tenebræ eſſent*, hoc intelligitur Marcus dicere, *valdè manè orto iam ſole*, id eſt, cùm cœlum ab Orientis parte albeſceret, quod fit vtique Solis orientis vicinitate. Eius enim eſt ille fulgor, qui nomine auroræ appellari ſolet, ideo non repugnat ei qui ait, *Cùm adhuc tenebræ eſſent.* Die quippe ſurgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tantò minus ſunt, quantò magis oritur lux: nec accipiendum eſt quod ait, *Valdè manè orto iam ſole;* tanquam ſol ipſe iam videretur ſuper terram; ſed de proximo aduueniente in has partes ſole, id eſt, ortu ſuo iam cœlum illuminare incipiente.

Conſenſus Euangeliſtarum.

Mar. 16. ſuper illud: *& valdè manè.*

HIER. *Valdè* ergo *manè* dicit, quod alius Euangeliſta dicit *diluculò*. Diluculum autem eſt inter tenebras noctis, & diei claritatem; in quâ ſalus humani generis prouenit, ſelici vicinitate in Eccleſiâ declaranda; more Solis, qui proximâ luce conſurgens, roſeam præmittit auroram, vt gratiâ præclari ſplendoris præparatus oculus poſſit intueri, quando tempus Dominicæ reſurrectionis illuxit; vt tunc laudes Chriſti tota caneret ſecundum exemplum fœminarum Eccleſia, quando genus humanum exemplo ſuæ reſurrectionis animauit, quando vitam præſtitit, & lumen credulitatis infudit.

Mar. vltimo, 43.

BED. Sicut autem quòd valdè manè mulieres A venerunt ad monumentum, iuxta hiſtoriam, magnus feruor charitatis oſtenditur: ita apud eum iuxta intellectum myſticum nobis datur exemplum, vt illuminatâ facie, diſcuſſiſque vitiorum tenebris, odorem bonorum operum Domino, & orationum ſuauitatem ſtudeamus offerre.

In hoc loco.

THEOPH. Dicit autem, *Vnâ ſabbatorum.* id eſt, primâ dierum hebdomadæ. Sabbata namque dies hebdomadæ nuncupantur: vna verò, dicitur prima.

Vbi ſuprà.

BEDA. Vel prima Sabbatorum, prima dies eſt à die ſabbatorum; id eſt, requietionum, quæ in Sabbatis cuſtodiebant. Sequitur, *Et dicebant* B *adinuicem, Quis reuoluet, &c.*

Apud Chryſol. vbi ſupra.

SEVER. Obſcratum eſt veſtrum pectus, oculi clauſi, & ideo patefacti ſepulchri gloriam priùs non videbatis. Sequitur enim, *Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem.*

Vbi ſupra.

BED. Quomodò lapis per Angelum reuolutus ſit, Matthæus ſufficienter exponit. Hæc reuolutio lapidis myſticè reſerationem ſacramentorum Chriſti, quæ velamine literæ legalis tenebantur, inſinuat: lex enim in lapide ſcripta eſt. Sequitur, *Erat quippe magnus valdè.*

Vbi ſupra.

SEVER. Et plus iam magnus merito quàm formâ, qui Creatoris mundi corpus & claudere, C & operire ſuffecit.

Hom. 21. in Euang.

GREG. Mulieres autem Angelos vident, quæ cùm aromatibus venerunt: quia illæ mentes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutibus ad Dominum per ſancta deſideria veniunt. Vnde ſequitur, *Et introeuntes in monumentum, &c.*

In hoc loco.

THEOPH. Si Matthæus dicit Angelum ſedere ſuper lapidem, Marcus verò quòd mulieres introeuntes monumentum viderunt ſedentem iuuenem, non mireris: nam quem viderunt priùs ſedentem, ipſum etiam intus in monumento poſtmodùm viderunt.

Luc. 3. c. 24.

AVG. de con Euang. Aut intelligamus Matthæum tacuiſſe de illo Angelo, quem intrantes D viderunt; Marcum verò de illo, quem foris ſuper lapidem ſedentem viderunt; vt duos viderint, & à duobus ſigillatim audierint, quæ dixerunt Angeli de Ieſu. Aut certè intrantes in monumentum in aliqua ſepta maceriæ debemus accipere, quâ communitum locum tunc fuiſſe credibile eſt in aliquo ſpatio ante petram, quâ excisâ locus factus fuerat ſepulturæ: vt ipſum viderint in eodem ſpatio *ſedentem à dextris*, quem dicit Matthæus *ſedentem ſuper lapidem.*

In hoc loco.

THEOPH. Quidam autem dicunt quòd aliæ fuerunt mulieres, quæ dicuntur à Matthæo, aliæ quæ à Marco: ſed Maria Magdalena ſequebatur omnes, feruidam feſtinationem habens, & ar- E dentem affectum.

Vbi ſupra.

SEVER. Introierunt ergo mulieres ad ſepulchrum, vt conſepultæ Chriſto, Chriſto conſurgerent de ſepulchro: vident iuuenem, vt cernerent noſtræ reſurrectionis ætatem, quia neſcit reſurrectio ſenectutem: & vbi naſci morique neſcit, ibi ætas nec admittit detrimenta, nec indiget incrementis. Vnde iuuenem, non ſenem, non infantem, ſed iucundam ætatem viderunt.

Non ſunt iſta in Chryſol. habet gloſ. nomine Hieron. Super illud, *Viderunt iuuenem.*

BED. Viderunt autem iuuenem ſedentem in dextris, id eſt, ad meridianam partem loci illius, vbi poſitum erat. Corpus enim quod ſupinum iacens, caput habebat ad Occaſum; dextram neceſſe erat habere ad Auſtrum.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Quid autem per sinistram, nisi vita præsens? Quid verò per dextram, nisi vita perpetua designatur? Quia igitur Redemptor noster iam præsentis vitæ corruptionem A transierat, rectè Angelus, qui nuntiare perennem eius vitam venerat, in dexterâ sedebat.

Vbi supra. SEVER. Vident etiam iuuenem sedentem à dextris, quia resurrectio nihil recipit sinistrum. Videns etiam coopertum stolâ candidâ. Stola ista non est ex mortali vellere, sed ex virtute vitali, splendens cœlesti lumine, non colore terreno, dicente Prophetâ, *Amictus lumine sicut vestimento*: & de Iustis, *Tunc Iusti fulgebunt sicut sol.*

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Vel stolâ candidâ coopertus apparuit, quia festiuitatis nostræ gaudia nuntia- B uit. Candor etenim vestis, splendorem nostræ denuntiat solennitatis.

In hoc loco. HIER. Vestis etiam candida, vera lætitia est, hoste depulso, regnóque adepto; Rege pacis quæsito, & inuento, & nunquam dimisso. Hoc igitur innuens, formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. Quòd autem obstupuerunt, id est, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; quæ præparauit Deus diligentibus se.* Sequitur, *Qui dicit illis*, &c.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Ac si dicat, Paueant illi qui non amant aduentum supernorum ciuium; per- C timescant qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum societatem pertingere se posse desperant: vos autem cur pertimescitis, qui vestros conciues videtis?

Super illud: *Qui dicit illis.* HIER. Non enim est timor in charitate. Quid expauescerent, quæ inuenerunt quem quæsierunt?

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Sed iam quid Angelus subiungit, audiamus: *Iesum quæritis Nazarenum.* Iesus Latino eloquio *salutaris* (id est Saluator) interpretatur: at verò tunc multi Iesus dici poterant, nec tamen substantialiter, sed nuncupatiuè: ideo & locus subiungitur, vt de quo Iesu dictum sit manifestetur, *Nazarenum*. Et causam D protinus subdit, *Crucifixum*.

In hoc loco. THEOPH. Non enim erubescit crucem: in hac namque salus hominum est, & beatorum principium.

Vbi supra. HIERON. Radix autem amara crucis euanuit. Flos vitæ cum fructibus erupit; id est, qui iacuit in morte, surrexit in gloriâ, vnde addit, *Surrexit, non est hîc.*

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. *Non est hîc*, dicitur, per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam maiestatis.

In hoc loco. THEOPH. Et quasi dicat, Vultis certificari de eius resurrectione? subdit; *Ecce locus vbi posuerunt eum.* Propter hoc enim & reuoluerat E lapidem, vt locum ostenderet.

Vbi supra. HIER. Ostenditur autem immortalitas mortalibus ad gratiarum actionem debitam, vt intelligamus quid fuerimus, & sciamus quid futuri erimus. Sequitur; *Sed ite, dicite*, &c. Mulieribus dicitur vt nuntient Apostolis; quia per mulierem mors annuntiata est, per mulierem vita resurgens. Dicit autem specialiter, *Et Petro*, quia se indignum iudicauit discipulatu, cùm ter negauit Magistrum; sed peccata præterita non nocent, quando non placent.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Si autem hunc Angelus non nominatim exprimeret qui Magistrum negauerat, venire inter discipulos non auderet: Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret in negatione.

Libr. 3. c. 25. AVGVST. de con. Euang. Quòd autem dicit, *Præcedet vos*, &c. Videtur hoc sonare, quòd Iesus non fuit demonstraturus se discipulis post resurrectionem nisi in Galilæâ: quam demonstrationem nec ipse Marcus commemorauit. Quòd enim dixit, *Manè primâ Sabbati apparuit Maria Magdalenæ; post hæc duobus euntibus in villam*, factum est in Hierusalem ipso die resurrectionis: deinde venit ad vltimam manifestationem, quam factam scimus in monte Oliueti, non longè à Hierusalem. Nunquam igitur commemorat Marcus impletum, quod ab Angelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus verò nullum alium locum omninò commemorat, vbi discipuli postquam surrexit, viderint Dominum, nisi in Galilæâ, secundum Angeli prædictionem. Sed cùm non sit expressum quando id futurum esset, vtrum primùm, antequam alibi ab eis visus esset; idque ipsum quòd discipulos Matthæus dicit isse in Galilæam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem, non aduersatur quidem Matthæus narrationibus cæterorum, sed dat eis intelligendis, atque accipiendis locum. Verumtamen quòd Dominus non vbi primùm se demonstraturus erat, sed in Galilæâ, vbi postea visus est, se videndum mandauit, quemuis fidelem facit intentum ad quærendum quo mysterio dictum intelligatur.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Galilæa namque *transmigratio* interpretatur: iam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam transmigrauerat: & nos resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nuntiatur, in transmigratione ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur.

Super illud: *Præcedet vos.* HIER. Breuis ergo sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, & salutis æternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersiones, & sanantur contriti corde. *Ibi*, inquit, *eum videbitis*, sed non sicut vidistis.

Lib. 3. propè finem. AVG. de con. Euan. Significatur etiam quòd gratia Christi de populo Israël erat transmigratura ad Gentes, à quibus Apostoli nullo modo prædicantes susciperentur, nisi eis viam Dominus in eorum cordibus præueniens præparasset: & hoc est, *Præcedam vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, id est, ibi membra eius inuenietis.

EPISTOLA B. DIONYSII

Episcopi Alexandrini de tempore quo Dominus noster IesusChristus ex mortuis surrexit, déque horâ Sabbati sancti, quâ illucescente die sancto Dominico fas sit ieiunium soluere.

DIONYSIVS SANCTISSIMO FILIO: religiosissimóque fratri, & sacrorum comministro Basilidæ, in Domino salutem.

SPectatissime, eruditissiméque fili, sciscitaris ex me, quánam horâ Paschalis solennitatis ieiunium soluere liceat? Sunt enim, vt scribis,

Ieiunij antiqua religio die Sabbati sancti.

fratres quidam, qui circa gallicinium rectè id fieri existiment: alij verò, qui horâ vespertinâ id licitum doceant. Addis Romanos fratres galli cantum opetiri solitos; illos autem qui hîc nobiscum versantur, maturiùs ieiunium illud more suo soluere. Petis proinde, vt exactam, certóque definitam horam exponam. Ast noo modò difficile est, quod quæris; sed admodum quoque lubricum & obscurum: Siquidem Paschalis festi celebritatem, festámqoe eiusdem diei lætitiam, ante Dominicæ resurrectionis tempus inchoare non licet. (Nam, vt vnanimi sensu atque consensu profitentur omnes, vsque ad illud animos ieiunio humiliare oportet.) De illo autem, vt non ignoras, certò oon constat. Etenim vt per ea, quæ eruditè diuinísque Euangelijs consentaneè ad me scribis, ostendis, de horâ, circa quam Christus Dominus resurrexit, nihil in illis certò definitè proditum extat.

Ignotum tempus ipsum Dominicæ resurrectionis.

Quandoquidem Euangelistæ illos, qui ad monumentum sese contulerant, oon eodem sed alio & alio tempore ad illud venisse narrant. Omnes autem cùm illò ventum erat, Dominum iam tum resurrexisse affirmant. Et quidem Matthæus quasdam ex mulieribus, quæ Christum secutæ fuerant, vespere Sabbati ad monumentum venisse scribit; Ioannes verò manè cùm adhuc tenebræ esseot; Lucas aotem valdè diluculo. Marcus tandem valdè manè orto iam Sole. Ioterim quando Domious Iesus præcisè surrexerit, id nullus eorum definit. Quòd autem omnes illi, qui exordio à Sabbati vesperâ, quæ lucescit in primam Sabbati facto, vsque ad Solis ortum vnius Sabbati, qoæ lucescit in primam Sabbati, ad mooumentum veoerunt, illum ampliùs in eo iacentem non inuenerunt, illud apud omnes in confesso est: Nam quod ad hanc rem attinet, nouimos Euangelistas, neque à se mutuò, oeque à se ipsis quoque hîc quicquam dissentire. Verumenimuerò licet momenti non admodum magni videri queat, quod hîc quæritur, posteaquam ad vnum omnes mundi lucem Dominum nostrum Iesum Christum sacrâ illâ nocte illuxisse, hoc est, ex mortuis resurrexisse summâ consensione tradunt; etiamsi de horâ noonulla controuersia appareat; attameo nos, quæ ab Euangelistis eâ de re prodita extant, rectè inter se conuenire, grato animo statuamus, fideliterque contra quoscunque aliter seotientes defeodamus.

Matth. 28. v. 1.

Quæ igitur Matthæus hoc loco scribit, ita sonant: *Vespera autem Sabbati qua lucescit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius album, sicut nix. Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt veluti mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc, surrexit enim, sicut dixit.*

ὀψὲ: quod melius serò & tardè quàm vespere. Affectatur istthæc Gregor Nyssenus hic et Hesych. & alij

Illud autem quod hoc loco *vespere* dicitur, nonnulli fortassis io communem vocis huius notiooem mentis oculum coniicientes, seroonom Sabbati tempus denotare existimabunt. At illi verò, qui rem hanc aliquantò accuratiùs & subtiliùs expendent, non illud, verùm noctem profundam, hoc est, noctis tempus iam peoè decursum per vesperam significatum statuent. Quòd autem noctem & non vesperam pressè acceptam, Matthæi vltimo designet, id valdè confirmat, A quod mox subiungitur. Scribitur eoim: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati, venerunt*, oon quidem, vt reliqui dicunt, aromata portantes: sed *videre sepulchrum* Domini; compererúntque terræ motum iam tum factum, & Angelum sedentem super lapidem, audioeruntque ab illo: *Surrexit non est hîc.* Facit huc illud Ioannis quoque: *Vnâ autem Sabbati, Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum: Et vidit lapidem sublatum à monumento.* En apud hunc quoque Euangelistam tenebræ terram adhuc obtinent. Lucas autem dicit: *Et reuertentes parauerunt* B *aromata, & vnguenta; & Sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum: Vnâ autem sabbati, valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento.* Cæterum per τὸ valde diluculo, matutinum splendorem in primam Sabbati promicantem, hoc est, primæ Sabbati auroram vix dum satis appareotem, vt probabile sit, adumbrat. Sabbato igitur toto vnà cum nocte absolutè iam transacto, & altero die iam inchoato, veoerunt, aromata & vnguenta, quæ præparauerant, deferentes: quando nimirum Dominus multò iam antè à monu- C mento surrexerat.

Græci: Ambr. item & Hieron.

Ioan 20. v. 1.

Luc. 23. v. 56. & 24. v. 1.

Confirmat & illostrat hæc omnia etiam Marcus, dum inter cætera ita scribit: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vnâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole.* Valdè enim manè & hic quoque Euangelista ponit: Est autem idem valdè manè, quod valdè diluculo. Neminem autem turbet, quod addit, *orto iam sole*: nam etsi valdè manè, hoc est summo diluculo iter ingressæ esseot, & fortè ad monumentum quoque venissent; attameo dum in viâ morantur, & circa sepulchrum versantur & occupantur; sol D exoriri, primósque radios spargere cœpit. Subiuogit his porrò: adolescentem candidâ stolâ indutum visum, qui dixerit, *Surrexit, non est hîc.*

Marc. 16. cap. 10.

Cùm hæc igitur ita habeant, illis qui anxiè nimis, quâ tandem horâ, aut semihorâ, aut horæ quadrante Dominicæ resurrectionis gaudium auspicari liceat, ioquirunt, paucis respondemus: alios quidem plus satis hîc maturare, cuiusmodi inter cæteros sunt, qui ante vel circa mediam noctem ieiunia soluunt. Quos proiode veluti supinos & intemperantes non iniuriâ vituperamus: esto fortassis ieiuniorum curriculum oon ita multùm ante legitimum tempus absoluaot. E Nam, vt sapiens quidem admonet, minimè parum est io vitâ, quod parum abest. Illos verò, qui tempus hoc prorogant, & vsque ad quartam noctis vigiliam, secundum quam Dominus supra mare gradiens discipulis apparuit, io ieiunio perstant, tanquam geoerosos laborúmque paoentes meritò probamus. Illos tandem qui intermedio tempore, veluti in fluctu laborantes, vel imbecilles cessant, non prorsus aduersamur.

Tempus triplex ieiunij soluendi in nocte Paschæ.

Obseruandum est hîc quoque, non omnes ieiunantes sex postremos ieiuniorum dies æqualiter obseruare; neque vno omnes modo in ieiunio illos traducere: Sunt enim qui omnes, citra vllum omninò cibum transmittant: Sunt rur-

Vide quàm seuerè olim ieiunium hebdomadæ sanctæ seruaretur.

sum, qui duos, aut tres, aut quatuor prorsus ieiuni transigant: Sunt denique qui ne vnum quidem absolutè obseruent. A Iam qui propter diuturnam inediam planè defatigati, præque vitium imbecillitate tantum non prostrati sunt, illi sanè veniâ digni sunt, si tempestiuiùs cibum sumunt. Qui verò quatuor primos in luxu veriùs, quàm in ieiunio exigunt, duos autem postremos tantùm (Sabbatum videlicet, & Prosabbatum) omnis cibi expertes traducunt, illos, tametsi magnum quiddam atque præclarum sese præstare arbitrentur, si vsque ad auroram in ieiunio perdurent, non par cum iis certamen inire, aut laborem subire existimo, qui pluribus diebus puro illo, absolutóque ieiunio sese macerarunt. B Hæc igitur sunt, quæ mihi de propositâ quæstione scribenda & admonenda videbantur, Vale.

SANCTI ZENONIS EPISCOPI
Veronen. in eodem festo.

SERMO I.

NEc otioso cursu, reciprocis ambagibus operis mundani pausâ perpetuatis, genitali semper nouellus occasu à se in semet sua vestigia reuolutus, dies salutaris aduenit, officiis sacramenti Dominici omnibus omni genere munerum largus. C Namque piis mercedem Sacerdotibus præstat, consequentibus Ministris promotionis augmentum, immortalitatis fidelibus fructum, pœnitentibus curam, catechumenis lucis viam, competentibus remissam omnium peccatorum: sicque cunctos in vnam Christi corporis gratiam congregatos, ad cœlestia regna perducit: per Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Paschalis dies munerum largus.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO II.

PErpetis anni pernicem cursum in bissenæ D mutationis augmentum vnâ eadémque, nec ipsâ sed orbitâ, circunducens dies magnus aduenit, suo sibi semper nouellus occasu: quod præterit, sequitur; quod futurum est, antecedit. In omnibus nouus est, & tamen in omnibus vetus est: punctis omnibus commutatur: non naturâ, sed numero fit filius horarum, qui pater est omnium sæculorum. Hic est dies, fratres, quo à Domino nostro cunctus redemptus est orbis: quo æthereo semine nouellus, id est, noster viuificatus est populus. Hic, inquam, qui nobis resurrectionis monstrat exemplum. Cuius sanè conditione nos beatiores sumus, quia ille occi- E dit, semper vt viuat. Fidelis autem post secundæ natiuitatis occasum resurgens, horrore nunquam intercipitur tenebrarum.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO III.

SPecioso circulo sacer inflexus dies in mundani operis pensa quadrigâ temporum fertur: duodenis mensium perpeti curru mutationibus diues, nullâ statione contentus; quia immortalitas eius est cursus. Verùm currat an recurrat,

ambiguum est: cuius præteritum restat, vt redeat. Mira prorsus ratio inoumerabilium sæculorum: diuersâ mensurâ contetendo innouat spatia, & tamen eius semper orbita est vna. Qui nos admonet, fratres, passionis resurrectionisque Dominicæ vnanimes, atque concordes salutaria celebrare mysteria. Per Dominum & conseruatorem nostrum Iesum Christum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO IV.

STabilis cursor multiformi gratiâ redimitus, per temporum ambages pernicibus plantis sua recalcans officio solenni vestigia dies salutaris aduenit. Idem sibi successor, idémque decessor longæuâ semper ætate nouellus, anni parens, annique progenies antecedit, quæ sequitur tempora, & sæcula infinita disseminat: parit sibi de fine principium: hoc nostris quoque hodie Competentibus præstaturus: quos iam nunc felix inuitat occasus, vt sacri Oceani lacteo profundo demersi, surgentes inde nouello nouelli cum die suâ luce radiantes, nobiscum possint immortalitatis per aëteum tramitem cursu seruato, ad repromissionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO V.

MAgnificus, fratres dilectissimi, sæculorum pater adest dies, omni genere fructuum fœtibus pollens: diuite sinu momentis quibus velis, quatuor temporum munera expungens. Denique Competentibus innumeris finitur hyems. Hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur. Hodie eos etiam ver arridens diuersos in flores diuerso charismate redditurus salubri vndâ perfudit: limpidæ ætatis messe gaudentes, panem nouum cœperunt manducare. Quos autumnale quoque non morabitur mustum: quo repleti, inebriatique feliciter Spiritus sancti calore feruebunt. Qui vt nunquam refrigescant, in omnibus nobis præstabit Deus Pater omnipotens, Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO VI.

INtestabili cursu multiformi gratiâ redimitus, temporum solenni vestigio dies salutaris aduenit: idem sui successor, idémque decessor: longæuâ semper ætate nouellus anni parens, annique progenies antecedit, sequitúrque tempora, & sæcula infinita: parit sibi de fine principium, & tamen à cunis genitalibus non recedit. Profectò sacramenti Dominici imaginem portat. Nam occasu passionem, resurrectionémque ortu rediuiuo concelebrat: per quem nobis munus futuræ beatitudinis pollicetur: hoc quoque nostris Competentibus præstaturus, quos nunc inuitat felix occasus, vt sacri Oceani lacteo profundo demersi: vnde nouello, nouellique cum die resurgentes, nobiscum possint ad immortalitatis gloriam peruenire.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

A

SERMO VII.

MOrte suâ viuens sepulchri nidu vegetatus, innumerabiles temporum metas perenois cursu vnâ, eadémqoe urbirâ l[illegible]rar. Dies magnus aduenit: meuses iu tempora, tempora in annos, annos in sæcula pandens: sine pausâ eresćit in senium, & tamen à cunis genitalibus nun recedit: prusectò sacrameuti Duminici imaginiuem portat. Nam occasu passionem resurrectiunémque urtu rediuiuo concelebrat, per quem nobis qooque resurrectionem suturæ beatitudinis pollicetur.

B

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO VIII.

SEmpiterni currus auriga teretis metæ suæ replicans, complicando gyru solenni, vestigia, dies salutaris aduenit: idem sibi successor, idémque decessor longæuâ semper ætate nouellus, anni parens, annique progenies: antecedit quæ sequitur, tempora: & vt sæcula culligenda disseminet, parit sibi de fioe principium. Hic est, quo similiter (verumtamen semel) amore huminis sui eius artifex Deus, & Dominus noster occidit,

C

& exortus est rursum, nunquam sanè repetiturus occasum. Hic, inquam, quo fetales diruptæ sunt tenebræ, quo murs subacta est, quo homines, quus susceperant mortuos, refundere inferi coacti sont viuos. Quem vt semper, vt vbique aucti fide, numero, charitate nostris cum fratribus celebremus, præstabit Deus Pater omnipotens.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO IX.

D

SÆculorum hæres, & paterno cursu procurrens, atque recurrens, solenni metâ rotarus io sese proferens sibi de fine principium, natalitia infinita de occasu, dies sempiternus eluxit: quo discussâ conuulutæ hyemis tristitudine, nouo vento Fauonio blandiente; diuersis fluribos genere, colore pariter, & odore vnâ natiuitate diffusis germinantia, vndique dulcè prata respirant. Exultat æstas noua: sed diues in frumenti varias moles, spicam feliciter contundens palmâ. Quam prosequitur coogruè mustuleotus autumnus, vt necessariò gratiæ pani, vini quoque iocunditas iungeretur. Quis non hæc cœlestibus mysteriis coaptata coguoscat? Hyems namque pigra, sordida & tristis ad eos pertinet, qui idololatriæ deseruientes mundanis vuluptatibus compediti, libidini vacantes, & gutturi lungè inuliti, id est, æternæ murti sunt à Deo, quòd opus tenebrarum dilexerunt, destinati. Ver sacrum fontem debemus accipere: cuius diuite ex alueu, Fauonio nun vento, sed Spiritu sancto generante, udorem diuinum beatæ spirantes fidei, diuerso charismate sed vnâ natiuitate Ecclesiæ flores clarissimi, ac dulces nostri funduntur infantes. Æstas autem fidelis est populus, Angelus & mundus, qui sponsionis suæ palmam fortiter retinens, peccatorum paleis limpidatus,

Hyems, idololatras designat.

Ver, & sacro fonte renatos.

Æstas, fidelem populum.

E

semet pretiosum frumentum diuiois horreis inferre desiderans, licet suo vberet foore, tamen æstuat semper iustæ operationis ardore. Autumnus quoque martyrij locus est, iu quo nun viris, sed fussoris sanguis effunditur: vt vita beata pretiosæ murtis vindemiâ cumparetur. Dies verò ad sacramentum pertinet resurrectioni s Dumini nostri Iesu Christi, qui io omoibus umnia est; qui verè æternus est, ac siue nucte dies: cui duodecim horæ in Apostolis, duodecim men ses seruiunt in Prupheris: quem Euangeliorum salutaria quatuor prædicant tempora. Cui nou anniuersarij, sed quoti diani fructus respondent: hymnum canentes Deo credentibus populis, qui omuiimmortalitatis semine propagantur in sæcula. In huius diei luce gradieotes exultemus fide, iocundemur bonâ conuersatione, vt perpetuam vitam adipisci mereamur: per Dominum oostrum.

Autumnus, Martyres.

SANCTI PATRIS NOSTRI *Athanasij Alexandrini Episcopi, Oratio in sanctum Pascha.*

Ex Regio Mediceo Codice.

Fr. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

TAmetsi vel Angelicis impræsentiarum linguis vti concessum esset: tametsi mortalis natura, immurtales iam voces obtineret; haud tamen facilè præsentis solennitatis munera præsumat laudare. Nunc verò lingua mortalis, ac luteum organum, quid dicat; quid-ve etiam ea loquatur, quæ nec natura tota in vnam conspirans vucem, pru meritu dilaudare sufficiat? Planè enim superant creaturæ modos, gratiæ muneta. Depellitur mors ab hominibus, infernusque annosam illam suam dominationem amittit; ac humanum genus peccati lege prædamnatum, dono gratiæ regnare docetur. Homo itaque primo ordioe Duminicæ resurrectionis bonis potitur; eidemque natura reliqua vnà gratiæ particeps socia accedit. Tuta namque hodie naturæ collectiu, iu vnâ huminis formâ, reformatur. Sic enim discipulus gratiæ Paulus, altùm prædicat: *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia.* Surrexit creaturæ auctor, vno vocis suno vniuersa trahens, vt pariter resurgant. Saluatoris quippe resurrectio, communis est vniuersurum reparatiu, quod ipsum Paulus fausto nuntiu loquitur: *Ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei:* Hoc est, abijciet corruptionem; exuet seruitutem; immortalitatem recipiet; transferetur in sortem meliorem. Ionouatu siquidem ad immortalitatem homine, quam etiam eius gratiâ Deus creaturam edidit, felici commercio renouanda sit.

Primus homo resurrectionis Christi fructum percipit, tum reliqua.

1. Cor. 5. v. 17.

Rom. 8. v. 21.

Nam Deus quidem, rerum hanc vniuersitatis magnam coodidit vrbem; ac pro eo, quòd vnâ vuce multa produxit, vnius sono vocis vniuersorum substantiam extrahens; creantis sapientiæ suæ potentiam ostendit. Idem verò ipse suam Imaginem; hominem, inquam; velut illustri planè templu, mundu hoc edito, creatione erexit. Nunc itaque renouatâ Imagine, ipsa pariter Imaginis dumus operæpretium instauranda fuit. Horum nobis, præsentis hodie diei solennitas, sponsiu ac pignus est. Propter eam clamat B. Paulus: *Oportet enim mortale hoc, induere immortalitatem.* Corpus nempe, immor-

Homo in mundo, imago in templo.

1. Cor. 15. v. 53.

ralitatis entonatum floribus, mortis iura spretu-rum est: nec iam illucescente incorruptione, corruptio locum inueniet. O magnam rerum mutationem! O spe maiorem commutationem! O grandem luctum, in magnam solutum animi voluptatem! O quale gaudium excepit calamitatem! Veteris namque ac noui testamenti memoria, laudationis segetem adaugebit. Priùs quidem in paradiso positos, Dei clementia vltro paratâ voluptate ac beatâ sorte donauerat. Superuenit effractor serpens, tantæque suauitatis voluptatem prædatus, genus humanum quod deprædatus esset, reum egit; mortis viam inueniens, transgressionem mandati. Hinc infernus portas aperiens, humanum suscepit genus, tristique natura editione, suarum prolium edebat interitum. Parturitionis fructûs, sepulchrorum prouentûs euaserant; morsque hæres à præuaricatione eedebar, omnem prorsus venata hominum ætatem. Nihil fœturæ parcere; nihil proli consulere; nihil puberem miserari; non missos facere iuuenes; non senes teuereri; nihil peccatoribus indulgentiæ tribuere; nullo ad Iustorum classem pudore; nihil Prophetas deprecari; Sacerdotem haud omittere, explicatâ aduersus omnes mortis sagenâ, vt quicquid incidisset, indeprecabilis raperet.

Hominis lapsus in paradiso, ac Originale peccatum.

Non erat qui malo mederetur: nullum adhibebatur remedium; cúmque multæ adeò generationes vitæ stadium decurrissent, necdum tamen mortis insatiabilem ventrem repleuerant: ac planè malum eiusmodi erat, vt nulla lugentibus consolatio, nulla ad remedium via reliqua foret, nisi Christus crucem subiens, ac mortis vim perferens, veterem illam inferni regiam, breui diei noctisque sepulturâ subuertisset. Id verò, non velut iam primùm ipse se ad clementiam comparans, seipso nunc commiseratione affectior factus sit; quanquam nunc reipsâ resurrectionem exhibuit: quinimmò olim quoque regnantem mortem resurrectionis vmbris terruit, spesque obscuriores immortalitatis tribuens humano generi, inferni regnum turbauit; æqualesque eiusdem tyrannidi conuellendæ ipsius cogitationes texuit. Nota verò rerum arcanam dispensationem. Primus Abel à morte detinetur. Qui morti peccandi occasio fuit, ipse in eam, iustam naturæ querelam tribuit. Siquidem enim iniustum est quòd detinetur, iurè vtique resurgit. Vt enim peccator mortuus esset, fortior mors lite contestandâ esset. Enimuerò debilis inferno aduersus Iustos conatus est. Fragile mortis vinculum, quo Iustum iniquè tenet. Cùm enim peccatum, regni mortis virtus sit ac robur, qui necdum offendit, nihil illi obnoxius est. Quamobrem cùm Deo liberum esset, vt Abelem à cæde eximeret, haud tamen fecit: sed permisit necari, quò Iusti sanguine consita mors, radicem amitteret. Idcircò Christus, mundi causam agens, dicebat: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sic ergo à principio ac mundi origine, celebrata est Christi ergo Abelis actio ac victoria. Tu mihi Paulum patronum accipe: *Et mortuus*, inquit, *Abel, adhuc loquitur; vnde eum & in parabolam accepit;* nimirum, parabolam appellans similitudinem: Abelis quippe ortus, necis Christi characteres habet. Quamobrem etiam loquitur post mortem, ac occisori intentat litem. Suo namque Vita aduentu, mortis vim superauit. Ne-

Reparationis hominis antiquū consilium.

Gen. 4. v. 8. Abelis figura.

1. Cor. 15. v. 50.

Ioan. 12. v. 31.

Hebr. 11. v. 4. & 10. Isthæc postrema in Isaac sunt dicta, non in Abelem, vt sit lapsus memoriæ.

quiuit cædes, clamantem eius linguam silentio
A præpedire, aut iustas sanguinis defensiones præscindere: quin tenta morte lingua, immortalis clamat. Haud facilis erat naturæ defensio, vt prior Adam raptus fuisset. Quippe fieri poterat, vt transgressionis probrum, os illi obstrueret. Abel, quòd prior ceciderit, spem excitauit naturæ.

Post hæc aduenit Enoch; ac loci translatione effugiens infernum, vitæ probatæ gloriâ profugus euasit mortem. Post hunc magnus Elias, nec ipse cedens morti, hospitæ viduæ filium eripuit, præualente nimirum precum potentiâ aduersus mortis violentiam, nouoque molimine regressionem ad vitam ex inferno struente. Exortus posteà Elisæus, duplicem pro simplici gratiam
B accepit. Is precum efficaciâ, Sunamitidis filium ex inferno ad vitam reuocauit. Quia nihilominus ipse etiam mortis retibus fuerat implicatus, tametsi vitâ functus, corporis contactu cadauer congestum submouens, infernum deprædatus est; defunctusque surreptum defunctum vitæ reddidit; ac mortuus Propheta, morti noxius fuit: siquidem defuncto Elisæo, nihil mortuorum numero accreuit; nullique cessit lucro, quam eius prædam infernus egisset. Sic diffluentem corruptione naturam, resurrectionis figuræ muniebant: nec illæ tamen, iis qui capti tenerentur, auxilium ferre poterant: quin potiùs *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen*, legis tempus, terminos dominationis statuens. At vbi
C Christus è cœlis apparuit, generis expectationes citiùs in opus processerunt; apertisque inferni claustris, vinctos mortuos tumuli reddiderunt. Vt mox vocasset, sepulchrum aperiebatur; Deóque vnita natura, infernum percellebat. Quamobrem inferous, tollentem mortuos in hæc verba compellabat. Quare tu editam in paradiso rationem euertis? Quid naturæ chirographum disrumpis: Scriptis tabulis aduersus humanum genus instructus sum. Mulctam eiusmodi eidem indictam habeo: *Terra es, & in terram reuerteris.*

Gen. 5. v. 24

3. Reg. 17. v. 22. & 4. 2. v. 11.

4. Reg. 2. v. 10. & 4. v. 34. & 13. v. 21.

Rom. 5. v. 14.

Gen. 3. v. 19.

Sanè verò lugebat, cùm sigillatim mortui auferrentur; nec sciebat fore, vt Christus in infer-
D num descendens, totos ei populos libertate donatos auferret. Id enim Christus agens in infernum descendit, vt nullus deinceps in inferno vinctus remaneret; carne quidem, ceu oblatâ escâ capiens: Deitatis autem virtute, regiam eius diripiens: breui temporis spatio vetera legis discerpens chirographa, vt omnes in cœlos subueheret: cœlum, inquam, liberam illam à morte regionem, incorruptionis diuersorium; iustitiæ officinam.

In his bonis, tu recens illuminate, tinctus es. Resurrectionis tibi arrhabo facta est gratiæ initiatio, quisquis eiusmodi es. Baptisma, pignus
E tibi est futuræ in cœlo vitæ. Mersione imitatus es Domini sepulturam: rursum verò inde emergens, resurrectionis opera adspexisti, cùm necdum opera exhibuisses. Quorum vidisti symbola, eorum quoque res accepta, ac proba. Verborum testem accipe Paulum, cùm ait: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, etiam verò resurrectionis erimus.* Pulchrè illud, *complantati.* Baptismus quippe plantatio est immortali vitæ, piscinæ aquis edita, ac cœlo fructificans. Illic gratiæ Spiritus arcanâ ratione operatur, neque te naturæ cognatio, in miraculi

Pulchrum Ethicum in recens baptizatos, ac cærimonias Baptismi.

Rom. 6. v. 5.



ignorationem impellat. Aqua, ad vſum miniſtrat. Quod in piſcinam mittitur, in eâ nouùm, tanquam in vuluâ formatur. In aquâ, haud ſecus atque in fornace, deſcendentem conflat. Immortalitatis ei, ceu deſponſationis iure, pignora tribuit: Reſurrectionis præbet ſignaculum. Hæc tibi miracula, ſi tu recèns baptizate, veſtis ipſa ſymbolo repræſentat. In te ipſe bonorum geſtante imagines reſpice. Splendida quippe eſt ac fulgens quam geſtas, veſtis, incorruptionis ſymbola expreſſâ imagine referens. Candidum tibi linteum inſtar diadematis adſtringens caput, præco eſt libertatis: Partæ, aduerſus diabolum victoriæ, manus circumgeſtat ſigna. Te namque Christus ſuſcitatum oſtendit; hactenus quidem, ſymbolis; poſtmodum autem, ipſis oſtenſurus rebus; modò fidei tunicam non polluamus peccatorum ſordibus; modò gratiæ facem non extinxerimus, abſonis actionibus, turpibúſque: modò coronam Spiritûs ſeruauerimus. Tunc Dominus clarè de cœlo terribili benignâque voce inclamauerit: *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: Ipſi gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum: Amen.

Matth. 25. v. 34.

S. AMBROSII MEDIOLAnenſis Epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.

Com. in Lucam.

ET cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalena, &c. Magna oritur hoc loco à pleriſque dubitatio. Nam etſi non videntur Euangeliſtæ dixiſſe contraria, tamen diuerſa dixerunt. Siquidem Lucas, *Manè valde tempore.* Marcus; *Valde manè*: Matthæus; *Veſpere ſabbati*: Ioannes; *Prima ſabbati, cùm adhuc tenebræ eſſent*, mulieres ad monumentum veniſſe dixerunt. Deinde Lucas duos viros, Marcus vnum iuuenem in albis ſedentem; Matthæus vnum Angelum: Ioannes duos Angelos in albis ſedentes viſos eſſe memorarunt. Poſtremò, quod vix enodabile videatur, Ioannes ſcripſit dictum Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Matthæus occurriſſe Dominum Mariæ ſcripſit Magdalenæ, & alteri Mariæ: & illas acceſſiſſe, & tenuiſſe pedes eius, & adoraſſe euidentiſſimâ deſcriptione digeſſit. Quomodò ergo ſoluendum, niſi quatuor Euangeliſtas de diuerſis quatuor putas dixiſſe temporibus: vt & perſonas alias mulierum, & alias nunciatas viſiones? Denique aliæ cum vnguento primâ ſabbati veniunt, aliæ ſine vnguento veſpere ſabbati. Iſtarum nomen exprimitur, illæ de Galilæâ ſecutæ Dominum deſignantur. Quo loco ne quem ſpinoſæ interpretationis in fine offendat aſperitas, vbi ſuauia fortè præſumpta ſunt, æſtimate iam nos complendi ſermonis vela ſubmittere, quoniam ad portum venimus: & nauis quæ curſu concito maria tranſmeauerit, vbi littori cœperit appropinquare, latentia cautium curſu præſtringit infracto. Ergo ne tanquam inerti gubernatori in arenis littoris ſermo mihi hæreat, tanquam vada cæca legam; tentandum priùs iter quam præcipitandum arbitror, quo minus rimoſa nobis pateſcat oratio.

Luc. 24. v. 1.
Marc. 16. v. 1.
Matth. 28. v. 1.
Ioan. 20. v. 1.

Ibidem.

Alias Euangeliſtę perſonas, & alias referunt viſiones in reſurrectione.

Primùm igitur illud ſpectandum eſt, quid eſt quod ſcriptum eſt. *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in primâ ſabbati*, reſurrexiſſe Dominum. Sic enim habes; *Quia veſpere ſabbati venit*

Matth. 28. v. 1.

A *Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus.* Non enim die ſabbati (nam *ſiluerunt die ſabbati ſecundum mandatum*) ſed poſt ſabbati diem, nocte vtique reſurrexit. Denique quæ manè venerunt licet valde tempore, tamen iam Dominum reſurrexiſſe cognouerunt. Sic igitur temperandum eſt, vt neque manè Dominicâ, quæ eſt prima poſt ſabbatum, neque ſabbato reſurrectio facta credatur. Nam quomodò triduum complebitur? Non ergo veſperaſcente die, ſed noctis veſpere reſurrexit. Denique Græcus ſerò dixit, hoc eſt, ὀψέ. Serò autem & horam ſignat in occaſum diei, & cuiuſque rei ſignificat tarditatem.

Luc. 23. v. 56.

τὸ ὀψέ, & ſerò vt accipiatur in Matth. vbi Latinus *Veſpere.*

B Quomodò ſi dicas: Serò mihi ſuggeſtum eſt, id eſt, tardè. Serò venit, id eſt, qui poſt præſtitutum tempus aduenit; & licet manè ſequenti die venerit, ſerò eſt tamen, vbi agendi tempus emenſum eſt. Eſt & ſerò tempus noctis profundum: vt ſi dicas; ſerò ad lucubrandum ſurrexi, id eſt, non veſpertino tempore, ſed profundâ nocte ſurrexi. Vnde & mulieres ad monumentum accedendi habent facultatem, iam vtique cuſtodibus quieſcentibus; & ipſi cuſtodes terrentur ampliùs, quod vſu venit ſomno excitis. Poſtremò etiam Principes Sacerdotum congregati cum ſenioribus, nocte id factum eſſe confirmant, dicentes cuſtodibus: *Dicite quia*

C *diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Ex tempore enim quod à cuſtodibus compererunt, argumentum fraudis arripiunt. Nam & Ioannes manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, Mariam Magdalenam ad ſe & ad Petrum veniſſe ſignificat; & tamen ignaram factæ reſurrectionis inducit. Nam vtique ſi aduesperaſcente die facta eſſet, ſtatim potuit innoteſcere. Manè eſt & adhuc Petrus neſcit, neſcit Ioannes. Nunquid patiebatur Dominus diutiùs torqueri diſcipulos ſuæ reſurrectionis incertos; ad quos ſtatim Angelus Domini geſtæ rei nuntias mulieres deſtinauit? Et vt ſcias nocte factum, aliæ mulieres neſciunt, aliæ ſciunt.

Math. 28. v. 13.

D Sciunt quæ obſeruabant noctibus & diebus; neſciunt quæ receſſerant. Neſcit vna Maria Magdalenæ, ſecundum Ioannem; ſcit altera Maria Magdalenæ, ſecundum Matthæum. Nam eadem & antè ſcire, & poſtea neſcire non potuit. Ergo ſi plures Mariæ, plures fortaſſe etiam Magdalenæ: cùm illud perſonæ nomen ſit, hoc locorum. Denique alteram eſſe cognoſce. Illa admittitur pedes Domini tenere; tangere Dominum iſta prohibetur. Illa Angelum videre meruit; hæc primò cùm venit, neminem vidit. Illa diſcipulis Dominum reſurrexiſſe nuntiauit, iſta raptum eſſe ſignificat. Illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloriâ ſuâ iam Chriſtus occurrit; hæc

Hanc vna Euſebius ſolutionem expeditam agnoſcit, vt reuerâ ſit duplex illa Maria Magdalenæ.

E adhuc mortuum quærit. Illa Dominum vidit & credidit; hæc non potuit agnoſcere cùm videret. Illa fideli adnitabat ſpiritu; hæc dubio mœſtificabatur affectu. Meritò nimirum prohibetur tangere Dominum. Non enim corporali tactu Chriſtum, ſed fide tangimus. *Nondum enim*, inquit, *aſcendi ad Patrem*: hoc eſt, nondum tibi aſcendi, quæ viuentem cum mortuis quæris: & ideo ad fortiores mittitur, quorum credere diſcat exemplo, vt illi reſurrectionem prædicent. *Sed & mulieres quædam ex noſtris, &c.* Sicut enim in principio mulier auctrix viro culpæ fuit, vir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior guſtauerat, reſurrectionem prior vidit,

Mulier quę prior peccauerat, prior videt resurrectionem.

culpæ ordine & remedio prior. Et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: quæ A culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors antè præcesserat, per os mulieris vita reparatur. Sed quia constantia ad prædicandum inferior, sexus ad exequendum infirmior: viris euangelizandi mandatur officium. Nam sicut mulierum per Iesum non solùm culpa soluitur, sed etiam multiplicatur gratia, vt pluribus suadeat quæ vnum antè deceperat: ita & vir, qui temerè antè crediderat, fœneratum munus recuperare debuit, vt qui ipse sibi fuerat ad credendum lubricus, fieret aliis ad prædicandum idoneus. Sed aduertamus B ipsa verba mandati: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & ad Deum meum, & Deum vestrum.*

Ioan. 20. v. 17.

EIVSDEM DE DIE *sancto Paschæ.*

SERMO.

Est serm. 52. Inter Hom. S. Maximi de eodem festo 2. inter Euseb. 4.

Psal. 117. v. 24.

NOn immeritò, fratres, hodierna die Psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum præcipit & lætandum. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatem Dauid sanctus in- C uitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus, per Neophytos Ecclesiæ innouatur terra, cœlum per Spiritum sanctum reseratur. Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cœlum reseratum suscipit ascendentes. Denique ascendit Latro in paradisum, Sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam ciuitatem: ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in resurrectione Christi ad altiora cuncta elementa se tollunt. Tartarus quos habet, reddit ad superos: terra quos sepelit, mittit ad cœlum: cœlum quos suscipit, repræsentat ad Dominum. Et vnâ eadémque operatione Saluatoris passio ele- D uat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi Dauid sanctus inuitat. Ait enim exultandum in hac die quam fecit Dominus, & lætandum.

Dies festus resurrectionis omnibus communis.

Sed dicit aliquis: Si in die gratulandum est, iis vtique gratulandum est quos dies ipsa complectitur. Cœlum autem & tartarus extra huius mundi diem sunt constituta: Quomodò igitur possunt ea elementa ad festiuitatem huius diei vocari, cuius diei ambitu non tenentur? Sed hic E dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cœlum & terram tartarúmque complectitur. Lux enim Christus non parietibus obstruitur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Lux, inquam, Christi, dies est sine nocte, dies sine fine, vbique splendet, vbique radiat, vbique non deficit. Quia autem iste dies Christus sit, Apostolus dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Præcessit*, inquit, *nox*: non sequitur, vt intelligas superueniente Christi lumine, & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas caligines depelli, subrepentia delicta prohiberi. Nam quia hic dies

Rom. 13. v. 12.

Christus dies omnia collustrat.

Christus cœlum, terram, tartarúmque collu- A stret, Scriptura testatur. Quia enim super terram fulgeat, dicit Ioannes: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quia in inferno luceat, ait Propheta: *Qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis.* Quia in cœlis iste permaneat, refert Dauid dicens: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli.* Quis autem est dies cœli nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: *Dies diei eructat verbum.* Ipse est enim dies Filius, cui Pater dies, diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse inquam est dies qui ait per Salomonem: *Ego feci vt oriretur in cœlo lumen indeficiens.* Sicut ergo diem cœli nox omninò B non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies cœli splendet, lucet & fulget, neque aliquâ potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliquâ potest delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangelista Ioannes: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Ioan. 1. v. 9.

Isa. 9. v. 2.

Ps. 88. v. 30.

Christus dies cœli.

Psal. 18. v. 3.

Eccl. 24. v. 6.

Ioan. 1. v. 5.

Sol solito lucidior in die resurrectionis.

In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriantur. Nam & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem. Necesse est enim vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam C caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat, & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modò coruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Christi caliginum se nocte circundedit, & Iudæorum facinus mundo teste congemuit. Indicium enim quoddam doloris in sole est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse: vt quorum mentem cæcitas innaserat, eorum oculos cæcitas occuparet: nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Pharisæis, vt tenebras in die iudicij pec- D catoribus repromissas iam apud superos patiantur. Apud superos ergo crucifixo immorantur tenebræ: Quid mirum si apud superos sunt tenebræ, cùm lux descendit ad inferos?

Exhortatio.

Igitur, fratres, omnes in hac die sanctâ exultare debemus: nullus se à communi lætitiâ peccatorum conscientiâ subtrahat, nullus à publicis votis delictorum sarcinâ reuocetur. Quamuis enim peccator, in hac die de indulgentiâ non debet desperare: est enim prærogatiua non parua. Si enim Latro Paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si illi Dominus, cùm crucifigitur miseretur, multò magis huic miserebitur cùm resurgit. Et si passionis E humilitas tantùm præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantùm tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse (sicut ipsi scitis) læta victoria, quàm addicta captiuitas.

Luc. 23. v. 43.

EIVSDEM DE INNOVA- *tione fidelium.*

SERMO.

Est serm. 55. Inter hom. S. Maximi de resurrectione. 4.

MAgnum, fratres, & mirabile donum concessit nobis Deus hunc Paschæ salutarem diem in quo resurgens Dominus resurrectionem præstitit vniuersis: & de imis ad altiora conscen-

dens, nos quoque ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuanit. Sumus enim secundum Apostolum omnes Christiani corpus Christi & membra. A Resurgente igitur Christo, omnia necessariò cum eo sua viscera surrexerunt. Dum enim ille ab inferis transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam. Pascha enim Hebraicè, transitus dicitur vel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, transire de peccatis ad iustitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam è senectute. Infantiam autem dixerim non ætatis, sed simplicitatis: habent enim & merita ætates suas. In occiduis enim priùs constituti eramus senio peccatorum, resurgente Christo renouati sumus innocentiâ paruulorum. B Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referire non audet: ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit & pallium, verberaori maxillam, præbet & alteram: nisi quòd in hoc melior est Christi infantia, quàm naturæ: illa enim peccare nescit, ista contemnit: illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis ascribendum est non tam malefacere non posse, quàm nolle.

1. Cor. 12. v. 27.
Christi resurrectio, est & nostra.
Pascha, transitus.
Infantia Christiana.
Math. 5. v. 44.

C Ergo, sicut diximus, ætates quædam sunt meritorum: nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantum reperitur in senibus. Denique quòd in iunioribus senectus quædam sit honestatis, dicit Propheta: *Senectus enim venerabilis non diuturna, nec numero annorum computata: cani sunt enim sensus hominis.* Ad Apostolos autem iam seniores, & maiores natu dicit Dominus: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non introibitis in regnum cælorum.* Reuocat igitur eos ad originis suæ fontem, & retrorsum ad infantiam redire compellit: scilicet, vt qui corpore fragili senuerant, innocentiæ moribus renascantur, sicut ait Saluator: D *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Dicitur ergo Apostolis: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste*: non dicit, sicut pueri isti, sed, *sicut puer iste*: vnum elegit, vnum proponit. Videamus igitur quis ille tantus sit, qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine cæterorum, præcipuè qui per Apostolos vniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum. Non, inquam, hunc de publico esse arbitror, sed de cælo. Ipse est enim de cælo puer, de quo dicit Esaias propheta, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* E Ipse planè puer est, *qui* sicut innocens, *cùm malediceretur, non remaledixit, cùm percuteretur, non repercussit*: quin potiùs in ipsâ passione pro suis orauit inimicis, dicens: *Pater, dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt.* Ita simplicitatem quam infantibus natura tribuit, Dominus misericordiæ bonitate cumulabat. Iste ergo puer est, qui imitandus paruulus proponitur, & sequendus. Nam ipse dicit: *Tolle crucem tuam, & sequere me.*

Sap. 4. v. 8.
Senectus probata.
Math. 18. v. 3.
Ioan. 3. v. 5.
Math. 18. v. 3.
Puer singulariter Apostolis propositus, ipse nimirum Iesus.
Isa. 9. v. 6.
1. Pet. 2. v. 23.
Luc. 23. v. 34.
Math. 16. v. 24.

EIVSDEM ITEM DE *innouatione fidelium.*

SERMO.

Retinet sanctitas vestra, fratres, me hoc nuperrimè prædicasse, quòd homo in iuniorem ætatem per iustitiam reformetur: & quamuis fessus senio, rursus in puerum innocentiæ moribus renascatur, ita vt interueniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes. Innouatio enim quædam est, desinere quod eras, assumere quod antè non fueras. Innouatio, inquam, est, vnde & Neophyti nuncupantur: quòd nouitate quadam maculas vetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint, docente Apostolo: *Deponentes veterem hominem cum actibus eius, induite nouum, qui secundum Deum creatus est.* Vnde & Dauid sanctus ait: *Renouabitur sicut aquila iuuentus tua*: Intelligens per gratiam baptismi occidua vitæ nostræ posse reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse, id quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum.

Est serm. 57. inter hom. S. Maximi de resurr. 5.
Neophyti à nouitate vitæ appellati.
Col. 3. v. 9.
Psal. 102. v. 5.

Vt autem intelligas quia de gratiâ baptismatis Propheta loquitur; innouationem ipsam aquilæ comparauit: quæ annis assiduâ commutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & vetustis iam fatiscentibus plumis, nouâ pennarum successione iuuenescere: ita vt depositis antiquitatis exuuiis, rediuiuâ indumentorum natiuitate se vestiat. Vnde intelligimus quòd senectutem aquilæ non sentiunt membra, sed plumæ. De nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis, vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rursum meditari rudem volatum, & alarum olim exercitata remigia, tanquam nouella volucris intra nidum pigra compescere. Quamuis illi sit volandi notitia de consuetudine, deest tamen illi de pennarum raritate fiducia. De baptismatis igitur gratiâ hoc spiritus Psalmographus prophetauit. Nam vtique Neophyti nostri nuper baptizati, tanquam aquilæ depositis vetustatis exuuiis, noua sanctitatis indumenta sumpserunt: & fatiscentibus antiquis maculis, sicut plumis leuibus rediuiuâ gratiâ immortalitatis ornantur: ita vt in his senectutis occidua peccata senuerint, vita non senuerit. Tanquam aquila in pullum, sic illi in infantiam reuocati. Est eis sæculi de conuersatione notitia, sed adest illis iustitiæ de reparatione securitas.

Innouatio baptismi, qualis aquilæ.

Quid igitur sanctus Dauid dicat, adhuc diligentiùs videamus. Non enim ait: Renouabitur sicut aquilarum, sed *sicut aquila iuuentus tua.* Vnius ergo aquilæ renouandam in nobis asserit iuuentutem: quam vnam & solam aquilam rectè Christum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata est, tunc cùm à mortuis resurrexit. Depositis enim corruptelæ corporalis exuuiis, rediuiuâ carnis assumptione refloruit, sicut ipse ait per Prophetam: *Et refloruit caro mea, & ex voluntate meâ confitebor illi. Refloruit*, inquit, *caro mea.* Videte quo verbo vsus est. non ait, floruit, sed *refloruit.* Non enim reflorescit, nisi quod antè floruerit. Floruit autem caro Domini, cùm primùm de Mariæ virginis illibatâ vuluâ processit. Sicut ait Esaias, dicens: *Exibit virga*

Singularis aquilæ Christi in morem fiat renouatio ista.
Psal. 27. v. 7.
Reflorescēs caro Christi.
Isa. 11. v. 1.

virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Refloruit autem, cùm fuceffio per Iu-
A dæos corporis flore, rediuiuâ de fepulchro refurrectionis gloriâ germinauit, & in floris modum odorem pariter & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit: odorem, bonorum operum fuauitatem, circumferens; nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis oftendens.

INCERTI NOMINE HIERONYMI PRESBYTERI, EVANGELIJ EIUSDEM EXPOSITIO.

Incerti nomine Hieronymi Presbyteri, Euangelij eiusdem expofitio.

ET *cùm tranfiffet fabbatum, &c.* Nunc aro-
Marc 16. v. 1. matibus redolentibus cum fponfâ, & adole-
B
fcentibus quæ currunt poft eam, confpergimus librum & cubiculum mentis noftræ. Nunc introducit nos rex in cellaria fua. Nunc furgit
Cant. 2. & 2. amica Maria: *hyems abijt, pluuia receffit, flores vifi funt in terrâ: Vox turturis audita eft in terrâ noftrâ, vinea florentes dederunt odorem.* Redit fponfus de vmbrâ fub quâ dormit in meridie. Poft fabbata triftia felix irradiat dies: quæ primatum in diebus tenet, luce primâ in eo lucefcente, & Domino meo cum triumpho refur-
Pfal. 117. v. 24. gente, & dicente: *Hæc eft dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ.*

Et valdè manè vnâ fabbatorum, veniunt ad
C
V. 2. *monumentum orto iam fole. Valdè manè,*
Luc. 24. v. 1. quod alius Euangelifta *diluculo* dicit. Diluculum eft inter tenebras noctis & diei claritatem, in quâ falus humano generi prouenit, felici vicinitate declaranda more Solis, qui proximâ luce confurgens rofeam præmittit auroram, vt gratia præclari fplendoris præparatis oculis poffit intueri, quando tempus Dominicæ refurrectionis eluxit: vt tunc laudes Chrifti tota caneret fecundum exemplum harum fœminarum Ecclefia, quando genus humanum exemplo fuæ refurrectionis animauit, quando vitam præftitit & lumen credulitatis infudit. Sol verò poft oc-
D
V. 4. cafum corporis oritur. Hic aquilæ ad corpus congregantur: Matres & Apoftoli vident reuolutum lapidem, qui eft lex mortis, ac fi dice-
1. Cor. 15. v. 55. ret: *Vbi mors aculeus tuus,* & reliqua. *Erat quippe magnus valdè.* Quia etiam infantes in vtero rangit gemitus omnium & omnibus grauis.

V. 5. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem:* non fenem, non infantem, fed iocun-
Eccl. 11. v. 9. dum ætate, vt dicitur: *Lætare iuuenis in adolefcentiâ tuâ;* quæ non eft hîc verâ dum cum fenio eft commixta. *Sedentem in dextris* virtutis, id eft, regnantem in profperis. Hic iuuenis formam refurrectionis timentibus mortem oftendit. Coopertum ftolâ candidâ; quæ vera
E
lętitia eft hofte depulfo, regnóque adempto, rege pacis quæfito, inuento, & nunquam dimiffo.
1. Cor. 2. v. 9. *Et obftupuerunt;* id eft, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis afcendit, quæ præparauit Deus diligentibus fe.*

V. 6. *Qui dicit illis: Nolite expauefcere. Deus*
1. Ioan. 4. v. 16. & 18. *Charitas eft. Non eft* ergo *timor in charitate.* Quid expauefcerent, quæ inuenerunt quem quæfierunt? *Iefum quæritis Nazarenum.* Radix amara crucis euanuit: flos enim vitæ cum fructibus erupit: id eft, qui iacuit in morte, furrexit in gloriâ. *Ecce locus.* Oftenditur mortalitas immortalibus ad gratiarum actionem dedita,

A Pafchate.

vt intelligamus quid fuerimus, & fciamus quid futuri erimus.

Sed ite, dicite. Mulieribus dicitur vt annon- V. 7.
tient Apoftolis, quia per mulierem mors annuntiata eft, per mulieres vita refurgens. *Et Petro.* Qui fe indignum iudicat difcipulatu, dum ter negauit Magiftrum. Peccata præterita non nocent, quando non placent.

Præcedit in Galilæam. Breuis fententia in fyllabis, fed ingens in quantitate promiffio. Ibi eft gaudij noftri fons, & falutis æternæ origo præparata. Ibi congregantur difperfiones, & fanantur contriti corde. *Ibi eum videbitis,* non ficut vidiftis. *At illæ exeuntes fugerunt.* Dicitur de futurâ vitâ: *Et fugiet dolor ac gemitus.* Ifai. 35. v. 10.

S. GREGORII EPISCOPI

Nazianzeni in Pafcha, & in tarditatem.

Iacobo Billio Interprete.

Cùm nimirum fubterfugiens Epifcopale munus, tardè tandem in die Pafchæ Nazianzum veniffet. Fefti occafione ad reconciliationē prouocat.

RESurrectionis dies, lætumque principium: proinde ob feftum diem ex fplendefcamus, ac nos mutuò complectamur. Dicamus Fratres, his etiam qui nos oderunt, nedum his, qui propter charitatem & beneuolentiam aliquid fecerunt, vel paffi funt. Refurrectioni omnia condonemus: veniam alij aliis demus, tum ego qui laudabilem vim perpeffus fum (hoc enim nunc adijcio) tum vos, qui laudabilem ipfi vim attuliftis, fi quid eft, quòd mihi tarditatis causâ fuccenfeatis. Quanquam hæc fortaffe apud Deum melior eft atque præftantior, quàm nonnullorum aliorum celeritas. Bonum enim eft,
Bona tum fuga humilis, tum deuota alacritas.
& Deo fe parumper fubducere, vt Mofes ille olim, ac poftea Hieremias, & rurfus ad vo-
Exod. 6. v. 10.
cantem promptè atque impigrè accurrere, quemadmodum Aaron & Efaias; modò vtrumque pio
Ier. 1. v. 6.
animo fiat, alterum ob propriam infirmitatem, alterum ob vocantis potentiam.
Ifai. 6. v. 8.

Myfterium vnxit me: myfterio paulifper cef-
Myfterium dicit diem feftū, putà Natalis &c.
D fi, atque in hoc duntaxat, vt meipfum infpicerem & explorarem: cum myfterio etiam fimul introeo, præclarum timiditatis imbecillitatifque meæ adiutorem diem hunc mihi afcifcens, vt qui hodierno diè à mortuis furrexit, idē me quoque fpiritu innouet, nouóque homine induat, nouæque creaturæ, hoc eft, iis qui fecundum Deum nafcuntur, fictorem bonum & magiftrum
Hactenus quæ apologiæ funt.
donet, cum Chrifto alacri animo & morientem & refurgentem.

Heri agnus mactabatur, & poftes vngeban-
Pafchæ myfteria.
tur, luxitque primogenita Ægyptus, ac nos exterminator præterijt (fignaculum quippe terrori illi & venerationi fuit) pretiofóque fanguine
E
protecti fumus. Hodie Ægyptum omninò fugimus, & Pharaonem amarulentum illum dominum, & acerbos præfectos; ac luto, & lateritio opere liberati fumus: nec quifquam eft, qui nos Domino Deo noftro exitus feftum celebrare prohibeat, & quidem celebrare, non in fermento veteri malitiæ & nequitiæ, fed
1. Cor. 5. v. 7.
in azymis finceritatis & veritatis, nihil Ægyptiaci atque impij fermenti nobifcum ferentes.

Heri cum Chrifto in crucem agebar: hodie fimul glorificor. Heri commoriebar: hodie fimul viuificor. Heri confepeliebar: hodie fimul refurgo. At verò, ei qui pro nobis paffus eft,

queo, exiguâ oratione res magnas perpendens.

Mundi sensilis creatio.

A Posteaquam autem primas partes præclarè constitutas vidit, alterum mundum, materiâ constantem & aspectabilem cogitauit, hanc nimirum ex cœlo, & terrâ, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem & concretionem, laudabilem illam quidem ob singularum partium elegantiam, sed magis laudabilem ob eam, quæ ex vniuersis existit, concionitatem atque concordiam, aliâ re videlicet ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus ad omnia scitè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum: vt perspicuum faceret, se non modò sibi ipsi cognatam & propinquam naturam, sed B etiam omninò alienam posse procreare. Diuinitati enim propinquæ sunt intelligentes naturæ, ac quæ mente solâ percipi queunt: alienæ autem penitus, quæcunque sub sensus cadunt, atque his adhuc remotiores, quæ vitâ omni & motu carent.

Enimuerò mens iam & sensus sic inter se discreta finibus suis se continebant, effectorisque Verbi maiestatem in seipsis ferebant, taciti laudatores insignis opificij & canori præcones.

Hominis creatio.

Nondum autem ex vtroque temperatura vlla erat, aut contrariorum mixtura, quæ sublimioris sapientiæ ac circa naturarum creationem va-C rietatis & excellentiæ specimen exhiberet: nec omnes bonitatis diuitiæ notæ atque spectatæ erant. Hoc igitur cum artifex Verbum ostendere voluisset, animal vnum ex vtroque, hoc est, ex inuisibili ac visibili naturâ hominem fabricatur, atque à materiâ quidem, iam ante productâ, accepto corpore, à se autem insito spiraculo, (quod quidem intelligentem animam, Deique imaginem Scriptura vocat) velut alterum quendam mundum, in paruo magnum in terrâ collocat, Angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectilis mysten, eorum quidem quæ in terrâ sunt, regem, superis autem subditum, terrenum & D cœlestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem spiritum & carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob elationem: illud vt maneat, eumque, cuius beneficiis ornatus est, concelebret: hoc vt vexetur, ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine sibi placens erudiatur ac coërceatur, animal hîc variè gubernatum, atque aliò demigrans, &, quod mysterij extremum est, animi ad Deum nutu & subnectione diuinitatem consequens. Eò enim mihi veritatis splendor, quem hîc exiguè haurimus, vt Dei claritatem, & videam, & sentiam, E dignam eo qui & constrinxit, & dissoluet, ac rursus excellentiùs sublimiúsque constringet.

Gen. 2. v. 2. Homo alter mūdus, & in magno paruus, vt à Damasc. & alijs citatur hic locus, vt planè mendosos fateri necesse sit, qui extant, Gregorij codices, ac quibus homo dicitur magnus in paruo mundus.

Liberum hominis arbitrium.

Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus illius esset, qui elegisset, quàm eius qui semina præbuisset, in paradiso, (quicunque tandem erat paradisus ille) collocat, plantarum immortalium cultorem, hoc est, fortasse diuinarum cogitationum, tam simpliciorum, quàm perfectiorum; nudum per simplicitatem & vitam artificio carentem, atque omnis integumenti & monimenti expertem. Talem enim esse conueniebat eum, qui primùm esset creatus. Ac legem, quasi materiam, libero arbitrio porrigit.

Lex ei posita tanquam materia.

Lex autem illa præceptum erat, quo præscribebatur, tum quibus arboribus ei vtendum esset, A tum à quâ manus abstinendæ. Ea autem erat scientiæ arbor, non illa quidem, aut malè à principio consita, aut per inuidiam interdicta (ne illuc linguas suas Dei hostes iniiciant, nec serpentem imitentur) sed bona quidem tempestiuè percepta (contemplationis enim, vt ipse contemplando assequor, hæc arbor erat, ad quam iis solis tutus est ascensus, qui animi habitu perfectiori sunt:) haudquaquam autem bona simplicioribus adhuc animis, atque appetitu auidiori præditis, quemadmodum nec perfectus ac solidus cibus iis conducit, qui tenerâ adhuc sunt ætate, lactéque opus habent. Postquam autem B diaboli inuidiâ, & mulieris insultu, quem, & vt mollior passa est, &, vt ad persuadendum accommodatior, admouit, (ô infirmitatem meam! meam enim duco primi parentis infirmitatem) accepti mandati oblitus, ab acerbo illo gustu victus est, simul & à ligno vitæ, & à paradiso, & ab ipso Deo propter peccatum extruditur, & pelliceas tunicas induit, hoc est, fortasse crassiorem carnem, & mortalem, ac refractariam: primúmque turpitudinem suam infamiámque cognoscit, & à Deo se abscondit. Atque hic quoque tamen mortem, ac peccati præcisionem lucratur, ne malum immortale sit. Ita pœna C ipsa in misericordiam cessit. Sic enim Deum supplicia inferre existimo.

Arbor sciētiæ bona tempestiuè percepta.

Mulier persuaderi, ac persuadere facilior.

Mors, Dei inducta beneficio, ne malum immortale foret.

Multis autem priùs modis, propter multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, secundum diuersas causas & tempora castigatus, sermone, lege, prophetis, beneficiis, comminationibus, plagis, aquis, incendiis, bellis, victoriis, cladibus, signis è cœlo, ex aëre, ex terrâ, ex mari, hominum, vrbium, gentium insperatis mutationibus (quæ omnia eò tendebant, vt malitia proteretetur) validiori tandem medicamēto propter grauiores morbos indigere cœpit, nimirum ob mutuas cædes, adulteria, periuria, præposteram libidinem, &, quod omnium malorum extremum ac primum est, idolorum cultum, ado-D rationísque à Creatore ad creaturas translationē. Quæ quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio: ille, inquam, ad imaginem suam se confert, carnémque carnis causâ gerit, & cum intelligenti animâ propter animam meam iungitur, vt simile similis operâ & adiumento repurget, E atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo & carne à Spiritu purgata (nam & generationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat) progressus autem Deus cum assumptâ humanitate, vnum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum & spiritu, quorum alterum diuinitatem dedit, alterum accepit: ô nouam & inauditam mixturam! ô admirandam temperationem! Qui est, fit: qui increatus est, creatur: qui nullo loco contineri potest, interuentu animæ intellegentis, inter diuinitatem carnisque crassitiem interiectæ, continetur. Qui alios ditat, pauper efficitur: carnis enim meæ paupertatem subit,

Homo castigatus multis modis.

Incarnationis Verbi causa.

B. Virgo animo & carne à Spiritu purgata.

vt ego illius deitatis diuitias consequar. Qui plenus est, exinanitur: suâ enim gloriâ ad breue tempus exinanitur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circunstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat. Secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertiit: at nunc eius, quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illo diuinius, hoc apud cordatos & prudentes viros multò sublimius.

Secundum Dei ad nos commerciũ priore diuinius.

B Sed quorsum hæc? (dicturus est fortasse quispiam ex his, qui maiore erga festum studio ducuntur, feruidiorique animo præditi sunt) equum ad metam stimula, deque his, quæ huius festi sunt, & ob quæ hîc considemus, orationem ad nos habe. Ita verò faciam, etsi paulò altiùs exorsus sum, sic nimirum & ratione & amore perpellentibus. Nec verò abs re, vt opinor, fuerit studiosis & honesti cupidis hominibus de nomine ipso Paschæ quædam præfari. Id enim non contemnendum additamentum auditoribus fuerit. Hoc Pascha, hoc, inquam, magnum & venerandum, Phasca ab Hebræis iuxta eorum linguam nominatur: (quæ vox transitum sonat) historicâ quidem ratione propter Israëlitarum ex C Ægypto in Chananæam regionem fugam & migrationem: sin autem spiritualem sensum spectemus, propter nostram ex his inferioribus ad superiora, atque ad promissionis terram progressionem & ascensum. Quod verò in permultis Scripturæ locis accidisse comperimus, vt nomina quædam ab obscuriori sensu ad apertiorem, atque à duriori sono ad elegantiorem commodioremque immutata sint, idem hîc quoque contigisse animaduertimus. Quidam enim saluiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde per literæ φ in π, & κ in χ mutationem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem Pascha nominarunt. At- D que hæc vox postea consuetudine atque vsu confirmata est, multitudine videlicet hoc verbum, vt magis pium, calculo suo comprobante.

Pascha quid significet.

Enimuerò, legem vniuersam futurorum, atque eorum quæ animo & ratione intelliguntur, vmbram fuisse diuinus Apostolus ante nos pronunciauit. Ac Deus etiam, qui Mosi antè oracula edidit, cùm de his rebus leges illi præscriberet, *Vide*, inquit, *vt omnia facias iuxta exemplar, quod tibi in monte ostensum est*; ea nimirum quæ aspectu sentiuntur, quasi adumbrationem quandam, & delineationem earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse E ostendens. Atque illud persuasum habeo nihil temerè, nec inconsideratè, nihil humiliter atque abiectè, nihil denique Deo legislatore ac ministro Mose parum dignum, indictum atque constitutum esse: tametsi difficile factu sit, vt suam cuique vmbræ ac figuræ allegoriam excogitemus, subtiliter ad ea omnia descendentes, quæ tum de arcâ ipsâ, & modo, & materiâ, & Leuitis ac ministris eam gestantibus, tum etiam de sacrificiis & lustrationibus atque oblationibus lege sancita sunt: quæ quidem iis solis conspicua sunt, qui virtutibus Mosem referunt, vel ad eius eruditionem proximè accedunt.

Lex futurorum vmbra, & inuisibilium. Hebr. 10. v. 1. Exod. 25. v. 40.

Quædam allegoriæ paucis admodum conspicuæ.

A Paschate.

A Nam in ipso quoque monte Deus hominibus imaginariè conspiciendum se præbet, partim de speculâ suâ ipse descendens, partim nos ex terrenâ depressione in altum euehens, vt à creatâ naturâ leuiter saltem, & quatenus tutum est, incomprehensibilis ille concipiatur. Neque enim aliter terreni corporis mentisque vinculis adstrictæ crassities Deum concipere potest, nisi diuinitùs adiuuetur. Tunc igitur non eodem statu atque ordine omnes dignos habitos fuisse constat, verùm hunc alio, illum alio, vnumquemque, vt opinor, pro purgationis suæ modo ac ratione. Quidam etiam prorsus arcebantur, ipsisque vocis duntaxat audiendæ potestas fiebat, nimirum iis, qui belluinis erant B moribus, diuinisque mysteriis indigni. Nos tamen mediâ quadam viâ inter eos, qui crassiore omninò ingenio sunt, & eos, qui nimio contemplationis & anagogiæ studio ducuntur, incedentes, vt nec prorsus inertes ac torpidi maneamus, nec rursus curiosiores simus, quàm par sit, atque à proposito argumento excidamus & euagemur (alterum enim Iudaïcum quodammodò & abiectum, alterum ineptum ac somniorum coniectore dignum est, parique vtrunque reprehensione dignum) ad hunc modum de his rebus, pro virium nostrarum facultate, non nimis absurdè nec ridiculè disseremus.

Nisi diuinâ ope Deus cõcipi non potest.

Mediocritas in allegoriis tenenda.

C Quandoquidem enim nos ab initio per peccatum lapsos, atque à voluptate vsque ad Idolorum cultum & nefarios cruores per fraudem pertractos, propter viscera misericordiæ Dei Patris nostri, tanti manus suæ opificij, hoc est hominis iacturam facere non sustinentis, reuocari, atque in veterem statum restitui oportebat, hanc in eo instaurando rationem initam esse existimamus, vt acriore atque asperiore medicinâ reiectâ (vt quæ non modò fidem non factura, sed, propter contractum temporis diuturnitate tumorem, fortasse etiam morbum exulceratura esset) leni ac benigno medicamen- D ti genere ipsius resipiscentia procuraretur (neque enim plantam incuruam subitam inflexionem ferre, manúsque erigentis violentiam: sic enim potiùs fore, vt lædatur atque infringatur, quàm vt erigatur; nec equum praeferocem, ac iam ætate aliquantò prouectiorem, fræni tyrannidem perferre, nisi blandâ quadam & adulabundâ manu permulceatur.) Propterea nobis adiumeno loco lex datur, velut maceria quædam inter Deum atque idola interiecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem reuocans. Ac paulum quiddam primò indulget, vt maius accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, vt Deum in nobis inserat: ac postea, cùm commo- E dum fuerit, ipsa quoque sacrificia de medio tollat, mirâ sapientiâ per tacitas subtractiones animos nostros sensim immutans, atque ad Euangelium traducens, iam ad obediendum exercitatos & assuefactos. Sic igitur atque his de causis lex scripta introducta est, ad Christum nos colligens; atque hæc sacrificiorum est ratio, vt quidem mea fert ratio.

Originale peccatum.

Simile.

Lex vetus maceria inter Deum & idola.

Atque vt sapientiæ Dei profunditatem, imperuestigabiliúmque ipsius iudiciorum diuitias intelligas, ne ea quidem mysterij prorsus expertia atque inutilia, & in nudo & simplici sanguine defixa reliquit. Verùm magna illa, &, quantum ad primam naturam, immactabilis,

Atqui in superioribus vnum in eis videndi sepulchrum, votum laudauerat. V. 6.

mortuum requirebant, quarum fidem sæua passionis procella turbauerat; & tentationis eas ita A pondus iocuruauerat, vt cœli Dominum adhuc quærereot io sepulchro. *Non est hîc.* Secundum id, quod in loeo extitit: hîc est autem, per hoc, quod vbique est, & loci capacitate non clauditur. *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.* Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo suadente vetitæ arboris macularat aspectus. Ingrediuntur sepulchrum, vt consepulto Domino totam fidei resurgerent in salutem. *Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus* Rom. 6. v. 5.

Euntes discite discipulis eius. Reuertere ad virum mulier iam sanata, & suade fidem, quæ perfidiam suasisti. Refer homini Dominicæ resurrectionis indicium, cui antè tentationis, & ruinæ consilium detulisti. V. 7.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Euangelium, *MARC. XVI.*



¶ Electi qui sunt stellæ maris.
N illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome eme-
a Id est, primâ sabbato. Eadem, primo sabbati dicitur, quæ nunc Dominica appellatur.
runt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane [a] vnâ
b Id est, requietionum quæ in sabbatis custodiebantur. c Post occasum corporis. d Christo.
[b] sabbatorum veniunt ad monumentum [c] orto iam [d] sole: & dicebant
e Legem mortis.
adinuicem: Quis reuoluet nobis [e] lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes
f Originale peccatum. g Legem mortis. ¶ Id est, etiam infantes tangit in vtero gemitus omnium & omnibus grauis.
[f] viderunt reuolutum [g] lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in
h Bed. In domum scilicet rotundam quæ erat excisa in petrâ. i Regnantem in prosperis: Hic iuuenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. k Quæ vera lætitia est, hoste depulso, regno adempto.
[h] monumentum, viderunt iuuenem [i] sedentem in dextris coopertum [k] stolâ candidâ, & [l] obstupuerunt. Qui dicit illis: [m] Nolite expauescere: Iesum quæritis
l Hier. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus se m Deus charitas est, timor non est in charitate. n A loco. o A causâ. p Radix amara crucis euanuit, flos vitæ cum fructibus erupit: qui iacuit in morte, surrexit in gloriâ.
[n] Nazarenum, [o] crucifixum: [p] surrexit, non est hîc. Ecce locus, vbi posuerunt eum.
q Mulieribus dicitur, vt nuncient Apostolis: quia per mulierem, mors nunciata est: per mulieres, vita resurgens.
Sed ite, [q] dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: Ibi eum
r Non sicut vidistis.
[r] videbitis, sicut dixit vobis.

GLOSSA ORDINARIA B *in alterius Euang.*



Marc. 16. v. 1. Luc. 23. v. 56. Lucæ, ac Marci concordia.

T *cùm transisset.* BEO. Lucas dicit, quia *reuertentes à monumento parauerunt aromata, & vnguenta, & sabbato siluerunt*: quia mandatum erat, vt sabbati sileotium à vesperâ vsque in vesperam seruaretur. Ideoque religiosæ mulieres sepulto Domino dum licuit operari, id est, vsque ad Solis occasum, vnguenta paraoerunt, vt Lucas dicit. Et quia præ angustiâ temporis explere non potuerunt: mox transacto sabbato, id est, occidente Sole, vbi operandi licentia rediit, festinauerunt emere aromata, sicut Marcus C dicit, vt venientes manè vngereot Iesum. Neque vespere sabbati, præoccupaote iam noctis articulo, monumentum adire valuerunt.

Greg. in homiliâ. Mulierum in Christi corpus obsequium mysticè.

Vt venientes vngerent. Moraliter sanctæ mulieres, quæ Dominum fueraot secutæ, cum aromatibus ad mooumentum venerunt, & ei quem viuentem dilexerunt, etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur. Et oos ergo in eum qui mortuus est credentes, si odore virtutum refecti cum opinioοe bonorum operum qoærimus Dominum, ad monumeotum eius cùm aromatibus venimus. Quòd autem valdè manè veniunt ad monumentum orto iam sole, id est, cùm iam cœlum ab Orientis parte albesceret, quod fit Solis orientis vicinitate, ad literam magous quærendi, & inoeniendi Dominum feruor charitatis ostenditur. Mysticè aotem nobis exemplum datur illuminatâ facie decussis vitiorum tenebris odorem bonorum operum Domino, & orationum suauitatem offerre.

Auctor nomine Hier. in Marcũ. Fort. lectũ.

HIERON. Nunc cum aromatibus redolentibus cum sponsâ, & adolescentulis quæ currunt post eam conspergimus librum & cubiculum meotis oostræ. Nunc iotroducit nos Rex in cellaria sua. Nunc surgit amica Maria; *hyems abijt, pluuia recessit, flores apparuerunt, vox turturis audita est in terrâ nostrâ, vinea florentes odorem dederunt*: rediit sponsus de vmbrâ, sub quâ dormit in meridie. Post tristia sabbata felix irradiat dies, quæ primatum io diebus tenet: luce primâ in eâ lucescente, & Domino in eo cum triumpho resurgente, & dicente: *Hæc est dies quam fecit Dominus, &c.*

Cant. 1. v. 3. Cant. 2. v. 11. Cant. 1. v. 6. Psal. 117. v. 24.

Et valdè manè. HIERON. Quod alius dicit *diluculo.* Diluculum est inter tenebras noctis, & diei claritatem, in qoâ salus venit in Ecclesiâ declaranda more Solis, qui consurgens roseam præmittit auroram, vt taotus splendor præparatis oculis possit videri, cùm tempus Dominicæ resurrectionis illuxit: vt tunc laudes Christi tota cantaret Ecclesia sanctarum fœminarum, quaodo vitam præstitit & lumen credulitatis infudit.

V. 2. Luc. 24. V. 1. Idem auctor, apud quem & purior textus.

Et dicebant. HIERON. Aquilæ congregantur ad corpus: mulieres, & Apostoli vident lapidem reuolutum, qui est lex mortis: quasi dicat, *Vbi est mors aculeus tuus?*

V. 3. Matt. 24. v. 28. 1. Cor. 15. v. 55.

Reuolutum lapidem. BEDA. Quomodò la- V. 4.

Math. 28. v. 2. pis per Angelũ sit reuolutus, Matthæos dicit. Al- Lapis reuolutus allegoricè. leg. autẽ lapidis reuolutio reseratione sacramẽ- A totum Christi, quæ velamine literæ legis tecta erant, insinuat. Lex etenim in lapide scripta est, Exod. 24. 31. & 34. cuius ablato tegmine, gloria resurrectionis ostensa est, & abolitio mortis antiquæ, & vita nobis speranda perpetua toto orbe cœpit prædicari.

Iuuenem. HIERON. Non senem, non infantem, sed iocundum ætate, vt dicitur; V. 5. Eccl. 11. V. 9. *Lætare iuuenis in adolescentiâ tuâ.*

Beda ex Gregor. BEDA. Mulieres Angelos videot, quæ cum aromatibus venerunt, quia illæ mentes supernos ciues aspiciunt, quæ cum virtutibus ad Deum per sancta desideria veniunt.

Sedentem in dextris. BEDA. Ad meridianam partem loci illius, vbi positum fuerat corpus B Iesu. Corpus enim quod supinum iacens caput habet ad occasum, dextram necesse erat habere ad austrum. Scribit autem Matthæus, quòd Math. 28. v. 2. Angelum, qui reuoluit lapidem ab ostio monumenti, primò viderunt super ipsum lapidem sedentem, qui eas intrare in locum vbi positus erat Dominus iusserat, & videre quòd iam re- Luc. 4. v. 4. surrexit à mortuis. Lucas autem, quòd intrantes in monumentum duos Angelos stantes ibi inuenerunt.

Angelus à dextris. GREG. Per sinistram vita præsens, per dexteram vita æterna signatur, iuxta illud: Cant. 2. v. 6. *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur* C *me.* Quia Christus iam præsentis vitæ corruptionem transierat, rectè qui eius vitam perennem nuntiabat, in dexterâ sedebat. Qui in stolâ In stolâ candidâ. candidâ apparuit, quia & suæ, & nostræ festiuitatis gaudia nuntiauit. Illa enim Domini resurrectio, & nos ad immortalitatem reduxit, & ad Angelorum numerum restituens, cœlestis patriæ damna reparauit.

Nolite expauescere. GREG. Quasi dicat. Pa- V. 6. ueant illi qui non amant aduentum Domini, vel supernorum ciuium: qui vitiis pressi de eorum societate desperant. Vos autem quid timetis, quæ vestros conciues videtis? Vnde Matthæus Math. 28. v. 3. Angelum apparuisse describens, ait: *Erat aspe-* D *ctus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Iesum,* Salutare. Sed quia multi non substantialiter, sed nuncupatiuè hoc nomine dicebantur determinat per locum, *Nazarenum,* & causam subdit. *Crucifixum.* Atque addit: *Surrexit, non est hic.* Per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam maiestatis.

Ecce locus, Ostenditur mortalitas mortalibus ad actionem gratiarum debitam, vt intelligamus quid simus, & fuerimus, & sciamus quid erimus.

V. 7. *Et Petro.* BEDA. Petrus vocatur ex nomine, Petrus cur nominatim expressus. ne desperet ex negatione. Nisi enim eum Angelus nominatim exprimeret, qui magistrum ter E negauerat, inter discipulos venire non auderet. Ecclesiæ cur præpositus. Et notandum cur eum, quem Ecclesiæ suæ omnipotens præferre proposuit, ad ancillæ vocem negare permisit. Hoc enim actum ex magnâ pietatis dispensatione, vt qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in suâ culpâ disceret, quomodo aliis misereri deberet.

HIER. *Et Petro.* Qui se indignum discipulatu indicat, cum ter magistrum negat. Sed peccata præterita non nocent, quando non placent.

Præcedet vos. Breuis sententia in syllogismis, licet ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, æternitatis nostræ origo præparata est. Ibi congregantur dispersiones Israël, & A sanantur contriti corde. *Ibi eum videbitis sicut dixit vobis.* Non sicut vidistis.

Præcedet. Benè de Redemptore nostro dicitur. Galilæa namque transmigratio facta interpretatur. Iam enim à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœnâ ad gloriam transmigrauerat. Et benè post resurrectionem in Galilæâ à Galilææ mysteriũ. discipulis videtur, quia resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigremus. Qui ergo in sepulchro nuntiatur, in transmigratione ostenditur. Et qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur.

B BEDA. Nota quòd Marcus dicit: *Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Nec tamen ibi visum retulit. Matthæus Math. 28. v. 16. autem dicit, discipulos in Galilæam abiisse in montem, ibique Dominum vidisse, & adorasse, & præceptum ab eo accepisse eundi, docendi, baptizandi omnes Gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Alij autem Euangelistæ docent eum antea sæpiùs discipulis visum fuisse, maximè die resurrectionis in Ierusalem, & ipso die in castello Emaus. Quare ergo in Galilæâ specialiter se præcessurum, & ibi vidẽdum prædixit, cùm neque ibi solùm, nec primùm visus sit? C Quia verò specialiter hæc vox non Euangelistæ narrantis, sed Angeli ex mandato Domini, & ipsius Domini est, propheticè dictum intelligendum est. Galilæa namque transmigratio, vel reuelatio dicitur: Prius secundum transmigrationis significationem, quod dicitur: *Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis,* significat, quòd gratia Christi de populo Israël erat transmigratura ad Gentes, à quibus Apostoli nullo modo prædicantes susciperentur, nisi eis Dominus viam præparasset in eorum cordibus: & hoc est; *Præcedet vos in Galilæam.* Quod autem gaudentes mirantur, victis omnibus difficultatibus aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium: hoc est: *Ibi eum videbitis.* Id est, ibi mem- D bra eius inuenietis: ibi corpus eius viuum in eis qui vos susceperint, cognoscetis. Secundum autem hoc quòd Galilæa reuelatio dicitur, non intelligendum est in formâ serui, sed in quâ est æqualis Patri, qui dicit: *Ego diligam eum, &* Ioan. 14. v. 21. *ostendam ei meipsum:* non secundum hoc quod videbant eum: non etiam secundum hoc, quod eum cicatricibus videndum, & tangendum post resurrectionem ostendit, sed secundum ineffabilem lucem quæ *illuminat omnem hominem* Ioan. 1. v. 9. & 5. *venientem in hunc mundum,* secundum quod *lux lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Illuc nos præcessit, vnde ad nos E veniens non recessit, & quò præcedens nos non deseruit. Illa enim reuelatio vera est Galilæa, cùm *similes ei erimus, & videbimus eum sicuti* 1. Ioan. 3. v. 2. *est.* Ipsa etiam erit beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram aggregari mereamur. Tunc enim *ibunt in ignem æternum* Matt. 25. v. 46. *sinistri, iusti autem in vitam æternam.* Hinc illuc transmigrabunt, & ibi eum videbunt, quomodo non vident impij. *Tolletur* enim *impius* Isai. 26. v. 10. *vt non videat claritatem Dei, & impij lumen non videbunt. Hæc est autem vita æterna, vt* Ioan. 17. v. 3. *cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum,* sicut in illâ æternitate cogno-

ſcetur, quò & nos perducet propter formam ſerui, vt liberi contemplemur formam Domini.

CATENA AVREA

en idem Euang.

Marc. 16. v. 1. In hoc loco.

ET cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c. HIER. Poſt ſabbati triſtitiam felix irradiat dies, qui primatum in diebus tenet, luce primâ in eo luceſcente, & Domino in eo cum triumpho reſurgente. Vnde dicitur, *Et cùm tranſiſſet ſabbatum Maria Magdalena, &c.*

Ordinaria.

GLO. Religioſæ enim mulieres ſepulto Domino cùm licuit operari (id eſt, vſque ad Solis occaſum) vnguenta parauerunt, vt Lucas dicit. Et quia præ anguſtiâ temporis non potuerunt explere, mox tranſacto Sabbato (id eſt, occidente ſole) vt operandi licentia rediit, feſtinauerunt emere aromata, ſicut Marcus dicit, vt venientes manè vngerent corpus Ieſu; neque veſpere Sabbati, præoccupante iam noctis articulo, monumentum adire valuerunt. Vnde ſequitur, *Et valde mane vnâ ſabbatorum, &c.*

Eſt apud Chryſo. 82. ſiue eius re ipsâ eſt, ſiue Seueriani, Galli ſcilicet.

SAVER. Mulieres hoc loco fœmineâ deuotione diſcurrunt, quæ non vt viuenti fidem, ſed vt mortuo vnguenta deferunt ad ſepulchrum: & vt ſepulto parant mœroris obſequia, non vt reſurgenti diuinorum gaudia triumphorum.

In hoc loco.

THAOPH. Non enim magnitudinem atque dignitatem diuinitatis Chriſti ſapiunt. Venerunt autem iuxta conſuetudinem Iudæorum, vngere corpus Ieſu; vt ſcilicet maneret odoriferum, & ne humiditate ſcaturiret. nam aromata virtutem habent deſiccatiuam, humiditatem corporis abſorbentia, vnde incorruptum corpus conſeruant.

Vnctio corporum, vt exſiccata non putreſcant.

Hom. 21 in Euang.

GREG. in hom. Nos autem in eum qui eſt mortuus credentes, ſi odore virtutum referti cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum illius cum aromatibus venimus. Sequitur, *Et valde manè vnâ Sabbatorum, veniunt &c.*

Libr. 3. c. 24.

AVG. de con. Euang. Quòd Lucas dicit *diluculò*, & Ioannes *manè, cùm adhuc tenebræ eſſent*, hoc intelligitur Marcus dicere, *valdè manè orto iam ſole*, id eſt, cùm cœlum ab Orientis parte albeſceret, quod fit vtique Solis orientis vicinitate. Eius enim eſt ille fulgor, qui nomine auroræ appellari ſolet, ideo non repugnat ei qui ait, *Cùm adhuc tenebræ eſſent*. Die quippe ſurgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tantò minus ſunt, quantò magis oritur lux: nec accipiendum eſt quod ait, *Valdè manè orto iam ſole*; tanquam ſol ipſe iam videretur ſuper terram; ſed de proximo adueniente in has partes ſole, id eſt, ortu ſuo iam cœlum illuminare incipiente.

Conſenſus Euangeliſtarum.

Mar. 16. ſuper illud: & valde manè.

HIER. *Valdè* ergo *manè* dicit, quod alius Euangeliſta dicit *diluculò*. Diluculum autem eſt inter tenebras noctis, & diei claritatem; in quâ ſalus humani generis prouenit, felici vicinitate in Eccleſiâ declaranda; more Solis, qui proximâ luce conſurgens, roſeam præmittit auroram, vt gratiâ præclari ſplendoris præparatus oculus poſſit intueri, quando tempus Dominicæ reſurrectionis illuxit; vt tunc laudes Chriſti tota caneret ſecundum exemplum fœminarum Eccleſia, quando genus humanum exemplo ſuæ reſurrectionis animauit, quando vitam præſtitit, & lumen credulitatis infudit.

Mar. vltimo, 43.

A BED. Sicut autem quòd valdè manè mulieres venerunt ad monumentum, iuxta hiſtoriam, magnus feruor charitatis oſtenditur: ita apud eum iuxta intellectum myſticum nobis datur exemplum, vt illuminatâ facie, diſcuſſiſque vitiorum tenebris, odorem bonorum operum Domino, & orationum ſuauitatem ſtudeamus offerre.

In hoc loco.

THAOPH. Dicit autem, *Vnâ ſabbatorum*, id eſt, primâ dierum hebdomadæ. Sabbata namque dies hebdomadæ nuncupantur: vna verò, dicitur prima.

Vbi ſuprà.

BEDA. Vel prima Sabbatorum, prima dies eſt à die ſabbatorum; id eſt, requietionum, quæ in Sabbatis cuſtodiebant. Sequitur, B *Et dicebant adinnicem, Quis reuoluet, &c.*

ApudChryſol. vbi ſupra.

SEVER. Obſeratum eſt veſtrum pectus, oculi clauſi, & ideo patefacti ſepulchri gloriam priùs non videbatis. Sequitur enim, *Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem.*

Vbi ſupra.

BED. Quomodò lapis per Angelum reuolutus ſit, Matthæus ſufficienter exponit. Hæc reuolutio lapidis myſticè reſerationem ſacramentorum Chriſti, quæ velamine literæ legalis tenebantur, inſinuat: lex enim in lapide ſcripta eſt. Sequitur, *Erat quippe magnus valdè.*

Vbi ſupra.

SAVER. Et plus iam magnus merito quàm formâ, qui Creatoris mundi corpus & claudere, C & operire ſufficit.

Hom. 21. in Euang.

GREG. Mulieres autem Angelos vident, quæ cùm aromatibus venerunt: quia illæ mentes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutibus ad Dominum per ſancta deſideria veniunt. Vnde ſequitur, *Et introeuntes in monumentum, &c.*

In hoc loco.

THEOPH. Si Matthæus dicit Angelum ſedere ſuper lapidem, Marcus verò quòd mulieres introeuntes monumentum viderunt ſedentem iuuenem, non mireris: nam quem viderunt priùs ſedentem, ipſum etiam intus in monumento poſtmodùm viderunt.

Luc. 3. c. 24.

AVG. de con Euang. Aut intelligamus Matthæum tacuiſſe de illo Angelo, quem intrantes D viderunt; Marcum verò de illo, quem foris ſuper lapidem ſedentem viderunt; vt duos viderint, & à duobus ſigillatim audierint, quæ dixerunt Angeli de Ieſu. Aut certè intrantes in monumentum in aliqua ſepta maceriæ debemus accipere, quâ communitum locum tunc fuiſſe credibile eſt in aliquo ſpatio ante petram, quâ excisâ locus factus fuerat ſepulturæ: vt ipſum viderint in eodem ſpatio *ſedentem à dextris*, quem dicit Matthæus *ſedentem ſuper lapidem.*

In hoc loco.

THAOPH. Quidam autem dicunt quòd aliæ fuerunt mulieres, quæ dicuntur à Matthæo, aliæ quæ à Marco: ſed Maria Magdalena ſequebatur omnes, feruidam feſtinationem habens, & ar- E dentem affectum.

Vbi ſupra.

SEVAR. Introierunt ergo mulieres ad ſepulchrum, vt conſepultæ Chriſto, Chriſto conſurgerent de ſepulchro: vident iuuenem, vt cernerent noſtræ reſurrectionis ætatem, quia neſcit reſurrectio ſenectutem: & vbi naſci morique neſcit, ibi ætas nec admittit detrimenta, nec indiget incrementis. Vnde iuuenem, non ſenem, non infantem, ſed iocundam ætatem viderunt.

Non ſunt iſta in Chryſol. habet gloſ. nomine Hieron. Super illud, *Viderunt iuuenem.*

BED. Viderunt autem iuuenem ſedentem in dextris, id eſt, ad meridianam partem loci illius, vbi poſitum erat. Corpus enim quod ſupinum iacens, caput habebat ad Occaſum; dextram neceſſe erat habere ad Auſtrum.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Quid autem per sinistram, nisi vita præsens? Quid verò per dextram, nisi vita perpetua designatur? Quia igitur Redemptor noster iam præsentis vitæ corruptionem transierat, rectè Angelus, qui nuntiare perennem eius vitam venerat, in dexterâ sedebat. A

Vbi supra. SEVER. Vident etiam iuuenem sedentem à dextris, quia resurrectio nihil recipit sinistrum. Vident etiam coopertum stolâ candidâ. Stola ista non est ex mortali vellere, sed ex virtute vitali, splendeos cœlesti lumine, non colore terreno, dicente Propheta, *Amictus lumine sicut vestimento*: & de Iustis, *Tunc Iusti fulgebunt sicut sol.*

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Vel stolâ candidâ coopertus apparuit, quia festiuitatis nostræ gaudia nuntiauit. Candor etenim vestis, splendorem nostræ denuntiat solennitatis. B

In hoc loco. HIER. Vestis etiam candida, vera lætitia est, hoste depulso, regnóque adepto; Rege pacis quæsito, & inuento, & nunquam dimisso. Hoc igitur innuens, formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. Quòd autem obstupuerunt, id est, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; qua præparauit Deus diligentibus se.* Sequitur, *Qui dicit illis, &c.*

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Ac si dicat, Paueant illi qui non amant aduentum supernorum ciuium; pertimescant qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum societatem pertingere se posse desperant: vos autem cur pertimescitis, qui vestros conciues videtis? C

Super illud: *Qui dicit illis.* HIER. Non enim est timor in charitate. Quid expauescerent, quæ inuenerunt quem quæsierunt?

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Sed iam quid Angelus subiungit, audiamus: *Iesum quæritis Nazarenum.* Iesus Latino eloquio *salutaris* (id est Saluator) interpretatur: at verò tunc multi Iesus dici poterant, nec tamen substantialiter, sed nuncupatiuè: ideo & locus subiungitur, vt de quo Iesu dictum sit manifestetur, *Nazarenum.* Et causam protinus subdit, *Crucifixum.* D

In hoc loco. THEOPH. Non enim erubescit crucem: in hac namque salus hominum est, & beatorum principium.

Vbi supra. HIERON. Radix autem amara crucis euanuit. Flos vitæ cum fructibus erupit; id est, qui iacuit in morte, surrexit in gloriâ, vnde addit, *Surrexit, non est hic.*

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. *Non est hic*, dicitur, per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam maiestatis.

In hoc loco. THEOPH. Et quasi dicat, Vultis certificari de eius resurrectione? subdit; *Ecce locus vbi posuerunt eum.* Propter hoc enim & reuoluerat lapidem, vt locum ostenderet. E

Vbi supra. HIER. Ostenditur autem immortalitas mortalibus ad gratiarum actionem debitam, vt intelligamus quid fuerimus, & sciamus quid futuri erimus. Sequitur; *Sed ite, dicite, &c.* Mulieribus dicitur vt nuntient Apostolis; quia per mulierem mors annuntiata est, per mulierem vita resurgens. Dicit autem specialiter, *Et Petro*, quia se indignum iudicauit discipulatu, cùm ter negauit Magistrum: sed peccata præterita non nocent, quando non placent.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Si autem hunc Angelus non nominatim exprimeret qui Magistrum ne- *A Paschate.*

gauerat, venire inter discipulos non auderet: Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret in negatione.

Lib. 3. c. 25. AVGVST. de con. Euang. Quòd autem dicit, *Præcedet vos, &c.* Videtur hoc sonare, quòd Iesus non fuit demonstraturus se discipulis post resurrectionem nisi in Galilæâ: quam demonstrationem nec ipse Marcus commemorauit. Quòd enim dixit, *Manè primâ Sabbati apparuit Mariæ Magdalenæ; post hæc duobus euntibus in villam*, factum est in Hierusalem ipso die resurrectionis: deinde venit ad vltimam manifestationem, quam factam scimus in monte Oliueti, non longè à Hierusalem. Nunquam igitur commemorat Marcus impletum, quod ab Angelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus verò nullum alium locum omninò commemorat, vbi discipuli postquam surrexit, viderint Dominum, nisi in Galilæâ; secundum Angeli prædictionem. Sed cùm non sit expressum quando id futurum esset, vtrum primùm, antequam alibi ab eis visus esset: idque ipsum quòd discipulos Matthæus dicit isse in Galilæam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem, non aduersatur quidem Matthæus narrationibus cæterorum, sed dat eis intelligendis, atque accipiendis locum. Verumtamen quòd Dominus non vbi primùm se demonstraturus erat, sed in Galilæâ, vbi postea visus est, se videndum mandauit, quemuis fidelem facit intentum ad quærendum quo mysterio dictum intelligatur.

Hom. 21. in Euang. GREG. in hom. Galilæa namque *transmigratio* interpretatur: iam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam transmigrauerat: & nos resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nuntiatur, in transmigratione ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur.

Super illud: *Præcedet vos.* HIER. Breuis ergo sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, & salutis æternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersiones, & sanantur contriti corde. *Ibi*, inquit, *eum videbitis*, sed non sicut vidistis.

Lib. 3. præsertim. AVG. de con. Euan. Significatur etiam quòd gratia Christi de populo Israël erat transmigratura ad Gentes, à quibus Apostoli nullo modo prædicantes susciperentur, nisi eis viam Dominus in eorum cordibus præueniens præparasset: & hoc est, *Præcedam vos in Galilæam, ibi eum videbitis*, id est, ibi membra eius inuenietis.

EPISTOLA B. DIONYSII

Episcopi Alexandrini de tempore quo Dominus noster Iesus Christus ex mortuis surrexit, déque horâ Sabbati sancti, quâ illucescente die sancto Dominico fas sit ieiunium soluere.

DIONYSIVS SANCTISSIMO FILIO: religiosissimóque fratri, & sacrorum comministro Basilidæ, in Domino salutem.

SPectatissime, eruditissiméque fili, sciscitaris ex me, quânam horâ Paschalis solennitatis ieiunium soluere liceat? Sunt enim, vt scribis,

Ieiunij antiqua religio die Sabbati sancti.

fratres quidam, qui circa gallicinium rectè id fieri existiment: alij verò, qui horâ vespertinâ id A licitum doceant. Addis Romanos fratres galli cantum operiri solitos; illos autem qui hîc nobiscum versantur, maturiùs ieiunium illud more suo soluere. Petis proinde, vt exactam, certóque definitam horam exponam. Ast non modò difficile est, quod quæris; sed admodum quoque lubricum & obscurum: Siquidem Paschalis festi celebritatem, festámque eiusdem diei lætitiam, ante Dominicæ resurrectionis tempus inchoare non licet. (Nam, vt vnanimi sensu atque consensu profitentur omnes, vsque ad illud animos ieiunio humiliare oportet.) De illo autem, vt non ignoras, certò non constat. Etenim vt per B ea, quæ eruditè diuinísque Euangelijs consentaneè ad me scribis, ostendis, de horâ, circa quam Christus Dominus resurrexit, nihil in illis certò definitè proditum extat. Quandoquidem Euangelistæ illos, qui ad monumentum sese contulerant, non eodem sed alio & alio tempore ad illud venisse narrant. Omnes autem cùm illò ventum erat, Dominum iam tum resurrexisse affirmant. Et quidem Matthæus quasdam ex mulieribus, quæ Christum secutæ fuerant, vespere Sabbati ad monumentum venisse scribit; Ioannes verò manè cùm adhuc tenebræ essent; Lucas autem valdè diluculo. Marcus tandem valdè C manè orto iam Sole. Interim quando Dominus Iesus præcisè surrexerit, id nullus eorum definit. Quòd autem omnes illi, qui exordio à Sabbati vesperâ, quæ lucescit in primam Sabbati facto, vsque ad Solis ortum vnius Sabbati, quæ lucescit in primam Sabbati, ad monumentum venerunt, illum ampliùs in eo iacentem non inuenerunt, illud apud omnes in confesso est: Nam quod ad hanc rem attinet, nouimus Euangelistas, neque à se motuò, neque à se ipsis quoque hîc quicquam dissentire. Verumenimuerò licet momenti non admodum magni videri queat, quod hîc quæritur, posteaquam ad vnum omnes mundi lucem Dominum nostrum Iesum Christum sacrâ illâ nocte illuxisse, hoc est, ex mortuis resur- D rexisse summâ consensione tradunt; etiamsi de horâ nonnulla controuersia appareat; attamen nos, quæ ab Euangelistis eâ de re prodita extant, rectè inter se conuenire, grato animo statuamus, fidelitérque contra quoscunque aliter sentientes defendamus.

Ignotum tempus ipsum Dominicæ resurrectionis.

Matth. 28. v. 1.

Quæ igitur Matthæus hoc loco scribit, ita sonant: *Vespere autem Sabbati quæ lucescit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius album, sicut nix. Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt veluti mortui. Respondens* E *autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc, surrexit enim, sicut dixit.* Illud autem quod hoc loco *vespere* dicitur, nonnulli fortassis in communem vocis huius notionem mentis oculum conijcientes, serotinum Sabbati tempus denotare existimabunt. At illi verò, qui rem hanc aliquantò accuratiùs & subtiliùs expendent, non illud, verùm noctem profundam, hoc est, noctis tempus iam penè decursum per vesperam significatum statuent. Quòd

ὀψὲ: quod melius serò & tardè, quàm vespere. Affectantur isthæc Gregor. Nyssenus siue Hesych. & alij.

autem noctem & non vesperam pressè acceptam, Matthæi vlomo designet, id valdè confirmat, quod mox subiungitur. Scribitur enim: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati, venerunt*, non quidem, vt reliqui dicunt, aromata portantes: sed *videre sepulchrum* Domini; compereruntque terræ motum iam tum factum, & Angelum sedentem super lapidem, audiueruntque ab illo: *Surrexit non est hîc.* Facit huc illud Ioannis quoque: *Vnâ autem Sabbati, Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum: Et vidit lapidem sublatum à monumento.* Eo apud hunc quoque Euangelistam tenebræ terram adhuc obtinent. Lucas autem dicit: *Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta; & Sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum: Vnâ autem Sabbati, valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento.* Cæterum per τὸ valde diluculo, matutinum splendorem in primam Sabbati promicantem, hoc est, primæ Sabbati auroram vix dum sans apparentem, vt probabile fit, adumbrat. Sabbato igitur toto vnà cum nocte absolutè iam transacto, & altero die iam inchoato, venerunt, aromata & vnguenta, quæ præparauerant, deferentes: quando nimirum Dominus multò iam antè à monumento surrexerat.

Græci Ambr. item & Hieron.

Ioan. 20. v. 1.

Luc. 23. v. 56. & 24. v. 1.

Confirmat & illustrat hæc omnia etiam Marcus, dum inter cætera ita scribit: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vnâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole.* Valdè enim manè & hic quoque Euangelista ponit: Est autem idem valdè manè, quod valdè diluculo. Neminem autem turbet, quod addit, *orto iam sole*: nam etsi valdè manè, hoc est summo diluculo iter ingressæ essent, & fortè ad monumentum quoque venissent; attamen dum in viâ morantur, & circa sepulchrum versantur & occupantur; sol exoriri, primósque radios spargere cœpit. Subiungit his porrò: adolescentem candidâ stolâ indutum visum, qui dixerit, *Surrexit, non est hic.*

Marc. 16. cap. 16.

Cùm hæc igitur ita habeant, illis qui anxiè nimis, quâ tandem horâ, aut semihorâ, aut horæ quadrante Dominicæ resurrectionis gaudium auspicari liceat, inquirunt, paucis respondemus: alios quidem plus satis hîc maturare, cuiusmodi inter cæteros sunt, qui ante vel circa mediam noctem ieiunia soluunt. Quos proinde veluti supinos & intemperantes non iniuriâ vituperamus: esto fortassis ieiuniorum curriculum non ita multùm ante legitimum tempus absoluant. Nam, vt sapiens quidem admonet, minimè parum est in vitâ, quod parum abest. Illos verò, qui tempus hoc prorogant, & vsque ad quartam noctis vigiliam, secundum quam Dominus supra mare gradiens discipulis apparuit, in ieiunio persistant, tanquam generosos laborúmque patientes meritò probamus. Illos tandem qui intermedio tempore, veluti in fluctu laborantes, vel imbecilles cessant, non prorsus aduersamur.

Tempus triplex ieiunij soluendi in nocte Paschæ.

Obseruandum est hîc quoque, non omnes ieiunantes sex postremos ieiuniorum dies æqualiter obseruare; neque vno omnes modo in ieiunio illos traducere: Sunt enim qui omnes, citra vllum omninò cibum transmittant: Sunt rur-

Vide quàm seuerè olim ieiunium hebdomadæ sanctæ seruaretur.

sum, qui duos, aut tres, aut quatuor prorsus ieiuni transigant: Sunt denique qui ne vnum quidem absolutè obseruent. Iam qui propter diuturnam inediam planè defatigati, præque virium imbecillitate tantum non prostrati sunt, illi sanè veniâ digni sunt, si tempestiuiùs cibum sumunt. Qui verò quatuor primos in luxu veriùs, quàm in ieiunio exigunt, duos autem postremos tantùm (Sabbatum videlicet, & Prosabbatum) omnis cibi expertes traducunt, illos, tametsi magnum quiddam atque præclarum sese præstare arbitrentur, si vsque ad auroram in ieiunio perdurent, non par cum iis certamen inire, aut laborem subire existimo, qui pluribus diebus puro illo, absolutóque ieiunio sese macerarunt. Hæc igitur sunt, quæ mihi de proposità quæstione scribenda & admonenda videbantur, Vale.

SANCTI ZENONIS EPISCOPI *Veronen. in eodem festo.*

SERMO I.

NEc otioso cursu, reciprocis ambagibus operis mundani pausa perpetuatis, genitali semper nouellus occasu à se in semet sua vestigia reuolutus, dies salutaris aduenit, officiis sacramenti Dominici omnibus omni genere munerum largus. Namque pius mercedem Sacerdotibus præstat, consequentibus Ministris promotionis augmentum, immortalitatis fidelibus fructum, pœnitentibus coram, catechumenis lucis viam, competentibus remissam omnium peccatorum: sicque cunctos in vnam Christi corporis gratiam congregatos, ad cœlestia regna perducit: per Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Paschalis dies munerum largus.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO II.

PErpetis anni pernicem cursum in bissenæ mutationis augmentum vnâ eadémque, nec ipsâ sed orbitâ, circunducens dies magnus aduenit, suo sibi semper nouellus occasu: quod præterit, sequitur; quod futurum est, antecedit. In omnibus nouus est, & tamen in omnibus vetus est: punctis omnibus commutatur: non naturâ, sed numero fit filius horarum, qui pater est omnium sæculorum. Hic est dies, fratres, quo à Domino nostro cunctus redemptus est orbis: quo æthereo semine nouellus, id est, noster viuificatus est populus. Hic, inquam, qui nobis resurrectionis monstrat exemplum. Cuius sanè conditione nos beatiores sumus, quia ille occidit, semper vt viuat. Fidelis autem post secundæ natiuitatis occasum resurgens, horrore nunquam intercipitur tenebrarum.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO III.

SPecioso circulo sacer inflexus dies in mundani operis pensa quadrigâ temporum fertur: duodenis mensium perpeti curru mutationibus diues, nullâ statione contentus; quia immortalitas eius est cursus. Verùm currat an recurrat, ambiguum est: cuius præteritum restat, vt cedat. Mira prorsus ratio innumerabilium sæculorum: diuersâ mensurâ contendo innouat spatia, & tamen eius semper orbita est vna. Qui nos admonet, fratres, passionis resurrectionísque Dominicæ vnanimes, atque concordes salutaria celebrare mysteria. Per Dominum & conseruatorem nostrum Iesum Christum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO IV.

STabilis cursor multiformi gratiâ redimitus, per temporum ambages pernicibus plantis sua recalcans officio solenni vestigia dies salutaris aduenit. Idem sibi successor, idémque decessor longæuâ semper ætate nouellus, anni parens, annique progenies antecedit, quæ sequitur tempora, & sæcula infinita disseminat: parit sibi de fine principium: hoc nostris quoque hodie Competentibus præstaturus: quos iam nunc felix inuitat occasus, vt sacri Oceani lacteo profundo demersi, surgentes inde nouello nouelli cum die suâ luce radiantes, nobiscum possint immortalitatis per aëreum tramitem cursu seruato, ad repromissionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO V.

MAgnificus, fratres dilectissimi, sæculorum pater adest dies, omni genere fructuum fœtibus pollens: diuite sinu momentis quibus velis, quatuor temporum munera expungens. Denique Competentibus innumeris finitur hyems. Hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur. Hodie eos etiam ver arridens diuersos in flores diuerso charismate redditurus salubri vndâ perfudit: limpidæ ætatis messe gaudentes, panem nouum cœperunt manducare. Quos autumnale quoque non morabitur mustum: quo repleti, inebriatique feliciter Spiritus sancti calore feruebunt. Qui vt nunquam refrigescant, in omnibus nobis præstabit Deus Pater omnipotens, Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO VI.

INtestabili cursu multiformi gratiâ redimitus, temporum solenni vestigio dies salutaris aduenit: idem sui successor, idémque decessor: longæuâ semper ætate nouellus anni patens, annique progenies antecedit, sequitúrque tempora, & sæcula infinita: parit sibi de fine principium, & tamen à suois genitalibus non recedit. Profectò sacramenti Dominici imaginem portat. Nam occasu passionem, resurrectionémque ortu rediuiuo concelebrat: per quem nobis munus futuræ beatitudinis pollicetur: hoc quoque nostris Competentibus præstaturus, quos nunc inuitat felix occasus, vt sacri Oceani lacteo profundo demersi: vnde nouello, nouellique cum die resurgentes, nobiscum possint ad immortalitatis gloriam peruenire.

EIVSDEM IN EODEM FESTO. A

SERMO VII.

MOrte suâ viuens sepulchri nido vegetatus, innumerabiles temporum metas perennis cursu vnâ, eadémque orbitâ lustrat. Dies magnus adoenit: menses in tempora, tempora in annos, annos in sæcula pandens: sine pausâ crescit in senium, & tamen à cunis genitalibus non recedit: profectò sacramenti Dominici imagiginem portat. Nam occasu passionem resurrectionémque ortu rediuiuo concelebrat, per quem nobis quoque resurrectionem futuræ bea- B titudinis pollicetur.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO VIII.

SEmpiterni currus auriga teretis metæ suæ replicans, complicando gyro solenni, vestigia, dies salutaris aduenit: idem sibi successor, idémque decessor longæuâ semper ætate nouellus, anni parens, annique progenies: antecedit quæ sequitur, tempora: & vt sæcula colligenda disseminet, parit sibi de fine principium. Hic est, quo similiter (verumtamen semel) amore hominis C sui eius artifex Deus, & Dominus noster occidit, & exortus est rursum, nunquam sanè repetiturus occasum. Hic, inquam, quo ferales diruptæ sunt tenebræ, quo mors subacta est, quo homines, quos susceperant mortuos, refundere inferi coacti sunt viuos. Quem vt semper, vt vbique aucti fide, numero, charitate nostris cum fratribus celebremus, præstabit Deus Pater omnipotens.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

SERMO IX.

SÆculorum hæres, & paterno cursu procurrens, atque recurrens, solenni metâ rotatus in sese proferens sibi de fine principium, natalitia infinita de occasu, dies sempiternus eluxit: quo discussâ conuolutæ hyemis tristitudine, nouo vento Fauonio blandiente; diuersis floribus genere, colore pariter, & odore vnâ natiuitate diffusis germinantia, vndique dulcè prata respirant. Exultat æstas noua: sed diues in frumenti varias moles, spicam feliciter contundens palmâ. Quam prosequitur congruè mustulentus autumnus, vt necessariò granæ pani, vini quoque iocunditas iungeretur. Quis non hæc cœlestibus mysteriis coaptata cognoscat? Hyems namque E pigra, sordida & tristis ad eos pertinet, qui idololatriæ deseruientes mundanis voluptatibus compediti, libidini vacantes, & gutturi longè inoliti, id est, æternæ morti sunt à Deo, quòd opus tenebrarum dilexerunt, destinati. Ver sacrum fontem debemus accipere: cuius diuite ex alueo, Fauonio non vento, sed Spiritu sancto generante, odorem diuinum beatæ spirantes fidei, diuerso charismate sed vnâ natiuitate Ecclesiæ flores clarissimi, ac dulces nostri funduntur infantes. Æstas autem fidelis est populus, Angelus & mundus, qui sponsionis suæ palmam fortiter retinens, peccatorum paleis limpidatus,

Hyems, idololatras designat.

Ver, & sacro fonte renatos.

Æstas, fidelem populum.

A semet pretiosum frumentum diuinis horreis inferre desiderans, licet suo vberet fonte, tamen æstuat semper iustæ operationis ardore. Autumnus quoque martyrij locus est, in quo non viris, sed fossoris sanguis effunditur: vt vita beata pretiosæ mortis vindemiâ comparetur. Dies verò ad sacramentum pertinet resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, qui in omnibus omnia est; qui verè æternus est, ac sine nocte dies: cui duodecim horæ in Apostolis, duodecim menses seruiunt in Prophetis: quem Euangeliorum salutaria quatuor prædicant tempora. Cui non anniuersarij, sed quotidiani fructus respondent: hymnum canentes Deo credentibus populis, qui B omni immortalitatis semine propagantur in sæcula. In huius diei luce gradientes exultemus fide, iocundemur bonâ conuersatione, vt perpetuam vitam adipisci mereamur: per Dominum nostrum.

Autumnus, Martyres.

SANCTI PATRIS NOSTRI *Athanasij Alexandrini Episcopi, Oratio in sanctum Pascha.*

Ex Regio Mediceo Codice.

Fr. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

TAmetsi vel Angelicis impræsentiarum linguis vti concessum esset: tametsi mortalis C natura, immortales iam voces obtineret; haud tamen facilè præsentis solennitatis munera præsumat laudare. Nunc verò lingua mortalis, ac luteum organum, quid dicat; quid-ve etiam ea loquatur, quæ nec natura tota in vnam conspirans vocem, pro merito dilaudare sufficiat? Planè enim superant creaturæ modos, gratiæ munera. Depellitur mors ab hominibus, infernusque annosam illam suam dominationem amittit; ac humanum genus peccati lege prædamnatum, dono gratiæ regnare docetur. Homo itaque primo ordine Dominicæ resurrectionis bonis potitur; eidemque natura reliqua vnà gratiæ particeps socia accedit. Tota namque hodie naturæ D collectio, in vnâ hominis formâ, reformatur. Sic enim discipulus gratiæ Paulus, altùm prædicat: *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia.* Surrexit creaturæ auctor, vno vocis sono vniuersa traheus, vt pariter resurgant. Saluatoris quippe resurrectio, communis est vniuersorum reparatio, quod ipsum Paulus fausto nuntio loquitur: *Ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei*: Hoc est, abijciet corruptionem; exuet seruitutem; immortalitatem recipiet; transferetur in sortem meliorem. Innouato siquidem ad immortalitatem homine, quam etiam eius gratiâ Deus crea- E turam edidit, felici commercio renouanda sit.

Primus homo resurrectionis Christi fructum percipit, tum reliqua.

2. Cor. 5. v. 17.

Rom. 8. v. 21.

Nam Deus quidem, rerum hanc vniuersitatis magnam condidit vrbem; ac pro eo, quòd vnâ voce multa produxit, vnius sono vocis vniuersorum substantiam extrahens; creantis sapientiæ suæ potentiam ostendit. Idem verò ipse suam Imaginem; hominem, inquam; velut illustri planè templo, mundo hoc edito, creatione erexit. Nunc itaque renouatâ Imagine, ipsa pariter Imaginis domus operæpretium instauranda fuit. Horum nobis, præsentis hodie diei solennitas, sponsio ac pignus est. Propter eam clamat B. Paulus: *Oportet enim mortale hoc, induere immortalitatem.* Corpus nempe, immor-

Homo in mundo, imago in templo.

1. Cor. 15. v. 53.

talitatis coronatum floribus, mortis iura ſpreturum eſt: nec iam illuceſcente incorruptione, corruptio locum inueniet. O magnam rerum mutationem! O ſpe maintem commutationem! O grandem luctum, in magnam ſolutum animi voluptatem! O quale gaudium excepit calamitatem! Veteris namque ac noui teſtamenti memoria, laudationis ſegetem adaugebit. Prius quidem in paradiſo poſitos. Dei elementia vltro paratâ voluptate ac beatâ ſorte donauerat. Superuenit effractor ſerpens, tantæque ſuauitatis voluptatem prædatus, genus humanum quod deprædatus eſſet, reum egit; mortis viam inueniens, tranſgreſſionem mandati. Hinc infernus portas aperiens, humanum ſuſcepit genus, triſtique natura editione, ſuarum prolium edebat interitum. Parturitionis fructûs, ſepulchrorum prouentûs euaſerant; morſque hæres à præuaricatione cedebat, omnem prorſus venata hominom ætatem. Nihil fœturæ parcere; nihil proli conſulere; nihil puberem miſerari; non miſſos facere iuuenes; non ſenes uereri; nihil peccatoribus indulgentiæ tribuere; nullo ad luſtrorum claſſem pudore; nihil Prophetas deprecari; Sacerdotem haud nimittere, explicatâ aduerſus omnes mortis ſagenâ, vt quicquid incidiſſet, indeprecabilis raperet.

Hominis lapſus in paradiſo, ac Originale peccatum.

Non erat qui malo mederetur: nullum adhibebatur remedium; cùmque moltæ adeò generationes vitæ ſtadium decurriſſent, necdum tameo mortis inſatiabilem ventrem repleuerant: ac planè malum eiuſmodi erat, vt nulla lugentibus conſolatio, nulla ad remedium via reliqua foret, niſi Christus crucem ſubiens, ac mortis vim perferens, veterem illam inferni regiam, breui diei noctiſque ſepulturâ ſubuertiſſet. Id verò, non velut iam primùm ipſe ſe ad clementiam comparans, ſeipſo nuoe commiſeratione affectior factus ſit; quanquam nunc reipsâ reſurrectionem exhibuit; quinimmò olim quoque regnantem mortem reſurrectionis vmbris terruit, ſpeſque obſcuriores immortalitatis tribuens humano generi, inferni regnum turbauit; æqualeſque eiuſdem tyrannidi enouellendæ ipſius cogitationes texuit. Nota verò rerum arcanam diſpenſationem. Primus Abel à morte detinetur. Qui morti peccandi occaſio fuit, ipſe iu eam, iuſtam naturæ querelam tribuit. Siquidem enim iniuſtum eſt quòd detinetur, iurè vtique reſurgit. Vt enim peccator mortuus eſſet, fortior mortis lite conteſtandâ eſſet. Enimuerò debilis inferno aduerſus iuſtos cnnatus eſt. Fragile mortis vinculum, quo Iuſtum iniquè tenet. Cùm enim peccatum, regni mortis virtus ſit ac robur, qui necdum offendit, nihil illi obnoxius eſt. Quamobrem cùm Deo liberum eſſet, vt Abelem à cæde eximeret, haud tamen fecit: ſed permiſit necari, quò Iuſti ſanguine confiſa mors, radicem amitteret. Idcircò Chriſtus, mundi cauſam agens, dicebat: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sic ergo à principio ac mundi origine, celebrata eſt Chriſti ergo Abelis actio ac victoria. Tu mihi Paulum patronum accipe: *Et mortuus*, inquit, *Abel, adhuc loquitur: vnde eum & in parabolam accipit*; nimirum, parabolam appellans ſimilitudinem: Abelis quippe occiſio, necis Chriſti characteres habet. Quamobrem etiam loquitur poſt mortem, ac occiſori intentat litem. Suo namque Vita aduentu, mortis vim ſuperauit. Ne-

Reparationis hominis antiquũ conſilium.

Gen. 4. v. 8. Abelis figura.

1. Cor. 15. v. 50.

Ioan. 12. v. 13.

Hebr. 11. v. 4. & 10. Iſthæc poſtrema in Iſaac ſunt dicta, non in Abelem, vt ſit lapſus memoriæ.

A quiuit cædes, clamantem eius linguam ſilentio præpedire, aut iuſtas ſanguinis defenſiones præſcindere: quia tecta morte lingua, immortalis clamat. Haud facilis erat naturæ defenſio, vt prior Adam raptus fuiſſet. Quippe fieri poterat, vt tranſgreſſionis probrum, os illi obſtrueret. Abel, quòd prior ceciderit, ſpem excitauit naturæ.

Poſt hæc aduenit Enoch; ac loci tranſlatione effugiens infernum, vitæ probatæ gloriâ profugus euaſit mortem. Poſt hunc magnus Elias, nec ipſe cedens morti, hoſpitæ viduæ filium eripuit, præualeote nimirum precum potentiâ aduerſus mortis violentiam, nouoque inſolimine regreſſionem ad vitam ex inferno ſtruente. Exortus poſteà Eliſæus, duplicem pro ſimplici gratiam B accepit. Is precum efficaciâ, Sunamitidis filium ex inferno ad vitam reuocauit. Quia nihilminus ipſe etiam mortis retibus fuerat implicatus, tameſi vitâ functus, corporis contactu cadauer coogeſtum ſubmouens, infernum deprædatus eſt; defunctuſque ſurreptum defunctum vitæ reddidit; ac mortuus Propheta, mortis noxius fuit: ſiquidem defuncto Eliſæo, nihil mortuorum numero accreuit; nullique ceſſit lucro, quam eius prædam infernus egiſſet. His diſſuentem corruptione naturam, reſurrectionis figuræ muniebant: nec illæ tamen, iis qui capti tenerentur, auxilium ferre poterant: quin potiùs *regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen*, legis tempus, terminos dominationis ſtatuens. At vbi C Chriſtus è cœlis apparuit, genetis expectationes eius in opus proceſſerunt; apertiſque inferoi clauſtris, vinctos mortuos tumuli reddiderunt. Vt mox vocaſſet, ſepulchrum aperiebatur; Deóque vnita natura, infernum percellebat. Quamobrem infernus, tollentem mortuos in hæc verba compellabat. Quare tu editam in paradiſo cautionem euertis? Quid naturæ chirographum diſrumpis? Scriptis tabulis aduerſus humanum genus inſtructus ſum. Mulctam eiuſmodi eidem indictam habeo: *Terra es, & in terram reuerteris.*

Gen. 5. v. 24.

3. Reg. 17. v. 22. & 4. 2. v. 11.

4. Reg. 2. v. 10. & 4. v. 34. & 13. v. 21.

Rom. 5. v. 14.

Gen. 3. v. 19.

Sanè verò lugebat, cùm ſigillatim mortui auferrentur; nec ſciebat fore, vt Chriſtus in inferD num deſcendens, totos ei populos libertate donatos auferret. Id enim Chriſtus agens in infernum deſcendit, vt nullus deinceps in inferno vinctus remaneret; carne quidem, ceu oblatâ eſcâ capiens: Deitatis autem virtute, regiam eius diripiens: breui temporis ſpatio vetera legis diſcerpens chirographa, vt omnes in cœlos ſubuehat: cœlum, inquam, liberam illam à morte regionem, incorruptionis diuerſorium; iuſtitiæ officinam.

In his bonis, tu recens illuminate, tinctus es. Reſurrectionis tibi arrhabo facta eſt gratia in initiatio, quiſquis eiuſmodi es. Baptiſma, pignus E tibi eſt futuræ in cœlo vitæ. Mortione imitatus es Domini ſepulturam: ruſum verò inde emergens, reſurrectionis opera adſpexiſti, cùm necdum opera exhibuiſſes. Quantum vidiſti ſymbola, eorum quoque res accepta, ac proba. Verborum teſtem accipe Paulum, cùm ait: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, etiam vero reſurrectionis erimus.* Pulchrè illud, *complantati*. Baptiſmus quippe plantatio eſt immortalis vitæ, piſcinæ aquis edita, ac cœlo fructificans. Illic gratiæ Spiritus arcanâ ratione operatur, neque te naturæ cognatio, in miraculi

Pulchrum Ethicum in recens baptizatos, ac ceremonias Baptiſmi.

Rom. 6. v. 4.



ignorationem impellat. Aqua, ad vsum ministrat. Quod in piscinam mittitur, in eâ nouùm, tanquam in vuluâ formatur. In aquâ, haud secus atque in fornace, descendentem conflat. Immortalitatis ei, ceu desponsationis iure, pignora tribuit: Resurrectionis præbet signaculum. Hæc tibi miracula, ô tu recèns baptizate, vestis ipsa symbolo repræsentat. In te ipse bonorum gestante imagines respice. Splendida quippe est ac fulgens quam gestas, vestis, incorruptionis symbola expressâ imagine referens. Candidum tibi linteum instar diadematis adstringens caput, præco est libertatis: Partæ, aduersus diabolum victoriæ, manus circungestat signa. Te namque Christus suscitatum ostendit; hactenus quidem, symbolis; postmodum autem, ipsis ostensurus rebus; modò fidei tunicam non polluamus peccatorum sordibus; modò gratiæ facem non extinxerimus, absonis actionibus, turpibúsque: modò coronam Spiritûs seruauerimus. Tunc Dominus clarè de cœlo terribili benignâque voce inclamauerit: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: Ipsi gloria & potestas in sæcula sæculorum: Amen.

Math. 25. v. 34.

S. AMBROSII MEDIOLAnensis Episcopi superioris Euang. expositio.

Com. in Lucam.

ET *cùm transisset sabbatum, Maria Magdalena, &c.* Magna oritur hoc loco à plerisque dubitatio. Nam etsi non videntur Euangelistæ dixisse contraria, tamen diuersa dixerunt. Siquidem Lucas, *Manè valde tempore*. Marcus; *Valde manè*: Matthæus; *Vespere sabbati*: Ioannes; *Primâ sabbati, cùm adhuc tenebræ essent*, mulieres ad monumentum venisse dixerunt. Deinde Lucas duos viros, Marcus vnum iuuenem in albis sedentem; Matthæus vnum Angelum: Ioannes duos Angelos in albis sedentes visos esse memorarunt. Postremò, quod vix enodabile videatur, Ioannes scripsit dictum Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Matthæus occurrisse Dominum Mariæ scripsit Magdalenæ, & alteri Mariæ: & illas accessisse, & tenuisse pedes eius, & adorasse euidentissimâ descriptione digessit. Quomodò ergo soluendum, nisi quatuor Euangelistas de diuersis quatuor putas dixisse temporibus: vt & personas alias mulierum, & alias coniicias visiones. Denique aliæ cum vnguento primâ sabbati veniunt, aliæ sine vnguento vespere sabbati. Istarum nomen exprimitur, illæ de Galilæâ secutæ Dominum designantur. Quo loco ne quem spinosæ interpretatio in fine offendat asperitas, vbi suauia fortè præsumpta sunt, æstimate iam nos complendi sermonis vela submittere, quoniam ad portum venimus: & nauis quæ cursu concito maria transmeauerit, vbi littori cœperit appropinquare, latentia cautium cursu præstringit instacto. Ergo ne tanquam inerti gubernatori in arenis littoris sermo mihi hæreat, tanquam vada cæca legam; tentandum priùs iter quam præcipitandum arbitror, quo minus rimosa nobis pateicat oratio.

Luc. 24. v. 1. Marc. 16. v. 1. Math. 28. v. 1. Ioan. 20. v. 1.

Ibidem.

Alias Euangelistæ personas, & alias referunt visiones in resurrectione.

Primùm igitur illud spectandum est, quid est quod scriptum est. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati*, resurrexisse Dominum. Sic enim habes; *Quia vespere sabbati venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terra motus factus est magnus.* Non enim die sabbati (nam *siluerunt die sabbati secundum mandatum*) sed post sabbati diem, nocte vtique resurrexit. Denique quæ manè venerunt licet valde tempore, tamen iam Dominum resurrexisse cognouerunt. Sic igitur temperandum est, vt neque manè Dominicâ, quæ est prima post sabbatum, neque sabbato resurrectio facta credatur. Nam quomodò triduum completur? Non ergo vesperascente die, sed noctis vespere resurrexit. Denique Græcus serò dixit, hoc est, ὀψὲ. Serò autem & horam signat in occasum diei, & cuiusque rei significat tarditatem. Quomodò si dicas: Serò mihi suggestum est, id est, tardè. Serò venit, id est, qui post præstitutum tempus aduenit; & licet manè sequenti die venerit, serò est tamen, vbi agendi tempus emensum est. Est & serò tempus noctis profundum: vt si dicas; serò ad lucubrandum surrexi, id est, non vespertino tempore, sed profundâ nocte surrexi. Vnde & mulieres ad monumentum accedendi habent facultatem, iam vtique custodibus quiescentibus; & ipsi custodes terrentur amplius, quod, vsu venit somno excitis. Postremò etiam Principes Sacerdotum congregati cum senioribus, nocte id factum esse confirmant, dicentes custodibus: *Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Ex tempore enim quod à custodibus compererunt, argumentum fraudis arripiunt. Nam & Ioannes manè, cùm adhuc tenebræ essent, Mariam Magdalenam ad se & ad Petrum venisse significat; & tamen ignaram factæ resurrectionis inducit. Nam vtique si aduesperascente die facta esset, statim potuit innotescere. Manè est & adhuc Petrus nescit, nescit Ioannes. Nunquid patiebatur Dominus diutiùs torqueri discipulos suæ resurrectionis incertos; ad quos statim Angelus Domini gestæ rei nuntias mulieres destinauit? Et vt scias nocte factum, aliæ mulieres nesciunt, aliæ sciunt. Sciunt quæ obseruabant noctibus & diebus; nesciunt quæ recesserant. Nescit vna Maria Magdalenæ, secundum Ioannem; scit altera Maria Magdalenæ, secundum Matthæum. Nam eadem & antè scire, & postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenæ: cùm illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes Domini tenere; tangere Dominum ista prohibetur. Illa Angelum videre meruit; hæc primò cùm venit, neminem vidit. Illa discipulis Dominum resurrexisse nuntiauit, ista raptum esse significat. Illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloriâ suâ iam Christus occurrit; hæc adhuc mortuum quærit. Illa Dominum vidit & credidit; hæc non potuit agnoscere cùm videret. Illa fideli adorabat spiritu; hæc dubio mœstificabatur affectu. Meritò nimirum prohibetur tangere Dominum. Non enim corporali tactu Christum, sed fide tangimus. *Nondum enim*, inquit, *ascendi ad Patrem*: hoc est, nondum tibi ascendi, quæ viuentem cum mortuis quæris: & ideo ad fortiores mittitur, quorum credere discat exemplo, vt illi resurrectionem prædicent. *Sed & mulieres quædam ex nostris, &c.* Sicut enim in principio mulier auctrix viro culpæ fuit, vir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior gustauerat, resurrectionem prior vidit,

Math. 28. v. 1.

Luc. 23. v. 56.

τὸ ὀψὲ, & serò vt accipiatur in Matth. vbi Latinus Vespere.

Matth. 28. v. 13.

Hanc vnâ Eusebius solutionem expeditam agnoscit, vt reuerà sit duplex illa Maria Magdalenæ.

Mulier quę prior peccauerat, prior videt resurrectionem.

culpæ ordine & remedio prior. Et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: quæ A culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors antè præcesserat, per os mulieris vita reparatur. Sed quia constantia ad prædicandum inferior, sexus ad exequendum infirmior: viris euangelizandi mandatur officium. Nam sicut mulierum per Iesum non solùm culpa soluitur, sed etiam multiplicatur gratia, vt pluribus suadeat quæ vnum antè deceperat: ita & vir, qui temerè antè crediderat, fœneratum munus recuperare debuit, vt qui ipse sibi fuerat ad credendum lubricus, fieret aliis ad prædicandum idoneus. Sed aduertamus ipsa verba mandati: *Vade ad fratres* B *meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & ad Deum meum, & Deum vestrum.*

Ioan. 20. v. 17.

EIVSDEM DE DIE *sancto Paschæ.*

SERMO.

Est serm. 52. Inter Hom. S. Maximi de eodem festo 2. inter Euseb. 4.

Psal. 117. v. 24.

NOn immeritò, fratres, hodierna die Psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum præcipit & lætandum. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatem Dauid sanctus in- C uitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus, per Neophytos Ecclesiæ innouatur terra, cœlum per Spiritum sanctum reseratur. Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cœlum reseratum suscipit ascendentes. Denique ascendit Latro in paradisum, Sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam ciuitatem: ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in resurrectione Christi ad altiora cuncta elementa se tollunt. Tartarus quos habet, reddit ad superos: terra quos sepelit, mittit ad cœlum: cœlum quos suscipit, repræsentat ad Dominum. Et vnâ eadémque operatione Saluatoris passio ele- D uat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi Dauid sanctus inuitat. Ait enim exultandum in hac die quam fecit Dominus, & lætandum.

Sed dicit aliquis: Si in die gratulandum est, iis vtique gratulandum est quos dies ipsa complectitur. Cœlum autem & tartarus extra huius mundi diem sunt constituta: Quomodò igitur possunt ea elementa ad festiuitatem huius diei vocari, cuius diei ambitu non tenentur? Sed hic E dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cœlum & terram tartarúmque complectitur. Lux enim Christus non parietibus obstruitur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Lux, inquam, Christi, dies est sine nocte, dies sine fine, vbique splendet, vbique radiat, vbique non deficit. Quia autem iste dies Christus sit, Apostolus dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Præcessit*, inquit, *nox*: non sequitur, vt intelligas superueniente Christi lumine, & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas caligines depelli, subrepentia delicta prohiberi. Nam quia hic dies

Dies festus resurrectionis omnibus communis.

Rom. 13. v. 12.

Christus cœlum, terram, tartarúmque collu- A stret, Scriptura testatur. Quia enim super terram fulgeat, dicit Ioannes: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quia in inferno luceat, ait Propheta: *Qui sedebant in regione vmbræ mortis, lux orta est illis.* Quia in cœlis iste permaneat, refert Dauid dicens: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli.* Quis autem est dies cœli nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: *Dies diei eructat verbum.* Ipse est enim dies Filius, cui Pater dies, diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse inquam est dies qui ait per Salomonem: *Ego feci vt oriretur in cœlo lumen indeficiens.* Sicut ergo diem cœli nox omninò B non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies cœli splendet, lucet & fulget, neque aliquâ potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliquâ potest delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangelista Ioannes: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Christus dies omnia collustrat.

Ioan. 1. v. 9.

Isa. 9. v. 2.

Psal. 88. v. 30.

Christus dies cœli.

Psal. 18. v. 3.

Eccl. 24. v. 6.

Ioan. 1. v. 5.

In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriantur. Nam & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem. Necesse est enim vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam C caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat, & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modò coruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Christi caliginum se nocte circundedit, & Iudæorum facinus mundo teste congemuit. Indicium enim quoddam doloris in sole est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltione quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse: vt quorum mentem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet: nec luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Pharisæis, vt tenebras in die iudicij pec- D catoribus repromissas iam apud superos patiantur. Apud superos ergo crucifixo immorantur tenebræ: Quid mirum si apud superos sunt tenebræ, cùm lux descendit ad inferos?

Sol solito lucidior in die resurrectionis.

Igitur, fratres, omnes in hac die sanctâ exultare debemus: nullus se à communi lætitiâ peccatorum conscientiâ subtrahat, nullus à publicis votis delictorum sarcinâ reuocetur. Quamuis enim peccator, in hac die de indulgentiâ non debet desperare: est enim prærogatiua non parua. Si enim Latro Paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si illi Dominus, cùm crucifigitur miseretur, multò magis huic miserebitur cùm resurgit. Et si passionis E humilitas tantùm præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantùm tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse (sicut ipsi scitis) læta victoria, quàm addicta captiuitas.

Exhortatio.

Luc. 23. v. 43.

EIVSDEM DE INNOVAtione fidelium.

SERMO.

MAgnum, fratres, & mirabile donum concessit nobis Deus hunc Paschæ salutarem diem: in quo resurgens Dominus resurrectionem præstitit vniuersis. & de imis ad altiora conscen-

Est serm. 55. Inter hom. S. Maximi de resurrectione. 4.

dens, nos quoque ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuanit. Sumus enim secundum Apostolum omnes Christiani corpus Christi & membra. Resurgente igitur Christo, omnia necessariò cum eo sua viscera surrexerunt. Dum enim ille ab inferis transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam. Pascha enim Hebraicè, transitus dicitur vel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, transire de peccatis ad iustitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam è senectute. Infantiam autem dixerim non ætatis, sed simplicitatis: habent etiam & merita ætates suas. In occiduis enim priùs constituti eramus senio peccatorum, resurgente Christo renouati sumus innocentiâ paruulorum. Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referire non audet: ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit & pallium, verberanti maxillam, præbet & alteram: nisi quòd in hoc melior est Christi infantia, quàm naturæ: illa enim peccare nescit, ista contemnit: illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudi magis ascribendum est non tam malefacere non posse, quàm nolle.

1. Cor. 12. v. 27. Christi resurrectio, est & nostra. Pascha, transitus. Infantia Christiana. Matth. 5. v. 44.

Ergo, sicut diximus, ætates quædam sunt meritorum: nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantum repetitur in senibus. Denique quòd in iunioribus senectus quædam sit honestatis, dicit Propheta: *Senectus enim venerabilis non diuturna, nec numero annorum computata: cani sunt enim sensus hominis.* Ad Apostolos autem iam seniores, & maiores natu dicit Dominus: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non introibitis in regnum cælorum.* Renocat igitur eos ad originis suæ fontem, & retrorsum ad infantiam redire compellit: scilicet, vt qui corpore fragili senuerant, innocentiæ moribus renascantur, sicut ait Saluator: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Dicitur ergo Apostolis: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste*: non dicit, sicut pueri isti, sed, *sicut puer iste*: vnum elegit, vnum proponit. Videamus igitur quis ille tantus sit, qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudine cæterorum, præcipuè qui per Apostolos vniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum. Non, inquam, hunc de publico esse arbitror, sed de cælo. Ipse est enim de cælo puer, de quo dicit Esaias propheta, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* Ipse planè puer est, *qui* sicut innocens, *cùm malediceretur, non remaledixit, cùm percuteretur, non repercussit*: quin potiùs in ipsâ passione pro suis orauit inimicis, dicens: *Pater, dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt.* Ita simplicitatem quam infantibus natura tribuit, Dominus misericordiæ bonitate cumulahat. Iste ergo puer est, qui imitandus paruulus proponitur, & sequendus. Nam ipse dicit: *Tolle crucem tuam, & sequere me.*

Sap. 4. v. 8. Senectus probata. Matth. 18. v. 3. Ioan. 3. v. 5. Matth. 18. v. 3. Puer singulariter Apostolis propositus, ipse nimirum Iesus. Isa. 9. v. 6. 1. Pet. 2. v. 23. Luc. 23. v. 34. Matth. 16. v. 24.

EIVSDEM ITEM DE *innouatione fidelium.*

SERMO.

Retinet sanctitas vestra, fratres, me hoc nuperrimè prædicasse, quòd homo in iuniorem ætatem per iustitiam reformetur: & quamuis fessus senio, rursus in puerum innocentiæ moribus renascatur, ita vt interueniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes. Innouatio enim quædam est, desinere quod eras, assumere quod antè non fueras. Innouatio, inquam, est, vnde & Neophyti nuncupantur: quòd nouitate quadam maculas vetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint, dicente Apostolo: *Deponentes veterem hominem cum actibus eius, induite nouum, qui secundum Deum creatus est.* Vnde & Dauid sanctus ait: *Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua*: Intelligens per gratiam baptismi occidua vitæ nostræ posse reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse, id quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum.

Est serm. 57. inter hom. S. Maximi de resurr. 5. Neophyti à nouitate vitæ appellati. Col. 3. v. 9. Psal. 102. v. 5.

Vt autem intelligas quia de gratiâ baptismatis Propheta loquitur; innouationem ipsam aquilæ comparauit: quæ auis assiduâ commutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & vetustis iam fatiscentibus plumis, nouâ pennarum successione iuuenescere: ita vt depositis antiquitatis exuuiis, rediuiuâ indumentorum natiuitate se vestiat. Vnde intelligimus quòd senectutem aquilæ non sentiunt membra, sed plumæ. De nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis, vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rursum meditari rudem volatum, & alarum olim exercitata remigia, tanquam nouella volucris intra nidum pigra compescere. Quamuis illi sit volandi notitia de consuetudine, deest tamen illi de pennarum raritate fiducia. De baptismatis igitur gratiâ hoc spiritus Psalmographus prophetauit. Nam vtique Neophyti nostri nuper baptizati, tãquam aquilæ depositis vetustatis exuuiis, noua sanctitatis indumenta sumpserunt: & fatiscentibus antiquis maculis, sicut plumis leuibus rediuiuâ gratiâ immortalitatis ornantur: ita vt in his senectutis occidua peccata senuerint, vita non senuerit. Tanquam aquila in pullum, sic illi in infantiam reuocati. Est eis sæculi de conuersatione notitia, sed adest illis iustitiæ de reparatione securitas.

Innouatio baptismi, qualis aquilæ.

Quid igitur sanctus Dauid dicat, adhuc diligentiùs videamus. Non enim ait: Renouabitur sicut aquilarum, sed *sicut aquilæ iuuentus tua.* Vnius ergo aquilæ renouandam in nobis asserit iuuentutem: quam vnam & solam aquilam rectè Christum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata est, tunc cùm à mortuis resurrexit. Depositis enim corruptelæ corporalis exuuiis, rediuiuâ carnis assumptione refloruit, sicut ipse ait per Prophetam: *Et refloruit caro mea, & ex voluntate meâ confitebor illi. Refloruit*, inquit, *caro mea.* Videte quo verbo vsus est. non ait, floruit, sed *refloruit.* Non enim reflorescit, nisi quod antè floruerit. Floruit autem caro Domini, cùm primùm de Mariæ virginis illibatâ vuluâ processit. Sicut ait Esaias, dicens: *Exibit*

Singularis aquilæ Christi in morem fiat renouatio ista. Psal. 27. v. 7. Reflorescés caro Christi. Isa. 11. v. 1.

virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Refloruit autem, cùm succisso per Iudæos corporis flore, rediuiuâ de sepulchro resurrectionis gloriâ germinauit, & in floris modum odorem pariter & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit: odorem, bonorum operum suauitatem, circumferens; nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis ostendens.

INCERTI NOMINE HIERONYMI Presbyteri, Euangelij eiusdem expositio.

Marc 16. v. 1. ET *cùm transisset sabbatum, &c.* Nunc aromatibus redolentibus cum sponsâ, & adolescentibus quæ currunt post eam, conspergimus librum & cubiculum mentis nostræ. Nunc introducit nos rex in cellaria sua. Nunc surgit
Cant. 2. & 2. amica Maria: *hyems abijt, pluuia recessit, flores visi sunt in terra: Vox turturis audita est in terrâ nostrâ, vinea florentes dederunt odorem.* Redit sponsus de vmbrâ sub quâ dormit in meridie. Post sabbata tristia felix irradiat dies: quæ primatum in diebus tenet, luce primâ in eo lucescente, & Domino meo cum triumpho resurgente, & dicente: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ.* Psal. 117. v. 24.

V. 2. *Et valdè manè vnâ sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole. Valdè manè,* quod alius Euangelista *diluculo* dicit. Luc. 24. v. 1. Diluculum est inter tenebras noctis & diei claritatem, in quâ salus humano generi prouenit, felici vicinitate declaranda more Solis, qui proximâ luce consurgens roseam præmittit auroram, vt gratia præclari splendoris præparatis oculis possit intueri, quando tempus Dominicæ resurrectionis eluxit: vt tunc laudes Christi tota caneret secundum exemplum harum fœminarum Ecclesia, quando genus humanum exemplo suæ resurrectionis animauit, quando vitam præstitit & lumen credulitatis infudit. Sol verò post occasum corporis oritur. Hîc aquilæ ad corpus congregantur: V. 4. Matres & Apostoli vident reuolutum lapidem, qui est lex mortis, ac si diceret: *Vbi mors aculeus tuus,* & reliqua. 1. Cor. 15. v. 55. *Erat quippe magnus valdè.* Quia etiam infantes in vtero tangit gemitus omnium & omnibus grauis.

V. 5. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem*: non senem, non infantem, sed iocundum ætate, vt dicitur: *Lætare iuuenis in adolescentiâ tuâ;* Eccl. 11. v. 9. quæ non est hîc vera, dum cum senio est commixta. *Sedentem in dextris* virtutis, id est, regnantem in prosperis. Hic iuuenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. Coopertum stolâ candidâ; quæ vera lætitia est hoste depulso, regnóque adempto, rege pacis quæsito; inuento, & nunquam dimisso. *Et obstupuerunt*; id est, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. v. 9.

V. 6. *Qui dicit illis: Nolite expauescere. Deus Charitas est. Non est* ergo *timor in charitate.* 1. Ioan. 4. v. 16. & 18. Quid expauescerent, quæ inuenerunt quem quæsierunt? *Iesum quæritis Nazarenum.* Radix amara crucis euanuit: flos enim vitæ cum fructibus erupit: id est, qui iacuit in morte, surrexit in gloriâ. *Ecce locus.* Ostenditur mortalitas immortalibus ad gratiarum actionem dedita, vt intelligamus quid fuerimus, & sciamus quid futuri erimus.

V. 7. *Sed ite, dicite.* Mulieribus dicitur vt annuntient Apostolis, quia per mulierem mors annuntiata est, per mulieres vita resurgens. *Et Petro.* Qui se indignum iudicat discipulatu, dum ter negauit Magistrum. Peccata præterita non nocent, quando non placent.

Præcedit in Galilæam. Breuis sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, & salutis æternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersiones, & sanantur contriti corde. *Ibi eum videbitis*, non sicut vidistis. *At illæ exeuntes fugerunt.* Dicitur de futurâ vitâ: *Et fugiet dolor ac gemitus.* Isai. 35. v. 10.

S. GREGORII EPISCOPI Nazianzeni in Pascha, & in tarditatem.

IACOBO BILLIO Interprete.

Cùm nimirum subterfugiens Episcopale munus, tardè tandem in die Paschæ Nazianzum venisset. Festi occasione ad reconciliationẽ prouocat.

RESurrectionis dies, lætumque principium: proinde ob festum diem ex splendescamus, ac nos mutuò complectamur. Dicamus Fratres, his etiam qui nos oderunt, nedum his, qui propter charitatem & beneuolentiam aliquid fecerunt, vel passi sunt. Resurrectioni omnia condonemus: veniam alij aliis demus, tum ego qui laudabilem vim perpessus sum (hoc enim nunc adijcio) tum vos, qui laudabilem ipsi vim attulistis, si quid est, quòd mihi tarditatis causâ succenseatis. Quanquam hæc fortasse apud Deum melior est atque præstantior, quàm nonnullorum aliorum celeritas. Bonum enim est, & Deo se parumper subducere, vt Moses ille olim, ac postea Hieremias, & rursus ad vocantem promptè atque impigrè accurrere, quemadmodum Aaron & Esaias; modò vtrumque pio animo fiat, alterum ob propriam infirmitatem, alterum ob vocantis potentiam.

Bona tum fuga humilis, tum denota alacritas. Exod. 6. v. 10. Ier. 1. v. 6. Isai. 6. v. 8.

Mysterium vnxit me: mysterio paulisper cessi, atque in hoc duntaxat, vt meipsum inspicerem & explorarem: cum mysterio etiam simul introeo, præclarum timiditatis imbecillitatísque meæ adiutorem diem hunc mihi asciscens, vt qui hodierno die à mortuis surrexit, idẽ me quoque spiritu innouet, nouóque homine induat, nouæque creaturæ, hoc est, iis qui secundum Deum nascuntur, fictorem bonum & magistrum donet, cum Christo alacri animo & morientem & resurgentem.

Mysterium dicit diem festũ, putà Natalis &c.

Hactenus quæ apologiæ sunt.

Paschæ mysteria.

Heri agnus mactabatur, & postes vngebantur, luxitque primogenita Ægyptus, ac nos exterminator præteriit (signaculum quippe terrori illi & venerationi fuit) pretiosóque sanguine protecti sumus. Hodie Ægyptum omninò fugimus, & Pharaonem amarulentum illum dominum, & acerbos præfectos; ac luto, & lateritio opere liberati sumus: nec quisquam est, qui nos Domino Deo nostro exitus festum celebrare prohibeat, & quidem celebrare, non in fermento veteri malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis, nihil Ægyptiaci atque impij fermenti nobiscum ferentes. 1. Cor. 5. v. 7.

Heri cum Christo in crucem agebar: hodie simul glorificor. Heri commoriebar: hodie simul viuificor. Heri consepeliebar: hodie simul resurgo. At verò, ei qui pro nobis passus est,

ac resurrexit offeramus: aurum fortasse me dicere putatis, aut argentum, aut texturas, aut pellucidos & ingentis pretij, lapides, fluxam fragilémque terræ materiam, humique manentem, cuiusque semper maiorem partem improbi possident, & serui rerum terrenarum ac mundi principis. Immò verò nosmetipsos offeramus, opes Deo charissimas, maximéque congruentes. Imagini imaginis decus reddamus, dignitatem nostram intelligamus, exemplar nostrum honoremus, mysterij vim intelligamus, & pro quo Christus morte functus est.

Nostri ipsorũ oblatio.

Simus vt Christus, quoniam Christus quoque sicut nos: efficiamur dij propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. Assumpsit quod deterius erat, vt det, quod præstantius est: pauper factus est, vt nos illius paupertate ditemur: serui formam accepit, vt nos in libertatem asseramur. Descendit, vt euehamur: tentatus est, vt vincamus: contemptus est, vt nos gloriâ afficiat: mortuus est, vt salutem nobis afferat: ascendit, vt eos qui in peccati lapsu iacebant, ad seipsum trahat. Omnia quispiam donet; ei, qui seipsum pretium redemptionis pro nobis, ac culpæ nostræ succidaneum dedit, omnia offerat; nihil enimuerò daturus est tantum, quantum si seipsum obtulerit, huius mysterij rationem probè intelligentem, ac propter illum omnia factus fuerit, quæcunque ipse propter nos factus est.

2. Cor. 8. v. 9. Phil 2. v. 6

Congrua maximè festo, oblatio, ac maxima.

Ac vobis quidem, vt cernitis, pastor hic bonus, qui animã suam pro nobis ponit pastorem offert, (hoc enim sperat, & in votis habet, & à vobis qui subestis, postulat) duplicémque pro simplici dat vobis seipsum, senectutísque subsidium spiritus subsidium facit. Atque inanimi templo animatũ adiungit: huic, inquam, peregregio & cœlesti, alterum, qualecunque illud tandem & quantulumcunque, cæterùm ipsi charissimum, multísque etiam sudoribus laboribusque confectum, & absolutum; atque vtinam laboribus dignum, addere liceat. Suáque omnia vobis proponit (ô miram animi magnitudinem, vel, vt veriùs loquar, paternum amorem!) caniciem, iuuentutem, templum, Pontificem, testatorem, hæredem, sermones, quorum desiderio flagrabatis; ac sermones quidem non temerè & in aërem fluentes, nec vltra audientium aures sese porrigentes, sed quos Spiritus describit, tabulísque lapideis siue carneis imprimit, non leuiter ac superficie tenus insculptos, & qui facilè deleri queant, sed altissimè consignatos, non atramento, sed spiritu. Atque hæc vobis offert augustus hic Abraham, Patriarcha ille, illud charum & venerandum caput, illud virtutum omnium domicilium, probitatis norma, sacerdotij perfectio: qui voluntarium hodierno die Domino sacrificium offert, vnigenitum nimirum suum, atque ex pollicitatione acceptum.

Gregorius pater Gregorium filium, Episcopalis Officij adiutorem delegerat.

Templum Nazianzenum à Gregorij patre extructum, cui se ille velut templum alterum confert.

Patris Gregorij laus.

Gen. 22. v. 2.

Vos autem, & Deo & nobis id muneris loco offerte, vt rectè pascamini: quod quidem futurum est si in loco pascuæ habitetis, & in aquâ refectionis educemini, rectéque pastorem cognoscatis, atque ab ipso cognoscamini; & pastoris in modum & liberè per ostium vocantem, sequamini, alieni autem vestigijs minimè insistatis, caulam, latronum & insidiatorum more, transcendentis. Nec exteram vocem audiatis callidè decipientem, atque à veritate in montes A & solitudines, & voragines, & loca quæ non visitat Dominus, dispergentem: à sanâ quidem fide abducentem (quæ est in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnam diuinitatem & potentiam, quam vocem semper audiui, quamque vtinam audiant oues meæ) adulterinis autem sermonibus & corruptis deprædantem, atque à vero & primo Pastore distrahentem: à quibus opto, vt nos omnes tam pastores quàm oues velut à noxiâ & pestilenti herbâ procul pascamur, atque pascamus, vnumque omnes simus in Christo Iesu, nunc & in alterius vitæ requie, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

Subditæ plebis ad Episcopum officia. Ioã. 10. v. 11.

B

EIVSDEM IN EODEM FESTO,

Oratio 2.

Eodem Interprete.

SVper *custodiam meam stabo*, inquit admirandus Habacub, atque ego hodierno die cum ipso, hoc est, super potestatem & speculationem Spiritus sancti beneficio mihi concessam: & contemplabor atque cognoscam, quid mihi spectandum proponetur, & quid dicetur. Et steti, ac speculatus sum: & ecce vir conscendens nubes, atque hic perquàm sublimis, & aspectus eius vt aspectus Angeli, C & amictus eius vt splendor fulguris pertransseuntis, & extulit manum suam versus Orientem, & clamauit voce magnâ. Vox porrò eius vt vox buccinæ, & in circuitu eius quasi multitudo cœlestis exercitus, & dixit: Hodie salus mundo, tam visibili, quàm inuisibili. Christus ex mortuis, simul surgite. Christus ad sese, redite. Christus ex sepulchro, à peccati vinculis soluimini. Portæ inferi aperiuntur, & mors profligatur, & vetus Adam deponitur, & nouus perficitur: si qua noua in Christo creatura, renouemini. Atque hæc quidem hic dicebat: illi autem idem cantabant, quòd antè, cùm Christus nobis per terrenam natiuitatem apparuit, D *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax, in hominibus bona voluntas.* Cum quibus ipse quoque inter vos hæc loquor: atque vtinam vocem angelicæ parem accipiam, omnésque orbis terræ fines circunsonantem. Pascha Domini, Pascha, iterumque Pascha dicam, in honorem Trinitatis. Hæc nobis festiuitatum festiuitas, & celebritatum celebritas, tantò cæteris omnibus non solùm humanis & humi defixis, sed iis etiam, quæ ipsius Christi sunt, ac propter ipsum celebrantur, superior, quantò sol stellas antecellit.

Habac. 2. v. 1.

Prosopopeia Angeli nuntij resurrectionis.

Luc. 2. v. 14.

Pascha festiuitas festiuitatum.

E Præclara quidem nobis quoque fuit hesterna facium ac luminum gestatio (quam priuatim iuxtà publicéque peregimus, omne genus hominum ferme, atque omnes magistratu & dignitate insignes, largo igne noctem collustrantes) magnúmque illud lumen referens, quod vel cœlum, vniuersum orbem siderum suorum pulchritudine illustrans, supernè nobis traucit, vel supercœleste est, tum in Angelis, quæ prima post primam lucida natura est (nam illinc splendorem trahunt) tum in ipsâ Trinitate, à quâ lumen omne productum est, ab indiuisibili lumine diuisum atque honoratum. At hodierna

Magni Paschæ sabbati vigiliæ in expectatione Dominicæ Resurrectionis. Vide Nicetam.

celebritas præclarior & excellentior. Nam hesternum lumen magni illius luminis exurgentis prænuntium erat, ac veluti profesta quædam animorum voluptas. Hodie autem ipsam Resurrectionem celebramus, non iam in spe positam, sed expletam, mundúmque totum sibi conciliantem.

Enimuerò alius aliud quiddam huic tempori donet, ac munus festiuum offerat, vel paruum vel magnum, modò spirituale, Deóque gratum, vnusquisque pro virium suarum ratione. Nam dignum munus offerre vix ipsi quoque Angeli possint, illi inquam primi & intelligentes, & puri, supernæque gloriæ spectatores, ac testes, si tamen his quoque omnibus numeris absoluta Dei laudatio concessa est: nos autem sermonem, quo nec pulchrius quicquam habemus nec præstantius, conferemus, præsertim Verbum laudantes, ob beneficium, quod ab eo ad naturam ratione vtentem profectum est. Hinc autem exordiar. Facere enim nequeo, quin de magno sacrificio, & die omnium dierum maximo sermones victimæ cuiusdam instar, offerens, ad Deum excurram, atque illinc exordium ducam. Ac vos, & mentem, & aures, & intellectum perpurgate, qui in huiusmodi rebus delicias positas habetis, quandoquidem de Deo ac diuina est hæc Oratio. Sic fiet, vt veris deliciis, non autem euanescentibus expleti discedatis. Erit autem oratio nostra, simul & absolutissima, & contractissima, vt nec ob defectum molesta sit, nec ob saturitatem tædium afferat.

Dies omnium maximus.

Deus & erat semper, & est, & erit, vel, vt rectiùs loquar, semper est. Nam Erat & Erit, huius nostri temporis, fluxæque & caducæ naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cùm in monte Mosi oraculum edit. Vniuersum enim esse in seipso complectitur, quod nec principium habuit, nec finem habiturum est, quasi pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis tum naturæ cogitationem superans, mente solâ adumbratum, & quidem perexiguè ac perobscurè, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum (aliâ nimirum atque aliâ imaginatione ad vnum aliquod veritatis simulachrum exprimendum collectâ) priusquam teneatur, effugiens, & priusquam intellectu percipiatur, seipsum fugâ proripiens, tantùm principem nostri partem, eámque purgatam collustrans, quemadmodum oculorum aciem perstringit fulguris celeritas haudquaquam permanentis: meo quidem iudicio, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim nullo modo percipi potest, id nec sperat quisquam, nec admititur) quatenus autem capi nequit, admirationem sui excitet, atque ex ipsâ admiratione vehementiùs desideretur, desideratus purget, purgans autem diuinos efficiat, cúmque id consecuti fuerimus, iam velut cum familiaribus colloquatur, (metuo ne hoc audaciùs à me dictum videri possit) Deus diis vnitus & innotescens, ac tantùm fortasse, quantùm iam eos, qui cognoscuntur, cognitos habens.

Hæc iisdem verbis Oratione in Christi Natalem.
Exod. 3. v. 4.
Qui est, Dei nomē.
Perexiguè à nobis cognoscitur ex iis quæ circa ipsum.

Immensus itaque est Deus, & ad contemplandum difficilis, idque solùm in eo planè comprehendi potest, quod immensus sit: quamlibet alt-

A quis existimet, eum, quia simplicis naturæ sit, rationem hanc habere, vt vel nullo omninò modo comprehendi possit, vel plenè perfectéque comprehendi queat. Quid enim sit ille, naturâ simplex, exquiramus. Neque enim simplicitas illi natura est, quandoquidem nec compositis sola compositio. Iam verò cùm immensitas bifariam consideretur, nempè & principij, & finis ratione, (nam quod supra hæc positum est, nec his continetur, immensum est) cùm in superius profundum mens aspexit, non habens vbi consistat, atque formis illis, quas de Deo concipit, innitatur, immensum hoc exitusque expers, anarchum, hoc est, principio carens, appellauit: B cùm autem ad inferiora hæc, & posteriora aspectum detorserit, immortale atque interitus expers: cùm autem vtrunque contraxerit, & collegerit, æternum. Æternitas enim nec tempus est, nec temporis pars vlla: nec enim in mensuram cadit: sed quod nobis tempus est, Solis motu definitum, hoc æternis æuum est, nimirum ille quasi temporalis quidam motus & interuallum, quod simul cum æternis extenditur. Atque hæc nobis in præsentiâ de Deo dicta sint. Neque enim plura disserere huius est temporis: quandoquidem nobis hoc loco non de Dei naturâ, sed de œconomiâ instituta oratio est.

Simplicitas non Dei natura.
Immensitas dupliciter, antè & post.
Æternitas quid.

C Deum porrò cùm dico, Patrem & Filium & Spiritum sanctum dico, nec vltra hæc fusâ diuinitate, ne deorum turbam inducamus, nec rursus intra hæc finitâ atque restrictâ, ne diuinitatis inopiâ premi iudicemur, vel propter vnius principatum in Iudaismum incidentes, vel propter effusam deorum multitudinem in Gentilismum incurrentes. Nam vtrobique malum æquale est, tametsi in contrariis reperiatur. Sic nimirum Sancta sanctorum, quæ etiam ab illis Seraphim obteguntur, ac tribus sanctificationibus in vnam dominationem & deitatem coëuntibus celebrantur: quemadmodum & alius quidam ante nos pulcherrimè & sublimissimè philosophatus est. D

Iudaismus & Gentilismus mala contraria, & æqualia.
Isai. 6. v. 3.
Budæus notari Dionysium existimat: melius fortè Basilium.

Quoniam autem bonitati minimè satis erat suâ ipsius solùm contemplatione moueri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) primùm Angelos, & cœlestes Spiritus cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur ac Spiritu perficiebatur, atque ita secundi splendores procreati sunt primi Splendoris administri (siue spiritus mente præditos, siue ignem tanquam materiæ & corporis expertem, siue aliam quandam naturam proximè ad eas, quas diximus, E accedentem eos existimare oportet) gestit quidem animus dicere ad malum immobiles, ac solam boni motionem habentes, vtpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes (hæc enim inferiora secundariæ collustrationis sunt) verùm vt non omninò immobiles, sed ægrè mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo effectus est, ac nominatur, & defectores Angeli ei subiecti, vitij per boni fugam architecti, eiusdemque nobis auctores. Sic igitur atque ob has causas mundus is, qui sub mentem cadit, ab eo creatus est, quantum quidem ipse de his rebus philosophari

Angelorum creatio.
Lucifer caligo factus propter superbiam.

queo, exiguâ oratione res magnas perpendens.

Mundi sensilis creatio.

A Postquam autem primas partes præclarè constitutas vidit, alterum mundum, materiâ constantem & aspectabilem cogitauit, hanc nimirum ex cœlo, & terrâ, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem & concretionem, laudabilem illam quidem ob singularum partium elegantiam, sed magis laudabilem ob eam, quæ ex vniuersis existit, concinnitatem atque concordiam, aliâ re videlicet ad aliud quiddam pulchrè quadrante, atque omnibus ad omnia scitè conuenientibus, ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum: vt perspicuum faceret, se non modò sibi ipsi cognatam & propinquam naturam, sed B etiam omninò alienam posse procreare. Diuinitati enim propinquæ sunt intelligentes naturæ, ac quæ mente solâ percipi queunt: alienæ autem penitus, quæcunque sub sensus cadunt, atque his adhuc remotiores, quæ vitâ omni & motu carent.

Enimuerò mens iam & sensus sic inter se discreta finibus suis se continebant, effectorisque Verbi maiestatem in seipsis ferebant, taciti laudatores insignis opificij & canori præconea.

Hominis creatio.

Nondum autem ex vtroque temperatura vlla erat, aut contrariorum mixtura, quæ sublimioris sapientiæ ac circa naturarum creationem va-C rietatis & excellentiæ specimen exhiberet: nec omnes bonitatis diuitiæ notæ atque spectatæ erant. Hoc igitur cum artifex Verbum ostendere voluisset, animal vnum ex vtroque, hoc est, ex inuisibili ac visibili naturâ hominem fabricatur, atque à materiâ quidem, iam antè productâ, accepto corpore, à se autem insito spiraculo, (quod quidem intelligentem animam, & Dei imaginem Scriptura vocat) velut alterum quendam mundum, in paruo magnum in terrâ collocat, Angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectilis mysten, eorum quidem quæ in terrâ sunt, regem, superis autem subditum, terrenum & D cœlestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem spiritum & carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob elationem: illud vt maneat, eumque, cuius beneficiis ornatus est, concelebret: hoc vt vexetur, ac vexatiotubus admoneatur, & de magnitudine sibi placens erudiatur ac coërceatur, animal hic variè gubernatum, atque aliò demigrans, &, quod mysterij extremum est, animi ad Deum nutu & subiectione diuinitatem consequens. Eò enim mihi veritatis splendor, quem hic exiguè haurimus, vt Dei claritatem, & videam, & sentiam, dignam eo qui & constrinxit, & dissoluet, E ac rursus excellentius sublimiúsque constringet.

Gen. 2. v. 2. Homo alter mundus, & in magno paruus, vt à Damasc. & aliis citatur hic locus, vt planè mendosus fateri necesse sit, qui extant, Gregorij codices, ac quibus homo dicitur magnus in paruo mundus.

Liberum hominis arbitrium.

Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus illius esset, qui elegisset, quàm eius qui semina præbuisset, in paradiso, (quicunque tandem erat paradisus ille) collocat, plantarum immortalium cultorem, hoc est, fortasse diuinarum cogitationum, tam simpliciorum, quàm perfectiorum; nudum per simplicitatem & vitam artificio carentem, atque omnis integumenti & munimenti expertem. Talem enim esse conueniebat eum, qui primùm esset creatus. Ac legem, quasi materiam, libero arbitrio porrigit.

Lex ei posita.

Lex autem illa præceptum erat, quo præscribebatur, tum quibus arboribus ei vtendum esset, tum à quâ manus abstinendæ. Ea autem erat scientiæ arbor, non illa quidem, aut malè à principio consita, aut per inuidiam interdicta (ne illuc linguas suas Dei hostes intiant, nec serpentem imitentur) sed bona quidem tempestiuè percepta (contemplationis enim, vt ipse contemplando assequor, hæc arbor erat, ad quam iis solis tutus est ascensus, qui animi habitu perfectiori sunt:) haudquaquam autem bona simplicioribus adhuc animis, atque appetitu auidioris præditis, quemadmodum nec perfectus ac solidus cibus iis conducit, qui tenerâ adhuc sunt ætate, lactéque opus habent. Postquam autem diaboli inuidiâ, & mulieris insultu, quem, & vt mollior passa est, &, vt ad persuadendum accommodatior, admouit, (ô infirmitatem meam! meam enim duco primi parentis infirmitatem) accepti mandati oblitus, ab acerbo illo gustu victus est, simul & à ligno vitæ, & à paradiso, & ab ipso Deo propter peccatum extruditur, & pelliceas tunicas induit, hoc est, fortasse crassiorem carnem, & mortalem, ac refractariam: primúmque turpitudinem suam infamiámque cognoscit, & à Deo se abscondit. Atque hic quoque tamen mortem, ac peccati præcisionem eluctatur, ne malum immortale sit. Ita pœna ipsa in misericordiam cessit. Sic enim Deum supplicia inferre existimo.

Arbor scientiæ bona tempestiuè percepta, tanquam materia.

Mulier persuaderi, ac persuadere facilior.

Mors, Dei inducta beneficio, ne malum immortale foret.

Multis autem prius modis, propter multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, secundum diuersas causas & tempora castigatus, sermone, lege, prophetis, beneficiis, comminationibus, plagis, aquis, incendiis, bellis, victoriis, cladibus, signis è cœlo, ex aëre, ex terrâ, ex mari, hominum, vrbium, gentium inspectatis mutationibus (quæ omnia eò tendebant, vt malitia proteretur) validiori tandem medicamento propter grauiores morbos indigere cœpit, nimirum ob mutuas cædes, adulteria, periuria, præposteram libidinem, &, quod omnium malorum extremum ac primum est, idolorum cultum, adorationisque à Creatore ad creaturas translationē.

Homo castigatus multis modis.

Quæ quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio: ille, inquam, ad imaginem suam se confert, carnémque carnis causâ gerit, & cum intelligenti animâ propter animam meam iungitur, vt simile similis operâ & adiumento repurget, atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo & carne à Spiritu purgata (nam & generationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat) progressus autem Deus cum assumptâ humanitate, vnum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum & spiritu, quorum alterum diuinitatem dedit, alterum accepit: ô nouam & inauditam mixturam! ô admirandam temperationem! Qui est, fit: qui increatus est, creatur: qui nullo loco contineri potest, interuentu animæ intellegentis, inter diuinitatem carnisque crassitiem interiectæ, continetur. Qui alios ditat, pauper efficitur: carnis enim meæ paupertatem subit,

Incarnationis Verbi causa.

B. Virgo animo & carneâ Spiritu purgata.

vt ego illius deitatis diuitias consequar. Qui pleous est, exinanitur: suâ enim gloriâ ad breue tempus exinanitur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circunstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, oec custodiui: ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat. Secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstaoous erat, nobis impertiit: at nunc eius, quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illo diuinius, hoc apud cordatos & prudentes viros multò sublimius.

Secundum Dei ad nos commerciū priore diuinius.

B Sed quorsum hæc? (dicturus est fortasse quispiam ex his, qui maiore erga festum studio ducuntur, feruidiorique animo præditi sunt) equum ad metam stimula, deque his, quæ huius festi sunt, & ob quæ hîc considemus, orationem ad nos habe. Ita verò faciam, etsi paulò altiùs exorsus sum, sic nimirum & ratione & amore perpelleotibus. Nec verò abs re, vt opinor, fuerit studiosis & hooesti cupidis hominibus de nomine ipso Paschæ quædam præfari. Id enim oon contemnendum additamentum auditoribus fuerit. Hoc Pascha, hoc, ioquam, magnum & venerandum, Phasca ab Hebræis iuxta eorum linguam nominatur: (quæ vox transitum sooat) historicâ quidem ratione propter Israëlitarum ex C Ægypto io Chananæam regiooem fugam & migrationem: sin autem spiritualem seorsum spectemus, propter nostram ex his inferioribus ad superiora, atque ad promissionis terram progressionem & ascensum. Quod verò in permultis Scripturæ locis accidisse comperimus, vt nomina quædam ab obscuriori sensu ad apertiorem, atque à duriori sono ad elegantiorem commodioremque immutata sint, idem hîc quoque contigisse animaduertimus. Quidam enim salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde per literæ φ in π, & κ in χ mutatiooem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem Pascha oominarunt. At- D que hæc vox postea consuetudine atque vsu confirmata est, multitudine videlicet hoc verbum, vt magis pium, calculo suo comprobante.

Pascha quid significet.

Enimuerò, legem vniuersam futurorum, atque eorum quæ animo & ratiooe intelliguntur, vmbram fuisse diuinus Apostolus ante nos pronunciauit. Ac Deus etiam, qui Mosi antè oracula edidit, cùm de his rebus leges illi præscriberet, *Vide*, inquit, *vt omnia facias iuxta exemplar, quod tibi in monte ostensum est*; ea nimirum quæ aspectu senountur, quasi adumbratiooem quandam, & delioeationem earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse E ostendens. Atque illud persuasum habeo nihil temerè, nec inconsideratè, oihil humiliter atque abiectè, nihil denique Deo legislatore ac ministro Mose parum dignum, indictum atque constitutum esse: tametsi difficile factu sit, vt suam cuique vmbræ ac figuræ allegoriam excogitemus, subtiliter ad ea omnia descendentes, quæ tum de arcâ ipsâ, & modo, & materiâ, & Leuitis ac mioistris eam gestantibus, tum etiam de sacrificiis & lustrationibus atque oblationibus lege sancita sunt: quæ quidem iis solis conspicua sunt, qui virtutibus Mosem referunt, vel ad eius eruditionem proximè accedunt.

Lex futurorum vmbra, & inuisibilium. Hebr. 10. v. 1. Exod. 25. v. 40.

Quædam allegoriæ paucis admodum conspicuæ.

A Nam in ipso quoque monte Deus hominibus imaginariè coospiciendum se præbet, partim de speculâ suâ ipse descendens, partim nos ex terreoâ depressione in altum euehens, vt à creatâ naturâ leuiter saltem, & quatenus tutum est, incomprehensibilis ille concipiatur. Neque enim aliter terreni corporis mentisque vinculis adstrictæ crassities Deum concipere potest, nisi diuinitùs adiuuetur. Tunc igitur non eodem statu atque ordine omnes dignos habitos fuisse constat, verùm hunc alio, illum alio, vnumquemque, vt opinor, pro purgationis suæ modo ac ratione. Quidam etiam prorsus arcebantur, ipsisque vocis duntaxat audiendæ potestas fiebat, oimirum iis, qui belluinis erant B moribus, diuinisque mysteriis indigni. Nos tameo mediâ quadam viâ ioter eos, qui crassiore omninò iogenio suot, & eos, qui nimio contemplatioois & anagogiæ studio ducuntur, incedentes, vt nec prorsus inertes ac torpidi maneamus, oec rursus curiosiores simus, quàm par sit, atque à proposito argumento excidamus & euagemur (alterum enim Iudaïcum quodammodò & abiectum, alterum ioeptum ac somniorum conieciore dignum est, parique vtrunque reprehensione dignum) ad hunc modum de his rebus, pro virium nostrarum facultate, oon nimis absurdè nec ridiculè dissemus.

Nisi diuinâ ope Deus cocipi non potest.

Mediocritas in allegorijs tenenda.

C Quandoquidem enim nos ab initio per peccatum lapsos, atque à voluptate vsque ad Idolorum cultum & oefarios cruores per fraudem pertractos, propter viscera misericordiæ Dei Patris oostri, tanti manus suæ opificij, hoc est hominis iacturam facere non sustinenos, reuocari, atque in veterem statum restitui oportebat, hanc io eo instaurando rationem initam esse existimamus, vt acriore atque asperiore medicinâ reiectâ (vt quæ oon modò fidem oon factura, sed, propter contractum temporis diuturnitate tumorem, fortasse etiam morbum exulceratura esset) leni ac benigno medicamen- D ti genere ipsius resipiscentia procuraretur (neque eoim plantam incuruam subitam inflexionem ferre, maoúsque erigentis violentiam: sic eoim potiùs fore, vt lædatur atque infringatur, quàm vt erigatur; nec equum præferocem, ac iam ætate aliquantò prouectiorem, fræni tyrannidem perferre, nisi blandâ quadam & adulabundâ manu permolceator.) Propterea nobis adiumeno loco lex datur, velut maceria quædam inter Deum atque idola interiecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem reuocans. Ac paulum quiddam primò indulget, vt maius accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, vt Deum io nobis inserat: ac postea, cùm commo- E dum fuerit, ipsa quoque sacrificia de medio tollat, mirâ sapientiâ per tacitas subtractiones animos nostros sensim immutans, atque ad Euangelium traducens, iam ad obediendum exercitatos & assuefactos. Sic igitur atque his de causis lex scripta introducta est, ad Christum oos colligeos; atque hæc sacrificiorum est ratio, vt quidem mea fert ratio.

Originale peccatum.

Simile.

Lex vetus maceria inter Deum & idola.

Atque vt sapientiæ Dei profunditatem, imperuestigabiliúmque ipsius iudiciorum diuitias intelligas, ne ea quidem mysterij prorsus expertia atque inutilia, & in nudo & simplici sanguine defixa reliquit. Verùm magna illa, &, quantum ad primam naturam, immactabilis,

Christus totius mūdi victima & expiatio.

vt ita loquar, victima, legalibus sacrificiis immixta est; illa, inquam, non exiguæ cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi nunquam intermoritura expiatio.

Christi figura agnus legalis.

Quocitca agnus quidem accipitur propter innocentiam veterisque nuditatis indumentum: Talis enim est victima illa pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, vt reuerâ est; appellatur.

Perfectus.

Perfectus autem, non modò propter diuinitatem, quâ nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idémque effectam, quòd id à quo vncta est, atque, vt audacter loquar, ὁμόθεον id est, diuinitatis sociam.

Masculus.

Masculus rursus, vt qui pro Adamo potissimùm offeratur, ac firmum illum quidem & robustum, sed tamen primum in peccatum lapsum, firmitate ac robore superet, nihilque omninò muliebre, nihil molle & effœminatum circunferat, verùm & virgineis & maternis vinculis pro potestate ac violenter eruperit: & masculus, vt faustè nuntiat Esaias, ex Prophetissâ natus sit.

Isai. 8. v. 3.

Anniculus.

Anniculus porrò, vt Sol iustitiæ, vel è cœlo progrediens, vel, quantum ad partem eam quæ oculis cernitur, circunscriptus ac definitus & ad seipsum rediens: atque item vt benignitatis corona benedicta, omnique ex parte similis & æqualis: ac præterea vt virtutum, quæ amicitiæ ordinisque lege leniter placidéque inter se coniunguntur ac commiscentur, orbem progignens.

Immaculatus.

Immaculatus insuper & incorruptus, vt qui næuos, ac vitia sordésque à peccato manantes curare habeat. Quamuis enim peccata nostra susceperit, & morbos portauerit, ipse tamen nihil eorum, quæ curationis indigent, perpessus est.

Isai. 53. v. 4.

Hebr. 4. v. 15.

Ioan. 1. v. 5.

Tentatus est enim per omnia pro similitudine nostrâ, cæterùm absque peccato. Ille enim, qui lucem in tenebris lucentem persecutus est, eam haudquaquam comprehendit.

Principiū mensium.

Quid præterea. Mensis quide primus, vel mensium potius principium inducitur, siue quispiam ab initio apud Hebræos id fuerit, siue ex eâ re postea factus sit, atque ab hoc mysterio hoc acceperit, vt princeps esset.

A decimâ, in quintum diem asseruatus agnus.

Decimâ autem mensis; quia hic numerus omnium absolutissimus, nimirum ex vnitatibus vnitas prima perfecta, & perfectionis parens. Asseruatur porrò in quintum diem, fortasse quia victima mea id habet vt sensus expurget, à quibus peccatum ortus, & circa quos bellum committitur, vtpote peccati aculeum admittentes.

Ex hœdis quoque delectus.

Deligitur autem non solùm ex agnis, sed etiam ex deteriori genere, ac sinistrâ hœdorum manu: quia non pro iustis duntaxat, sed etiam pro peccatoribus mactatur: ac fortasse ipsorum potius causâ, quandoquidem maiore misericordiâ opus habent.

Per domos singulas; sin, per domos familiarem comestus.

Illud verò mirandum non est, quòd maximè quidem per singulas domos ouis requiritur, sin minus, at certe per domos familiarum ob paupertatem erogatus: quandoquidem optimum est, potissimùm quidem sibi vnumquemque ad perfectionem sufficere, séque hostiam sanctam viuámque vocanti Deo offerre, atque eiusmodi, quæ semper, & per omnia consecretur: sin id non datur, eorum saltem operâ atque adiumento ad eam rem vti, qui virtute nobis consanguinei sunt, moribúsque persimiles. Hoc enim mihi significare videtur, quòd sacrificij participes fieri propinquos Deus præcipit, si ita opus fuerit.

Nox sacra.

Hinc sacra nox, & præsentis vitæ, hoc est, suffusæ huius noctis inimica, in quâ primigenæ tenebræ depelluntur, atque omnia in lucem & ordinem formámque prodeunt, ac confusio ea, quæ priùs vigebat, ornatum accipit.

Ægyptus, Pharaóque.

Hinc Ægyptum fugimus, hoc est, triste nosque persequens peccatum; ac Pharaonem inuisibilem tyrannum, & sæuos operum præfectos, ad supernum mundum migrantes: atque à luto ac conficiendorum laterum labore liberamur, hoc est, ab incertâ & lubricâ ac periculosâ carnis huiusce constitutione, atque in plerisque ita imbecilli, vt ne palearibus quidem cogitationibus rationibúsque contineatur.

Agnus mactatus, ac sanguine illius postes.

Hinc agnus mactatur, atque actio & ratio, seu habitus & operatio pretioso sanguine signantur: nam hi ostiorum nostrorum postes sunt, hoc est mentis agitationum & dogmatum, quæ ex contemplatione rectè aperiuntur atque clauduntur: quandoquidem comprehensionum quoque modus quidam est.

Ægypti plaga nouissima.

Hinc postrema, & persecutoribus grauissima plaga, noctéque prufectò digna: ac cogitationum suarum actionúmque primogenita luget Ægyptus, (quod & semen Chaldaicum sublatum atque oppressum Scriptura vocat, & puerulos Babylonios ad petram allisos & solutos) atque clamore apud Ægyptios omnia personant: ac tum à nobis illorum exterminator secedet, vnctionis metu ac reuerentiâ.

Isai. 47. v. 1.

Psal. 136. v. 8.

Submotum diebus septem fermentum.

Hinc fermentum septem dierum spatio submouetur (hic enim numerus omnium maximè mysticus, atque huic mundo consociatus:) hoc est, vetus & acida prauitas (non enim illud, quod panem efficit, & vitale est:) vt ne quod Ægyptiacæ conspersionis viaticum, nec vllas Pharisaïcæ & impiæ doctrinæ reliquias nobis paremus.

Agnus ad vesperam comestus.

Atque illi quidem lugeant, nos autem agnum comedamus, ad vesperam quidem, quoniam in sæculorum fine Christi passio contigit, quandoquidem vespere quoque, peccati videlicet caliginem discutiens, discipulis sacramentum impertiit.

Nō elixus, sed igni assus.

Non elixum autem, sed tostum, vt ne quid speculationis expers atque aquosum nobis fidei doctrina habeat, nec eiusmodi vi facilè dissolui queat: sed tota densa ac solida sit, atque igne purgante explorata, & ab omni crassiore & superfluâ materiâ pura & libera; vtque bonis illis carbonibus, intellectum nostrum accendentibus & purgantibus ab eo adiuuemur, qui idcirco in terram venit, vt ad imptol as animi habitudines absumendas ignem mitteret, eiusque accensionem adurgeret.

Luc. 12. v. 49.

Carnes cū intestinis, caputque & pedes.

Quicquid porrò carneum atque esculentum habet doctrina, cum intestinis abditisque mentis partibus comedetur & absumetur, & ad spiritualem concoctionem digeretur, ad caput vsque ac pedes, hoc est, primas de diuinitate contemplationes, & postremas incarnationis meditationes.

Nihil efferendū extra, vel vsque ad manè seruandum.

Nec verò quicquam efferemus, nec vsque ad mane relinquemus: quandoquidem ne ad exteros quidem magna nostrorum mysteriorum pars efferenda est, nec vltra hanc noctem purgatio vlla superest, nec in iis qui verbi participes fiunt procrastinatio laudem habet. Quemadmodum enim præclarum ac Deo gratum est, vt ira per totum diei cursum non duret, sed ante solem occidat, siue id temporali modo, siue anagogico intelligas (nec enim nobis irascentibus iustitiæ Solem occumbere tutum est:) ita nec huiusmodi escam

Oſſa non confringenda, ſed igni comburenda.

pernoctate, nec in poſterum diem recondi expedit. Quidquid autem oſſeum, minimeque ad edendũ aptuũ eſt, hancque ratioñe habet, vt difficillimè conſiderari queat, id ne confringetur quidem, hoc eſt, malè diuidetur atque intelligetur (mitto enim dicere, quòd nec quantùm ad hiſtoricum ſenſum, os Ieſu confractum eſt, idque cùm mortem ipſius carnifices ob Sabbatum adurgerent) nec proijcietur ſe raptabitur, ne ſancta canibus dentur, ſceleratiſque Verbi diſcerptoribus, quemadmodum nec porcis, quod in Verbo ſplendidum & gemmeum eſt; verùm igne abſumetur, quo & holocauſta, à Spiritu omnia ſcrutante & ſciente attenuata atque ſeruata, non autem in aquis pereuntia, nec diſperſa: quemadmodum vituli illius ab Iſraële tumultuariè confecti caput à Moſe in duritiei illius probrum ſparſum eſt.

Ioan. 19. v. 33. *Matth. 7. v. 6.* *1. Cor. 2. v. 10.* *Exod 32. v. 20.*

Manducationis modus.

Ne modus quidem manducationis prætereundus eſt, cùm nec lex ipſa eum prætermiſerit, ſed contemplationem in verbis & literâ eò vſque elaborauerit. Victimam enim feſtinanter abſumemus, & azymos panes cum lactucis ſilueſtribus comedentes, & lumbis accincti, & calceamentis inſtructi, ac denique ſenum more baculum geſtantes. Feſtinanter quidem, ne in eam culpam incidamus, à quâ diuino interdicto Loth auocabatur, ne circunſpiciamus, ne ſtemus in omni circumiacente regione, in montem ſalutis cauſâ confugiamus; ne Sodomitico illo & inuſitato igne ſimul inuoluamur, nec propter noſtram in deterius conuerſionem, quæ ex cunctatione naſci ſolet, in ſalis ſtatuam concreſcamus. Cum lactucis autem agreſtibus, quoniam vita diuinæ legi conſentanea, ijs præſertim qui incipiunt, ardua & accliuis eſt, voluptatibúſque ſublimior. Nam etſi nouum iugum ſuaue eſt & onus leue, vt ex Scriptura audis: id tamen propter ſpem fit ac mercedem, huius vitæ moleſtiis & ærumnis longè vberiorem. Alioqui enim quis non legalibus præceptis Euangelium multò laborioſius atque ærumnoſius eſſe dixerit? Nam cùm Lex peccatorum dumtaxat fines prohibeat, nobis ipſæ etiam cauſæ, propemodum vt actiones, crimini vertuntur. *Non mœchaberis*, inquit Lex: at tu ne concupiſces quidem, ex curioſo atque anxio contuitu animi affectum incendens. *Non occides*, ait illa: at tu, ne ſi feriaris quidem, referies, quin potiùs percutienti teipſum expones. Quantò tandem hæc illis altiora ac difficiliora? *Non peierabis*, inquit illa: at tu, nec à principio vllo modo iurabis: quòd ſcilicet ex iuramento periurium naſcatur. Non iunges domum cum domo, ait illa, nec agrum cum agro, tyrannide pauperem opprimens: at tu, libenti animo iuſtis etiam rationibus quæſitas opes exenties, atque in pauperum ſubſidium ſpolisberis, vt leuiter crucem tollas, diuitiáſque ab aſpectu remotas aſſequaris.

Vi cum feſtinatione. *Gen. 19. v. 16.* Cum lactucis agreſtibus. *Matth. 11. v. 30.* Lex Euangelica ex ſe grauior veteri, propter ſpem verò leuior. *Exod. 20. v. 14.* *Matth. 5. v. 27.* *Iſai. 5. v. 8.* *Matth. 19. v. 29.*

Præcingendi lumbi zonâ caſtitatis.

Iam lumbi, brutis quidem animantibus remiſſi ac ſoluti ſint: neque enim illis ineſt ratio, quæ voluptatibus frænum iniiciat (quanquam hæ quoque motus naturalis libidiniſque modum norunt) tibi autem per zonam ac temperantiam reſtringatur pars illa, quæ libidine æſtuat, ac velut hinnitum edit (nam hoc verbo Scriptura, hunc affectum exagitans, vtitur) ita fiet, vt mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram, Paſcha purè comedas, ſolitarij illius Ioannis & præcurſoris, magnique veritatis præconis, præcinctionem imitans. Sed & aliam zonam noui, nimirum militarem & virilem, iuxta quam Euzoni Syriæ & Monozoni quidam nominantur, ac Deus ipſe Iobum alloquens. *Ne*, inquit, *verùm accinge vt vir lumbos tuos, & da reſponſum virile*: quibus etiam viribus beneficio diuino accinctum ſe eſſe Dauid gloriatur, ac Deum quoque ipſum potentiâ indutum atque accinctum inducit, nempe aduerſus impios: niſi tamen malit quiſpiam potentiæ exuberantiam ac velut reſtrictionem his verbis ſignificari; quo etiam ſenſu, lumine, ſicut veſtimento, amictus dicitur. Abſolutam enim potentiæ ipſius ac luminis vim quis ſuſtinebit? Quæro quid lumbis cum veritate commune ſit, & quæ Pauli mens fuerit, cùm diceret: *State igitur ſuccincti lumbos veſtros in veritate*? Num fortè quòd ſpeculatio concupiſcentiam coërceat, nec aliorſum ferri ſinat? Nec enim fieri poteſt, vt qui rei cuiuſpiam amore flagrat, parem ad alias voluptates vim habeat.

Ier. 5. v. 8. *Col. 3. v. 5.* *Matth. 3. v. 4.* Zona militaris. *4. Reg. 24. v. 2.* *Iob. 38. v. 3.* *Pſal. 17. v. 33.* *Pſal. 92. v. 1.* *Pſal. 103. v. 2.* Lumbi ſuccincti in veritate. *Eph. 6. v. 14.*

Iam qui terram ſanctam ac diuinis veſtigiis impreſſam contacturus eſt, calceamenta ſoluat, quemadmodum & Moſes ille in monte, vt nihil mortuum ferat, nec inter Deum atque homines intermedium. Conſimiliter etiam ſi quis diſcipulus ad prædicandum Euangelium mittitur, frugalitati ac ſimplicitati ſtudeat: quippe quem præter id quod nec æs, nec baculum, nec duplicem tunicam habeat, etiam nudis pedibus iter facere neceſſe eſt, vt pulchri pedes euangelizantium pacem atque omne bonum appareant. At verò qui Ægyptum ac res Ægypti fugit, calceos ſumat, vt tutus ſit cùm ab aliis rebus, tum à ſcorpiis & ſerpentibus, quos per multos nutrit Ægyptus. Sic fiet vt ab iis, qui calcaneum obſeruant, & quos calcare iuſſi ſumus, minimè vulneretur.

Soluenda calceamenta calcanti terram ſanctam. *Exod. 3. v. 5.* Concionator frugalitati ſtudeat. *Matth. 10. v. 9.* *Iſai. 52. v. 7.* *Rom. 10. v. 15.* Calceamẽta neceſſaria fugienti Ægyptum. *Gen. 3. v. 15.*

Iam de baculo atque eius ſignificatione ita ſentio. Nam cùm alter fulciendi vim habeat, alter paſtoris & doctoris proprius ſit, atque oues ratione præditas caſtiget, in viámque reducat, hîc lex fulcientem baculum tibi præſcribit, necubi animo titubes, dum ſanguinem Dei, & Paſſionem ac mortem audis, ac dum Dei patronus atque defenſor vis videri, impiè corruas. Quin potiùs, ſine pudore ac dubitatione corpus ede, ſanguinem bibe, ſi modò vitæ deſiderio teneris, nec ſermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos qui de Paſſione habentur, impingens. Innixus ſta, firmus & ſtabilis, atque ita comparatus, vt in nullo concutiaris ab aduerſariis, nec verborum lepore atque illecebris abripiaris. In faſtigio tuo ſta, in atriis Hieruſalem pedes ſtatue, in petrâ ſuffulci, vt tui ſecundum Deum greſſus non moueantur.

Exo. 10. v. 19. Baculus duplex, fulciens, ac paſtoris. Fulciens tenendus edenti Paſcha. Corpus & ſanguinis Chriſti.

Quid ais? Itáne fixum eſt atque decretum, vt Ægypto, hoc eſt fornace ferreâ, excedas, impiumque deorum multorum cultum illic vigentem relinquas, atque à Moſe, eiúſque legibus ac militari imperio ducaris? Conſilium quoddam tibi porrigam, nequaquam meum, immò admodum quoque meum, ſi rem ſpiritualiter expenderis. Vaſa aurea atque argentea ab Ægyptiis commodatò pete: cum his te itineri committe: ex alienis facultatibus viaticum tibi pars, immò ex tuis potius: ſeruitutis enim ac lateritij operis merces tibi debetur. Callidè tu quoque aliquid circa mercedis flagitationem comminiſcere: præclarè extorque. Eſto ſanè, grauibus hîc laboribus vexatus es, cum luto colluctans, id eſt,

Ægyptiorum aurea & argentea vaſa auferenda.

A Paſchate.

eum ærumnoso & sordido corpore, ac domos alienas & caducas extruens, quarum memoria (A) cum sonitu perit. Quid? Gratisne & absque mercede egredieris? Quid? An Ægyptiis atque aduersariis potestatibus ea relinques, quæ scelerate quæsita sceleratiùs consument? Nullum ius in ea habent, sacrilegio compilarunt, eripuerunt ei; qui dixit, *Meum est argentum, & meum est aurum, dabéque ei, cui voluero.* Heri illa possidebantur, sic enim permittebantur. Hodie ea tibi Dominus offert ac porrigit, honestè & ad salutem vsuro. Amicos nobis de mammonâ iniquitatis acquiramus, vt cùm defecerimus, in iudicij tempore recipiamur. Si Rachel quædam es, aut Lia, hoc est patriarchica & magna anima, patris quoque (B) tui idola, quæcunque inueneris, surripe; non vt serues, sed vt deleas: Si autem sapiens Israëlita, ad terram promissionis transfer: eóque nomine discrucietur persecutor, atque ex fraude sibi factâ intelligat, frustrà se tyrannide atque seruitute meliores oppressisse. Hoc si feceris, atque ita Ægypto excesseris, ignis, mihi crede, ac nubis columnæ tibi die ac nocte iter præmonstrabit, desertum mitigabitur, mare tibi scindetur, Pharao demergetur, panis pluet, petra scaturiet, Amalec opprimetur, non armis tantùm, sed & hostilibus iustorum manibus, precationem simul atque insuperabile crucis trophæum signantibus, fluminis cursus inhibebitur (C) sol sisterur, luna retinebitur, muri nullis etiam machinis admotis corruent, crabrones præcurrent, viam Israëli munientes, atque alienigenas arcentes, reliqua etiam omnia, quæ post hæc & simul cum his memoriæ prodita sunt (ne nimis longum sermonem producam) Dei beneficio tibi concedentur.

Agg. 2. v. 9.

Luc. 16 v. 9.

Rachel imitanda.

Gen. 31. v. 19.

Exod. 14. c. & seq.

Ac tale est festum quod hodierno die agitas: talique epulo, tum natalitio, tum funebri, quantum in te est, accipias, ob eum, qui tuâ causâ & natus, & passus est. Tale Paschatis mysterium celebras. Hæc lex velut primis lineis deformauit: hæc Christus absoluit: ille inquam legis abrogator, Spiritus perfector, qui vt ex eo quòd (D) passus est, ad patiendum nos instruit; ita ex eo quòd glorificatus est, hoc nobis affert, vt simul glorificemur. Enimuerò alienum non fuerit rem ac doctrinam inquirere à multis quidem neglectam, meo autem iudicio studiosè perquirendam. Eccui enim sanguis ille pro nobis exhaustus, & quam ob causam fusus est: ille, inquam magnus & nobilis Christi, tum Pontificis, tum sacrificii sanguis? Nos enim à diabolo detinebamur, vt pote qui venundati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus. Quòd si redemptionis pretium non cuiquam alij quàm detinenti persoluitur, quæro cui tandem obla- (E) tum est, & quam ob causam? Si illi nequissimo, ô grauem contumeliam, si non à Deo solùm, sed Deum quoque ipsum pro redemptionis pretio latro accipit, adeóque insigne & excellens tyrannidis suæ præmium, cuius causâ nobis quoque parci æquum erat: si autem Patri, primùm quo modo id factum est? nec enim ab ipso tenebamur. Deinde quæ ratio afferri potest, vt Vnigeniti sanguine Pater oblectetur, qui ne Isaac quidem à patre oblatum acceperit; sed ariete in rationalis victimæ locum substituto sacrificium permutarit. Perspicuum vtique est Patrem quidem pretium accepisse, non tamen quòd petierit, aut eo opus habuerit, verùm quia diuina

Sanguis Christi, cur, & cui effusus?

Gen. 22. v. 12.

dispensatio ita ferebat, & quia per humanitatem (A) à Deo assumptam homini sanctitatem afferri oportebat; atque vt tyranno per vim superato, nos liberaret, ad séque per interiectum Filium reduceret, hoc ad Patris honorem, cui in omnibus rebus cedere perspicitur, dispensantem. Ac de Christo hæc nobis dicta sint, multóque plura silentij honore prosequemur.

At verò serpens æneus aduersus morsus serpentum suspenditur, non tamen vt Christi pro nobis passi typus, verùm vt antitypus: atque eos qui ipsum intuentur, saluos facit, dum non vitâ frui, sed mortuus esse, ac subditas sibi potestates secum interimere creditur, oppressus nimirum & extinctus, sicut merebatur. Et quod tandem (B) illi congruens epitaphium canemus? *Vbi est, mors, stimulus tuus? vbi tua, inferne, victoria?* Crux te prostrauit, vitæ auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serues, in sublimi loco dedecoris & ignominiæ notis inustus.

Serpens æneus.

Num. 21. v. 8.

Ioan. 3. v. 14.

Non Christi figura, sed vnà crucifixi diaboli.

Osee. 13. v. 4.

1. Cor. 15. v. 55.

Iam verò Paschatis participes erimus, nunc quidem adhuc typicè, licet apertiùs quàm in lege veteri (Legale enim Pascha, nec enim docere verebor, figuræ figura erat obscurior) aliquantò pòst autem perfectiùs & puriùs, tùm videlicet cùm Verbum nouum illud nobiscum in regno Patris bibiturum est, patefaciens ac docens, (C) quæ nunc minus plenè declarauit. Nouum enim illud semper est, quod nunc intelligitur. Quænam autem illa sit potio atque perceptio, discere nostrum est, illius docere, discipulisque suis hanc doctrinam impertiri. Doctrina enim, eius quoque, qui alit, cibus est. Age verò, nos quoque legis participes efficiamur, cæterum Euangelicè non literaliter, perfectè non inchoatè, sempiternè non temporariè. Caput nobis constituamus, non humilem Hierusalem, sed supernam Metropolim: non eam, inquam, quæ nunc ab exercitibus proculcatur, sed quæ ab Angelis laude & prædicatione celebratur. Mactemus non vitulos nouellos, nec agnos cornua producentes & vngulas, quæ magnâ ex parte mortua sunt, ac (D) sensu carent: verùm Deo in superno altari cum cœlestibus choris sacrificium laudis immolemus. Penetremus primum velamen: ad secundum accedamus, in Sancta sanctorum prospiciamus. Atque vt maius aliquid dicam, omnibus horis atque agitationibus nosmetipsos Deo immolemus, omnia pro verbo excipiamus, passionibus passionem imitemur, sanguine sanguinem ornemus, crucem alacres conscendamus. Dulces sunt claui, tametsi valde acerbi. Præstat cum Christo & pro Christo pati; quàm cum aliis in deliciis versari.

Pascha legale, figura obscurior figuræ.

Doctrina, etiam cibus docentis.

Participes legis non literaliter, sed Euangelicè.

Psal. 68. v. 32.

Præstat pati cum Christo, quam deliciari cum aliis.

Si Simon Cyrenæus sis, crucem tolle, ac se- (E) quere. Si vt latro simul cruci affixus fueris, probo animo Deum agnosce: cúmque ille propter te tuúmque peccatum cum iniquis reputatus sit, tu propter illum iustus efficere. Adora tuâ causâ pendentem, pendens etiam ipse: lucri aliquid ex ipso quoque scelere collige: morte salutem eme; cum Iesu Paradisum ingredere; vt intelligas, quibus bonis excideras, pulchritudines, quæ illic sunt, contuere: murmuratorem cum suâ blasphemiâ foris mori sine. Si Ioseph Arimathæus sis, ab eo qui in crucem sustulit, corpus pete, tuum fiat mundi piaculum. Si Nicodemus sis, nocturnus ille Dei cultor, funebribus vnguentis, ipsum vnge. Si Maria quædam sis, si alter Maria,

Luc. 23. v. 40.

Matth. 28. v. 1.

si Salome, si Ioanna, diluculo lacrymas profunde. Fac prima sublatum lapidem, Angelos etiam fortasse, atque adeò Iesum ipsum videas. Nonnihil loquere, vocem ausculta. Si audieris, *Noli me tangere*, eminùs sta, Verbum venerare, non autem mœrore afficere. Nouit enim à quibus primùm conspiciendus sit. Resurrectionis encænium celebra, Euæ succurre primæ lapsæ, prima Christum salutans, ac discipulis indicans. Petrum vel Ioannem imitare, ad sepulchrum propera, simul ac certatim currens, atque honestâ æmulatione contendens. Quòd si celeritate anteuertaris, studio vince, non inflexo corpore in monumentum prospiciens, sed in ipsum ingrediens. Quod si Thomæ instar à cœtu discipulorum, quibus apparuit Christus, abfueris, posteaquam videris, ne rei fidem abroges: Quòd si id tibi fidem non facit, narrantibus saltem crede: si ne his quidem, at certè clauorum impressionibus fidem habe.

Ioan. 20. v. 17.

Si in infernum descendat, simul descende. Ea quoque mysteria cognosce, quæ Christus illic designauit: quod duplicis descensus consilium, quæ ratio fuerit: vtrum omnes sine vllâ exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt. Si in cœlos ascendat, simul ascende: atque vel comitantibus vel excipientibus Angelis te adiunge. Portis vt attollantur, ac sublimiores fiant, impera, quò Christum à passione sublimiorem capiant. His qui propter corpus & passionis signa, quæ in descensu non allata, secum ascendens tulit, mente dubiâ & ancipiti sunt, atque ideò percunctantur: *Quis est iste, Rex gloriæ*: Responde, *Dominus fortis & potens*, cùm in iis omnibus, quæ semper fecit, & facit, tum in præsenti bello ac trophæo, pro humani generis salute erecto: ac duplici interrogationi responsum duplex repende. Quòd si secundum dramaticam illam apud Esaiam personarum loquentium introductionem admirantes dixerint, *Quis est iste, qui de Edom*, ac terrenis *venit*; aut quomodò rubra sunt eius, qui sanguinis ac corporis expers est, vestimenta, non secus ac vinitoris, qui torcular plenum calcauerit? stolæ corporis passi pulchritudinem ex aduerso profer, quod per passionem exornatum, ac per diuinitatem, quâ nec amabilius quidquam, nec pulchrius, illustratum est.

Descensus Christi ad inferos.

Saluati solùm ij, qui metuerant dum viuerent.

Psal. 23. v. 8.

Isai. 63. v. 1.

Quid ad hæc syncophantæ dicunt, acerbi inquam isti diuinitatis expensores, rerum honestatum, & laudabilium reprehensores, circa lucem tenebrosi, circa sapientiam imperiti, pro quibus Christus frustrà mortuus est, ingratæ creaturæ, diaboli figmenta? Siccine beneficium crimini tribuis? Eóne paruus est quia propter te humilis, quia ad ouem errantem bonus ille Pastor venit animã suam pro ouibus ponens: venit, inquam, ad montes & colles, in quibus sacrificabas, & palantem inuenit, & inuentam iisdem humeris, quibus & crucis lignum, sustulit, acceptámque ad supernam vitam reduxit, eóque subuectam eodem numero atque ordine collocauit quo eas, quæ minimè aberrarunt. Quia lucernam, hoc est carnem suam accendit, & domum euerrit, mundum scilicet à peccato repurgans, & drachmam, regiam videlicet imaginem, fœdis affectibus obrutam conquisiuit, atque Angelos amicas sibi Virtutes ob repertam drachmam conuocat, lætitiæque participes facit, quas incarnationis quoque conscias fecerat. Quia lucernam præuiam lux illa clarissima sequitur, & vocem Verbum, & pronubum sponsus, Domino populum eximium comparantem, atque ad spiritum per aquam præpurgantem.

Aduersus hæreticos, ob humilia carnis detrahentes Christo.

Luc. 15. v. 4.

Ibid. v. 8.

Hæccine obiicis Deo? atque idcirco inferiorẽ esse censes, quia linteo præcingitur, ac Discipulorum pedes abluit; optimámque exaltationis viam ostendit, nimirum humilitatem; quia propter humi depressam animam se deiicit, vt peccati mole deorsum vergentem secum attollat? Quonam autem pacto illud quoque non reprehendis, quòd cum publicanis, & apud publicanos comedit, & publicanos in discipulos conuertit, vt ipse quoque aliquid lucretur? quid tandem? peccatorum salutem. Nisi quis fortè eo nomine medicum accuset, quòd ad corporis morbos se demittat, fœtorémque perferat, vt sanitatem ægrotis restituat; atque eum etiam, qui humanitate & commisericordiâ permotus, in foueam seipsum inclinat, vt prolapsum iumentum, quemadmodum lege sancitum est, seruet. Missus quidem est, verùm vt homo (nam duplex in eo natura erat) siquidem & fatigatus est, & fame ac siti laborauit, & vehementi angore correptus est, & lacrymas fudit, (vt lex naturæ fert.) Quòd si etiam vt Deus, quid propterea? missionem, Patris beneplacitum interpretare, ad quem sua quoque refert, tum vt principium temporis expers honoret, tum ne Deo aduersari videatur. Nam alioqui, vt traditus fuisse dicitur, ita seipsum tradidisse scribitur: atque vt à Patre ad vitam reuocatus, & susceptus fuisse, ita seipsum quoque à morte excitasse, rursúsque in cœlum ascendisse prædicatur. Illa beneplaciti: hæc potestatis. At tu ea quidem, quæ minuunt, atque extenuant, profers, quæ autem efferunt, præteris: atque id quidem expendis, quòd passus sit, quòd autem voluntariè, non adiungis.

Ioan. 13. v. 4.

Humilitas, via exaltationis.

Deut. 22. v. 4.

Ioan. 4. v. 6.

Luc. 4. v. 2. & 19. v. 41.

Hæreticorum mos in etiandâ Scripturâ.

Proh quàm grauia nunc quoque patitur Christus! Ab aliis vt Deus honoratur, & confunditur: ab aliis vt caro contemnitur, ac separatur. Vtris grauiùs irascetur? vel potiùs vtris plùs condonabit, iísne qui nefariè contrahunt, an qui scindunt? Nam & illos diuidere, & hos coniungere oportebat: illos, inquam, numero, hos deitate. Impingis ad carnem; & Iudæi quoque ad eam impegerunt. Num Samaritanum etiam vocabis? nam quod sequitur tacebo. Deitati fidem abrogas? hoc ne dæmones quidem ipsi fecerunt. Ita & iudicij peruersitate Iudæos, & dæmones incredulitate superas. Illi enim Filij appellationem æqualitatis vocem esse censuerunt: hi autem eum, à quo fugabantur, Deum agnouerunt: doloribus nimirum, quos sentiebant, fidem ipsis facientibus. At tu nec æqualitatem admittis, nec deitatem confiteris. Satius profectò tibi fuerat circumcisum esse, ac dæmonis intemperiis agitari, vt facetè & ridiculè aliquid dicam, quàm in præputio, & incolumi valetudine, prauè atque impiè sentire. Sed bellum hoc, quod cum illis gerimus; vel comprimatur, si serùs quidem, sed tamen aliquando meliorem mentem inducere velint, vel si id facere recusent, atque in sententiâ maneant, in tempus aliud differatur. Nec enim profectò quicquam extimescemus, pro Trinitate, & cum Trinitate dimicantes. Nunc autem nobis faciendum est, vt orationem in summam ita colligamus.

Ioan. 8. v. 48.

Ioan. 18. v. 33.

Luc. 4. v. 34.

Dimicanti pro Deo, nihil timendum.

Creati sumus, vt beneficio afficeremur: beneficium accepimus, postquam creati sumus. Pa-

radisus fidei nostræ cõmissus est, vt delicijs frueremur. A Mandatum accepimus, vt eo seruato gloriam assequeremur: non quòd Deus id, quod futurum erat, ignoraret, sed quòd arbitrij libertatem lege sanciret. Decepti sumus, quoniam felicitati nostræ inuisum est. Excidimus, quoniam mandatum infregimus. Ieiunauimus, quoniam non ieiunauimus, ligni nimirum scientiæ suauitate deliniti ac superati. Vetus enim hoc mandatum erat, generisque nostri originem tempore æquans, ac disciplina quædam animæ, deliciarúmque castigatio: quod non absre nobis indictum est, vt quod eo non seruato perdidimus, seruato recuperemus. Opus habuimus Deo, B qui carnem acciperet ac moreretur, vt viuamus. Commortui sumus, vt purgemur. Simul resurreximus, quoniam simul mortui sumus: simul glorificati sumus, quoniam simul resurreximus.

Sol obscuratus patienti Christo condolescit.

Quanquam autem permulta eo tempore miracula designata sunt, Deus nempe in cruce pendens, sol obscuratus ac rursus inflammatus (nam creaturas quoque Creatori condolescere oportebat) velum scissum, sanguis & aqua ex latere profluentia, alterum vt hominis, alterum vt humanâ conditione maioris, terra tremore concussa, petræ perruptæ, mortui ad fidem postremæ & communi resurrectioni asserendam resurgentes, C signa partim ad sepulchrum, partim post sepulchrum edita, quæ, quis est, qui pro dignitate laudare queat? Quanquam, inquam, plurima miracula tum extiterunt, nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est: in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes.

Crucis maximum miraculum, salus hominis.

At ô Pascha, magnum, inquam, & sacrosanctum Pascha, totiúsque mundi piaculum (te enim quasi vita præditum alloquor) ô Verbum Dei, & lux, & vita, & sapientia, & potentia (omnibus enim nominibus tuis oblector) O magnæ illius mentis soboles & progressio ac signaculum! D O Verbum intellectile, & homo aspectabilis, qui omnia potentiæ tuæ verbo deuincta portas, hanc quæso orationem non vt primitias, sed vt extremam fortasse oblationem nostram accipe, quam tibi duplici nomine offero, tũ vt pro acceptis beneficiis tibi gratias agam, tum vt te supplex rogem ne ad sacras & necessarias curas, in quibus omnis vita nostra versata est, quicquam afflictionis adiicias: ac corporis in nos tyrannidem (quæ quanta sit vides, Domine, quámque me curuet) vel sententiam tuam, siquidem à te purgemur, sistas atque comprimas. Quòd si qualem expetimus, vitæ finem nanciscamur, atque in cœlestia tabernacula recipiamur, E illic quoque tibi fortasse super altari tuo sancto grata sacrificia offeremus: ô Pater, & Verbum, & Spiritus sancte: quia tibi debetur omnis gloria, honor, & imperium, in sæcula sæculorum: Amen.

SANCTI GREGORI NYSSENI,

in sanctum Pascha, & de præfinito trium dierum tempore Dominicæ Resurrectionis.

ORATIO I.

Dies resurrectionis encomia.

SI qua Patriarcharum benedictio diuino Spiritu confirmata est, si quod in lege præmium vitam ex virtute instituentibus promissum, si A quid veritatis veterum historiarum ænigmata portenderunt, si quid boni, quod supra naturam sit, Prophetarum oracula prænuntiarunt, ea omnia hodierno munere continentur: Ac sicut, iuxta illud quod nostris oculis præiacet spectaculum, lumen vnum ex innumerabilibus facibus conflatum oculorum perstringit aciem; sic Christi omnis benedictio instar elati ignis per se fulgens, magnam hanc animis nostris lucem ex multis ac variis Scripturæ radiis contemperatã emittit. Licet enim ex singulis diuino Spiritu cõscriptis exemplis, celebritatis huius conuenientem rationem accipere. Quæris Abrahæ bene- B dictionem? Præsentia contemplare, & habebis id quod requiris. Cœli stellas non vides? Has, inquam, stellas, quæ nuper ex Spiritu nobis exortæ, statim cœlum Ecclesiam reddiderunt: quorum animi splendens gratia, micantibus stellarum radiis significatur. Sublimem illum Mosem admiraris, qui scientiæ cognitionisque præstantiâ res omnes à Deo conditas comprehendit? Ecce tibi primæ mundi creationis sabbatum, cui benedixit Deus. Ex illo sabbato præsens hoc sabbatum agnosce, quietis hunc diem, cui supra dies alios Deus benedixit. In hoc enim verè ab omnibus operibus suis Deus vnigenitus conquieuit. Mortis compendio carne sabbatizans, C inque id quod erat resurrectione reuertens, quicquid iacebat secum pariter exsuscitauit, vita factus & resurrectio, Oriensque & dies his, qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebant.

Gen. 15. v. 5. Stellæ cœli Ecclesiæ recèns baptizati.

Gen. 2. v. 2. Nouum sabbatum.

Simili benedictione Historia item referta est: Pater, dilecto illi Isaac non parcens; Vnigenitúsque oblatio & victima factus, ac eius loco agnus immolatus. Licet enim totum in hac historiâ pietatis mysterium intueri. Agnus è ligno cornibus hærens pendebat: vnigenitus autem holocausti ligna portabat. Cernis quomodò qui portat omnia verbo virtutis suæ, is & lignorum nostrorum fert vnus, & à ligno retinetur, qui vt Deus portet, & agnus portetur? Sic D enim Spiritus sanctus vtraque re magni mysterii figuram partitus est, tum dilecto filio, tum simul ostenso agno: vt in agno mortis sacramentum significaret, in vnigenito autem vitam morte non diremptam ostenderet. Si vis & Mosem ipsum considerare, manuum extensione vocem describentem, eóque corporis habitu Amalecitas in fugam vertentem, veritate figuram expressam, & Amalech cruci cedentem animaduertes.

Gen. 22. v. 2. Isaac Christi immolationis figura.

Exod. 17. v. 11.

Habes & Esaiam, qui hodiernam gratiam non parum tibi illustret. Ab ipso enim matrem innuptam, nullo patre satam carnem, doloris expers puerperium, sine labe partum veteri oraculo didicisti. Sic enim loquitur Propheta: *Ecce Vir-* E *go in vtero accipiet, & pariet Filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel*; quod est, Nobiscum Deus. Etenim sine dolore partum extitisse, primùm ipsa rei æquitas docebit. Nam cùm omnis voluptas dolorem coniunctum habeat; necesse est, vt in ijs quæ ita copulata sunt, cùm vnum abest, alterum etiam absit. Itaque cùm nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne pariendi quidem dolor est consecutus. Hoc autem Prophetæ verbis etiam comprobatur, quæ sic habent: *Antequam veniret dolor partus eius, effugit, & peperit masculum.* Aut, quemadmodum alius interpres ait. *Antequam dolores sentiret, peperit.* Ex hac, inquit, Virgine matre,

Isai. 7. v. 14. Mariæ partus doloris expers.

Isai. 66. v. 7.

Isai. 9. v. 6. *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij Angelus, &c.* A *Isai. 53. v. 7.* Hic puer, hic Filius, *Sicut ouis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se, obmutuit*, vel potiùs, vt ait Ieremias, *Ier. 11. v. 19.* hic est *Agnus ille innocens, qui portatur ad victimam.* Hic est ille panis, cui lignum iniiciunt, qui panis lignique sunt hostes. Imò verò illud è Prophetâ, quod vniuersis apertius & clarius est, & quo mysterium planissimè declaratur, accipiamus, *Ionæ figura clarissima.* *Iona. 2.* Ionæ nimirum exemplum, qui sine offensione in cetum ingressus, & sine molestiâ rursus egressus, cùm in eius visceribus tribus diebus, & totidem noctibus permansisset, Domini apud inferos commorationem olim indicauit. B

Hæc & horum similia oportet ex singulis Scripturæ locis indagare, atque seligere. Omnia enim *Matt. 22. v. 40.* illa ex præsentibus cernis, exque hodiernâ lætitiâ, *Rom. 13. v. 9.* vt quodam loco ait Euangelium, *tota Lex pendet, & Prophetæ.* Et, quemadmodum Paulus ait, *2. Tim. 3. v. 16.* omnis à Deo inspiratus sermo, lexque, in gratiâ hac, velut summâ continetur. Hæc enim & malorum est finis, & bonorum principium. Nam exempli causâ, regnauit mors ducto ab Adam *Rom. 5. v. 14.* exitialis potentiæ initio; quin & ad Mosem vsque nequam eius dominatus permansit, cùm eius mala vis nihil à lege repressa fuisset. Venit vitæ regnum, & solutum est mortis imperium. Obtigit alia generatio, alia vita, alius viuendi modus, C ipsius naturæ nostræ commutatio. Quænam generatio? *Ioan. 1. v. 13.* quæ non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex *Spiritalis nostra generatio.* Deo facta est. Quînam, inquies, hoc fieri potest? Audi, nam paucis explicabo. Fœtus hic per fidem concipitur, per baptismatis regenerationem in lucem editur. Nutricem habet Ecclesiam; huius doctrinam & instituta sugit tanquam vbera: illi, cœlestis panis est cibus; ætatis perfectio est sublimis viuendi ratio; nuptiæ, consuetudo sapientiæ: liberi, spes: domus, regnum: hæreditas & opulentia, deliciæ paradisi: finis loco mortis, vita illa sempiterna in beatitudine Sanctis subiectâ. D

Hoc in melius commutationis initium videns *Zach. 14. v. 7.* magnus Zacharias, ambigit quod illi nomen imponat: quomodo præsentem gratiam propriè appellet. Eterum alia quæ ad passionem pertinent, *Neque dies neque nox.* percurrens miracula, addit & istud: *Non dies, neque nox.* Quibus verbis ostendit, neque diem cùm sol non adsit, vocari posse; neque noctem, *Gen. 1. v. 5.* cùm absint tenebræ, quas Deus, vt Moses scribit, tenebras appellauit. Quamobrem, cùm vt tempus spectes, nox, vt autem lucem, dies illa esset, meritò ait Propheta, *Neque dies, neque nox.* Quòd si neque nox, neque dies, tempus hoc dici potest, alio nomine profectò præsens E gratia est appellanda. Vultis exponam vobis, *Psal. 117. v. 4.* quid ipse sentiam? *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, à diebus illis longè diuersa, qui mundi *Dies quam fecit Dominus, & noua dies.* creationis exordio sunt constituti, quos temporis cursus demetitur. Alterius hæc est creationis initium. In hac enim die cœlum nouum facit *Isai. 65. v. 17.* Deus, & terram nouam, vt ait Propheta. Ecquod cœlum? Firmamentum eius fidei quæ est in *Luc. 8. v. 15.* Christum. Et quam terram? Cor bonum, in- *Hebr. 6. v. 7.* quam, vt dixit Dominus; terram quæ bibit super se venientem imbrem, & spicam multiplicem parit. In hac creatione, sol quidem est vita munda; stellæ, virtutes; aër, præclara cõuersatio; mare, altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ A herbæ & germina, bona doctrina, diuináque documenta, quæ *populus pascuæ*, hoc est, Dei *Psal. 94. v. 7.* grex carpit atque depascitur; arbores facientes fructum, mandatorum obseruatio. In hac verus homo creatur, qui ad Dei imaginem ac similitudinem factus est. An non mundus tibi fit hoc principium, hæc dies, quam fecit Dominus? de quâ ait Zacharias Propheta, *Neque dies*; velut aliis diebus similis: *neque nox*; velut similis alijs noctibus. Sed quod in hac gratiâ præstantissimum est, nondum explicauimus. Hæc mortis dolores dissoluit. Hæc mortuorum primogenitum edidit. In hac ferreæ mortis portæ confractæ sunt. In hac ærei inferorum vectes, *Isai. 45. v. 2.* B comminuti. Nunc mortis carcer aperitur. *Isai. 61. v. 2.* Nunc captiuis libertas prædicatur. Nunc cæcis videndi facultas præbetur. Nunc Oriens *Luc. 1. v. 78.* ex alto inuisit eos, qui in tenebris & vmbrâ mortis considebant.

Vultis etiam de tridui præfinito tempore aliquid intelligere? Illud nosse sufficiat, tam exiguum temporis spatium fuisse satis, vt omnipotens sapientia cùm in cor terræ venisset, magnam illam Mentem in eo habitantem, stultam redderet. Sic enim illum nominat Propheta, *magnam Mentem illum, & Assyrium* appellans. *Isai. 10. v. 12.* Quoniam igitur domicilium quoddam *Princeps animi pars in corde.* mentis est cor (in eo enim principatus animi C esse creditur:) idcirco Dominus manet in corde terræ, vbi est Mentis illius cœleste domicilium, vt consilium eius stultum reddat, vt ait Propheta, *& apprehendat sapientem in astutiâ ipsius, & sapientes eius conatus in contrarium vertat.* *Isai. 29. v. 14.* *Iob. 5. v. 13.* Nam quia fieri non poterat, vt princeps tenebrarum meram lucis præsentiam attingeret, nisi partem aliquam carnis in eâ conspexisset; idcirco posteaquam diuinam carnem *Θεοφόρον σάρκα: vox post Nestorium inspectior.* vidit, & res admirandas quæ per ipsum à diuinitate efficiebantur, aspexit, sperauit, se, si morte carnem affecisset, omnem etiam virtutem, quæ in ipsâ erat, superaturum. Itaque dum inhians ad carnis escam aspirat, diuinitatis hamo transfi- D xus est, atque ita draco per hamum ductus est, vt ait Iob, qui per se, quod futurum erat, prænuntians: *Hamo*, inquit, *draconem duces.* *Iob. 40. v. 20.*

Audiamus autem ex Prophetâ, quænam erant illa, quæ cor istud terræ aduersus vniuersum inibat consilia, cùm aduersus Domini carnem fauces aperuit. *Diaboli in morte Christi consilium.* Quid in eum dicit Esaias, illius redarguens cogitata? *Tu dixisti in corde tuo, In cælum ascendam, super nubes ponam thronum meum, & ero similis Altissimo.* *Isai. 14. v. 13.* Hæc secum sceleratum cor cogitabat. Antè verò, quid magna illa Mens in malitiâ, quid improbus ille Assyrius secum ipse loqueretur, ex Esaiæ item verbis intelligamus. E *Fortitudine manus mea faciam, & sapientiâ intellectus mei terminos gentium auferam, & fortitudinem eorum deprædabor: & concutiam ciuitates habitatas: & orbem terræ totum apprehendam quasi nidum, & quasi oua derelicta tollam: & non est qui effugiat me, aut contradicat mihi.* *Isai. 10. v. 13.* Hac ille spe deceptus, eum qui propter humanitatem in terram aduenerat, in se suscipit. Verùm quænam illorum loco quæ sperauerat illi euenerint, Propheta calamitatem eius declarans, apertè significat. *Quomodò cecidit de cælo Lucifer? Quomodò contritus est ad terram? cui substrata est putredo, cui indumentum efficitur operimentum vermium.* *Isai. 14. v. 12.* Et cætera, quibus interitus eius describi-

tur, quæ cuilibet licet ex Prophetæ scriptis intelligere: mihi enim ad propositum redeundum est. A

Ob id igitur vera Sapientia in arroganti hoc corde terræ versatur, vt magnam illam ex eo Mētem deleat, & tenebræ illuminentur, absorbeaturque quod mortale est à vitâ, ac nouissimâ inimicâ morte destructâ, malum in nihilum cedat. Hæc tibi præscripto tridui spatio confecta sunt. Num tarda videtur hæc gratia? Num nimis longo interuallo tantum bonum partum est? Vis eximiam virtutem agnoscere, quâ tam exiguo temporis spatio hæc gesta sunt? Omnes mihi hominum ætates enumera, quæ iam inde ab ipso primo malorum ortu, vsque ad eius interitum extiterunt: quot singulis ætatibus homines, quàm multa cunctis ætatibus hominum millia fuerunt. B Iniri non poterit numerus multitudinis eorum, per quos malitia iure quasi hæreditario sic propagata est, vt malæ improbitatis diuitiæ in singulos dispertitæ, singulorum studio & operâ auctæ sint; atque ita fœcunda malitia ætatibus ordine succedentibus creuerit in infinitum, donec ad summum mali cumulum perueniens totam naturam humanam occupauit. Sic enim sine exceptione Propheta pronunciauit: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*; adeò vt nihil inueniretur, quod malitiæ non esset instrumentum.

1. Cor 4. v. 5.
2. Cor. 5. v. 4.
1. Cor. 15. v. 26.
Domini triduo mortis gesta.
Psal. 13. v. 3.

Tantum igitur malorum aceruum, ab ipsâ C mundi constitutione ad mortem vsque Domini cumulatum & auctum, qui tribus diebus dissoluit & euertit, paruumne tibi præstantis potentiæ, virtutisque suæ significationē dedit? Nonne vis eius, rerum omnium quæ monumentis historiarum admirandæ commemorantur, apparuit excellentissima? Quemadmodum enim Samsonis facinus eo magis admiramur, quòd non solùm leonem vicit, sed eum sine labore superauit, quòdque nudâ ac inermi manu tantam feram, tanquam ludens occidit & dilacerauit: Sic eâ te Domini virtus excelluit, quòd nullo negotio malitiam deleuit. Neque enim cœli cataractis apertis, abyssisque proprios transilientibus terminos & tumefactis, aquarum immensa vis ingruit, quæ terram obruens vniuersam, montesque D transcendens, & montium fastigia superans, orbem tanquam nauigium cum ipsis nautis atque vectoribus demerserit. Neque vt Sodomitarum temporibus contigit, ignis & flammarum imber, quod corruptum erat, purgans expiauit. Neque aliud quicquam accidit eiusmodi. Sed simplex quædam & incomprehensa profectio, sola vitæ ac lucis præsentia, iis qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebant, tenebras omnes dispulit, & mortem ipsam penitus deleuit.

Victoriæ facilitas.
Iudic. 14. v. 6.
Gen. 7. v. 11.
Gen. 19. v. 24.

Aliudne quicquam adiungam his, quæ dicta sunt? In serpente malum exortum est. Mulier draconis insidiis decepta est. Mulieris illece- E bris vir ipse cessit. Tribus hisce gradibus malum emersit. Quorsum hæc spectat commemoratio? Licet ex hoc mali ordine quendam boni ordinem illi respondentem animaduertere. Hæc tria certo mali receptacula: primum, in quo primò constitit: alterum, in quod defluxit: tertium, in quo postea inhæsit. Quare cùm in his tribus redundarit, nempe in naturâ diabolicâ, & in genere mulierum, & in virorum plenitudine; consentaneum fuit, vt trium dierum spatio morbus expelleretur, singulis generibus malitiâ laborantibus tributa curationis die, vt vno quidem viri curentur, altero fœminarum sexus, extremo autem ho-

Malum triplici velut gradu concretum eodemque ordine deletum.

stis nouissimus, mors destrueretur, & qui mortis ministri sunt, principes & potestates Virtutum aduersariarum ac præsidentium, pariter profligarentur. Nec admireris boni prouentum fieri temporis interuallo. Nam & in primâ mundi creatione, etsi poterat diuina virtus momento cuncta perficere, attamen rerum fabricationi tempora distribuit: vt primo quidem die pars earum vna constitueretur, secundo autem altera, atque ita deinceps reliquæ, donec omnia perfecta sunt & absoluta; in dierum numero qui scriptus est, Deo cuncta perficiente: sic etiam hîc, eâ sapientiæ ratione quæ verbis explicari non potest, tribus diebus malū eiicitur & excluditur, à viris, à mulieribus, & à serpentium genere, in quibus primis natura mali ortum habuit. Hæc de trium dierum numeri causâ cogitauimus; rectè, necne, auditorum iudicium esto. Neque enim verba nostra certam demonstrationis rationem habere volumus, sed ita quærendo nos exercemus.

Quod si reipsâ præfinitum horum dierum numerum planè vis perspicere (neque enim illi parum deest, si post horam nonam Parasceues tempus consideres, quâ quidem horâ Dominus Patris manibus Spiritum commendauit) paulisper attēde, & fortasse quod quæris inuenies. Quonam inquies pacto? Diuinæ potentiæ magnitudinem C considera, & quod scire cupis intelliges. Recordare quid de se Dominus pronuntiauerit, ex cuius nutu rei totius momentum penderet. Quomodò voluntatis arbitrio, non autem naturæ necessitate animam à corpore disiungat. *Nemo enim, inquit, tollit animam meam à me, sed ego pono illam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi.* Qui enim Domini auctoritate cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudæorum quasi prędonum impetum, non Pilati potentiam expectat, vt eorum malitia sit cōmunis hominum salutis principium & causa: sed consilio suo anteuertit, & arcano sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimā immo- D lat, Sacerdos simul existens & Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando id præstitit? cùm corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit Agni sacrificium iam esse perfectū. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cùm corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcanâ & non adspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat; anima que illic erat, vbi eadem ipsa potestas illam deposuerat vnà cum diuinâ virtute quæ illi coniuncta erat, locum illum lu- E strans, qui in corde positus est. Itaque si quis inde tempus incipiat dimetiri, cùm sacrificium Deo oblatum est à magno ille Principe Sacerdotum, qui ratione quæ nec verbis explicari, nec oculis perspici potest, seipsum pro communi hominum salute tanquam agnum fecit, non recedat à veritate. Nam erat vespera, cùm sacrum illud ac sanctum corpus comederunt: quam quidem vesperam, nox quæ Parasceuem antecedit, excepit. Huic successit Parasceue dies, quæ nocte illâ propter Solis obscurationē interiectâ, diuisa, in dies duos, & noctem vnam computatur. Nam cùm Deus noctem tenebras appellarit, sintque tribus horis factæ tenebræ super vniuersam terram, hæc

Tridui hæc ratio subtilior videtur, quàm verior.
Ioan. 10. v. 18.
Ipse se Dominus immolauit in cœna, quà Corpus edendum & sanguinem bibendum suis apparuit.

noua

nona nox die medio facta accipienda est, quæ singulis illius ex vtraque parte sectionibus binos dies definiuit: vnum quidem ab ortu Solis vsque ad sextam horam, alterum autem ab horâ nonâ vsque ad vesperam. Atque ita duas iam noctes habemus, & totidem dies. Hinc sabbati nox est subsecuta, & sabbati dies. Ex quibus tres dies, & noctes itidem tres conficiuntur. Reliquum est vt resurrectionis horam inquiramus: quâ quidem inuenta veritas extabit.

Matth. 28. v. 1.

Nec doctrina hæc satis solida; & cùm aliis aduersatur, tum auctori 2. Orat. in diē hunc nomine Greg. Nysseni editæ: quam asserimus Hesichio ex fide Regij Codicis.

Quando igitur surrexit Dominus? Vespere sabbatorum tibi Matthæus clarâ voce denuntiat. Hæc est resurrectionis hora secundum Angeli vocem. Hic terminus fuit commorationis Domini in corde terræ. Vesperâ enim iam profundâ, quæ quidem vespera, eius noctis quam vna sabbatorū dies consequitur, principium erat, terræ motus factus est. Tunc Angelus fulgenti amictu lapidem monumenti reuoluit. Mulieres autem aliquantò manè surgentes, cùm diei iam lux submicaret, vt & Orientis Solis splendor appareret, rum visum pergunt resurrectionem, quæ iam facta erat: & miraculum quidem cognouerunt, horam autem quâ contigisset, non didicerunt. Angelus enim surrexisse quidem Dominum nuntiauit; quando autem surrexerit, non patefecit.

At magnus Matthæus solus ex omnibus Euangelistis tempus accuratè descripsit, dicens Resurrectionis horam fuisse Sabbati vesperam. Quæ cùm ita se habeant, constat nobis præfinitum tridui spatium à vesperâ post quintam vsque ad vesperam sabbati tempus resurrectionis ita demetientibus, vt interiecta nox, quemadmodum dictum est, cunnumeretur, quæ Parasceuem in dies duos, & vnam noctem partiatur. Decebat enim vt in eo qui in potestate sæculis dominatur, nouâ ratione spatia temporis ad rerum vtilitatem accommodarentur, non autem res necessariò statutis temporis terminis extenderetur, & diuinâ potentiâ celeriùs bona nobis ad exitum perducente, termini temporis ita contraherentur, vt non pauciores tamen quàm tres dies, & totidem noctes continerent (hunc enim numerum mystica & arcana ratio postulabat) nec solita dierum & noctium spatia celerem diuinæ virtutis actionem retardarent. Qui enim & ponendæ, & rursum sumendæ animæ, cùm vellet, habebat potestatem: poterat etiam tanquam sæculorum auctor, efficere, vt actionibus suis tempus inseruiret, non autem actiones tempori.

Sed rerum maximarum caput nondum attigimus. Illud enim à studiosis opportuit inuestigari, quomodò vno eodemque tempore Dominus se tribus his dederit, cordi terræ, paradiso cum Latrone, Patrisque manibus. Nam ad Pharisæos quidem dicit: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, sic erit & Filius hominis in corde terræ* triduani temporis spatio. Ad Latronem autem, *Hodie mecum eris in paradiso*. Ad Patrem verò: *In manus tuas commendo spiritum meum*. Nemo enim aut paradisum apud inferos esse dixerit, aut inferos in paradiso, vt eodem tempore vtrobique fuerit; aut his, Patris manus indicari. At hæc piè considerantibus ne quæstione quidem fortasse digna videantur. Qui enim diuinâ suâ potentiâ vbique est, is & rebus adest omnibus, & nullo excluditur loco. Verùm ego rationem aliam præterea memini me didicisse, quam vobis, si placet, breuiter explicabo.

Matth. 12. v. 40.

Luc. 23. v. 43.

Ibid. v. 46.

Quando Spiritus sanctus in Virginem venit, eique Altissimi virtus obumbrauit, vt nouus homo in ipsâ gigneretur; qui propterea vocatus est nouus, quòd à Deo præter humanam consuetudinem creatus est, vt Dei esset domicilium non manufactum: *neque enim in manufactis*, hoc est, hominum operâ constructis, *Altissimus habitat*: tunc *Sapientiâ sibi domum ædificante*, ac obumbratione virtutis tanquam sigilli formâ intus ædificio constituto; duabus illis partibus, ex quibus humana constat natura (animum & corpus intelligo) potentia diuina coniuncta est, sese vtrique conuenienti ratione commiscens. Oportebat enim, vt cùm vtraque pars propter peccatum mortua esset (siquidem animæ mors est à verâ vitâ seiunctio, corporis autem mors est ipsa corruptio & dissolutio) oportebat, inquam, vt Vitæ coniunctio ab vtraque parte mortem expelleret. Itaque diuinitate vtrique hominis parti copulatâ, in vtráque perspicua excellentis naturæ indicia patuerunt. Corpus enim attactu suo morbos curans, Diuinitatem præ se ferebat. Anima autem potenti illâ voluntate diuinam virtutem indicabat. Quemadmodum enim tangendi sensus est corporis próprius, sic animi proprius est voluntatis motus. Accedit leprosus corpore iam dissolutus atque confectus. Quomodò curatur à Domino? Animus vult, corpus [tangit. Vtroque modo expellitur morbus. Statim enim, vt scriptum est, discessit ab eo] lepra. Rursum cùm tot hominum millia, apud se considerent in solitudine, noluit eos ieiunos dimittere. Manibus igitur panes fregit. Vides, quomodò Diuinitas vtrique parti coniuncta per vtramque declaratur, cùm & corpus agat, & animus velit. Verùm non est necesse, vt res omnes admirandas eodem pacto perfectas recenseamus. Sunt enim omnibus notæ. Quamobrem ad id, cuius gratiâ hæc commemorauimus, reuertamur.

Act. 17. v. 24.

Pro. 9. v. 1.

Deitas vtrique parti humanitatis coniuncta.

Matth. 8. v. 3.

Matth. 15. v. 32.

Quomodò eodem tempore & apud inferos & in paradiso Dominus fuerit, quæritur? Cuius quidem quæstionis vna solutio est, vt dicamus, nihil auiū aut inaccessum esse Deo, in quo omnia consistunt. Altera solutio est illa, ad quam nunc oratio nostra spectabat. nempe Deum qui totum hominem per suam cum illo coniunctionem in naturam diuinam mutauerat, mortis tempore à neutrâ illius, quam semel assumpserat, parte recessisse. Nunquam enim illum suorum munerum pœnitet. Diuinitas ergo voluntate quidem animam à corpore disiunxit, sed in vtroque tamen se manere demonstrauit. Nam per corpus, in quo corruptionem ex morte prouenientem non admisit, euertit eum, qui habebat mortis imperium; per animum autem Latroni patefecit aditum in paradisum. Vtrumque autem eodem tēpore perfectum est, diuinitate per vtramque hominis partem hæc bona præstante, vt per corporis incorruptionem mortem ipsam dissolueret, per animi verò in suâ sede constitutionem hominibus aditum paradisi aperiret. Quoniam igitur duplex est hominis concretio, simplex autem atque vna Diuinitatis natura, cùm homo dirimitur atque distrahitur, Diuinitas ipsa, quæ indiuidua est, non separatur: sed contrà potiùs propter vnitatem naturæ diuinæ, quæ vtrique hominis parti ex æquo inest, quæ seiuncta separatáque erant, rursum coëunt & coniunguntur. Atque ita ex partium coniunctarum diuisione mors sequitur, ex diuisarum autem coniunctione resurrectio.

Vix isthæc sanè exponi queant; aut certè cautè intelligenda, ne mutationē accipias, qualem Acephali somniabant, & non personalem tantum, & quasi moralem.

Quòd si quæris quòmodò in paradiso cùm es-

Expositio violentior.

set, se Patris manibus commendarit, tibi sublimis Esaias quid res habeat respondebit.
A Dixit enim ille ex Dei personâ de cœlesti Hierusalem (quam non aliud esse eredimus, quàm paradisum)
Isai. 49. v. 16. *In manibus meis descripsi muros tuos.* Quare si Hierusalem, hoc est, Paradisus, in manibus Patris descripta est, constat eum qui in Paradiso sit, in Patris manibus, in quibus descriptionem habet diuina ciuitas, commorari. Ac de his quidem hactenus Verùm quia Iudæi vehementer institutum nostrum aceusant, non alienum erit, vt quę nobis illi obijciunt, breuiter refellamus.

Dicunt igitur in Paschate celebrando sic à Mose quartumdecimum lunæ cursus eiteuitum in lege præscriptum esse, vt septem diebus pane sine
B fermento, & lactucis agrestibus pro obsonio vescerentur. Quaproptet si quartumdecimum, inquiunt, diem obseruatis, simul etiam hos cibos comedite. Sin illos respuitis, cur in die obseruando studium ponitis? Neque enim dicendum est, quæ ab eodem Legislatore sunt constituta, partim esse tanquam iusta atque animis vtilia comprobanda, partim vt iniusta & inutilia repudianda. His argumentis concludunt, aut omnia quæ in Paschate celebrando iussa sunt, aut nihil obseruare nos oportere. Quid autem oos ad hæc? Meminerimus nobis esse mandatum, ne hominum
C probra timeamus, néve eorum cootumeliis succumbamus. Nouimus vtilem panis azymi obseruationem, nec lactuearum agrestium lucrum, aut diei quartædecimæ vsum ignoramus.

Legaliũ obseruationũ ratio.

Lex, vt paucis rationem hanc explicemus, futurorum bonorum vmbram continens, vnum illud propositum habet, vt variis mandatis homo ab inmixtâ naturæ suæ malitiâ purgetur. Hue spectat circuncisio, huc sabbati, huc ciborum, hue variæ animalium immolationis, huc denique omnium legis cerimoniarum & institutorum obseruatio. Longum aotem esset, ea quæ lex per ænigmata præscribit, munditiam animi significantia, sigillatim recensere. Quemadmodum igitur per circuncisionem, quæ spiritu peragitur, natura cupiditates abijcit, amputans carnalem vitam; per
D sabbatum antem instituimur, vt à peccatis cessantes abstineamus; animalium mactatio nos docet, vt perturbationes & vitia mactemus; ciborum immundorum interdictio nos monet, vt ab impurâ immundáque vitâ recedamus: sic & Paschalis eelebritas illam indicat celebritatem, ad quam animus per azyma præparatur, dum septem diebus à fermento iobet abstinere.

Azymorũ septem diebus religio.

Septem enim dierum numerus prætereuntem hunc temporis cursum significat, qui per hebdomadas circumuoluitur. Diligenter enim quotidie cauendum est, ne præsens dies vllas hesternæ malitiæ reliquias conseruet; ne qoid acerbitatis aut amaritu-
E dinis hodierno fermento veteris improbitatis mixtio pariat.

Eph. 4. v. 26.
1. Cor. 5. v. 8.

Sol non occidat super iracundiam vestram, inquit Apostolus, qui præcipit vt *epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis* Quod autem de vno geoere malitiæ diximus, id simili ratione de reliquis malitiæ generibus dictum existimemus.

Lactucæ agrestes, seu herbę amaræ.
Hebr. 12. v. 11.

Amaritudo enim è vitâ rorporem & ignauiam expellit, & illius loco fortem & duram atque asperam viuendi rationẽ introducit. Siquidem *omnis disciplina non videtur gaudij esse, sed mæroris.* Quare qui vitæ totius hebdomadem nullâ veteri malitiâ commixtam, sed ab ipsius fermẽto liberam transigit, temperantiam in victu tanquam obsonium adhibens, is ab omni tenebricosâ mixtione se ipsum auocat.

Lunæ quartædecimæ obseruatio.

Hoc enim quartædecimæ Lunæ cursus significat. Nam cùm totum ipsius cursum nouem & viginti dies cum dimidio conficiant, quo quidem spatio luna tum crescendo circulum perficit, tum decrescendo minuitur, vt omni prorsus luce deficiat; fit, vt horum dierum dimidium numeri quatuordecim dies & paulò amplius contineat. Cùm igitur proprio cursu progrediens nocturno spatio sic orbem suum luce compleuerit, vt diei splendori nitorem adiungat suum, sequitur, vt neque vesperi, nequè manè teoebras vllas sinat interponi, quibus continua lucis series interrumpatur, eùm in elementis perpetua luminis successio maneat. Priusquam enim Solis occidentis radij planè deficiant, è regione cernitur luna, quæ luce suâ mundum illustret. Et rursum antequam hinc cursu coofecto luna discedat, lucis eius reliquijs diei splendor adiungitur. Atqoe ita ex illâ nocte, quâ luna plena est, tenebræ penitus excluduntur, mutuâ Solis & Lunæ tũ vesperi, tũ manè successione.

Quòd igitur luci sensibus expositæ quartadecimâ die contingit, vt per totam noctem atque diem nullam tenebrarum mixtionem admittat, id spiritalis lex vult esse documentum, vt per totam vitæ hebdomadam præclarum vnum Pascha & à tenebris remotissimum celebrantes, omne temporis spatium in luce transigamus.

Hic si auctor Quartadecimanum palam ostendere videtur, nisi quartamdecimã lunam dixit, quæ proximè ab illâ incidit in Dominicã.

Hæc est celebrandi Paschatis apud Christianos institutio, atque obseruatio. Idcirco quartamdecimam hanc diem attendimus, vt ex hac luce quæ sensu percipitur, & in materiâ sita est, lucem à materiâ seiunctam, & quæ solâ mente comprehenditur, intelligamus; & dum videmus lunam plenam inquirere, quæ perpetuum ex se lumen totâ nocte præbeat, nihil aliud nobis eâ re legem præscribere existimemus, nisi vt omne tempus quod nox diesque dimetitur, virtutibus illustratum & splẽdidum, & nullis tenebrosis actionibus permixtum inquinatúmve traducamus. Ac de his quidẽ satis.

Crucis mysterium.

Quæ verò ad Crucem pertinent, per quam passionis mysterium perficitur, quis ea facilè dicendo queat explicare? Annon enim innumerabiles erãt moriendi rationes, quibus mortis pro nobis obeundæ consiliũ expleri poterat? Hanc tamẽ ex omnibus vnam is, qui mortis quam vellet optionem habebat, sibi delegit atque pręscripsit.

Luc. 9. v. 22. & 24. v. 7.

Oportet enim, inquit, *Filium hominis.* Non dixit, Hæc & hæc Filius hominis patietur, vt aliquis futura prænuntians simpliciter dixisset: sed necessarium arcanâ quadam ratione, ac debitum esse significat, dum, *Oportet*, inquit, *Filium hominis multa pati, & reprobari, & crucifigi, & tertiâ die resurgere.* Vim enim illius verbi, *oportet*, mihi considera, & inuenies id in eo contineri, vt significet fieri aliter non oportere, nisi vt per Crucem mors appetatur. Quæ huiusce rei causa? Pauli solius est eam exponere, per arcana illa verba, quæ in adytis Paradisi constitutus audiuit: Solius, inquam, Pauli est, hoc Crucis mysteriũ explanare, quemadmodum etiam ex parte aliquâ in Epistolâ ad Ephesios facit, dum arcanum hoc patefaciens:

2. Cor. 12. v. 4.
Eph. 3. v. 16.

Vt possitis, inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt adimpleamini in omnem plenitudinem Dei.* Neque enim frustra diuinus ille Apostoli oculus Crucis figuram excogitauit: sed eâ item

re perspicuè ostendit, se omnibus ignorantiæ squammis ab oculis mentis excussis, ipsam (*Act. 9. v. 18.*) rerum veritatem clarè perspexisse. Nouit enim eâ figurâ, quatuor cornibus, è medio prouenientibus descriptâ, potentiam per omnia commeantem & prouidentiam illius, qui in ipsâ manifestatus est, significari; & idcirco partes illius singulas proprijs nominibus appellauit. Eam enim quæ à medio deorsum vergit, profundum vocat: quæ autem sursum, sublimitatem: latitudinem verò & longitudinem illas, quæ vtrioque transuersæ protenduntur: vt, quæ hinc à medio producitur, latitudo; quæ autem illinc, longitudo nominetur: quibus apertè mihi videtur sermone declarare, nihil in rerum naturâ esse, quod non diuina natura incolume tueatur, quod est supra cœlos, quod apud inferos, quodque ad extrema mundi transuersum vndique protenditur. Nam per altitudinem, id quod est sursum; per profundum, quod apud inferos; per longitudinem & latitudinem in medio posita extrema significat, quæ à virtute totum hoc vniuersum tuente continentur.

Potes autem ex iis quæ in animâ tuâ fiunt, ea quæ de Deo cogitanda sunt, declarata contemplari. Cœlum enim suspice, & partes infimas animo complectere, extremósque ac summos orbis terminos cogitatione comprehende, atque considera, quænam potentia tanquam vniuersitatis vinculum hæc omnia deuinciat, atque (*In mondo crucis figura.*) contineat: videbísque sponte suâ in eâ diuinæ potentiæ contemplatione Crucis figuram exprimi in animo ac mente tuâ, à superis ad infera, ab extremis ad extrema protensam, atque descriptam. Figuram hanc magnus etiam Dauid de se loquens expressit. *Quò ibo*, inquit, *à spiritu* (*Psal. 138. v. 7.*) *tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum* (hæc est sublimitas) *tu illic es: si descendero in infernum* (hoc est profundum) *ades. Si sumpsero pennas meas diluculo*, id est, ad ortum Solis (hæc est latitudo:) *& habitauero in extremis maris:* sic enim occasum appellat (hæc est longitudo.) Cernis quomodò Crucis figuram describat? Tu es, inquit, qui per omnia commeas, qui cuncta deuincis, qui in te ipso comprehendis vniuersa. Tu supra es, tu ades infra. In hac extremâ parte tua manus est, & in alterâ viæ dux est dextera tua. Ob id magnus item Apostolus, cùm omnia fide & scientiâ repleta fuerint, fore dicit vt is qui est super omne (*Eph. 1. v. 21. Phil. 2. v. 10.*) nomen adoretur in nomine Iesu Christi à cœlestibus, & terrestribus, & infernis: quibus verbis iterum per crucis figuram diuidit Christi adorationem. Cœlestis enim regio in sublimi crucis parte adorationis cultum Domino exhibet; mundus in mediis, inferna ad profundum pertinet.

Idem meâ quidem sententiâ significat etiam iota illud, si cum apice coniunctum consideretur, quod & cœlo stabilius, & terrâ firmius, & (*Matth. 24. v. 35. & 5. v. 18.*) omni rerum constitutione durabilius est. *Cœlum & terra transibunt*, & mundi totius figura præterit: *iota autem ex lege, & apex non præterit.* (*Iota cum apice crucis figura.*) Linea recta è sublimi in imum descendens, iota dicitur. Obliquè autem ad latera pertingens, apex nominatur; id quod ab ipsis nauigantibus licet discere. qui lignum illud transuersum malo adiacens cui vela suspendunt nempe antennam, Græcè eodem nomine quo apicem nominant, (*Antenna è malo suspensa.*) nempe ceraiam. Quamobrem diuina hæc Euangelij verba mihi videntur in crucis figurâ tanquam ænigmate, & speculo quodam illud (A) ostendere, in quo omnia constant, quod omnibus quæ in ipso continentur, stabilius est atque perennius: cuius potentia cuncta moderatur. Idcirco ait Dominus, oportere Filium hominis non simpliciter mori, sed crucifigi: vt crux Deum gestans, perspicacioribus Theologis omnipotentem illius qui in ipsâ manifestaretur, ac esset omnia in omnibus, vim, suâ ipsa figurâ patefaceret.

A Paschate.

Nobilis ille senator Ioseph, Fratres, ab Arimathæâ, non est nobis silentio prætereundus, (*Imitanda Iosephi sedulitas circa Domini corpus.*) qui cùm immaculati sanctique illius corporis munus accepisset, sindone mundâ illud inuoluit, & in monumento nouo & puro illud collocauit. (B) Quod ab honesto hoc senatore gestum est, nobis sit tanquam lex, vt idem nos quoque præstemus. Cùm munus illud corporis suscipimus, ne id sordido conscientiæ linteo inuoluamus, neue in cordis monumento mortuorum ossibus, omnique immunditiâ pleno, reponamus. Sed *vnusquisque*, vt scribit Apostolus, *seipsum probet*, (*1. Cor. 11. v. 28.*) ne munus indignè suscipienti sit in iudicium.

Verùm, dum hæc loquor, lucida Angeli stola mentis aciem mihi perstringit, & dulcis ille ter- (*Matth. 28. v. 2.*) ræ motus, quo grauis ille humani monumenti lapis reuolutus est, omnibusque resurrectionis fores patefactæ sunt, præ voluptate cor meum concutit. Curramus & nos ad conspiciendum (C) spectaculum hoc nouum, & admirabile. Sabbatum enim iam transijt. Ne permittamus, vt mulieres anteuertant. Ea sint enim in manibus nostris aromata, fides & conscientia pura. In his enim consistit bonus odor Christi. Ne quæramus ampliùs viuentem cum mortuis. Dominus enim eum à quo sic requiritur, reijcit & arcet, dicens: *Noli me tangere*: cùm autem ascendero ad Pa- (*Ioan. 20. v. 17.*) trem, tunc me licebit tangere. [Id est, cùm non corpoream amplius, seruilemque formam; sed eum qui est in gloriâ Patris, qui est in formâ Dei, & Deum Verbum, fide conceperitis; tunc me, non autem simplicem serui formam adoretis.]

Audiamus bonum nuntium quem nobis mulier affert, quæ fide prior viro accedit, ac meritò (D) quidem, vt ipsa bonum auspicans, diluat crimen in quod incidit cùm effecta est mali auctor. Ecquæ igitur est hæc mulieris fausta annuntiatio? Non ex hominibus profectò, neque per homines, sed per Iesum Christum. Audite, inquit, quod mihi Dominus præcepit vt vobis nuntiarem; vobis, inquam, quos & fratres nominat. *Ascendo*, (*Ibid.*) inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* O nuntium præclarum & bonum! Qui pro nobis factus est homo, is cùm sit Vnigenitus, quò nos fratres efficiat suos, suum ipsius hominem ad verum Pa- (E) trem adducit, vt per ipsum omnes cognatos secum trahat, ne possit illis ampliùs obijci, quòd eos qui naturâ non sint dij adorauerint. Etenim cùm ad viuentem & verum Deum iterum adducti sint, ab hæreditate paternâ tanquam reiecti reprobatique excludi non possunt, qui adoptionis munere filium secuti sint. Eum, inquam, qui se per carnem primogenitum in multis fratribus faciens, naturam omnem cuius particeps esse voluit, assumptæ carnis necessitudine sibi coniunxit.

Sed quia panis azymus ante Pascha pro opsonio lactucas agrestes habet, videamus quo con- (*Lactucis agresti-*)

bus succedit fauus mellis. *Ioan. 21. Luc. 24. v. 42.*

dimento post Resurrectionem panis efficiatur dulcis. Ceruis in manibus Domini Petro piscante panem, & fauom mellis? Inde considera, in quid amaritudo vitæ commuterur. Quare nos item resurgentes ex sermoonm piscatu iam ad panem occurramus, quem spei bonæ fauus dulcem reddit, in Christo Iesu Domioo nostro, cui gloria & potestas vnà cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & io sæcula sæculotum: Amen.

EIVSDEM IN SANCTVM *Pascha, & de Resurrectione. Habita est in magnâ die Dominicâ.*

PAuperes in hominibus, qui dies festos amanr, & cùm lubenti ac parato animo, tum habitu culruque splendido conuentus ac celebritates celebrant, etsi de suo sibi suppeditare sumptus ad eam, cui student, elegantiam noo possint, à notis tameo atque propioquis omnem magnificum ac pretiosum ornatum corrogantes, efficiunr, vt nihil sibi desit ad præsenté vsum. Quod mihi quoque præsenti die accidere videtur. Cùm enim ipse nihil præclarum atque magnificum à me ipsu possim ad propositas laudes concelebrandat conferre, ad sacram cantionem, quam paulò antè cõcinuimus, confugiam: atque inde argumento atque occasiooe sumptâ, dictioni Scripturæ mea quoque coniungens & quasi attexens, debitum soluam; si modò etiam aliquæ panperi seruo ex animi gratitudine erga Dominum suum profectę laudes suppetunt. Dicebat igitur paulò antè Dauid, & nos cum illo: *Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi.* Omnem hominem ex Adamo vocat ad cantici celebritatem, neminem prætermittens quem non inuitet: quinimmò Occidentales, Orientales, & si quis circa alterutros, vel Septentrioni vicinus, vel Meridianarum partium incola est, simul omnes allicit & inuitat hoc Psalmo. Atque aliàs quidem speciatim quibusdam hominibus loquitur, aut sanctos vocans, aut pueros ad cantici laudem excitans: in præsenti verò gentes ac populos in vnum Psalteriu cogit. Cùm enim, vt Apostolus ait, *figura huius mundi transierit*, ac Christus Rex Deusq; vniuersis apparuerit, omni animâ incredulâ ad plenam fidem certàmque cognitionem traductâ, linguáque maledicâ cohibitâ atque frænatâ: inhibuerit item Græcorum vanitatem, & Iudæorum errorem, hæreseonque indomitum linguæ pruritum: tunc nimirum, tunc omnes gentes, & qui à sæculo sunt populi procumbentes, consentientem & concordem adorationem præstabunt, & admirabilis quidam concentus & consensus erit glorificationis, Sanctis quidem more solito laudem dicentibus, impiis autem ex necessitate supplicantibus: tuncque reuerà victoriæ carmen consentienter ab omnibus canetur, tam victis, quàm victoribus. Tunc etiam ille turbæ auctor, qui sibi domini dignitatem fastu animi præsumebat, seruus verbero vniuersis moostrabitur, dum ab Angelis ad supplicium trahetur, & omnes illius nequitiæ ministri & socij debitis suppliciis ac pœnis afficientur: vnus autem Rex ac iudex apparebit, quem omnes communem Dominum esse confiteantur. Quies quoque erit trepidumque silentium, quemadmodum fieri solet, cùm Prætore sedente pro tribunali præco silentium indicit, & populi auribus & oculis simul intenti concionantis vocem operiuntur.

Psal. 116. v. 1. Vniuersalis prouocatio ad Dei laudem.

Laudaturi omnes in fine Deum.

1. Cor. 7. v. 31.

A Idcirco, *Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi.* Laudate eum tanquam poteotem; collaudate tanquam benignum & humanum: quoniam eos qui ceciderant & mortui erant, rursus vitæ restituit, vasque fractum de integro renouauit; situmque ac iniucunditatem reliquiarum, quæ in sepulchris eraot, ad animal incorruptibile benignè redegit; animamque quæ ante quatuor millia annorum corpus reliqnerat, veluti ex longâ peregrinatione ad suum domicilium reduxit, eamque, noo præ spatio temporis & obliuione quasi peregrinam, erga suum instrumeotum effectam, sed citiùs ad B id tendentem, quàm auis ad nidum suum deuolat. Dicamus enim ea quæ propriè ad festum pertinent, vt accommodatè ac conuenienter rebus feriemur. Nam quod improprium est & alienum, præterquàm quòd nihil prodest, res est inordinata, incomposita atque absurda, non solùm in iis orationibus quæ de religione ac pietate habentur, verum etiam in externis, & iis, quæ ad mundanam pertinent sapientiam. Quis enim orator ita stultus adeóque ridiculus, qui ad nuptias hilaritate & iucunditate plenas vocatus, relicto apto & iucundo genere orationis, quod accommodatum sit, ac quasi coogratuletur hila-C ritati ac festiuitati conuentus, tristia quædam carmina atque lugubria pronuntiet, & ex tragœdiâ petitas calamitates in conuiuio nuptiali & in thalamo occinat? Aut è cootrario, mortuo alicui iusta exequi, & orationem funebrem habere iussus, oblitus præseotis casus, iucundum se præbeat & hilarem apud mœstitiâ plenum conueotum? magis eam obseruari conuenit in rebus magnis atque cœlestibus.

Componenda tempori negotioque oratio.

Christus igitur hodie surrexit Deus, impassibilis, immortalis: (Ac subsiste parumper tu Ethnice, omissu petulanti ac proteruo risu, quoad omnia audiueris) noo necessitate passus, vel de cœlis descendere coactus, aut resurrectiooem tãquam inexpectatum inopinatumue beneficium D præter spem adeptus, sibi, qui nouisset omoium rerum finem, atque ita auspicatus esset, vt qui in oculis diuinitatis propositorum cognitionem haberet, & priusquam descenderet de cœlo, videret & Gentium turbationem, & duritiam Israëlis, & Pilatum pro tribunali sedere, & Caipham vesté sibi discindere, & seditiosam plebem irâ inflammari & Iudam prodere, & Petrum propugnare, ac fore vt se ipse paulò pòst resurgeodo, ad Immortalitatis gloriam transformaret: ac quicquid futurum erat cognitione præscriptum habens, non distulit beneficium homini præstare, oeque in longiorem diem contulit dispensationem; sed quemadmodum illi, qui debilem aliquem ab impetu torrentis & voraginis rapi vident, licet non ignorent posse fieri vt & ipsi torrentis inuoluan-E tur cœno, & lapidum, quos secum aqua rapit & prouehit, ictibus lædantur, tamen præ miseratione eius qui periclitatur, ingredi oon grauantur: ita & benignissimus Saluator noster, vltrò ac spoote suâ contumeliosa, & ignomioiosa suscepit, vt eum qui fraude perierat, saluũ præstaret. Descendit in mundum, quoniam prouidebat & gloriosum ascensum. Mori se ratione hominis permisit, quoniam præsciebat se suscitatum iri. Non enim sicut vnus quis homo vulgi temere se periculis obiiciebat, euentus incerto rem committens, sed tanquam Deus rem propositam certo destinatóque fine gerebat.

Dominus lubens ac præsciens passus omnia.

Simile.

Psal. 117. v. 24.

Dies Resurrectionis antiqua veneratio & celebritas.

Hæc igitur est dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in eâ, non ebrietatibus & comessationibus, non choris & debacchationibus insanis, sed diuinis ac Deo conuenientibus cogitationibus. Hodie vniuersum terrarum orbẽ videre licet, perinde ac si vna domus esset, in vnius rei de more fieri solitæ consensum coiuisse, vnáque velut tesserâ ad orationis studium traductum esse. Viæ publicæ viatoribus carent: mare hodie nullos nautas ac vectores habet: agricola aratro ac ligone proiecto in habitum feriantis compositus ac ornatus est: cauponæ à quęstu vacant: strepitus depulsi sunt tanquam hyems appetente vere: tumultus & turbæ ac procellæ mundi cesserunt festæ lucis paci ac tranquillitati. Pauper vt diues exornatur: diues solito splendidior conspicitur: senex perinde ac iuuenis accurrit vt iucunditatis particeps fiat: infirmus etiam morbo vim facit: puellus infans mutatione vestis vel sensu corporis festum colit, cùm necdum per ætatem animi sensu possit. Virgo supra modum animo gestit, quòd suæ spei splendidum, adeóque honore conspicuum monumentum cernit: mater familias cum toto grege domus gaudet festum agitans. Nunc enim ipsa, atque maritus, & liberi, & serui, omnesque domestici exultant.

Simile.

Ac veluti nouum ac recens editum examen apum ex latibulis primùm & aluearibus simul coactum atque consertum in aërem ac lucem euolans, ramo alicuius arboris sese applicat, atque considit: haud aliter in hoc festo integræ familiæ ad suas quæque sedes confluunt.

Dominicæ Resurrectionis dies similis diei vltimæ Resurrectionis, ac illo iucundior.

Ac profectò ipsâ imitatione præsens dies ad futurum rectè refertur atque comparatur. Vterque enim hominum congregator est; ille vniuersorum, hic singulorum: vt autem veriùs dicamus, quantum ad lætitiam attinet & hilaritatem, hæc quam illa, quæ expectatur, gratior ac iucundior est: quippe tunc quidem necesse est etiam lamentantes videri, quorum videlicet peccata deterguntur: præsentis verò diei iucunditas nullos admittit tristes & animo demissos. Nam & iustus lætatur, & is qui conscientiam puram non habet, suam ex pœnitentiâ emendationem expectat, atque omnis in præsenti die tristitia sopita est: nullus autem adeò ægritudine pressus ac dolori obnoxius est, quin per huius festi magnificentiam mali sui remissionem sentiat atque leuamen.

Serui in manumissione alapà percussi.

Hoc die vinctus soluitur, debitor dimittitur; seruus benigno ac pleno clementiæ Ecclesiæ præconio atque edicto manumittitur, nec tamen alapis fœdè os eius cæditur, plagáque à plagâ liberatur; nec quemadmodum in pompâ fieri solet, in edito atque sublimi suggestu populo ostentatur, à rubore & contumeliâ suam libertatem exorsus; sed ita decorè ac honestè dimittitur, vt notum est. Quin & is qui adhuc in seruitute manet, beneficio afficitur. Nam etiam si multa ac grauia sint delicta, quæ veniam ac deprecationem excedant, diei tamen serenitatis ac humanitatis veneratione dominus recipit abiectum, & inter viles ignominiosósque constitutum, quemadmodum Pharao ex carcere pincernam.

Gen. 40. v. 20.

Nouit enim fore, vt tempore resurrectioni destinato, ad cuius similitudinem præsentem diem colimus, ipse etiam Domini patientiâ ac bonitate exeat; atque hîc misericordiam fœnerans, recepturum se vicem congruo tempore expectat.

A Paschate

Audistis domini? Sermonem custodite in bono: ne me traducatis apud seruus, quasi falsò A ac non sincerè diem laudibus celebrem. Aufferte ab afflictis & anxiis animis ægritudinem, quemadmodum Dominus à corporibus mortem. Traducite infames ad honestatem; ignominiâ notatos restituite in famæ integritatem: traducite ad gaudium afflictos; ad fiduciam, omni fiduciâ destitutos. Educite ex angulo proiectos tanquam ex sepulchris. Efflorescat in omnibus sicuti flos, decor diei festi. Nam si natalis dies hominis regis carcerem aperit, triumphalis dies Christus resurgens, non eos dimittet qui afflicti sunt, oppressi & constricti? Pauperes amplectimini vestram nutricem: qui oblæsa, vitiata, cor- B rupta mutiláue corpora habetis, vestratum curatricem calamitatum. Propter enim spem resurrectionis tum virtuti studetur, tum vitium odio habetur. Quippe sublatâ resurrectione, vnus hic apud omnes sermo obtinere reperietur: *Edamus & bibamus; cras enim moriemur.*

1. Cor. 15. v. 32.

Ad hunc diem respiciens Apostolus, temporariam vitam contemnit, & futuram desiderat; atque ea eleuans quæ sunt oculis subiecta, *Si in hac vitâ*, inquit, *spem posuimus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

1. Cor. 15. v. 19.

Resurrectionis vniuersalis mysterium.

Propter hanc diem, homines hæredes sunt Dei, & cohæredes Chri- C sti. Propter hunc diem pars corporis, quam ante mille annos carniuoræ aues comederint, integra reperietur; & quam canes, vel cete, cæteraque animalia marina deuorauerint, vnà cum homine suscitato resurget: quin etiam quod ignis concremauerit, vermisque in sepulchris absumpserit. Et vt rem in summam conferam, omnia corpora quotquot post generationem corruptio aboleuerit, integra, nulláque sui parte carentia reddentur è terrâ; & vt Paulus docet, *in ictu oculi* fiet resurrectio.

1. Cor. 15. v. 52.

Ictus autem oculi, clausio est palpebrarum: atque hac velocitate nulla alia celerior esse possit. Sic humano more pro captu tuo reputans, descripseris in animo tuo; quot D sint temporum interualla, primùm vt ossa putrefacta & in terram redacta in pristinam duritiem & leuitatem compingantur; vnita verò ex molli & tenerâ concretione rursus in aptam & conuenientem compagem, & naturalem coëant iuncturam & commissuram; tumque cogitaueris carnium obductionem, neruorumque tensas atque productas colligationes, venarum item arteriarumque tenues & exiles ductus, & quasi alueos sub cute explicatos: animarum multitudinem tantam, vt nec animo cogitari, nec eius numerus iniri queat, ex secretis quibusdam habitationibus prodeuntem, ac quamque illarum suum corpus tanquam vestem peculiarem agnoscentem, & in E hoc rursus celeriter inhabitantem, certóque discrimine vtentem in tantâ multitudine spirituum eiusdem generis. Cogita enim ab Adam animas, & ab illo vsque corpora, multitudinem tantam dissolutarum domuum, patrumque familias ex longâ quasi peregrinatione reuertentium; eaque omnia perfici admirabili quadam ratione, ac præter morem. Neque enim vel domus tardè renouatur & instauratur, vel incola oberrat ac quasi sub dio manet, dum propria ac peculiaria quærit: sed protinus ad eam tendit, tanquam columba ad suam turrim, etiamsi multæ atque frequentes circa eundem locum fuerint iisdem notis insignes. Vnde rursus recordatio, & prioris vitę

expensio tetractatioque, atque cuiusque actionis cogitatio, quæ adeò celeriter vnà cum animali ante tot sæcula dissoluto absoluitur atque perficitur? Atqui vel ex somno profundiori excitatus homo paulisper ignorat qui sit, & vbi degat: familiariumque & consuetarum rerum obliuiscitur, donec vigiliâ discusso torpore rursus vim memoriæ conseruatricem & efficaciam recreauerit, & redintegrauerit.

Hæc & similia cogitationes vulgi subeuntia ingenti mentem complent admiratione, & vnà cum admiratione inducunt incredulitatem. Quoniam enim mens eorum de quibus dubitat & quærit, solutionem non inuenit, neque suam curiositatem innentione ac dissolutione sedare potest, deinceps propter infirmitatem suarum cogitationum & sensuum, tendit ad incredulitatem, eiiciens & reprobans rerum veritatem. Enimuerò quoniam cursu suo progrediens oratio, ad eam, quæ frequenter tractatur, quæstionem peruenit, atque argumentum non alienum, sed proprium huius diei festi est; age paululum ad initium huic disputationi aptum atque conueniens quæstionem propositam reuocantes, certam persuasionem inducere ac fidem facere conemur his, qui perperam ambigunt de rebus manifestis.

Argumenta futuram resurrectionem astruentia.

Creator rerum vniuersarum cùm statuisset hominem creare, non quod facilè contemni posset, sed quod cæteris omnibus dignitate præstaret, animal in rerum naturam produxit, eiusque quæ sub cœlo est, creaturæ regem designauit. Hoc cùm animo destinasset, & talem perfecisset sapientiâ formáque diuinâ præditum, ac multâ gratiâ atque decore ornatum, nunquid eo consilio illum in rerum naturam produxit, vt genitus corrumperetur, & extremum subiret interitum? At vanum id consilium, ineptum propositum & absurda fuisset intentio: ac vehementer sanè indigna res est talem cogitationem ad Deum referre, & huiusmodi quicquam de eo sentire. Puerulis enim hac ratione assimilatur studiosè ædificantibus, & celeriter structuram soluentibus: quippe nullum finem vtilem, mente eorum spectante. Contrarium autem prorsus edocti sumus; quòd eum quem primum finxit, immortalem creauit. Verùm cùm postea accidisset transgressio atque peccatum, in pœnam delicti eum immortalitate priuauit. Deinde fons bonitatis exundans humanitate, & ad opus manuum suarum flexus, sapientiâ atque scientiâ adornauit, donec ita factu commodum ei visum est esse, vt in pristinum nos statum restitueret ac renouaret.

Creatus homo vt immortalis esset, atque ob culpam priuatus immortalitate.

Hæc & vera sunt, & digna eâ, quam de Deo habere par est, opinione. Testantur enim eius non bonitatem solùm, verum etiam potentiam. Nam non moueri ac durum esse aduersus subiecta nostræque curæ commissa, nec bominum quidem benignorum & optimorum est. Ita opilio vult valere sibi gregem, ac propemodum immortalem esse: item bubulcus varijs curis boues auget: caprarius item capras fœtus gemellos quoque tempore parere optat. Et in summâ, omnis pastor pecorisque magister ad finem quemdam vtilem respiciens, cùm durare atque permanere sibi gregem atque armentum desiderat, tum fœturâ feliciter propagari cupit. Hoc cùm ita sit, & ex iis quæ à nobis modò dicta sunt ostensum sit, maxime decere artificem ac creatoré generis nostri reformare & instaurare corruptú

Congruum ad eandem reparari; nec nisi quia fieri non possit à Deo, negandum; quod ab surdissimû.

A opus, palã est quòd qui cæteris fidem non habẽt, non ex aliquâ aliâ causâ pugnant & aduersantur, quàm quòd arbitrantur fieri non posse, vt Deus id, quod mortuum est, resuscitet. Mortuorum reuerâ sensuque carentium cogitatio, qui existimant aliquid esse, quod à Deo perfici & expediri non possit, & suam ipsorum infirmitatem maiestatis omnipotentiæ assignant. Sed vt argumentis & probationibus eorum reprebendamus amentiam, ex præteritis ac iis quæ sunt, ostendatur id qood futurum quidem est, sed futurum esse non creditur.

Audisti quòd puluis formatus, & homo factus est. Doce igitur me, quæso, tu qui tuâ sapientiâ omnia complecti vis, quâ ratione tenuis puluis dissipatus coactus sit? Quomodò terra caro facta B sit; atque eadem materia, quâ ratione & ossa, & cutem, & adipem, & pilos confecerit? Quomodò cùm vna sit caro, diuersæ cùm formæ membrorum, tum qualitates & tactus sint? Quomodò pulmo tactu mollis, colore liuidus? Iecur solidum, firmum & non cedens, ac rubeum? cor constrictum, ac durissima particula carnis? lien rarus, & nigerromentum album, & instar piscatorum retis à naturâ complicatum: Consideremus & illa, quo pacto prima mulier ex costâ paruâ parte integrum animal simule perfecto ac primo facta sit? & pars ad omnia suffecit, & exiguum totum constituit? Costa facta est caput, manus & pedes, viscerum & intestinorum flexuosa tortuosaque ac noxia figura atque distinctio; caro, C pili, oculus, nasus, os? omnia denique (ne longiùs orationem producam) omnia admirabilia, nouáque ac insolita exiguis nobis: apud Deum verò rationes fabricationis in promptu sunt & faciles, omnemque dubitationem excludentes, & admodum certæ. Quo igitur pacto sanâ mente præditi esse videbuntur, qui concedunt ex vnâ quidem costâ hominem esse factum, non autem credunt ex integri hominis materiâ eundem renouatum iri? Non potest fieri, non potest, vt bumanæ mentis agitationibus diuina vis in rebus efficiendis inquirendo explorari ac inuestigari possit. Nam si omnia à nobis percipi comprehendique possent, non præstaret nobis D is qui præstat.

A miraculo prima creationis Adæ, & formationi Euæ.

Quid loquor de Deo? nec cum brutis quidem animalibus, quod ad quasdam attinet potentias & facultates comparandi aliquo modo, sed & illis quoque inferiores sumus. Nec longiùs abeas, cursu quidem nos equi, canes, aliáque animalia multa præcedunt: viribus item cameli & muli; notatione verò viarum, asini nobis antecellunt: acumen item visus & acies oculorum, quâ capreæ præditæ sunt, in oculis nostris non reperitur. Quocirca candidos, gratos & sanos homines fidem habere decet iis, quæ à Deo dicuntur: modos excedentes, exquirere non oporE tet. Dicetur enim cuilibet istorum curiosorum: Ostende mihi tu ratione atque oratione tuâ, quomodò hæ res quas videmus, in rerum naturam productæ sint? dic, quâ arte multiforme hoc opus creauit? Nam si hæc excogitaueris & compereris, meritò perplexus & implicitus hæsitas, & succenses & indignaris, quòd regenerationis transformationem nescis, qui generationis rationem baud ignores. Quòd si illa tibi nihil aliud quàm somnium & imaginatio sunt, atque vndique cognitio perplexa, inexplicabilis & imperuestigabilis est, ne indigneris, si cùm ra-

Ipsa bruta in multis homini superiora.

tionem fabricationis ignores, etiam corrupti A reparationem non intelligis. Idem artifex est & primæ creationis, & secundæ transformationis. Nouit quomodò suum opus dissolutum rursus concinnet, & ad pristinum statum reducat. Si sapientiâ opus est, fons sapientiæ est apud illum: *Eccl. 1. v. 5.* si potentiâ & viribus opus est, non indiget socio atque adiutore. Hic est qui iuxta vocem sapientissimi Prophetæ manu suâ mensus est aquam, & *Isai. 40. v. 12.* immensum cœlum palmo, ac terram pugno.

Contemplare imagines, euidentia signa præbentes ineffabilis potentiæ, spem tibi omnem auferentes, quâ dignum te aliquid Dei naturâ posse imaginari existimes. Omnipotens est pariter, diciturque. B Forsitan enim non aduersaberis in hoc, sed dabis tanquam concessum obtinere, ac ita se habere. At ei qui omnia potest, nihil est perplexum, nihil quod explicari aut expediri perficive non possit. *Dei omnipotentia.* Multa fidei pignora habes, quæ necessariò compellant, vt iis quæ à nobis dicuntur assentiaris. Primùm quidem vniuersam creaturam variam & multiplicem, cuiusuis præconis voce clariùs & significantiùs proclamantem, quòd & magnus & sapiens artifex sit is, qui ea quæ videntur fabricatus est. Cùm autem aduersus hanc creaturam Deus prouidus sit, atque etiam procul infidelium animulas intueatur, ipso opere resurrectionem mortuorum confirmauit, multis corporibus defunctorum C restituens animas. *Mortui iã suscitati ad fidẽ astruẽdam resurrectionis. Ioan. 11. v. 44. Luc 7. v. 14.* Hac de causâ Lazarus quartum iam diem mortuus exiluit è sepulchro. Vnicus item ille viduæ filius ex lecticâ, quâ efferebatur, ad viuos reuocatus matri suæ redditus est: atque alij sexcenti, quos enumerare nunc molestum fuerit. Quid de Deo ac Saluatore loquor? quandoquidem vt magis flectantur, & moueantur illi qui ambigunt, etiam seruis suis Apostolis mortuos excitandi virtutem largitus est.

Demonstratio igitur euidens est & manifesta. Et cur nobis negotium exhibetis qui contentioni studetis, quasi sermonum qui demonstrari non possint auctoribus? Quemadmodum vnus excitatus est, eodem modo decem: D quemadmodum decem, ita & trecenti: vt trecenti, ita etiam plures. Vnus enim statuæ artifex, vel sexcentarum facilè opifex erit. *Simile.* An non videtis mechanicos, quemadmodum magnorum ac ingentium ædificiorum formas & figuras in exiguâ cerâ speciminis loco effingunt atque designant? Ac ratio quæ in paruo est, eandẽ vim habet in multis ac magnis structuris. Magnum cœlum, artificiosum Dei opificium est. Quoniam verò Deus hominem animal rationale fecit, vt comprehensione operum glorificet sapiẽtem & solertem eorum fabricatorem; *Simile.* videas astronomi sphæram paruam quidem, sed in manu scientis ac docti E ita moueri, quemadmodùm à Deo cœlum mouetur. Ac minima structura magni illius opificij simulacrum est: & ratio quæ in paruis est, immensa declarat, quæ nostrum intellectum sensumque exuperant.

Sed cur hæc exposui? vt intelligas, quòd si me quoque interrogaueris, quomodò corporum quæ à sæculo vsque fuerunt, resurrectio futura erit? contra statim audies: Quomodò Lazarus, qui quartum iam diem sepultus erat, resuscitatus est? Perspicuum enim est, quòd eam fidem & probationẽ quæ in vno fit, etiam in multis similiter homo sanus admiserit. Posito quòd Deus sit, qui faciat, nihil dixeris esse quod fieri non possit: neque tuâ cogitatione illius sapientiam comprehendi posse arbitreris, qui incomprehensus existit. Neque enim illi quicquam infinitum: at tibi ea, quæ pertinent ad infiniti quæstionem, inscrutabilia sunt. Videbimus autem hanc rationem pulchrè, si præter ea quæ dicta sunt, scrutemur & exquiramus modum generationis nostræ; non primum & antiquissimum illum à Deo proditum & institutum, de quo in superioribus dicta sunt hæc: sed eum qui vsque ad hoc tempus consimiliter à naturâ perficitur. *A modo generationis, quomodò fit.* Inexplicabilis enim hic est, & cogitationi humanæ inaccessus. Nam quâ ratione, cùm res humida rudis & informis sit, semen in caput concrescit? in tibias & costas durescit & consolidatur? cerebrum efficit tenerum rarumque, & os quo continetur, adeò durum ac rigidum, variam denique animalis fabricationem & compositionem: vt breuiter dicam, ac nimius ne sim minutatim singula persequendo. Quemadmodum igitur semen, quod initio informe est, dum occultâ & ineffabili arte Dei tractatur, in speciem redigitur, & in corpora grandescit & adolescit: ita non modò non est absonum & absurdum, verùm etiam admodum consentaneum atque probabile, materiam, quæ est in sepulchris, quæ quondam in specie & formâ erat, rursus in pristinam renouari figuram, ac rursus puluerem fieri hominem: quemadmodum etiam initio inde nactus est generationem.

Concedamus Deo, vt tantùm possit, quantum valet figulus: & quid hic faciat, consideremus. *Exemplum figuli collapsum vas reparantis.* Rude atque informe lutum acceptum ad formam vasis redigit; idque radijs solis expositum siccat ac durat. Est autem, verbi gratiâ, id quod fingitur atque formatur vrceolus, vel scutella, vel dolium: sed si quid temere inciderit & subuerterit, collapsum confringitur, & rudis & informis terra fit, suamque speciem amittit. At artifex si voluerit, celeriter corrigit ac reficit id, quod casu corruptum est, ac rursus arte lutum fingens, nihilo priore deterius vas efficit. Atque hic quidem figulus exigua quædam potentiæ Dei creatura est, & Deo non creditur pollicenti se mortuos renouaturum? Multum amentis est ista pronuntiare.

Consideremus item similitudinem tritici, quâ sapientissimus Paulus insipientes corripit & instituit, dicens: *Stulte, tu quod seminas, non id quod futurum est, corpus seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius reliquorum seminum. Deus autem dat illi corpus sicut vult.* *1. Cor. 15. v. 37. A similitudine tritici seminati.* Diligenter attendamus generationi tritici, & celeriter resurrectionis rationem discemus. Triticum in terram proijcitur; corruptum autem humore, & vt ita dicam, mortuum, desiuit in lacteam quandam substantiam, quæ paulatim concreta atque coalita, quasi stimulus quidam fit albus & acutus: aucta deinde in eam magnitudinem, vt terrâ prominere & extare possit, ex albo sensim in herbescentem viriditatem mutatur: posteà fit herba & coma glebarum: quibus infusa & leuiter sparsa, compluribus nixam fibris radicem subtus alit, futuro ponderi sustentaculum & adminiculum præparans: *Simile.* ac quemadmodum nauium mali pluribus vndique funibus distenduntur, vt firmi stabilésque permaneant, æquilibribus tractibus obnixi: ita funium in modum ex radice enatæ fibræ, sustenta-

pijs suppetentibus naturam afficere longè certè facillimum & expeditissimum est.

Ne igitur præclaram spem hominum, correctionem & emendationem fragilitatis nostræ, & secundam, vt ita dicam, generationem à morte liberam tollamus; neque nimio studio voluptatis benignam, studioque & amore hominum factam promissionem Dei sugillemus atque dehonestemus. Mihi enim præsentis argumenti aduersarij videntur esse homines vitij atque nequitiæ amici, virtutis inimici, libidinosi, auari, & oculis intemperantes, tum auditu & olfactu, omnibus denique sensibus influentem ipsis voluptatem in sese admittentes. Quoniam enim tractatus resurrectionis iudicium propositum habet, & sacros libros audiunt, in quibus expresse ac disertè continetur, quòd vita nostra non sit rationibus non obnoxia: sed cùm ad alteram vitam renouari fuerimus, futurum, vt omnes ad tribunal Christi sistamur, vt illo iudice dignas actæ vitæ retributiones recipiamus: quòd sibi conscij sunt turpissimarum ac fœdissimarum actionum, quibus multas pœnas meriti sunt, odio iudicij tollunt etiam resurrectionem: quemadmodum serui mali, qui facultates & bona domini consumpserunt, mortem & interitum domini sibi proponunt, & pro eo quod cupiunt & optant, varias cogitationes sibi fingunt. Verùm nemo sanus ita sentiet. Quæ enim vtilitas iustitiæ? quod commodum veritatis, bonitatis & omnis honestatis? cuius rei gratiâ laborant homines & philosophantur, ventris voluptatem sibi subiugantes, continentiam amplexantes, somno breui indulgentes, hyemem & æstum tolerantes? Si resurrectio non est, dicamus iuxta Pauli verba: *Edamus & bibamus; cras enim moriemur.* Si resurrectio non est, sed vita morte finitur; tolle mihi accusationes & reprehensiones. Permitte homicidæ vt sine impedimento licentiâ vtatur: sine adulterum liberè insidiari matrimonijs: insultet aduersarijs diues auarus & alieni vsurpator; nemo conuitiatorem coërceat, iuret assiduè periurus; manet enim mors etiam iustum, religiosum, ac pium, iurisque iurandi obseruantem. Mentiatur quiuis alius quantum velit: nullus enim veritatis fructus. Nemo pauperis misereatur: expers enim misericordia mercedis est.

Huiusmodi sensus & cogitationes peiorem diluuio inducunt confusionem, & omnem sanam quidem rationem expellunt; furiosorum autem & latronum quaslibet cogitationes & consilia acuunt atque confirmant. Nam si resurrectio non est, ne iudicium quidem erit: sublato autem iudicio, etiam timor Dei simul eiicitur. Vbi enim timor non cohibet, & in officio homines continet, ibi cum peccato diabolus tripudiat, atque choreas ducit. Atque admodum conuenienter atque aptè aduersus tales David Psalmum illum conscripsit: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Quòd si resurrectio non est, fabula Lazarus & diues ille est, formidabilisque ille ac horrendus hiatus; intolerabilis item ardor ignis & inflammatio, ac lingua ardens, guttáque aquæ desiderata, & mendici digitus. Palam enim est, quòd hæc omnia nobis futuram significant resurrectionem. Lingua enim ac digitus non incorporeæ membra animæ intelligantur, sed partes corporis. Ac nemo putet hæc iam contigisse, sed prædictionem esse futuri: euenient autem tunc, cùm renouatio animam mortuis reddiderit, & ad reddendum vitæ actæ rationem vnumquemque reduxerit, compositum eodem modo quo priùs, & vt animâ ac corpore constet.

Porrò Ezechiel diuino afflatus Spiritu, & magnarum visionum spectator, ad quam vtique sententiam & intellectum deducebatur, cùm vidit magnum illum, ac longè latéque patentem campum humanis ossibus completum, de quibus prophetare iubebatur? Carnes quidem illis statim obducebantur: quæ autem soluta, ac temerè nulloque ordine disiecta erant, in aptum conuenientemque sibi inuicem ordinem & compagem redigebantur atque coalescebant. An non perspicuum est, quòd per huiusmodi nobis scripta carnis huius resurrectionem abundè satis demonstrat? Mihi verò qui aduersus hunc sermonem pertinaciter contendunt, non impij solùm, verùm etiam insani esse videntur. Resurrectio enim, & reditus ad vitam, & transformatio, & omnia talia vocabula ad corpus corruptioni obnoxium cogitationem audientis ducunt. Nam anima quidem, si ipsa per se discutiatur, nunquam resurget, quandoquidem non moritur, sed interitus ac corruptionis expers existit. Cùm autem sit immortalis, mortale corpus socium habet actionum; ideóque iusti decreto iudicis rationum tempore rursus socio suo inhabitabit, vt cum illo communes recipiat vel pœnas vel præmia. Enimuerò quò magis nobis oratio consentanea sit, hoc modo rem consideremus.

Hominem quid esse dicimus, vtrumque simul, an alterum separatim? At manifestum est, quòd coniunctio amborum designat animal. Non enim conuenit in rebus notis, ac nihil controuersiæ in se continentibus, superfluo vti sermone. Cùm hoc ita sit, illud quoque insuper consideremus; vtrum ea quæ committunt & perpetrant homines, verbi gratiâ, adulterium, homicidium, furtum, ac quicquid his affine est: aut ex contrario, sobrietatem, continentiam, & omnem vitio oppositam actionem, vtriusque dicimus esse effectus, an animâ solùm circumscribimus actiones? At etiam in hoc manifesta veritas est. Nusquam enim à corpore separata anima vel furtum committit, vel parietes perrumpit: neque contrà sola vel panem esurienti dat, vel potum sitienti præbet, vel in carcerem haud grauatim concedit, vt officium & ministerium præstet ei, qui carcere affligitur: sed in omni actione ambo sibi inuicem coniuncta simul & capessunt & perficiunt ea, quæ aguntur. Quâ ratione igitur cùm hæc ita sint, & ante actorum iudicium fore concedas, alterum ab altero diuellis? & cùm alterum alteri in commissis & perpetratis socium esse des, animâ solâ iudicium determinas ac circumscribis? Quòd si quis verus delictorum humanorum iudex fuerit, & diligenter perpenderit, vnde primæ peccati causæ oriantur, fortasse priùs in culpâ atque crimine corpus inueniet officij & honestatis fines excedere. Nam quiescente sæpenumerò animâ, & in tranquillo statu sine vllâ perturbatione constitutâ, oculus commotus videt ea, quæ non conspexisse melius fuisset, & in animam morbum transmittens, in tempestatem & turbinem quietem & tranquillitatem conuertit. Similiter aures inuerecundis quibusdam ac exacerbantibus verbis exceptis, per quasdam quasi sui ipsorum

Fidei resurrectionis aduersarij homines vitijs addicti.

Iudicij fides coniuncta fidei resurrectionis.

Eâ fide sublata nullũ studiũ virtutis, omnisq; à vitij licentia.

1. Cor. 15. v. 32.

Psal. 13. v. 1.

Luc. 16 v. 19

Vide hoc argumento August. & alios Fer. 5. post Dom. 2. Quadr.

Ezech. 37. v. 1.

Hæc in Origenem. Resurrectio compositi, non animæ solius.

Corpus actionũ socius, sit necesse est, & præmiorũ sine pœnarum.

pensa super aquas turbidas, sed sacrorum dogmatum fundamentis nixa. Non hibernas pluuias emittens; neque stridulis auium clangoribus, sed magistrorum vocibus homines demulcens.

Psal. 117. v. 4.

Hæc dies quam fecit Dominus; exultemus. spiritaliter, & diuinis gaudijs *lætemur in eâ.* Hæc quippe, festorum nobis omnium est princeps. Hoc festum est, de quo Spiritus sanctus

Ibid. v. 27.

admonet, dicens: *Constituite diem solennem in condensis* simul & frutectis, *vsque ad cornu altaris.* Hoc est mundi totius festum, encænia simul & salutem habens. Festum hoc, vertex est & arx quædam festorum omnium. Hæc dies cui benedixit Deus, quam sanctificauit, quòd in illâ cessauerit ab omnibus operibus suis eorum consummatâ salute, tum qui in terrâ, tum quid apud inferos erant.

Diei sacræ resurrectionis præclara encomia.

Gen. 2. v. 3.

B In eâ, simulacrorum & bestiarum sacra, saltationésque cessare fecit. In eâ, Gentilium solennibus, ac celebritatibus dæmonum finem adhibuit. In eâ, cruoris immolatitij nidores, ac sacrificia aboleuit. In eâ, impietatis errorem sustulit. In eâ, tyranni dominatum, & stimulum mortis infregit. In hac, legales victimas, & neomenias abstulit. In hac, nouas creatis sanctiones, ac decreta præscripsit. In hac, legale Pascha antiquauit, & Iudaïcum. In hac, figuram omnem, & vmbram, ac prophetiam impleuit.

1. Cor. 5. v. 5.

Pascha nostrum, Pascha vtique verum, *immolatus est Christus*: Et, *Si qua in Christo noua creatura*, si qua in Christo noua fides; nouæ leges, nouus Dei populus; nouus, inquam, non verus Israel; nouumque Pascha: noua, & spiritalis circuncisio; nouum, incruentúmque sacrificium; nouum, & diuinum testamentum; renouamini hodierno die, & spiritum rectum innouate in cordibus vestris, vt noui illius veríque festi mysteria percipiatis, ac cœlestibus reuerâ delicijs perfrui possitis: & pro vetere, noui Paschatis expressis ac nunquam obsolescentibus mysteriorum exemplaribus initiari, illuminatíque discedatis: cognoscatísque quantum inter nostra, & Iudaica discriminis intersit, quæque sit figurarum cum veritate comparatio. Age verò de Christi Paschatis resurrectionis mysterio, disputandi, ac contemplandi, hinc nobis exordium esto.

2. Cor. 5. v. 17.

Veteris & noui Paschatis collatio.

Missus est olim à Deo ad populi salutem Legislator Moyses è sublimi monte ad legis adumbrandam figuram: missus est & Dominus Legislator, Deúsque à Deo, & mons à monte cœlestium montium, ad salutem nostri populi, quæ veritas est. Verùm Moyses à Pharaone & Ægyptijs liberauit: Christus à diabolo nos, & dæmonum seruitute redemit. Moyses interfecit, & arenâ obruit eum, qui Iudæo faciebat iniuriam: Christus diabolum in abyssum trudens, occidit. Moyses duos fratres suos rixantes pacificauit: Christus ambos populos suos inuicem conciliauit, coniungens cœlestia terrenis. Illic Pharaonis filia, cùm iret lauatum, inuentum Moysen excepit: Christi verò Ecclesia & filia cùm baptismu eluitur, Christum excipit: non illum quidem ex fiscellâ trimestrem, vt Moysen; sed Moysis loco triduanum ex sepulchro. Illic figuratè, ac noctu Pascha celebrauit Israël: hîc cum luce & splendore, interdiu Pascha peragimus. Illic sub diei vesperam; hîc inclinantibus in vesperam sæculi temporibus. Illic postium ac liminum foribus oblinebatur cruor: hîc Christi sanguine fidelium corda obsignantur. Illic & noctu sacrificatum, & noctu Rubrum mare transmissum est:

A hîc verò salus, & lumen Rubrum mare baptismi, quódque igneo Spiritus fulgore rutilet: cui reuerâ Dei Spiritus incubat, ac in quo conspicitur; eadem videlicet aquâ, in quâ draconis, adeóque draconum principis, hoc est, diaboli satellitum, caput conteritur. Illic Moyses nocturno baptismo Israëlitas lauit; illic populum nubes obtexit: at Christi populum obumbrat virtus Altissimi. Illic saluato populo Moysis soror Maria choros duxit: hîc liberato Gentilium populo Ecclesia Christi cum omnibus suis Ecclesijs festum agit. Illic Moyses ad creatam petram confugit: hîc ad fidei petram populus se recipit. Illic Legis tabulæ franguntur; quæ res præteriturae & inueteraturæ Legis indicium fuit: hîc diuinæ leges integræ inuiolatæque seruantur. Illic ad populi pœ-

B nam conflatur vitulus: hîc ad salutem populi Dei Agnus immolatur. Illic petra virgâ percutitur: hic verò Christi, qui est petra, latus transfoditur. Illic aqua de petrâ prorumpit: hîc ex viuifico latere sanguis & aqua profluit. Illi coturnicum carnes cœlitùs acceperunt: nos Spiritus sancti columbam ex alto suscipimus. Illi temporarium manna comederunt, & mortui sunt: nos pane vescimur in vitam æternam. Verùm illa tanquam vetera & adumbrata demum obsoleuerunt, & completa sunt: quæ autem ad populum nostrum attinent, augentur in dies, & perennia perpetuáque efflorescunt.

Christi passionis figuræ plures.

Eiusmodi figura nostri Paschatis fuit: hæc rerum legis obumbrata decursio. Hæc tibi festi
C illius informanda notio: sic ea, quæ ad Moysen & Prophetas spectant, ad hanc contemplationem referenda sunt, vt resurrectioni fidem adhibeas. Omnibus enim infidelitatis velum obducitur. Habes plurimas, & quæ facilè comprehendi nequeant, resurrectionis è mortuis, instaurationisque figuras. Huius idonea testis est Isaaci iugulatio. Huius figura Iosephi puteus ille fuit, in quem à fratribus est coniectus, & vnde à morte immunis ascendit. Huius item figura Ieremiæ cisterna, vnde tamen ex corruptione & cœno euectus est. Resurrectionem Christi Ionæ cetus adumbrauit, ex quo triduanus prodijt. Habes & aliam inferorum carceris imaginem; Io-
D sephi scilicet carcerem; in quem illum adultera Synagoga compegit, vnde & illæsus post triennium exit; vti post triduum Christus à mortuis suscitatur. Secundùm hos & Daniel in leonum caueam immissus, Saluatoris sepulchrum designauit, ex quo viuus Iesus ascendens, ab inferis & morte, tanquam è medijs leonibus emersit. His fretus Iudæos redargue. His illos increpa. Ad eum modum Christi passionem ac resurrectionem tuere. Hæc tibi armorum præsidia hodierna suppeditabit oratio. Hæc te mysteria celebritas ista perdocuit.

Longa hæc digressio non malè cadat in Epiphanij tempora, quando principibus Honorio & Arcadio Rom. imperium clades grauissimas à Barbaris accepit.

Verùm quid deinde? Num soli nos festum
E istud solenne celebrabimus? an & de proximis nostris soliciti erimus? Nos, inquam, celebritate istâ fruemur? an aliorum quoque habenda ratio est? Pro eo sanè, ac festum illud nostrum necessariò postulat, gratus quidam & acceptus Deo totius Ecclesiæ gemitus ad illum erumpat. Recordemur fratrum nostrorum, qui necessitate rerum omnium, & inopiâ premuntur; propinquorum, inquam, nostrorum, qui desertis in locis calamitate atque egestate conflictantur. Tanquam pariter vincti, vinctis afficiamur: tanquam ijs compatientes, qui patiuntur necessitatem. Ete-

1. Cor. 12. v. 26.

nim *Si vnum membrum patitur, compatiuntur omnia membra*. Compatiamur itaque fratribus nostris, qui sunt membra nostra; alij verbis, alijque beneficentiâ; precibus verò ad Deum & orationibus, vniuersi. Obsecro vos, communis ad Deum pro illis hodie legatio suscipiatur: quoniam nobis est & captiuitas communis. Fiat quæso communis supplicatio, quandoquidem est & communis animaduersio. Audiamus dicentem, *Si duo vel tres consenserint* in orationem, *de omni re quamcumque petierint, fiet illis.*

Matth. 18. v. 19.

Confessorū vota & preces Deo acceptæ.

Magna sunt, fratres, arma preces Ecclesiæ: magnus est mutus consentientium inter se plurimorum oratio; præsertim quæ à fideli populo captiuóque proficiscitur. Nemo dicere illud audeat, peccatores à Deo non exaudiri. Multò enim libentiùs humilium, ac peccatorum preces suscipit; eorumque potissimum, qui propter nomen ipsius afflicti, flagellati, custodijs macerati, vexati, probris ab hostibus affecti, Christi fidem non abnegarunt. Quo ex genere plerique sexus vtriusque hoc in populi cœtu versantur, Christi Confessores, qui ab eo celerrimè exaudiuntur. Magna sunt arma, dilectissimi, istorum hominum preces. Hos enim omnes reueretur Christus, propter quem quotidie periclitantur. Quamobrem nos illorum orationibus confisi, & eorum apud Deum fiduciâ freti, pro fratribus nostris qui in calamitatibus versantur, communiter ac constanter vota faciamus. Nam sæpenumerò festis diebus plerisque condemnatis regia benignitas pœnæ gratiam, ac veniam indulget. Magnum itaque; dico iterum, fratres, quiddam sunt Ecclesiæ preces, ac præsertim à fidelibus captiuis profectæ. Sæpe enim rex populi supplicatione commouetur; ac deprecanti turbæ damnatos relaxat. Quapropter à vestrâ omnium charitate contendimus, vti calamitosorum fratrum nostrorum solicitè constanterque memineritis: atque in illâ terribili horâ potissimum, quâ omni maiorem pretio Christi corporis margaritam manibus excipietis.

* Oratio inter communicādū virtutis maximæ.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI in sacrum Pascha, Oratio.

THEODORI PELTANI Versione recognitâ, ac multis locis Græco textui compositâ.

Habet Saul. t. 5. inter γνήσια Chrysostomi.

Psal. 101. v. 2.

COmmodè conuenientérque hodiè omnes cum beato Dauid personamus: *Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes eius?* Ecce enim aduenit desideratum illud, salutaréque festum; dies nimirum resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Quæ vnà, & pacis est argumentum, & reconciliationis causâ, & hostium internecio, & mortis dissolutio, & diaboli calamitas. Hodie homines societatem ineunt cum Angelis; hodie corpus induti, cum Virtutibus corporeæ concretionis expertibus iuncti, hymnos laudésque Deo persoluunt; hodie diaboli tyrannis est euersa, hodie mortis vincula soluta sunt, hodie inferni victoria absorpta est. Aptè proinde, conuenientérque hodie propheticam illam vocem depromimus, *Vbi est mors stimulus tuus? vbi est victoria tua, inferne?* Hodie Dominus noster Iesus Christus æneas portas confregit, ipsámque mortis personam aboleuit. Ecquid mortis dico personam sustulisse, cùm ipsum quoque mortis vocabulum mutauerit? Neque

Resurrectionis effecta varia.

Osee. 13. v. 14.

1. Cor. 15. v. 54.

Psal. 106. v. 16

Eadem hęc, atque hom. in cœmete-

enim animi à corpore discessus, mors ampliùs appellatur, sed dormitio, vel somnus. Sanè ante Christi aduentum, crucísque œconomiam, vel ipsum solum mortis nomen terrorem incutiebat. Quare etiam primus homo, magno supplicij loco eiusmodi sententiam audiuit: *Quacumque die comederis ex illo, morte morieris.* Quin & beatus Iob quoque quietis nomine mortem designauit: *Mors*, inquit, *viro requies.* Propheta autem Dauid, peccatorum mortem pessimam pronuntiat. Imò verò non modò diuulsio illa animæ à corpore, mortis vocabulo designabatur; verumetiam inferni. Audi Patriarcham Iacob. *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Audi alium eâ de re Vatem: *Infernus dilatauit animam suam.* Facit huc etiam illud Prophetæ Dauidis: *Liberabit me ex inferno inferiori:* pluribusque alijs locis in veteri Testamento, migrationem ex hac vitâ, mortem, ac infernum appellatam, inueneris. At quia dispensatio finem accepit, ac Christus Dominus noster, semetipsum nostri causâ in sacrificium obtulit, & ex mortuis denuo resurrexit, suáque resurrectione viam nobis ad resurrectionem muniuit, pro suâ clementiâ, ipsa etiam inferni, & mortis nomina sustulit; nouámque & quodammodò extraneam vitæ rationem sæculo inuexit. Emigratio namque ex mortali hac vitâ, pro eo vt mors appelletur, dormitionis ac somni appellationem obtinuit. Et vnde hoc habes, inquis? ex ipsiusmet Christi oratione, ait enim: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno exsuscitem eum:* vt enim nobis perfacile est, dormientem expergefacere, ita communi omnium Domino, mortuos, exsuscitare. At quia nouum, & peregrinum quadantenus erat, quod à Christo dicebatur, ne ipsi quidem discipuli priùs, quod dictum fuerat, assequebantur, quàm is ad illorum infirmitatem sese demittens, planiùs illud exponeret. Quin & communis orbis doctor beatus Paulus, vbi ad Thessalonicenses scribit, eodem illo locutionis genere vtitur: ait namque: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent.* Et alio rursum loco: *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt?* Item, *Nos autem, qui viuimus, & residui sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt?* Et paulò ante hunc locum: *Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.* Vides hanc mortem dormitionis vocabulo passim exprimi; illámque, quæ ante crucem, formidabilem vultum præ se ferebat, nunc post resurrectionem facilè contemni? Vides hinc æquè præclarum resurrectionis trophæum? per hanc enim innumera nobis bona obtigerunt. Propter hanc, mortem despicatui habemus, & propter hanc, præsentem vitam flocci facimus. Propter hanc, mentis desiderio in futura bona ferimur. Propter hanc, corpus induti (siquidem studium adhibere voluerimus) tantum consequimur, quantum incorporei Spiritûs.

rij appellationem & crucem, t. 5. Ducæi, & 5. item Saul.

Gen. 2. v. 17

Iob. 3. v. 23.

Psal. 33. v. 22

Gen. 42. v. 38.

Isai. 5. v. 14

Psal. 85. v. 13.

A Christi morte mors somnus ac dormitio.

Ioā. 11. v. 11.

1. Thes. 4. v. 12.

1. Cor. 15. v. 18.

1. Thes. 4. v. 14.

Hodie nobile illud communis victoriæ nostræ festum celebramus. Hodie namque Dominus noster Iesus Christus, illustri trophæo aduersus mortem erecto, tyrannidéque diaboli per resurrectionem calcatâ, planéque euersâ, ad salutem viam nobis aperuit. Omnes proinde gaudeamus & exultemus, choréásque, & festum diem agitemus. Nam etsi Dominus noster solus

Christi vi-

vicerit,

ctoria nobis cum illo communis.

vicerit, trophæumque erexerit, lætitia nihilominus, & gaudium sunt nobis cum illo communia. Si quidem omnia propter nos, nostramque salutem operatus est. Cæterùm, per quæ diabolus primò nos strauit, per eadem ipsum Christus deuicit. Eadem, inquam, panopliâ illâ, quâ diabolus genus nostrum inuaserat, & debellauerat, Christus certamine contra illum inito, diabolum vicissim pessundedit. Quomodò autem, audi. Nostræ calamitatis & cladis symbola fuere Virgo, lignum, & mors: Nam & Eua virgo erat; quando enim seducta est, needum cum viro commercium habuerat. Lignum arbor erat; mors, supplicium in Adamum constitutum. Ecce quomodò Virgo, & lignum, & mors calamitatis nostræ organa extiterint. Cerne nihilo seciùs, quomodò eadem illa victoriæ nostræ instrumenta extiterint. Pro Euâ fuit Maria; pro ligno autem scientiæ boni & mali, lignum crucis; pro morte verò Adami, mors Domini. Intelligis diabolum, iisdem omnino armis ab homine expugnatum, quibus ipse hominem expugnauerat? Per lignum diabolus debellauerat Adamum: per crucem vicissim Christus prostrauit diabolum. Et illuc quidem lignum ad inferos ablegabat: at crucis lignum, ex inferis eos reuocat, qui eo ablegati quandoque fuerunt: illud victum Adamum, veluti captiuum, & nudum abscondebat; hoc autem victorem nudum, clausque in sublimi suffixum, omnibus palam ostendit: Adam tandem eos etiam in mortis condemnationem coniecit, qui longo post tempore ipsum consecuti sunt: Christus autem illos quoque exsuscitauit, qui multa ante illum sæcula mortem obierant. *Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes eius?* Per mortem facti sumus immortales: per casum surreximus; post cladem victores euasimus. Hæc crucis sunt stratagemata: hæc euidentissima resurrectionis indicia. Hodie Angeli, vniuersæque cœlestes Virtutes choros ducunt, déque communi humani generis salute, magno citra controuersiam gaudio exultant. Nam si Angeli in cœlo gaudent, super vno peccatore pœnitentiam agente, multo sanè magis super totius orbis terrarum salute lætantur. Hodie Christus humanam naturam à tyrãnide diaboli liberatam, in pristinæ dignitatis nobilitatisque locum denuo restituit. Etenim cùm naturæ meæ primitias, tot partibus morte superiores euasisse considero, vim illius ampliùs non metuo; hostis impetum ampliùs non expauesco, infirmitatem meam ampliùs non specto. Specto autem, immensam illam virtutem, quæ, vt opem ferat, præsto est. Qui enim mortis tyrannidem debellauit, omnemque illius vim fregit, quid in posterum pro cognato genere non est effecturus? Qui formam nostram, pro suâ ingenti clementiâ assumere non dubitauit, pérque illam contra diabolum in arenam descendit, quid nostri causâ post hæc non præstabit? Hodie vbique terrarum gaudium, & spiritalis lætitia obtinet. Hodie Angelorum cœtus, omniumque supernarum Virtutum multitudo propter hominum salutem exultat. Perpende itaque dilecte, quanta huius gaudij sit magnitudo, cùm ipsæ etiam supernæ cœlestésque Vir-

Diabolus iisdem armis debellatus est, quibus hominem antè strauerat. Eadem citatâ hom. in cœmeterij appellationem & crucem.

Lignũ sciẽtiæ boni, & mali ad inferos agit: lignum autem crucis, ex inferis reuocat.

Psal. 105. v. 2.

Luc. 15. v. 7.

Eadem ad calcem vsque pene hom. aduersus ebrietatem, & de Resurrect. r. s. Ducæi.

A tutes, vnà nobiscum gaudeant, festúmque diem agant. Congaudent enim, & congratulantur nostris, nostræque felicitati: Nam etsi singulare hoc Dei Opt. Max. beneficium nostrum sit proprium, redundat hinc nihilo seciùs in illos nonnulla quoque oblectatio. Quamobrem haud turpe ducunt, publicum solennémque conuentum pariter nobiscum celebrare. At quid dico conseruos, lætum festúmque diem nobiscum agere non erubescere, cùm ipse etiam illorum nostrûmque omnium Dominus, non verecundetur nobiscum epulari, diémque festiuum celebrare? Imò verò tantum abest, vt huius illum pudeat, vt auidè B quoque hoc ipsum desideret. Vnde hoc tibi constat? Audi quid ipse dicat: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Iam si Pascha vnà nobiscum manducare desiderauit, simul vtique, & diem quoque festum agere. Cùm ergo videas non solùm Angelos, Archangelos, & vniuersum cœlestium Virtutum cœtum, sed ipsum etiam Angelorum Dominum, lætam festámque lucem communiter nobiscum agitare, quid excusationis reliquum est, quominus tu quoque lætum hilarémque vultum sumas?

Nemo proinde ob rerum inopiam, deiecti hoc die sit animi: festum enim hoc spiritale C est: nullus rursus opibus affluens, propter diuitiarum copiam se extollat; si quidem nihil per pecuniarum ambitionem ad hoc festum adferre valet. In externis solennitatibus, id est, sæculi fastu numerosis conuentibus, vbi magna externi cultus, sumptuúmque, & apparatuum mensæ ratio, & cura haberi solet, pauper non iniuriâ animo deiicitur, mœroréque, & anxietate constringitur; diues è diuerso, gaudio & voluptate perfunditur. Cur ita? quia diuitiis abundans pretiosâ veste sese ornare, mensamque opulentiorem instruere & apponere potest. Pauper autem inopiâ impeditus, eum vestium splendorem, epularúmque ambitio- D nem, & magnificentiam ostentare non valet. Hîc autem nihil est tale; nulla enim omnino dissimilitudo locum in hac re habet; vna mensa apponitur pauperi & diuiti, & seruo & libero. Quare si diues fueris, nihil plus habebis paupere: si inops, nihil minus diuite. Quandoquidem spiritualis epuli huius fructus, propter paupertatem non minuitur. Diuina enim gratia & liberalitas est, quæ hîc donatur; ea autem, personarum discrimen non spectat. Et quid dico, eandem diuitibus & pauperibus mensam proponi, cùm vna etiam, eadémque apponatur diademate redimito, & purpurato, supre- E móque orbis Dynastæ, & mendico ad publicam eleemosynam exposito? Etenimuerò spiritualia eiusmodi sunt, vt non distribuantur secundum externæ dignitatis qualitatem, sed secundùm internam animorum dispositionem, liberámque illius, qui distribuit, voluntatem. Eadem fiduciâ, eadémque honore, & fructu ad diuinorum horum mysteriorum vsum, & communionem accedit pauper, & Imperator. Quid dico, eodem honore & fructu accedit huc vterque? Sæpenumerò inops maiori operæpretio, maiorique fiduciâ ad has epulas accedit, quàm summus mundi Monarcha. Quid ita? quia Rex, vel summâ alius in auctoritate, in republicâ ordinatus,

Angeli de humanâ salute gaudent.

Deus vnà cum homine festum diem agit.

Luc. 22. v. 15.

Vitæ cœlestis mensa apponitur pauperi, & diuiti: seruo, & libero.

rerum mole pressus, multisque negotiis & casibus vndequaque vallatus, quasi in æstuanti pelago constitutus, omni ex parte fluctuum se inuicem excipientium aspergine humectatur; & quod hinc consequitur, multis subinde peccatis contaminatur. Pauper autem ab iis omnibus immunis, déque solo necessario alimento solicitus, quietam, negotiique curiosi expertem vitam ducens, veluti in tranquillo portu nauigans, cum magnâ plerumque pietate, & religione mensæ huic sese adiungit.

Neque istud solùm affligit, verùm aliunde quoque diuersæ molestiæ iis procreantur, qui circa sæcularia conuiuia, & festa occupantur. Neque enim splendidus mensæ apparatus pauperem hîc tantùm cruciat, diuitem contra recreat, gaudióque, & lætitiâ delibutum reddit; sed nitidus quoque corporis cultus, sumptuosusque vestium ornatus. Vnde quod pauperes hac in re patiuntur propter mensam, hoc ipsum etiam sustinent propter indumenta. Cùm enim inops diuitem magni pretij stolâ indutum conspicatur, dolore excruciatus miserum seipsum clamat, suámque fortunam millies execratur. Hîc autem ea etiam animi consternatio, & ægritudo sedem non habet. Vnum enim omnibus vestimentum, salutaréque indumentum inuicitur. *Quotquot*, clamat Paulus, *in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Omni proinde rubore, & verecundiâ posthabitâ, festum hoc festiuè habeamus, sensúmque, & mentem muneribus, quæ per Christi gratiam nobis obuenerunt, dignam assumamus: nec non nuntio ebrietati, gulæque in vniuersum misso, Christi Domini nostri munificentiam & liberalitatem animo pertractemus. Quandoquidem is, diuites & pauperes, seruos itidem & liberos pari honore affecit, communéque in omnes promiscuè donum effudit. Quapropter æquum est, vt benefactorem de singulari illa erga nos beneuolentiâ & gratiâ, aliquâ saltem parte remunerare studeamus. Compensatio autem idonea fuerit, vitæ conuersatio ipsi non ingrata, animáque sobria, & experrecta. Hoc præsens festum, hic publicus conuentus, non eget pecuniâ, aut vllâ aliâ impensâ, sed bonâ tantùm voluntate, puráque mente, & conscientiâ. Nullum est operæpretium, vt aliquid corporeum, aut pretio coëmptum, huc adferamus: mentis oculos ad ea tantùm conuertamus, quæ sunt spiritalia, nempe ad orthodoxam diuinorum eloquiorum explanationem, ad pias sanctorum Patrum precationes, ad Sacerdotum benedictiones, ad diuinorum secretorumque mysteriorum communionem, ad pacem, & concordiam, ad alia tandem eiusmodi spiritalia dona, quæ largitoris munificentiâ sint non indigna.

Gal. 3. v. 27

Christus pauperes & diuites pari honore afficit.

Diuinæ liturgiæ partes innuit.

Celebremus igitur festum hoc, in quo Dominus surrexit. Surrexit enim, & terrarum orbem secum pariter exsuscitauit. Et ille quidem surrexit, mortis vinculis disruptis: nos autem exsuscitauit peccatorum nostrorum catenis dissolutis. Peccauit Adam, & mortuus est: Christus non peccauit, & mortem subiit. Res noua, & planè paradoxa. Ille peccauit, & vitâ defunctus est: Hic non peccauit, & æquè nihilominus mortuus est. Cuius autem rei causâ, & propter quod illud? nimirum vt is, qui peccârat, & mortuus fuerat, per eius, qui non peccârat, mortem, à mortis vinculis liber euaderet. Eiusmodi quippiam in pecuniariis quoque debitis, vsu interdum venit: Debet exempli causâ aliquis, alicui certam auri summam: cùm eam autem pendere non queat, conijcitur in vincula: alius porrò nihil quidem debens, conflatum tamen debitum, exsoluere volens, contractum alienum æs alterius nomine soluit, eáque ratione debitorem, à vinculo, quo obstrictus tenebatur, absoluit. Tale quid est, quod inter Adamum & Christum intercessit. Debebat Adamus mortem, & vinctus detinebatur à diabolo. Christus autem neque quidquam debebat, nec ab vllo quoque vinctus detinebatur: venit nihilo seciùs, & pro mortis debitore, exsoluit mortem, quo illum à mortis laqueis expediat. Discis hinc illustrem, planéque egregium Dominicæ resurrectionis fructum. Discis insignem Domini clementiam, & benignitatem: discis curæ & prouidentiæ eiusdem magnitudinem. Ne igitur tanto benefactori ingrati simus, neque decurso iam, absolutóque ieiuniorum stadio, solito negligentiùs nos geramus. Quin potiùs maiorem nunc, quàm antea vnquam animæ curam, & solicitudinem impendere studeamus, ne carne fortè saginatâ impinguatáque, spiritus infirmior euadat: aut ne ancillâ lautiùs accuratiusque curatâ, domina ipsa in contemptum veniat. Dic, quæso, quæ vtilitas fuerit, ventre distento, penéque disrupto, mediocritatis limites transire? Constat namque, eiusmodi immoderationem, & corpus grauiter lædere, & animæ nobilitatem vehementer obscurare. Eo proinde contenti simus, quod & sat est, & naturæ conseruandæ simpliciter necessarium: ne, si secus faciamus, quæ per ieiunium collegeramus, vno quasi momento, simul effundamus, animóque simul & corpore, decori numeros perturbemus. Non inhibeo omnem animi relaxationem, aut corporis voluptatem; absit. Hortor autem, vt corporis necessitate honestè expletâ, superuacaneas dapium illecebras præcidatis, nequando iustam mensuram transcendentes, animæ sanitatem offendatis. Neque enim is, qui necessitatis metas transilit, veræ alicuius voluptatis sensu potitur, vt optimè norunt illi, qui eius rei periculum aliquando fecerunt. Immò verò innumeræ morborum species, multæque molestiæ, & animi ægritudines, plerumque hinc oriuntur. At, quòd vos adhortationi meæ obsecuturos compertum habeam (noui enim vestram in parendo facilitatem, animique promptitudinem) hîc finem imponens cohortationi, nunc ad eos orationis filum conuertere volo; qui lucidâ hac nocte, baptismatis gratiam consecuti sunt; nempe ad elegantes illas, nouellásque Ecclesiæ plantas; ad vernantes illos, spiritualésque flores; ad Christianæ militiæ tirones.

Cur Christus peccati expers mortuus.

Non minori cautione, & pietate opus extra Quadragesimâ, quàm in ipsâ Quadragesimâ.

Immoderatus cibi & potus vsus animum & corpus offendit.

Luxus & gulæ innumera incommoda.

Nudiustertiùs Christus Dominus pendebat è cruce, at nunc ex mortuis resurrexit ad vitam. Pari modo isti ante hesternum diem sub peccati iugo adhuc detinebantur; nunc verò vnà cum Christo consurrexerunt. Ille rursum secundùm corpus mortem obiit, corporéque exsuscitato ad vitalem auram denuo rediit. Hi autem paulò antè, ob peccatum morti tenebantur obnoxij, nunc verò à peccati sordibus expediti, vnà cum Christo surrexerunt. Et quidem terra, gratâ hac vernâ tempestate, rosas, violas,

Tirones baptismi comparantur cũ Domino exsuscitato.

Spiritalis eorum productio ex aquis, vernæ florum productioni assimilis.

aliósque eiusmodi flores profert; aquæ autem A floridum, terráque ipsâ multò amœnius pratum hac luce nobis ostendunt. Nec mireris, dilecte, si ex aquis florentia prata emerserunt; nam neque à principio terra, propriâ vi herbarum germina fundebat; sed Domini sui mandato obsecuta, eiusdémque virtute fœcundata. Quin etiam ipsæ aquæ per idem tempus, animantia, quæ se mouerent, produxere. Nam vbi primùm audiuerunt, *Producant aquæ reptile animæ viuentis*, quasi præcepti vim adsecuta inanima natura, è vestigio viua animantia protulit. Idem illud Dei præceptum, hoc ipso quoque tempore, eadem vi pollens, omnia conficit. Tunc non absque diuinâ virtute & iussione, aquæ, reptile animæ B viuentis producebant; nunc non reptilia, sed spiritalia charismata fundunt. Tunc vndæ brutos pisces effundebant: nunc verò Apostolorum operâ motæ & agitatæ, spiritales mentéque & ratione ornatos pisces proferunt: *Venite post me*, ait Dominus, *& faciam vos fieri piscatores hominum*. Nouus sanè & insolitatus piscandi modus: nam cæteri piscatores, quos capiunt pisces, ex aquis eiiciunt, eáque ratione quicquid piscantur, extinguunt: Nos autem Apostolorum exemplo, captos in aquas inicimus, & vitâ potiuntur.

Gen. 1. v. 20.

Matth. 4. v. 19.

Apostoli, quos capiunt pisces, vitâ donant: cæteri piscatores necant.

Extabat apud Iudæos olim aquæ piscina. Verùm, quò Iudaicarum rerum tenuitatem; hinc verò nostram opulentiam perspectiorem habeas, C disce, quàm exigui roboris illa extiterit. Illic, vt exponit Euangelista, Descendebat Angelus, & turbabat aquam, & qui primus descendisset, post aquæ commotionem, integram sanitatem consequebatur. Descendit porrò Angelorum Dominus in Iordanis fluenta, aquæ naturam sanctificans, vniuersumque terrarum orbem sanauit. Ibi, qui post primum descendisset, non sanabatur: (Iudæis enim tanquam infirmis, humique adhuc repentibus pusilla gratia obtigit) hîc autem post primum, secundus etiam descendit, & post secundum tertius, & quartus. Et quamuis decem millia, vel terrarum orbem vni- D uersum in spiritales hos latices inicias, gratiam non absumes, donum non exhauries, vndas non inficies; Domini liberalitatem non diminues. Hinc tu iam magnitudinem collige.

Ioan. 5. v. 4.

Iudæis tanquã imperfectis pusilla gratia obtigit.

Audite, qui hodiernâ luce, & nocte hac, in supernam illam Ierusalem ciues adscripti estis; rerum vestrarum satagite, curamque, & cautionem, donorum magnitudini parem, adhibete, quò hac ratione vberiorem gratiam attrahatis. Siquidem animi de beneficiis antè obtentis gratitudo, Domini liberalitatem acuit & prouocat. Non licet tibi, dilecte, promiscuam vitam in posterum ducere. Quamobrem, quò omnia post- E hac accuratè conficias, leges, & regulas tibi præfigas, multumque circa illa quoque, quæ alioqui communia videntur, studium, & diligentiam præ te geras. Tota enim præsens hæc vita, aliud nihil est, quàm perpetuum quoddam certamen, iugísque lucta; adeóque æquum est, vt omnes illi, qui in hoc virtutis stadium semel ingressi sunt, ab iis omnibus sese contineant, quæ hunc cursum remorari poterunt: *Omnis*, enim, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*. Non vides, quantam in gymnicis certaminibus, sui curam habeant, qui cum hominibus certamen

Adhortatio ad Neophytos.

Animi gratitudo Domini liberalitatem acuit.

Præsens vita perpetua lucta.

1. Cor. 9. v. 25.

A Paschate.

A susceperunt; quantáque abstinentiâ corpus exerceant, exercitiúmque demonstrent? Ad eum itaque modum, & hîc quoque fieri consentaneum est; quia *non est nobis colluctatio* cum hominibus, *sed cum spiritualibus nequitiæ*. Nostra autem exercitatio, & continentia sit spiritalis; nam & arma, quibus Dominus noster nos induit, sunt spiritalia. Habeat proinde oculus suos canones, & fines, ne temere statim in quoduis obuium ferantur: habeat lingua suum itidem septum, ne mentem aduertat: nam ob id dentes, & labra linguæ præstructa sunt, ne ipsa vnquam inconsultè per ostium erumpat; verùm tantisper impetum sistat, dum ea, quæ ad munus illius ritè obeundum pertinent, rectè constituantur. Illis porrò constitutis, tum demum cum omni orna- B tu, & decore procedat, eáque in medium adferat, & proloquatur, quæ audientium gratiam, & beneuolentiam conciliare, ipsósque ædificare valeant. Quin incompositus quoque risus, incessúsque plus nimio incitatus summopere caueri, & vitari debent. Paucis; qui in virtutum palæstram descendit, eum in omnibus & per omnia compositum decet esse, & quasi ad certos numeros redactum: si quidem externa membrorum compositio honesta, imago, & quasi certus quidam index est interioris constitutionis animi.

Eph. 6. 2.

Quod si ab initio, ad eiusmodi vitæ consuetudinem nos composuerimus, sensim progredientes, citra difficultatem, omnem virtutis viam C percurremus, paruóque labore, magnum nobis de cœlo subsidium adsciscemus. Hac enim ratione præsentis vitæ fluctus, & tempestates tutò licebit transmittere, laqueísque diaboli superatis, sempiternis illis bonis tandem aliquando potiri; gratiâ &c.

EIVSDEM IN TRIDVANAM *Domini nostri Iesu Christi resurrectionem.*

Habet Sauil. inter γνήσια t. 5. sed non videtur.

FRONTONE DVCÆO Interprete.

GAudete in Domino semper, fratres charis- D simi, *iterum dico gaudete: Dominus prope est, nihil soliciti sitis*. Dominus resurrexit à mortuis, & cum ipso multa turba sanctorum. Festum itaque diem agamus iucundè simul ac modestè: *hæc* enim verè, *dies est quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in eâ*. Prædicemus Saluatoris resurrectionem, vel salutem potiùs nostram proclamemus: prædicemus salutaris diei memoriam; prædicemus diaboli internecionem, immundorum dæmonum captiuitatem, Christianorum salutem, resurrectionem mortuorum. Per resurrectionem enim Christi gehenna quidem ignis extinguitur: vermis autem irre- E quietus moritur; infernus turbatur; luget diabolos; peccatum necatur; spiritus maligni fugantur: qui ex terrâ sunt orti, attolluntur in cœlos; qui in inferno erant, à diaboli vinculis liberantur, & ad Deum confugientes diabolo dicunt: *Vbi est mors victoria tua? vbi stimulus tuus, inferne?* Porrò sanctæ nobis festiuitatis ac celebritatis auctor Christus est, qui & omnium bonorum nobis est conciliator. Hic namque nos à principio condidit, & ex nihilo in lucem edidit: hic & nunc perditos saluos fecit: mortuos ad vitã reuocauit, & à diabolo tyrannidi extorsit. Hic nos cùm peccati serui essemus, deleto quod con-

Phil. 4. v. 4.

Psal. 117. v. 24.

Col.2.v.14. Gal.3.v.13.

tra nos erat chirographo, libertate donauit. A *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Quas ob causas æquum est, vt nos quoque dicamus: *Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?*

Psal.115. v.3.

Cùm Deus esset vnigenitus, hominem fieri propter nos ipsi complacuit: & factus est vsque ad mortem obediens, vt à morte nos æternâ vindicaret: serui formam gestauit, Dominus Angelorum: carnem assumpsit Deus Verbum: & homo apparuit, qui conformis & consubstantialis est Patri, atque hæc subiit vt ab iniquâ nos eriperet seruitute, & ab ignominiâ redimeret. Propterea in carne pati dignatus est vitæ largitor: propterea & sepultus est fons immortalitatis; vt æternam vitam mortalibus largiretur. Atque in terris quidem versatus est benefaciens, & hominum sanans ægritudines; sed indigna à Iudæis Deo repugnantibus præmia reportauit. Nam Dominus quidem noster Iesus Christus per summam benignitatem leprosos mundabat, cæcis visum impertiebat, claudos sanabat, dæmones eiiciebat, quatriduanum Lazarum à mortuis excitabat: & ex quinque panibus hominum quinque millia saturauit, ambulauit in mari, aquam in vinum mutauit, fœminam, quæ sanguinis fluxum patiebatur, curauit; filiam Archisynagogi mortuam C suscitauit, aliáque multa mysteria admiratione digna perfecit: Iudæi verò inuidiâ & liuore commoti, aliquando quidem Dominum lapidabant, aliquando autem præcipitare conabantur, ad extremum etiam in crucem egerunt. Verumenimuerò Dominus noster Iesus Christus blasphemorum Iudæorum improbitatem non est imitatus, sed dorsum suum dedit ad flagella, vt inquit Propheta, & genas suas ad alapas: & faciem suam non auertit à confusione sputorum, & ad extremum, *sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus*, non repugnans, non contradicens: *cùm malediceretur, non vicissim maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem se iudicanti iustè.* D Non enim venit in primo aduentu, vt castigaret ac puniret incredulos: sed per longanimitatem & patientiam eos qui aberrauerant, voluit ad tramitem veritatis traducere. Ac vide quanta sit Domini bonitas, & quàm magna eius benignitas: conuitiis eum incessebant Iudæi, & ad eum dicebant, *Dæmonium habes;* Dominus autem, vt erat longanimis, dæmones ex hominum corporibus expellebat. Iudæi in faciem Saluatoris spuebant; ipse verò cæcos eorum sanabat: Iudæi Christum lapidabant; at Christus claudis eorum, vt currerent, largiebatur: & in vniuersum ad finem vsque beneficiis cumulauit E eos, à quibus iniuriis afficiebatur, & pro malis bona ingratis illis ac scelestis hominibus largitus est. Dum autem contumelias ita patienter ferret, forsan & inbecillis censebatur is, cui Angeli satellitum more famulantur. Ac ne multa dicentes longiore vti oratione videamur, ad ipsa rerum capita veniamus.

Phil.2.v.8.

Domini in humanum genus beneficia, ac Iudæorum inuidia.

Isai.50.v.6. Isai.53.v.7.

1. Pet.2. v.23. Vulg. iniustè.

Ioan.7. v.20.

Tandem igitur ad crucem, mortémque ductus est Rex gloriæ, & ligno affigitur, is quem Cherubim Seraphimque collaudant, quem Virtutes omnes & Angeli adorant. Hæc autem leniter tolerauit, ac passus est nobis præbens exemplum, & modestiæ factus magister. Idcirco igitur debemus & nos improborum hominum minas generosè ferre. Atenim etiam cùm in cruce penderet, maiora edidit, ac plura miracula: vt hac saltem ratione Dei osorum insaniam refrænaret: vt nullus relinqueretur illis incredulitatis prætextus; néve dicerent se nudum hominem crucifixisse. Primùm itaque se crucifigi passus est Christus, & in aërem attolli: vt dæmones, qui in aëre versantur, fugaret: in ligno suspensus est, vt quod per lignum hominibus quondam adnatum erat, peccatum sanaret; deinde verò latus eius lanceâ vulneratum est, propter mulierem, quæ ex Adami latere sumpta fuit. Nam quoniam serpens Euam seduxit, Eua porrò vt Adamus peccaret, effecit; in vtrumque autem sententia pronuntiata est; *& regnauit mors ab Adamo vsque ad Moysem etiam in eos, qui [non] peccauerunt:* propterea latus vulneratur, vt discamus Christi passionem non viris tantùm, sed & mulieribus salutem attulisse. *Adam enim primus formatus est, deinde Eua: Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit: saluabitur autem per prolis generationem.* Quam verò prolis generationem, nisi prolis generationem Mariæ? ea namque Christum enixa est, non vbi cum viro conuenisset, vt Isaïas testatur, sed cùm eam Spiritus sanctus obumbrasset, vt Gabriel Archangelus feliciter nuntiarat. Hac igitur occasione & Christi latus percutitur, vt & ea quæ prædicta fuerant, dispensentur, & baptismi sacramentum prædicetur, & gratia futura splendeat. Sanguis enim & aqua ex latere Christi scaturiunt, vt quod aduersus nos erat chirographum peccati, deleat, & ipsius sanguine mundemur, ac paradisum recuperemus. O magnum mysterium! pœnitentiam egerat Latro: aquâ opus erat, vt baptizaretur; in cruce suspensus erat: alter Baptismi locus non erat: non fons, non lacus, non pluuia, non qui mysteriis eum initiaret (omnes enim propter Iudæorum metum aufugerant discipuli) non tamen Iesu latices defuerunt; sed & in ipsâ cruce pendens, conditor aquarum est factus. Quandoquidem fieri minimè poterat, vt sine baptismate Latro in regnum intraret; eum verò, qui pœnitentiam egisset, baptismo destitui non oportebat; aquam & sanguinem è vulnerato latere suo Saluator emisit, vt & Latronem à malis impendentibus liberaret, & sanguinem suum, eorum qui in ipsum spem ponerent, redemptionis pretium factum esse declararet. *Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi* Saluatoris nostri vim obtinuit Christianos omnes simul expiandi? Si dixerit ergo tibi quispiam ex infidelibus, Quid ita crucifixus est Christus? dic illi, vt diabolum crucifigeret: si dixerit tibi, Quare in ligno suspensus est? dic illi, Vt peccatum quod in paradiso per lignum adnatum fuerat, emendaret. Si ergo dixerit tibi, Cur spinas gestauit? dic illi, vt Adami spinas & tribulos eradicaret. Ille enim ad gemitùs & trepidationes & colendas spinas ac tribulos est damnatus. Iesus itaque vt erat hominum amans, cùm vellet creaturæ suæ prouidere, omnia nostrâ causâ sustinuit; vt nos à condemnatione liberaret. Vt enim ex muliere natus est,

Allegoria vulnerati Christi lateris.

Gen.2.v.22. Rom.5.v.14.

1.Tim.2.v.13.

Isa.7.v.14.

Dicta hæc exaggeratione, alioqui nec Latro verè baptizatus fuit, nec baptismus in re necessarius, vt adultus sine eo saluari non possit. Idem tamē auctor tract. de cæco nato & Latrone.

Heb.9.v.13.

Christus à omnia patitur, vt malis nos liberet.

Vt quod ex muliere adnatum erat hominibus, peccatum deleret: ita & spinis coronatur, vt malè cultam ab inobedientiâ terram, obedientiâ suâ magis satiuam & cultiorem redderet. Quòd si dicat tibi, Fel & acetum cur ebibit? dic ei, vt nos lethiferum draconis venenum euomeremus: fel enim illud dulcedo mea, & acetum medicamentum meum est factum. Sin autem dicat rursus infidelis, Cur chlamydem coccineam est indutus? cur genu flexo accedebant ad eum? dic illi, Vt etiam nolentes eum adorarent Iudæi, & regnum eius in terris etiam faterentur. Nunc quidem irridentes adorabant, nescientes quid facerent: in futurâ verò resurrectione *omne genu*

Phil.2.v.10.

flectetur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, Amen. Habet & alteram significationem illa chlamys: non enim tantùm regnum designabat, sed & sanguinis auiditatem, & ad cædem propensionem Iudæorum demonstrabat. Dederunt autem & calamum in manu eius, vt eorum peccata scriberentur. Atque hæc quidem ab illis Christi hostibus fiebant, cùm eum, qui crucifigebatur, non nossent; vel potiùs cùm vltro excæcati essent: at ipsa creatura Dominum suum, & conditorem non ignorauit: Etenim adhuc de cruce pendente Saluatore, cùm vidisset sol sensibilis Solem iustitiæ Christum, ab iniquis, ioiunis affectum, facinus illud indignum non ferens fugit, ac tenebras terris offudit; atque absurdum existimauit adiuuare, & illuminare oculos illos, qui maximam impietatem perpetrarent. Neque verò sol tantùm fugit, sed & eorum quæ gerebantur, iniquitatem terra non ferens concutiebatur, demonstrans & docens, eum, qui cruci affigebatur, Deum esse: quamobrem ferre non poterat, sed indignabatur: neque suâ mole sustinere Dei hostes illos Iudæos volebat. Non enim adeò fratre cæso contaminauit terram Cain: non adeò illam Gigantum ædificatio turris grauauit: non ita infanda perpetrantes Sodomitæ illam inquinarunt: neque ipsi qui ex eâ sunt idola fabricati: non Zachariæ & Abelis sanguis effusus, illam adeò grauauit, quantùm Iudæi cùm magnam illam committere impietatem ausi essent. Propterea & duræ petræ scindebantur, vt discerent hunc spiritualem ac viuam esse petram,

1.Cor.10.v.4

Bibebant enim, inquit, *de spirituali consequente eos petrâ: petra autem erat Christus.* O improbitatem Iudæorum! Petræ scissæ sunt, & hi stupidi nihil mouentur: inanimata concutiuntur, & animati non credunt: velum templi frangitur, vt deinceps eius desolatio demonstretur: Scissum est enim velum, & denudata sunt quæ in templo erant, propter Christum qui dixerat:

Matt.23. v.38.

Ecce relinquitur domus vestra deserta. Nam & desolata sunt post cædem Christi sancta quæque, & veneratione digna apud Iudæos: & qui assistebant vrbi ac templo, discesserunt illinc Angeli, séque ad Ecclesiam contulerunt.

Matt.27. v.52.

Multa verò corpora Sanctorum, qui dormierant, cum Christo *surrexerunt*: vt dicamus nos, Christum mortuum solum non resurgere, sed omnes, qui in ipsum credunt, à mortuis excitari.

Hæc est, vt in summâ dicam, veneranda Paschæ festiuitas, & hæc mysteria Christianorum: ob resurrectionem mortuorum & vitam æternam festum celebramus. Itaque festum agamus,

1. Cor. 5. v.7.

& epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, cre-

A Paschate.

dentes in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: in Trinitatem consubstantialem, increatam; credentes resurrectioni, Dominum iterum venturum expectantes, non quidem adhuc humiliter, sed gloriosè cum cælesti splendore, cum refulgentibus Angelis, cum tubâ, & metu, & lætitiâ: lætitiâ quidem sanctorum atque iustorum, metu verò iniquorum atque peccatorum. Deus autem pacis, nos omnes in operibus bonis ac fide orthodoxâ repertos, resurrectione cum Angelis dignetur: gratiâ &c.

EIVSDEM ORATIO CATEchetica in sanctum Pascha.

THEODORO PELTANO Interprete.

Habetur in Triodio Græcorum, & apud Sauil. t. 5. inter ἀμετ-Cαλλόμμα.

SI quis religiosus, si quis pius, si quis Dei amans est, præclarâ hac solennitate fruatur. Si quis seruus æquus, & gratus est, in Domini sui gaudium lætus ingrediatur. Si quis ieiunio defatigatus est, denario nunc potiatur. Si quis à primâ diei horâ operi insudauit, iustam hac luce laboris mercedem capiat. Si quis post tertiam venit, cum gratiarum actiooe festum hunc diem celebret. Si quis post sextam accessit, animo ne pendeat: nullum hinc enim detrimentum capiet. Si quis ad nonam vsque otiosè cunctatus est, accedat, de iusto stipendio nihil hæsitans, Si quis ad solam vndecimam attigit, ob tarditatem ne consternetur. Cùm enim Dominus summæ liberalitatis existat, suscipit perinde vltimum, ac primum; hoc est, æquè illum solatur & recreat, qui ad vndecimam laborare cœperat, atque eum, qui à primâ diei horâ operi intentus fuerat. Postremi miseretur, primum demeretur: Huic præstat, illi liberaliter donat: opus honore, animi propositum laude prosequitur. Omnes proinde in gaudium Domini vestri introite; primi, & vltimi pactam laboris mercedem capessite. Pauperes, & diuites vnà inter vos choros ducite. Studiosi, & ignaui festam hanc lucem honorate. Qui ieiunastis, & qui manducastis, hodiernum hunc diem lætum ducite.

Non quòd & primus gratiâ non fruetur, sed quòd & labores proprios adiunxit.

Mensa plena est, genialiter viuite omnes. Vitulus pinguis, & magnus est, nemo famelicus hinc abscedat. Omnes benignitatis illius opibus fruamini. Nemo ob inopiam lamentetur: offert se enim commune regnum. Nemo ob delicta, quæ patrauit, desperet; venia namque ex sepulchro exorta est. Nemo posthac mortem paueat, siquidem Saluatoris mors ab hoc metu nos liberauit. Nam, dum iniustè à morte detinetur, mortem extinxit. Qui ad inferos descendit, infernum malè mulctauit: eumdémque, dum carnes illius degustat, exacerbauit, maiorémque in modum conturbauit. Atque hoc dudum antè proclamarat Esaias:

Isai.14. v. 9.

Infernus, ait, *subter conturbatus est in occursum aduentus tui.* Exacerbatus est, qui delusus est, Arripuit corpus, & incautus incidit in Deum. Comprehendit terram, & offendit in cœlum. Corripuit, quod videbat, & decidit, vnde non videbat.

1.Cor.15. v.55. Ose.13.v.14

Vbi nunc, mors, stimulus tuus? vbi nunc victoria tua, inferne? Surrexit Christus, & re deiecit: Surrexit Christus, & ceciderunt dæmones: Surrexit Christus, & lætantur Angeli: Surrexit Christus, & nullus mortuorum in monumentis reliquus est.

1.Cor.15. v.20.

Christus enim *surrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* Ipsi sit gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM, IN RECENS *Baptizatos, & in Pascha.*

Fr. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex autographo R. P. Sirmundi S. I.

REipsâ occurrerunt, ô filij, quæ vobis eramus polliciti. Habetis resurrectionis symbola. Habetis coronam baptismatis. Habetis piscinæ dignitatem. Peperit vos Spiritus sponsa. Spiritum accepistis qui condiuit. Christus frater vester appellatur. Angelis superiores effecti estis. Tanquam à cœlis ex aquis prodiistis. Tanquam sol nobis exorti estis. Tanquam stellæ terrarum orbem illustratis. Terram firmamentum fecistis. Per vos terræ fines festum agitant. B Per vos exultat creatura. Per vos cœlum ornatur. Per vos aër lætam induit speciem. Vos gaudium Angelorum. Vos naturæ fiducia. Vos redemptio peccatorum. Vos iustorum, ac eorum qui puri sunt, vocatio. Vos eorum qui desponderunt animum, reuocatio. Vos nutantium tota securitas. Vos vrbis spes, ad vos confugientis. Verùm rogamus vos, Adiuuate. Quandiu omnis generis armaturam fertis, vrbis nostræ præsidio estote. Quandiu habetis fiduciam, nos metu liberate. Soluite instantem turbationem. Concussa fundamenta stabilite. Christo, quem induistis, supplicate. Cuius bibitis sanguinem, C huius deitatem rogate. Christum ex altari sumitis. Ne enim in hoc solùm respiciatis, quod oculis conspicuum est. Nolite existimare nudum panem esse. Aspectu est humili, virtute immortali. Exiguum cernitis, magnáque largitur. Partem simul concedit, inque vnum totum transfert. Cùm apud te totum est, tum cuique totum integrum manet. Non enim diuiditur œconomiæ mysterium. Corpus à gratiâ non præscinditur. Non secatur à nobis panis, quem paulò pòst sumpturi sumus. Non in partes diuiditur Christus, cùm ab innumerabilibus manibus teneatur. Ex iis quæ iam contigerunt fidem accipite. Intellexistis quomodò non sit diuisus D qui crucifixus est? quomodò œconomiam nihil in partes secuerit? quomodò in miraculis & passionibus integer perseuerauerit? Cruci suffixus erat, & orbis terminos continebat. A ligno portabatur, & rerum vniuersitatem portabat. Clauis confixus erat, & omnibus applicabatur. In terrâ iudicij reus agebatur, iudexque in cœlis præsidebat. Immolabatur, & piscina efficiebatur. Mortuus est, nec extinxit radios. Dimisit animam, nec deitatem amisit. Descendit ad inferos, vitamque impertijt supernis ciuibus. Eum sepulchrum contexit, nec lumine priuauit. Mors rapuit, nec quòd Deus est perdidit. Terra E accepit, nec cœlos amisit. Mater ipsum lugebat, Paterque in sinu eum seruabat. Iudæus sepulchrum obsignabat, omniáque Saluator tuta præstabat. Lapis contegebat sepulchrum, Christúsque implebat mundum. Miles calumniam struebat, & Angelus prædicabat: *Quid*, inquiens, *quæritis viuentem cum mortuis?* Quid curiosiùs vacuum sepulchrum lustratis? Quid inuisibilem in monumento quæritis, quem nemo aspexit? Corruptione maiorem, corruptio inuadere nequiuit. Cœlo diffusiorem, sepulchrum capere non sustinuit. Immortalem, mors non cognouit. *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Quid in terrâ aspicitis sedentem in cœlo?

Refert baptizatorum fiducia impetrandi.

In altari ipse Christus, non nudus panis.

Indiuisus in mysterijs, vti & incarnatione fuit.

Luc. 24. v. 5.

A Quid erratis, nescientes mysterium? Non erat Christus id duntaxat quod externâ specie oculis ingerebat. Videbatur mortalis, & intelligebatur Deus. Cùm mortuus erat, tum vita existebat. Iudicabatur, & latebat. Sistebatur Pilato, nec à cœlis recedebat. Vinciebatur, & creaturam quæ dissolueretur adstringebat. Iugulabatur, & non moriebatur. Cruci affigebatur, nec ab inimicis aspiciebatur. A solo Latrone conspectus est. Solus ille eum, qui in passionibus non patiebatur aspexit. Ille fidei oculis faciem videbat miraculi. Deitatem ex carne didicit. Ex corpore, occultam in eo aspexit virtutem. Sic quoque tu facito, eumque visurus es qui oculis conspici non potest. Latronem imitare, & cognosces Dominum. B Cùm acceperis corpus, miraculum cogita. Cùm tenueris panem, ipsum animo Verbum concipe. Cùm sumpseris vnguentum, cogita totum. Partire animæ corporique mysterium. Manu quidem munus tene, animo autem quod illo occultum est. Complexare panem, & deitati osculum defige. Manduca corpus, ac quod corpus est, animo adora. Manus teneat, hæcque animus dicat: *Deus meus, & Dominus meus.* Cognatus meus & herus: iudex & aduocatus: sancta & artifex: conditor, sponsusque: qui formasti, & gestasti me; sanctifica meum animum: præbe cor sapiens: à fordibus libera: C custodi à dolo: ab iniuriâ serua: vitia mea extermina: tuam infer gratiam: salutem meam confirma: auge desiderium tuum; vt cum fiduciâ te semper tenere, ac dicere valeam. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ipsi gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Christus idem Deus & homo.

A Latrone agnitus, & quod erat, visus.

Ioan. 20. v. 28.

Psal. 22. v. 4.

EIVSDEM SERMO CATEcheticus *in sanctam ac illustrem gloriosæ ac salutaris Christi Dei resurrectionis diem.*

D Ex Græcorum Triodio, & MS. Episcopi Philad. apud Sauil. t. 5. inter Chrysost. dubia. Extat etiam Peltani versio inter Chrysost. opera.

SI quis pius ac Dei amans, præclarâ hac splendidáque celebritate fruatur: si quis seruus, ingret gaudens in gaudium Domini sui: si quis ieiunando laborem habuit, nunc denarium recipiat: si quis à primâ horâ laborauit: iustam hodie mercedem consequatur: si quis post tertiam venit, epuletur in gratiarum effusus actionem: si quis post sextam accessit, nihil dubitet (nihil enim inde damni sustinebit:) si quis defuit vsque ad nonam, accedat nihil ambigens. si quis venit duntaxat vndecimâ, ne tarditatis ergo terreatur. Cum enim Dominus E munificus sit, nouissimum recipit vti & primum: eum reficit qui horâ vndecimâ, haud secus ac eum, qui ab ipsâ primâ labori intentus fuit. Tum nouissimi miseretur, tum fouet primum: illi pariter tribuit, atque huic largitur: tum habet actioni honorem, tum laudat propositum. Omnes itaque intrate in gaudium Domini nostri, primique ac nouissimi mercedem recipite: diuites atque pauperes simul choros ducite; continentes ac segniores honorem diei habetote: qui ieiunastis, quique non ieiunastis communem hodie lætitiam agite. Mensa plena est, omnes deliciamini: multus vitulus, nemo esuriens excedat; bono omnes pin-

Al. diuitijs bonitatis.

guique fruimini conuiuio. Nemo paupertatem lugeat: Illuxit enim commune regnum: nemo lugubriùs deploret: Venia enim è sepulchro orta est: nemo timeat mortem; Saluatoris enim mors nos libertati asseruit. Mortem extinxit, cùm ab illâ teneretur: infernum deprædatus est, qui descendit ad Inferos: Ipsum exacerbauit, cùm is eis gustasset carnem: hocque olim prædicens Isaias, clamauit: *Infernus*, inquit, *exacerbatus est, tibi subter occurrens.* Exacerbatus est; nam & pessundatus est: exacerbatus est; nam & illusus est: Accepit corpus, & cum Deo congressus est: accepit terram, & occurrit cœlo: accepit quod videbat, ceciditque eius plagâ, quem non videbat. *Vbi, mors, stimulus tuus? Vbi, Inferne, tua victoria?* Surrexit Christus, túque prostratus es: Surrexit Christus, corruerúntque dæmones: surrexit Christus, & gaudent Angeli: surrexit Christus, vitáque regnat: surrexit Christus, nullúsque in monumento mortuus. Christus enim resurgens ex mortuis, factus est primitiæ dormientium: ipsi gloria & Imperium in sæcula sæculorum: Amen.

Al. *puniuit.*

Isai.14.v.9.

1. Cor. 15. v. 55.

EIVSDEM IN SANCTVM *Pascha.*

Ex MS. Regio ex quo etiam Sauil. emend. ad MS. Episc. Philadep. Est inter Varyeno. Magis refert. Maximum, quàm Chrysost. Christianorum Paschatis excellentiâ.

ORATIO.

IVdæi quidem terrenum celebrantes Pascha, cœleste negauerunt; nos autem, qui celebremus cœleste, terrenum supergressi sumus: atque, quod apud illos quidem Pascha celebrabatur, signum erat salutis Iudæorum primogenitis concessæ, cùm illi, victimæ Paschalis sanguine symbolicè seruati, non pari cum Ægyptiorum primogenitis nece perierunt; quod autem apud nos agitur Pascha, causa existit salutis vniuersorum, à Protoplasto ducens originem, qui vniuersis sospes est, ac vitæ generatur. Porrò partes. eorum quæ perfecta sunt; temporaneáque, eorum quæ æterna, imagines atque figuram ad veritatem, quæ nunc orta est, informandam præuiè designabant. Vbi autem adest veritas, importuna figura est. Putà cùm Rex adest, nemo Rege ipso viuente misso, Regis imaginem adorare velit. Nonne hinc, quàm figurâ à veritate superetur, liquet? quando nimirum figura quidem exigui temporis vitam primogenitorum Iudaici populi festis gaudijs recolit; veritas autem, iugem vitam vniuersi humani generis. Non enim magnum aliquid, vt quis postmodum breui moriturus, ad tempus modicum mortem effugiat: sed id magnum, vt effugiat omninò: quod nobis, quibus Pascha immolatus est Christus, contigit. Quin & ipsum celebritatis nomen maximam quandam excellentiam habet, de veritate expositum. Est enim Pascha, vt vocem interpreteris, transitus, quando Exterminator, qui primogenita percutiebat, transiit domos Hebræorum: apud nos autem verus est Exterminatoris ille transitus, cùm nos ille à Christo suscitatos, omninò transierit. Sic sanè totum festi Paschatis considerare oportet argumentum, atque credere, pro normâ ac ratione Apostolicarum expositionum: cupit verò fidelis animus, totam ipsam figuram intelligere, vt se habeat ad veritatem, ac velut oculis contueri, quæ ad ipsam spiritalia spectant, ex iis, quæ tunc temporis corporalia erant, vt & illi vniuersa legalia congruè habeant Christiano sensu intellecta; ac tum per spirituale, quod est corporeum clarius efficiatur, tum quod inuisibile, velut depictum eluceat, in iis quæ visibilia sunt.

Quid nomẽ ipsum, vtq; eius veritas in nobis.

Deus itaque plagam decimam iam illaturus Ægyptijs; mortem scilicet primogenitorum; in hæc verba loquitur ad Moysen: *Mensis hic vobis principium mensium; primus vobis erit in mensibus anni.* Tum deinceps Paschalem victimam sancit, & vt eius sanguine oblinantur fores; cui quidem vnctioni, primogenitorum salus promissa fuit. Quidnam verò id significat, quod statim in veritate considerandum occurrit; vt nimirum tempus illud, quo Pascha, ac primogenitorum salus futura esset, anni principio definiatur? Quòd & nobis veri Paschæ immolatio, principium foret æternæ vitæ. Annus quippè, sæculi symbolum est, ac æternitatis; qui nimirum in orbem recurrens, in se ipse semper reuertatur, nec in vllo fine quiescat: *Paterque futuri sæculi* est, qui pro nobis victima oblatus est Christus; qui iam nobis actam vitam omnem velut sine tempore faciens, noui principium temporis per lauacrum regenerationis tribuit, secundum mortis suæ similitudinem, ac resurrectionis. Atque adeò quisquis pro se immolatum Pascha cognoscit, hoc sibi vitæ principium nouerit, ex quo Christus pro eo immolatus est: tunc verò ille pro eo fuerit immolatus, cùm agnouerit gratiam, vitámque intellexerit, quam victimæ illius ope consecutus fuit. Atque hoc cognoscens, nouam vitam cupiat auspicari, nec iam ad veterem recurrat, ad cuius finem peruenit. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc viuemus in illo?* Ac quidem principij anni symbolum, eiusmodi existit.

Exod. 12. v. 2.

Quid anni principium in Paschate.

Isai. 9. v. 6.

Rom. 6. v. 2.

Porrò iubet vt mensis decimâ quisque per domos ouem accipiat; vtque tot sint in domo, quot ad esum sufficiant, ac nihil remaneat: atque vt ouis immoletur quartadecimâ ad vesperam. Atque adeò quinque dierum spatio cum illis victima versatur, qui per illam salutem sunt consecuturi: quintâ autem die finitâ, tum mactatur victima, tum mors transit: ac qui fuit saluatus, iugi perfruitur luce, lunâ totam illustrante noctem, ac sole lunam excipiente. Sic enim lunâ quartadecimâ, ac plenâ se res habet. Porrò quinque hæc dierum interualla, mundi tempus vniuersum designant, quod partibus quinque diuiditur: nimirum ab Adam, vsque ad Noë; atque à Noë vsque ad Abraham; & ab Abraham vsque ad Moysen; & à Moyse vsque ad Christi aduentum: ac demum quintum in Christi aduentu: quo toto tempore, proposita quidem erat homini salus, beatæ victimæ immolatione futura, necdum tamen peragebatur: at in quinto temporis spatio verum Pascha immolatum est; perque illud saluatus homo primò conditus, in iugem lucem euasit. Quin illud quoque, vt agnus non in ipsâ vesperâ immolaretur, sed ad vesperam, id significabat, passurum Christum non in ipso fine æui præsentis, sed sub ipsum. Sic autem diuisum tempus ostendit parabola, quâ dies in partes quinque secatur, ac qui ad vineam vocati erant: id est, ad colendam iustitiam: cùm nimirum vocatos ait, alios quidem sub primam horam, alios sub tertiam, alios sub sextam, alios sub nonam, alios denique sub vndecimam. Etenim diuersæ erant illæ vocationes, ac diuersa merita; aliud quidem Adami tempore;

Quid quartadecima, victimaq;, ac nox lucida consequent.

Matth. 20. v. 1.

aliud tempore Noë; aliud tempore Abrahæ; A aliud tempore Moysis: postremum verò ac absolutissimum tempore aduentûs Christi, quando etiam merces nouissimis primis redditur, iuxta quod salutari parabolâ expressum est. Primi namque ipsi regenerationem recipimus in baptismo, quibus Christus immolatus fuit; & quibus resurrexit, ac Spiritum sanctum, quo instaurandi essemus, insufflauit. Hæc verò est quartadecima: spiritali sensu intellecta, ac tale quoddam victimæ symbolum, quæque immolationem lucida nox, diésque consequitur.

Victima integra in singulis domibus, quia vna Ecclesia.

Illud autem, vt tota victima singulis domibus comederetur, nec quicquam de eius carnibus foras efferretur, vnam domum significat, quæ sola salutem, quæ in Christo est, consequatur: nimirum, toto orbe diffusam Ecclesiam, B olim quidem à Deo alienam, nunc autem solam ei necessitudine coniunctam, eò quòd missos à

Iosue 2. v. 1.

Domino Iesu susceperit, ac si sola domus quondam meretricis Rahab, susceptis exploratoribus à Iesu missis, vastatâ Iericho salua fiat. Quapropter, etsi plures erant Hebræorum domûs, vnius tamen vim, ac rationem habebant: quomodò quæ per ciuitates ac prouincias Ecclesiæ existunt, cùm sint multæ numero, vna nihilominùs Ecclesia sunt. Vnus enim in eis vbique Christus existit, ipse perfectus ac indiuisus. Adeóque perfecta erat in domibus singulis victima, nec in di-

Eph. 4. v. 5.

uersis diuidebatur. Sanè Paulus, nos quoque C omnes vnum in Christo esse ait, eò quòd & Christus vnus sit, & fides vna. Indiuisam ergo victimæ vnitatem necessariò lex in Christo præfigurabat, in quâ ipsâ vnitate, Ecclesiæ quoque vnitatem præuiè designabat. Nam in Christo quidem habemus salutem, ac in Christi victimâ; vniuersáque eius aduentum antecedentia, eiusmodi nouimus, vt essent præuiè ad illum comparata: atque vnum hoc à principio, vniuerso humano generi ad salutem propositum, ac si Christus velut præ oculis omnium causâ immolaretur. Hanc porrò salutem ad vnam scimus spectare Ecclesiã, neminémque esse qui extra eam D positus, aut Christi fidei particeps, aut saluus esse possit. Ac cùm hæc sciamus, nec in legalibus, sed in Christo, mundi vniuersi salutem consummatam nouimus, nec quicquam impijs hæresibus ad salutem concedimus: sed omni prorsus spe destitutas asserimus, vt quæ ne quid minimum Christi sint participes, sed sibi frustra salutare adscribant nomen, ad eus in errorem mittendos, damnóque afficiendos, qui potiùs nomini ac laruæ, quàm veritati attendunt. Neque ergo vllus vetera à Christo abiungat, nec verò aliquem priorum sine Christo salutem consequi existimet; ac nec eos qui modò prauè docent, ac E veritatem adulterant, inanésque Ecclesiarum species, ac laruas, nullâ fultas veritate, ac alienas à Christo confingunt. Quotquot eiusmodi sunt nemo Christianos appellet, neque eis velit communicare. Qvippe nefas est. Non enim victima, sacrâ effertur domo; aut ad eorum, qui sunt foris, communionem producitur.

Nec veteribus sine Christo, nec vlla hæreticis salus.

Agnus perfectus quid.

Porrò præfiguratum videmus ad Domini gloriam, vt ouis perfectus esset, masculus, ac anniculus. Perfectus quidem, quòd solus Christus omni sit absolutus virtute, ac modis omnibus immaculatus: vtque nullam in eo vel à principio vel in fine iustitiam quis desideret, quemadmodum ipse ait: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Idcirco etiam omnes victimæ perfectæ offerebantur, ac sine vitio, eò quòd omnes immolarentur in figuram Christi. Quin & Sacerdotes membris omnibus integros esse, ac perfectis corporibus iubebat Deus, quòd vniuersi, veri Sacerdotis figura essent. Ouis autem masculus, ob principatum, naturâ principatum habens, sicut masculus, vt ad fœminam comparetur, corporis ratione obtinet principatum. Christus siquidem naturâ ac veritate Princeps est, atque Rex, tanquam homo cœlestis existens: nobis quidem consertus tanquam frater vt carnis naturam spectes; idemque nobis præsidens tanquam Dominus, vt Deitatis spiritalem naturam. Quapropter etiam sponsus est, ac solus ipse sponsus, velut sponsæ vniuersæ hominum naturæ. Ac neque Ioannes sponsus Prophetarum maximus; qui nimirum de Christo, deque se ipse loquitur. De Christo quidem: *Qui habet sponsam, sponsus est.* De se autem: *Amicus autem sponsi, qui stat, & audit vocem eius, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Quin ne Apostoli quidem sunt Ecclesiæ sponsi, quanquam per gratiam acceperunt vt Christo similes essent, ac sint effecti Christi filij per Spiritum Christi. Nam quid ait beatus Paulus: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Itaque Princeps reuerâ, herusque, ac Rex, Dominus, non tantùm quia Deus erat in hominibus, sed & ratione præexistentis Deitatis, quâ per naturam Rex est vniuersæ creaturæ; non accepto regno per gratiam, sed habens veritate, ac quia ex Patre natus sit.

Matth. 3. v. 4.

Quid masculus.

Solus Dominus Spõsus: vniuersitas hominũ sponsa.

Ioan. 3. v. 29.

2. Cor. 11. v. 2.

Quid anniculus.

Ad hæc erat ouis anniculus, quo Christi in terrâ nouitas designabatur, nihil habentis humanæ vetustatis. Si quis ergo purum hominem ponit Dominum, nostræque [tantum] naturæ asserit Christum, ouis hic non est perfectus, neque immaculatus. Nullus enim hominum est immaculatus, ac ab omni liber crimine. Ouis hic non est masculus; nemo enim naturalem ac vniuersalem principatum habet super eiusdem naturæ homines. Qui item creatis accenset Dominum, aitque habere deitatem non à naturâ, sed acceptam per gratiam; ne hic quidem habet masculum ouem, qui pro ipso immoletur. Non enim nouit naturâ Regem; sed ad alium malè declinat, qui non est naturâ, nec veritate. Quin & si quis ex humanâ quid vetustate in Christum reducit, vel peccati capacem audet dicere, aut legis seruituti addictum, aut morti necessitate obnoxium, ouem hic anniculum non habet, nec sensum accepit nouitatis quæ est in Christo.

Isai. 53. v. 7.

Leuit. 4. v. 23.

Superest vt ouis ac hirci symbolum consideremus. Est itaque ouis quidem iuxta Isaiam, mansuetudinis Christi symbolum. *Tanquam ouis enim ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se mutus.* Hircus autem secundum legem, victima erat pro peccato. *Hircum* enim, inquit, *de capris pro peccato.* Qui itaque ouis mansuetudine oblatus est, immolatus est pro peccato, ac si hircus esset: dans seipsum per mansuetudinem pro salute hominum; quam vtinam consequamur fide ac dilectione eius, qui nostri causâ passus est Dominus Iesus Christus, per quem, ac cum quo gloria Patri cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum: Amen.

Prosequitur auctor tractatibus alijs allegorias istas: mihi visum satis hactenus illum dare, velut ad speci-

tnen. Stylus totus longè est à Chrysostomi stylo, quanquam auctor est non ineruditus: Gregorius Nyssen. multa habet similia,

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in die sancto Pascha.

HOMIL. I.

Serm. 156. de temp. rejectus in Append. Est inter Serm. Eusebio inscriptos.

NOn queo, Fratres charissimi, quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non solùm ego patior, qui cupio narrare quæ sentio, sed etiam vos mecum patimini, plus exultantes in conscientiâ, quàm in eloquio proferentes. Videtur mihi hæc dies cæteris diebus esse lucidior, sol mundo clarior illuxisse, astra quoque omnia, vel elementa lætari: & quæ patiente Domino proprium lumen retraxerunt, & noluerunt creatorem suum aspicere crucifixum, ecce tunc victorem illum, & ab inferis resurgentem nouo claritatis suæ venerantur obsequio. Credit cœlum, credit terra: & sagena, quæ totum mundum piscata est, Iudæos tenere non potuit. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ.* Quomodò Maria virgo Mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet, ita & inter cæteros dies hæc omnium dierum mater est.

Psal. 117. v. 24.

Rem nouam dico, sed quæ Scripturarum vocibus comprobatur. Hæc dies vna de septem, & extra septem est. Hæc dies, quæ appellatur octaua. Vnde & in quibusdam Psalmorum titulis superscribitur, *Pro octauâ*. Hæc est, in quâ Synagoga finitur, & Ecclesia nascitur. Hæc est in cuius numero octo animæ seruatæ sunt in arcâ Noë. Et quid mihi necesse est infinita replicare? dies me deficiet, si voluero omne diei istius exponere sacramentum: hoc tantùm dico, quòd vniuersa Sabbati gratia, & antiqua illa festiuitas populi Iudæorum diei istius solennitate mutata est. Illi in Sabbato non faciebant opus seruile, nos in die Dominicâ, hoc est, in die resurrectionis opus seruile non facimus, quia peccatis & vitijs non seruimus. Qui enim *facit peccatum, seruus est peccati.* Illi de domibus suis non egrediebantur, & nos de domo Christi non egredimur. Sumus enim in Ecclesiâ. Illi non accendebant ignem in die sabbati, nos è contrario accendamus in nobis ignem Spiritus sancti, vt omne vitium excoquamus peccatorum. De quo igne Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Desiderat Dominus istum ignem ardere in nobis, secundum Apostolum: Spiritum sanctum feruere, vt non refrigescat charitas Dei. Illi per diem sabbati non ambulant in itinere, perdiderunt enim eum, qui dixit: *Ego sum via*: Nos autem dicimus: *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini*: Et iterum: *Viam veritatis elegi*, &, *Viam iustificationum tuarum doce me.* Illi de spinis Dominum coronauerunt: nos autem si fuerimus lapides pretiosi, nostrum Dominum coronabimus. Caput Imperatorum sæculi istius ornant diademata, nos ideo in capite nostri Regis imponimur, vt ornemur à capite. Illi non receperunt Christum, & suscepturi sunt Antichristum: nos recepimus humilem Filium Dei, vt habeamus posteà triumphantem. Et ad extremum, noster hircus ante Dominum immolatur in altari, illorum hircus Antichristus conspurcus, & maledictus proiicitur in solitudinem. Noster latro cum Domino ingressus est paradisum, illorum latro homicida, atque blasphemus moritur in suo peccato. Illis Barrabas latro dimittitur, nobis Christus occiditur. Pro quibus vniuersis, fratres charissimi, consonâ pariter voce cantemus: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ.* Igneam illam rhomphæam, & paradisi ianuam, quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum latrone referauit. Hodie dixit Christus ad Angelos: *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Quæ cùm semel aperta est, nunquam credentibus clauditur. Ex eo tempore quo passus est Dominus vsque ad præsentem diem, hæc porta clausa est, & reserata: clausa est peccatoribus, & incredulis, reserata est iustis & credentibus. Per hanc ingressus est Petrus, per hanc ingressus est & Paulus, per hanc omnes sancti Martyres intrauerunt, per hanc quotidie de toto mundo iustorum animæ ingrediuntur. Duæ enim sunt portæ, porta Paradisi, & porta Ecclesiæ. Per portam Ecclesiæ intramus in portam Paradisi. Ita ergo debemus viuere, ne eiiciamur de domo illâ, & eiecti foras à bestiis deuoremur, quas in alio loco Propheta formidans, commemorans ait: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Ecce nunc Dominus stans in Paradisi ianuâ loquitur ad nos, qui sumus in domo ipsius congregati, & dicit: *Hæc est porta Domini, iusti intrabunt per eam.*

Psal. 6. & 11. Gen. 7. v. 7. Sabbata Iudæorum commutata die Dominico. Exod. 20. v. 10. Ioan. 8. v. 34. Luc 12. v. 49. Rom. 12. v. 11. Ioan. 14. v. 16. Psal. 118. v. 1. 30. & 27. Matt. 27. v. 29. Fideles Christi corona, ex cuius capite ornentur. Leuit. 16. v. 5. Luc 23. v. 43. Matth. 27. v. 26. Psal. 117. v. 24. Gen. 3. v. 24. Psal. 117. v. 19. Paradisi porta, & Ecclesiæ. Psal. 73. v. 19. Psal. 117. v. 20.

A B C

EIVSDEM IN EODEM FESTO
de descensu Christi ad inferos.

HOMIL. II.

Serm. 137. de temp. rejectus in Append. ex Greg. in Hom. 22. Euseb. & aliis congestus.

PAssionem vel resurrectionem Domini & Saluatoris nostri, fratres dilectissimi, licet omnia veteris testamenti volumina multò ante prædixerint, tamen etiam per os Dauid Prophetæ Spiritus sanctus euidenter ostendit, dicens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Solus etenim ipse liberè egit, qui nobis hodie ostendit quid egerit. Liberè enim egit, de quo multò anteà fuerat prophetatum, quia *factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Vultis tamen audire quid egerit? Audite quid fecerit. Nullâ necessitate, sed propriâ voluntate in ligno se suspendi permisit, clauis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, carnem in sepulchro posuit, & comitante secum animâ ad inferna descendit. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad Paradisi amœna reducti sunt. Quod ante passionem dixit, in resurrectione suâ Dominus impleuit: *Si exaltatus fuero*, inquit, *à terrâ, omnia traham ad me.* Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, vtique electa. Neque enim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit: sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oseam dicitur: *Ero mors tua, ô mors: ero morsus tuus, inferne.* Id namque quod occidimus: agimus vt penitus non sit. Ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in electis suis

D E

Psal. 93. v. 1. Psal. 87. v. 5. Ex hom. 22. Greg. Papæ in Euang. Ioan. 12. v. 32. Erepti ex inferno soli Iusti. Osee. 13. v. 14. Mortis mors, inferni morsus.

funditùs occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit: non occidit funditùs, sed momordit infernum. Ait ergo: *Ero mors tua, ô mors.* Ac si apertè dicat: Quia in electis meis te funditus perimo. *Ero morsus tuus, inferne*, Quia sublatis meis te in parte transfigo. Tunc enim Dominus noster Iesus Christus illum tenebrarum & mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit: portarum inferni vectes ferreos confregit, omnes iustos, quis originali peccato astricti tenebantur, absoluit, captiuos in libertatem pristinam reuocauit, peccatorum tenebris obcæcatos splendidâ luce perfudit.

Hactenus Gregorius.

Psal. 93. v. 1.

Ecce audistis, quòd defensor noster vltionis Dominus liberè egisse describitur. Postquam enim exaltatus, id est, à Iudæis in cruce suspensus est, vt hæc breuiter cuncta perstringam, mox vt spiritum reddidit, vnita suæ diuinitati anima ad inferorum profunda descendit. Cúmque tenebrarum terminum quasi quidam deprædator splendidus ac terribilis attigisset, aspicientes eum impiæ ac tartaricæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt, dicentes: Quisnam est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? Nunquam noster talem excepit tartarus, nunquam in nostram cauernam talem euomuit mundus. Inuasor iste, non debitor: exactor est, non peccator. Iudicem videmus, non supplicem: venit iubere, non succumbere: eripere, non manere. Vbi iam ianitores nostri dormierunt, cùm iste bellator claustra vexabat? Hic, si reus esset, tam potens non esset. Si eum aliqua peccata fuscarent, nunquam nostra tartara suo dissiparet fulgore. Si Deus, vt quid venit? Si homo, quid præsumpsit? Si Deus, quid in sepulchro facit? Si homo, quare peccatores soluit? Nunquid cum actore nostro fœdus composuit, aut fortè congressus & ipsum vicit, & sic ad nostra regna ascendit? Certè mortuus erat, certè illusus erat. Præliator noster nesciuit, quam hîc stragem procuraret inferno crux illa, fallens gaudia nostra, parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum euertimur. Perit potestas illa semper populis formidata. Nullus hîc viuus intrauit, nemo carnifices terruit, nunquam huic cœnolento loco, & nigrâ semper caligine cæcato iucundum lumen apparuit. Aut fortè sol de mundo migrauit? Sed nec cœlum, nubes, astráque apparent, & tamen infernus lucet. Defendere contra ipsum custodiam carceris nostri non valemus. Malè intrauimus, lumen obtenebrare nequiuimus, insuper & de nostro interitu formidamus. Vnde est iste tam spleodidus, tam fortis, tam præclarus, támque terribilis. Mundus ille qui nobis subditus fuit, semper nostris vsibus mortis tributa persoluit, nunquam nobis talem misit, nunquam talia inferis munera destinauit. Quis ergo iste est, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur: & non solùm nostra supplicia non veretur, insuper & alios de vinculis nostris absoluit? An fortè ipse est ille, de quo princeps noster paulò antè dicebat, quòd per eius mortem, totius mundi acciperet potestatem? Sed si iste est, in contrarium est nostri præliatoris versa sententia, & dum sibi vincere visus est, ipse potius victus atque prostratus est. O princeps noster, hicne est ille, de cuius tibi semper futurâ morte plaudebas? Ipséne est, in cuius cruce omnem mundum tibi subiu-

Eusebius, siue Hilar. Arel. hom. 1. de Resur.

Ministrorũ querelæ aduentum Christi ad inferos expostulantiũ

A gandum esse credebas? Ipséne est, in cuius exitu nobis tanta spolia promittebas? Quid est quod egisti? Quid est quod facere voluisti? Ecce iam totas tibi tenebras suo splendore fugauit, & omnes tuos carceres fregit, captiuos eiecit, ligatos soluit, luctus eorum in gaudium commutauit. Ecce ipsi qui sub nostris solebant suspitare tormentis, insultant nobis de perceptione salutis: & non solùm iam nihil verentur, insuper & minantur. Nunquam hîc ita superbi erant mortui, nec aliquando sic potuerunt læti esse captiui. Vt quid huc istum adducere voluisti, quo veniente, omnes sunt lætitiæ restituti, qui antè fuerant desperati? Nullus hîc iam solitus eorum mugitus auditur, nullus resonat gemitus. Factum est au-

B tem captiuis redemptionis commercium. O princeps noster, illas tuas diuitias, quas primùm acquisieras per paradisi amissionem, nunc perdidisti per crucem: perit omnis lætitia tua, in luctum conuersa sunt gaudia tua. Dum tu Christum suspendis in ligno, ignoras quanta damna sustineas in inferno. Præuidere non poteras, quia euersorem regni tui in mortem sine reatu aliquo perducebas? Attenderes causam, requireres culpam. In quo nihil mali cognoueras, quare eum ad nostram patriam perducebas? Liberum huc adduxisti, & tot obnoxios perdidisti?

Animarum sanctarum gratulatio.

Post istas crudelium ministrorum infernalium voces, sine aliquâ morâ ad imperium Domini

C & Saluatoris nostri omnes ferrei confracti sunt vectes: & ecce subitò innumerabiles sanctorum populi, qui tenebantur in morte captiui, Saluatoris sui genibus aduoluti, lacrymabili eum voce cum obsecratione deposcunt, dicentes: Aduenisti Redemptor mundi, aduenisti quem desiderantes quotidie sperabamus. Aduenisti quem nobis futurum Lex nuntiauerat, & Prophetæ. Aduenisti donans in carne viuis indulgentiam peccatoribus mundi, solue defunctos inferni. Venisti post longas lacrymas, eripe solus qui passus es pro nobis. Cœli conditor, ad inferos intrare dignatus es. Te enim nostra vocabant suspiria,

D te larga requirebant lamenta. Vnde spes desperatis, vnde consolatio in tormentis? In aduentu tuo catena nostra cecidit, nox effugit. Vitâ veniente, mors moritur, nec tortor instat, nec percussor. Damnati vota capiunt, creator imperat non inuasor. In tyranno catena innectitur, & tortor noster pœnâ torquetur. Solue, Redemptor mundi, defunctos captiuos inferni. Descendisti pro nobis ad inferos, noli nobis deesse, cùm fueris reuersurus ad superos. Posuisti titulum gloriæ in sæculo, pone signum victoriæ in inferno.

Nec mora, postquam audita est postulatio,

E atque allegatio innumerabilium captiuorum, statim à Domini iussu omnes antiqui Iusti iura potestatis accipiunt, atque in suos tortores ipsi protinus tormenta conuertunt, humili supplicatione cum ineffabili gaudio clamantes Domino, atque dicentes. Ascende Domine Iesu spoliato inferno, & auctore mortis suis vinculis irretito, redde iam lætitiam mundo. Iucundentur in ascensu tuo fideles tui, aspicientes cicatrices corporis tui. Fecit hoc Christus, sicut iam superiùs dictum est. Factâ prædâ in inferno, viuus exiit de sepulchro. Ipse se suâ potentiâ suscitauit, & iterum se immaculatâ carne vestiuit. Discipulis suis apparuit, vt dubitationem auferret incredulis. Clauorum vulnera demonstrauit, vt nullam

Ioan. 20. v. 29.

Act. 1. v. 4. suspicionem relinqueret Manichæis. Manifestè A manducauit & bibit, postea verò in conspectu multorum apparuit: Per nubem cœlos ascendit, in sede suam carnem ad Patris dexteram, vnde nunquam Verbum Dei discesserat, collocauit. Exultent ergo populi Christiani, pro quibus sanguis effusus est Christi. Iucundemur in Domioo, qui resortectionem carnis solenniter celebramus io Christo. Omnis per torum mundum catholica gratuletur Ecclesia, quia Christus Dominus & de suâ diuinitate nihil minuit, & hominem quem creauerat, liberauit. Vnde exultantes voce humili supplicemus, vt pro quibus istâ pertulit, cùm venit in mundum, liberatos nos de manu inferi attollere secum dignetur in cœlum: cui est gloria io sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

de Resurrectione, Homil. 3.

Sermo 138. de temp. reiectus in append. Est inter Euseb. GAodete fratres charissimi, quia redemptionis nostræ pretium persolutum est. Non modicâ quantitate constamus, pro quibus ipse factus est pretium, qui redemit. Christus enim Dominus & Saluator ideo natus est, vt doceret, ideo mortuus est, vt sanaret. Crux fuit mottifera Christo, sed salutifera Christiano. Surrexit Saluator, charissimi, cunctis diuinitatis suæ manifestus indicijs. Nam secutæ sunt eum stellæ post vterum, gloria post sepulchrum. Regressum eu- C stodit Angelus, qui nuntiauerat nasciturum. Reddunt inferna victorem, & superna suscipiunt triumphantem. Sustulit errorem natus, mortem calcauit occisus. Reuocauit ab inferis, quem creauit: in illius cruce & pretium nostrum pependit, & regnum. Redit in lucem creatura cum Domino. Lumen enim ex lumine suscipere meruisti, quod cùm Christus oculos clauderet, perdidisti. Projiciant superi tenebras, quas Saluator etiam inferis denegauit. Congaudeant hîc elementa quæ planxerant, quia Christus de suâ maiestate nihil perdidit, & hominem, quem fe-
Matth. 27. v. 66. cerat, liberauit. Iudæi tamen perfidi monumenti D lapidem signauerunt, vt non haberet Christus egressum: sed sicut eum mundus non capit, nec sepultura custodit. Tenetur ibi, sed vbique regnat. Difficilè surgeret, si non antequam resur-
Luc. 2. geret, regnaret. Nam quomodò de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus saluâ virginitate processit? Fefellit custodes, exiliuit de sepulchro, apparuit discipulis ianuis oon apertis. Inde clausus exijt, huc exclusus intrauit. Immensæ maiestatis arcanum, fecit etiam in morte mysterium. Crucifixus redit ab inferis, & triumphat.

Ioan. 20. v. 27. Infer manum tuam, Thoma, lateri Saluatoris: tange vulnera, quæ nostra peccata fecerunt: E scrutare vnde sanguis effluxit, vt nobis sanitatis poculum propinaret. Intuere, Thoma, pretium nostrum: signa clauorum diligenter attende, & in ipsis vulneribus medicamentum, vel thesaurum humani generis recognosce. Nisi hoc ligno figeretur, ligni illius præuaricatio minimè tolleretur. Sed ideo se ille percuti voluit, ne nos diutiùs peccata percuterent. Innocentem tradidit, vt reum absolueret. Quis tantam dignè possit eloqui pietatem? Innocens affligitur, vt noxius liberaretur. Vt redimatur seruus, occiditur Filius. Vtitur pij & fortissimi regis officio, dum cicatrices, quas pro salute populi sui excepit, ostendit. Aspicite Pharisæi vacuum monumentum, & impietatis vestræ cognoscite sacrilegium. Clauos, quos fixeratis, agnoscimus, & quem occidistis adoramus. Videte quem compunxistis. Poterat fixuras clauorum Dominus resurrectione suâ componere, sed ideo reseruauit, vt qui hoc sacrilegium commiserant, videant, & confundantur. O crudelissimi Pharisæi, impios vos videtis, & perfidos. Vni mors data est, vt omnibus tolleretur. Sed Christus Domious quando mortem suscepit, ita corruptionem oon sensit, quomodò quando natus est integritatem Mariæ virginitas noo amisit.

Properate Discipuli, & acceptâ potestate per omnes gentes excurrite. Renascantur in Spiritu, qui nascuntur in carne. Salutare lauacrum diluat, B quicquid præuaricatio sordidauit. Baptizentur omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt impleatur illud quod scriptum Matth. 28. v. 19.
est: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Nos Ioan. 3. v. 5.
verò, charissimi, qui nullis præcedentibus meritis de inferni carcere, & de tenebris æternæ noctis meruimus liberari, ita sobriè, castè, ac piè viuere studeamus, vt stolam baptismi sine aliquâ luxuriæ maculâ integram, illibatámque seruantes, ad æterni Sponsi thalamum, & ad illud cœleste, ac nuptiale conuiuium charitate splendidi, bonorum margaritis operum ornati feliciter ve- C niamus, ipso adiuuante, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & gloriatur Deus, per omnia sæcula sæculorum: Ameo.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

de resurrectione corporum contra Gentiles, Homil. 4.

PEr hos dies, sicut recolit charitas vestra, fratres, solenniter leguntur Euaogelicæ lectio- Sermo 139. de temp. Cap. 1.
nes ad resurrectionem Domioi pertinentes. Omoes enim Euangelistæ quatuor, neque de passione Domini, neque de resurrectione tacere potue- D runt. Nam quia multa fecit Dominus Iesus, noo omnes omnia conscripserunt: sed alius ista, alius illa, summâ tamen concordiâ veritatis. Multa etiam commemorat Ioannes Euangelista facta esse à Domino Iesu Christo, quæ à nullo aliorum conscripta sunt. Tanta facta sunt, quanta tuoc fieri debuerunt: tanta scripta sunt, quanta nunc legi debuerunt. Vt autem ostendantur Euange- Concordia Euangelistarum.
listæ omnes quatuor, in eo quod simul omoes dicunt, & non prætermittunt, id est, de passione, vel de resurrectione Christi non inter se dixisse contraria: valde operosus est labor. Nonoulli eoim putaueruot eos ioter se esse cuntrarios, cùm ipsi essent contrarij animæ suæ. Et ideo da- 1. Retract. 16.
E ta est opera ab eis, qoi potuerunt adiuuante Domino, vt ostenderentur ioter se non esse contrarij. Sed, sicut dixi, si hoc vobis ostendam, & in populo velim ista tractare, multitudo audientium priùs obruitur tædio, quàm reueletur scien- Al. reueletur.
tia veritatis. Sed scio fidem vestram, id est, fidem huius totius multitudinis, & eorum qui hodie hîc non sunt, & tamen fideles sunt: noui fidem eorum sic esse certam de veritate Euangelistarum, vt expositione meâ non iodigeant. Qui Doctior qui scit fidem defendere; non nesciente fidelior.
nouit quomodò ista defendat, doctior est, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem. Alius non habet facultatem & copiam & doctrinam defendendi fidem, sed habet

Defensio fidei titubātibus necessaria.

ipsam fidem. Ille autem qui nouit defendere fidem: titubantibus est necessarius, non credentibus. In defensionem enim fidei curantur vulnera dubitationis, vel infidelitatis. Qui ergo defendit fidem, bonus est medicus: sed in te non est infidelitatis morbus. Quando ille nouit curare quod tu non habes? Nouit ille ponere medicamentum, sed in te non est vitium. *Non est sanis opus medicus, sed malè habentibus.*

Matth. 9. v. 12.

Cap. 2.

Tamen quæ possunt expeditiùs dici pro tempore, & commodiùs audiri, subticere vobis non est consilij. De ipsâ Resurrectione, cuius in seipso Dominus præmisit exemplum, vt sciremus quod etiam in corporibus nostris in fine sæculi sperare debeamus, multi multa disputant: aliqui fideliter, aliqui infideliter. Qui fideliter disputant, scire volunt diligentiùs quid respondeant infidelibus: qui autem infideliter disputant, argumentantur contra animas suas, disputantes contra potentiam omnipotentis, dicentes: Vnde fieri potest, vt mortuus resurgat? Dico ego: Deus est, qui facit, & tu dicis fieri non potest? Non dico: da mihi Christianum, da mihi Iudæum: sed, da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest. Quem tu ergo credis (quasi pagano loquor) quem tu credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem. Si dixeris, Non potest fieri, derogas omnipotenti. Si autem credis illum omnipotentem, me quare respuis ista dicentem?

Omnes sectæ Deum fatentur omnipotentem.

Cap. 3.

Si diceremus carnem resurrecturam vt esuriat, & sitiat, vt ægrotet, vt laboret, vt corruptionibus subijciatur, meritò credere non deberes. Habet enim modò caro ista has necessitates, vel calamitates. Et hoc vnde? Causa peccatum est, in quo peccauimus, & omnes ad corruptionem nati sumus. Malorum omnium nostrorum causa peccatum est. Non enim sine causâ homines mala ista patiuntur. Iustus est Deus, omnipotens est Deus: nullo modo ista pateremur, si non mereremur. Sed cùm essemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noster Iesus Christus voluit esse in pœnis nostris sine peccatis suis: sustinendo sine culpâ pœnam, & culpam soluit & pœnam. Culpam soluit peccata donando, pœnam soluit à mortuis resurgendo. Hoc promisit, & nos in spe ambulare voluit: perseueremus, & ad rem perueniemus. Caro resurget incorruptibilis, caro resurget sine vitio, sine deformitate, sine onere, sine pondere. Quæ nunc tibi facit tormentum, postea tibi erit ornamentum. Ergo si bonum est habere corpus incorruptibile, quare hoc facturum Deum volumus desperare?

Omnium malorum temporalium causa, peccatum.

Cap. 4.

Philosophi sæculi huius, qui magni fuerunt, & docti, & cæteris meliores, animam humanam immortalem esse senserunt: nec solùm senserunt, sed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipsas defensiones conscriptas posteris reliquerunt. Sunt libri, leguntur. Ideo istos Philosophos dixi alijs fuisse meliores in comparatione peiorum: quia fuerunt Philosophi qui dicerent, homini, cùm mortuus fuerit, nullam vitam postea remanere. Talibus illi vtique præponendi sunt. Et in quo illi meliores erant, quamuis in multis à veritate deuiantes, tamen in quo erant isti superiores, veritati fuerant propinquantes. Hi ergo qui senserunt atque dixerunt animas humanas immortales, de malis hominum, de ærumnis erroribúsque mortalium quæsierunt causas, quantum homines potuerunt: & dixerunt sicut potuerunt, præcessisse nescio quæ in aliâ vitâ peccata, quorum peccatorum merito ista corpora velut carcerem animæ mererentur. Deinde quæsitum est ab eis, quid postea, cùm fuerit homo mortuus, quid erit. In hoc contriuerunt ingenia sua; & laborauerunt, quantum ingenia potuerunt, reddere hominibus rationem, vel sibi, vel alijs: & dixerunt, animas hominum malè viuentium immundas pessimis moribus, cùm exierint de corporibus, rursus continuò reuolui ad alia corpora, & pœnas hîc luere, quas videmus: eas verò animas quæ bene vixerunt, cùm exirent de corporibus, ire ad superna cœlorum, requiescere ibi in stellis & luminibus istis conspicuis, vel quibuscunque cœlestibus abditísque secretis, obliuisci omnium præteritorum malorum, & rursus delectari redire ad corpora, & venire iterum ad ista patienda.

Meliores Philosophi qui animā docuerunt immortalem.

Platonicos innuit, quos secutus est Origenes.

Cap. 5.

Hoc ergo interesse voluerunt inter animas peccatorum & animas iustorum: quia peccatorum animas de proximo statim cùm exierint de corporibus, dicunt reuolui ad altera corpora, iustorum autem animas diu esse in requie: non tamen semper, sed rursus delectari corporibus, & de summis cœlis post tantam iustitiam ad ista mala facere ruinam. Hoc dixerunt valde magni Philosophi mundi huius, de quibus dicit Scriptura nostra: *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Si sapientiam, quantò magis stultitiam? Si sapientia mundi stultitia est apud Deum, stultitia mundi quàm longè est à Deo? Est tamen quædam stultitia mundi huius, quæ peruenit ad Deum, de quâ dicit Apostolus: *Quoniam in sapientiâ Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Et dicit: *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, & Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Venit Dominus Christus, sapientia Dei: cœlum tonat, ranæ taceant. Quod dixit Veritas, verum est. Quòd dixit in malo quidem esse genus humanum causâ peccati, manifestum est. Sed qui crediderint in mediatorem, qui constitutus est medius inter Deum & homines, inter Deum iustum & homines iniustos, medius homo iustus, humanitatem habens de imo, iustitiam de summo, & ideo medius, hinc vnum, & vnum inde: quia, si vtrunque inde ibi esset, si vtrunque hinc nobiscum iaceret, medius non esset. Qui ergo crediderit in mediatorem, & fideliter ac benè vixerit, exit quidem de corpore, & erit in requie, postea verò recipiet corpus non ad tormentum, sed ad ornamentum, & viuet cum Deo in æternum. Non est quòd eum delectet vt redeat, quia secum habet corpus. Ergo, charissimi, qui proposui vobis hodie quid dicant etiam Philosophi mundi huius, quorum Deus sapientiam tanquam veram stultitiam reprobauit, crastino, adiuuante Domino, exponere poterimus.

1. Cor. 1. v. 20.

Ibid. v. 21.

Mediator noster.

EIVSDEM

EIVSDEM IN EODEM DIE *de resurrectione, Hom. 5.*

Serm. 141. de temp. Cap. 1. Luc. 24. vers. 4.

RESurrectio Domini nostri Iesu Christi ex more legitur his diebus ex omnibus libris sancti Euangelij. In hac lectione animaduertimus, quomodò discipulos suos prima membra sua, hærentes lateri suo obiurgauit Dominus Iesus: quia quem dolebant occisum fuisse, non credebant viuum esse; patres fidei, nondum fideles magistri. Vt crederet totus orbis terrarum qood prædicaturi fuerant, & propter quod fuerant morituri, nondum credebant. Quem viderant mortuos suscitasse, non credebant resurrexisse. Meritò ergo obiurgabantur: ostendebantur sibi, vt innotescerent sibi, qui essent per seipsos, quid futuri essent per illum. Sic etiam Petrus demonstratus est sibi, quando de imminente passione præsumpsit, & veniente ipsâ passione titubauit. Vidit se in se, doluit se in se, fleuit se in se: conuersus est ad eum qui fecerat se. Ecce isti nondum credebant. O qualis & quanta illius pia dignatio, dignáque pietas, qui nobis dedit credere quod nondum videmus. Nos credimus verbis eorum, illi non credebant oculis suis. Resurrectio autem Domini nostri Iesu Christi noua vita est credentium in Iesum, & hoc sacramentum est passionis & resurrectionis eius, quod valde nosse, & agere debetis. Non enim sine causâ Vita venit ad mortem. Non sine causâ fons vitæ, vnde bibitur vt viuatur, bibit hunc calicem qui ei non debebatur. Non enim Christo debebatur mori.

Matth. 26. v. 35.

Discipulorum tardior fides, ad nostram firmandam fidem.

Cap. 2.

Peccatum mortis parens & origo.

Vnde venerit mors, originem ipsius quæramus. Pater mortis peccatum est. Si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur. Legem Dei, hoc est, præceptum Dei cum conditione homo primus accepit: vt si seruaret, viueret: si corrumperet, moreretur. Non sese credendo moriturum, fecit vnde moreretur, & inuenit verum fuisse quod dixerat, qui legem dederat. Inde mors, inde mortalis, inde labor, inde miseria, inde etiam post mortem primam mors secunda est, id est, post mortem temporalem, mors sempiterna. Huic ergo traditioni mortis obnoxius, his legibus inferni obstrictus nascitur omnis homo: sed propter illum hominem Deus homo factus est, ne periret homo. Non enim legibus obstrictus venit: ideo dicitur in Psalmo, *Inter mortuos liber.* Quem sine concupiscentiâ Virgo concepit, quem & virgo peperit, & virgo permansit. Qui vixit sine culpâ, qui est mortuus propter culpam non suam. Nam mortuus est propter nostram. Pœna culpæ mors. Dominus Christus mori venit, peccare non venit: communicando nobiscum sine culpâ pœnam, & culpam soluit & pœnam. Quam pœnam soluit? Quæ nobis debebatur post istam vitam. Ergo crucifixus est, vt in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum: & resurrexit, vt in vitâ suâ ostenderet nostræ vitæ nouitatem. Sic enim docuit doctrina Apostolica, *Traditus*, inquit, *est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Huius rei signum circuncisio data erat patribus, vt octauâ die circuncideretur omnis masculus. Circuncisio fiebat ex cultellis petrinis, quia *petra erat Christus.* In istâ circuncisione significabatur expoliatio carnalis vitæ octauâ die per Christi resurrectionem: Septimus enim dies hebdomadis Sabbato completur. Sabbato Dominus iacuit in sepulchro: octauo autem die resurgendo nos innouauit. Nos ergo octauo die resurgendo circuncidit, nos in ipso spe viuimus.

Psal. 87. v. 5.

Christus mortuus propter culpam, sed alienam.

Rom. 4. v. 25.

Gen. 17. v. 11. Iosu. 5. v. 2. 1. Cor. 10. v. 4.

Circuncisio octauo die, figura resurrectionis.

Cap. 3. Col. 3. v. 1.

Audiamus Apostolum dicentem: *Si conresurrexistis cum Christo.* Quomodò resurgimus, qui nondum mortui sumus? Quid est ergo quod voluit dicere Apostolus: *Si conresurrexistis cum Christo?* Nunquid ille resurrexit, nisi priùs mortuus fuisset? Viuentibus loquebatur, nondum morientibus, & iam resurgentibus. Quid sibi vult? Videte quid dicat, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ supra terram. Mortui enim estis.* Ipse dicit, Non ego, sed tamen verum dicit: & ideo dico & ego. Quare illud dico & ego? *Credidi propter quod locutus sum.* Si benè viuimus, mortui fuimus, & resurreximus. Qui autem nondum mortuus est, nec resurrexit, malè adhuc viuit. Et si malè viuit, non viuit: moriatur, ne moriatur. Quid est, moriatur, ne moriatur? Mutetur, ne damnetur. *Si resurrexistis cum Christo*, verba repeto Apostoli, *quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm enim Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos cum illo apparebimus in gloriâ:* hæc sunt verba Apostoli. Et qui nondum mortuus est, dico vt moriatur: & qui adhuc malè viuit, dico vt mutetur. Si enim malè viuebat, & iam malè non viuit, resurrexit.

Resurrexit qui benè viuit; qui malè, mortuus est.

Psal. 115. v. 1.

Cap. 4. Benè viuere, quid? Gen. 3. v. 19.

Sed quid est benè viuere? Quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram. Quandiu terra es, in terram ibis: Quandiu lingis terram? Amando terram, lingis vtique terram, & efficeris eius inimicus, de quo dicit Psalmus, *Et inimici eius terram lingent.* Quid erratis filij hominum? Quid-ni estis filij Dei? *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quod mendacium quæritis? Mundum. Beati esse vultis, scio. Da mihi hominem latronem, sceleratum, fornicatorem, maleficum, sacrilegum, omnibus vitijs inquinatum, omnibus flagitijs seu facinoribus obrutum, qui non velit beatam vitam viuere. Scio, omnes vultis beatè viuere: sed vnde homo beatè viuat, hoc non vultis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum futurum, sed aurum te non facit beatum. Quare quæris mendacium? Quare vis esse in isto sæculo sublimatus? Quia honore hominum, & pompâ sæculi putas te beatum futurum: sed pompa sæculi non te facit beatum. Quare quæris mendacium? Et quicquid hîc aliud quæris, cùm sæculariter quæris, cùm amando terram quæris, propterea quæris vt sis beatus. Sed nulla res terrena te faciet beatum. Quare non cessas quærendo mendacium? Vnde ergo eris beatus? *Filij hominum vsquequo graui corde?* Non vultis esse graui corde, qui terreno mendacio oneratis cor vestrum? Quousque fuerunt graui corde homines? Antequam veniret Christus, antequam resurgeret Christus, fuerunt homines graui corde. *Quousque graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Volentes beati esse, eas res quæritis vnde miseri sitis. Fallit vos quod quæritis: mendacium est, quod quæritis. Beatus vis esse?

Psal. 71. v. 9.

Psal. 4. v. 3.

Mendaciũ quærere.

Volunt omnes beatè viuere.

Ostendo tibi, si vis, vnde habes beatus esse. Sequitur ibi. *Vsqueque graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Cap. 5.

Scitote, Quid? *Quoniam Dominus magnificauit Sanctum suum.* Venit Christus ad miserias nostras, esuriuit, sitiuit, fatigatus est, dormiuit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, sputis illitus, alapis cæsus, ligno fixus est, lanceâ vulneratus est, in sepulchro positus, sed tertiâ die resurrexit; finito labore, mortuâ morte. Ecce ibi oculum habete in eius resurrectione, quia ita magnificauit Sanctum suum vt resuscitaret eum à mortuis, & daret ei honorem in cœlo sedenti ad dexteram suam. Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse. Hîc enim beatus esse non potes, quia nemo hîc beatus esse potest. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio eius rei quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam. Sed non est hîc. Aurum si quæreres in illo loco vbi non est, ille qui nouit, quia non est ibi, nónne diceret tibi, Quid fodis, quid terram solicitas? Fossam facis quâ descendas, non vbi aliquid inuenias. Quid es responsurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille, Non tibi dico, nihil est quod quæris: sed, Non est ibi quod quæris. Sic & tu quando dicis, Beatus esse volo, bonam rem quæris, sed non est hîc. Si habuit illud hîc Christus, habebis & tu in regione mortis tuæ. Quid ille inuenit hîc, attende, veniens de aliâ regione: & quid inuenit, nisi quod hîc abundat? Manducauit tecum, quod abundat in cellâ miseriæ tuæ. Acetum hîc bibit, fel hic habuit. Ecce quid in cellâ tuâ inuenit. Sed ad magnam mensam suam te inuitauit, mensam cœli, mensam Angelorum, vbi ipse panis est. Descendens ergo & ista mala inueniens in cellâ tuâ, & non dedignatus est talem mensam tuam, & promisit suam. Et quid nobis dicit? Credite, credite vos venturos ad bona mensæ meæ, quando non sum dedignatus mala mensæ vestræ. Malum tuum tulit, & bonum suum dabit. Vitam suam promisit nobis. Sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogauit nobis: tanquam diceret, Ad vitam meam vos inuito, vbi nemo moritur, vbi nemo deficit. Ecce ad quod vos inuito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris, & sancti Spiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meam: postremò ad me ipsum. Ad vitam meam vos inuito. Non vultis credere, quia dabo vobis vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modò ergo cum in istâ morte corruptibili viuimus, morum mutatione cum Christo moriamur, à morte iustitiæ cum Christo viuamus: beatam vitam non accepturi, nisi cùm ad illum venerimus, qui venit ad nos, & cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis.

Beatus hîc nemo potest esse.

Christi mors vitâ nobis promissâ, quid incredibilius.

EIVSDEM EODEM DIE.

Homil. 6.

Serm. 142. de temp. Dubitant Louaniens.

SAlutis humanæ, fratres charissimi, & mundi rediuiua libertas non modicâ taxatione requiritur, sed Christi sanguine temperatur. Sed quantum venerabilis diei huius officium credentibus contulit gaudium, tantum incredulis interitum portauit & luctum. Confert lætitiam Christianis ex fide, ingerit pœnam Iudæis desperantibus ex cruce. Illis iniuria filij Dei æternam contulit mortem, nobis ad perpetuam proficit salutem. Quis rogo diuinæ pietatis excessus est, vel quanta amoris amplitudo monstratur? Ad hoc Deus propter hominem perditum de cœlo voluit descendere, non vt honorem in mundo accipere videretur, sed vt suspenderetur in cruce. Et dum voluit deceptum laqueis mortis eximere, ipsam subire non dedignatus est mortem. Et qualem mortem? Quæ detestabilior omni morte extitisset. Hoc Apostolus asseuerat, dicens: *Humiliauit*, inquit, *se vsque ad mortem, mortem autem crucis*; vnde post mortem victrix resurrectio parabatur. Dicamus, fratres, *Hæc est dies, quam fecit Dominus, gaudeamus, & epulemur in eâ*: hoc est Pascha quod colimus: in hoc peregrinamur, hoc præteritum redit, hoc voluitur in futurum.

Phil. 2. v. 6.
Psal. 117. v. 24.

EIVSDEM EODEM DIE,

de resurrectione corporum contra infideles, Homil. 7.

Serm. 143. de temp. Cap. 1.

PRopria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum. Hanc in seipso, id est, resurrectionem mortuorum, caput nostrum Christus ostendit. Et exemplum fidei nobis præstitit, vt hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite. Hesterno die vobis insinuauimus, sapientes Gentium, quos Philosophos dicunt, ipsos, qui in eis excellentissimi fuerunt, scrutatos fuisse naturam, & de operibus artificem cognouisse: Prophetas non audierunt, legem Dei non acceperunt: sed eis Deus quodammodò silens ipsius mundi operibus loquebatur, & eos ad quærendum artificem rerum, mundi species inuitabat. Nec potuerunt in animum inducere, cœlum, & terram sine auctore constare. De his beatus Paulus Apostolus ita loquitur: *Reuelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Quid est super omnem? Non solùm super Iudæos qui Dei legem acceperunt, & legis datorem offenderunt: verumetiam super impietatem Gentium reuelatur ira Dei de cœlo. Et ne quisquam diceret, Quare cùm ipsi legem non acceperint? secutus adiunxit, *Et iniustitiam eorum, qui veritatem Dei in iniquitate detinent.* Iam tu responde, Quam veritatem? Non enim acceperunt legem, non enim audierunt Prophetam. Audi quam veritatem. *Quoniam quod notum est*, inquit, *Dei, manifestum est in illis.* Vnde manifestum? Adhuc audi: *Deus enim illis manifestauit.* Si adhuc quæris, quomodò manifestauit quibus legem non dedit? Audi quomodò, *Inuisibilia enim eius à constitutione mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Inuisibilia enim eius*, hoc est, inuisibilia Dei, *à constitutione mundi*; id est, ex quo constituit mundum, *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: illa per hæc intellecta conspiciuntur. *Sempiterna quoque*, verba Apostoli dico, ipsa attexo. *Sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*; subaudis, intellecta conspiciuntur, *vt sint inexcusabiles.* Quare inexcusabiles? *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Non dicit nescientes Deum: sed, cognoscentes.

Rom. 1. v. 18

Deus à Philosophis Gentium ex naturâ cognitus.

Cap. 2.

Vnde cognoscentes? Ex his quæ fecit. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cœli, in-

Rerum pulchritudo, earum confessio, quâ Deum confitentur.

terroga ordinem syderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia quæ mouentur in aquis, in terris, quæ volant in aëre, latentes animas, perspicua corpora visibilia regenda, inuisibiles regentes: interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus. Pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher? In seipso denique homine vt possent intelligere & cognoscere Deum vniuersi mundi creatorem, in ipso, inquam, homine interrogauerunt hæc duo, corpus & animam. Hoc interrogabant quod & ipsi gestabant: videbant corpus, animam non videbant. Sed corpus nisi de animâ non videbant. Videbant enim per oculum: sed intus erat, qui per fenestras aspiciebat. Denique discedente habitatore, iacet domus. Discedente qui regebat, cadit quod regebatur. Et quoniam cadit, cadauer vocatur. Nónne ibi oculi integri? Etsi pateant, nihil vident. Aures adsunt: sed migrauit auditor. Linguæ organum manet: sed abcessit musicus qui mouebat. Interrogauerunt ergo ista duo; corpus quod videtur, & animam quæ non videtur: & inuenerunt melius esse illud quod non videtur, quàm illud quod videtur: meliorem esse animam latentem, deteriorem carnem apparentem. Viderunt ista, intuiti sunt, discusserunt vtrunque, & inuenerunt vtrunque mutabile in ipso homine. Mutabile corpus per ætates, per corruptiones, per alimenta, per refectiones, per defectiones, per vitam, per mortem. Transierunt ad animam, quam vtique comprehenderant meliorem, & inuisibilem mirabantur. Inuenerunt & ipsam mutabilem, modò velle, modò nolle, modò scire, modò nescire, modò meminisse, modò obliuisci, modò timere, modò audere, modò ire in sapientiam, modò in stultitiam deficere. Viderunt & ipsam mutabilem, transierunt & ipsam. Quæsierunt enim aliquod immutabile.

Cadauer, quòd ceciderit.

Ex animâ & corpore quæ sunt mutabilia, factus transitus ad Deum immutabilem.

Cap. 3.

Rom. 1. v. 21

Sic ergo peruenerunt ad cognoscendum Deum qui fecit, per ista quæ fecit *sed non sicut Deum honorauerunt, aut gratias egerunt*: vt ipse dicit Apostolus, *Sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Et quò peruenerunt? *Et immutauerunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Idola dicit. Et parum erat facere idolum ad speciem hominis, & ad sui operis similitudinem addicere artificem: parum fuit hoc. Sed insuper quid? *Et volucrum, & quadrupedum, & serpentium*. Omnia quippe ista muta animalia, & irrationabilia illi quasi magni sapientes deos sibi fecerunt. Reprehendebam quando adorabas imaginem hominis: quid tibi faciam, quando adoras imaginem canis, imaginem colubri, imaginem crocodili? Peruenerunt vsque ad ista. Quantum quærentes in superna euecti sunt, tantum cadentes in ima demersi sunt. Altiùs enim mergitur quod de alto cadit. Hi ergo, sicut hesterno die vos commonui, quæsierunt quid posteà, id est, quid post hanc vitam sit futurum. Quæsierunt sicut homines; sed quando inuenirent, cùm homines essent? Doctrinam Dei non habuerunt, Prophetas non audierunt, non potuerunt inuenire, suspicati sunt. Retuli heri vobis suspiciones illorum.

Supra serm. 139.

A Pasibate.

Cap. 4.

A Exeunt animæ malæ, inquiunt, & quia immundæ sunt, continuò in alia corpora reuoluuntur. Exeunt animæ sapientium atque iustorum: & quia benè vixerunt, volant ad cœlum. Age bellè, bellè inuenisti illis locum: volantes ad cœlum peruenerunt. Et quid ibi? Ibi erunt, inquiunt, & requiescent cum dijs. Sedes eorum erunt stellæ. Non malum habitaculum illis inuenistis, vel ibi illas dimittite, nolite illas deijcere. Sed, inquiunt, post tempora longa, factâ penitus obliuione veterum miseriarum, incipiunt velle reuerti ad corpora, & delectabit eas venire: & rursus veniunt ad ista patienda, ad ista toleranda, ad obliuiscendum Deum, ad blasphemādum Deum, ad sequendas corporis voluptates, ad pugnas contra libidines. B Veniunt ad istas miserias, vnde & quò? Dic mihi quare? Quia obliuiscuntur. Si omnia mala obliuiscuntur, obliuiscuntur & delectationem carnis. Hoc solùm mali sui meminerunt, vnde ruerunt. Veniunt. Quare? Quia delectat eos rursus in corporibus habitare. Vnde delectat, nisi per memoriam, quia ibi aliquando habitauerunt? Dele totam memoriam, & fortè residuam facies sapientiam. Nihil remaneat quod reuocet.

Platonicæ opiniones de animarum statu solidissimè exagitatæ. Al. in.

Cap. 5.

Et horruit quidam auctor ipsorum, cui demonstrabatur, vel qui inducebat apud inferos demonstrantem patrem filio suo. Nostis enim propè omnes hæc, atque vtinam pauci noscetis. C Sed pauci nostis in libris, multi in theatris, quia Æneas descendit ad inferos, & ostendit illi pater suus animas Romanorum magnorum venturas in corpora: expauit ipse Æneas, & ait,

Virg. lib. 6. Æneid.

O pater, an ne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est,
Sublimes animas, iterúmque ad tarda reuerti
Corpora? Sentiendum ne est, inquit, quòd eant ad cœlum, & iterum redeant?
--- *Quæ lucis miseris tam dira cupido?*

Meliùs filius intelligebat, quàm pater exponebat. Reprehendit cupiditatem animarum rursus in corpora redire volentium. Dixit diram cupiditatem, D dixit eas miseras, nec erubuit eas. Ad hoc Philosophi perduxistis, vt purgentur animæ, perueniant ad summam munditiam, & per ipsam munditiam obliuiscantur omnia, & per obliuiones miseriarum redeant ad miserias corporum. Dicite obsecro: Nónne etiam hæc si vera essent meliùs nescirentur? etiam si vera essent, inquam, quæ sine dubio falsa, quia fœda sunt, nónne meliùs nescirentur? An forte dicturus es mihi, Non eris sapiens, si ista nescietis. Vt quid illa sciam? Possúmne esse modò melior, quàm tunc ero in cœlo? Si in cœlo, quando ero melior & perfectior, obliuiscar omnia quæ hîc didici, & hæc E ibi melior nesciturus sum, sine modò illa nescire. In cœlo habitantem dicis omnia obliuiscentem: sine in terrâ esse horum omnium nescientem. Deinde rogo te, Sciunt se istæ animæ in cœlo, passuras esse rursus huius vitæ miserias, an nesciunt? Elige quod volueris. Si sciunt se passuras esse tantas miserias, quomodò sunt beatæ, miserias suas futuras cogitantes? Quomodò sunt beatæ, vbi sunt sine securitate? Sed video quid eligas: dicturus es, Nesciunt. Laudas ergo ibi hanc ignorantiam, quam me nunc habere non sinis, docendo me in terrâ, quod me nesciturum dicis in cœlo. Nesciunt, inquis. Si nesciunt, & se non putant passuras, errando sunt beatæ. Quod enim passuræ sunt, putant se non passuras: quod falsum

putare, quid est aliud quàm errare? Erunt ergo A errore felices, erunt beatæ non æternitate, sed falsitate.

Cap. 6.

Ioan. 8. v. 36. & 31.

Liberet nos veritas, vt beati verè esse possimus, quoniam non fraudat nos sermo Redemptoris nostri: *Si vos Filius liberauerit, tūc verè liberi eritis.* Ipse enim dixit, *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Deinde audite aliod peius, aliud dolendum, vel potiùs irridendum. Hic Sapiens, hic Philosophus, hoc est interrogatus, verbi gratiâ, Pythagoras, Plato, Porphyrius, & oescio quis alius ipsorum, Qoare philosopharis? Propter inquit, beatam vitam. Quando habebis istam beatam vitam? Cùm hoc corpus, inqoit, reliquero in terrâ. Modò ergo misera vita geritur, sed spes est B beatæ vitæ: ibi beata vita geritur, sed spes est miseræ vitæ. Ergo si spes nostræ infelicitatis est felix, & felicitas infelix; abjiciamus hæc, & vel redeamus quia falsa sunt, vel doleamus quia magna existimantur. Sunt enim ista, fratres mei, magna magnotum deliramenta doctorum. Quantò melius tenemus magna magnorum sacramenta doctorum? Amore corporum dicunt redire animas purgatas, mundatas, sapientes, purgatas animas amore corporum redire ad corpora. Ergo anima purgata si sic amat, nónne amor iste magnæ sunt sordes? Sed corpus est omne fugiendum.

Cap. 7.

1. Retr. 4. 22. de Ciuita. Dei. Cap. 26.

Magnus eorum Porphyrius Philosophus, fidei Christianæ acerrimus inimicus, quia iam Christianis temporibus fuit: sed tamen ab ipsis deliramentis C erubescendo à Christianis ex aliquâ parte correptus, dixit, scripsit, Corpus est omne fugiendum. Omoe dixit, quasi omne corpus vinculum ærumnosum sit animæ. Et prorsus si corpus qualecunque est fugieodum, noo est vt laudes ei corpus; & dicas, quomodò Deo docente fides nostra laudat corpus: quia & corpus quod modò habemus, quamuis habeamus hinc de peccato pœnam, & *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*: tamen habet corpus istud speciem suam, dispositionem membrorum, distinctionem sensuum, erectam staturam, &c. quæ benè cōsiderantes stupēt. Veruntamen illud omninò incorruptibile, D omninò immortale, omninò ad moueodum agile & facile erit. Sed ait Porphyrius, Sine causâ mihi laudas corpus. Qualecūque sit corpus, si vult esse beata, corpus est omne fugiendū. Hoc dicunt Philosophi: sed errant, sed delirant. Citò probo, nolo diuoiùs disputare, libros vestros lego: quia illa, quæ prædicata sunt, debēt habere subditum. Doo enim sunt inuicem sibi connexa, prædicata & subdita. Superat omnia Deus, huic cuncta sunt subdita. Et anima si habet aliquem honorem apud Deum, debet habere aliquid subditum. Sed nolo hinc diutiùs disputare, libros vestros lego: mundum istum animal dicitis, id est, cœlum & terram, E maria, omnia quæ sunt ingeotia corpora, & immensa vsquequaque elementa. Totum hoc vniuersum corpus, quod ex his elementis omnibus constat, dicitis esse animal magnum: id est, habere animam suam, sed sensus corporis non habere: quia extrinsecus nihil est quod sentiri possit: habere tamen intellectum, hærere Deo: & ipsam animam mundi vocari Iouem, vel vocari Hecatem, id est, quasi animam vniuersalem mundum regentem, & vnum quoddam animal facientem: eundémqoe mundum æternum esse dicitis, semper futurum, finem non habiturum. Si ergo æternus mundus, & sine fine manet mun-A dus, & animal est mundus: anima ista semper tenetur in mundo, certè corpus est omne fugiendum. Quid est quod dicebas, Corpus est omne fugiendum? Ego dico, beatas animas incorruptibilia corpora semper habituras. Tu qui dicis, corpus omne fugiendum, occide mundum. Tu dicis, vt fugiam de carne meâ, fugiat Iupiter tuus de cœlo & terrâ.

Platonicis mundus animal immortale.

Cap. 8.

In Timæo.

Quid qood inuenimus eundem Platooem, magistrum istorum omnium, in libro quodam suo quem scripsit de constitutione mundi, inducere Deum factorem deorum, facientem scilicet deos cœlestes, stellas omoes, solem & lunam. Dicit ergo Deum opificem deorum cœlestium, dicit ipsas stellas habere animas intellectuales, quæ intelligunt Deum, & corpora visibilia quæ cernuntur. Dico vt intelligatis: Sol iste qui videtur, nòn videretur, oisi corpus esset. Hoc verum est: stella vlla vel luna non videretur, nisi corpus esset; verum dicit. Ideo dicit & Apostolus, *Et corpora cœlestia, & corpora terrestria.* Et sequitur: *Alia gloria cœlestium, alia & terrestrium.* Et rursus dicens de gloriâ cœlestium corporum Apostolus adiunxit, & ait: *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim à stellâ differt in gloriâ, sic & resurrectio mortuorum.* Videtis, quia promissa est Sanctorum corporibus claritas, & diuersa species claritatis, quia diuersa sunt merita charitatis. Sed illi quid dicunt? Stellæ istæ quas videtis, C corpora sunt quidem, sed habent soas animas intellectuales, & sunt dij. Interim de corporibus, quia corpora sunt, verum dicunt. Sed vtrum habeant animas suas, vt qoid discutio? Modò veoiamus ad rem. Inducitur Deus à Platone ipso alloqui deos, quos fecit de corporali & incorporali substanoâ, atque inter cætera dicere illis, *Quoniam estis orti, immortales esse, & indissolubiles non potestis.* Iam ad istam vocem illi intremiscere poterant. Quare? Quia immortales esse copiebant, & mori nolebant. Ergo vt eis auferret timorem, secutus adiunxit, atque ait, *Non tamen dissoluemini, neque vos vlla mortis fata periment: nec erunt valentiora quàm consilium meum, D quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus colligati estis.* Ecce Deus securitatem dat dijs à se factis: securitatem illis dat immortalitatis: securitatem illis dat quòd noo reliquant globos corporum suorum. Certè corpus est omne fugiendum. Quantum existimo responsum est illis, sicut intelligere potestis: sicut & nos loqui possumus, quantum hora sermonis permittit, quantum capacitas nostra sinit, responsum est eis. Iam verò quid & ipsi dicant de resurrectione corporum quasi acutè, & non E eis, sicut arbitrantur, etiam nos respondere possomus, multum est vt hodie vobis dicam. Sed quia semel promisi vobis, per istos dies istam de resurrectione carnis quæstionem esse versandam, ad ea qoæ restant, adiuuante Domino, & aures & corda in crastinom præparare.

1. Cor. 15. v. 40.

Platoni malum à corpore separari.

EIVSDEM EODEM DIE
de resurrectione corporum contra Gentiles, Homil. 8.

Serm. 147. de temp. Cap. 1.

Diebus his sanctis Resurrectioni Domioi dedicatis, quaotum donante ipso possumus, de carnis resurrectione tractemus. Hæc enim fides est oostra, hoc donum in Domini nostri

Iesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, nonsolùm prænuntiare, sed etiam demonstrare. Illi qoidem qui tunc fuerunc, cùm illum viderent, & cùm expauescerent, & spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solùm verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum: parúmque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum, atque palpandum. Ait enim, *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor vestrum?* Putauerunt enim se spiritum videre. *Quid turbati estis*, inquit, *& cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas, & pedes meos: Palpate, & videte: quia spiritus ossa, & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Contra istam euidenciam disputabant homines. Quid enim aliud facerent homines, qui ea quæ sunt hominum sapiunt, quàm sic disputare de Deo contra Deum. Ille enim Deus est, isti homines sunt. Sed *Deus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*. In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est. Maiora quidem miracula sunt tot quotidie homines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant: & tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta est res. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est caro in sepulchro. Exhibuit illam viuam, qui viuebat in illâ. Quare miramur? Quare non credimus? Deus est, qui fecit. Considera auctorem, & tolle dubitationem.

Luc. 24. v. 37.

Psal. 93. v. 11.

Maiora miracula quæ sunt ordinaræ prouidentiæ, etsi viluerunt assiduitate.

Cap. 2.

Quærunt ergo homines, vtrum corruptio ista corporis, quam sentiunt in carne suâ, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus non futuram. Respondent nobis; Si corruptio non erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducauit? Modò Euangelium cùm legeretur, audiuimus, quia cùm exhiberet se viuum oculis, manibúsque discipulorum suorum, parum illi visum est ad demonstrandam euidentiam corporalem: sed addidit, *Habetis hîc aliquid, quod manducetur? Et obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis; manducauit, & reliquias dedit eis.* Dicitur enim nobis. Si corruptio corporis non resurget, quare manducauit Dominus Christus? Legistis quia manducauit, nunquid legistis quia esuriuit? Quòd manducauit Iesus, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare, egeret. Rursus si manducare non posset, minus valeret. Nunquid & Angeli quando suscepti sunt hospitio à patribus nostris non manducauerunt, & tamen corruptibiles non fuerunt? Rursus dicunt, Resurgent vitia quæ erant in corpore humano, cum quibus moritur homo? Respondemus, Non resurgent vitia. Et dicitur nobis: Quare ergo Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit? Quid adhuc dicimus, nisi quia & hoc potestatis fuit, non necessitatis. Sic resurgere voluit, sic voluit quibusdam dubitantibus exhibere in illâ carne cicatrices vulneris, vt sanaret vulnus incredulitatis.

Quod manducauit Christus à resurrectione, potestatis fuit.

Luca 24. v. 41.

Gen. 18. v. 7. Tob. 12. v. 19.

Item quòd cicatrices retinuit.

Cap. 3.

Adhuc disputant, & quærunt à nobis: Paruuli qui moriuntur, paruuli resurrecturi sunt: an ætas erit plena reuiuiscentium, quorum erat parua morientium? Hoc quidem in Scripturis definitum non inuenimus. Incorruptibilia corpora, & immortalia resurrectura promissa sunt. Sed si parua ætas redditur, si statura pusilla reuocatur, nunquid & propterea infirmitas reuocatur? Si parui erunt, nunquid iacebunt, & ambulare non poterunt? Credibilius tamen accipitur & probabilius & rationabilius, plenas ætates resurrecturas, vt reddatur munere, quod accessurum erat tempore. Non enim credituri sumus senectam resurrecturam anhelam, & curuam. Postremò corruptionem tolle, & quod vis adde. Sed, inquis? Quomodò erit terrenum corpus in cœlo? Philosophi enim Gentium illi valde magni, quorum vobis iam vel insanas certè vel humanas sententias intimaui, quæsierunt quippe ista non Spiritu Dei, sed coniecturâ cordis humani: hinc maximè faciunt quæstionem, tractant subtiliter de momentis ponderum & ordinè elementorum: & dicunt, quòd etiam videmus mundum sic esse dispositum, vt ima sit terra tanquam in fundo eius, secunda aqua superfundatur terræ, tertius aër veniat, quartus æther cuncta cooperiat. Illud elementum supernum, quod æthera appellant, ignem dicunt esse liquidum & purum, inde sydera esse formata, ibi nihil esse posse terrenum, quoniam ordo ponderum non admittit. Si dicamus eis, nostra corpora in terrâ esse nouâ victura, & in cœlo non futura, audaciter & temerè, imò infideliter dicimus. Credere enim debemus talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi simus. Nam si respondemus ad absoluendam de ordine ponderum quæstionem, in terrâ nos esse victuros, de ipso corpore Domini nobis est quæstio, cum quo ascendit in cœlum.

Non definitum in Scripturis resurrecturos pueros in maiori corpore, quàm sint defuncti.

Futura in cœlo nostra corpora.

Cap. 4.

Audistis quod de Euangelio modò recens sonuit in auribus nostris: *Eleuatis manibus suis benedixit eis: & factum est dum benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Quis ferebatur in cœlum? Dominus Christus. Quis Dominus Christus? Dominus Iesus. Quid enim, separaturus es hominem à Deo, & facturus es aliam personam Dei, aliam hominis, vt iam non sit Trinitas, sed quaternitas? Quomodò tu homo anima es & corpus, & sicut anima & corpus vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Sed Verbum non recessit à Patre, & ad nos venit, & Patrem non deseruit, & in vtero carnem accepit, & mundum rexit. Quid ergo leuatum est in cœlum, nisi quod sumptum est de terrâ? Id est, caro illa, corpus illud: de quo loquens ad discipulos ait, *Palpate, & videte, quia spiritus ossa, & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Credamus, hoc fratres: & si argumenta Philosophorum difficilè soluimus, illud quod demonstratum est in Domino, sine difficultate fidei teneamus. Illi garriant, nos credamus.

Luc. 24. v. 50.

Luca 24. v. 38.

Cap. 5.

Sed non potest, inquiunt, esse terrenum corpus in cœlo. Quid si hoc velit Deus? Responde contra Deum, & dic, Non potest Deus. Nónne & tu quicumque Paganus dicis omnipotentem Deum? Nónne in libro Platonis, quod hesterno die declaraui, legitur dixisse Deus non factus, dijs à se factis. *Quoniam estis orti, immortales quidem esse & indissolubiles non potestis: non tamen dissoluemini, neque vlla vos mortis fata pe-*

De ciuitate Dei libro 22. cap. 26. Supra ser. 145.

timent, nec erunt valentiera, quàm consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis colligati? Totum ad voluntatem suam redegit Deus, qui potest & quod impossibile est. Nam quid est aliud, non potestis esse immortales, sed vt nun moriamini, ego facio, nisi & quod fieri non potest, ego facio?

Cap. 6. Volo tamen aliquid etiam de diuersitate disputare. Rogo dic mihi, Terra terra est, Aqua aqua est, Aër aër est, Æther est cœlum, & ignis ille liquidus cœlum est. Quatuor nempe ista grauida quasi construxerunt, & ædificauerunt mundum: hoc est, ex his quatuor ædificatus est mundus. Quæro quid in imo sit, terra est. Quid desuper, aqua. Quid super aquam, aër est. Quid B super aërem, cœlum est, æther est. Quid corpota solida quæ teneutur atque tractantur: non humida dico quæ labuntur & fluunt, corpora dico tractabilia vnde sunt? Terræ deputanda sunt an aquæ, an aëri, au ætheri? Responsurus es, Terræ. Terrenum ergo corpus est lignum? Planè terrenum. In terrâ nascitur, in terrâ alitur, in terrâ crescit. Tractabile est, non fluxibile. Redi mecum ad illum ordinem ponderum. Terra est in fundamento. Ordinem sequere. Quid super terram? Aquæ. Quare lignum natat super aquam? Terrenum est corpus. Si reuoces ad illum ordinem pondetum, sub aquâ esse debuit, C non supra. Inuenimus inter terram & lignum aquam mediam: super terram aquam, & super aquam iterum terram, quandoquidem lignum terra est. Perdidisti illum ordinem, tene fidem. Ergo terrena corpora inuenta sunt super elementum, quod secundum est in ordine elementorum, quandu natant ligna, neque merguntur.

Cap. 7. Attende aliud quod plus miteris. Corpora ipsa grauissima, & tamen terrena mox vt dimissa fuerint super aquam, continuò demerguntur, & ad ima profunda perueniunt, sicut est ferrum, postremò sicut est plumbum. Quid enim plumbo grauius? Accedit tameu manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod vas concauum, & natat plumbum super aquam. Ergóne non dabit Deus corpori meo, quod dat artifex plumbo? D Deinde aquam ipsam vbi ponitis? Redite ad ordinem elementorum. Certè respondebitis, quòd aqua sit super terram. Quare ergo, antequam in terrâ currant, pendent in nubibus flumina? Reuoca nunc considerationem tuam, & cogitationem ad ea quæ dicturus sum, si Dominu adiuuante explicare potuero. Quid faciliùs mouetur, quid velociùs agitatur, grauius corpus, an leuius? Quis non respondeat, Leuius? Leuiora enim corpora faciliùs mouentur, velociùs aguntur: grauiora difficilius atque tardius. Certè regulam fixisti, certè considerasti, & circumspectis omnibus respondisti, quia faciliùs mouen- E tur, & aguntur velociùs corpora leuiora quàm grauiora. Ita est, dicis. Responde ergo mihi. Quare leuissima aranea tardè se mouet, & grauis equus velociter currit? De ipsis hominibus loquar: maius corpus hominis grauius est, breuius corpus quod minus habet ponderis, leuius est. Ita verò est, si alius portet. Si autem ipse homo corpus suum portat, validus currit, macer languore vix ambulat. Appende macrum, & robustum hominem: illum languore vix paucas libellas appendentem, illum salubritate corporis multa pondera in carne suâ gerentem. Tenta tu ambos tollere, grauis est validus, leuis est macilen- A tus. Recedat portator, appareat ambulator: ipsos dimitte sibi, agant corpora sua, video macrum vix passum mouentem; video validum robustúmque currentem.

Si hoc valet sanitas, immortalitas quid valebit? Cap. 8. Dabit ergo Deus miram facilitatem, miram leuitatem. Non sine causâ illa corpora spiritalia nuncupata sunt: non ideo dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus, non corpora. Quomodò nunc ista dicuntur animalia, & tamen animæ non sunt, sed corpora: sic illa spiritalia dicuntur, sed non spiritus, qui corpora erunt. Quare dicitur spiritale corpus, charissimi, nisi quia ad nutum spiritus seruiet? Nihil tibi contradicit ex te, nihil in te rebellat aduersus te: non ibi erit quod Apo- B stolus gemit, *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem*: non ibi erit, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hæc bella ibi non erunt, pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Vbi volueris, eris: sed à Deo non recedes. Vbi volueris, eris: sed quocunque ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris. Nemo ergo fallat, nemo argumentetur, nemo suâ suspicione deliret. Quid nobis promisit Deus? Venturum esse certissimè teneamus. Quando videbatur Christus, fratres mei, quando spiritus putabatur, vt C se corpus esse persuaderet, non solùm præbebat oculis videndum, sed etiam manibus contrectandum. Quibus ad exhibendam fidei veritatem in corpore, dignatus est etiam non necessitate, sed potestate cibum sumere. Tamen adhuc illis præ gaudio trepidantibus, firmamentum cordis adhibuit de sanctis Scripturis: & ait illis, *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt, in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum*: sicut Euangelium loquitur, quod modò lectum est, *vt intelligerent Scripturas: & dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum* D *per omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymis.* Illud non vidimus, sed hoc videmus. Quando ista promittebantur, nondum videbantur. Apostoli Christum præsentem videbant, sed toto orbe terrarum diffusam Ecclesiam non videbant. Videbant caput, & de corpore credebant. Habemus vices nostras, habemus gratiam dispensationis, & distributionis nostræ ad credendum certissimis documentis, tempora nobis in vnâ fide sunt distributa. Illi videbant caput, & credebant de corpore: nos videmus corpus, credamus de capite.

Gal. 5. v. 17. Rom. 7. v. 23.

Lucæ 24. v. 44.

Corpora vt dicta spiritalia.

E
EIVSDEM IN EODEM DIE,
Homilia 9.

Sermo 150. de temp. Dubitauit Louan. Sermo 153. eodem schemate, eadem fere habet repetita, quem ideo duxi omittendum.

AGnus ille legalis, cuius immolatione antiquus Hebræorum populus Ægyptiæ seruitutis iugum abiecit, quomodò multimodis sacramentis veriorem sanctæ Ecclesiæ hostiam in figurâ sui contineat, tunc potissimùm ipsâ rerum veritate probatum est, quando *Pascha nostrum immolatus est Christus*, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Iste est Agnus, qui in altari crucis hostia viua Deo

1. Cor. 5. v. 7. Isai. 53. v. 7.

Patri pro nobis in odorem suauitatis oblatus, transitum nobis de regione vmbræ mortis ad terram repromissionis patefecit. Iste est, inquam, qui simul victima & Sacerdos, omnem veteris sacerdotij & sacrificij vmbram clarâ luce reuelando, figuris & ænigmatibus finem imposuit: nouo autem Ecclesiæ populo nouum sacerdotium & nouum sacrificium initiauit, vt videlicet nouum vinum in vtres nouos mitteretur. Quòd si granum frumenti cadens in terram & mortuum tam mirabiliter omnia innouauit, multò magis in seipso rediuiuum cum fructu multiplicato resurgens cuncta fœcundauit: & non solùm spiritalibus rationabilis terræ incrementis, B sed & ipsis quoque terrenis seminibus hoc tempore ampliorem prouentum dedit. Vnde modò in germina erumpentis terræ tota hilarior facies, vario suorum fructuum ornatu omnem hactenus quasi mortuam rerũ naturam resurgenti suo Domino conresuscitat: vbi arborum & herbarum grata venustas, diuerso quidem germinum munere, pari tamen gestu lætitiæ, singulari huic solennitati festiua occurrit. De cœli autem nunc vsque quodammodò tristi, tandem vero lætâ facie quid dicam, quæ aliquandiu iam densâ caligine nubium adoperta aeris huius spatium omne turbauit? Et ecce repente quasi iustitiâ de cœlo in terram prospiciente, mira serenitas mundo arridet, & in vnam lætitiam cœli & terræ vota concurrunt, vt Deum & hominem Christum communi exultatione excipiant, qui communem vtrisque pacem afferre venerat, & medium parietem maceriæ soluens; fecit vtraque vnum. Hinc astrorum omnium fomes, splendor ille solaris suam frontem admodum rugatam iam iámque expurgat: & quasi rex conspicuus in diademate capitis sui, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui, cæteris stellis velut comitibus suis largiora luminis sui dona impendit. Luna enim ab ipso ortus sui die semper in quodam sui dispendio posita, ad Paschalia gaudia pleno se lumine parat. Et vt cuncta breuiter perstringam, sicut omne quod in rebus subsistit, diuinâ dispensatione hominis imperio seruit: sic de salute humanâ omnibus vna exultatio incumbit. Cùm igitur pro homine omnis creatura tantis indiciis sua gaudia monstret, consequens est, vt ab hominibus ipsis testimonia tali lætitiæ non desint.

Christus Ecclesiæ nouum sacrificium, & sacerdotiũ initiauit.
Matt. 9. v. 17.
Ioan. 12. v. 24.
Paschale gaudium, à verni temporis lætâ facie.
Psal. 84. v. 12.

Præfigurata est in protoplasto Adam Christi resurrectio: quia sicut ille post soporem surgens, Euam de latere suo fabricatam agnouit; ita Christus à morte resurgens, ex vulnere lateris sui ædificauit Ecclesiam. Noë quoque vir agricola, cùm plantasset vineam, & inebriatus vino obdormisset, & discoopertus iaceret in tabernaculo suo, expergefactus à somno, filio suo verecundiam suam non celanti maledictum perpetuæ seruitutis imponens, Christum significauit: qui vineam suam fecit Ecclesiam: cuius amore poculo passionis inebriatus, & assumptæ carnis tegmine nudatus à mortuis resurrexit, sicut ipse ait in Canticis, *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodò induar illâ?* Ionas verò qualiter & ipse in se Domini mortem & resurrectionem expresserit, Euangelicus sermo apertè declarat.

Figuræ sacramenti Paschalis.
Gen. 2. v. 21.
Gen. 9. v. 20.
Cant. 5. v. 3.
Matth. 12. v. 40.

Quia igitur, fratres, omnis creatura quodam charitatis officio nostræ saluti congaudet, nostrum est ex hoc nobis in vsum viuendi aliquid trahere: ne communis omnium lætitia ius suum in nobis amittat, quos causæ totius summa in ca- A pite spectat. Et primùm quidem velut oues pascuæ Domini, in arâ cordis igne charitatis assati, nosmetipsos offeramus hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: & azymis continentiæ, mortificata iam habentes membra nostra, quæ sunt super terram, id est, fornicationem, immunditiam, & cætera vitiorum in ergastula detrudamus, & in statione virtutum sedem nobis aptemus: mortuis quoque operibus abrenuntiantes, fructum optimum vt terra bona affectamus, exemplóque bonæ arboris in omni bonitate & iustitiâ fructificemus. Ne verò & claritas solis nostræ desit conuersationi: Luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. Si igitur ita agentes vltimus nos dies inuenerit, erit nobis quandoque in præmio ipsa quoque corporum resurrectio: vbi cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloriâ, qui viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Morale.
Psal. 94. v. 7.
Rom. 12. v. 1.
Col. 3. v. 5.
Matth. 5. v. 16.
Col. 3. v. 3.

EIVSDEM IN EODEM DIE,

HOMIL. X.

SIc se habet, fratres charissimi, sic se habet miseria nostræ conditionis & Dei miseratio, vt C tempus mœstitiæ, tempus lætitiæ præcedat: id est, vt prius sit tempus mœstitiæ, posterius tempus lætitiæ. Prius sit tempus laboris, posterius quietis: prius sit tempus calamitatis, posterius felicitatis. Sic se habet miseria nostræ conditionis, vt diximus, & diuina miseratio. Tempus enim mœstitiæ, laboris, miseriæ, peccata nostra nobis pepererunt. Tempus verò lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis nostris, sed de gratiâ Saluatoris. Aliud meremur, aliud speramus. Meremur mala, speramus bona. Hoc facit misericordia eius qui creauit nos. Sed tempore miseriæ nostræ, &, sicut Scriptura loquitur, diebus natiuitatis nostræ nosse debemus, vnde debeat esse ipsa tristitia. Tristitia enim sic est, D quomodò stercus. Stercus non loco suo positum immunditia est. Stercus non loco suo positum, immundam facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum. Videte stercoris locum ab agricolâ prouisum. Ait Apostolus, *Et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Et alio loco, *Tristitia*, inquit, *secundum Deum pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur.* Qui secundum Deum tristis est, in pœnitentiam tristis est de peccatis suis. Tristitia de iniquitate, propriam iustitiam parturit. Priùs tibi displiceat quod es, vt possis esse quod non es.

Serm. 151. de temp. Cap. 1.
Tristitiæ tẽpus prius, posterius, lætitiæ.
Osee 2. v. 3.
Tristitia stercori similis, nec vtilis nisi cui oportet adhibita.
2. Cor. 2. v. 2.
2. Cor. 7. v. 10.

Quæ secundum Deum est, inquit, *tristitia, E pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur. Pœnitentiam*, inquit, *in salutem*. Qualem salutem? *Impœnitendam*. Quid est impœnitendam? Cuius te omninò pœnitere non possit. Habuimus enim vitam, cuius nos debuimus pœnitere: habuimus vitam pœnitendam, sed non possumus peruenire ad vitam impœnitendam, nisi per malæ vitæ pœnitentiam. Numquid fratres, vt dicere cœperam, in massâ tritici purgatâ inuenies stercus? Tamen ad illum nitorem, ad illam speciem & pulchritudinem per stercus peruenitur: rei pulchræ fœditas via fuit. Meritò etiam Dominus dicit in Euangelio de quadam arbore infructuosâ: *Iam ecce triennium est, quòd venio*

Cap. 2.
Pœnitentia impœnitenda.
Luc. 13. v. 7.

A *ad eam, & fructum in eâ non inuenio: præcidam illam, ne mihi agrum impediat.* Intercedit colonus: intercedit iam securi imminente infructuosis radicibus, & penè feriente: intercedit colonus, quomodò intercessit Deo Moyses. *Exod. 32. v. 31.* Intercedit colonus, & dicit: *Domine, dimitte illam & hoc anno: Circumfodio eı, & adhibeo cophinum stercoris: si fecerit fructum, benè: si quo minùs, præcides eam.* Arbor ista genus est humanum. Visitauit istam arborem Dominus tempore Patriarcharum, quasi primo anno. Visitauit eam tempore Legis, & Prophetarum, quasi secundo anno. Ecce in Euangelio tertius annus illuxit. Iam quasi præcidi debuit: sed interpellat misericors misericordem. *Qui se velit exhibere misericordem Deus, sibi opponit intercessorem.* Qui enim se volebat exhibere misericordem; ipse sibi opposuit intercessorem. B Dimittatur, inquit, hoc anno, circumfodiatur ei fossa: Signum est humilitatis, adhibeatur cophinus stercoris, si fortè det fructum: imò quia dat fructum, ex parte non dat fructum, veniet Dominus eius, & diuidet eam. Quid est, diuidet? Quia sunt boni, & sunt mali. Modò autem in vno cœtu tanquam in vno corpore sunt constituti.

Cap. 3. Ergo, fratres mei, vt dixi; Stercoris locus opportunus dat fructum, importunus autem locum facit immundum. Nescio quis tristis est. Inueni nescio quem tristem: stercus video, locum quæro. Dic, amice, vnde tristis es? Perdidi, inquit, C pecuniam. Locus immundus, fructus nullus: audiat Apostolum, *2. Cor. 7. v. 10.* *Tristitia mundi mortem operatur.* Non solùm fructus nullus, sed magna pernicies. Sic & de cæteris rebus ad gaudia sæcularia pertinentibus, quas res longum est enumerare. Video alium tristantem, gementem, flentem. Multum stercoris video, & ibi locum quæro. Et cùm viderem tristem, flentem, inspexi & orantem. Orans nescio quid mihi bonæ significationis ingessit. Sed adhuc locum quæro. Quid enim si iste orans, gemens, magno fletu mortem roget inimicis suis? Etiamsi sic iam plorat, iam rogat, iam orat, locus immundus, fructus nullus. D Plus est quod inuenimus in Scripturis. Rogat vt moriatur inimicus ipsius, incidit in maledictionem Iudæ: *Psal. 108. v. 7.* *Oratio eius fiat in peccatum.* Inspexi alium rursus gementem, flentem, orantem: stercus agnosco, locum quæro. Intendi autem orationi eius, & audio dicentem: *Psal. 40. v. 5.* *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.* Gemit peccatum: Agnosco agrum, expecto fructum: Deo gratias. Bono loco est stercus: non ibi vacat, fructum parturit. Hoc est verè tempus fructuosæ mœstitiæ, vt conditionem mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum, *Quæ hic sint lugẽda.* surreptiones peccatorum, aduersitates E cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes semper tumultuantium doleamus: hinc tristes sumus.

Cap. 4. *Duo tempora Quadragesimæ & Quinquagesimæ, tẽpus præsens significant & futurum.* Hoc tempus miseriæ nostræ & gemitus nostri, Quadraginta dies illi, significant ante Pascha. Lætitia verò, quæ posterior erit, quietis, felicitatis, vitæ æternæ, regni sine fine, quod nondum est, his diebus Quinquaginta, quibus diebus Deo laudes dicuntur, significatur. Significantur enim nobis duo tempora, vnum ante resurrectionem Domini, alterum post resurrectionem Domini. Vnum in quo sumus, alterum in quo nos futuros esse speramus. Tempus mœroris, quod significant dies Quadragesimæ, & significamus & habemus. Tempus autem lætitiæ & quietis & re-

A gni, quod significant dies isti, significamus per Alleluia, sed nondum habemus laudes. Sed nunc suspiramus ad alleluia. Quid est alleluia? *Alleluya quid.* Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes. In Ecclesiâ frequentantur laudes Dei post resurrectionem, quia nobis erit perpetua laus post resurrectionem nostram. Domini passio tempus nostrum significat, in quo nunc flemus. Flagella, vincula, contumeliæ, sputa, spinea corona, vinum fellitum, in spongiâ acetum, insultationes, opprobria, postremò ipsa crux, in ligno membra sacra pendentia, quid nobis significant, nisi tempus, quod agimus, tempus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis? Ideò fœdum tempus: sed fœdus ista stercoris sit in agro, non B in domo. Mœror sit de peccatis, non de cupiditatibus fraudatis. Fœdum tempus: sed si benè vtatur, fidele tempus. Quid fœtidius agro stercorato? Pulchrior fuit ager, antequam cophinum stercoris haberet: perductus est ager ad fœditatem, vt veniret ad vbertatem fidei. Ergo fœditas huius temporis signum est, sed nobis sit ista fœditas tempus fertilitatis.

Videamus ergo cum Prophetâ quid dicat: *Vidimus eum.* *Cap. 5. Isai. 53. v. 2.* Qualem? *Non habentem speciem, neque decorem.* Quare? Alium Prophetam interroga: *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* *Psal. 21. v. 3.* Dinumerata sunt ossa pendentis. Fœda species, cru- C cifixi species: sed ista fœditas pulchritudinem parturit. Quam pulchritudinem? Resurrectionis: Quia *speciosus formâ præ filiis hominum.* *Psal. 44. v. 3.* Laudemus ergo, fratres, Dominum: quia eius fidelia promissa retinemus; nondum accepimus. Parum putatis, quia promissorem tenemus, vt iam debitorem exigamus? Promissor Deus debitor factus est bonitate suâ, non prærogantiâ nostrâ. Quid ei debemus, vt eum debitorem teneamus? An fortè quod audistis in Psalmo: *Quid retribuam Domino?* *Psal. 115. v. 12.* Primò quando dicit, *Quid retribuam Domino?* verba sunt debitoris, non debitum exigentis. Prærogatum est illi: D *Quid retribuam Domino?* Quid est, *Quid retribuam?* Rependam. Pro quâre? *Pro omnibus quæ retribuit mihi.* Quid retribuit mihi? Primò *Retribuere nostrũ Deo, ab eo accipere.* nihil eram, & fecit me: perieram, quæsiuit me: quærens inuenit me, captiuum redemit me, emptum liberauit me, de seruo fratrem fecit me. *Quid retribuam Domino?* Non habes quid retribuas. Quando ab illo totum expectas, quid habes retribuere? Sed expecta. Nescio quid vult dicere. Cur quærit? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Circumspiciens vndique quid retribuat, quasi inuenit. Quid inuenit? *Calicem salutaris accipiam.* Retribuere E cogitabas, adhuc accipere quærebas. Vnde, rogo? Si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor? Si ergo semper debitor eris, quando retribues? Non inuenis quod retribuas, nisi quod dederis non habebis. Vide quando dicebas: *Quid retribuam,* ad illud pertinet quod dixisti: *Omnis homo mendax.* Qui enim voluerit dicere, quia retribuet aliquid Deo, mendax est: (Omnia ab illo speranda sunt, à nobisipsis præter illum nihil nisi fortè peccatum) & mendacium de suo loquitur. Verè plenè de suo abundat homo; mendacium omninò hic habet & thesaurum mendaciorum: cor suum mentiatur, quantum potest, non deficit; fingat quicquid potest, mentiatur quicquid potest. Quare? Quia quod gratis habet, de se habet, non illud

emit. Quando venitur ad veritatem, si verax [A] vult esse, non erit de suo.

Cap. 6. Al. promisit. Matth. 16. v. 22. Ibid. v. 17. Petrus de suo mẽdax, verax de Deo.

Mendax Petrus de suo. Vbi meodax? Præmisit nobis Dominus passionem, & dicit, *Absit à te, non fiat illud.* *Omnis homo mendax.* Vnde mendax? Ipsum Dominum audi: *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis.* Verax autem Petrus. Quando? *Tu es Christus Filius Dei viui.* Vnde ista veritas homini mendaci? Ecce homo dicit, *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quis dicit? Petrus. Quid erat Petrus? Homo qui dixit verum. Certè omnis homo mendax. Ecce, ecce lingua eius, ecce lingua de lingoâ eius. Quomodò omnis homo mendax? Audi, qoia omnis homo mendax, quia de suo. Ergo vnde Petrus [B] verax? Audi ipsam veritatem, *Beatus est Simon Bar-iona.* Vnde beatus? De suo? Absit, *quia tibi non reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Laudemus ergo Domioum, fratres charissimi, laudemus Deum, dicamus Alleluia. Significemus istis diebus diem sine fine. Significemus locum immortalitatis, tempus immortalitatis. Festinemus ad domum æternam.

Psal. 83. v. 5.

Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te. Lex dicit, Scriptura dicit, Veritas dicit: Venturi sumus ad domum Dei, quæ est in cœlis. Ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus: sed quemadmodum scriptum est; *In sæcula sæculorum.* Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit. Sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudemus, laudemus, sed noo solis vocibus, laudemus & moribus: laudet lingua, laudet vita: sed habeat charitatem infinitam cum vitâ: Conuersi ad Dominum.

EIVSDEM EODEM DIE.

HOMIL. XI.

Serm. 153. de temp. Dubitant Louan. Gal. 1. v. 1. Psal. 87. v. 6.

DEus misericordiæ & iustitiæ hodie resurrexit à mortuis per poteotiam Patris, vt Paulus ait, *Qui suscitauit eum à mortuis.* Et Propheta, *Inter mortuos liber est.* In quo & oos omnes pòst resurgemus, & viuemus. Quia enim præstitit nobis ducatum ad regnum suum, iubemur & nos præparare viam Domino, hoc est, humilitatem, dilectionem Dei & proximi, iustitiam, bonitatem, integritatem, patientiam, charitatem, prudentiam, pietatem, & innocentiam. Hæc omnia præcepit nobis Dominus per semetipsum exemplis, qui per agnum significatur. Quæritur, ergo, quare agnus iste non die, sed ad vesperam immoletur? Hæc causa manifesta est. Dominus enim noster ac Saluator in consummatione sæculorom passus est, vt Ioannes ait, *Filioli mei, nouissima hora est.* Hodie fides Ecclesiæ confirmata est in Christo, & in semine Abrahæ omnes gentes beoedicuntur, ac Saluator mondi innotuit, & plenam supernis ciuibus & hominibus lætitiam contulit, eùm viuum se post passionem suam præbuit iuxta promissum suum. Bene quoque Dominicus sermo, ac resurrectio Domini coniunguntur.

1. Ioan. 2. v. 18. Gen. 22. v. 18.

Dies Dominicus. Gen. 1. v. 3. Exod. 14. v. 22. Exod. 16. v. 13.

Venerabilis est hæc dies, qui Dominicus dies, & dies primus atque perfectus est, & dies clarus, io quo visa est prima lux. In quo transgressi sunt filij Israël Mare rubrum siccis pedibus, & in quo pluit manna filiis Israël in deserto, & quo Dominous baptizatus est io Iordane. Qoo vinum de aqoâ in Canâ Galilææ factum est. Quo benedixit Dominus quioque panes, quibus satiauit quinque millia hominum. In quo resurrexit Dominus à morte. Quo intrauit Domioos in domos clausas, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum. In quo Spiritus sanctus descendit in Apostolos. Et in quo speramus Dominũ nostrum Iesum Christum ad iudicium ventutum. In quo die omnis creatura reformabitur in melius, vt sol & luna septuplum lumen accipiant, & sancti homines vitam æternam propter merita booæ obedieotiæ recipiant à Deo.

Matth. 3. v. 13. Ioan. 2. v. 7. Matth. 14. v. 19. Ioan. 20. v. 19. Act. 2. v. 1.

EIVSDEM EODEM DIE *de resurrectione.*

HOMIL. XII.

Serm. 162. de temp. Dubitant Louan.

CErtissima est fiducia Christianorum, diuinitùs promissa resurrectio mortuorum. Hanc enim Veritas ipsa promisit. Veritas enim mentiri non potest. Alioquin Veritas non est, si mentiri potest. Vera est igitur de resurrectione corporum promissa veritas: quia Veritas quæ mentiri non nouit, totum necesse est vt impleat, quod promisit. Hanc enim resurrectionem corporum, vt futuram certissimè nouerimus, ipse Dominus nobis in suo corpore dignatus est demonstrare. [C] Resurrexit Christus, vt resurrecturum se noo dubitet Christianus. Quod enim præcessit io capite, sequetur in corpore.

Mors prima, & secunda.

Nosse enim debemus, dilectissimi fratres, duas esse mortes, & duas esse resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & secuoda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes. Vna, quâ peccatrix anima per culpam discessit à creatore suo. Altera, quâ iudicante Deo, exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem verò secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo cruciatur. Vtraqoe ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, [D] quia oaturæ transgressio vnumquemque peccatis propagat obnoxium. Venit autem Dei Filius immortalis & iustus, vt moreretur pro nobis: in quâ carne quia nullum potuit habere peccatum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est, solius corporis mortem Dei Filios pro oobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati, & pœnam æternæ punitionis exclusit. Hoc ergo Christus in suis fidelibus misericorditer operatur, vt hîc eos primò io animâ resuscitet, donans fidem, vt rectè credant, tribuens charitatem, vt bonis operibus libenter insistant. In oouissimo verò die ad [E] hoc eis corpora resuscitare dignabitur, vt eis æternam beatitudioem largiatur.

Resuscitati ergo in animâ per fidem, dilectissimi fratres, eum iustitiâ viuamus, vt etiam corpore ad æternam lætitiam resurgamus. Discedamus ab operibus malis, quæ mortificant animam, etiam dum viuit corpus, vt in æternis bonis & anima nostra mereatur esse, & corpus. Seruemus primæ resurrectionis munus, quod nobis per fidem largitus est Christus, vt cùm resurrexerimus corpore, mereamur cum Christo Saluatore sine fine regnare. Tunc absorbebitur mors in victoriâ. Tunc dabitor fidelibus vera vita, veráque lætitia. Tunc Deus pro meritis fidei atque bono-

1. Cor. 15. v. 55.

tum operum dabit suis fidelibus regnum cœlorum: A Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto in virtute Deus, &c.

EIVSDEM EODEM DIE.

HOMIL. XIII.

Sermo 163. de temp. Dubitant Louan. Diei resurr ctionis elogia.

PAscha Christi, dilectissimi, regnum est cœli, salus mundi, vita credentium, occasus inferni, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, testimonium resurrectioois diuinæ, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ. Quæ festiuitas Dei sacrata mysterio, & cognita sacramento, virtutem Dominicæ resur- B rectionis per Angelos manifestat, per corda credentium bona multiplicat. *Hic* igitur *est dies*, dilectissimi, *quem fecit Dominus*, vt audistis, celsior cunctis, lucidior vniuersis, in quo Dominus resurrexit, in quo sibi nouam plebem, vt ipsi videtis, regenerationis spiritu conquisiuit, io quo singulorum mentes gaudio & exultatione perfudit. Hic ergo dies resurrectionis Christi, defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Siquidem operatione virtutis eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consummat iustos, firmat dubios, damnat incredulos

Psal. 117. v. 24.

Imago est futuræ resurrectionis.

hoc enim Dominus hodie resurrexit, vt imaginem nobis futuræ resurrectionis ostenderet: & C ideo hodie vt vitali lauacro resurgens Dei populus ad instar resurrectionis Ecclesiam nostram splendore niuei candoris illuminet, gratias agere D. o nostro debemus, quòd dum sancti Paschæ sulenoitatem colimus, futuræ resurrectionis speciem iam videmus: resurrecturum est humanum genus in sæculi coosummatione post mortem, nunc resurgit in baptismo: suscitandus est tuoc Dei populus post soporem, ounc suscitatur post infidelitatem: liberandus est tunc à mortali conditione, nunc liberatur ab ignorantiæ cæcitate: renasciturus est ad æternitatem. nunc nascitur ad salutem. Omnes eoim qui olim in Christo baptizati, assumere non possunt candidam vestem, D conuersationem saltem candidam non relinquant. Soler sub nigro habitu anima satis puta latitare, nec multum interest, si quis non habet candidam vestem. Talis latro fuit ille, qui in Euangelio crucifixus cum Saluatore clamasse dicitur, *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*. Attendite ergo, charissimi, & videte, quid fidelis obtinet, quid meretur? Regnum Saluatoris latro poscit in cruce: & dum pœnæ multitudinem patitur, ad præmia æterna perducitur. Imitamini ergo eius deuotionem, imitamini amare regnum Christi: quod poscit latro moriendo, vos desiderate bene viuendo. E Illius credulitaoi paradisus aperitur, & nostræ spei æternorum monstratur firmitas præmiorum. Lætemur ergo, & exultemus in hac die, in quâ Dominus resurgens intulit pacem, intulit salutem.

Luc. 23. v. 42.

De cōs. dist. 4. Vos autē. Susceptores in baptismo, susceptorum institutores.

Hoc itaque admoneo, fratres dilectissimi, vt quoties Paschalis solennitas venit, quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum extitisse: & ideo semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant vt castitatem custodiant, virginitatem vsque ad nuptias seruent, à maledicto vel periurio linguam refrænent, cantica turpia vel A luxuriosa ex ore oon proferant, noo superbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde noo teneant, auguria non obseruent, phylacteria & characteres diabolicos nec sibi, nec suis aliquando suspendant, incantores velut ministros diaboli fugiant, fidem catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentiùs currant, contemptâ verbositate lectiones diuinas attentis auribus audiant, peregrinos accipiant, & secondum quod ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lauent, pacem & ipsi teneant, discordes ad concordiam reuocare contendant, Sacerdotibus & parentibus honorem amore veræ charitatis impendant. Hæc ergo omnia & his similia si filios B & filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter peruenietis.

Nemo se circumueniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodò viuat: & sicut frequenter suggessi, quantoscunque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificauerit, cum tantis & pro tantis mercedem beatæ vitæ retributionis accipiet; & quantiscunque exemplum malæ conuersationis, etiamsi non eum illi sequantur, præbuerit, pro tantis se malis rationem nouerit redditurum. Et ideo, sicut iam supra suggessi, neophytis nostris auxiliante Domino exemplum bonæ conuersationis, quantum possumus, debemus C ostendere, vt non pro illorum destructione pœnam recipere, sed potiùs pro ædificatione ad indulgentiam peccatorum mereamur peruenire, præstante Domioo nostro Iesu Christo.

Bonæ vitæ ædificationis præmia, & pœna malæ.

EIVSDEM EODEM DIE.

HOMIL. XIV.

Ser. 16. l. 50. Homil. Dubitant Louan.

REsurrectio & glorificatio Domini nostri Iesu Christi, fratres charissimi, ostendit nobis vitam quam accepturi sumus, cùm venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona D bonis. Et modò quidem mali homines cantare nobiscum possunt Alleluia. Si autem in malitiâ suâ perseuerauerint, canticum vitæ nostræ futuræ labiis dicere possunt; ipsam verò vitam, quæ tunc erit in eâ veritate quæ nunc significatur, obtinere non possunt: quia noluerunt meditari antequam veniret, & tenere quod futurum erat. Nuoc ergo, fratres charissimi, exhortamur vos, vt laudetis Deum, & hoc est, quod nos omnes dicimus, quando dicimus Alleluia, Laudate Deum. Dicis tu alteri, dicit ipse tibi. Cùm se omnes exhortantur, omnes faciunt quod hortantur. Sed laudate de totis vobis, id est, vt E non sola lingua vestra & vox laudet Deum, sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modò in Ecclesiâ, quando congregamur. Cùm quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesset benè viuere, & semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitiâ, & ab eo quod illi placet, declinas. Nam si à vitâ bonâ nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Quomodò enim aures nostræ ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri vt habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas. Facta enim de cogitatione procedunt. Nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendum mem-

Alleluia, Laudate Deum.

Non cessat laudare Deum, qui non cessat benè viuere.

bra mouere, nisi primò processerit iussio cogitationis. Quomodò de interiori palatio quicquid iusserit Imperator, per imperium Romanum emanat, quicquid videtis agi per prouincias, quantus motus fit ad vnam iussionem Imperatoris intus sedentis: mouet ille solùm labia, cùm loquitur, & mouetur omnis prouincia, cùm fit quod loquitur: Sic & in vnoquoque nostrum intus est Imperator, in corde sedet: si bonus bona iubet, & bona fiunt: si malus mala iubet, & mala fiunt. Cùm ibi sedet Christus, quid potest iubere nisi bona? Cùm possidet diabolus, quid potest iubere nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an diabolo. Cùm parateris, qui possidebit ipse imperabit.

Cap. 2. Ergo, fratres, non tantum ad sonum attendite cùm laudatis Deum, toti laudate. Cantet vox, cantet vita, cantent facta. Et si est adhuc gemitus, tentatio, tribulatio, spera transitura omnia, & illum venturum diem in quo sine defectu laudabimus. Interim donec veniat ille dies, in quo coniuncti Angelis Deum sine vllâ fatigatione & sine vllo fine laudare mereamur, vt ad illud ineffabile gaudium venire possimus, quantum possumus, bonis operibus studeamus insistere: & quotidie conscientias nostras intus aspicientes, si aliquid in stolâ animæ nostræ aut per negligentiam dissutum, aut per luxuriam surdidatum, aut per iracundiam cõbustum, aut per inuidiam concisum; aut per auaritiam tenebrosum esse cognoscimus, dum adhuc in potestate nostrâ est, cum Dei adiutorio festinemus vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem iustitiæ ea, quæ obscurata fuerant, reuocare. Ne fortè si bonis operibus nudi, & vitiorum pannis sordentibus inuoluti, ante tribunal æterni iudicis venerimus, illa ad nos terribilis sententia dirigatur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.*

Matth. 25. v. 41. Et ideo quantum possumus, fructus iustitiæ studeamus afferre, timentes illud quod Dominus dixit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* (Matt. 3. v. 10.) Hæc sententia euidenter ostendit, quia non solùm malum fecisse, sed etiam bonum non egisse, damnabile erit. (Damnabile non solùm mala fecisse, sed & bonum non egisse.) Et ideo ista quæ diximus attentis cordibus iugiter cogitemus, ne nos tardè pœniteat sub conspectu ignis æterni, qui interrogabit medullas, ossa, & cogitationes nostras. Quoniam tunc vnusquisque puniendus optabit ne vnquam mulierem alienam concupisset, ne vnquam corporis sui vestem, ne vnquam baptismi holosericam maculasset, ne vnquam prætetisset consilia & monita Sacerdotum. Nam si Sacerdotibus grande periculum est, aliena peccata non arguere, quantò periculosius erit propria noluisse corrigere: atque ea non solùm non emendasse, verumetiam defendisse, & defendendo cumulasse. Et ideo expiatura erit illic inextinguibilis concrematio, quicquid hîc medicabilis satisfactio, quicquid hîc salutifera dissimulauerat sanare conuersio. Ardens enim inferni puteus aperietur, descensus erit, reditus non erit.

Illic fidei veste nudati, & capitaliter mortui, in perpetuum demergentur, eijciendi in tenebras exteriores, vbi non visitabit æternus: (Matth. 22. v. 13.) In tenebras ex tenebris infeliciter exclusi, infelicius includendi. De hoc puteo Propheta orat atque commemorat: *Neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* (Psal. 68. v. 16.) Ideo autem dixit, *Neque vrgeat super me puteus os suum*, quia cùm sine pœnitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur sursum, aperietur deorsum, ac dilatabitur in profundum. Nullum spiramen, nullus liber anhelitus claustris desuper vrgentibus relinquetur. Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ: vltra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt, morituri vitæ, & morti sine fine victuri. Felices qui nunc benè viuentes, facultatibus vel corpori suo necessariis contenti, & de suo largi, in se casti, in alios non cruenti, ab huius putei profundi flammeâ nocte se redimunt. Hæc pœna illos manebit, qui amisso, & non reparato per pœnitentiam baptismo, in æternum peribunt. Ad quos dicitur, *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* (Matth. 3. v. 12.) Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit, *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, & si tamen quasi per ignem*: (1. Cor. 3. v. 15.) per fluuium igneum, de quo propheticus sermo commemorat, *Et fluuius igneus currebat ante eum*: (Nora temporales, vel purgatorias pœnas. Dan. 7. v. 10.) per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda, transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vendicabit quædam flammæ rationabilis disciplina. Et quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæuiet.

Et quia sermo diuinus quodam loco æneæ ollæ animam peccatricem comparat, dicens: *Pone illam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stagnum eius defluat*: (Ezech. 24. v. 11.) illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ vel sordidæ: illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant exundabunt: illic stagnum vel plumbum diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumentur: quæ omnia hîc ab animâ separari per eleemosynas & lacrymas compendiosâ transactione potuissent. Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui se ipsum pro homine dedit, & confixus clauis, legi mortis se iunxit. Quæ cùm ita sint, dilectissimi, intelligamus quia effugere intoleranda supplicia, & incendia æterna non poterunt, nisi qui priùs in se ignem carnalis concupiscentiæ, ac multimodæ cupiditatis exunxerint. Et ideo, fratres charissimi, conuertamus nos ad meliora, dum in nostrâ sunt potestate remedia. Curramus dum lucem habemus, ne prætereuntia salutis tempora negligamus. Hîc extinguamus mortem moriendo peccatis, hîc vitam vitæ meritis comparemus.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
in die sancto Paschæ.

SERMO.

Est inter Eusebianos de Paschate Sermo I. Sed hîc mediâ fere parte auctior, multisque emendatior ex perantico Regio Cod. vbi ad calcem operum S. Leonis habetur Augustini nomine; quo & malui dare.

EXulta cœlum, & in lætitiâ esto terra; quoniam iste dies nobis ampliùs ex sepulchro radiauit, quàm de sole refulsit. Dolet infernus, quia resolutus est: gaudet, quia visitatus est: resultat, quia ignotam lucem post sæcula longa vidit, & post profundæ noctis caligi-

nem respirauit. O pulchra lux! quæ de candido cœli fastigio promicasti, & post noctem perpetuam sedentes in tenebris & vmbrâ mortis subitâ claritate vestisti. Confestim igitur æterna nox inferorum Christo descendente resplenduit; siluit stridor ille lugentium; dirupta ceciderunt vincula damnatorum; attonitæ mentes obstupuere tortorum. Omnis simul impia officina contremuit, cùm Christum repente in suis sedibus vidit.

Inferni de Christo querulæ voces.

Mox igitur ferruginei ianitores descendente Christo, talia inter vmbrosa silentia cæci, metu incumbente submurmurant. Quisnam est, inquiunt, iste terribilis, & niueo splendore coruscus? Nunquam talem noster excepit tartarus: nunquam in nostrâ cauernâ talem euomuit mundus. Inuasor est iste, non debitor. Effractor est iste, non peccator. Iudicem videmus, non supplicem. Pugnare venit, non succumbere: eripere, non manere. Vbinam putamus ianitores nostri dormiebant, cùm iste debellator vniuersa claustra vexabat? Iste si reus esset, audax non esset. Si eum aliqua delicta fuscarent, nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si Deus est, quid in sepolchro mortuorum facit? Si homo est, quare captiuos soluit? Nunquid nam iste cum auctore nostro composuit? An fortè & ipsum aggressus est, & sic ad regna nostra transiuit? Certè mortuus erat, certè victus erat. Illusus est præliator noster in mundo, & nescit quantam stragem procuret inferno. O Crux illa fallens gaudia nostra, & parturiens damna nostra! Per lignum ditati sumus; per lignum euertimur. Perijt potestas illa cunctis semper populis formidata. Nullus sub sede nostrâ captiuus palpitat; sed (quod est gemendum) insultat. Nusquam antiqui fletus: nulli iam resonant eiulatus: omnis mugitus gementium obmutuit. Putas iste sine nostro redit exitio? Nemo ad nos vnquam viuus introiuit: nemo hîc audax fuit: nullus sic carnifices terruit. Nunquam in hac habitatione nigrâ, & semper fuligine cæcâ, iucundum lumen apparuit. An fortè sol de mundo migrauit? Sed nec cœlum nec astra parent, & tamen infernus lucet. Quid agimus? quò conuertimur? Defendere contra istum cruentas domos, & obtinere portarum nostrarum custodias non possumus. Malè enim tractati sumus. Tantam lucem obtenebrare nequiuimus. opprimere tantâ virtute præditum non valemus. Nostra igitur colla vrgeri conspicimus, & de nostro insuper interitu formidamus.

Ed. *bellator.*

Quid nobis & cœlo? Nocte nostrâ contenti sumus. Antris nostris occultamur, quare ab his prodimur? Quare violenti disturbamur? Quare in nostris sedibus captiuamur? Mox igitur Dominus Christus, in ipsos crudeles pœnarum ministros aciem dirigit, atque implacabiles turmas frameâ diuinâ concidit. Tremunt diri sub tortore carnifices, & rabidiosis redacti stridoribus contabescunt. Ipsa quoque antra terret cubilis intrantur, & fortes à fortiore æternis nexibus colligantur. Hæc & Dominus esse promiserat, dicens: *Nemo intrat in domum fortis, & vasa eius diripit, nisi prius alligauerit fortem, & tunc vasa eius diripiet.*

Hactenus edita nomine Eusebij Emisseni; ipsa tamen non ita plena, & in plerisque locis deprauatissima.

Matth. 12. v. 29.

Animarum ad eum pia supplicatio.

Tristes igitur mox, lugentésque diuturno squalore turbæ, populique vexati concurrunt, & ad Saluatoris sui vestigia voluntantur. Succurre, inquiunt, fessis. Iam sæuas extingue minas, & miserandos resolue gemitus. Redemisti viuos cruce tuâ, eripe mortuos morte tuâ. Pari nobiscum sorte mundus perierat, & ad aduentum tuum omnis creatura pendebat. Tibi nostra tormenta suspirabant; te semper infernus iste pauebat. Dum hîc es, absolue reos: dum ascendis, defende tuos. Dum hîc es, vniuersa claustra soluantur; dum ascendis, ne claudantur. Pateat quæsumus precantibus ianua, quo Crux non desit pia. Et si redieris ad corpus maiestate tuâ, non priuetur inferous potentiâ tuâ.

Post auditas itaque preces, post compositas leges, post demersos altâ voragine fossæ tortores; Iudex noster hodie ab inferis laureatus exiuit. Nec candidatum officium defuit; sed læta cum principe suo omnis beatorum toga processit. Repedat igitur ad stadium suum triumphator iterum viuus; vt nouerit omnis mundus, quia rediit ab inferis Dominus Christus. Glorientur ergo credentes; plaudant manibus omnes Gentes; quia Rex noster in sæcula triumphauit, & inferos vicit.

EIVSDEM EODEM DIE *de Alleluia, quod modò in spe cantur, postea verò in re.*

Est primus August. de diuersis.

QVoniam voluit Dominus vt charitatem vestram in Alleluia videremus, de Alleluia vobis verbum debemus: Non sum oneri, si commemoro quod nostis, quia & ipsum Alleluia quotidie dicimus, & quotidie delectamur. Nostis enim quia Alleluia, Latinè dicitur, Laudate Deum: & in hoc verbo consonantes ore, & consentientes corde, exhortamur nos inuicem ad laudandum Deum. Eum tantùm homo securus laudat, qui non habet vnde displiceat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium viatici dicimus Alleluia: modò nobis Alleluia canticum est viatoris. Tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam, vbi retractis omnibus actionibus nostris non remanebit nisi Alleluia.

Cap. 1.

Alleluia quid: ac quibus conueniat.

Istam partem suauissimam sibi Maria elegerat, quæ vacabat, discebat, laudabat: Martha verò soror eius, circa plurima fuerat occupata. Equidem agebat rem necessariam, sed non permansuram: agebat rem viæ, non patriæ: agebat rem peregrinationis, nondum possessionis. Susceperat Dominum, & eos qui cum illo erant. Et Dominus carnem habebat: & sicut pro nobis carnem dignatus est suscipere, ita dignatus est esurire & sitire. Et ex eo quod dignatus est pasci ab iis quos ipse ditauit: dignatus est suscipi, non inopiâ, sed gratiâ. Agebat ergo Martha quod pertinebat ad necessitatem esurientium & sitientium: parabat conuersatione solicitâ, quod manducaretur & biberetur à sanctis, & ab ipso Sancto sanctorum in domo eius. Magnum opus, sed transitorium. Nunquid esurire & sitire semper erit? Quando inhærebimus purissimæ illi & perfectissimæ bonitati, non erit quærere seruire necessitati. Beati erimus nullo indigentes: multum habentes, nihil quærentes. Et quid est quod habebimus, vt nihil quæramus? Dixi, quòd si creditis, postea videbitis.

Cap. 2. Mariæ pars, & Marthæ.

videbitis. Quod ergo diximus, multum habentes, & nihil quærentes, id est, onllo indigentes. Quid est ipsum qood habemus? Seruientibus sibi Deus, colentibus eum, credeotibus in eum, sperantibus in eum, amantibus eum quid dabit?

Cap. 3. Bona hîc communia, quanta. Videmus enim quanta det in hoc tempore, diffidentibus de illo, desperantibus de illo, auersis ab illo, blasphemantibus illum: videmus quanta dona largiatur. Ab illo enim est primò sanitas: quæ sie dulcis est, vt in fastidium nunquam veniat. Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quicquid habet, quid prodest diuiti? Ab illo est ergo, (Sanitas.) B id est, à Domino Deo nostro quem colimus: à vero Deo est, in quem credimus, & in quo speramus, & quem diligimus: ab illo est res tanta, sanitas. Videte tamen cùm sit magna res sanitas, quamobrem eam det & bonis & malis, & blasphematoribus suis, & laudatoribus suis: Et quid dicam? Vtrique homines suot. Omni pecore melior est malus homo. Dat sanitatem etiam iumentis & draconibus, vsque ad muscas & vermiculos donat sanitatem: & saluat omnia qui creauit omnia. Vt ergo alia omittamus; quia nihil melius inuenimus quàm est sanitas: non solùm eam dat Deus hominibus, sed & pecoribus, sicut dicit Psalmus, *Homines* (Psal. 35. v. 7.) C *& iumenta saluos facies Domine: sicut multiplicata est misericordia tua Deus.* Sic enim es, quia Deus es: vt bonitas tua non remaneat in summis, & deserat infima. Peruenit ab Angelis, vsque ad extrema & minuta animalia. (Sap. 8. v. 1.) *Peruenit* enim *à fine vsque ad finem pertendens fortiter sapientia, & disponit omnia suauiter:* & in ipsâ dispositione suauitatis eius, suauis est omnibus sanitas. Cùm ergo tantum bonum det & boois & malis, & hominibus & iumentis: quid est, fratres mei, quod seruat bonis? Iam dixerat, *Homines & iumenta saluos facies Domine: sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.*

Cap. 4. Homines, & filij hominû, pertinentes ad Adamum, & Christû. Et deinde adiunxit, *Filij autem hominum.* D Qui sunt isti? Quasi alij sint homines, de quibus paulò antè dixerat, Homines & iumenta saluos facies Domine, & alij filij hominum. Aliud enim sunt homines quàm filij hominum: & aliud sunt filij hominum, quam homines. Quid sibi ergo vult ista distinctiu? Nisi quia fortè homines pertinent ad hominem, filij hominum ad Filium hominis: homines ad hominem, filij hominum ad Filium hominis. Est enim quidam homo qui noo fuit filius hominis. Qui enim primus factus est, bomo fuit: filius hominis non fuit. Quid ergo nobis venit per hominem, & quid nobis venit per Filium hominis? Commemoro quod venit per hominem, E & Apóstoli verba dico. (Rom. 5. v. 12.) *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce quod nobis propinauit homo: ecce quod de parente bibimus, & vix digerimus. Si hoc per hominem, quid (Rom. 8. v. 32.) per Filium hominis? *Proprio*, inquit, *Filio non pepercit.* Si proprio Filio non pepercit, *sed pro nobis omnibus eum tradidit: quomodò non &* (Rom. 5. v. 19.) *cum illo omnia nobis donauit?* Item, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, sic & per obedientiam vnius*

A *hominis iusti constituentur multi.* Per illum ergo peccatum, per Christum iustitia. Omnes ergo peccatores ad hominem pertinent: omoes iusti ad Filium hominis. Quid ergo miramioi, quia peccatores, quia impij, quia iniqui, quia Dei cootemptores, à Deo auersi, sæculi dilectores, amplectentes iniquitatem, odio habentes veritatem, hoc est, homines pertinentes ad hominem: quid miramini, quia habeot istam sanitatem, cùm audiatis Psalmum, *Homines & iumenta saluos facies, Domine?* Ne (Sanitas, & brutis cōmunis.) extollerent se ipsi homines, quia habeot temporalem sanitatem, addita sunt illis iumeota. B Quid est ergo vnde gaudes, homo: Nonoe tibi cum asino tuo commune est, & cum gallinâ tuâ, cum quocunque animante in domo tuâ, cum istis passeribus? Nonne tibi sanitas corporalis cum his omnibus est communis?

Cap. 5. Sanctorum proprium bonû, quod speratur. Quære ergo quod promissum est filijs hominum, & audi quod sequitur: *Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Spe enim salui facti sumus.* (Rom. 8. v. 24.) Hoc non pertinet ad homines & iumenta: sperare sub tegmine alarum Dei. Et ecce spes lactat nos, nutrit nos, confirmat oos: & io istâ laboriosâ vitâ solatur nos: in ipsâ expectamus Alleluia. Ecce spes quantum gaudium haber: res ipsa quid erit? Quid erit, quæris? Audi quod se- C quitur, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* (Psal. 16. v. 15.) Huius rei spes est. Sitimus, esurimus, opus est vt satiemur: sed in viâ fames, in patriâ satietas. Quando satiabimur? *Satiabor cùm manifestata fuerit gloria tua.* Modò autem gloria Dei nostri, gloria Christi nostri latet: & cum illo abscondita est & nostra. Sed *cùm* (Col. 3. v. 4.) *Christus apparuerit vita nostra, tunc & uos cum illo apparebimus in gloriâ.* Tunc erit Alleluia in re: modò autem in spe. (Alleluia in re, ac spe.) Spes illud cantat: amor cantat modò, amor cantabit. Sed modò cantat amor esuriens: tunc cantabit amor fruens. Quid est enim Alleluia, fratres mei? Dixi vobis, laus Dei est. Ecce modò verbum auditis, & io audiendo delectamini, & in de- D lectatione laudaris. Si rorem sic amatis, fontem ipsum quomodò amabitis? Quod est enim stomacho ructanti ructatio, hoc est cordi saginato laudatio. Si enim laudamus quod credimus, quomodò laudabimus cùm viderimus? Ecce quod sibi Maria elegerat: sed quod significabat vitam illam nondum tenebat.

Cap. 6. Maria & Martha, duplex vita, delectationis & necessitatis. Duæ sunt vitæ: vna pertinens ad delectationem, altera pertinens ad oecessitatem. Quæ ad necessitatem, laboriosa est: quæ ad delectationem, voluptuosa est. Sed intra intrò, noli foris quærere delectationem; ne tumescas de illâ, & per angustum intrare non possis. Ecce quomodò Maria Dominum videbat in E carne, & Dominum audiebat per carnem, sicut audistis cùm Epistola ad Hebræos legeretur, (Hebr. 10. v. 20.) quasi per velum. Nullum erit velum, quando videbimus facie ad faciem. Maria ergo sedebat, hoc est, vacabat, & audiebat, & laudabat: Martha verò circa plurimum ministerium erat occupata. *Et dixit ei Dominus, Martha, Martha circa multa es occupata: porrò vnum est necessarium.* (Luc. 10. v. 41.) Vnum verum: multa non erunt necessaria. (Vnum necessarium.) Antequam perueniamus ad vnum, multis indigemus; vnum oos extendat, ne multa distendant, &

abrumpant ab vno. Ipsum vnum diait Apostolus: quia nondum perceperat. *Ecce quid, non me arbitror apprehendisse. Vnum autem, qua retrò oblitus, in ea qua antè sunt extentus.* Non distendit, sed *extensus.* Vnum enim eatendit, non distendit. Multa distendunt, vnum extendit. Et quandiu eatendit? Quandiu hîc sumus. Cùm venerimus, colligit, noo extendit. *Vnum autem, qua retrò oblitus, in ea qua antè sunt extensus*, secundum intensionem. Ecce eatensionem, nunquam distensionem. *Secundum intensionem sequor, ad palmam superna vocationis Dei in Christo Iesu.* Ordo verborum est. Vnum autem sequot. Tunc ergo veniemus, & vno perfruemor: sed ipsum vnum omnia nobis erit. Quid enim diximus, fratres, quando cœpi loqui? Quid est ipsum multum quod habebimus, quando noo indigebimus? Quid est multum quod habebimus? Hoc proposueram dicere: quid nobis dabit Deus, quod non dabit illis? *Tollatur impius ne videat claritatem Dei.*

Phil. 3. v. 13.
Isai. 26. v. 10

Cap. 7.
Dei claritas & visio, vnũ nobis speratum, & quod sufficiat.

Ergo claritatem suam nobis dabit Deus, quâ fruamur: vnde tolletur impius, ne videat claritatem Dei. Totum multum nostrum quod habebimus, ipse Deus erit. Auare, quid quærebas accipere? Quid quærit à Deo, cui noo sufficit Deus? Sed quando dicitur, quia Deum habebimus, & ipso solo contenti erimus; imò ipso solo delectabimur, vt nihil aliud requiramus: quia & in vno ipso fruemur, & io oobis inuicem ipso fruemur. (Quid enim sumus, si Deum non habebimus: aut quid aliud in nobis quàm Deum debeamus diligere, aut quia habemus, aut vt habeamus?) Quando ergo dicitur, quia cætera subtrahuntur, & solus Deus erit quo delectemur, quasi angustatur anima, quæ consueuit multis delectari; & dicit sibi anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicita, visco malorum cupiditatum inuolutas pennas habens, ne volet ad Deum, dicit sibi, Quid mihi erit vbi non manducabo, vbi oon bibam, vbi cum vxore meâ non dormiam? Quale mihi gaudium erit? Hoc gaudium tuum de ægritudine est, non de salute. Certè ipsa caro tua in hoc tempore aliquando ægrotat, aliquando sana est. Intendite ad aliquid, vnde capiatis eaemplum rei quam non possum dicere. Sunt quædam ægrotantium desideria: ardent desiderio aut alicuius fontis, aut alicuius pomi: & sic ardent, vt eaistiment, quia si sani fuerint, frui debeant ipsis desideriis suis. Venit sanitas, & perit cupiditas. Quod desiderabat, fastidit: quia hoc in illo febris quærebat. Et qualis est ista sanitas, in quâ conualescit ægrotus?

Cap. 8.
Sanitas nostra, immortalitas.

Sanitas ista quâ dicimur sani quid est? Sed tamen hinc capite exemplum. Quia cùm multa sint ægrotantium desideria, quæ ista sanitas tollit; quomodò illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra immortalitas est. Recolite Apostolum, & videte quid erit. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et, *Erimus aquales Angelis Dei.* Nunquid illi miseri sunt, quia non epulantur? Nonne ideo beatiores, quia istis non indigent? An verò quilibet diues æquabitur Angelis? Angeli verè diuites sunt. Quid dicuntur diuitiæ? Facultates. Angeli habent magnas facultates, qui habent magnas facilitates. Audis cùm laudatur diues, Quantùm magnus est, dominus est, diues est, potens est. Quantùm magnum vt eat quò vult: iumenta adsunt, sumptus adsunt, serui adsunt, ministeria adsunt. Omnia ista habet diues: quo vult it, laborem non patitur. Angelus vbi voluerit ibi erit: nec dicit, Iunge: nec dicit, Sterne; quod cum superbiâ dicunt diuites: & tumescere inde volunt, quia habent quibus dicant, Iunge & Sterne. Infelix, verba ista sunt infirmitatis, non facultatis. Non ergo indigebimus, & ideo beati erimus, Pleni enim erimus, sed Deo nostro: & omnia quæ hîc pro magno desideramus, ipse nobis erit pro magno. Cibum hîc quæris? Deus tibi cibus erit. Amplexum carnis hîc quæris? *Mihi autem adharere Deo, bonum est.* Diuitias hîc quæris? Quomodò tibi deerunt omnia, quando illum habebis qui fecit omnia? Et vt verbis Apostoli te faciam securum, de illâ vitâ hoc dixit, *Vt sit Deus omnia in omnibus.*

1. Cor. 15. v. 53.
Psal. 72. v. 28.
1. Cor. 15. v. 39.

EIVSDEM SERMO HAbitus in sancto die Pascha.

Serm. 86. de diuersis.

Citat Beda ad Romanos 2. ex Sermone de Resurrectione Christi.

Cap. 1.

AVdistis lectionem sancti Euangelij de Resurrectione Christi. In Resurrectione Christi constabilita est fides nostra. Passionem Christi & Pagani impij, & Iudæi crediderunt: Resurrectionem verò, non nisi Christiani. Passio Christi significat miserias huius vitæ: Resurrectio Christi ostendit beatitudinem futuræ vitæ. In præsenti laboremus: in futurâ speremus. Modò tempus est operis: tunc mercedis. Qui piger est in eahibendo opere, impudens est in eaigendâ mercede. Audistis quid dixerit discipulis suis post resurrectionem. Misit eos ad Euangelium prædicandum, & factum est. Prædicatum est Euangelium: peruenit ad nos. Et ecce, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Ambulando, & ambulando Euangelium peruenit ad nos, & ad fines terræ. Breuiter constituit nobis loquens discipulis suis, quid faciamus, quid speremus. Ait enim, sicut audistis quando loquebatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Exigitur à nobis fides, offertur salus. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Pretiosum est quod promittitur nobis: Gratis fit quod iubetur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quid enim? Qui hæc audiebant, salui non erant? Nonne multi salui credunt, salui fiunt & antequam credant? Salui planè: sed *vana salus hominum.* Qualis est ista salus, quæ tibi cum iumento tuo communis est? Verumtamen ipsa vnde, nisi ab illo, de quo scriptum est, *Homines & iumenta salnos facies Domine.* Et addidit, *secundum multitudinem misericordia tua, Deus.* Tanta est enim multitudo misericordiæ tuæ, vt veniat à te salus in istam carnem mortalem hominum, veniat & ad carnem peccatorum. Hæc est multitudo misericordiæ tuæ. Filiis tuis

Psal. 18. v. 5.
Mar. 16. v. 16.
Al. fit.
Psal. 59. v. 13.
Psal. 35. v. 7.
Salus communis; vt propria iustorum.

quid? Ecce homines & iumenta saluos facies A Domine: Nihil nobis amplius? Quod hominibus quibuscunque, quod pecoribus, hoc præstatur & nobis? Non planè hoc.

Cap. 2. Sed quid? Audi, *Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Christus, est fons vitæ. Habebamus salutem cum iumentis, quousque veniret ad nos fons vitæ. Fons vitæ venit ad nos, & fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogauit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? Quia non transit. Benè animaduertenda est ista distinctio, B *Homines & iumenta saluos facies Domine. Homines*, pertinentes ad hominem: *Filij autem hominum*, pertinentes ad Filium hominis, *sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Constituite vobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, euigilet cor vestrum: recordamini hominem, à quo redempti sumus. Ille homo nunquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assiduè se dicit Filium hominis, vt faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis. Vt recordemur in illo mortem, in isto vitam: in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum: in illo vinculum, in isto libertatem: in illo damnatio- C nem, in isto absolutionem. Duo ergo isti homines significati sunt in his verbis, *Homines & iumenta, &c. Homines*, pertinentes ad hominem, *& iumenta*, simul cum iumentis, *eos saluos facies. Homo* enim *in honore positus non intellexit*, sicut scriptum est, *Homo in honore positus non intellexit, comparatus est iumentis insensatis, & similis factus est eis.* Propterea *homines & iumenta* (quibus similes facti sunt homines, quia non intellexerunt, & eis quibus dominari creati sunt, comparati sunt) *saluos facies.* Nunquid ipsa est salus de quâ dictum est, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit?*

Christus fons vitæ.

Homines, & filij hominum. Idē Ser. de Alleluia, qui est primus de diuersis.

Psal. 48. v. 13.

D Alia est illa salus, longè alia. Angeli hanc habent: nolite eam quærere in terrâ. Magna est, sed non est hîc. Non est ista res de istâ regione: non est hîc talis salus. Sursum cor. Quid hîc quæris in terrâ salutem hanc? Ipsa salus huc venit, & mortem nostram hîc inuenit. Nunquid Dominus noster Iesus Christus, quando venit ad nos in carne, inuenit hîc salutem istâ in regione nostrâ? Magnum quid huc attulit mercator iste: de regione suâ veniens mercator iste, inuenit in regione nostrâ quod hîc abundat. Quid hîc abundat? Nasci & mori. Plena est terra his mercibus, nasci E & mori. Natus est, & mortuus est. Sed quâ viâ natus est? Ad istam regionem venit, sed non eâ viâ quâ ad nos venit. De cœlo enim venit à Patre, & tamen natus est mortalis. Natus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine. Nunquid nos sic de Adam & Euâ? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam. Maria enim Virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ æstu: quoniam ne pateretur hunc æstum, ideo ei dictum est, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Virgo ergo Maria non concubuit, & concepit: sed credidit, & concepit.

Cap. 3. Iustorū salus, quæ Angelorū.

Luc. 1. v. 35.

A pit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia *in similitudine carnis peccati.* Non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Quid habet caro peccati? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati: si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, Saluator venit: mortuus est, sed mortem occidit: Finiuit in se quam timebamus; suscepit illam, & occidit illam, quomodò summus venator leonem cepit, & necauit. Vbi est mors? Quære in Christo, iam non est; sed fuit, & mortua est ibi.

Rom. 8. v. 3. Natus est Christus in similitudine carnis peccati.

B O vita mors mortis! Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris: morietur & in nobis mors. Sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum quam credimus, & de quâ non dubitamus. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus erit.* Sequere quod timeas, *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ergo mors morietur in nobis: victura est in damnatis. Vbi mors nesciet mortem, sempiterna mors erit: quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur, & non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphantium, vt habeatis quod meditemini, quod C corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide & bono opere requiratis, Audite verba triumphantium quando non erit mors; quando & in nobis, sicut & in capite nostro, morietur mors. Paulus Apostolus dicit. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoriam.* Ista est mors mortis. Absorbebitur vt non appareat. Quid est, vt non appareat? Vt non sit, nec intus, nec foris. *Absorpta est mors in victoriam.* Gaudeant triumphantes; gaudeant, dicant quod sequitur, *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Vbi D est? Cepisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti: percussisti, & occidisti. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus?* Nonne confregit illum Dominus meus? O mors quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi peristi. Istâ salute saluus erit qui crediderit, & baptizatus fuerit. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Fugite condemnationem, amate & sperate salutem æternam. Conuersi ad Dominum.

Moritura & mors nostra.

Damnatorum mors sēpiterna.

1. Cor. 15. v. 53.

SERMO BEATI AVGVSTINI

Episcopi, In die sancto Pascha.

E Ser. 82. de diuersis. Extant fusiores 84. & 85. de eodem principio Euangelij Ioannis, in die item sancto Paschæ, quòd illud eo legeretur; ac Græci etiamnum legunt.

Sic audistis prædicari Dominum Christum, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ipsum enim Dominum Christum, qui si se non humiliasset, sed semper sic manere voluisset, homo perisset; agnoscimus Verbum Deum apud Deum: agnoscimus Patri æqualem vnigenitum Filium;

agnoscimus lumen de lumine, diem ex die. Ipse est dies, qui fecit diem: à die non factus, sed genitus. Si ergo dies de die, non factus, sed genitus est: quis est dies, quem fecit Dominus? Quare dies? Quia lux est. *Et vocauit Deus lucem, diem.* Quæramus quem diem fecit Dominus, vt exultemus, & iocundemur in eo.

Gen.1.v.4.

In prima conditione mundi legitur, quia *tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquam. Et dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et diuisit Deus inter lucem & tenebras: & lucem vocauit diem, & tenebras vocauit noctem.* Ecce dies, quem fecit Dominus. Sed nunquid ipse est in quo exultare, & iocundari debemus? Est alius dies, quem fecit Dominus, quem magis debemus agnoscere, & in eo iocundari, & exultare. Quoniam dictum est fidelibus in Christum exultantibus, *Vos estis lux mundi.* Si lux, vtique dies: quia lucem vocauit diem. Ferebatur ergo etiam hic hesternâ die Dei Spiritus super aquam: & tenebræ erant super abyssum, quando illi infantes adhuc sua peccata portabant. Quando ergo illis per Spiritum Dei peccata dimissa sunt, tunc dixit Deus, *Fiat lux: & facta est lux.* Ecce dies quem fecit Dominus: exultemus, & *iocundemur in eo.*

Dies spiritualis quem fecit Deus.

Matth.5. v.14.

Alloquamur istum diem Apostolicis verbis, O dies quem fecit Dominus, fuisti aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino. *Fuistis,* inquit, *aliquando tenebræ.* Fuistis, aut non? Recolite facta vestra, si non fuistis. Respicite conscientias vestras, quibus renuntiastis. Quia ergo fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux; non in vobis, sed in Domino, *sicut filij lucis ambulate.* Satis sint vobis pauca ista, quoniam & post laboraturi sumus, & de Sacramentis Altaris hodie infantibus disputandum est.

Eph.5.v.9.

ITEM DE SACRAMENTIS,

In die sancto Paschæ.

Serm.83.de diuersis.

SERMO II.

Memor sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem Mensæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis, & cuius nocte præteritâ participes iam facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per Verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immò quod habet calix, sanctificatum per Verbum Dei, Sanguis Christi est. Per ista voluit Dominus commendare Corpus & Sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum, si benè accipitis. Apostolus enim dicit, *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus:* Commendat nobis in isto pane quodammodò vnitatem amare. Nunquid enim panis ille de vno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant. Per aquam coniuncta sunt, & post quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante ieiunij humi-

Eucharistiæ veritas.

1.Cor.10.v.17.

A liationem, exorcismi Sacramento, quasi molebamini. Accessit baptismum & aqua, quasi conspersi estis, vt ad formam panis veniretur. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est Sacramentum. In Actibus Apostolorum aduertite, quando legitur. Modo incipit liber ipse legi. Hodie cœpit liber qui vocatur Actuum Apostolorum. Qui vult proficere, habet vnde. Quando conuenitis ad Ecclesiam, tollite fabulas vanas: intenti estote ad Scripturas. Codices vestri nos sumus. Attendite ergo, & videte, quia venturus est Spiritus sanctus. Et sic veniet B in linguis igneis se ostendit. Inspirat enim charitatem, quâ ardeamus in Deum, & contemnamus mundum; & fœnum nostrum exuratur, & cor quasi aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus, post aquam ignis: & efficimini panis, quod est corpus Christi. Et ideo vnitas quodammodò significatur.

Vnguenti symbolum ignis Spiritus sancti, ac verè Mysterii quicquid obgannitat Daleus.

Tenetis Sacramentum ordine suo. Primò post orationem admonere mihi sursum habere cor. Hoc docentur membra Christi. Si enim membra facti estis, caput vestrum vbi est? Membra habent caput. Si caput non præcessisset, membra non sequerentur. Quò iuit caput vestrum? Quid reddidistis in Symbolo? *Tertio die resurrexit à mortuis; ascendit in cœlum, sedet ad dexteram* C *Patris.* Ergo in cœlis est caput nostrum. Ideo cùm dicitur, *Sursum cor,* respondetis, *Habemus ad Dominum.* Et ne hoc ipsum quòd cor habetis sursum ad Dominum tribuatis viribus vestris, quia Dei donum est sursum habere cor, ideo sequitur Episcopus, vel Presbyter, qui offert, & dicit, cùm responderit populus, *Habemus ad Dominum sursum cor, Gratias agamus Domino Deo nostro:* quia sursum cor habetis. Et vos attestamini, *Dignum & iustum est,* dicentes: vt & gratias agamus ei, qui nos fecit sursum ad nostrum caput habere cor. Deinde post sanctificationem sacrificij dicitur, quâ nos ipsos voluit esse sacrificium suum, quod demon-D stratum est primum illud sacrificium Dei & nos, id est, signum rei quod sumus: ecce vbi est peracta sanctificatio dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur, *Pax vobiscum,* & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis: si quod ostendunt labia, fiat in conscientiâ. Id est, quomodò labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde eius non recedat.

Antiqui Missæ ritus.

Oratio Dominica in Missâ, ante Gregorium.

Magna ergo Sacramenta, & valde magna. Vultis nosse quomodò commendantur? Ait Apostolus, *Qui manducat Corpus Christi, aut bi-* E *bit indignè calicem Domini, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Quid est indignè accipere? Irridenter accipere, contemptibiliter accipere. Non tibi videatur vile, quia vides. Quod vides, transit: sed quod significatur inuisibile, non transit, sed permanet. Ecce accipitur, comeditur, consumitur. Nunquid Ecclesia Christi consumitur? Nunquid membra Christi consumuntur? Absit. Hic mundantur, ibi coronantur. Manebit ergo quod significatur æternaliter, quanquam transire videatur. Sic ergo accipite vt vos cogiteos: vt vnitatem in corde habeaos; sursum cor semper figatis. Spes vestra non sit in terrâ, sed

1.Cor.11. v.29.

Fort. irreuerenter.

in cœlo. Fides vestra firma sit in Deum, acceptabilis sit Deo. Quia quod modo hîc non videtis & creditis, visuri estis illic vbi sine fine gaudeatis.

EIVSDEM DE ALLELVIA.

Est ser. 18. ex nouis P. Sirm.

QVoniam placuit Domino Deo nostro, vt hîc constituti præsentiâ corporali, etiam cum vestrâ charitate illi cantaremus Alleluia, quod Latinè interpretatur, *Laudate Dominum;* Laudemus Dominum, fratres, vitâ & linguâ, corde & ore, vocibus & moribus. Sic enim sibi Deus dici vult Alleluia, vt non sit in laudante discordia. Concordent ergo priùs in nobis ipsis lingua cum vitâ, os cum conscientiâ. Concor- B dent, inquam, voces cum moribus: ne fortè bonæ voces testimonium dicant contra malos mores. O felix Alleluia in cœlo, vbi templum Dei Angeli sunt! Ibi enim concordia summa laudantium, vbi exultatio secura cantantium: vbi nulla lex in membris repugnat legi mentis: vbi non est rixa cupiditatis, in quâ periclitetur victoria charitatis. Hîc ergo cantemus Alleluia adhuc soliciti, vt illic possimus aliquando cantare securi. Quare hîc soliciti? Non vis vt sim solicitus, quando lego, *Nunquid non tentatio est vita humana super terram?* Non vis vt sim solicitus, quando mihi adhuc dicitur, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem:* C Non vis vt sim sollicitus, vbi sic abundat tentatio, vt nobis præscribat oratio, quando dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Quotidie parcitores, quotidie debitores. Vis vt sim securus, vbi quotidie peto indulgentiam pro peccatis, adiutorium pro periculis? Cùm dixero propter præterita peccata, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* continuò propter futura pericula addo & adiungo, *Ne nos inferas in tentationem.* Quomodò est autem populus in bono, quando mecum clamat, *Libera nos à malo?* D Et tamen, fratres, in isto adhuc malo cantemus Alleluia Deo bono, qui nos liberat à malo. Noli longè ire, noli aciem mentis circumquaque distendere. Ad te redi, te respice. Tu es adhuc malus. Quando ergo Deus teipsum liberat à te ipso, tunc te liberat à malo.

Cantamus hîc Alleluia soliciti.

Iob. 7. v. 1.

Marc. 14. v. 38.

Matth. 6. v. 12.

Liberari à malo, à nobis ipsis liberari.

Apostolum audi, & ibi intellige à quo malo sis liberandus. *Condelector*, inquit, *legi secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Vbi? *captiuantem*, inquit, *me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Putaui quia captiuauit te sub nescio quibus ignotis barbaris; putaui quia captiuauit sub nescio quibus gentibus alienis, vel sub E nescio quibus dominis hominibus. *Quæ est*, inquit, *in membris meis.* Exclama ergo cum illo, *Miser ego homo, quis me liberabit?* Dic vnde. Alius dicit ab optione, alius de carcere, alius de barbarorum captiuitate, alius de febre atque languore. Dic tu, Apostole, non quò mittamur, aut quò ducamur, sed quid nobiscum portemus, quid nos ipsi simus, dic. *De corpore mortis huius.* De corpore mortis huius? *De corpore*, inquit, *mortis huius.* Alius dicit, Corpus mortis huius non ad me pertinet: carcer meus est ad tempus, catena mea est ad têpus. In corpore mortis sum ego: non corpus mortis sum ego. Argumentaris, ideo non liberaris. Ego enim, inquit, spiritus sum, caro non sum, sed in carne sum: cùm fuero liberatus à carne, quid erit mihi deinde cum carne? Huic argumentationi vultis, fratres, vt ego respondeam, an Apostolus? Si ego respondero, contemnetur fortassis magnitudo verbi per vilitatem magistri. Taceo potiùs. Audi mecum doctorem Gentium; audi mecum vas electionis, vt à te tollatur controuersia dissensionis.

Rom. 7. v. 22.

Ibid. v. 24.

Audi, sed dic priùs quod dicebas. Nempe hoc dicebas, Non sum ego caro, sed spiritus sum. In carcere meo gemo: quando fuerit hoc vinculum, & hoc ergastulum dissolutum, ego liber abscedo. Terra terræ redditur, spiritus cœlo recipitur: vado ego, dimitto quod non sum. Ergo hoc dicebas? Hoc, inquit. Non tibi ego respondeo: responde Apostole, responde, obsecro te. Prædicasti vt audireris: scripsisti vt legereris: totum factum est, vt crederetis. Dic quis me liberabit de corpore mortis huius. *Gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Vnde te liberat? *De corpore mortis huius.* Sed non es tu ipse corpus mortis huius? Respondet, *Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed *ipse ego:* quomodò per diuersa ipse tu? Mente, inquit, quia diligo: carne, quia concupisco. Victor quidem, si non consentio: adhuc tamen luctator, vrgente aduersario. Et quomodò cùm fueris, ô Apostole, ab hac carne liberatus, iam non eris tu nisi spiritus? Respondet Apostolus, morte iam imminente, debito quod nemo euadit, Carnem non in æternum pono, sed ad tempus sepono. Ergo rediturus es ad corpus mortis huius? Et quid? Ipsius verba potiùs audiamus. Quomodò redis ad corpus, vnde tam piâ voce liberandum te esse clamasti? Respondet, Redeo quidem ad corpus, sed iam non mortis huius. Audi, imperite, contra quotidianas lectionum voces surde: audi quomodò redit ad corpus quidem, sed non mortis huius. Non quia aliud erit corpus, sed quia *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Fratres mei, quando dicebat Apostolus corruptibile hoc, mortale hoc, quodammodò carnem suâ voce tangebat: non ergo aliud. Non, inquit, pono corpus terrenum, & accipio corpus aëreum, aut accipio corpus æthereum. Ipsum accipio, sed non iam mortis huius: quia *oportet corruptibile*, non aliud, sed *hoc, induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriâ:* cantetur Alleluia, *Tunc fiet sermo qui scriptus est:* qui sermo? non iam pugnantium, sed triumphantium, *Absorpta est mors in victoriâ:* cantetur Alleluia. *Vbi est mors aculeus tuus?* cantetur Alleluia. *Aculeus autem mortis est peccatum:* sed quæres locum eius, & non inuenies.

Rom. 7. v. 25. Gratia Dei per Iesum Christum nos sola liberat.

Reditur ad corpus, sed non mortis huius.

1. Cor. 15. v. 53.

Ibid. v. 54. Alleluia triumphantium.

Sed etiam hîc inter pericula, inter tentationes, & ab alijs, & à nobis cantetur Alleluia. *Fidelis enim Deus, qui non permittet*, inquit, *vos tentari super id quod potestis.* Ergo & hîc cantemus Alleluia. Adhuc est homo reus, sed fidelis est Deus. Non ait, non permittet vos tentari, sed, *non permittet vos tentari super id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere.* Intrasti in tentationem: sed faciet Deus etiam exitum ne pereas in tentatione: vt quomodo vas figuli, formeris prædicatione, co-

Adhuc pugnantium. 1. Cor. 10. v. 13.

quaris tribulatione. Sed quando intras, exitum A cogita. quia fidelis est Deus. *Psal. 120. v. 8.* *Custodiet Dominus exitum tuum, & introitum tuum.* Porrò autem, cùm factum fuerit corpus hoc immortale & incorrupobile, quando perierit tota tentatio, *Rom. 8. v. 10* quia *corpus quidem mortuum est*, quare mortuum est: *propter peccatum: spiritus autem viuit*, Apostoli verba sunt, quare? *propter iustitiam.* *Ibid. v. 11.* Remittimus ergo mortuum corpus? Non, sed audi: *Si autem spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis viuificabit & mortalia corpora vestra.* *1. Cor. 15. v. 45.* Modò enim corpus animale, tunc spiritale. *Factus est enim primus homo in animam* B *viuentem, nouissimus homo in spiritum viuificantem. Ideo viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.* O felix illa Alleluia! ô secura! ô sine aduersario! vbi nemo erit inimicus, & nemo perit amicus. Ibi laudes Deo, & hîc laudes Deo: sed hîc à solicitis, ibi à securis: hîc à morituris, ibi à semper victuris: hîc in spe, ibi in re: hîc in viâ, illic in patriâ.

Mudò ergo, fratres mei, cantemus, non ad delectationem quietis, sed ad solatium laboris. *Hic cantandum vt in viâ.* Quomodò solent cantare viatores, canta, sed ambula: laborem consolare, pigritiam noli amare: canta, & ambula. Quid est ambula? profice, in bono profice. *Sunt enim* secundum Aposto- C lum, *quidam proficientes in peius.* *2. Tim. 3. v. 13.* Tu si proficis, ambulas:: sed in bono profice, in rectâ fide profice, in bonis moribus profice: canta, & ambula. Noli errare, noli redire, noli remanere. Conuersi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest paruitas nostra, maximas atque vberes gratias agamus: precantes in toto animo singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur. Inimicum quoque à nostris actibus & cogitationibus suâ virtute expellat: nobisque multiplicet fidem, mentem gubernet, spiritales cogitationes concedat, & ad beatitu- D dinem suam perducat. Per IESVM Christum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

SANCTI PROCLI ARCHIEPISCOPI *Constantinopolitani, In Domini nostri Iesu Christi Resurrectionem.*

ORATIO I.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

PVlchri itaque triduanæ sepulturæ flores: Micanti fulgore coruscant lauacri lilia: Ortæ sunt stellæ ex aquâ. Ac meritò: Sol enim iis illuxit, qui in tenebris positi sedebant in lacu inferiori, & in vmbrâ mortis. Gloriosa est Crucifixi captiuitas. Specta trophæa, nec dubius sis de victoriâ. Admirare Reginæ magnificentiam, *Pulcheriam Augustam videtur notare.* omnibus fontis instar spiritales benedictiones effundentem. Olim quidem Iudæi lapides in Stephanum intorquebant, animo obruendi primarium militiæ Crucifixi, principemque athletam, *Act. 7. v. 57* ac inuictum Oratorem: hæc autem Virgo, Christo se consecrans, religionis ergo diuitiarum thesauros erogando exhausit. Mortificauit furentes motûs suæ carnis: Crucifixum in animo suo ceu A thalamo collocauit: terrestre cœlum, Templum nempe istud quod oculis adspectamus, eleganter exornauit. Confitetur salutis thesaurum esse sepulchrum: Gloriatur cruce, per quam vetus discissum est chirographum. Affusa amplexatur mortem, antiquæ maceriæ dissolutionem. Magnum Crucifixi donum, Resurrectionem prædicat. Admiratur baptismi fontem, qui tot, tantosque parit, virgoque nihilominus permanet; per quem exorta sunt lumina. Mysterium stupet, in quo diabolus mirabili ratione naufragium fecit. Sunt hæc Crucifixi munera: Hæc sepulchri trophæa: Hæc communis Domini præ- B clara facinora. In die Adam lethale venenum in paradiso sumpsit: nocte hac, eum infernus, quem non agnoscens absorbuerat, euomuit. Quis vnquam talia vidit? Quis rem eiusmodi audiuit? Sepulchrum factum est medela paradisi. Crux, arboris maledictionem soluit. Quem Iudas vendidit, ei creatura tremore venerationem habuit.

Quid ais, ô Iudæe? Ambo hæc insaniam tuam publico dedecore notant: verba nimirum Prophetarum, & naturæ elementa. Si ad verba non erubescis, vel naturæ saltem horresce tremorem. Quippe luxerunt serui, iniuriam Domini ferre non valentes. Cœlum tenebras induit: Sol, ad mysterij stuporem aufugit: tremuit terra ad tam audax facinus: templum, Christi occisores lu- C xit: infernus, legatione mortuos præmisit: terra tremens, mutâ voce Iudæis inclamauit: Vsquequò graui permanetis, ac duro corde? *Psal. 4. v. 3.* Mortui omnes demirantes passionem, fausta acclamant, *Isai. 53. v. 5.* ac aiunt: *Eius nos liuore sanati sumus*, qui in tenebris & vmbrâ mortis, tyrannide pressi sedebamus. *Per viscera misericordiæ suæ, fecit potentiam in brachio suo.* *Luc. 1. v. 51.* Qui *cùm diues esset, propter nos egenus factus est*, *2. Cor. 8. v. 9.* Filius Dei viui Christus Iesus Dominus noster, superbosque dispersit ac exaltauit humiles: percutiens eum, *qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum*, *Hebr. 2. v. 14.* auctorem malorum serpentem, ac tortuosum draconem, sicut *Isai. 27. v. 1.* D eximius ille Isaias Propheta, prædixit. Idcirco vniuersa terra lætitiâ exultans, Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi resurrectionem, magnificè canticis celebrat: quòd in eâ, in libertatem vindicati sint, qui à sæculo detinebantur captiui: ac cæcis visus restitutus sit. Siquidem *lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, *Ioan. 1. v. 9.* ex sanctâ Virgine immutabiliter, inconfusè ac indiuisè hominem induens, per crucem aduersarium nostrum prostrauit, humano inuidentem generi, vt ipsum æternis bonis expoliaret, eòque, Deum probo afficere molientem: vt nimirum eius præcepta E spernentes, in sæculi voluptates pertraheret. Ipse itaque Dominus ac Deus noster, æternam nobis vitam elargitus est per triduanam suam à mortuis, admirabilem illam ac adorandam resurrectionem. Ipsi gloria & imperium, vnà cum immaculato Patre, & Spiritu sancto, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN SANCTVM *Pascha.*

ORATIO II.

EODEM Interprete.

VIncat etiam vberem dicendi copiam, ingens salutaris huius celebritatis miraculum,

Sacramenti Paschalis miracula.

Superata cedat cuiusuis linguæ magniloquentia, ac se imparem ad Crucifixi beneficentiam pro rei dignitate prædicandam agnoscat. Quid namque eiusmodi à sæculo gestum est, atque nunc fidei oculis cernimus? Quandonam mens sibi effinxit, aut concepit animus; efformauit sensus; expressit oratio; inspexit oculus, vel ipsa excepit auris par quicquam ei, quod nunc Christus in carne mundo donauit? Nunquam Sol, in ligno, ceu in cippo proscriptum diabolum spectauit: Nunquam Crux à maledicto naturam redemit: Nunquam redemptionis mundi pretium ipsum triginta argenteis vænijt: Nunquam innoxij passio, ac à peccato immunis, peccati conflatorium extitit: Nunquam in ligno vita pependit, atque in carne nullo satâ patre, de tyranno triumphum egit: Nunquam monumentum mortis depopulatorem suscepit: Nunquam cœlum ipso meridie tenebras induit, ne atrox aspiceret facinus, contra Deum quidem præsumptum; quod tamen carnem solam affecerit: Nunquam terra, sepulchro, quod vitæ receptaculum esset, ornata fuit: quin ne sepulchro quidem, sed nuptiali thalamo. Neque enim qui sepultus fuit, vidit corruptionem; sed descendens, nuptias celebrauit. Nunquam tribus diebus, tribusque noctibus natura enixa est resurrectionis partum. Idem enim ipse, qui in Virginis vtero suum ipsius corpus, modo quem ipse nouit, sibimetipsi efformauerat: etiam diebus tribus, animam suam à proprio seiunctam corpore, ei rursum vniens, semetipsum à mortuis excitauit. Illic quidem tempus partui fidem astruit, quòd sit homo: hic verò sepulchrum potestatem confirmat, quòd sit Deus. Nunquam Agnus qui mundi peccata tolleret altari impositus, nisi cùm Deus serui formam accepit; atque is, qui formauerat puluerem, ipsum quem formauerat, inexplicabili ratione induit; cuius quidem caro, vita est: sanguis, redemptionis pretium: spiritus, signaculum; diuina verò natura, principium non habens.

Col. 2. v. 15.

Ioan. 1. v. 29.

Pulchrè ait B. Paulus: *Vetera transierunt: ecce noua facta sunt omnia.* Nouum factum est cœlum, quod is, qui descendit, suo consecrauit ascensu. Terra noua, quam is, qui in præsepi secundum carnem natus est, sanctificauit. Mare nouum, vestigia suspensa tenens atque sustinens, quæ nec seminasset caro, nec peccatum grauasset. Mundus nouus, quem à bello liberauit, & tranquillitate repleuit. Humanitas noua, quam aquâ abluit, ac Spiritûs sancti igne conflauit. Nouus Dei cultus: Nec enim iam sacrificiorum nidor, & circuncisio; sed fides splendorem habet, quæ in vnâ substantiâ tres personas dilaudans adorat.

2. Cor. 5. v. 17.
Noua facta omnia.

Pausta hæc nuntians Isaias Propheta dicebat: *In die illâ illucescet Deus in consilio super terram.* In quaoam dic, ô Propheta? In quâ nempe, omnia supra naturam Deus, prout ipse nouit, carnem sumens est operaturus: cùm Virgo sine viro mysterij parens fuerit: clemens ille, ac in humanum propensior genus fuerit factus homo, nihil tamen ipse mutatus: cùm mors euomet, quem non agnoscens absorbuerat: sepulchrum vitæ erit, ac resurrectionis thesaurus; captiuitas, mater libertatis. Quid autem plura loquor? Cùm Deus Verbum factus homo crucifigeretur, erat quidem carnis passio, Deitatis autem potestas ac imperium. Verùm nobis edissere, Propheta,

Isai. 4. v. 2.

A Paschate.

A quonam modo habeat Deus illucescere ijs, qui sunt super terram? Num humanæ exors naturæ? Num absque carne? Minimè gentium. Nequit oculus ferre diuinitatis radium; nec diabolus ad luctam descendisset. Perhorrescit enim mors Creatorem, nec naturam non obnoxiam interitui absorbere audet. Tremit infernus Deum carne nudatum. Quem enim Cherubim obtueri non audent, hunc quoque infernus perhorrescit. Quocirca tegumento opus fuit diuinæ naturæ; non quo seipsam integeret, sed quo nostram iniuriam occuleret. Habuit opus, non Mosaïco velamine, quippe ignorantia est atque nebula: non velo opere plumario intexto; est enim colorum flos: non propitiatorio aureo; materiæ siquidem pulchritudo est: non Cherubim manu- B factis; totum enim artis miraculum est: sed ouinâ opus pelle, vt hominum voracem lupum escâ illiceret, atque falleret.

Assumptæ carnis ratio.

At illicò, qui semper Spiritui sancto pugnaci contentione repugnat, insilit Iudæus, mordacibusque dicterijs Prophetæ magniloquentiam carpit. Quid verò effutit? Non credo Deum in terris apparuisse; vel eum, qui nullâ formâ speciéue effingi potest, humanam speciem ac formam assumpsisse. Atqui ô Iudæe, quanquam legi morem non geris; fallaciter cauillaris Prophetas; Euangelia reijcis; Apostolos limis oculis aspicis, despicisque: interrogemus elementa, ac videamus quemnam confiteantur Dominum carne passum. Atque vt par est, primò solem in- C terrogemus. Age ergo tu nobis sol dicito, cur contraxeris radios, crucifixo Domino? Num quia purus homo esset is, qui crucifigebatur? Ergo id quoque præstandum fuit, cùm Abel iustus occidebatur. Interrogemus & cœlum: Dic nobis cœlum, quid est cur ipso meridie tenebras induisti, cùm Dominicum Iudæi latus transfigerent? Num quia purus homo esset is, qui crucifigebatur? Quidni verò etiam egisti luctum, cùm Naboth iustus lapidaretur? Interrogemus & terram: Edicito terra cur intremueris, cùm Dei hostes ausu nefario hæc præsumerent? An quia purus homo erat is, qui cruci affigebatur? Cur ergo minimè intremuisti, cùm Isaiam cerneres ser- D râ ligneâ à Manasse secari? Sed & templum interrogemus: Edicito nobis, ô templum, cur Christo crucifixo velum conscidisti? Num quòd purus homo esset, qui agebatur in crucem? Vt quid ergo non itidem velum discidisti, cùm Zachariæ sanguis in medio tui effunderetur? Sine voce respondet omnis creatura, aitque, Ipso quem exhibuimus, luctu, Dominum prædicauimus. Non conserui passionem luximus, sed ad Domini atrocem adeò iniuriam horruimus. Clamat cœlum: Deus erat is, qui naturam humanam assumpsit, ac carne in crucem actus est; qui me vt Deus *inclinauit, & descendit.* Clamat E sol: Dominus meus erat is, qui carne fuit crucifixus. Eius enim ego splendorem diuinitatis pertimescens, radios subduxi. Clamat & terra: Creator erat carnem gerens, qui carne fuit crucifixus. Quanquam enim etiam carnem in præsepi fuerim complexa, haud tamen eius potentiam diuinitatis circunscripsi. Clamat & mare: Non erat meus conseruus is, qui carne fuit crucifixus. Nam Petri quidem, qui conseruus sit, gressûs, mea grauant ac premunt dorsa; Dominici autem pedes, naturam meam sanctificant. Clamat & templum: Is qui in me olim coleba-

Aduersus Iudæos ex creaturæ immutatione.

Gen. 4. v. 8.

3. Reg. 21. v. 14.

Isaias serrà à Manasse sectus.

Matth. 23. v. 35.

Psal. 17. v. 10.

Matth. 14. v. 30.

tur Deus; ipse item nunc graui in carne iniutiâ afficitur: Quocirca non ferens audax adeò facinus, discidi vestem. Denique clamat infernus, Non erat purus homo, qui huc descendit: noui quid sim passus: quem enim vt captiuum susceperam, vt Deum omnipotentem inueni. At ne elementis quidem ipsis credis? Ipsas interrogemus cœlestes Virtutes. Dicite nobis Angeli & Archangeli, Virtutesque cœlorum omnes, quisnam is sit, qui *in terris visus est*, ac carne crucifixus? Respondebuntque omnes per Prophetam Dauid, exertâ voce dicentes: *Dominus Deus virtutum ipse est Rex gloriæ:* Ipsi gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Bar. 3. v. 38.
Psal. 23. v. 10.

B

EIVSDEM IN SANCTVM *Pascha.*

ORATIO III.

EODEM Interprete.

Paschalis festi, ac conuentus splendor.
Festiuè celebatur tota hebdomada Paschæ.

PRæclara quidem Paschalis solennitas: præclarus etiam præsens iste conuentus. Tum vetera, tum noua complectitur mysteria. Tantam verò hebdomadæ huius festiuitas, seu magis lætitia, frequentiam habet, vt nedum in terrâ homines exultent ac gestiant; verùm etiam supernæ Virtutes ob Christi resurrectionem, nobiscum pariter diem festum agant, parique lætitiâ conuentum celebrent. Nunc enim Angeli, ac Archangelorum turmæ diem festum agunt, cœlorum Regem Christum Deum nostrum, è terrâ præstolantes ceu victorem excepturis in cœlum. Sed & Sanctorum cœtus pariter festum agit, Christum ante Luciferum ortum prædicans. Agit & terra, diuino abluta sanguine. Mare quoque agitat, Christi ipsius vestigiorum dignatum honore. Porrò etiam agat, quisquis vniuersim renatus est ex aquâ & Spiritu sancto. Agat & primus homo Adam, liber iam à veteri execratione effectus.

C

Psal. 109. v. 3.

Tantâ nos autem lætitiæ gratiâ, suâ nos Christus resurrectione perfudit, vt non modò festum nos diem agere faciat, verùm etiam præstet nobis, ex passione salutem; ex morte, immortalitatem; ex plagâ, medelam; ex ruinâ ac casu, resurrectionem. Ac olim quidem, dilectissimi, ex legis præscripto, Paschale hoc sacramentum mysticè in Ægypto peragebatur, quod nimirum Agni victimâ symbolicè significaretur: nunc verò ex Euangelij lege, resurrectionis diem solennitatem Paschalem spiritaliter celebremus. Illic namque gregarius agnus ex legis constituto sacrificabatur; hîc verò, Christus ipsè Agnus Dei offertur. Illic ouis de ouili; hic autem vice ouis ipse est Pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Illic signum aspersi sanguinis brutæ animantis salubre vniuersi populi amuletum fuit; hîc autem pretiosus Christi sanguis pro mundi salute effunditur, vt remissionem consequamur peccatorum. Illic primigena Ægyptiorum interempta fuerunt; hîc multigena peccatorum genimina per confessionem expiantur. Illic Pharao cum terribili exercitu submersus est: hîc spiritalis Pharao cum omni suâ virtute, per baptismum profundo mergitur. Illic Hebræi à transitu maris rubri, lætum victoriæ carmen benemerenti modulantes, dixerunt: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est*; hîc baptis-

D

Exod. 12.

Ioan. 10. v. 11.

E

Exod. 14. v. 27.
Exod. 15. v. 1.

A mare initiati, mysticè canunt victoriale canticum, dicentes: *Vnus sanctus; vnus Dominus Iesus Christus, in gloriâ Dei Patris, Amen.* Propheta quoque exertâ resonat voce: *Dominus regnauit; decorem induit.* Hebræi vt Mare iam rubrum transmisissent, in deserto manna comederunt: nunc autem ij, qui è sacro baptismatis alueo exierunt, panem comedunt, qui de cœlo descendit. Eius namque illa vox est, quæ dicit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.*

Hæc Chorus in Chryst. liturgia.
Psal. 92. v. 1.
Communicant recens baptizati.
Ioan. 6. v. 51.

Meritò itaque beatus Paulus clamabat: *Hæc autem in figurâ contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Errauerunt planè Iudæi, non agnoscentes veritatem: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Non intellexerunt miseri typica oracula, eatenus permansura, quoad ipsa elucesceret veritas. Statuarius namque, qui Regis statuam ex auro, argentóue, aut ære vult erigere, priùs statuæ formam, quam intendit, efformat è luto; ac quoad ipsam veram perfecerit statuam ex auro, argentoue, vel ære, typicum illud, luteumque simulachrum diligenter ab opifice seruatur, velut maximè operi necessarium. At verò adamussim peractâ statuâ, tunc tandem typica illa, luteáque diffingitur, vtpote superuacanea, nulloque amplius vsui artifici futura: Sic etiam Iudæi, antequam hominibus inclaresceret veritas, iure optimo typos seruabant; At postquam Dominus noster Iesus Christus apparuit, ipse nimirum qui ait: *Ego sum lux mundi; & veritas, & vita, & resurrectio*, frustra retinent typos qui ne ipsum hoc seruent, vt typi ac figuræ sint. Iam itaque desinant pugnaces Dei hostes Iudæi, pro populi redemptione irrationabilem mactare ouem, cùm spiritalis Agnus, Dei Filius *qui tollit peccatum mundi*, mactatus fuerit, nusque ab Exterminatore redemerit. Vale dicant fermento veteri, nouamque accipiant veritatis massam. Cessent manducare lactucas agrestes; siquidem Christus nostri causâ fel ebibit, quò vicissim suarum nobis medelarum fontibus, dulcem potum misceret. Nobiscum ergo epulentur, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis:* vt & post huius vitæ exitum, vnanimes cum Angelis gloriæ Dominum laudantes dicamus: *Dominus regnauit, decorem induit*: Ipsi gloria, & honor, & adoratio in sæcula sæculorum: Amen.

1. Cor. 10. v. 11.
B
1. Cor. 2. v. 8.
Pulchra similitudo, vt cessarent legalia & figuræ.
C
Ioan. 8. v. 12. 11. v. 25. 14. v. 6.
Ioan. 1. v. 29.
D
1. Cor. 5. v. 8.
Psal. 92. v. 1.

VICTORIS ANTIOCHENI *in idem Euangelium.*

THEODORO PELTANO S. IESV Interprete.

E
Mar. 16. v. 1.

ET cùm transisset Sabbatum, Maria Magdalene. Postcaquam Dominus resurrexerat, venit Angelus Domini, & submouit monumenti lapidem. Submouit autem à sepulchri ostio grande illud saxum propter mulieres, quò nimirum sepulchrum à corpore vacuum cernentes, Angelum verò in illo sedere coram conspicantes, eum quem quærebant, ex mortuis resurrexisse crederent. Ad tempus verò, quo mulieres ad monumentum venêre, quod attinet, Matthæus Mariam Magdalenam cum alterâ Mariâ vespere Sabbati ad sepulchrum venisse scribit. Lucas verò vnâ Sabbati valde diluculo. Ioannes autem vnâ Sabbati manè, cùm tenebræ adhuc

Angelus lapidem reuoluit Domino suscitato.

essent, hoc est, illo tempore, quo oox iam decedens ad diem inclinare videbatur, Mariam Magdalenam ad monumentum venisse asserit. Porest autem hæc remporis constiturio & vespera Sabbati vocari, & vna rursum Sabbatorum valdè diluculo. Quin Marcus quoque, vnâ sabbarorum valdè mane dicens, nocturnas horas etiam tum adhuc obtinuisse subiodicar. Certum est autem, omnes omnioò qui vnam sabbari dixêre, resurrectionis diem significare voluisse. Matthæus itaque *vespere autem Sabbati*, dicens, resurrectionis exordium exprimir; siquidem Iudæorum sabbatismus, omnisque illorum solennitas & festum à vesperâ initium facit. At quia in quibusdam Euangelij Marci exemplaribus habetur: *Surgens autem Iesus manè primâ Sabbati,* B *apparuit primò Mariæ Magdalenæ, &c.* hoc autem illi aduersari videtur, quod legitur apud Matthæum: (hic enim vespere Sabbati Duminum resurrexisse scribit) propterea comperti sunt, qui hunc Marci locum à falsarijs vitiatum existiment. Verùm ne ad id hic confugere videamur, ad quod cuiuis confugere procliue est, Marci contextum vno duntaxat commate ab eâ, quam offert, difficultate vindicare possumus.

Istud vespere Sabbati, aliter exponunt & melius alij tum Græci, tum Latini.

V. 9.

Locus Marci olim à quibusdam reiectus.

Itaque locum hunc Euangelistæ ita legamus, vt proximè post τὸ Iesus, virgulam subijciamus, ad hunc modum: *Surgens autem Iesus*; mox verò subdamus: *Manè primâ Sabbati apparuit primò* C *Magdalenæ*, ita vt illud: *Surgens autem Iesus*, rejiciamus ad id, quod apud Matthæum de vespere Sabbati legitur; (tunc enim ipsum resurrexisse credimus.) Quod hinc autem consequitur, oempe illud: *Manè primâ Sabbati, &c.* (quòd alteram sententiam auspicetur) ad sequentia transmittamus. Marcus ergo Mariam Magdalenam, Iesum quem Matthæus vespere sabbati exuscitatum commemorat, manè vidisse narrat. Hoc ipsum eo ipso quoque Ioannes confirmat, quòd Magdalenam maoè, cùm tenebræ adhuc essent, illum conspexisse affirmat. Euangelistæ proinde duo tempora insinuant: vnum in quo Dominus surrexit, qood est vespera sabbati: D Alterum in quo apparuit, quod est manè prima sabbati.

Et respicientes viderunt lapidem reuolutum.

V. 4.

Vt eadem visio quæ apud Matthæum & Marcum.

Matt. 28. v. 1.

Neque hoc quoque, quòd mulieres, quæ summo mane ad Iesu sepulchrum sese contulerant, interea dum respectant, lapidem à monumento reuolutum vidisse hoc loco narrantur, illis aduersatur, quæ apud Matthæum eâ de re leguntur: scribit is autem in hunc modum: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terra motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cælo,* E *& accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* Nam dum mulieres anxiè, vt est apud Marcum, inter se disquirunt & disseruot, &, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* dicunt, illo tum temporis necdum reuoluto, Angelus è cælo descendit, saxúmque à monumento submouit; atque ita respicientes, lapidem ex insperato reuolutum viderunt. Quòd autem ab Angelo reuolutus fuerit, hoc Marcus reticuit: quia Matthæus iam antè illud exposuerat. Denique licet Matthæus Angelum super lapidem sedisse scribat, Marcus verò mulieres, posteaquam in monumeotum in- A gressæ fuerant, iuueoem stolâ candidâ coopertum à dextris sedeorem vidisse narret, adhuc nullo vero dissidio hi Euangelistæ inter se pugnaot: siquidem contingere potuit, vt illum ipsum Angelum, quem secuodum Matthæum fulguris more splendeotem candidóque vestitu instar niuis micantem lapidi insidentem videraot, posteaquam iam in mooumentum intrauerant, quasi viæ ducem præeuntem, nec non à dextris se collocantem, conspexeriot. Quem quoque Angelum Marcus io iuuenis schemate visum asserit. Nam Matthæus, quâ formâ à mulieribus conspectus fuerit, non exponit. Quod ergo à Matthæo prætermissum fuerat, hoc Marcus expleuit.

Non oescimus autem esse qoi varias visiones contigisse dicant & doceant, eáque ratiooe omnem quæ se ioter Euangelistas offerre videtur, diaphoniam è medio tollant. Aiunt itaque, alias esse mulieres, quarum fit meotio apud Matthæum: alias rursum, quarum apud Marcum. Addunt Mariam Magdalenam, propter incensum erga Christum studium, omnibus se adiunxisse, eaque de causâ voi illi diuersas visiones obtigisse. Scribunt tandem tempora, quibus à mulieribus ad monumentum veotum est, ab Euangelistis diuersa assignari. Secundùm illos igitur, alij alias mulieres, alia tempora, alia referunt visa. Atque ita vnus Euangelista, quod ab alijs dictum, vel scriptum fuerat, non euertit.

Sic Greg. Nyssenus, siue Hesychius, & alij exponunt; nosterque Hieronymus.

Nolite expauescere, Iesum quæritis &c. Pri- V. 6.
mùm omnium omnem animi metum mulieribus eximi oportuit, ac tum demum de Christi resurrectione verba ad eas facere. Angelus itaque ante omnia omnem pauorem illis adimit: Nam & forma, in quâ apparebat, læta erat, adeóque aliquod non omnioò obscurum resurrectionis symbolum præ se ferebat, & verbis præterea blandis illas compellabat, aiebat enim. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.* Non erubescit crucifixi nomen: hoc vno enim oomine & re omnium bouorum nostrorum summa continetur. *Surrexit.* Vnde hoc notum? quia *non est hîc. Ecce locus, vbi posuerunt eum.* Propter hoc enim, nimirum qoò locum, vbi positus fuerat, vacuum demoostrare posset, lapidem sustulerat.

Sedete, dicite discipulis eius, & Petro, quia præ- V. 7.
cedet vos in Galilæam. Eo alijs quoque resurrectionis mysterium denuntiare iubet: Hoc autē id, quod Angelus mulieribus denuntiabat, maximè credibile efficiebat. *Et Petro.* Per hoc quòd rei huius iodicium Petro vult fieri, admonet illas, eom qui propter negationem antè reiectus videri poterat: nunc per & propter pœnitentiam denuo assumptum, & inter cæteros Apostolos æquè atque antè rursus numeratum. *Præcedet vos in Galilæam.* Rectè in Galilæam, non etiam in Hierusalem: per hoc enim ab omni difficultatis & discriminis formidine illas absoluit, ídque cùm ob alia, tum verò præcipuè, ne metus fidem illarum plùs iusto conturbet.

Petrus per pœnitentiā recuperauit ordinem & magistri sui gratiā.

At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Et si V. 8.
Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome aromata præparauerant, attamen si Eusebio Cæsariensi fides est, non sunt tres illæ eæ, quæ orto iam sole ad monomentum venerunt, sed aliæ innominatæ. Multæ enim erant, quæ voà cum Christo Hierosolymam ascenderant. Illæ verò quæ secundùm Marcum, exorto iam sole, ad sepulchrum venerunt, erant admodum simplices

Eusebij opinio, esse has mulieres ab alijs omnibus diuersas.

& imperfectæ. Quare etiam non noctu; sed manè ad monumentum veniunt. Ad hæc cùm ab Angelo audiuissent: *Ite, & annuntiate discipulis eius, & Petro*, statim fugerunt, neque quicquam omninò ex ijs, quæ in mandatis acceperant, cæteris patefecerunt: metuebant enim, neque fidem quoque, quam oportebat, visioni habebant. Et quia tales erant, neque quæ Saluatorem viderent, neque quæ Angelum instar fulguris fulgentem, aut duos Angelos in monumento sedentes, aut duos viros iuxta, vt Lucas narrat, astantes conspicerent, dignæ visæ sunt. Viderunt autem quendam tantùm iuuenem albâ stolâ amictum, hoc est, visionem animi illorum exilirati & simplicitati planè conformem. Secundùm Eusebium igitur Marcus non de Magdalenâ; B sed de alijs incerti nominis mulieribus hæc narrat. Neque enim fieri potest, addit idem, vt Magdalena post tantas res visas, orto demum sole ad monumentum veniret, aut, quis lapidem reuolueret, anxiè inquireret. Non desunt tandem, qui Euangelistas ijs quæ in Christi resurrectione acciderunt, non interfuisse dicant, adeóque vnumquemlibet ex illis simplicissimâ narratione ea tantùm complexum, quæ ex tantis illis, quæ præter omnem spem euenerant, audiuerat: Diuino interim Spiritu rem omnem ita ordinante & administrante, vt omnibus palam constaret de resurrectionis miraculo, cæterísque omnibus fidei mysterijs simpliciter, omni prorsus curiositate anxiáque disputatione seclusâ, scripsisse & C docuisse. Illud ipsum tamen eâ sapientiâ & cautione, vt nunquam verè pugnantia prædicauerint, aut literis mandauerint.

SANCTI NILI.

Oratio prima in Pascha.

Ex Photio cod. 276. Resurrectionis fides velut anima quędam.

Resurrectionis sermonibus, resurrectionis diem honoremus. Altera quædam hominibus anima resurrectio est, ad eas actiones excitans, quæ ex virtutis ratione existant. Vt autem illam ab hominibus abstuleris, mortuum ad virtutis actiones corpus reddideris. Velut igitur D pro communi depellendâ calamitate, pro resurrectione tuendâ ad pugnam accingamur, vniuersam pariter armis accinctam, ac adiutricem assumentes creaturam.

Ei creatura adstipulatur.

Pugnat enim sol nobiscum contra incredulos: quem enim ex resurrectione Dominum suscepit, vnà cum resurrectionis opinione videt improbari. Terra quoque prompta nobiscum belli societatem iniet; vidit enim resurrectionem calumniâ peti, quibus sæpe mortuos præreptos amisit. Ideo & Paulus resurrectionis amorem creaturæ adscribit. *Nam expectatio*, inquit, *creaturæ, reuelationem filiorum Dei exspectat*.

Rom. 8. v. 19. Resurrectionem natura desiderat.

E Quemadmodú enim ciuitas recepturis aduentus regij præcursoribus, tota desiderio suspensa est: sic resurrectione velut reginâ quadam, creaturæ prænuntiatâ, tota se ad aduentum illius præparat. Nec verò mireris, quòd creaturæ insitum resurrectionis desiderium audias: cùm enim illa instar nutricis hominibus existat, videre festinat promissum regnum, nec almam illam tarditas futurorum spe deturbat.

Resurrectio in terræ satis adumbrata.

Habet enim semper in se resurrectionis semina, quâ ratione ostendit grana viuentia, inque his minoribus spem nobis resurrectionis corporum confirmat. In eâ namque, vt videmus, sepeliuntur seminum grana, vt sulci sepulchrorum A loco sementi existant. Susceptâ semente, imitatur terra sepulchra; corrumpitque granum, haud aliter atque corpus sepulchrum. Cumque viuens illud susceperit, enecando corrumpit: ac medium grani corculum totum putrefaciens, etiam formicis inutile ad comedendum reddit. Velut autem conceptionis speciem quandam corruptionem nacta, putrefactione emortuam seminum fœtusam vtero gestat, fitque granis vitæ parens illa velut extinctio, ac mors pater prolis existit. Noua hæc terræ parturiendi lex; nisi moriatur fœtus, non fingitur: si viuat, non formatur.

Formicæ testes ex granis corruptis segetes surgere.

Hinc sanè & formicæ dissecta grana in terram defodiunt, ne quod ex emortuo grano germen surgat, suâ hac arte prohibentes. Oportuit enim B & formicarum naturam testari terræ, eam semina post corruptionem producere. Vide autem parturitionis huius miraculum. Accipiens granum solum, corruptioni tradit, corruptum verò multipliciter pullulare facit, in membra varia granum figurans. Calamum spicis dat pro ossibus, ac pellis loco tenuem exteriùs adaptat pelliculam, radicem inferiùs vinculis quibusdam tanquam neruis, ac venis adstringit, pro vnguibus granis addit aristas spicarum, quæ contra volucres tuta reddant. Quomodò hæc omnia ex vno nascuntur corrupto grano? Res hæc maius resurrectione miraculum habet. Nam tunc quidem mortuos quos natura accepit, reddìtura est: nunc verò multa pro vno mortuo in nouam generatio- C nem grana profert. O Græcorum summam dementiam! Vident terram præbentem agricolæ, quæ nam accepit: Creatori verò non sperant reddituram, quos is illi mortuos credidit. Ideò & Paulus seminum exemplo vtitur: quanquam clarius exemplum suppeteret de infantibus e vuluâ matris prodeuntibus.

Maternus vterus sepulchro similis.

Formatur enim tanquam in sepulchro nondum existens infans; naturæque fascijs innolutus, similis est mortuo fascijs sepulchralibus vndique astricto. Nam oculi, mortuorum arctiùs oculis clausi sunt; os in vtero mutum; manus, & pedes in ventre tanquam in tumulo extensa sunt. Accuratum matrix D fœtibus sepulchrum, adeoque ipsum nec à monumentorum fœtoribus liberum. Tali autem in sepulchro formatus fœtus, formantis nutum vocatus sequitur.

Semen in matrice viuum.

Quid igitur beatus Paulus, cùm tale ei exemplum non deesset, formationem ad vitam in sepulchro vuluæ tacet, seminum verò similitudine resurrectionem confirmat? Nouerat viuum in vtero semen formare fœtum; quærebat autem mortuorum quorundam reuiuiscentium aspectabilem similitudinem; & ideo ad semina respexit. Grana enim putrefactione mortua, atque corrupta reuiuiscunt, & apertiùs mortuo- E rum resurrectionem declarant.

Argumentum aliud ab operum communione.

Iniuriam facis animæ patrocinantis specie, & in pugnâ aduersus corpus contra illam armaris. Factorum enim retributiones minimè partiens, etiam carni debitam pœnam animæ arrogas, ac si sola peccasset. Si enim sola animal [illegible] horum operum, atque laborum remunerationem obtineat, patet etiam solam ipsam eorum quæ homo peccauit, pœnam esse daturam. Sed vide ne corpus, & animam aduersus se inuicem committas. Meritò enim corpus aduersus animam expostulabit, rapiente illâ gloriam eius rectè factorum; vicissimque anima aduersus corpus, cùm debitas illi pœnas sola luat. Quin potiùs vtrumque con-

tra Iudicem incitas: corpus quidem, quia retributione, quam meretur, priuatur: anima verò, quòd ad eorum quorum non est rea, cogatur exoluendas pœnas. Copulasti me, ô Domine, corpori incorpoream, nec soli gerendas in terrâ actiones commisisti, exigisque à solâ pœnam; ac ea quibus corpus peccauit, ebrietaté, fornicationem, gulam in me vindicas. Vbi enim sunt hæc animæ propria, vti inuidia fortè, vel hæresis corporis? Quemadmodum enim non sunt hæc corporis, sic neque illa animæ, etsi alterum sine altero neutra perficiat. Corpus verò alia sua iura dicat; putà, ego pro te mortem oppetij, non anima. Non enim illa quod ego comparata est; vt ieiuniorum, ac vigiliarum labores ob leges tuas suscipiat. Per membra mea geritur virginitas. Quomodò igitur non iniquum, cùm mea sint certamina, vt sine me anima coronam accipiat?

Quæ illorum causæ, ac litis sententia? COMMVNIS MERCES, COMMVNIS POENA, QVIA ETIAM VTRISQVE COMMVNIA OPERA. Quanquam in aliquibus pars altera concretionis alteram superet, sibi tamen inuicem coniunctas ab initio ad communes obeundos labores confirendum est; ac sciendum fore, vt tum communes coronas, partâ victoriâ ambo accipiant, tum in quibus peccarunt, communes pœnas luant.

SANCTI NILI.
in Pascha Oratio altera.

Ex Photio cod. 276.

Resurrectio, prouidentiæ Domini caput est: capitis autem memor anima, ac benefactori iuges gratiarum actiones agens, inimici laqueis capi non potest.

Ascende ad antiquorum historias, & videbis resurrectionis adumbrationem. Brutorum enim natura animata creata est, animâ ijs cum corpore simul conditâ. Adam autem inanimis è luto fictilis formatus est; tumque anima inspiratione formata; quin, vt veriùs loquar, superinducta est: adeoque statim Creator Resurrectionis primordium facit. Non enim è solidâ Protoplastum facit materiâ, sed terræ puluerem in formam cudit, ab ipso mox exordio certam incredulo fidem faciens, vel si puluis sit mortuus, ac omni destitutus motu, facilè excitatum iri ab animâ; quodque ne vestigium quidem viuificationis aut acceperit, aut ferat, particeps reddendum vitalis coniunctionis. Non enim eiusmodi corpus finxit quod corruptioni esca prorsus cederet, sed ad tempus interim solutioni tradit, vt quod vas ex peccato vinum contraxit, purget, ac sanet; peccatíque morte putrefactum inueniens, mortis fornace dissoluit; ac solutum, quod putre erat in vas nouum refingit. Nec mireris, quòd omni cogitatu altior mortuorum illa reformatio sit. Tanta enim est ars fictoris in fingendo, vt & aquæ naturam in simulacra in ventre formet: quod ipsâ mihi resurrectione maius ad miraculum apparet. Ibi enim è puluere mortuus formatur, & figulus è terrâ vas nouum fingit, arte nostris penè affini: hic autem, vnda quædam gutta fingendorum lutum efficitur, animalque rationis particeps ex guttâ componitur. O artem ex aquâ formantem viua simulacra? Neque hoc solum admirationem habet, quòd aquam sculpat in viuum simulacrum; sed & quòd fluctibus intus agitatam genituram formet. Sanguis enim vndique bulliens, semen huc atque

Resurrectionis in Adamo prima delineatio.

Similia Methodus apud Epiphanium de Resurrectione.

Fœtus formatio maius quid corporum resurrectione.

A illuc nutans, ac ægrè stabile facit; illisque decumanis agitatum fluctibus, animatum tamen simulacrum absoluit. O pictorem in fluctuanti linteo tutò pingentem! Sanguis enim tanquam linteum subiacet formando fœtui? Hoc & Salomon cum stupore admirans: *In ventre*, inquit, *matris, figuratus sum caro: decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.* Fœmina enim tanquam pictoris quædam officina proposita est, colorum verò materiam vir addit. Sedet verò pictor quidam in vtero, vno ex colore multis compositam pingens imaginem. Quomodò autem ex fæculento semine elegantem oculis B indidit pupillam? Quomodò è fluxâ substantiâ ossa compegit? quomodò ex soluto semine neruos contendit? quomodò in sanguinis canales venas sculpsit? quomodò osseas cellulas circum cerebro aptauit? quomodò fœtos in obscurâ depictus vteri officinâ, aptum membrorum situm accepit? Verùm tanquam radio quodam vterum illustrante, cuique membro proprium pictor locum distribuit. Qui enim *amictus* est *lumine sicut vestimento*, is occultus fœtuũ pictor existit. Quem & Dauid altè celebrat, dicens: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto* Hanc è guttâ cogitans fingendi artem, C fingenda è terrâ noua simulacra nihil ambigo. Cùm enim artificem ex aquâ condentem statuam video, faciliùs illum è terrâ statuas conditurum credo. Quemadmodum enim si quis in aquâ pingit literas, & lineas ducit, idem meliùs in cerâ illas efformabit; sic qui in fluxo semine pingit, ac sculpit membra, faciliùs in puluere membrorum figuras pinget, atque formabit: quique ante omne virtutis meritum sic corporis in vtero curam gessit, post opus virtutis quomodò in terram dissolutum sine honore reliquerit?

Sap. 7. v. 2.

Psal. 103. v. 2.

Psal. 138. v. 14.

Tolle corpus, ac nautam occideris. Non erit nauis, cùm non sint manus; neque nauigabile erit mare, mortuo corpore. Mille animalium genera frustra erunt, cùm nec cibus, nec D cura alia inde corpori subministretur. Artes verò vbi erunt corpore non existente? Anni autem tempestates, ac temporum ordinatæ mutationes, cœlestisque motus ineffabilis sapientia, quam vtilitatem præbeant, si desit natura corporalis? Et quot alia quis consideraret? Vnde igitur inueniam corpus futuris donis indignum, cui per omnia tantum video honorem concessum?

Corporis humani vtilitas.

Verùm existimatis Deum corpus, quod pisces comederint, inuenire non posse? Et quomodò, qui infinitas versantes in animo cogitationes, incommixtas, ac inconfusas in cognitionis penu seruat, naturam corporum mixtam non poterit E discretam resumere? Facitis nimirum diuinitatem nostris imbecilliorem artibus. Nos enim è terræ arenâ vitrum, aurum (exempli causâ) æs, argentum igni dantes, scrupulos separamus, & deterimus, tametsi nihil horum in lapidis naturâ appareat. Vinum quoque aquæ immixtum iterum discernentes, in propriam ambo naturam restituimus. Dei porrò potestas, & sapientia infinitis modis humanam artem, & intellectum exeedens, ac vniuersorum in se naturam comprehendens, atque continens, etiam variam, ac multiplicem corporum confusionem, ac mixtionem in naturæ promptuario puram, ac inconfusam conseruat. Non enim extra creaturæ naturam, corporis natura, etsi per mille mortes fluat dissoluta. Ideo in propriam facilè reduci-

Gentilium explosa argutatio.

tur formam, fitque honorum socia, quorum il- A lam participem fieri oportuit, cùm & vnà certauerit.

SANCTI MAXIMI EPISCOPI

Taurinensis in eodem festo.

HOMIL. I.

Inter hom. Eusebij Emisseni de resurr. siue vt vetus collector inscripsit, Hilarij Arelatens. hom. 2.

Fort. *Iudaeis.*

BEneficia Dei nostri, cùm magna atque mirifica sint, tamen nec noua probantur esse, nec subita: sed ab initio sæculi & prædicta sunt oraculis, & præfigurata mysterijs. Sacram enim Domini passionem ab ipsis mundi coalescentis exordijs veteris testamenti responsa cecinerunt: & ideo Christum Dominum prædicatum atque adnuntiatum suis, apertè ex ipsorum libris ac B voluminibus asserimus. Validis absque dubio nititur priuilegijs, qui causam de aduersarijs asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, velut proprijs laqueis irretire, & testimonium suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris tui argumenta tuis probentur vtilitatibus militare.

Gen. 2. v. 21. Itaque in Domini nostri personâ dum ex Adæ primi hominis costâ mater cunctorum viuentium Eua producitur, ex huius sacro latere, ac salutari vulnere Ecclesia omnium fidelium pa- (Christi immolationis figuræ.) reus reparanda monstratur. In eius typo Abel (Gen. 4. v. 8.) iustus occiditur, & innocens fraternâ tanquàm C Iudaicâ impietate mactatur. Hic idem Dominus in nouissimâ mundi senescentis ætate per figuram beati Abrahæ longæui patris offertur, quo tempore dum nouo sacrificio in vnici sui iugulum pius parricida consurgit, ex improuiso aries oculis eius apparuit, sicut loquitur sermo diuinus: *Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus.* (Gen. 22. v. 13) *Inter vepres*, inquit. Requiramus quæ ista sit nouitas. *Inter vepres*, id est, in multitudine circumstantium peccatorum: *hærentem cornibus*, id est, ad crucis cornua clauorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus: (Habac. 3. v. 4.) *Cornua in manibus eius sunt.* Hoc ideo, quia venerandas manus eius patibuli brachia susceperunt. D Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto innocentiæ & iustitiæ auctor illusus est. Sed altiùs introspicere debemus, quidnam sit quòd Isaac à patre altaribus admouetur, ac subitò aries pro eo non mutatâ, sed duplicatâ oblatione supponitur? Gemina hîc adoranda substantia Redemptoris ostenditur. Dei enim Vnigenitus offertur, & virginis primogenitus immolatur.

4. Reg. 13. v. 21. Hoc quoque Dominicæ passionis præfigurabant insignia, quod legimus beatum Elizæum sepulchro conditum, ingesto à latrunculis cadauere intra tumulum suum, corpus extincti, tactu E sacri corporis suscitasse. Quis hîc alius præfiguratur, nisi noster Iesus Christus, qui resurrectionem de morte largitur, & vitam sepultus operatur? In latrone reum mundum, in Prophetæ virtutibus Christum Dominum recognosce. Adhuc celebertimè per Scripturas sanctas etiam in Ionæ Prophetæ laboribus, & ærumnis Christi passio & resurrectio præsignatur. Hic Ionas, quod fidei vestræ non arbitramur incognitum, typum Domini gessisse perscribitur. Ipse enim (Matth. 12. v. 40.) Dominus dicit: *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ita erat Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Hic, inquam, Ionas ad prædicandam Niniuitis iræ cœlestis offensam Domino iubente dirigitur: (Ionas Christi figura expressior. Iona 1.) sed præscius tristem prophetiam populi conuersione vacuandam, nauem profugus, quæ Tharsim petebat, ingreditur. Sed nautis turbatis exortâ tempestate sorte fluctibus datur, & faucibus ceti piscis demersus excipitur: sed pisce illæsum eructante depositum, tertiâ die terris refunditur. Ionas iram Domini prædicaturus, ad magnam Niniuitarum destinatur vrbem, dicturus: *Post quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Et Christus ad mundi mittitur ciuitatem, vt diem salutis, & præfinitum iudicij tempus annuntiet. Ionas nauim expetit, Christus Ecclesiam: Ionas fluctibus agitatur, Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Ionas pessundetur, naufragæ nauis periculum non sedatur: (Al. *perditum deditur.*) sic & non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte saluetur. Nautæ dimissuri Ionam, tamen verentur, & dicunt: (Iona 1. v. 14.) *Domine, ne des super nos sanguinem innocentem.* Nónne nobis videtur nautarum imprecatio Pilati esse confessio, qui tradit Christum, & tamen lauat manus suas, & dicit: *Mundus ego sum à sanguine iusti huius?* (Matth. 27. v. 24.) Quàm congruè per personã Gentilem fides Gentium prædicatur? Dicit itaque Ionas in oratione suâ: (Iona 4. v. 8) *Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior est mihi mors quàm vita.* Dicat hoc rebus Dominus noster Iesus Christus, quia melior est mihi mors quàm vita: id est, viuens vnam Iudæorum gentem saluare non potui, moriar & vniuersus mundus vnâ morte saluetur. Ionam cetus piscis excepit immersum, sed non contigit deuoratum: & quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit: plenis visceribus famem patitur, & in prædam quam absorbuit, nihil sibi licere miratur. Quis est iste, qui intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est. Traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste, qui vastissimos sinus periculorum tutus ingreditur, & sub altitudine immensâ conclusus atque mortiferâ, vitali aëre pascitur: & demissus in alienam rerum naturam, in vitæ exilium cum vitâ peregrinatur? In absolutione & conseruatione gentis vnius, & in Deum reconciliatione, reparandi sæculi gloriam naufragus præfert, & mortis superstes, adnuntiat venturam mundi salutem? Puto quòd hic est Dominus noster Iesus Christus, quem sæua mors inexplebilis bellua in escam suam rapuit, & prædam suam captiua contremuit. Contremuit, inquam: nam etsi nouerat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem deuorauit, sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognouit. Atque ideo diuinus sermo commemorat, *Et præcepit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* (Iona 2. v. 11.) Præcepit ergo bestiæ, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis & inferno, vt mundo restituant Saluatorem. Euomuit autem, hoc debemus accipere, quòd ex imis visceribus mortis victrix vita remeauerit, atque eam ex imis præcordijs inferni perditio exulcerata reddiderit.

Videmus itaque in Prophetæ afflictionibus apertissimè præfiguratam & mortem pariter, & resurrectionem. Quapropter quod impletum

certus

Hominis dignitas quanta à creatione & redemptione.

cernis in seruo, credere non cuncteris in Domino. Quæ cùm ita sint, perspice, ô homo, quantum valeas, & perpende quantum debeas. Perspice quantum valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas: vt vel pro hoc erubescendis subiacere vitijs dedigneris, dum generositatem tuam de creatoris, ac reparatoris dignitate metiris. Habet causas, quibus se ipse homo confundat: cur indignis dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur. Ac sic gemino priuilegio qui dudum diuinæ imaginis participatione videbaris honoratus, efficeris etiam commercij nobilitate pretiosus. Vide quàm fortis esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum, quòd tibi Dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem, ac spiritales nequitias superandas, liberam contulit facultatem: ac sic impossibile non putes vt transferri obtineas in Angelicas beatitudines, cùm in hoc sæculo Angelicas deuiceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse, vel gratia, sed cor suum fideles Christi ad superna fiducialiter extollant. Nam qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos.

EIVSDEM DE EODEM *Solennitate.*

HOMIL. II.

EXultandum nobis est, fratres, in hac die quam fecit Dominus continuatâ lætitiâ, & in eius festiuitate iugi gloriâ gratulandum. Nec quia nox solennitati interuenit, gaudia nostra præscidit: nec quia obscuritas distinxit tempora vespertina, resurrectionis lux vota æterna deseruit. Nobis enim heri & hodie dies vnus, dies ipse est; quia sicut de Saluatore beatus Apostolus: *Iesus Christus heri, & hodie ipse est.* Ergo si Iesus Christus heri, & hodie ipse est: ipse atque idem nobis semper est dies: quia in ipso viuimus, in ipso mouemur, in ipso non morimur. Non morimur, inquam: quia sicut lucem Christi nulla peccati incessit obscuritas, ita & viuentes nulla temporis absumit vetustas. Lætemur ergo in Christi resurrectionis die. Communis enim omnium, communis est nostra lætitia. Communis planè: quia omnes, illo resurgente, surreximus. Omnium enim reuixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni. Resurrexit igitur Saluator à mortuis. Noua res, & mira: sed habet hæc assertio veritatem. Nam vt taceam Prophetarum oracula, Angelorum ministeria, aperta sepulchri penetralia, ipsum Dominum post resurrectionem cum discipulis loquentem, conuersantem, edentem: Thomam quoque clauorum vulnera etiam digito contrectantem: vt hæc omnia prætermittam, tamen fidem nostram confirmat impietas Iudæorum. Nam sufficit ad credulitatem nobis eorum nimium cauta crudelitas. Quo enim diligentiùs custodierunt tumulum, eo constat illum manifestiùs surrexisse. Quo plures appósuere custodes, eo plures testium reliquere. Nam hoc procurauit diuina prouidentia, vt resurrectioni Dominicæ non solum Angeli, non solum discipuli, sed & testimonium perhiberent (quod est ampliùs) inimici.

Christus vnus nobis dies.
Hebr. 13. v. 8.
Act. 17. v. 28.
Christi resurrectione, omnibus communis lætitia.
Ioan. 20. v. 27.
Iudæorum sedulitas argumento Christi resurrectioni.

A Libentiùs ergo accipimus, quòd eum diligentiùs obseruarunt. Credimus enim sub tot custodibus potuisse illum prodire citiùs, quàm perire: & de tumulo iure Domini progredi, quàm discipulorum fraude subduci. Tantâ enim solicitudine sepulchrum obstruxit impietas, vt id non præualeret manus humana destruere, nisi sola virtus resurrectionis aperiret. Denique dicit sanctus Euangelista descendente Angelo, magno terram tremore fuisse commotam, vt fundamenta tumuli mouerentur: & percussos pauore custodes, qui venerant custodire mortuum, esse factos vt mortuos. Vt mortuos, inquam. B Dignum planè iudicium, si cùm iustus resurgit, peccator emoritur: cùm reuiuiscit innocens, eius interficitur inimicus. Nam ideo nec progredientem Dominum cernere potuerunt, quia criminosas mentes terror oppresserat, dum sustinere fulgorem resurrectionis rutilæ non valebant. Maiore ergo solicitudine Pharisæi Dominum custodierunt mortuum, quàm viuum sunt persecuti. Siquidem causa illos maior vrgebat. Intelligebant enim faciliùs fuisse eum apud superos despici, quàm redeuntem ab inferis posse contemni: & quod tunc prædicans facilè potuerit occidi, nunc autem resurgens iam non possit C occidi, dicente Apostolo: *Resurgens autem iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.*

Matth. 28. v. 2.
Resurgente Domino facti custodes vt mortui.
Rom. 6. v. 9.

Custodiebant ergo eum solicitè in sepulchro; præsertim quia se die tertiâ dixerat surrecturum. Custodiebant autem solicitè in sepulchro, quia necesse illis erat eum iam non doctorem timere, sed iudicem. Iudicem, inquam, non sui tantùm, sed & crudelis sententiæ suæ, quâ filios posterósque suos sceleribus addixerunt, dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Crudelis sub tali sententiâ impietas Iudæorum, quæ facinore suo non solùm præsentes liberos damnat, sed etiam non natos occidit. Quantos enim hac voce ad conscientiam facinoris vocant, quos scientia criminis non tenebat. Cru- D delis, inquam, impietas, quòd posteros antè in reatum vocat, quàm producit in lucem, vt priùs futuris contingeret peccare quàm viuere. Cruenti planè genitores, qui antè parricidæ facti sunt, quàm parentes: & antè eos socios suis sceleribus assumpserunt, quos vtrum sanguinis participes possent habere, nescirent. Non igitur mirandum est, si in Saluatorem tam crudeles fuerunt, qui extiterunt in suos posteros tam crudeles.

Matth. 27. v. 25.
Iudæorum ingens in posteros crudelitas.

Non immeritò in hac die sanctus Dauid sine exceptione exultandum præcepit & lætandum, in quâ die totius mundi gaudia celebran- E tur. Omnibus enim lætandum est, quia omnibus prodest. Cunctis exultandum est, quia cunctis est salutare: & ideo non adulteria est adhibenda, nec fucata lætitia. Quisque enim in Christi resurrectione lætatur, lætetur potiùs quia in Christo ipse surrexit. In illo enim nostra conditio, & mortem pertulit, & reuixit. Et licet nobis adhuc resolutio corpusculi maneat, cœpimus tunc in Christo æternâ vitâ iam viuere. Vnde quamuis fragilitatem nostram acceleret immaturæ mortis occasio, in Saluatore tunc didicimus priùs resurgere, quàm perire. Antè enim futurus homo resurrexit in Christo, quàm vitam sortiretur in sæculo. Non enim tantùm illi Dominus generationi resurrectionis præstitit gratiam, in cuius generationis

Psal. 117. v. 24.
Lætandum quòd in Christo surreximus.
Resuscitati in Christo, prius quam nati, vel mortui.

tempore resurrexit, sed etiam secuturis postea populis hoc prouidit, vt priùs essemus de resurrectione securi, quàm de morte soliciti: & antè cum Deo viueremus in cœlis, quàm cum hominibus conuersaremur in terris. In Saluatore enim omnes resurreximus, omnes reuiximus, omnes ad cœlestia transmigrauimus. Est enim in illo Christi homine vniuscuiusque nostrum carnis, & sanguinis portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo: vbi dominatur sanguis meus, me sentio dominari: vbi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Quamuis enim peccator, de hac tamen communione gratiæ non diffidat, quia etsi peccata nos prohibent, substantia nos requirit: & si delicta propria nos excludunt, naturæ communio non repellit. Nam præter bonitatem diuinitatis, peculiarem nobis Saluator debet affectum, scilicet quia sicut Deus noster in ipso est, ita & sanguis noster in illo est. Misericordiam igitur mihi debet præstare diuinitas, necessitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis est Dominus, vt obliuiscatur hominis, & non meminerit illius quem ipse gestat, vt quem causâ mei susceperit, non eius causâ quem susceperit, me requirat. Non, inquam, tam immitis est Dominus, vt non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. Ait sanctus Apostolus: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam sicut Christus Ecclesiam.* Nihil ergo de veniâ desperemus, fratres, nihil de odio timeamus. Habemus prærogatiuam sanguinis nostri. In Christo enim caro nostra nos diligit. Sumus enim membra eius, & caro, sicut dicit idem beatus Apostolus: *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne meâ. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Christi homo; durior locutio, pieque exponenda propter Nestorianos.

Eph. 5. v. 29.

Gen. 2. v. 23.
Ephes. 5. v. 31

Exultemus ergo, fratres, sicut ait Scriptura, in hac die Domini: exultemus planè, quia cùm votis Domini gratulamur, magis nostra vota curamus. Quid tamen dicit Propheta? *Hæc est dies, quam fecit Dominus.* Bonus planè dies, qui lucem intulit vniuersis: verùm non huius sæculi lucem, sed resurrectionis æternæ. Lux enim ista non caliginem noctis depulit, sed mortis tenebras amputauit. Bonus, inquam, dies: & melior hic quàm ille, in quo primum mundus enituit. Ille enim hominibus ad laborem creatus est: hic factus est ad quietem. Ille mortem meruit: hic formidinem mortis euasit. Ille bonis, malisque communis est; hic propius est iustorum. Illius diei lux tenebris sepelitur: huius diei splendor etiam sepulturas illuminat. Ad postremum illius diei lucem mortui non vident: huius diei lumen etiam defunctis emicuit, sicut ait Propheta: *Qui sedebant in regione vmbra mortis, lux orta est eis.* Lætemur ergo in hac die, quæ & viuos circunfulget, & mortuos viuificat: & venturos illuminat, sicut ait beatus Euangelista: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Psal. 117. v. 24.

Diei resurrectionis præstantia, præ die primæ creationis.

Isai. 9. v. 2.

Io. in 1. v. 9.

SANCTI LEONIS PAPÆ
de Resurrectione Domini,
SERMO I.

Cap. 1.

SErmone proximo, dilectissimi, non incongruè vobis, quantum arbitror, participationem crucis Christi insinuauimus: vt Paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, & quod festo honoratur, moribus celebretur. Quàm autem hoc vtile sit, ipsi probastis, & ex vestrâ deuotione didicistis, quantum prosint animis atque corporibus prolixiora ieiunia, frequentiores preces, & eleemosynæ largiores. Nemo enim ferè est, qui non hac exercitatione profecerit, & in abdito conscientiæ suæ aliquid, quo rectè gaudere possit, condiderit. Sed hæc locra perseueranti sunt seruanda custodiâ, ne in desidiam resoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia. Cùm igitur quadraginta dierum obseruantiâ hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus crucis in tempore Dominicæ passionis: adnitendum est nobis, vt etiam resurrectionis Christi inueniamur consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliquâ conuersione mutatur finis est, non esse quod fuit; & ortus, esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut viuat, quia est mors, quæ causa est viuendi, & est vita, quæ causa est moriendi. Nec alibi quàm in hoc transitorio sæculo, vtrumque conquiritur: vt ex qualitate temporalium actionum, differentiæ retributionum pendeant æternarum. Moriendum ergo est diabolo, & viuendum Deo: deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Occumbant vetera, vt oriantur noua.

Quadraginta dierum obseruantia quò spectet.

Mors & vita duplex.

Et quoniam, sicut ait Veritas, *Nemo potest duobus dominis seruire*, dominus sit, non ille qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui deiectos erexit in gloriam. Dicente ergo Apostolo: *Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius, qui est de cœlo.* Multum nobis de hac commutatione gaudendum est, quâ de ignobilitate terrenâ ad cœlestem transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiam, qui vt nos in sua proueheret, in nostra descendit: vt non solùm substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis assumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Vnde ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mirâ celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem, pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decederet, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro: & tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo, quàm mortis: quoniam deitas, quæ ab vtraque suscepti hominis substantiâ non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit.

Cap. 2.
Matth. 6. v. 24.
Luca 16. v. 13.
1. Cor. 15. v. 47.

Assumpta cum naturâ, conditio peccatricis naturæ.

Acceleratum resurrectionis tempus, vt tamen dierum numero nihil decederet.

Subsequuta sunt itaque multa documenta, quibus prædicandæ per vniuersum mundum fidei auctoritas conderetur. Et licet reuolutio lapidis, euacuatio monumenti, depositio linteorum, & totius facti Angeli narratores copiosè veritatem Dominicæ resurrectionis adstruerent, & mulierum tamen visui, & Apostolorum frequenter oculis manifestus apparuit: non solùm loquens cum eis, sed habitans atque conuescens, & pertractari se diligenti curiosoque contractu ab eis,

Cap. 3. Resurrectionis documenta.

Act. 1. v. 4.

Ioan. 20. v. 19. Luc. 24. v. 37. & 26.

quus dubitatio perstringebat, admittens. Ideo enim & clausis ad discipulos ostijs introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentiæ lumine, sanctarum Scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat: vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ, humanæque naturæ indiuidua permanere, & ita sciremus Verbum non hoc esse, quod carnem, vt vnum Dei Filium, & Verbum confiteremur & carnem.

Cap. 4. *2. Cor. 5. v. 16.* Christi caro resurrectione mutata, non destructa.

Non dissonat, dilectissimi, ab hac fide magister Gentium Apostolus Paulus, cùm dicit: *Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Resurrectio enim Domini, non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transijt, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari: & meritò dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerat nota, nesciri: quia nihil in eâ passibile, nihil remansit in eâ infirmum, vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum, si hoc de corpore Christi profitetur, qui de omnibus Christianis spiritalibus dicit: *Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem.* *Ibidem.* Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. Non hæsitamus diffidentiâ, nec incertâ expectatione suspendimur: sed acceptu promissionis exordio, fidei oculis, quæ sunt futura, iam cernimus, & naturæ prouectione gaudentes, quod credimus, iam tenemus.

Cap. 5.

Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maximâ parte iam non sunt: & mens intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, vbi quod offertur, æternum est. Quamuis enim spe salui facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem mortalemque gestamus: *Rom. 8. v. 24.* rectè tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus: & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem. Cùm itaque Apostolus dicat, *Carnis curam ne feceritis in desiderijs*, *Rom. 13. v. 14.* non ea nobis interdicta intelligimus, quæ saluti congruunt, & quæ humana poscit infirmitas. Carnis cura vt prohibita. Sed quia non omnibus desiderijs seruiendum, nec quicquid caro concupiscit, implendum est, de adhibendo temperantiæ modo admonitus nos esse cognoscimus: vt carni, quæ sub animi est constituta iudicio, nec superflua concedamus, nec necessaria denegemus. Vnde idem Apostolus alibi ait. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam*, *Eph. 5. v. 29.* cùm vtique non ad vitia, non ad luxuriam, sed ad debitum sit alenda & fouenda famulatum: vt teneat ordinem suum renouata natura, nec peruersè ac turpiter superioribus inferiora præualeant, aut inferioribus superiora succumbant: & vitijs animum superantibus, ibi fiat seruitus, vbi debet esse dominatus.

Cap. 6. Dei populus, noua in Christo creatura.

Agnoscat igitur populus Dei, nouam se esse in Christo creaturam: & à quo susceptus sit, quámve susceperit, vigilanter intelligat. Quæ noua facta sunt, non redeant ad instabilem vetustatem, & non omittat opus suum, qui manum *Luca 9. v. 62.* misit ad aratrum, sed ad hoc attendat, quod serit, non ad id respiciat quod reliquit. Nemo in id recidat, vnde surrexit: sed etiam si pro infirmitate corporeâ in aliquibus adhuc languoribus iacet, sanari instanter desideret ac leuari. Hæc est enim salutis via, & cœptæ in Christo resurrectionis imitatio: vt quia in lubrico istius vitæ diuersi casus lapsúsque non desunt, vestigia gradientium à fluidis ad solida transferantur. Quoniam, sicut scriptum est, *A Domino diriguntur gressus hominis, & viam eius volet. Cùm ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam.* *Psal. 36. v. 23.* Hæc meditatio, dilectissimi, non pro solâ solennitate Paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, & ad hoc præsens exercitatio debet intendi: vt quæ animum fidelium experimento breuis obseruantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant, ac si aliquid delicti irrepserit, celeri pœnitudine deleatur. Delicta, celeri pœnitudine delenda. Et quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio est, tantò velociùs adhibeantur remedia, quantò recentiora sunt vulnera: vt semper ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem peruenire mereamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

A B C

EIVSDEM DE RESVRRE-*ctione Domini.*

SERMO II.

Cap. 1. Totum.

NOtum quidem, dilectissimi, Paschale sacramentum Euangelica nobis narratio præsentauit, & ita per aurem carnis penetratus est mentis auditus, vt nemini nostrûm rerum gestarum imago defuerit: cùm diuinitùs inspiratæ textus historiæ euidenter ostenderit, quâ Dominus Iesus Christus impietate traditus, quo iudicio addictus, quâ sæuitiâ crucifixus, & quâ sit gloriâ suscitatus. Sed adijciendum est etiam nostri sermonis officium, vt sicut piâ expectatione deposcere vos consuetudinis debitum sentio, ita solennitati sacratissimæ lectionis subiungatur exhortatio Sacerdotis. Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non est, semen Verbi, quod est in prædicatione Euangelij, debet in terrâ vestri cordis augeri, *Luca 8. v. 7.* vt remotis suffocationibus spinarum ac tribulorum, libera in fructus suos exeant plantaria piorum sensuum, & rectarum germina voluntatum. Crux enim Christi, quæ saluandis est impensa mortalibus, & sacramentum est, & exemplum. Crux Christi & Sacramentum, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur diuina, exemplum quo deuotio incitatur humana: quoniam captiuitatis iugo erutis, etiam hoc præstat redemptio, vt eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia in suis gloriatur erroribus, vt quem sibi quisque ducem elegerit, eius opiniones & mores atque omnia instituta sectetur: quæ nobis erit communio nominis Christi, nisi vt ei inseparabiliter vniamur, qui est, vt ipse insinuauit, via, veritas & vita? Via scilicet conuersationis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, *Ioan. 14. v. 6.* & vita beatitudinis sempiternæ,

D E

Pater in Filio, & Filius esset in Patre? Sed quia Verhum & caro, vna persona est, non diuiditur à suscipiente susceptus, & honor prouehendi prouehentis nominatur augmentum, dicente Apostolo, quod iam commemorauimus:

Phil. 2. v. 9.

Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. In quo vtrique assumpti hominis exaltatio commendatur: vt in cuius passionibus manet deitas indiuisibilis, idem coæternus sit in gloriâ deitatis. Ad haoc participatiooem ineffabilis muneris, heatum transitum fidelibus suis ipse Dominus præparahat, cùm instanti iam proximus passioni, non solùm pro Apostolis suis atque discipulis, sed etiam pro vniuersâ Ecclesiâ supplicaret, & diceret:

Ioan. 17. v. 20.

Non pro his autem rogo tantùm, sed pro ijs etiam, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me: vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.

Cap. 7.

Cuius vnitatis nullum poterunt habere consortium, qui in Dei Filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores salutiferi sacramenti, & Paschalis exules festi. Quod quia ab Euangelio dissentiunt, & symbolo contradicunt, oohiscum celehrare non possunt: quia etsi audent sibi Christianum nomen assumere, ab omni tamen creaturâ, cui Christus caput est, repelluntur: vobis in hac solennitate meritò exultantibus, piéque gaudentihus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de natiuitate Christi secundum caroem, nec de passione ac morte, oec de corporali resurrectione eius ambigitis: qooniam sine vllâ separatione deitatis, verum Christum ab vtero Virginis, verum in ligno crucis, verum in sepulchro carnis, verum in gloriâ resurrectionis, verum in dexterâ Paternæ maiestatis agnoscitis.

Philip. 3. v. 20.

Vnde etiam, sicut Apostolus ait, *expectamus Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus nostræ humilitatis, conforme fieri corpori gloriæ suæ*, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu Sancto, in sæcula sæculorum: Ameo.

S. HILARII ARELATENSIS
in eodem festo.

HOMIL. I.

MAgnum & admirabile Paschæ baptismi sacramentum, iam dudum etiam in veteri lege nouimus consecratum. Celebre à sæculis est, cùm beatus Moyses populum Domini de terrâ Ægypti, & de iugo indignæ seruitutis educeret. Celebre est ad plebis transitum Ruhri maris profundum, naturâ rerum obstupescente, patuisse. Hîc primo loco diligeotiùs inspiciamus, quid talis seruitus, vel quid talis transitus ædificationis possit adserre. Quia & beatus Apostolus dicens:

1. Cor. 10. v. 11.

Hæc omnia in figurâ facta sunt nostri, cœlesti auctoritate confirmat illius temporis signa atque miracula, ad futuræ redemptionis pertinuisse mysteria. Sic enim ait:

Ibid. v. 1.

Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari. Nostris ergo iam tunc sub illius populi ducatu, nostris commodis militabat diuina virtus, prædiues in beneficijs: sed semper ditior in promissis. Dux quidem eis erat heatus Moyses, sed eos in columnâ lucis & nubis, Filius & Spiritus sanctus præcedebat.

A Paschate.

A Hoc loco agnoscamus in primis, quòd plebs quæ præpositos suos studet audire, Deum sequitur: & per Dei hominem, peruenit ad salutem.

Plebs suos studens audire præpositos, Deum sequitur.

Ergo filij ad libertatis & quietis & regni sedem per difficiles ituri vias, dum Moysi ducis & Sacerdotis sui non reluctantur imperio, Dei meruere comitatum. Nec immeritò eos hostis non attigit, lux præcessit, fluctus expaoit. Sic enim Propheta testatur:

Psal. 105. v. 9.

Et increpauit, inquit, *Rubro mari, & recessit.* Et iterum:

Psal. 113. v. 3.

Mare vidit, & fugit. Quid vidit? Hoc vtique, quod in haptismo credi debet. Sine dubio illud terribile profondom, atque secretum adsistentis inhorruit maiestatis, & ad præsentem sui cessit auctoris. Et ideo filij Israël securi vel inter vndas transeunt, vel sub vndas:

Filiorum Israël transitus inter vndas, vel sub vndas.

cùm super eos præruptæ vastorum B gurgitum moles pendeotihus dextrâ læuâque floctibus imminerent, cùm creatura insensibilis elementi factorem suum seotiens transmeantibus circunfusa præheret viam, & in persequentes pararet refusa vindictam. Secundum hæc, si & nos vitia & crimina quasi Ægyptum relinquamus, & currat vnusquisque nostrum intento corde post Christum, auctorem peccati diaholum Christianus, id est, Hebræus Ægyptum nun timebit. Talis est enim natura & infirmitas inimici: te recedente, cedit, & post dorsum tuom, si legem Domini tanquam Moyseo sequaris, incedit. Ecce hostem, quem fugiste vicisti est.

Iam primùm durissima illa Ægypti tyrannica C seruitus, quid aliud præferehat quàm diabolum supra humanum genus peccatorum exercere dominatum?

Ægyptiaca seruitus figura seruitutis diaboli & peccati.

Quid, inquam, aliud erant illa vilia & horrenda in luto & paleis Pharaonis imperia, nisi fœda atque terrena diabolicæ voluptatis officia, & vitiorum detestanda contagia? siquidem infructuosa, & inania vitæ huius opera, paleæ sunt. Paleæ, inquam, nimium flammis amica materia. Sed hoc ipsum quòd Pharao in paruulis Hehræorum pueros iubebat interfici, & fœminas reseruari,

Interfecti pueri masculi.

diaboli vtique speciem præferens inimicus spiritui, & amicus carni: inuidens virtuti, consentiens voluptati: fortitudinem præfocabat, concupiscentias nutriebat.

Hæc itaque seruitus, quod peius est, non illius D tantùm temporis fuit, sed etiam nunc animas negligentium & infidelium, multo periculo suis nexibus blandæ captiuitatis inuoluit.

2. Pet. 2. v. 19.

A quo enim quis vincitur, sicut & Apostolus testatur, *eius & seruus est*: iste obtemperat iniustitiæ, ille iræ: iste superbiæ, ille sæuitiæ: iste malitiæ, ille iracundiæ: iste auaritiæ, ille luxuriæ. Nescio quomodò se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes suas distrahunt.

Inutilis sæculi ingenuitas, vbi vitiorum seruitus.

Quid prodest quòd liber est in naturâ, qui seruus est in conscientiâ? Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes, intrinsecus mentis infirmitate degeneres: innocentum dominos, & criminum E seruos. Iam melior est vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinasse conditio. Habetis booi famuli vestram coosolationem, pro libertate complectimini honestam seruitutem. Intolerahile iugum, & fœda dominatio, & erubescenda subiectio. Aut quid spei relinquitur seruienti, vhi æterna mors iuncta est seruituti? Sine causâ est à foris vel genere vel honore conspicuus, qui noo est intus ingenuus.

Graui damoationi iterantur crimina, postquam Christi sanguine sunt redempta. Inexcusabile malum est, post mortem Redempto-

ris Domini, seruum peccatis hominem se subdere. Si fortè, charissimi, hominis cuiuscumque seruus duris domini sui vrgeatur imperijs, quocunque fugiendo aut latitando euadere & declinare iniquum dominum potest. Seruus peccati quò fugiet, qui secum trahit quocunque fugerit? Non fugit seipsum, non est quò eat: mala conscientia sequitur se, imò non recedit à se. Via aliquòd de foris potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. Quid prodest quòd homo sonantem fugit arcum, qui iaculum secum portat infixum? Serpens ille etsi reuocauit morsum, reliquit venenum: fecit quisque peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem. Remanet quod damnat, præterit quod delectat: consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertransit.

Peccati seruus non est quo fugiat?

De hac ergo seruitute, & de his bustibus, vsque ad baptismi littora Dei populum persequentibus, innumera captiuorum millia per sacri fontis irriguum liberat Christus, & confringit super aquas caput draconis magni: ac sic ille sæuissimus draco proprium venenum in necem sui refusum sentit exitu: ac dum nocere se credit, dum contra Deum suum cæcus impetum facit: dúmque pondus tormenti sui illidit in solidamentum, ictu suo repercussus, fortem fuisse se doluit, & omnem nocendi potentiam se amisisse cognouit, quia noxios virulentorum dentium morsus sacro in corpore dereliquit: & ideo nunc infelices quosque, quos sibi ad sensum facilem accommodare præuiderit, ad fauces suas solis solicitationum carminibus trahit: & voluntariam prædam inermis expectat: ac proinde prostratus à Domino humanum genus non quasi fortior impugnat, sed iniqua consilia quasi debilitatus sibilat. Cuius vos carmina vt possitis euadere, de eloquijs Dei vocem sacræ incantationis libenter audite.

Psal. 73. v. 14.

Draconi relicta sola solicitationum carmina.

Hunc Christus non in suâ dignitate, sed in nostrâ carne superauit: id est, vt etiam à nobis eum superari posse monstraret, hunc, inquam, per Sanctos suos Christus interfecit. Et fortè hic est ille in lege serpens, quem beati Moysi virga in serpentem versa consumpsit. Quo genere iam tunc euidenter ostendit, per virgam, id est, per Christi Domini regiam potestatem, conterendum esse mortis auctorem. Moyse itaque contra maleficos decertante, modò conuertebatur virga in serpentem, modò serpens in virgam reuertebatur. Quid hoc est? In serpente, personam maledicti hominis, qui crucifigendus maledicebatur, agnosce; in virgâ, sceptrum regiæ dignitatis intellige. Quid est virga in serpentem? id est, Deus in hominem commutatus. Quid est serpens in virgam? id est, homo in Deum receptus. Ac sic in homine est exinanita diuinitas, vt in Deo glorificaretur humanitas.

Exod. 7. v. 12.

Sane intellige, nam in Christo nihil fuit commutatum verè, sed cum Deus esset idem permanens atque vnus, factus est etiam homo.

Habemus adhuc in toxicato sub simplici & pari signo sacræ redemptionis insignia. Cùm in deserto filij Israël absque vllâ misericordiâ venenatis serpentum morsibus sternerentur, legitur beatus Moyses diuino commonitus instinctu, serpentem æreum præfixum ligno, inter medias morientium erexisse turbas: & mandasse percuntibus vt post exceptos virulentos ictus, ad præsentiam serpentis illius pro recipiendâ salute concurrerent: quò fugientibus tam prompta aderat salubritas medicandi, quàm velox inerat facili-

Num. 21. v. 8.

Serpens æneus, Christi in cruce figura.

A tas intuendi. Sequebatur certum sub momentaneâ contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium. Si dixerimus hoc loco quòd Domini typum species refugienda prætulerit, quis non ad ipsum contremiscat auditum? Sed quis vel cogitare illud auderet, nisi ipse mysterij exposuisset signum, qui figuræ ipsius cepit iniuriam? Qui proprio per Euangelium testatur oraculo: *Sicut, inquit, Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.*

Ioan. 3. v. 14

Videamus autem quid sibi velit contra serpentum virus serpentis aspectus. Serpens ab initio maledictus erat: & qui suspendendus fuisset in ligno, sicut & Saluatur, maledictionibus replebatur. Videamus quid est serpens contra serpentem, id est, damnatus contra damnatum, male- B dictus contra maledictum, sapientia contra calliditatem, bonitas contra malitiam, acetum & fel contra venenum, mors contra mortem, consumens deuorantem, & interficiens occidentem. Sic & ipse Dominus loquitur per Prophetam: *O mors ero mors tua, ero morsus tuus, inferne.* Sed etiam modò medela, si volumus, contra morsum serpentis, viso serpente confertur: quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & criminis confessione aboletur. Ac sic homo, quando dixerit cum Prophetâ: *Quoniam iniquitates meas ego cognosco, & delictum meum contra* C *me est semper.* Quando enim benè respicit peccatum suum, sanat serpentis morsum, per serpentis aspectum. Serpens itaque contra serpentem, hoc est, Christus persequens peccatum, sub habitu peccatoris. Et ideo dixit Apostolus: *Et de peccato damnauit peccatum per carnem* similem peccatrici: & de peccato peccatum, id est, mortem de morte contriuit. Rectè peccati nomine appellauit mortem, quia eandem de peccato cunstat esse generatam. Secundum hæc nihil est aliud procedens de serpente sanitas, quàm latens quasi sub peccati carne diuinitas.

Serpens contra serpentem.

Osea. 13. v. 14.
1. Cor. 15. v. 55.

Serpentis aspectus, consideratio proprij peccati.

Psal. 50. v. 4

Rom. 8. v. 3

Mors peccatum dicta; quia ex peccato.

Quæ cùm ita sint, charissimi, introspicientes D nosmetipsos si aliquid vulneris senserimus, statim refugientes peccatum, cófugiamus ad Christum; ad illum spei nostræ eleuemus obtutum, ad illum mentis oculos conferamus. Cuiusmodi autem sit iste morsus, debemus agnoscere. Qui alienum malum respicit, qui in alienam rem auidâ cupiditate suspirat, qui alienam mulierem importunis oculis & mortem ad se trahentibus conspicit, qui in alieno corpore sacrificat diabolo animam suam, hic toxicato spiculo in corde percussus est: hic quàm debili morsu, tam exitiabili sauciatus. Qui malitiam vel inuidiam tanquam vulnus inclusum in visceribus retinet, amarissimo atque mortifero dente laniatus est. Qui E fide vacuus est, & odio plenus, totus draconis illius deuoratus est morsibus. Sed & si ita sit, nullum conuenit desperare. Legimus in Ionâ Prophetâ, quomodò bestia etiam deuoratum cogatur euomere. Ergo inter diuersos morsus respiciamus ad Christum, vt ad nos ille respiciat. Hîc respiciamus ad sanatorem nostrum: iam illic à peccatoribus, nisi forsitan in iudicio, non videndum. Aut quomodò videre quis poterit auctorem gloriæ, dicturus vale vltimum rerum naturæ? Et ideo qui illum hîc cognoscere noluerit adquisitus, iam eum illic non poterit videre damnatus. Nunc ergo eum fide, & operibus ante conspectum nostrum constituamus: & ad cœlum

Serpentum morsus.

Ione 3.

oculos ſpe ducente iaculemur. Demonſtrauit in veteri teſtamento Moyſes remedium, poſtquam ſerpens momordiſſet: Chriſtus etiam iſtud oſtendit quomodò ſi reſiſtas, mordere non poſſit. Videte nomen Dei noſtri quantùm prodeſſe poſſit in gratiâ, quod tantùm profuit in figurâ. Referuntur ad ſerpentem cum remedio aſpexiſſe redimendi: quantò ſalubrius erit, ſi ad Chriſtum aſpiciant iam redempti.

EIVSDEM IN EODEM.

HOMIL. II.

B

BEnè nouimus primum eſſe ab origine mundi hunc reſurrectionis Dominicum diem. Sicut enim in eodem noua nunc gaudia, ita dudum in hoc ipſo tenera rerum fulſere principia. Felix quidem dum ex ſe primam pareret lucem, ſed nunc felicior dum ipſum ex inferis reddidit lucis auctorem: tunc eſt inchoatus ad rudem materiam, nunc eſt electus ad gloriam. Et ideo cum Prophetâ exultemus & lætemur in eo: quia iocundiores ſunt illi dies quibus renaſcimur vel reparamur, quàm illi dies quibus naſcimur. Hodie ergo nobis inæſtimabili munere apparuit Sol cœleſtis ex abyſſo, exortus eſt oriens ſub occaſu.

Dies Dominicus, ipſe creationis dies.

Pſal. 117. v. 24.

Lætiores dies quibus renaſcimur, quàm quibus naſcimur.

C

Hodie nobis non ſplendor emicuit cæcæ noctis, ſed fons luminis. Per conditionem quidem mortis traditus putabatur inferno, ſed de inferis rediit cum ſui triumpho, vt ſic dixerim, gladio percuſſoris armatus. Deſcendente ergo Domino, trepidauerunt tenebræ ad ſubitum ignotæ lucis aſpectum, & præcelſum ac præfulgidum ſydus cœlorum tartareæ caliginis profunda viderunt. *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Mira & ineffabilis Dei noſtri pietas. Irruperat quidem mors paradiſum, ſed vita expugnauit infernum: legemque mortalem ſuſceptâ mortalitatis conditione calcauit, implens illud quod Propheta teſtatur: *O mors ero mors tua!* ac ſic mortis iniquitas, quæ ſe tanquam hominem viciſſe gaudebat, expauit ſubitò prædam ſuam,

Iſai. 9. v. 2.

Oſe. 13. v. 14.

D

& in ſuo regno à ſuo vt putabat debitore conſtricta eſt: à ſuo condemnata reo, à ſuo ſubiugata eſt captiuo; ideo ſuis laqueis illigata & irretita perditio, dum deciperet ſupplantata eſt: dum interficeret, extincta eſt: dum deuoraret, abſumpta eſt.

Deſcenderat ergo lux ad tenebras, ſed tenebræ eam non comprehenderunt: depoſito quidem corpore imas atque abditas tartari ſedes Filius hominis penetrauit, ſed vbi retentus eſſe inter mortuos putabatur, ibi vincula mortuorum ligatâ morte laxauit: & vnde difficile vnquam vllus vel ſolus redierat, inde ille cum ſpoliis ad ſuperna remeauit.

Ioan. 1. v. 5.

E

Hodie ergo Domino reſurgente, viſa ſunt multa Sanctorum corpora reſurrexiſſe, & apparuerunt in ſanctam ciuitatem. Regrediens ergo Dominus poſt diem ternam, fructus ſecum triduanæ peregrinationis vincentibus reportauit: & vt omnes eum de inferis regredi crederent, teſtes ſecum ad ſuperos, & præcones ſubactæ mortis exhibuit. Ecce quantum agit illa immenſa pietas pro ſalute ac reparatione noſtrâ? Propter nos *ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt*; & ſicut dicit, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam ab increpatione non auerti, & confuſione ſputorum.*

Matth. 27. v. 52.

Iſai. 53.

Iſai. 50. v. 6.

A Paſchate.

A

De ſummâ itaque throni ſui arce deſcendens terrena viſitat, inferna non deſpicit: ſuſcepit mala noſtra, vt tribueret bona ſua. Æſtimemus in quantum ſuum ſeruum diligere potuit ante culpam, quem ſic glorificat poſt ruinam. Quæ cùm ita ſint, lugeat & ingemiſcat confuſa ſupplantatoris inuidia. Cernat diabolus hominem, quem mortifero vulnere in primo parente proſtrauerat, penè feliciùs ac nobiliùs reſurgentem. Ecce gratia penè maiora reſtituit, quàm factura contulerat. Maximum quidem circa hominem diuini amoris inſigne eſt, quòd inter ipſa mundi principia, imaginem ac ſimilitudinem Dei ſui ſeruus accepit: ſed penè amplius eſt, quòd nunc perſonam & formam ſerui Deus auctor aſſumpſit.

Penè maiora quæ reparationis & per Chriſtum, quàm quæ creationis.

B

Grandi quidem dignatione primo homini ſpiraculum vitæ de ſuo pius formator infudit: ſed nunc penè maiori charitate pro eodem homine non iam ſua dedit, ſed ſeipſum impendit ac tradit. Magnum quidem mihi eſt de Deo, quòd eſſe me fecit opus ſuum: ſed multò plus eſt, quòd tranſiſſe ipſum video in pretium meum: quandoquidem tam copioſo munere ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur. Inter hæc multum quidem eſt, quod abſtulit diaboli nequitia, ſed multò plus eſt quod Dei reddit miſericordia. Poſtremò magna quidem fuit indulgentia conditoris,

C

aſſumptum de limo hominem, inter paradiſi amœna componere: ſed penè maior eſt gratia, de profundo inferi ad cœlorum regna ſuſtollere. Suſcepit ergo virtus excelſa humanitatem noſtram, vt tribueret diuinitatem ſuam: ſuſcepit & animam & corpus, & quia peccato obnoxius totus homo redimendus erat, totus homo adſumitur immolandus. Ac ſic immenſa illa maieſtas da noſtro obtulit ſacrificium, de ſuo contulit præmium.

Sed fortè hîc aliquis in corde ſuo dicat: Quid hoc eſt quòd ſemetipſum diuinitas humiliauit: non poterat per virtutem, & potentiam brachij ſui liberare à poteſtate diaboli hominem ſuum, vt neceſſe non haberet humanum corpus adſumere, vt neceſſe non haberet vniuerſæ miſeriæ, atque

D

damnatæ conditionis iniurias experiri: ſputis ac flagellis, contumeliis ac doloribus affici, patibulo crucis affigi? Hîc nobis, fratres, ex multis cauſis aliquæ interim dicendæ ſunt, & breuiter explicandæ, quibus neceſſe habuerit Dominus hominem adſumere, & incarnationis ſacramenta ſuſcipere. Prima iuſtitiæ cauſa eſt, ſicut ipſe Dominus dicit: *Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Peccauerat enim primus homo ſuo vitio, & inobedientiæ lapſu, & propriæ voluntatis impulſu: ſeductus à diabolo, non coactus: ſicut ipſe homo in Geneſi dicit, *Serpens*, inquit, *ſeduxit me*: & ideo per miſericor-

Aſſumpta caro, vt homo iuſtitiâ liberaretur, non potentiâ.

Matt. 3. v. 15.

Gen. 3. v. 13.

E

diam poterat quaſi reus redimi, non debebat per potentiam quaſi innocens liberari: & conditio humana, quæ per totam originem hæreditarium malum ſparſerat, & in omnes ſe ramos virium radicis effuderat. Conditio ergo humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, ſed pretio. Potuit autem Filius Dei hoſtem humani generis & in cœlis poſitus, nutu ipſo ſuæ diuinitatis elidere: ſed ne quid tale, vt ſuperiùs diximus, diabolus conqueri poſſet, placuit Deo ſecundum iuſtitiam ſuam, pro humano genere offerre hominem purum & immaculatum, ſegregatum à peccatoribus: ſed talem noſtra regio non habet, quia non

subuenire peccato poterat, simili peccato obnoxius: nec interueniret pro seruis, adstrictus legibus seruitutis. Ex aliâ ergo regione venturus erat, vt posset offerri pro debitoribus absolutus, pro iniquis iustus, pro peccatoribus innocens, pro hœdis agnus: qui esset exteriùs eiusdem generis, non eiusdem conditionis, ac longè alterius libertatis. Similis mihi æqualitate substantiæ vel naturæ, sed innocentiæ ac iustitiæ puritate dissimilis: vt de meo haberet vnde pro me solueret, & de suo vnde penitus in nullo debitor appareret. De meo ergo habuit vnde crucifigeretur, de suo vnde glorificaretur; de meo vnde caderet, de suo vnde resurgeret. De nostro itaque dedit peccati hostiam, de suo indulgentiæ tribuit gratiam: de nostro est quicquid in passione damnatur, de suo est quicquid beatitudinis ex resurrectione confertur.

Nullum ergo habuit Saluator noster originale peccatum, quia nullum est virilis generationis passus exordium: & ideo repulit mortem omnibus debitam, dum solus soluit indebitam: ac sic per indignissimam passionem, quia non habebat peccata propria, redemit aliena. Hac itaque iustitiâ victus est, & hoc vinculo vinctus est humani generis tantus inimicus. Nam cùm se illi homo vendidisset, sicut ait, *Peccatis vestris venditi estis*, & per peccati commercium solus illi homo deberetur, ille Deum consuetudinariâ præsumptione deceptus appetiit, & dum occidit liberum, amisit obnoxium: perdidit ius suum, dum inuadit hominem non suum. Totum ergo cum eo perdidit, quia nihil in eo quod tenere posset, inuenit, sicut ipse Dominus ait proximus passioni: *Ecce enim princeps mundi huius, & in me nihil inuenit.* Ac sic diabolus dum quærit quem occidere possit, inuenit quem damnare non possit.

Isai. 50. v. 1.
Ioan. 14. v. 30.

EIVSDEM IN EODEM.

HOMIL. III.

Dies hæc, fratres, si benè perspicimus, duplici nobis sanctificatione veneranda est. Ipsa enim iam in principio nascentis mundi prima facta est, quæ nunc quoque in gloriâ beatæ resurrectionis electa est. Ipsa ab initio rudis sæculi profundæ caliginis, & vastæ noctis discussit horrorem: ipsa prima iocundæ lucis nouum munus stupentibus intulit terris. Ipsa prima densissimas mundi tenebras infuso splendore dispersit: ipsa nunc quoque iustitiæ Solem tartareâ de sede restituit. Ipsa ortus sui initio cæcam confusarum rerum faciem prima illuminauerat: ipsa nunc quoque nobis sedentibus in tenebris & vmbrâ mortis, spe resurrectionis illuxit. Protulerat quondam ex se lucem quæ irradiaret profunda tenebrarum, nunc quoque edidit iustitiæ Solem qui referret excelsa cœlorum. Prima viderat surgentem mundum, nunc quoque prima suscepit, ac protulit mundi Dominum resurgentem, & ad cœlos mortis spolia triumphatis inferis reportantem. Duplici ergo solennitate veneremur hanc diem, veneremur vt primam, veneremur vt tertiam. De hac enim Scripturæ omnes clamant, *Tertiâ die resurrexit.*

Dies resurrectionis, qui & creationis, eiúsque elogia vtroque titulo.
Isai. 9. v. 2.

Hic est ille, fratres, de quo Propheta cecinit, *Homo inter mortuos liber.* Descenderat quidem lux ad tenebras, sed tenebræ eam non comprehenderunt.

Psal. 87. v. 6.
Ioan. 1. v. 5.

A Sed quid dico, non comprehenderunt? imò splendidiorem potiùs reddiderunt: nam quod corruptibile terra susceperat, incorruptibile reformauit: quod terrenum & mortale in sinu suo tenuerat, immortale & cœleste restituit. Obstupescit natura rerum, ecce contra leges suas hodie de inferis vita processit, & per vias quæ reditum non habebant, inuitâ morte remeauit. Quinimmò mors ipsa in suâ regione captiua expauit subitò talem mortuum, & quem debitorem suum putabat, creditorem atque exactorem esse cognoscit. Quid mirum si beata & illustris anima tartaro non potuit cohiberi, quan-
B do nec monumento potuit corpus includi? Legimus beatum Ioseph carcerem, in quem ipse missus fuerat, in potestate habuisse, & eo etiam alios liberasse. Ecce Ioseph noster, non solùm illo inferni carcere quo conclusus fuerat, non tenetur, sed etiam aliis per eum mortis claustra laxantur. Legimus beatum Eliam curru igneo cum corpore ad superna præreptum: Hæc omnia implentur in Christo. Ecce iterum Elias noster igneo diuinitatis vehiculo corporeus ascendit ad cœlum. Legimus beatum Elisæum, postquam sepultus fuerat, tactu sui corporis suscitasse defunctum. Ecce iterum Elisæus noster mortuis salutem suâ morte largitur, & vitam sepultus operatur.

Gen. 39. v. 22.
4. Reg. 2. v. 11.
4. Reg. 13. v. 21.

C Libet hoc loco piissimi Redemptoris, & sacri ipsius baptismatis vel miracula, vel innumera beneficia felici corde perspicere. Libet solicitâ mente perpendere, quanta Redemptor & Saluator noster in hac die innocentiæ munera per totum erogauerit mundum: quantum malorum numerum de conscientiæ libro, gratiâ superueniente, deleuerit: quantam multitudinem populi sui de inferni carcere eripuerit: quantam in hac die pœnarum materiam incendia æterna perdiderint. Ecce quicquid iniquitatum sempiternis gehennæ ignis excoquere, & expiare vix possit, subitò sacro fonte summersum est: & de
D æternis debitis breuissimo lauacri compendio, cum indulgentissimo creditore transactum est. Veniant qui futuræ resurrectionis gloriam sitiunt; iam tunc de hac remissione peccatorum digno miraculo reficiant fidem suam. Homo fonte tingitur, & momentaneo lauacro ab inueterato malo primi parentis abluitur: sub aquis relinquitur, quicquid flammis debebatur: & sanctificatione secretâ sub felici vndâ pristini hominis vetustas exuitur, & quodammodò homo inter se alter efficitur: renascitur inuisibiliter, innouatur in melius: quantum oculis cernitur, non mutatur; & tamen senectute depositâ, iuuenis
E animâ renouatur: tanquam trino partu fontis in adoptionem Trinitatis effunditur: de cœlo medicina demittitur, sanantur vulnera quæ non sentiuntur: & mala quæ se ipsi conscientiæ inseparabiliter immiscuerant, quodam diuinæ misericordiæ artificio separantur.

Baptismi vis & efficacitas.

Itaque, charissimi, quod suum equidem est, Deus noster operatur in nobis. Abstergit cordium nostrorum maculas, lauat culpas, & his quæ mala facta sunt ad infectum redactis, amissam (quia potest) reuocat innocentiam. Sed opus est vt ita elaboremus, ne quod ille elaborauit, nos iterum polluamus: ne scindamus vulnera, quæ ille sanauit: ne quod semel in nobis diluit vnda baptismi, rursum excoquere necesse habeat ignis inferni. Si ergo, charissimi per gra-

In baptismo verè homo renouatur contra Lutheranos.

Renouatio in baptismo, argumento futuræ resurrectioni.

tiam baptismi, & indulgentiam peccatorum agnouimus iam in præsenti quandam animarum resurrectionem, in futurum credamus etiam corporum. Mors quidem præteriri non potest, veniet, & in cognatam terram de cuius limo processimus, reuertemur, & hanc carnem spiritu viduatam corruptio deuoratura suscipiet. Rursum cùm libuerit auctori reparare opus suum, rursum exinanita in vnum colligentur membra: reformabitur puluis in corpore: à tegmine, & amictu cutis arentia vestientur ossa, congregabuntur dispersa: humectabuntur arida, viuificabuntur exanima; & quasi post longum exilium redibunt animæ ad tabernacula sua. *In momento, in ictu oculi*, vniuersæ gentes de sepulchris suis ad nutum Domini iubentis exilient: & populos quos diuersis temporibus latissimo sinu terra susceperat, vno (vt sic dixerim) partu refundet in lucem: ac sic noua de veteribus corpora vniuersa subitò tanquam vnus homo ante cõspectum piissimi Redemptoris astabunt. Recipient ergo absque dubio pristinam societatem spiritus & caro: vt qui fuerunt in vitæ ratione consortes, sint in retributione participes. Manebit absque dubio hominum vita, aut in beatitudinis, aut in miseriæ conditione perpetua.

1. Cor. 15. v. 52.

Nnoc, charissimi, in potestate vitæ præsentis est, vt beatum sit quicquid perpetuum erit. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: & qui hos dies malè gubernauerint, velint nolint, erunt corpora recepturi, sed in pabulum ignis æterni. Sero tunc dolore *clamabunt collibus, Operite nos: & montibus, Cadite super nos*: desiderabunt mortem, sed non inuenient, qui vitam, dum inueniendi tempus fuit, desiderare noluerunt: optabunt mori, nec licebit: quia vitam cùm liceret, optare noluerunt. Iusti verò & gloriosæ incorruptionis veste præcincti, ita vt possint dicere illud: *Concidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitiâ*, fulgebunt sicut sol in conspectu Patris eorum electi ad perpetua gaudia. Nulla illis vita exolescet, nullam sentiet felicitas mutationem, nullam sentiet ætas longissima retroacti sæculi vetustatem: iactatâ retro morte, quicquid posthac fuerit, vita erit: & participatâ cum illo, qui nos ex nihilo fecit, beatitudine, sicut illius vita initium non habet, ita nostra terminum non habebit.

1. Cor. 15. v. 51.

Luc. 23. v. 30.

Psal. 29. v. 12.

EIVSDEM IN EODEM.

HOMIL. IV.

FEstiuitates istæ, charissimi, celebritates Dei Domini quas annuâ deuotione veneramur, sicut nobis in futurum vitam & gloriam pollicentur, ita etiam in præteritum de salutis nostræ causâ, & occasione nascuntur. Ac sic qui ideo colitur vt misereatur, iam misertus est, vt coleretur. Ab eo ergo facti atque reparati nunc impensiùs exultemus in beneficiis suis, quia meliores sunt dies illi quibus liberamur, quàm illi quibus in vitæ huius pericula nascendo producimur. Et ideo legimus, quia *melior est misericordia tua super vitas*. Meliores enim sunt dies quibus ad æternam vitam renascimur, quàm illi quibus in hæc tempora iam procreamur. Siquidem maiora sunt dona gratiæ, quàm naturæ. In gemino Dei nostri opere, ibi res virtutis, hic muneris est: ibi potentia, hic misericordia continetur: primâ

Meliores dies quibus liberamur, quàm quibus vitæ periculis nascendo producimur.

Psal. 62. v. 4.

A natiuitate, terrenis ingredimur; secundâ, cœlestibus præparamur.

Sicut autem præsentis temporis festa nos admonent, hic est ille, qui pro mundi salute congressus (sicut de fortissimo illo Samsone legimus) plures inimicorum mortuus interficit, quàm viuus occiderat. Refert autem & traditio sæcularium literarum, habuisse quendam in exercitio, vsúque certaminis hoc genus virtutis ac roboris: vt quoties in luctamine succumbens virium suarum amicam, & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, toties de solo surgens magis ac magis in aduersarium præualeret: ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi. B Dabat enim quodammodò infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Porò hæc illi cœlesti athletæ, qui contra Iacob legitur fuisse luctatus, iustiùs aptari posse: æstimo hæc illius personæ veriùs conuenire, qui hoc in tempore in arenâ mundi cum publico hoste conflixit; Qui ad hoc cessit, vt gloriosus surgeret: ad hoc cecidit, vt omnes eleuaret: quia aduersarium effusus obruit, prostratus elisit, iacentemque hominem deiectus erexit, mortémque eius dum succumberet perculit, ac mortuum dum resurgeret suscitauit. Hic est ille Angelus, qui cum Iacob nocte luctatus est, sicut habemus in Genesi: *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque manè, & cùm præualuisset Iacob, dixit ei Angelus, Dimitte me,* C *iam enim ascendit aurora. Respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & benedixit ei Angelus, & dixit: Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra hominem præualebis? Et tetigit Angelus latitudinem femoris eius, ipse verò claudicabat pede.* Quid est hoc? Qui vincitur benedicit, & claudicat qui se vicisse credebat. In Iacob ergo Iudæorum populus, in Angelo Christus agnoscitur. Et vt sciamus in eodem Angelo Deum fuisse, ita dicit ipse beatus Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Iacob ergo Angelo succumbente præualuit. Præualuerunt ad tempus & in Christi passione Iudæi: in illâ resugientes die & nocte, totâ in eo D impietate sæuientes præualuerunt, quando crucifixerunt: præualuerunt quando occiderunt. Ergo cùm vicisset Iacob, benedici tamen se à victo posse cognouit, dicẽs, *Non dimittam te, nisi benedixeris me.* Quale mysterium: in certamine inferior æstimatur, & ad conferendam benedictionem idoneus inuenitur. Apertè ergo Christus aduersarios benedixit, quando & pro interficientibus supplicauit, dicens: *Dimitte illis Domine, quia nesciunt quid faciunt*: benedixit victus, qui liberat passus: interuenit reus, absoluitque damnatus: quia & vt aduersarij resipiscant, redemptionem tribuit interemptus. Quid etiam illud E est, quòd post illam colluctationem Iacob benedictionem accipit, & claudus incedit? sic enim ait: *Et tetigit Angelus latitudinem femoris eius, & claudicabat pede.* Latitudo femoris, Iudaici generis est multitudo. Quid est, inquam, quòd vno pede claudicat? Hoc est, quia de Iacob, id est, de Iudæorum genere Christo resurgente pars credidit, pars in infidelitate remansit, & à iustitiæ ac vitæ semitis claudicauit. Quod autem dicit ipse Angelus: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, hoc indicabat, posse eum à morte vinci, non posse à se retineri: sed post illam fugatam luce passionis noctẽ, promittit illicò esse resurrectionis aurorã.

Iud. 16. v. 30.

De Antæo id fabulantur.

Gen. 32. v. 24.

Lucta Iacob cum Angelo, figura pugnæ Christi in passione.

Luc. 23. v. 34.

Itaque, charissimi, Dominicæ passionis & resur-

A rectionis celebrantes triumphum, fidem conuersatione decoremus: misericordiam io pauperes faciamus: imitemur Deum, cui nulla corporalium rerum forma consimilis est. Habeamus in cunctis imaginem booitatis eius, & patieotiæ: emendemus errores, oremus pro inimicis, pro detractatoribus obsecremus, imitantes Moysen, qui sororis cootra se loqoentis culpam oratione deleuit: oleo eleemosynæ peccatorum sordes lauemus: captiuorum vincula nos videaotur astringere, & propitium illis imprecemur Deum: clausos carcere humanitas diurna sustentet; his, quorum corpora morbus regius occupauit, & iugi labe membra soluuntur, propter repositam in cœlis mercedem solicito mioisterio seruiamus: B quando nobis iudicij potestas data fuerit, & ad nos causa delata est, non personarum consideratio, sed rerum, sed iustitiæ stabilitatem incuruasse præualeat. Lex normam teneat veritatis: charitas prona sit ad misericordiam, non insultans peccantibus, sed condolens, facilis enim est lapsus ad vitia: & fragilitas conditionis humanæ quicquid cernit in alio, hoc in se debet pertimescere: cùmque alius fuerit pro errore correptus, illius emendatio nostra sit cautio: & super omnia quasi culmen & corona virtutum, pietas in Deum toto cordis timore seruetur.

Morale.

Num. 12. v. 13.

EIVSDEM IN EODEM
Homilia 5.

C QVodam loco sermo Hieremiæ Prophetæ mysteria nostræ salutis annuntians, ita dicit: *Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias non in iudicio: in nouissimo dierum suorum derelinquetur.* Perdix diabolus, pro nequitiâ vel multarum rerum comparatione perhibetur. Hæc auis quocunque casu, vel feræ alicuius incursu priuata fuerit ouis proprijs, insidiatur alienis, & nidi habitore depulso partus inuadit extraneos: quos cùm vsque ad spem fœtuum genitali tepore confouerit, parentem cum præda efficit, non natura: D interea verus pater vocanti ac lamentanti similis, syluas questibus replet: tum adulta iam soboles voce proprij genitoris auditâ, curam queruli clamoris intelligit, atque ita ad originariam sedem læta peruolant nutrimenta, generis sui conscia, & adulteri nutritoris oblita. Quid ad hæc dicis, homo pretiosum vas sapientiæ, imago diuinitatis, & possessor generosæ rationis? Quid te creatori tuo subtrahis? Ecce etiam bruta cognoscunt quid proprio debeatur auctori: & quæ non habent intellectum, habere probantur affectum. Callidum peruasorem captiua generatio derelinquit, remanet prædâ deceptus & raptor orbatus.

Ier. 17. v. 11.

Perdix, figura diaboli, quà insidiatur alienis partibus.

E Igitur & diabolus humanum genus quod non creauerat, occupauerat: quod non genuerat, mentito patris nomine possidebat: sed vbi vocem per Prophetas vel per semetipsum pius auctor emisit, vbi perditis salutifera charitas inclamauit, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis:* (Aduerte quòd sub nomine oneris pondus indicat seruitutis) ad paternos sinus confestim auidum cucurrit examen: Tunc princeps mundi huius sub aduentu Domini Saluatoris in dimidio dierum suorum perdidit, quos se vsque in finem sæculi possessurum esse credebat, & in gremium redemptionis captiuitatem perditio inuita transfudit.

Matth. 11. v. 28.

A Sed dicis hoc loco: Doce me quomodò captiuus fuerit mundus: expone mihi captiuitatem, vt intelligere possim redemptiooem. Iam primùm si passiones nostras & prauas consuetudines interrogemus, quid sit animæ captiuitas euidenter agnoscemus: verbi gratiâ, Qui vinolentiâ delectatur, ebrietatis (quæ mater est vitiorum) captiuus efficitur: qui obscœnis & fœtidæ carnis illecebris occupatur, luxuriæ turpis dominæ iugo premitur: qui habitu alienæ rei auidis & esurientibus semper faucibus inflammatur, in seruitium atsuræ cupiditatis abducitur: qui crudelitate pascitur bestialis iracundiæ, crudeli furoris dominio subiugatur. Inde est quod dicit Apostolus: B *A quo enim quis vincitur, eius & seruus est.* Hoc ergo genere diabolus vniuersum addixerat mundum. Cupiditatis deprauatio, mandati inimica transgressio, cibi interdicta præsumptio, superstitionis dominatio, erroris impressio, veritatis obliuio, ignorantiæ coofusio, stultitiæ longa persuasio, mortifera idololatriæ consuetudo, in tantum homines occæcauerat, vt Solis, Lunæ, Martis, atque Mercurij, Iouis, Veneris, vel Saturoi, & diuersis elemeotorum, ac dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent, vt sub assiduâ diei commemoratiooe honor falsorum deorum nunquam ab eorum ore discederet. Quis nostrum tantum C habeat solicitudinis circa memoriam Redemptoris? Secundum hæc quis grauissimam neget captiuitatem, tantum meotis errorem? & quod peius est, ista captiuitas magis animas occupauerat, consilium tulerat, sensúmque laqueauerat: & ideo quia deseruerant rationis auctorem, meritò primi intellectus perdiderant libertatem.

Mundus vt diaboli & peccati captiuus.

2. Petr. 2. v. 19.

Idololatriæ abusu nuncupati dies Planetarum nominibus & dæmonū.

Ac sic diabolus vniuersam posteritatem in primo parente possessam, blandâ seductione captiuam ad studia cultus sui traxerat: ceperat quos deceperat, & stirpem quam in radice vitiauerat, in fructibus possidebat: & propterea *Dominus de cœlo in terram prospexit super filios hominum,* & tanquam si Redemptor ipse secum loqueretur, D & diceret, Videamus quibus debitis egenus homo diabolo teneatur adstrictus: Si aurum, vel argentum deberet, si ære esset oppressus alieno, pro ratione debiti, necessariò summa pecuniæ penderetur. Sed quid agimus, quòd hereditario & antiquo primæ natiuitatis malo premitur? Secundâ natiuitate statum illius innouemus, vt qui per originis debitum diabolo nascebatur, per baptismatis iostitutum Deo renascatur: dúmque regeneratur Spiritu operante per gratiam, nihil inimico debeat per naturam: improbam dexteram vetitæ arbori importunus ingessit, extendamus pro illo innocentes io cruce manus: per li- E gnum pœna est contracta, per lignum culpa redimitur: Sed prohibiti gustus malè blanda suauitate deceptus est: expietur delectationis esca, aceti & fellis iniuriâ. Sed superbiæ culpâ, quâ præceptum soluit, quâ in ambitú diuinitatis exarsit, obnoxius est io homine animus: sed diuinitas nostra humiliet se pro superbo, tradat seipsâ maiestas pro crimine maiestatis. Sed mortis reus est, hoc reddi conuenit quod debetur: mortalis est assumenda conditio, & mors est offerenda pro mortuo: & ne quid diabolus captiuo suo per arborem decepto vltra possit obiicere, ipse nunc sacras damnandus extendat manus in arborem vitæ: vt duplici beneficio hominem nostrum sanguis crucifixi, & scelus crucifigentis absoluat:

Psal. 52. v. 3.

Dei consilium super reparatione hominum.

passio nostra dum illum damnat, hunc redimat. A

Deus cur sub humili carnis habitu descendit.

Hic si interrogas, & requiris, quare Deus sub habitu humanæ carnis absconditus descendendum sibi ad terrena iudicauerit: ob hoc vtique, vt splendor ille diuinus, vt diuina illa potentia, & ab homine faciliùs sustineri, & à diabolo difficiliùs posset agnosci: & vt homo, cui parum Legis ac Prophetarum præcepta profuerant, promptiùs salutem suam quæreret, cùm ad eum salus ipsa venisset: vt quia misso toties de cœlis non corrigebatur imperio, præsentiæ saltem instrueretur exemplo. Quare, inquam, per se terrena Dei Filius visitauit? Vt fortiùs destrueretur tyranni dominium per Imperatoris aduentum: sub abiectione formæ seruilis latuit Deus, vt dolosum supplantatorem suis vicissim fraudibus irretiret: B vt ille qui pro crimine ambitionis illicitæ obnoxium tenebat hominem, dum Dominum crucifigit, maioris reus criminis appareret: ac sic auctoritatem dominantis amitteret, dum vincit culpam decepti hominis immanitas deceptoris: nec possit vlterius obiicere homini appetitæ diuinitatis iniuriam, postquam parricidalem in Deum cæcus extendisset audaciam: ac sic captiua esse cœpit in trunita feri prædonis impietas. Sicut ergo meodacem quempiam non potest reum tenere falsarius, sicut nec adulterum accusare audet incestus, nec homicidam paterno sanguine cruentus: sic diabolum dominari in hominem sacrilegæ cupiditatis excessu sequentis sacrilegij prohibuit magnitudo: sic, inquam, in homine C diabolus cœlestis Regis offensam vltra exaggerare non potuit, postquam ipse cruci Regem cœli per societatem carnis affixit. Et quid mirum si eum quem non agnouerat in maiestate, agnoscere non meretur in corpore? Ita magnis præiudiciis irretitus amisit ius suum, dum appetit hominem non suum.

Quibus modis quis causâ cadat, amittatque ius debiti.

Nam sicut in negotijs gerendis quatuor modis homo causâ cadere dicitur, id est, quatuor modis plus petendo, subire periculum pro iuris ratione perhibetur. Quibus quatuor? id est, loco, tempore, genere, quantitate: Loco, si alibi fortè sibi debitum solui improbus fœnerator extorserit, quàm vbi cautio designabat: Tempore, si citiùs: Quantitate, si ampliùs petierit: Genere, si D alterius rei, ac melioris materiæ mercem, quàm scriptura contineba, exegerit. Videamus quo hîc modo diabolus causâ cadit. Genere sine dubio: homo enim illi debebatur per inobedientiam, ille Deum appetiit per superbiam. Sic ergo plus petendi periculum, humanâ specie seductus, & Deum in homine persecutus, incurrit: & dum impiè appetit innocentem, perdidit debitorem. Sed iterum dicis: Quare Deus hominem de potestate diaboli per infirmitatem carnis, & non magis per virtutem diuinitatis, eripuit? Quia humana conditio per transgressionis culpam ob- E noxia tenebatur inimico, nec imperio erat eruenda, sed pretio, necesse erat vt pietati iustitia misceretur. Poterat miser per misericordiam redimi, non poterat reus per potentiam liberari. Innocentibus enim auctoritate, criminosis intercessione & humilitate succurritur: propterea homo si inobedientiæ lapsu, & liberæ mentis assensu, à diabolo seductus fuerat, non coactus, à totius rationis æquitatisque auctore inuitandus erat, non attrahendus. Iniquissimum videtur siquidem, vt qui ceciderat voluntarius, erigeretur inuitus. Vides quia dignantissimi medici

Homo per potentiam non eruendus, quia obnoxius.

studium, infirmi sui requirit adsensum? Per liberum arbitrium est excepta captiuitas, per liberum rursus arbitrium erat restituenda libertas. Dominus enim qui ianuam reserat, etiam solicitudinem pulsantis expectat: pulsantis, inquam: nam vbi labore studuerit reparare quod perdidit, non damnum rei perditæ, sed fructum sentiet restitutæ. Beneficium non potest custodire, qui nescit desiderare: periclitatur munerantis donum, si non inueniat suscipientis affectum: quòd si homo Dei tantùm nutu, & non etiam suo studio liberatur, nunquid offerenda erat gratia ingrato? non suffecerat quòd offerebatur indigno? & ideo circa rationabile animal vt posset iustitia adhibere remedium, priùs obedientia erat receptura consilium. Hoc enim elaborat diuina prouidentia, vt, quia consensus crimen intulit perdito, voluntas meritum conferat acquisito, & deuotio reparati iustitiam reparatoris ostendat.

Homo etiã post peccatum præditus est libero arbitrio.

Ad Dei gratiam necessaria est nostra cooperatio.

Quæ cùm ita sint, si homo de potestate diaboli per Dei potentiam, & (vt sic dictum sit) per violentiam tolleretur, poterat diabolus (qui hominem proprio vitio dedititium possidebat) aliquid rationis adserre, ac Deo dicere, Iuste rerum arbiter, tuus quidem est homo per creaturam, sed meus cœpit esse per culpam: tuus per naturam, meus per inobedientiam: qui maluit audire seductionem meam, quàm legem tuam: tibi debetur iure, mihi crimine: tuus est opere, meus est voluntate: quia potuit præceptum tuum seruare, sed noluit. Ne ergo per potentiam Dei se iniquè opprimi posset diabolus calumniari, astutum callido Deus consilio implicat, & contra superbum humilitate confligit: non ei captiuum præripit, sed pretium, quod sanè captiuo præponderaret, & quod prædonem magis damnaret, appendit: incentorem peccati in formam peccatoris illaqueat, humanæ auidam perditionis inexplebilem bestiam per escam carnis illudit: homo in se prouocat esurientem, & Deus profocat deuorantem. Sic Daniel maximus Prophetarum horrendum draconem, id est, qui spiritum diaboli præferebat, solidioris cibi virtute conficit, faciens de pice & adipe, id est de duabus substantiis, vnam offam: quâ assumptâ, quod putabatur cibus, interitus fuit. In pice, homo intelligitur. Deus adipe demonstratur, qui totius puritatis candor, & pinguedo est bonitatis.

Simile. Dan. 14. v. 26.

Sed dicis, Quid tantopere necesse fuit, vt splendida illa & sincera diuinitas humanæ carnis experiretur iniurias? quare non magis aliquod speciosum lucis corpus assumpsit? Non ita est, non hoc recipiebat ratio redemptionis nostræ. Nunquid lux ista peccauerat, vt materiam lucis expiaturus indueret? Per hanc itaque materiam creaturæ, nec mortis conferre pretium, nec resurrectionis præferre potuisset exemplum: nihil mihi contra hostem meum fiduciæ contulisset, si non in meo corpore triumphasset: cur lucem susciperet, hominem redempturus? Inordinatum medici appareret ingenium, si humeris suis imponeret illæsum, & negligeret vulneratum; illa necesse est sanitatis arbiter membra contrectet, quæ grauibus morbis æstuare perspexerit: in quo corpore timetur ægritudinis causa, in ipso est exercenda medicina. Nunquid aliquid solicitudo proficiet, si cùm alium dolor teneat, alium cura confoueat? si cùm iste crebris anhelæ sitis pulsibus vrgeatur, alius pro eo desideratis aquarum refrigeriis irrigetur? Itaque sicut ad infir-

Cur in carne nostrâ, non alio corpore Christus venit.

mum corpus vel inopiâ confectum nihil omnino beneficij vel fomenti peruenire posse dignoscitur, si pro eo alteri robusto alicui corpori refecto vel curatio ministretur, ita dispensatio Redemptoris nullam nobis contulerit vtilitatem, si non in nostrâ peregerit carne virtutem: & ideo dum in corpore meo vincit, me contra hostem meum pius propugnator erexit.

Non decebat genus humanum per Angelũ reparari.

Sed dicis: Potuisset Deus per aliquem commodiùs Angelorum redemptionis nostræ administrare militiam. Non ita est. Nam inordinatum & indecens erat, vt quod factor condiderat, factura repararet: simul persona vnius Angeli valere non poterat totius mundi salutem. Præterea, vt diximus, inimicus generis homani dum in necem Domini agitur, captiui sui amissione proscribitur. Si ergo pro homine mortem Angelus pertulisset, nec diabolus tantum incurrerat crimini, nec Deus tantum prætulerat charitatis. Cur, inquis, non per Angelum? Quia absoluere creaturam creatura non poterat: quia impossibile erat vt cõseruus seruis tribueret libertatem: impossibile erat vt peccati capax peccata donaret, & Dei famulus Dei munus impleret: prodesse enim præteritis sæculis, præsentibus, pòst futuris, soli vniuersorum sæculorum Domino competebat. Dei, inquam, solius erat, vt mortem persequeretur in tartarum, & ereptum morti hominem portaret in cœlum.

S. CÆSARII EPISCOPI
Arelatensis in eodem Festo.

HOMIL. I.

Habetur in Bibl. SS. Patrum.

Pascha, trãsitus.

HOdierni die sacrosancta solennitas, Hebraïcè phase, Græcè Pascha, Latinè transitus interpretatur. Hoc celebrauerunt Iudæi post longum captiuitatis iugum ex Ægypto recedentes. Ecce etiam nunc populum Dei liberatũ: ecce iterum phase agitur, iterum transitus celebratur. Quomodò iterum transitus celebratur? Idem de seruitute ad libertatem, de iniquitate ad iustitiam, de culpâ ad gratiam, de morte ad vitam, per salutifera fluenta transit. Potes iterum excelsi brachij antiqua Rubri maris exercere miracula. Ingreditur anima vitales vndas, velut rubras Christi sanguine consecratas. Ingreditur mortiferis plena debitis, paulò post felicibus peccatorum ditanda naufragiis. In vno eodémque vndæ salutaris elemento, tanquam Ægyptius peccator perit, tanquam Hebræus iustitia tota permansit. Reus diluitur, reatus aboletur. Mira Domini clementia, quæ irreuocabile scelus, & infectas criminum maculas, ad infectum reuocat, & peccatorem peccato moriente viuificat. Ecce homo fonte demergitur, & sola secreto munere hominis culpa damnatur. Criminosus tingitur, & solum crimen extinguitur. Quo genere Propheticum illud impletur oraculum:

Baptismi vis.

Psal. 105. v. 11.

Et operuit, inquit, *aqua tribulantes eos, & vnus ex eis non remansit. Vnus ex illis*, id est, vnicum ac primum illud originale debitum sacri fontis vnda vacuauit. Illud singulare delictum primi parentis interemit. Ostendit hoc in loco magnificentia tanti muneris beatam præsentiam Trinitatis. Ecce mala innumera antiquis ac recentibus impressa vulneribus, perpetuis gehennæ vix expianda suppliciis, terna submersione purgantur. Vno momento operante velociter Deo, A inter aquarum sinus, flammarum pabula consumuntur. Et ideo beatus Apostolus dicit: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem*. Demerguntur animæ sacro gurgite, veniunt confinia mortis & vitæ. Et quæ perditioni obnoxiæ fuerant, illo primæ natiuitatis exortu, salutifero renascuntur occasu. Exuuntur fœditate inuisibilis senectutis ex peccatorum deformitate contractæ; induuntur pulchritudine cœlestis infantiæ.

Rom. 6. v. 4.

Stupemus interdum ad magnitudinem nouitatis. Si quando audimus aut legimus Dominum Iesum Christum ex solâ fœminâ cessante virilis consortij societate progenitum. Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per B omnem terram multitudines, de solo sinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Christi Ecclesia, quæ ad similitudinem beatæ Mariæ sancto Spiritu operante ditatur, & mater diuinæ prolis efficitur. Cesset ergo infidelium cæcus error asserere, quòd fœmina, quæ sine viro Filium potuit parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos & quantorum fratres sub vnâ nocte nobis edidit fœcunda de sinu integritatis Ecclesia mater & sponsa. Mirabaris paulò antè de incorruptione nascentem hominem: mirare nunc quod non minus nouum est, etiam renascentem.

Mariæ & Ecclesię cõparatio, in Christi, fideliúmque editione in baptismo.

C Conferamus si placet has duas matres, & vtriusque generatio fidem nostram in alterutrâ corroborabit. Mariam secreto impleuit allapsu sancti Spiritus obumbratio, & Ecclesiæ in fonte benedictos sancti Spiritus maritauit infusio. Maria Filium sine peccato genuit, & Ecclesia in his quos generauit peccata consumpsit. Per Mariam natum est quod in principio erat, per Ecclesiam renatum quod in principio perierat. Illa plurimos generauit, hæc populos. Illa vt nouimus virgo permanens semel peperit Filium, hæc semper parit per virginem sponsum. Quod ergo putabas à sæculis singulare miraculum, iam nouus D annuum recognosce. Si resurrecturum esse te dubitas, mirare in te prolem, quem paulò antè noueras mortis hæredem. Vbi sunt qui dicunt esse genesim, vel fatum, per quod in peccatum transire pars hominum violentâ necessitate cogatur? Vbi sunt qui dicunt esse animas, quæ cum damnatione natæ ad mortem cogente malæ naturæ præfinitione rapiantur? Iam primùm si ita est, quare malos & humana lex & diuina condemnat, nisi quia vitium voluntatis in culpâ est? Iustitia enim non punit, quod natura compellit.

Nihil genesis, vel fatum; nec aliquis illo cogitur ad mortem & malum.

Sed esto, Aliquis deputatus fuerit perditioni præiudicatâ sorte nascendi. Ecce descenditur in E fontem tanquam in sepulcbrum. Etiam si maculata fuisset natura, vtique euanuisset in nihilum. Accepisset deterior origo terminum, quia sumebat melior vita principium. Hîc iam videmus quomodò nos Deus noster de manu redimit inimici. Totus homo diluitur, absoluitur, innouatur. Cùm venerit diabolus iam non agnoscit suum, quem exinanita & exposita natura in adoptionem Christi emancipauit, & in gremium Patris de mali persuasoris iure transfudit. Abstulit sine dubio renascentis gratia libertatis; nec iam obnoxij esse possunt primæ origini, secundâ natiuitate nati. Quid mihi nunc quicunque es ille ingeris naturale Adæ vinculum, cùm me in Christo agnoscas renatum? Quid mihi, inquam, peccatum opponis alienum, vbi mihi remitti profi-

Deletur nouâ in baptismo natiuitate, primę natiuitatis malum.

teris

teris & proprium? Quid opponis mihi veteris chirographi debitum, cùm illud videas nouâ cautione vacuatum? Cautionem enim & pactum cum Christo in baptismo fecimus, vt homo illi seruaret innocentiam, & ille homini redderet gloriam: famulus seruitium offerret, & Dominus regnum pararet.

In baptismo cautio mutua, & pactum.

Quid agat inter hæc familiæ peruasor alienæ? Videt seruos quondam suos iniquè à se occupatos per agnitionem Christi ingenuitati traditos, & se causæ præiudicio cecidisse, & se plus petendi incurrisse discrimen. Quomodò plus petendi? Siquidem cùm ei homo per peccati obedientiam deberetur, ille Deum specie hominis deceptus appetiit, & in ipsum cœli dominatorem participales manus inferre præsumpsit. Et subitò per tantum nefas etiam crimen maiestatis incurrit: ac sic hominem, quem violentus tenebat, proscriptus amisit. Proscriptus, inquam. Nam statim in ipso homine, quem redemptio in eius originem reuocauit, titulos suos Christus affixit. Hæc est illa crux, quam in postibus regiis signatam in fronte gestamus: quam iustissimè in possessione receptâ Dominus † Cardinalis & Imperator legitimus impressit, vt nos verè dici domus Diuina possimus. Ad hominem enim per Apostolum suum Deus loquitur, *Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis*: his de causis præpotens & superbus proscribi meruit: quia iam in sæculo reus, vrdictum est, maiestatis apparuit. Nam in excelsis factori suo carus, tunc diuinitatis consortium factotis immemor concupiuit, nunc iam in auctorem rerum cruentas manus consuetudine impietatis extendit. Ac sic prædonis iusta damnatio, gratuita captiui facta est manumissio. Et ideo nunc gemit, inuidet, circuit, si fortè vel furto à nobis possit auferre instrumentum ipsius manumissionis, & adquirat tabulæ libertatis. Totis itaque viribus studet, si quomodò valeat hominem indulto nudare priuilegio, & operante peccato velut ingrato præiudicare liberto. Tabulæ autem nostræ, charissimi, fides nostra est: in paginis cordis inscripta libertas nostra, Dei gratia & conuersatio nostra est. Libertas, inquam, nostra est, cultus religionis, iustitia opens, puritas castitatis. Hanc omni mentis vigilantiâ contra diabolum vindicemus: quia tantò infestior est ad expugnandum animæ thesaurum, quantò magis eum nouit esse pretiosum. Et ideo quia meminit exul cœli quid agatur in cœlo, quanta homini trementi sermonea Dei præparetur renumeratio, zeli indicat magnitudo. Prodit gloriam, dum exercet inuidiam. Et inimicus est beneficiis illius, qui de terrâ assumptum hominem secum regnaturum esse promittit in cœlo, vt fidelium beatitudo mortalium in confusionem rebellium transeat angelorum.

Diaboli in humanum genus ius amissum parricidio in Deum.

Exod. 12.

Crucis signum in fronte gestamus.

** Cardinalis significat proprios, & quasi incardinatos.*

1. Cor. 3. v. 16.

Tabulę manumissionis nostræ cautè seruãdæ.

EIVSDEM DE EODEM.

HOMIL. II.

Habetur ibidem.

Opportuè & congruè sub die insignis solennitatis hodiernæ in vocem exultationis assurgimus, & cum Apostolo dicimus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hodie interfectis Ægyptiis, de luto ac paleis Dei populus: id est, de vilissimis & inanissimis operibus liberatur. Hodie Agnus ille, qui tollit peccata mundi in redemptionem humanæ salu-

2. Cor. 6. v. 2.

Exod. 12. v. 3.

A Paschate.

A tis offertur, quando postes domorum sanguine illius iubentur inscribi: id est, crucis titulo frons nostra depingi, ne locum Angelus exterminator inueniat. Sub hoc tempore excutitur Pharao cum exercitu eius in mari Rubro. Pereuntibus sacro in fonte peccatis, tanquam in Rubras Ægyptij demerguntur vndas. Rubras, id est, Christi sanguine consecratas. Sub hoc tempore pro reditu filij iunioris qui perierat & inuentus est; pro salute Gentilium, saginatus ille vitulus immolatus est. Iunior autem filius nos sumus, qui seniore fratre, id est, Iudæis tardantibus, & intrare nolentibus, ad creatorem nostrum reuertimur sub pœnitudine peccatorum. Euertetamus enim & prodideramus à Deo Pa-
B tre substantiam. Videamus quam substantiam: id est, vniuersæ naturæ bona. Dei enim est substantia, omne quod viuimus, sapimus, cogitamus, intellectus & ratio ad discretionem boni & mali. Dei substantia est, etiam libertas arbitrij quam acceperamus, vel ad declinanda blandimenta peccati, vel ad incitandum libere voluntatis affectum in auctoris obsequium, vel ad custodiendam imaginem & similitudinem Dei. Has ergo datas nobis & intus insertas à creatore diuitias, in priuatos transtulimus vsus, & consumpseramus in exercitia vitiorum derelicto fonte virtutum, peregrè & nimis longè à patre
C profecti, non locis ab eo & regionibus, sed cordibus & operibus discedentes. Qui enim sequitur proprias voluptates, & per passiones suas rapitur, exul à Deo efficitur. Ad quem susceptâ peccatorum agnitione redeuntibus nobis, & quidem redeuntibus non gressu corporis, sed mentis affectu, cum immensâ misericordiâ, cum ineffabili lætitiâ & consolatione obuiam venit: inter festa conuiuij ordinat choros atque symphonias: id est, exultationes cœlestium gaudiorum, quibus Angeli lætantur in cœlis vno peccatore pœnitentiam agente.

Crucis signo frons nostra depingitur.

Lucæ 15. v. 24.

Filius iunior, Gentilis populus.

Dei substãtia à nobis dissipata, quænam.

D Redeuntibus itaque nobis ad emendationem, hoc conuiuium quotidie celebratur. Quotidie pater filium recipit. Semper Christus credentibus immolatur. Hic est ergo ille vitulus saginatus, quem in veteri Testamento docemur offerre. Vitulus ex bobus, id est, ex Patriarcharum, ex Prophetarum, ex Abrahæ generatione descendens, masculus immaculatus. Masculus, id est, contra omne peccatum robustus ac validus. Masculini enim & virilis est animi illecebram repudiasse peccati: Sicut fœmineæ fragilitatis ignauia est, vitij suscepisse lasciuiam. Vnde & ille typum gerens diaboli Pharao, premens populum Dei, inimicus spiritui, amicus carni, for-
E titudines præfocabat, concupiscentias innutrebat. Mortuus est ergo Christus propter iniquitates nostras, & *sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.*

Leuit. 9. v. 2. Num. 19. v. 2.

Exod. 1. v. 10.

Isai. 53. v. 7.

Hic est ille agnus quem in vnâ domo comedere ex lege præcipimur, succinctis lumbis nostris. Comedere autem caput cum pedibus? Quid est in vnâ domo? id est, in vnitate Ecclesiæ iubemur carnes eius assumere. Arriani ergo & diuersæ hæreticorum peruersitates, non in vnâ illum comedunt domo. Quod ideo sicut in diluuio non saluatus est, nisi qui intra arcam Noë fuit inuentus, ita diuersæ fidei homines extra Ecclesiæ domum non habentes Agnum qui Christus est, salui esse non possunt. Quòd verò

Exod. 12.

Agnus vnâ in domo comedendus.

Gen. 7. v. 23.

Vorandum caput cum pedibus.

A huius agni caput cum pedibus comedere nos debere Scriptura commemorat, hoc est, vt Deum & hominem pari confessione veneremur. Caput accipiamus de eo, quod dicit beatus Ioannes, *In principio erat Verbum.* Pedes verò de eo quod Apostolus scribit: *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo.* Et, *Factus ex muliere, factus sub lege.* Oportet ergo vt huius nostri Agni carnibus succinctis lumbis, id est, mortificatis carnalibus passionibus, cum summâ cordis & corporis puritate vescamur. Caput cum pedibus, id est, & ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum.

Ioan. 1. v. 1.
Phil. 2. v. 7.
Gal. 4. v. 4.

B Quod autem dixi & ex Deo genitum, fortè sint aliqui de minus eruditis qui dicant in corde suo: Quomodò Deus Filium genuit? Nihil hîc corporeum cogitemus. Quid est enim Deus Deum genuit, nisi de igne ignis apparuit, lux de luce processit? Ergo propter aliquos qui tardi sunt ad intelligendum, aliquam iam speciem vel comparationem de terrenis ac visibilibus assumamus. Verbi gratiâ, Si lampas accendatur ex lampade, si vna illuminatur ex aliâ, non tibi videtur flamma quodammodò flammam parturiens, splendorem de splendore genuisse? Non tibi videtur inæstimabili ratione natum fuisse lumen ex lumine? Quod cùm de lampade ad lampadem transferatur, licet duæ lampades ardeant, tamen ille ignis ipse est vtique in secundâ, qui splendebat in primâ. C Nunquid de nihilo, aut de aliquo nouo initio factus est ille ignis? Sed magis de naturâ sui splendoris effusus est. Ergo illa illuminatio quæ de primâ lampade videtur accensa, non quasi ex nihilo in secundâ esse cœpit, sed de cognato splendore processit, qui in primi luminis origine iam manebat: & licet in vtraque lampade genuina & duplex micare videatur flamma, vtraque tamen vna substantia est. Ita & vnigenito Dei Filio, si species personæ propria est, generis tamen natura communis est, non de Patre incipiens, sed ex Patre cum Patre subsistens. Omnia de nihilo creata sunt, ille solus de Deo Deus.

Explicatur diuina generatio exemplo rei sensibilis.

D Hic ergo cùm in formâ Dei esset, formam serui pro salute seruorum suscepit, & in ligno crucis cùm vitæ esset lignum, appensus est, quasi seipsum pensaret in pretium perditorum. Alapis cæsus est, spinis coronatus est. Quòd verò coccineâ indutus est chlamyde, indumenta Christi merita Sanctorum sunt. Iam tunc itaque Martyrum sanguine in loco cocci colore perfunditur. Quòd autem Iudæi purpureâ chlamyde indutum flexo adorant genu, vellent, nollent, Regem illum & Dominum confitentur. Quòd autem in cruce dixit, Sitio, fidem in suis requirebat: E sed quia in propria venit, & sui eum recipere noluerunt, pro suauitate fidei fel ei perfidiæ propinauerunt. Porrigitur acetum malitiæ, quia vinum sapientiæ quod à Christo acceperant, peccando perdiderant. Potatur acerbitate malorum nostrorum, daturus dulcedinem bonorum suorum. Sed & nunc quotidie quando peccatis contristatur, exacerbatur, aceti quodammodò illi potus, & cibus fellis ingeritur. Velum templi scinditur. Velum ornamentum tabernaculi est. Coruscante igitur gratiâ, Ecclesia ædificatur, Synagoga destruitur. Veli templum honore nudatur, remoto per aduentum Christi

Indumenta Christi merita Sanctorum sunt.
Ioan. 19. v. 28.
Ioan. 1. v. 11.
Matth. 27. v. 51.

velamine literæ, vt cum Paulo reuelatâ facie legis interiora pandantur. Resurgunt laxatâ sede tartareâ cum Christo Sancti, & quem superi non recipiunt, inferi Deum esse cognoscunt. Vnde nos agnoscentes erga nos diuinorum beneficiorum alta mysteria, respondeamus in quo possumus misericordiæ Redemptoris. Demus illi compunctionem de peccatorum emendatione pro spinis suis. Offeramus illi cor suo timore confixum pro clauis suis. Reddamus illi palmam perseuerantiæ pro alapis suis.

2. Cor. 3. v. 18.

SANCTI PETRI CHRYSOLOGI Episcopi Rauen. de Paschali solennitate.

SERMO I.

Sem. 73.

Hodierna festiuitas, fratres charissimi, nobis vetera non connectit, nec carnes agni seruat in crastinum: sed dum præterita præsentibus solenni deuotione participat, & Pascha nostrum, Paschâ redeunte, coniungit, nouæ regenerationis ablactat infantiam: quia iuxta Apostolum, *Vetera transierunt: & ecce facta sunt omnia noua.* Annus Domini perficitur temporibus, non senescit, qui tandiu suo recurrit in circulo, quandiu nos ad diem retributionis adducat. Paschalis hodierna solennitas à lacte, quos antè genuit, C nunc repellit, vt solidioris cibi pastu, perfectum Christi roborentur in virum. Fecisse Abraham epulum magnum, totiúsque domus suæ lætitiam suscitasse ablactato Isaac, historiâ diuinâ referente cognouimus. Et si senectutis soboles, si sterilis vnicus, choris tripudiantibus, citharâ & tympano, & toto psalterij resonante concentu, vniuersæ familiæ corda traxit, & commouit in gaudium, quantò magis nos hymnis spiritualibus conuenit exultare, vel canticis, quando virginei germinis ablactatur vniuersa fœcunditas? Anna quoque Saræ consterilis, quæ lacrymis orationum suarum tandiu madefecit ariditatem sui corporis & naturæ, quandiu fuerat longo vitæ tempore negata posteritas, D Samuëlem diuino munere susceptum, ablactatum mox diuinum refundit in munus, & lætitiam suam sacrificiorum victimis ad plenitudinem liberationis accumulat: multò magis nos oportet laudis immolare sacrificium, vota soluere, suauitatis incensum adolere, & totâ holocaustorum pinguedine Deo Patri victimas immolare, quando virgo mater enutrita & ablectata tot numero pignora, quot stellas cœli, Patri toto orbe repræsentat, vt impleatur illud Propheticum: *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.*

2. Cor. 5. v. 17.
Gen. 21. v. 8. Conuiuium Isaac ablactatio.
1. Reg. 1. v. 24. Samuel ablactatus Deo lætè oblatus.
Psal. 64. v. 12.

E Nemo ergo otiosum credat istud festiuitatis nostræ salutare mysterium, nec existimet pannum nouum veteri nos assuere vestimento, vbi nihil Iudaicæ vetustatis nouitati coniungimus Christianæ: scientes, Apostolo dicente, nouam totam in Christo nobis emersisse creaturam: sed agnitionem diuinam supernæ virtutis euehimus ad profectum, vt dum simul nuper nati quid facere debeant, imbuuntur, & antè geniti quantam Deo gratiam de perfectione suâ debeant, instruuntur, appendantur collo ij, qui modò nati sunt: & pietate totâ sub Ecclesiæ matris vberibus occupentur, trahant teneris faucibus innocentiæ

2. Cor. 5. v. 17.
Veteres & noui Christiani pariter imbuendi.

pastum, in opere sancto brachia meditentur extendere, nitantur in cursu fidei tremula firmare vestigia. Nunquid sic relinquendi sunt iam nutriti, vt non patris curâ, patris manu, patris regantur arbitrio? & ita matris consilio, matris fide muniantur, vt non humanâ solùm, sed etiam diuinâ prudentiâ percipiant & præripiant salutaria? Sic Iacob suo nimis timidus, matris consilio

Gen. 27. v. 5. satis ausus, patris vt præriperet benedictionem, plus mysticus quàm dolosus incessit: nam primogenitum se mentitus non est, quia ille primus est, quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis: ille nos hircorum pellibus figurabat, qui vt moriamur peccato hortatu matris Ecclesiæ mortificati corporis induimur vestimento, & odore agri continuis confessionum fructibus, & vbertate redolemus, donec cæcitati Israëliticæ salutariter illudentes, paternam benedictionem toto fidei præripiamus arcano, dicente Apostolo: Rom. 11. v. 25. *Cæcitas in parte in Israël facta est, donec plenitudo Gentium introiret.*

EIVSDEM IN SVPERIVS *Euang. de Christi resurrectione.*

SERMO II.

Ex Ser. 82. QVoniam Matthæus sanctus iam nobis quæ de resurrectione Domini cognouerat, salutariter indicauit: hodie quid etiam beatus referat Marcus, audiamus. Marc. 15. v. 1. *Et cùm transisset*, inquit, *sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Mulieres hoc loco fœmineâ deuotione discurrunt, quæ non vt viuenti fidem, sed vt mortuo vnguenta deferunt ad sepulchrum, & sepulto parant mœroris obsequia, non resurgenti diuinorum gaudia triumphorum. Mortem Christus, vt mors moreretur, accepit: Christus dum occiditur, illud quod omnes occidebat, occidit: sepulcbrum Christus infernum patefacturus intrauit. Solutâ ergo lege tartari, & inferni carcere destructo, & ipso mortis imperio perempto, iam Christus non est vngendus vt mortuus, sed adorandus vt victor. Mulieres pernoctant, vigilant, insomnes agunt, obscura penetrant erumpentis auroræ: vnde etiam lucem dubiam non minus cordis videntur sustinere, quàm corporis.

V. 2. *Et valde manè*, inquit, *vnâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole.* Si valde manè, quomodò orto iam sole? Sic nescit Euangelista quid dicat? Euangelista quid dicat scit, sed quid audiat, qui non didicerit, nescit: non est erroris ista relatio: Veritatis est: nec lapsum patitur sermonis humani, sed rei gestæ cœlitùs aperit veritatem. Dixerat: Matth. 27. v. 45. *Ab hora sextâ vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt*: ergo sol qui præter horam vt Domino compateretur, abscesserat, claritate cùm resurgeret Dominus ante tempus occurrit: & qui vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret auctori suo, cunctis tenebris, antelucanus erupit. *Valde manè.* Quia tunc sol vt manè faceret, maturauit: & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem præuenit fugaturus, vt reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ passionis inuaserat.

Nullâ hoc nititur veritate, aut probali auctoritate.

V. 3. *Dicebant*, inquit, *adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Ab ostio

A Paschate.

A monumenti, an cordis? à sepulchro, an ab oculis? Mulieres, obseratum est pectus, oculi sunt clausi: & ideo patefacti sepulchri gloriam non videtis. Oleum non corpori Dominico, sed lucernæ cordis vestri, si videre desideratis, infundite, vt luce fidei pateat, quod clauditur incredulitatis obscuro.

Et respicientes, inquit, *viderunt lapidem reuolutum: erat quippe magnus valde.* V. 4. Planè magnus, & magnus valde, & plus iam magnus merito, quàm formâ, qui creatoris mundi corpus & claudere, & operire sufficit.

Et introeuntes monumentum, viderunt, &c. V. 5. B Introierunt sepulchrum, vt consepultæ Christo, Christo consurgerent de sepulchro, & impleretur illud Apostoli: *Consepulti estis ei in baptismo, in quo & resurrexistis.* Col. 2. v. 12. Vident iuuenem, vt cernerent nostræ resurrectionis ætatem: vident iuuenem, quia nescit resurrectio senectutem, neque ætates recipit æterna perfectio. Homo vbi nescit nasci, mori nescit: & vbi nasci morique nescit, ibi ætatum nec admittit detrimentum, nec indiget incrementis. Vident iuuenem sedentem à dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum. *Vias*, inquit, *quæ à dextris sunt, nouit Dominus.* Pro. 4. v. 27. Et, *Tunc statuet iustos ad dexteram suam.* Matth. 25. v. 33. Orate, fratres, vt & nos moriamur vitiis, sepeliamur temporalibus pompis, vt æter-C nitati resurgamus in Christo, & à dextris positi mereamur audire: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Coopertum stolâ candidâ. Stola ista non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali: splendens cœlesti lumine, non colore terreno: & clara creatoris munere, non arte fullonis, dicente Prophetâ: *Amictus lumen sicut vestimentum:* Psal. 103. v. 2. & de iustis: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol.* Matth. 13. v. 43. Terreni terreois velati sunt vestimentis: & ideò sicut nouitate splendent, ita vetustate sordescunt: cœlestes verò amictu cœlestis luminis ambiuntur: & à terreno squalore suspensi, nec fœdantur vetustate vnquam, nec vllis sordibus obscu-D rantur, sed vestes quas semel dederit resurrectio, perpetuo lumine vestiuntur.

At illæ exeuntes de monumento, fugerunt, &c. V. 8. Angelus sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres: quia ille de cœlesti substantiâ confidit, turbantur istæ de conditione terrenâ. Sepulchrum, qui mori non potest, timere nescit: mulieres autem & de facto tremunt, & sepulchrum sicut mortales adhuc mortaliter expauescunt: hinc est, quòd nemini quicquam dicunt. *Et nemini quicquam dixerunt*: quia mulieribus audire, non loqui datum est; discere datum est, non docere, dicente Apostolo: *Mulieres in Ecclesiâ taceant.* 1. Cor. 14. v. 34. E Denique eadem Maria postea & vadit, & nuntiat; sed iam non fœminam, sed Ecclesiam gestans: vt ibi sicut fœmina taceat, hic vt Ecclesia enuntiet & loquatur.

EIVSDEM DE RESVR- *rectione Christi.*

SERMO III.

QVoniam Matthæi & Marci super Dominicam resurrectionẽ iam cucurrimus lectio- Est Ser. 79.

nes, modò quid hinc intonuerit Lucas beatissimus, exquiramus. *Vnâ*, inquit, *Sabbati valde diluculò venerunt ad monumentum mulieres, portantes quæ parauerant aromata.* Sæpe diximus, quæ circa resurrectionem Christi gesta sunt, gesta esse nostræ resurrectionis in formam. Hinc est, quòd Euangelistæ sermone plus mystico, quàm nouo factorum Christi seriem proloquuntur. *Vnâ*, inquit, *Sabbati.* Benè vnâ, quia resurrectionis dies alteram nescit: lucis æternæ mater, noctis tempus ignorat: perpetuus dies, perpetuò illucescit: resurgentium lux, mori non potest: lux, quæ noctem delet, nescit extingui. A

Lucæ 24. v. 1.

Venerunt ad monumentum portantes, quæ parauerant, aromata: & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento: & intrantes non inuenerunt Corpus Domini Iesu. Quid est, quòd, quæ antè de monumento fugerant, nunc audaces redeunt in sepulchrum: intrepidæ, pauidæ reuertuntur ad funus, sepulchri tristitiam confidenter inuadunt; & non inuenientes Dominum, constanter quærunt, constanter immorantur, nec illud pauescunt, quòd monumento nox addita, dum tenebras generat, addit timorem? Fratres, mulier mali causa, peccati auctor, via mortis, sepulchri titulus, inferni ianua, lamenti necessitas tota: Ob hoc nascuntur lacrymæ, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur; & in lamentis tantùm fortes sunt, quantùm viribus inueniuntur infirmæ; & quantùm imparatæ sunt ad labores, tantùm ad lacrymas sunt paratæ: hinc est, quæ lacrymis regna vincunt, regna fletibus inclinant; lamentis totam virorum fortitudinem frangunt. Non est ergo mirum si ad lacrymas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium Dominici corporis fœminæ ardentiores Apostolis hîc videntur, vbi mulier prima currit ad lacrymas, quæ prima cucurrit ad lapsum: præcedit ad sepulchrum, quæ processit ad mortem: fit resurrectionis nuntia, quæ fuit mortis interpres; & quæ viro porrexerat interitus tanti nuntium, viris ipsis porrigit magnæ salutis auditum: vt compenset fidei nuntio, quod perfidiæ ademit auditu. B C D

Mulierum ad sepulchrum fiducia.

Lacrymarum vi omnibus fortiores.

Non est hîc præposterus ordo, sed mysticus: nec postponuntur Apostoli fœminis, sed ad maiora seruantur. Fœminæ obsequium Christi suscipiunt, Apostoli Christi suscipiunt passiones: illæ portant aromata, isti flagella: illæ intrant sepulchrum, isti carceres: illæ ad obsequium festinant, isti peruolant ad catenas: infundunt illæ oleum, isti sanguinē fundunt: mortē stupent illæ, suscipiunt hi mortes. Et quid multa: resident illæ domi, ad acies isti tendunt, vt deuoti milites probēt aduersis fidem, virtutem laboribus, iniurijs patientiam, periculis mortem, vulneribus tolerantiam, deuotionem pœnis, viscerum laceratione constantiam. Mulieres ergo ferunt pro Christo lacrymas; Apostoli diabolo superato, & victis hostibus, Christo & victoriam referunt, & triumphum. E

Apostolorum, quàm mulierum maior præstantia.

Verùm quòd Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credisse, aut deliramentum iudicasse referuntur, grauiter nemo arguat. Altè dubitat, qui altiùs credit. Decipi non potest, qui non est facilis auditui. Ignauus nimis est, qui post exemplum inuenitur incautus. Rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat: peritia est, non segnities, cùm sensim miles veteranus incedit. Sic Adam nouus citò cecidit, dum citò credidit: & dum facilè dat aures ad mulieris auditum, se, suosque posteros pessimo addixit inimico: at veteranus Petrus non facilè audit; fœminis nuntiantibus credit tardè: & vt veteranus deliberat, ne vt puer incurrat. Denique vbi duo ex discipulis, qui post resurrectionem Christum meruerunt itineris habere collegam, reuersi nuntiabant Dominum se vidisse, Apostoli, quod audiunt, non delirum iudicant, sed virile: dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt; & quæ dicuntur sic commendant sensibus, vt post cunctationis æstus sitienter bibant auditum fidei de flumine, quod collegarum lingua fundebat. Sicut ardorem sitis frigida pocula restingunt & refrigerant; ita mentis auditus lætior fit, post mœrorem. A B

Non satis hæc consonant cum Serm. 76. vt fortè non idem eorū auctor sit auditor.

Apostolorum cauta prudentia, ne sint facile mulieribus creduli.

Gen. 3.

Fratres, quis causas capere Dominicæ natiuitatis potest? Dominicæ resurrectionis negotium existimare quis meretur? Ista cogitare, capere, æstimare, sapere, nisi qui ab ipso Deo acceperit, non valebit; quòd Creator rerum fœmineo creatur partu, quòd mundi Dominus in seruitute videtur humanâ, quòd Pastor omnium pastu indiget; reis quòd addicitur, qui absoluit vniuersos: quòd punitur vita sæculi; quòd mortuorum moritur suscitator; quòd claudens omnia sepulchro clauditur; quòd supernorum Dominus apud inferos inuenitur: qui ergo ista capere potest, Apostolorum cunctationes, trepidationes, timores, fugas, latebras profundè iudicans non miratur.

Fides ardua

Ergo, Fratres, quòd Apostoli dubitant, quòd ista tam tardè tardâ credulitate suscipiunt, non miremur nos, qui huc vsque non credimus: sed oremus, vt de his tantùm sentire mereamur, quantùm dederit ille, qui diuina hominem sentire largitur. Quod remansit de serie lectionis Deo iuuante proximo sermone perscrutabimur. C

DE CHRISTI RESVRRECTIONE, & secundâ manifestationis factâ mulieribus à monumento regredientibus.

SERMO IV.

Sermone proximo, quia primam partem perstrinximus lectionis, hodie, quæ sunt in sequentibus, audiamus. *Respondens*, inquit, *Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos, &c.* Putasne Petri, Ioannis, discipulorum omnium absentia obiurgatur, castigatur ignauia, quòd resurgenti Christo mulieres primæ solæ peruigiles ardenter occurrant; ipsa etiam vitiis portio sic notatur, vt ad resurrectionis gloriam mulieris præcurrat infirmitas? Absit, fratres; est istud causa, non casus; mysterium, non euentus; ordo, non culpa. Nam mulier hîc virum sequitur, non præcedit, vbi vir resurgit in Christo. Sentias ergo Petrum non mulieribus cessisse, sed Christo; non ancillæ, sed Domino; sacramento, non somno; ordini, non timori. Denique iam vir erat in Christo, quando ad mulierem Angelus venit, vt quantùm præcellit Dominus Angelum, tantùm vir mulierem præcederet in honore. *Nolite timere vos.* Quia bonos amor possidet, malos pauor; & impios timor terret, pios solatur affectio. *Nolite timere vos.* Hoc est dicere, Timeat Iudæus, qui tradidit; Pilatus, qui addixit; qui illusit, miles; quæ crucifixit, impietas; crudelitas, amara pocula quæ propinauit; sæuitia, quæ obsedit sepultum; perfidia, quæ emit mendacium; fidem quæ vendidit, inhumanitas; quæ Dominum suum resurrexisse dolet, non dolet occidisse. Vos autem gaudere conuenit, non timere; quia resurrexit, D E

Est Ser. 80.

Matth. 28. v. 5.

quem quærebatis mortuum; viuit, quem lugebaris occisum. A

Scio enim, quia Iesum, qui crucifixus est, quæ- Luc 24. v. 5. *ritis.* Hoc est, *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Vitam quid quæritis in sepolchro? Ite potiùs ad occursum viuentis, & iam nolite con- Matth. 28. v. 16. currere ad morientis obsequium. *Scio quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc.* Sic dixit Angelus, qui aperuit ob hoc sepulchrum, non vt inde exiret Christus, qui ibi iam non erat; sed vt ibi Christum iam non esse monstraret. *Surrexit, sicut dixit.* Gemina virtus est, & redire à mortuis, & futura prædicere.

Venite, videte locum vbi positus erat Dominus. Venite mulieres, venite, videte vbi Adam po- B suistis vos, vbi sepelistis hominem, vbi virum vestro consilio contrusistis; pro quo fecistis pro seruis ibi Dominum sic iacere, & intelligite erga vos tantam magnitudinem veniæ, quanta fuit Domino iniuriæ magnitudo. *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.* Virtus Angelica esse Dominum qui Crucifixus est, confitetur; & infirmitas humana discutit, vtrum sit Dominus, qui resurgit. Christus sic humanas suscepit passiones, vt totum, quod diuinitatis est, non amittat.

V. 7. *Et euntes citò, dicite discipulis eius, quia surrexit, &c.* Neque hîc mulieribus Apostoli postponuntur; sed mulier absoluitur à reatu, dum C portat vitæ, dum portat resurrectionis auditum, V. 8. quæ auditum mortis portauerat, & ruinæ. *Et exeuntes*, inquit, *citò de monumento cum timore gaudio magno.* Mulieres intrant sepulchrum, vt fierent sepulturæ participes, sociæ passionis: exeunt de sepulchro, vt antè fide surgerent, quàm resurgerent carne. *Exeuntes cum timore, & gaudio magno.* Et vbi est, *Nolite timere?* Quia Timor culpæ, & reuerentiæ. timor non ablatus est, sed mutatus: timor abscesserat de reatu, sed de seruitio permanebat. Malus timor culpæ, bonus reuerentiæ timor. Adam datum perdiderat; ne perderent ipsum redditum, pertimescebant. *Cum timore, & gaudio magno.* Psal. 2. v. 11. Scriptum est, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Cum timore, & gaudio* Psal. 18. v. 10 *magno.* Quia *timor Domini sanctus permanet* D *in sæculum sæculi.* In sanctitate ergo manet, qui Dei permanet in timore.

Currebant nuntiare discipulis eius: & ecce occurrit eis Iesus, dicens, Auete. Fideliter currentibus occurrit Christus, vt quod fide crediderant, agnoscerent visu; & firmaret præsentia, quas adhuc trepidus habebat auditus. *Occurrit eis Iesus, dicens, Auete.* Occurrit vt Dominus, salutat vt parens, affectu animat, seruat timore; salutat, vt per amorem seruiant, non fugiant per timorem.

V. 9. *Atillæ accesserunt, & tenuerunt pedes ei.* Haberi se volunt, qui passus est se teneri. *Accesse-* E *runt, & tenuerunt pedes eius.* Vt scirent in capite Christi virum esse, se esse in pedibus Christi; & datum sibi virum sequi, non præire, per Christum.

V. 10. Dicit eis, *Nolite timere.* Quod dixerat Angelus, dicet & Dominus; vt quas firmauerat Angelus, Christus redderet firmiores. *Sed ite, dicite fratribus meis vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.* Resurgens à mortuis Christus resumpsit hominem, non reliquit. Vocat ergo fratres, quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres, quos Patris sui adoptauit in filios: vocat fratres, quos benignus hæres sibi præstituit cohæredes.

A Paschate.

S. FVLGENTII EPISCOPI, *de Dominicâ Resurrectione,*

SERMO.

QVàm pulchrum apparet littus, dum repletur mercibus, & trepidat mercatoribus. Eaponuntur de nauibus sarcinæ vestium diuersarum, lætantur innumeri cantātum in iucunditate nautarum, & diues sinus tripudiat arenarum. Quid est illud? & quàm delectat attendere littus Dominicæ resurrectionis, & portum Domini resurgētis micare mercibus pretiosis. Qui sunt baiuli? Angeli & Archangeli, qui sarcinas animorum de B inferni vinculis solutarum deducunt lætitiæ palmis ad portū, & gerulis ceruicibus ad littus producunt terræ viuorū. Sic Domino resurgente ripa fulgebat, quando naufragium gehenna lugebat. In illa carinâ corporis Christi ab inferis redeuntis, imponuntur merces piraticâ nuper vsurpatione sublatæ, omnium gementium animæ apud inferos captiuorum, quando soluti sunt gemitus inferorum. Lætantur in ripâ Apostoli: lætetur & illa Maria portans de pigmentis aromata necessaria, & reportans de sepulchro gaudia pretiosa, & mortuorum viua de littore mercimonia. Angeli C erant baiuli, & delectabilis latura: qui Dominum ad gehennam descendentem potentissimè deducebant, & redeuntem lætissimè præcedebant. Vnus super lapidem monumenti, vt merces proponeret mortis & vitæ, quas proponeret mulie- Math. 28. v. 8. ribus, & ventilaret pastoribus, dum in auorâ paradisi matutinâ fulget ipse Dominus Christus. Alij Angeli vnus ad caput, alter ad pedes illius noui præsident monumenti, vt merces linteami- Ioan. 20. v. 12. num Christi non venderent, sed offerrent. Dicunt ementibus mulieribus pro pretio lacrymarum. *Quid*, inquit, *ploratis? Iesum quæritis? Non est hic; surrexit à mortuis, sicut dixerat vobis.* Ascendit negotiator ab inferis cum sarcinis pietatis. Math. 28. v. 5. Non creditis de negotiatore surgente? videte mercem in sepulchro fulgentem. Ecce linteamina D sepulturæ, quæ me delectat sine pretio possidere. Ecce sudarium capitis: ecce sarcinam mercatoris. Ite, nuntiate discipulis, vt patescat sarcina pietatis negotiatoribus vniuersis. Linteo resurrexit, qui Lazari linteo sepulturæ catenas abrupit. Fecit sepulturam de linteo peccatorum, vt vitam redderet Angelorum. Factus est in ripâ hortus amœnus, quia cessauerunt tumidi fluctus. Cœperunt prata florere, & cessauit vnda latrare. Siluit strepitus in inferno, & agnoscitur Christus in horto.

Et dicit Maria, Domine, si tu eum sustulisti, Ioan. 20. v. 15. *dic mihi vbi posuisti Dominum meum.* Spoliator E inferni æstimatur fur corporis sui: vt ipse inuolaret membra sua, qui suscitauit membra sepulta, & aperuit sine numero monumenta. Sed negotiator iste diues fuit de mercibus resurgentium mortuorum. Nisi dederit vnus dulce responsum, nemo potest eius retractare commercium, vel possidere negotium, aut comparare mysterium, aut obtinere gaudium, cùm soluit naufragium, & redit ad portum. Respondeat libenter, & dicat Mariæ, *Maria.* Loquitur piè negotiator. Nemo merces resurrectionis gratis emere dubitat fortasse mercator. Dicamus ei cum Mariâ, *Rabboni (quod interpretatur Domine)* vbi est merces tua? Quousque extenduntur negotia tua?

Est 38. inter nduos: vix tamen illius existimem.

Forte, *tripudiat.*

Immò, *Magister.*

> Matth. 28 v. 19.

Quanti parantur ptetia tua? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cœlo, & in terra* Emamus ab eo in terrâ gratis pacem, vt possideamus in cœlo lætitiam salutarem. Domioum credimus resurgentem, & aspicimus asceodentem, & salutamus io iudicio venientem, non vt merces proponat, sed vt spectet: oon vt vendat, sed vt exigat. Patemus illi mercimonia nostra. Quæ? non aurom, non atgeotum, non gemmarum fila lucentia; sed fidem, spem, & charitatem; Natiuitatem, Passionem, Resurrectiooem, & Ascensiooem. Ista suut mercimonia nostra. Nunquid ipse inanis venturus est in nube? *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum eo*; sicut dicitur, *Dicite Filia Sion; Ecce Saluator tuus adueniet,* B *habens mercedem suam, & opus eius ante faciem eius*, Cui non est dominatus infernus, & corpus eius asceodit in nubibus, vt de mortuis & viuis vnus resonet cantus: quia *hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & iucundemur in eo*. Ecce enim mortui tripudiaot ab inferno, & Angeli lætantur in cœlo, vt & nos io isto templo gaudeamus.

> Isai. 40. v. 10.
> Isai. 62. v. 11.
> Psal. 117. v. 24.

SANCTI GREGORII PAPÆ
in eadem Euang.

HOMIL.

> Est hom. 21. in E angel. Ep. s oporti tractatus quandoque alijs legendi traditi.

MVltis vobis lectionibos, frattes charissimi, C per dictatum loqui consueui: sed quia lassescéte stomacho, ea quæ dictauetam, legere ipse non possum, quosdam vestrum minus libenter audientes intueor. Vnde nunc à memetipso exigere cootra morem volo, vt inter sacta Missarum solennia, lectionem sancti Euangelij non dictando, sed colloquendo edisseram. Sicque excipiatur vt loquimur: quia collocutionis vox corda torpentia plus quàm sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu solicitudinis vt euigilent, polsat. Et quidem ad boc opus me sufficere posse non video: sed tamen vires, quas imperitia denegat, charitas ministrat. Scio namque qui dixit: *Aperi os tuum, & ego implebo illud*. Bonum ergo D opus nobis in voluntate sit: nam ex diuino adiutorio erit in perfectione. Dat loquendi ausum etiam resurrectionis Dominicæ tanta solennitas: quia & indignum valdè est, vt hodie laudes debitas taceat lingua carois, quo videlicet die caro resurrexit auctoris.

> Psal. 80. v. 11.

> Mulieres venientes ad monumentum cũ aromatibus

Audistis, fratres charissimi, qoòd sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum veoeruot: & ei quem viueotem dilexerant etiam mortuo studio humanitatis obseqoontur. Sed res gesta, aliquid in sanctâ Ecclesiâ signat gerendum. Sic quippe necesse est, vt audiamus, quæ facta sunt, quatenus E cogitemus etiam, quæ nobis sint ex eorum imitatione facienda Et nos igitur in eum, qui est mortuus, credentes, si odore virtutum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumeotum profectò illius cum aromatibus venimus. Illæ aotem mulieres Angelos videot, quæ cum aromatibus veneruot: quia videlicet illæ mentes supernos ciues aspiciuot, quæ cum virtutum odoribus ad Deum per sancta desideria proficiscuntur.

> Angelus à dextris.

Notandum verò oobis est, quidnam sit qoòd in dextris sedere Angelus cernitur. Quid namque per sinistram, nisi vita præsens. quid verò per A dexteram, nisi perpetua vita designatur? Vnde scriptum est: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Quia igitur Redemptor oostet iam præsentis vitæ corruptionem transierat, rectè Angelus, qui nuntiare perennem eius vitam veoerat, in dexterâ sedebat. Qui stolâ candidâ coopertus apparuit quia festiuitatis nostræ gaudia nuntiauit Candor enim vestis, splendorem nostræ deountiat solennitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed vt fateamur veriùs, & suæ dicamus, & nostræ. Illa quippe Redemptoris oostri resurrectio, & nostra festiuitas fuit, quia oos ad immortalitatem reduxit: & Angelorum festiuitas exotit, quia nos reuocando ad cœlestia, eorum numerum impleuit. In suâ ergo, ac nostrâ festiuitate Angelus albis vestitus apparuit, quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, cœlestis patriæ damna reparantur.

> Cant. 2. v. 6.
> In stolâ cãdidâ.

Sed quid aduenientes fœminas affatur audiamus: *Nolite expauescere*. Ac si apertè dicat: Paueant illi, qui non amant aduentom supernorum ciuium: pertimescant, qui carnalibus desiderijs pressi, ad eorum se societatem posse pertingere desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros conciues videris? Vnde & Matthæus Angelum apparuisse describens, ait: *Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix*. In fulgure enim terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris. Quia verò omoipotens Deus & terribilis est peccatoribus, & blandus iustis, rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgore vultus, & in candore habitus demoostratus: vt de ipsâ suâ specie & terreret reprobos, & mulceret pios. Vnde rectè quoque populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, io nube autem visionis lene blandimentum. Dies verò vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris. Vnde & conuersis peccatoribus Paulus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. In die ergo per oubem coluoina monstrata est, & in nocte per ignem: D quia omnipotens Deus & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudioem demulcet: illos verò per iustitiæ districtionem terret.

> Marc. 16. v. 6.
> Angelus fulgore terret, niueo condore mulcet.
> Matth. 28. v. 3.
> Exod. 13. v. 21.
> Columna ignis, & nubis.
> Eph. 5. v. 8.

Sed iam quid Angelus subiungat, audiamus: *Iesum quæritis Nazarenum*. Iesus, Latino eloquio salutaris, id est, saluator interpretatur. At verò multi tunc Iesus dici poterant, non tamen suostantialiter, sed nuncupatiuè. Ideò & locus subiungitur, vt de quo Iesu dictum sit, manifestetur: *Nazarenum*. Et causam protinus subdidit, *Crucifixum*. Atque addidit; *Surrexit, non est hic*. Noo est hic dicitur, per præsentiam E carnis, qui tameo nusquam deerat per præsentiam maiestatis.

Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Quærendum nobis est, cur oominatis discipulis, Petrus designatur ex nomine. Sed si huoc Angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negauerat, venire ioter discipulos non auderet. Vocatur ergo in nomine, oe desperaret ex negatione. Quâ in re considerandom nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cuoctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ actum esse pietatis

> V. 7.
> Petrus cur nominatus.
> Cur negare permissus.

dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in suâ culpâ disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Priùs itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, vt ex suâ infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret. Benè autem de Redemptore nostro dicitur: *Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Galilæa namque, transmigratio facta interpretatur. Iam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœnâ ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigrauerat. Et priùs post resurrectionem in Galilæâ benè à discipulis videtur: quia resurrectionis eius gloriam pòst læti videbimus, si modò à vitijs ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nuntiatur, in transmigratione ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur.

Hæc, fratres charissimi, pro tantâ diei solennitate, de lectionis Euangelicæ expositione transcurrimus: sed libet, vt de hac eadem solennitate aliquid subtiliùs loquamur. Duæ etenim vitæ erant, quarum vnam nouimus, alteram nesciebamus. Vna quippe mortalis est, altera immortalis: vna corruptionis, alia incorruptionis: vna mortis, alia resurrectionis. Sed venit mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: suscepit vnam, & ostendit alteram. Vnam pertulit moriendo, & ostendit alteram resurgendo. Si igitur nobis mortalem vitam scientibus, resurrectionem promitteret carnis, & tamen hanc visibiliter non exhiberet, quis eius promissionibus crederet? Factus itaque homo, apparuit in carne, mori dignatus est ex voluntate, resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo, quod nobis promisit in præmio.

Vita mortalis, & immortalis; alteram suscepit Christus, alteram ostendit.

Sed fortasse aliquis dicat: Iurè ille surrexit, qui cùm Deus esset, teneri à morte non potuit. Ad instruendam ergo ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram, suæ tantùm resurrectionis exemplùm nobis sufficere noluit. Solus illo in tempore mortuus est, & tamen solus minimè surrexit, nam scriptum est: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Ablata ergo sunt omnia argumenta perfidiæ. Ne quis enim dicat; Sperare de se non debet homo, quod in carne suâ exhibuit homo Deus: ecce cum Deo homine resurrexisse cognoscimus, & quos puros fuisse homines non dubitamus. Si igitur membra nostri Redemptoris sumus, præsumamus in nobis, quod gestum constat in capite. Si multùm nos abijcimus, sperare in nobis debemus nos membra vltima, quod de membris eius superioribus audiuimus.

Suscitati alij cum Iesu, argumento nostræ resurrectionis. *Matt. 27. v. 52.*

Ecce verò ad memoriam redit, quod crucifixo Dei Filio, Iudæi insultantes dicebant: *Si rex Israël est, descendat de cruce, & credimus ei.* Qui si tunc de cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret. Sed expectauit paululum, tolerauit probra, irrisiones sustinuit, seruauit patientiam, distulit admirationem: & qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur fuit de sepulchro surgere, quàm de cruce descendere: plus fuit mortem resurgendo destruere, quàm vitam descendendo seruare. Sed cùm Iudæi hunc ad insultationes suas de cruce descendere minimè cernerent, cùm morientem viderent, eum se vicisse crediderunt, nomen illius se quasi extinxisse gauisi sunt. Sed ecce, clarificatum de morte nomen eius per mundum creuit, ex quâ hoc infidelis turba extinxisse se credidit: & quem gaudebat occisum, dolet mortuum: quia hunc ad suam gloriam cognoscit peruenisse per pœnam.

Ibid. v. 42.

Quod benè in libro Iudicum Samsonis illius facta significant: qui cùm Gazam ciuitatem Philistinorum fuisset ingressus, Philistæi ingressum eius protinùs cognoscentes, ciuitatem repentè obsidionibus circundederunt, custodes deputauerunt, & Samsonem fortissimum se iam comprehendisse gauisi sunt. Sed quid Samson fecit agnouimus. Mediâ nocte portas ciuitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem, fratres charissimi, hoc in facto, quem nisi Redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza ciuitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Iudæorum perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum Dominum viderent, eiúsque corpus in sepulchro iam positum, custodes illicò deputauerunt, & eum qui auctor vitæ claruerat, inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gazâ se deprehendisse sunt lætati. Samson verò mediâ nocte non solùm exijt, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solùm liber de inferno exijt, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit: portas tulit, & montis verticem subijt: quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cœlorum regna penetrauit.

Iud. 16. v. 1. Samson Gazæ portas auferẽs Domini figura.

Matth. 27. v. 63.

Hanc ergo resurrectionis eius gloriam, fratres charissimi, quæ & priùs demonstrabatur ex signo, & pòst patuit ex facto, totâ mente diligamus, pro eius amore moriamur. Ecce enim in resurrectione auctoris nostri, ministros eius Angelos conciues nostros agnouimus. Ad horum ergo ciuium illam frequentem solennitatem festinemus: his, cùm necdum visione possumus, desiderio, ac mente iungamur. Transmigremus ad virtutes de vitijs, vt in Galilæâ redemptorem nostrum videre mereamur. Adiuuet omnipotens Deus ad vitam desiderium nostrum, qui pro nobis in mortem dedit vnicum Filium suum, eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

HESYCHII THEOLOGI

Presbyteri Hierosolymitani, de Resurrectione Domini nostri Iesu Christi: quodque nullo modo inter se contrarij Euangelistæ, diuersis modis memoriæ prodiderint ea, quæ acciderunt in Resurrectione Emmanuelis.

QVanquam omnes quidem, dilecti, vt ferè dicam, quam in nocte Dominicâ commodè congruéque sacrorum Euangeliorum lectionem de magni Dei ac Saluatoris nostri Iesu Christi resurrectione habuimus, approbent: nonnulli tamen, vtilitatem quidem se sensisse fatentur; sed cùm pressiùs audiuisse putent, turbari se aiunt, quòd Euangelistæ de eâdem re non eadem narrent, sed contraria, quæque potiùs auditorem ad incredulitatem inducant. Cui enim adhibenda fides? Matthæo, qui *sero sabbatorum*

Obiectio ac ratio quæstionis.

Matt. 28. v. 1.

resurrectionem factam esse scribit? an Ioanni, qui hoc ipsum *manè, cùm adhuc tenebræ essent,* accidisse narrat? an Lucæ & Marco; quorum hic, *ortum Solis*; ille, *profundum diluculum*, eundem illum articulum temporis nominarunt? Ad solutionem igitur propositi dubij, aliarumque scrutandis ijs locis exorientinm quæstionum, ab ipso nos, qui resurrexit, Deo, excitari necessum sit, rametsi infirmi sumus; vtque is ipse, planam claramque adhibeat expositionem. Qui enim lectionis sementem iecit, inque omnium auribus dilatauit, ipse meritò obortatum inde quæstionum rationem reddiderit. Saoe verò, boc quoque præstare conabor, subindeque ex illis ipsis quæ dubitantes proposuerunt, solutionem inferam.

Ioan. 20. v. 1. — *Mar. 16. v. 1.* — *Luc. 24. v. 1.*

Eius solutio.

Non enim sacri Euangeliorum scriprores, *Serò Sabbatorum*, vel cùm maior noctis pars præterisset; vel rursum *diluculo*; vel denique post emissos lucis radios, Dominum resurrexisse dixerunt: Sic enim contrarietas foret, vt rem vnam non in vno potius rempore, sed in diuersis accidisse, scriptores memoriæ prodidissent: sed, Mulieres scripserunt, alio alioque temetè tempore venisse ad sepulchrum, oon circa eundem articulum temporis: Quumodò enim, quæ venissent multis vicibus? omnes verò similiter ex Angelis audisse de Saluatore: *Surrexit, non est hîc:* noo adiecto, quando. Quasi in illâ diuinâ nocte, absque controuersiâ, ac omnium consensu, resurrectio quidem acciderit; nemo tamen horam notauerit omnibus ignotam, præterquàm, cùm Iesu qui resurrexit, tum Patri, qui solus ita Filium nouit, vti ipse à Filio cognitus est; ac denique Spiritui, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Matthæus enim dixit, Mariam Magdalenam & alteram Mariam, serò Sabbatorum venisse ad videndum sepulchrum: factumque esse terræmotum magnum; atque Angelum de cœlo descendisse; cuius adspectus quidem, fulguri; stola verò, niui similis esset: vt terribili quidem habitu perterrefaceret custodes, qui etiam non ferentes adspectum, parum abfuit quin interirent, effecti præ timore velut mortui: candore verò inuitaret mulieres, naturâque timidis ac meticulosis, fiduciam inijceret, exque habitu ipso, resurrectionem ingenti gaudio annuntiaret. His enim de causis missus fuerat. Reuoluto namque lapide inuenit Dominum resurrexisse, clausumque sepulchrum, vt Deum decebat, reliquisse, ac sigillis munitum, militarique custodiâ ac præsidio tutum; quâ ratione clausis quoque ianuis penetrans in domicilium, ad discipulos accessit. Quare etiam ita Angelus: *Non est hîc*, sed *surrexit:* significans ante suum aduentum mirabiliter accidisse resurrectionem Saluatoris, quam vt Deus propriâ ipse virtute dispensationem implens, nullo Angelorum necessario auxilio, operatus esset. Nisi enim hoc ita esset, dicturus erat: Ecce resurgit, id significans, quod in præsentiâ ac continuò fieret: quia verò iam factum erat, præterito tempore vtens, dixit: *Non est hîc, sed surrexit.* Sed & hinc apertè liquet, quâ ratione Apostoli cùm prædicarent Euāgelium, ob auditorum imbecillitatem Christū dicerent à Patre suscitatum, eâ sermonem ratione acceptum ac commendabilem reddentes: Angelus autem qui primus faustam nuntij resurrectionis vocem rupit, nudam designans, maiestatis plenissimam, Deoque maximè conuenientem, eius, qui resurrexisset, potestatem, clamarit: *Non est hic, sed surrexit.* Itaque, quòd etiam diceretur resuscitatus à Patre, auditorum quidem, vti dicebam, leniebat ac spectabat infirmitatem; eundem tamen, nec alium sensum habet. In quonam enim operatur Pater? Planè in potestate ac virtute propriâ? Quisnam verò est Patris virtus atque potestas? Nemo alius præterquàm Christus. Christus enim Dei virtus est, ac Dei sapientia. Ergo Christus seipsum resuscitauit, quanquam à Patre resuscitatus fuisse dicitur.

Math. 28. v. 6. — *Mar. 16. v. 6.* — *Luc. 24. v. 6.*

Horæ resurrectionis nulli hominum cognita. *1. Cor. 2. v. 10*

Resurgit Dominus clauso Sepulchro.

1. Cor. 1. v. 24.

Cæterum illud ὀψὲ σαββάτων, *Serò sabbatorum*, non vesperam significat, quæ est post Solis occasum. Neque enim singulariter dixit, Serò sabbati; sed pluraliter, *Serò sabbatorum*. Porrò sabbata totam Hebræis hebdomadam vocare in more positum est. Statim ergo inquit Euangelista, *Vnâ sabbatorum*, cùm dicendum foret, primo die hebdomadæ. Sic nimirum etiam in communi consuetudine vtimur, secundam ac tertiam sabbatorum appellantes, secundum ac tertium diem septimanæ. Non ergo dixit serò sabbati, aut vesperè sabbati, vt vesperam illius diei significaret: sed serò sabbatorum, vt quod tardius esset ac longè distans indicaret. Nam & nos aliquando ita loqui solemus, serò temporis, serò horæ, serò vsûs, non vesperam, aut tempus quod est à Solis occasu significantes; sed rem tardiùs quàm vsus, aut tempus postularet gestam, eâ verborum formâ indicantes. Sic ergo illud, *serò sabbatorum*, hoc significat, quod à præteritâ septimanâ longè ac tardiùs esset. Quippe impletur quælibet septimanâ, Solis occasu sabbatum excipiente. Sanè etiam cùm Matthæus significare vellet articulum temporis multum distantem ad finem expletæ septimanæ, ac velut se ipse exponens, adiecit: *Quæ lucescit in vnam sabbatorum:* velut dicat: In tantùm nox transierat, vt esset tempus gallorum cantûs, qui lucem futuræ lucis præcedit. Idcircò etiam eo articulo temporis, non autem vesperâ quæ sabbatum insequitur, finientes ieiunia, lætari incipimus ac nos oblectare, consuetudine quæ apud omnes obtinuit, rem comprobante.

ὀψὲ σαββάτων Serò explicatum.

Solutio Quadragesimi ieiunij à gallicinio ante diem Paschæ.

Cùm hoc ergo tempus esset, Maria Magdalena, ac altera eiusdem nominis, ad sepulchrum venerunt; atque Angelum, qui de cœlo descenderat, quo modo iam dictum est, viderunt; cùm ille reuoluto lapide sederet super eum: quo etiam inuitante, locum viderunt, vbi fuerat positus Dominus: ac iussæ currere ad discipulos, eisque annuntiare, egressæ celeriter è monumento, nuntiæ cucurrerunt. Itaque currentibus obuiam factus Iesus, salutauit dicens, *Auete.* Etenim par erat, vt primus muliebris sexus, cùm faustum ab Angelo acciperet resurrectionis nuntium, tum Dominum videret, primamque ab eo vocem illam, *Auete*, audiret; quando etiam mulier, prima serpentis obaudierat vocem, ac insignè ligni vetiti fructum viderat, pœnâque tristitiæ condemnata fuerat. Quapropter etiam Saluator adorare permisit, ac tenere pedes, tanquam ijs quæ primò desciuissent, ac ab eo abalienatæ fuissent: iussitque gaudium annuntiarent discipulis; mulierem, quæ Adamo tristitiæ ministra fuisset, gaudij viris nuntiam esse volens; nimirum contrarijs contraria curans. *Abeuntibus autem*, inquit, *illis*, nuntiatum discipulis, *ecce quidam de custodibus venerunt in ci-*

Math. 28. v. 11.

A *nitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc fuerit auditum à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem.* Atque altera quidem Maria: (Hane autem Deiparam credere consentaneum est: quoniam nec à passione quidem abfuit, sed *Stabat iuxta crucem*, vt Ioannes memoriæ prodidit; quam etiam decebat ea, quæ gaudij essent annuntiare, vt quæ ipsa esset radix B gaudij, ac præclarè audiuisset, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*;) mandatum Domini exequens, omnino discipulus annuntiauit. Non enim fas erat non impleri id, quod sapienti adeò consilio dispositum fuisset atque præceptum; tametsi non crediderunt qui audierunt. Nam & sæpe ita accidit vt non habeatur fides, ob miraculorum quæ narrantur exuperantiam. Neque enim otiosi permansissent, siquidem credidissent.

S. Maria gaudij resurrectionis annuntiatrix.
Ioan. 19. v. 25.
Luc. 1. v. 28.

At Magdalenæ vnà cum Deiparâ abeunti, ac similiter ad annuntiandum properanti, humanum quid accidit: ac sicut Petrus ab Herode C comprehensus, atque per Angelum solutis vltrò catenis è custodiâ eductus, multumque spatij progressus, quoad portam quoque vrbis transisset, non putabat verum esse quod agebatur, sed videre se visionem existimabat: Ita etiam hæc, cùm miraculi excellentiam veluti somnium quoddam reputaret, simulque, posteaquàm custodes anteuertissent, ac cum Pontificibus cœpissent calumniam texere aduersus resurrectionem, prorsus tale quiddam sussurrari sensisset, ambiguitatis ac dubitationis cogitationes admisit: neglectâque annuntiatione ac salutari mandato, ad sepulchrum venit, *manè, cùm adhuc tenebræ essent*, vt Ioannes ait. Quemadmodum D enim permisit Dominus, vt Thomas ex incredulitate diceret: *Nisi videro in manibus eius vestigium clauorum, & mittam digitum meum in vestigium clauorum; mittamque item manum meam in latus eius, non credam*; ac per curiosam illius incredulitatem ac contrectationem, in eam nos fidem confirmati sumus, vt quo corpore passus est Emmanuel, eodem quoque resurrexisse credamus, missis inanis apparentiæ fabulis: sic quoque Mariam Magdalenam ad incredulitatem reuersam, cùm hoc etiam ei facilè accidisset: nec enim muliebris sexûs ignota fragilitas, & vt facilè labatur; curiosâ illâ ac superuacaneâ E inquisitione, fidem permisit addere resurrectionis miraculo, quod omnem fidem ac cogitationem excederet. Hac igitur ambiguâ mente accedens, cùm lapidem solùm ab ostio monumenti reuolutum vidisset, neque vt priùs, Angelum super eum sedentem aspexisset; ab incredulitate vinci se passa est, primam visionem, inanem speciem ludentis imaginationis, ac spectrum mentis emotæ; nec pro verâ, sed pro falsâ; habens: acturumque ad Petrum, ac discipulum illum quem diligebat Iesus, currens, clamauit dicens. *Tulerunt Dominum* de monumento, *& nescio vbi posuerunt eum.* Vides, vt cùm ex iis quæ post relationem custodum noctu apud Iudæos conficta erant, aliquid tale ad eius aures peruenisset, à sanâ mente mutata sit; ac aduersarios, Iesu corpus putauerit furatos, quò furti crimen in Apostolos conferrent? Cæterùm Petrus & Ioannes sine morâ surgentes, ad sepulchrum cucurrerunt. Nihil enim nouum & inopinatum erat, quod dicebatur, vt sicut in resurrectione, fidem non haberent: Imò verò etiam credibile, nec à Iudæorum malitiâ abhorrens. Id autem intrepidè ac metu depulso præstiterunt, nacti otium, tum quòd adhuc tenebræ essent, tum quòd Deus eorum animos fiduciâ auxisset.

Magdalena à primâ apparitione incredula.
Act. 12. v. 9.
Ioan. 20. v. 1. & 25.

Cùm autem venissent perspicua resurrectionis signa inuenerunt. Vident enim linteamina in sepulchro posita. Nunquam enim id accidisset, siquidem corpus furto sublatum fuisset. Nam primùm fures lubêtes vestes detrahũt, ac despoliant: deinde celeriter admodum committunt furtum, ne in ipso deprehensi facinore, pessimè mulctentur. De corpore autem Iesu in hunc fere modum scripsit Ioannes: *Ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos erat Iudæis sepelire.* Quomodò igitur non multæ res operæ furibus extitisset, vt vincula soluerent, corpusque linteaminibus nudarent, quæ iam adhæsissent, nec facilè possent auelli, priusque rumpenda essent quàm detraherentur? Illi enim mixturæ aloës ac myrrhæ, quam Nicodemus attulerat, implicata erant. Quin & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed seorsim inuolutum in vnum locum, nihil timoris, quasi corpus furto sublatum esset, indicio erat. Quî enim otium, grandisque adeò securitas furibus fuisset, vt etiam capitis integumentum aptè inuoluerent, ac separatim deponerent? Quamobrem hoc quoque resurrectionis veritatem liquidò ostendit: simul autem etiam diuinum quoddam mysterium designabat; nimirum, caput Deitatis vicem obtinere, iuxta illud, *Caput Christi, Deus:* eiusque rationes, ac qui de eo sermones sunt, post etiam incarnationem, velut inuoluta ac indissolubilia manere; quanquam inferiora, quæ scilicet spectant ad dispensationem in carne, eamque, quam in terrâ cum hominibus conuersationem habuit, quorum linteamina figura sunt, quoad fieri potest nobis dissolute sunt ac contrectata. His autem visis, Petrus, eique comes Ioannes, crediderunt, cùm non solùm simpliciter, & vt oculis cernebant, verùm etiam præstantiori mente ac sensu Apostolico, rem spectassent. Locus enim, luce plenus erat, vt licet adhuc nox esset, dupliciter tamen, tum sensibili, tum spiritali ratione, intus posita videretur. Siquidem enim *Lux Iustis perpetuò*, sicut scriptum est, multò magis sit Iustorum Deo. *Crediderunt* autem, inquit: *nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Atqui sciebant; sæpe enim eis Saluator se resurrecturum prædixerat: Id enimuerò, non tanquam à Scripturâ persuasi, atque inde petitis oraculis, quæ fieri non poterat vt non euenirent; sed tanquam circa finem adhuc labascentes ac claudicantes. Cæterùm quòd Iesus nudus resurrexerit absque linteaminibus, id significat, haudquaquam deinceps secundum carnem cognitum iri, ita vt cibo, aut potu, vestimentorumue operimentis indigeat: quanquam dispensationem implens, iis se sponte suâ subiecit, vt qui eiusdem nobiscum naturæ effectus esset particeps. Præterea etiam significat Adami in pristinum statum restitutionem,

Linteamina relicta, argumento sunt resurrect.
Ioan. 19. v. 40.
Quid mysticè caput, ac sudariũ.
1. Cor. 11. v. 3.
Crediderũt Petrus & Ioannes resurrexisse Iesum, viso monumento, & relictis in eo linteaminibus.
Pro. 13. v. 9.
Ioan. 20. v. 8. & 9.
Quid deposita linteamina.

quando *nudus erat* in paradiso, *nec erubescebat*. A
Gen.2.v.25. Nam de cæteto, tanquam Deus licet ineatnatus, glotiâ quæ Deum maximè deceret, circundatus erat, cùm esset ipse, *qui induitur lumine sicut ve-*
Psal.103. v.2. *stimento*, vt ait Dauid Propheta.

At Petrus quidem ac Ioannes, cerò ex ijs quæ vidissent persuasi, domum reuertuntur, nec quicquam Mariæ dixerunt. Prouidè enim curabat atque agebat is, qui solus sapiens est, vt incredula, ex ijs potiùs quæ visura esset, quàm quæ audiret, ad fidem induceretur. *Stabat* ergo *ad mo-*
Ioan 20. v.11. *numentum foris plorans; cúmque se inclinasset, vidit duos Angelos*, candido ac læto amictu *sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes vbi positum fuerat corpus Iesu*: ac cùm luctum lætitiâ commutare deberet, haud tamen à lacrymis B cessabat; adeò vt Angeli velut increpationis specie dixerint: *Mulier, quid ploras?* perinde ac si dicerent: Muliebres sunt hæ lacrymæ, non beneuoli animi. Quî enim à tali spectaculo sit lamentis locus. Illa verò in eâdem incredulitate perseuerans: Producebatur enim affectio ac dolor, vt paulatim adiectis prolatisque fidei adminiculis, perfectè expurgaretur: ait ad illos: *Quia tulerunt Dominum meum de monumento, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc autem cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem; & non sciebat quia Iesus esset*: partim quidem, quòd præ lacrymis offusa tenebris, & C quasi grauata caligine esset; partim quòd etiam Iesus ita disponeret, vt ne ab eâ cognosceretur. Quamobrem etiam dixit: *Mulier, quid ploras?*
Iesus vt hortulanus. *Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Forsitan autem non abs re, autue absonè, Iesum putauit hortulanum esse: sanè enim erat ipse verus ac immortalis paradisi cultor, qui velut in paradiso, in monumenti horto, mulierem quæ Adamum primum hortulanum per incredulitatem decepisset, lapsam corrigeret ac emendaret. Sic igitur vniuersa mysteriorum plena, diuinisque rationibus ac sublimibus referta. D

Cæterùm cùm hæc Maria dixisset, ac circa scrutationem corporis solicita hæreret, quin & iam conuersa esset, vt abiret, satis is laborasse videns, qui *pertingit vsque ad diuisionem animæ*
Heb.4.v.12 *ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, estque discretor cogitationum, ac intentionum cordis*: vnicâ voce incredulitatem exemit, visumque mulieris acuit ad agnitionem, cùm tantùm dixisset, quâ ipse ratione nouit, cum redargutione ac pudorem incutiens, *Maria*. Tunc illa statim conuersa, cùm Rabboni; quod dicitur Magister, appellasset, diuinosque illos pedes apprehendere quæreret, audiuit: *Noli me tangere, Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* E
Prohibita Maria Magdalena Dominum tangere, quòd à priori contacto in incredulitatem recidisset. Hoc, inquit, donum iam consecuta, cúmque adeò vnà cum alterâ Mariâ me tengeris, adorauerisque, ac pedes tenueris, sic contempsisti, vt ne quidem habueris fidem, nec magnum aliquid de me conceperis: sed adhuc quærebas eum ad monumentum, qui diuinâ cœlitùs ratione apud Patrem existeret: Nunc ergo, *Noli me tangere*, vt eâdem mente deesse mihi putes vt ascendam ad Patrem. *Nondum enim*, quod ipsa existimas, *ascendi ad Patrem meum.* Cæterùm, *vade ad fratres meos, & dic illis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Quia, inquit, factus sum ratio- A ne carnis primogenitus in multis fratribus, non iam mihi, sed vobis fratribus, corporaliter ascendam ad Patrem meum & Patrem vestrum; & Deum meum & Deum vestrum. Nisi enim Deus meus appellatus esset, atque in me, tanquam in primitijs generis, eò quod peccatum ignorauerim, naturæ humanæ innocentiam vidisset, nunquam Pater vester aut Deus, ceu eorum qui ab illo essetis alienati, appellatus fuisset. Vnde etiam Paulus ad Hebræos scribens, aiebat: *Non enim in manufacta Sancta* Christus *introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cæ-* *Hebr.9. v.24.*
lum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Venit ergo Maria Magdalena nuntians discipulis, quia vidisset Dominum, & hæc sibi dixisset.

B Cùm venisset autem, atque ea annuntiasset, rursus inuenit Mariam Iacobi, & Iuannam, ac alias nonnullas cum aromatum ac vnguentorum apparatu, properantes ad sepulchrum, nonnihil discussis tenebris, ac *profundo diluculo*; (hoc *Luc.24. v.1.*
est, summo, ac tum primùm incipiente;) vt Lucas ait: seque eis adiungens comitem, simul ibat, ac propter ardens in Iesum desiderium, dux earum videbatur, ciusque facinoris claritate, prima in sacris Euangelijs meruit nominari. Cupiebat enim vt & illis, nedum ex ijs quæ ab ipsâ, ac alterâ Mariâ audiuissent, resurrectionis fides fieret, verùm etiam ex diuinâ ipsâ vel Angelorum C præsentiâ: eratque cum illis prudenti tacens consilio, nihilque dubitantibus ac quærentibus respondens, sed rerum ipsum testimonium spectans, ac fore credens, vt & illis seorsim, ex ipsâ oculorum inspectione certiores fieri, pietas diuina concederet. Itaque cùm lapidem à monumeoro reuolutum vidissent, nec inuenientes corpus Iesu, anxiæ essent ac dubitarent, vident sibi adstantes duos viros in veste fulgenti, à quibus audiuerunt: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit*, &c. *Et regressæ*, inquit, *à monumento, nuntiauerunt hæc omnia Vndecim, ac cæteris omnibus.* Verùm cùm promiscua multitudo esset, magis ad increduli- D tatem deflexerunt, atque id quod relatum erat, cauillati sunt, ac spreuerunt. *Visa* enim *sunt tanquam deliramenta*, illarum *verba, & non crediderunt illis*; adeò vt Petrus illorum iocredulitate excitatus, surrexerit, paulatimque & ipse quodammodò perturbatus atque fluctuans, denuò ad moumentum cucurrerit, seque inclinans ac prospiciens, iterum posita linteamioa viderit, quæ iam anteà ingressus, pleniùs ac exactiùs inspexerat: vnde etiam prospexisse contentus, nihilque à priori statu immutatum videns, abijt admirans ac stupens quæ accidissent, eumque glorificans qui hæc ita administrasset.

E Iterum autem Maria Magdalena, vti Ioannæ *Mar.16.*
cùm sociâ valde diluculò, portantibus, quæ ante sabbatum parauerant aromata atque vnguenta, comes accesserat: Ita etiam vnà cum Salome, quæ noua quædam mulier esset præter nominatas, ac quanquam tardè, reperâ tamen, sed post sabbatum, aromata alia coëmisset, eodem impigrè currit animi proposito, assumptâ secum etiam Mariâ Iacobi, ita vt etiam in coëmptione aromatum sociæ fuisse videantur. Cùm enim sociæ essent itineris, totam rem gestam commune eis studium Scriptura imputauit. *Et valdè manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum adhuc.*
Ita in exactioribus ac plenioribus exemplaribus continetur, quo significatur, præter iam factas Rara lectio auctori probata.

visitationes, etiam hunc mulierum ad monumentum contigisse accessum. Explicans autem Marcus, quid illud velit, *valde manè*, adiunxit, *orto iam sole. Et dicebant*, inquit, *ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem: Erat quippè magnus valde*. Cùm enim Salome meritò dubitaret, vt quæ omninò ad sepulchrum non accessisset, atque hæc ad comites suas diceret, illæ tacentes, prout superiùs dictum est, cùm sustulissent oculos, aspectu ipso responsum dederunt. Etenim lapis reuolutus coram apparebat. Quoniam autem vnà ibant, & commune eis iter erat, idcircò ad inuicem dixisse ac dubitasse scriptum est; ita sanè vt historiæ veritatem ac rerum naturam considerantes, discernamus ac distinguamus, cuiusnam earum proprium fuerit dubitare. Nullâ enim probabilitate nititur, vt eas quæ toties reuolutum lapidem vidissent, de eo solicitas putemus. Quia verò inter has mulieres, quarum Marcus meminit, ignorans Salomes persona habetur, sine controuersiâ sermo probabilis est. Nam neque illas consentaneum est dixisse, *Quis reuoluet nobis lapidem*, propterea quòd Iudæi obsignassent aditum sepulchri, adhibitâ custodiâ militum, ac tertius dies adesset. Dixerant enim scelerati illi ad Pilatum: *Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam*. Siquidem ergo mulieres miraculum sciebant, quod per Angelum factum erat, & quòd lapis reuolutus esset, ac custodes illi procaces expauefacti, similesque mortuis effecti, recessissent, quomodò solicitæ & anxiæ de reuolutione lapidis erant? Sin autem miraculum ignorabant, custodiam militum considerari oportebat, non monumenti apertionem cogitare. Verùm, vt dixi, Salome & hoc ignorabat, & eius solius ea verba erant. Nam *Maria Magdalena, atque Maria cùm sedissent contra sepulchrum*, quemadmodum Matthæus memoriæ prodidit, magnoque ei studio assiduæ hæsissent, tum Iudæorum signacula, tum armatorum custodiam, oculis ipsæ conspexerant. *Ingressa* autem Salome cum vtraque Mariâ, *viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, & expauerunt* omnes: hæc quidem, quòd deesset fides, ac magis humano more affecta esset: illæ verò, quòd sæpiùs ad monumentum venissent, curiuséque ac suprà quàm necesse esset, deinceps explorare atque inuestigare resurrectionem viderentur. Nam idcircò etiam iuuenis apparuit, qui magnitudine perterrefacere, ac metum inijcere posset; isque terrori alacritatem ac lætitiam misceus, per candorem stolæ, tum propter diem festum, tum ne metu obrigescerent, acerbiùs eas alloquitur, castigans verbis ac admoneus, ne toties adspectu recreatæ curiosiùs haberent, sed potiùs firmæ manerent in ijs quæ vidissent. *Sadite, dicite discipulis eius, & Petro*: (discipulis quidem, vtpotè ijs qui sæpè non crediderunt: Petro verò, vt qui iterum eâdem vobiscum curiositate ad monumentum venit:) *quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis: Vobis*, mulieribus: cùm *sero sabbatorum, eâ quæ lucescit in primam sabbatorum*, apparuit, vti Matthæus conscripsit. Discipulis enim nunquam apparet eum dixisse, quòd post resurrectionem eis appariturus esset in Galilæâ: nisi fortè quis illud dixerit, quod & Matthæus & Marcus scri-

Matth. 27. v. 63.

A pserunt, post cœnam mysticam exeuntibus ipsis hymno dicto in montem Oliuarum, à Saluatore sic quodammodò dictum: *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilaam. Exeuntes autem de monumento* Mariæ & Salome, tremore ac terrore correptæ, *profugerunt, ac nemini quicquam dixerunt: timebant enim*: partim quidem propter terrorem adolescentis, partim verò quòd iam dies processisset, ac Iudæi, vt est verisimile, sus deque cædem spirantes circum omnia lustrarent. Hactenus Marci Euangelium in accuratioribus exemplaribus in illis verbis finem habet. *Timebant enim*: At in nõnullis, hęc quoque *apparuit* adiecta sunt; *Surgens autem manè primâ sabbati primò Maria Magdalena, de quâ eiecerat septem dæmonia*. Hoc autem contrarium quiddam ijs, B quæ à nobis superiùs dicta sunt, continere videtur. Cùm enim hora noctis quâ Saluator surrexit ignota sit, quî fit vt hoc loco, manè eum surrexisse scriptum sit? Verùm nullo modo contraria sententia apparebit, dum scienter ac eruditè legerimus. In hunc enim modum subnotare oportet, ac distinguere: *Surgens autem*; atque ita subiungere: *manè sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ*: vt quidem vox *surgens*, consentaneè Matthæo superius tempus referat; vox autem *manè*, ei, quæ Mariæ facta est, apparitioni tribuatur; quæ prima cum alterâ Mariâ, atque iterum sola viderit Dominum. Manè enim, vniuersum illud spatium est, quod deinceps post C gallorum cantum intercedit.

Matth. 26. v. 32. Mar. 14. v. 28.

Agnoscunt istam partem vulgata exemplaria.

Cùm igitur quaternæ temporum sint vices, totidemque accessûs, quibus mulieres ad monumentum venerunt, ita Spiritus sanctus rem moderatus est, vt quisque Euangelista, quosque temporum articulos conscriberent. Ac Matthæus quidem illas quæ serò Sabbatorum venerunt ad monumentum, narratione complexus est, vtque vnus Angelus descendens de cœlo reuoluerit lapidem. Ioannes autem, Mariam Magdalenam solam conscripsit venisse, cùm adhuc tenebræ essent, ac ante auroram, duosque Angelos in sepulchro vidisse: Lucas verò alias circa diluculum. Marcus denique alias cùm Sol oriretur, adiunctis nonnullis quæ iam antea ad mo- D numentum iuissent: Atque illas quidem duos viros adstantes ipsis; has verò, sedentem à dextris iuuenem vidisse; omnes autem, amictos stolis albis. Atque adeò, vt quis ea quæ singuli secundum ordinem temporum scripserunt, composuerit, consonantiam vnam, ac vnum historiæ vniuersæ corpus, perinde ac si vnus quis rem totam gestam, & non plures scripsissent, efficere possit. Nam si vnius quidem aduentûs mulierum, qui in vno temporis articulo accidisset, omnes quatuor mentionem fecissent, nec eosdem Angelos dixisent apparuisse: vel vnâ ac eâdem apparitione siue visione ab vniuersis edi- E tâ, hanc in diuersis temporibus accidisse dixissent, & non vnius quisque temporis mentionem fecisset, discrepantiæ ac dissonantiæ reprehensionem narratio effugere non posset. Sin autem & personæ & tempora diuersa fuerunt, nec eorum qui apparuerunt eædem sunt visiones; cùm Deus alijs alijsque modis superanti fidem resurrectionis miraculo, fidem adstrui voluisset; ac quod vnus omisit Euangelista, alius memoriæ prodidit; quî non tota narratio pura, ac ab omni crimine libera sit?

Quoniam autem multarum Mariæ nomine in

Tres Mariæ Euangelistis in passione nominantur. *Ioan. 19. v. 25.*

Euangelijs mentio habetur, tres numero omnes esse statuere debemus, quas Ioannes comprehensim numerauit, cùm diceret: *Stabant autem iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene.* Nam Mariam Iacobi & Iosæ matrem apud alios Euangelistas nominatam, Deiparam & non aliam esse credimus. Quemadmodum enim propter œconomiam, vtque diuinus partus obumbraretur, nec Iudæis in cædes hiantibus patesceret, circa ipsum tempus quo ad iugalem lectum ducenda erat, ex Spiritu sancto Virgo concepit; ita sanè vt Ioseph, eius maritus vocaretur, ac pater Iesu: sic & Iosæ ac Iacobi filiorum Ioseph fabri, ex prioribus nuptiis ac præmortuâ coniuge, puerilem ætatem agentium mater, Deipara appellabatur. Hæc nimirum etiam obtrectantes Iudæi de Saluatore dicebant: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria; & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas?* Idcircò autem Ioannes quidem, vt qui liberè Christi Diuinam naturam dissereret, etiam iuxta crucem stantem, ab eo, reipsâ erat quod Iesu appellauit Matrem? cæteri autem Euangelistæ, qui potissimum explicandâ œconomiâ ac carne, operam posuerunt, ipsi œconomiâ ac humanis proximâ ratione, Iacobi matrem ac Iosæ appellarunt: Erant enim hi primi ac insignes Iosephi filij: hoc apertè significante Scripturâ, prouidâ eiusmodi dispositione, atque inde conceptâ opinione, licuisse Mariæ vt tutò pro nostrâ morienti salute, ac crucem subeunti Filio, adesset. Nam si plures virginem sciuissent, vtique Iudæi inuidiâ acti eam perdidissent. Repertas autem etiam, vnius filiorum Iosephi matrem apud Euangelistas appellatam, nempè, *Mariam Iacobi*, & *Mariam Iesa*. Marcus autem Iacobi minoris, & Iosæ matrem eam vocauit, eò quòd esset Iacobus alter, nempè Alphæi, idcircò maior, quia duodecim Apostolis connumeratus erat. Nam Minor non erat ex eorum numero.

Ratio œconomiæ, vt sancta Virgo appellaretur mater Iacobi & Iosæ.

Hanc nostri doctrinam, non admodum probant. *Matth. 13. v. 55.*

Luc 24. v. 10. Mar. 7. v. 47. & 40.

Iacobus Alphæi, Iacobus maior, quia ex Duodecim.

De illo autem, haud quis fortè immeritò addubitauerit; quomodò Saluator, quâ per Angelos, quâ suâ ipse voce discipulis pollicitus, fore, vt in Galilæam veniens, illic se eis ostenderet, Hierosolymis quoque visus sit promissionem implere? Nam iuxta Lucam ipsâ resurrectionis die congregatis Vndecim; iuxta autem Ioannem, cùm eâdem, tum octauâ die, apparet, stans in medio, ac dicens, *Pax vobis*; seque Thomæ palpandum præbens. Verùm hoc, liberalitatis ac humanitatis diuitias ostendit, non mendacij crimen continet. Non enim in Galilæâ duntaxat videndum si dixit; neque verò Hierosolymis visus, non etiam in Galilæâ apparuit, sicut promisetar: Sic enim mendacio falsos reddidisset daros sermones: Sin autem etiam in Hierusalem clausis in domo propter metum Iudæorum, aduentu ac præsentiâ suâ indigentibus apparuit, promissumque nihilominus in Galilæâ apparens impleuit, cùm vtraque benignè iuxtà ac verè acciderint, nulli criminationi obnoxius sit. Mihi autem magnam quandam vim ac expressionem habere videtur, quod ita apud Matthæum dictum est de discipulis: *Vt eant in Galilaam, ibique me videbunt.* Cùm enim futurum esset vt sæpiùs eis appareret, ad vnam tanquam præcipuam ac eximiam præter alias apparitionem spectant verba promissionis, iuxta quam erat eis appariturus in monte. Tunc enim cùm accessissent

Eximia quædam apparitio promissa in Galilæâ.

A ac adorassent, quidamque dubitarent, cum auctoritate plenâ maiestatis diuinæ, dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Quæ enim naturaliter habebat tanqoam Deus, ea dicitur accipere tanquam œconomiâ, suauique in nos consilio, factus homo. Quamobrem etiam dicebat: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquàm mundus esset, apud te.* Nisi enim vt Deus hanc propriam haberet, haudquaquam fieri poterat, vt eam tanquam alicoam acciperet; cùm Deus ac Pater per Prophetam dicat: *Gloriam meam alteri non dabo.* Deindè verò adiungit verba, quibus orbem

Matth. 28. v. 17.

Ioan. 17. v. 5.

Isai. 42. v. 8.

B vniuersum tanquam sagenâ capturi erant, ac in quibus, pietatis mysterium totum positum est: *Euntes* enim, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Deincepsque adiicit ea, quibus finem horum verborum ac euentum spondet: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Propterea dicebat, *Nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ac me ibi videbunt:* ad hanc apparitionem, tanquam propriam quandam atque præcipuam. vti dixi, respiciens; quam magis etiam eis per alia

Matth. 28. v. 19.

C verba prædixerat, quæ non habentur libris Euangeliorum scripta. Nisi enim sic se res haberet, non dixisset Matthæus: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilaam, in montem vbi constituerat illis Iesus:* cùm nusquam in Euangelio legatur promisisse Dominum, se in monte appariturum. Nam ante hanc apparitionem quæ in monte accidit, etiam ad mare Tiberiadis, quod est Galilææ, illis apparuit, cùm septem numero essent; Petro nimirum, Thomæ, Nathanaëli, Filiis Zebedæi, aliisque duobus ex discipulis, vti Ioannes scriptum reliquit. Verùm spectabat ad montem vbi constituerat illis Iesus verbum illud, *Ibi me videbunt:* diuinæ scilicet plenâ maiestatis oratione mandantem; *Euntes docete omnes*

Ioan. 21. v. 1.

D *Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Etenim nec abs re quidem mihi, ac extra propositum videtur, quòd in monte Galilææ, & non in aliquo alio loco verba hæc dicta fuerint. Nam Galilæa Græco idiomate κυλιομένη, id est, *deuoluta*, exponitur; vnde etiam Gelgel, rota nominatur. Tanquam igitur ex monte excelso, Saluatoris ore prolata verba hæc, in modum rotæ in terrarum vniuersum orbem deuoluta sunt, totumque percurrerunt; atque omnes baptizati sunt, tum Gentes, tum vrbes, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Cæterùm his verbis auditis, disci-

Cur in Galilæâ, datum Baptismi mandatum.

E puli ad nullam statim Gentem profecti sunt, sed manserunt Hierosolymis vsque ad Pentecostem, expectantes aduentum Spiritûs sancti, qui in igneis linguis ad eos accessit. Sic enim *per dies quadraginta apparens eis* varijs modis, *ac conuescens*, quemadmodum ait Lucas in principio libri Actorum, præceperat ac mandauerat, dicens; *Ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis ex me: Quia Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Pulchrè admodum *ne discederent*; hoc est ne longè abirent, ac procul recederent; non autem vt ne omninò ex Hierusalem exirent. Nam quâ ratione hoc dicturus fuisset, qui præceperat eis vt in Galilæam venirent. Sed & quod in fine Euangelij Lucæ

Act. 1. v. 3.

dictum

Luc. 24. v. 51. Mar. 16. v. 19.

dictum habetur: *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*: at similiter quod apud Marcum scriptum est: *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*: intelligendum est accidisse die quadragesimâ, iuxta quod in Actis memoriæ proditum est. Quæ enim breuiter & concisim in Euangeliis dixerunt, hæc illic latiore narratione explicantur & declarantur.

Hæc sunt quæ in Euangelicis lectionibus Dominicæ noctis continentur, ac ignorantem perturbare possint; quæ & vobis tanquam debitum dependimus. Vos autem horum auditores, quæ B facturi sitis, erubesco dicere; ad spectacula currentes, tabiecque insanam multitudinem animo reputans. Præbeat autem nobis Dominus virtutem, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, gratiâ ac benignitate Domini ac Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi; cui gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

GEORGII METROPOLITÆ

Nicomediensis, in immaculatæ Virginis ad sepulchrum assistentiam, & gratiarum actio pro gloriosâ Resurrectione.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex MS Codice Leonis Allatij.

Læta lux Resurrectionis.

VOx exultationis hodie nobis exordio sit gratiarum actioni. Prior insonet, ac præludat gratulatoriis pro mundi vniuersi resurrectione vos lætitiæ canticis. Præsenti vox congruè magnifica hilaritati, tubæ clangore laudationem promat. Et laudes canat pro victoriâ, qui æternum dissoluit bellum; qui dirâ pugnâ victor extitit: qui per mortem, regnum mortis euertit; qui alligauit fortem, quasque à sæculis tenebat animas, tanquam spolia diripuit. Hodie namque insuperabilis eius labefactata est tyrannis. D Hodie cœlestium Virtutum Rex aduersario cum carne congressus, illum quidem prostrauit, suum verò ipse figmentum à graui seruitute liberauit. Hodie tremenda tenebricosaque inferni loca vacuans, eos qui tyrannide tenebantur, in suam ipse transtulit potestatem. Hodie vitæ nobis auctor primogenitus ex mortuis effectus, immortalitatis nobis initiauit viam. Cœlos hodie pro terrenis naturæ commutat, hominumque generi tristem fortito locum, lucidam diuinamque habitationem adscripsit. Hodie splendidissimus iustitiæ Sol aureos mittens resurrectionis radios, cùm cœlestem decorem, tum terrenam concinnitatem incomparabili supra modum fulgore illustrauit. Hodie dulcem, plenamque lætitiâ gaudii vocem mulieribus vnguenta ferentibus emittens, sexûs tristitias tactictiûs abstulit, ac exsiccauit.

Age verò lingua omnis gratiæ particeps effecta, claram mihi laudationem concinnet. Præsto mihi adiutrix sit, cui desiderium vim faciat, quemque deficiat congrui sermonis facultas. Huc planè, hoc res eximias cogit attingere. Hoc, ad res propriâ virtute maiores compellit. Hoc, naturæ propriæ obliuionem inducit. Huic vt omnes cedamus, haud inglorium sit. Quippe debitum est, ac licet minus habeat quàm pro retributione, nec boni collatis videa-

A Paschate.

A tur condignum, ab omni tamen creaturâ reddatur rationis participe; cùm vtique largitor ipse, eam maiorum exolutione debitorum commutationem velit. Mihi autem, quem amo dilectione Cœtus, non eò tantùm quòd debitum sit, sed & propter promissionem euenit, quam priorem, ij quorum interest, exigunt. Quænam verò ac qualis sit eiusmodi promissio, præstat addere. Iam itaque, cùm in superioribus, ante monumenti ostium, quod vitam suscepit, Domini Matrem, per id tempus sermo reliquisset, eam hodiernæ seruauit lætitiæ. Ita enim, cùm id cauit ne prolixitate tædio esset, tum consentaneam rationem seruauit. Postquam autem deducentis gratiâ eò occurrimus, vt debiti fides redimenda sit, pro virili ego facultate redempturus festino. Porrò commoda sermonis tractatio est, innumeris certaminibus claræ Matris assistentia ad sepulchrum; circa quam versatur ipse, ac debiti ratio. Hæc enim solis recedentibus omnibus, vt cuius vnius viscera vehementi igne succensa essent, animusque virili fortitudine firmus esset, sepulchro assidebat, ac assistentiâ assidua erat, ambosque oculos insomnes seruabat. Quanquam enim etiam Magdalenam ac sociam eius, *contra monumentum sedisse*, admi- C rabilis dicat Matthæus; id tamen vt aspicerent tantùm, cùm neque sub ipsum sepulturæ tempus ausæ essent accedere. Quamobrem etiam contigit, vt Iudæorum metu perterritæ, ac custodiæ aduentu recederent. Porrò idem ipse sermonem confirmat, dicens: *Serò sabbatorum, quæ illucescit in primam sabbatorum, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Non autem dixisset venisse, quæ mansissent, nisi & illæ, quemadmodum reliqui recessissent. Sanè quidem, nonnulli alteram illam dictam Mariam, quæ non exponitur, Matrem Domini esse existimarunt, quam ille prius dixerat *Iose matrem*; ostenditque clariùs Marcus, dicens: *Maria autem Magdalene, & Maria Iose aspiciebant vbi poneretur.* Quidam autem etiam *Iacobi* cognominatam putauerunt; quam tamen hic ipse aliam dicit præter matrem Iose, & vetustas adstruit. Puto tamen eorum id coniecturam esse, qui non veritate rem attingunt; aut ex certo aliquo indicio exigunt, sed ex incertis tantum ac obscurè opinabilibus. Vnde enim fingentes acceperunt appellationem illam? Vbinam toto sacrorum Euangeliorum contextu, propriissimæ illi Matris appellationi post aeternum illum partum, appellationem aliam videmus adhæsisse? *Accepit* enim, inquit, *puerum cum Matre eius.* Et, *Erat Mater Iesu illic.* Et E iterum: *Ait Mater eius ministris.* Et, *Descendit Capharnaum ipse, & Mater eius.* Et, *Mater tua, & fratres tui stant foris.* Et. *Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius.* Lucas quoque in Actis ait: *Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre* Domini *Iesu*: vnoque verbo nusquam, quis viderit, nomenclatione à parentibus, aut cognationis habitudine acceptâ, singularissimum illud, ac honoratum, nominatumque appellatum nomen. Porrò firmius quoque rei testimonium accedit, verissima Theologorum historia. Sanè quidem cùm dilectus Discipulus, eam prope crucem, atque vt ferè tangeret, dixerit: reliqui è contra, mulieres istas à longè stare, ac ea quæ fierent spectare, narrauerunt. *Erant* enim,

Promissa hæc oratio in superiori.

Mira Mariæ ad sepulchrum constantia.

Matth. 27. v. 61. Mar. 15. v. 47.

Matth. 28. v. 1.

Matth. 27. v. 56. Mar. 15. v. 47.

Sic Chrysost. Greg. Nyssenus fiue Hesychius, & alij plures; Latini Lubentiùs sequuntur opinionem nostri Georgij.

Math. 2. v. 13. Ioan. 2. v. 1. 5. 2. Luc. 8. v. 20. Ioan. 19. v. 25. Act. 1. v. 14.

Math. 27. v. 56. Mar. 15. v. 40. Luc 3. v. 49

inquit Matthæus, *ibi mulieres multa à longè spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorum Zebedæi.* Hæc verò etiam Marcus, nec non Lucas indefinito sermone, affirmant. Quod si etiam scriptum est, fuisse vnà cum eâ prope crucem, Mariam Cleophæ & Mariam Magdalene, iuxta redditam rationem credendum est se illi socias adiunxisse. Nulla itaque præfatarum est celebratissima illa, ac illarum quæ eo loco nominantur. Illæ quidem totam noctem ingredientes ac egredientes è sepulchro, Apostolis nuntiauerunt quæ vidissent; vnde etiam contigit, vt eas magna pars miraculorum resurrectionis fugeret; hæc verò immobiliter ad illud assidens, perspicuè magis omnia aspexit, nec statim, sed alio postmodum tempore enarrauit. Nam alioqui quomodò per

Maria suo tempore enarrat visa miracula resurrectionis.

B idem tempus, cùm terræmotum, Angelique descensum, tum lapidis reuolutionem; ad hæc verò etiam custodum exanimationem, ac rursus eorum velut à somno excitationem, nec non quorumdam ex illis in vrbem aduentum, illis abeuntibus, ac subinde reuertentibus; videre contigisset; ac nisi ea iugiter assidua aderat, accensiori amoris igne excitata? Sic enim, nedum ea quæ per id tempus contigerunt, sed & alia quæque, ex quo tempore Dominus captus est, supra omnes perspicuè aspexit, nullâ ei ratione abesse sustinens, aut quicquam corporis necessitatibus interim indulgens; somno, inquam, aut cibo; vsque dum viuificæ resurrectionis gaudia ac deli- C cias persensit. Equidem vnguentiferæ mulieres, viderunt quidem lapidem reuolutum, ac Angelum super eum sedentem; quando autem, aut quâ hæc ratione contigissent, non cognouerunt. Matthæus quidem cum visione quam habuerunt illa quoque gesta describit, ante earum aduentum; nimirum, terræmotum, Angelique descensum, ac lapidis transpositionem: alij autem, visionem solam Angelorum, eorumque ad illas sermocinationem, quo vtroque donatæ sunt, scripto consignarunt. Sed & ille, illud ipsum præterito designat tempore: *Angelus enim Domini,* inquit, *descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedit super eum.* Illud autem, *sedit,* D cùm tempus ante aduentum, tum postquam adiuissent, significauerit. Sola itaque Domini Mater, cùm ea quæ præcesserunt, tum dulcem illum ac constabilientem terræmotum cognouit: terræmotum, inquam, quo suscitatis tanquam à somno mortuis, vigilantes custodes fuerunt consopiti: per quem etiam puto ante omnes, diuinæ illi resurrectionis delata nuntia: atque vt œconomiæ arcano sic aspectu quoque, ac claritate Filij deliciari licebat. Tanquam enim Matri, ac ei cui credita essent œconomiæ mysteria, soli etiam Dominus ostendit resurrectionis miracula, nedum excellentiùs supra E Apostolos, ac fœminas vnguenta ferentes, verum etiam supra quàm Angelica, ac intellectualis institutio habeat. Sic igitur nullo medio, primæ illi clara lux ac lætitia resurrectionis affulcit: non sic autem vnguentiferis mulieribus; sed eis per Angelum, ac per remotionem lapidis, significatur. Quòd enim imbecillius haberent, neque subitò, neque vno eis reuelatur modo: sed, quà auditu per Angelicum sermonem, quà ex visu per reuolutionem lapidis, eius accipiunt fidem. Quamobrem vbi paulatim ad mysterium manuductæ fuissent, ipse ille qui vita ac resurrectio est,

Per terræmotum docetur Dominicam resurrect.

A illis apparet. Sic enim sapientiâ ac prudentiâ congruè disposuit, vt ne se subitò exhibens, occasioni esset vt præ stupore, vti etiam nonnullis discipulis accidit, phantasma quoddam putarent; vel etiam vt obtinens fidem, in stultum aliquem, ac impotentis animi motum à nimio gaudio credentes cogeret. Siquidem enim, cùm etiam ita res habuisset, mox vt apparuit, improuiso quodam, ac teneri nescio impetu actæ, intemeratos eius amplexæ sunt pedes; nisi ita prouidè dispensatum esset, quàm non à decoro excessissent, vehementissimo gaudio vim faciente? Atque hunc quidem modum reuelantur Mariæ resurrectionis mysteria, Domini autem Matri spiritaliori ratione, ac familiariùs. Vide sanè, eius maiorem cogitatu clarissimam, sinceramque pru- B dentiam; vt neque vnguenta ferentibus fœminis, neque Apostolis, hæc ipsa per se priùs annuntiauerit; sed vt magis ex visu certiores factos, firmiorem veritatem tenere concesserit. Sic enim sapienter admodum in toto se œconomiæ gessit negotio, vt non per eam essent primæ notiones; sed vt ipsa quoque peteret ex Deo, isque eâ mediatrice, amicis, ac quibus congruum esset, traderet. Cùm itaque sacri præcones, primam ipsam, ac cæteris clariùs diuinæ resurrectionis mysteria didicisse scirent: Per eam siquidem, certiores longè quàm per vnguentiferas mulieres facti fuerant; nusquam tamen cùm de resurrectione agunt, illius voluerunt facere mentio- C nem: congruâ nimirum prudentiâ, ac diuinâ Spiritûs prouidentiâ dirigente. Nam si testem resurrectionis eam produxissent, quæ videri posset suam ipsa quærere gloriam, in causâ fuissent vt resurrectioni astructa fides incredulis suspecta videretur. Quamobrem etiam meritò l i c, quæ ad eam spectant omittunt ac tacent.

Peculiari ratione Mariæ Virgini resurrectio reuelatur.

Vt nunquã Mariæ in Euangelio indictum testimoniũ.

Portò fuerit cumprimis congruum hodiernæ lætitiæ, vt quos illa per id tempus sepulchro assidens, gratiarum actionis monumento sermones obtulit, nunc resumentes, vnà cum illâ ordiamur. Tempus enim quod resurrectionem præcessit silentiò exigens, mirabile illud considerans, meditansque mysterium, solitariáque eum alloquens, qui horrendam illam D œconomiam implebat, eiuscemodi sermones, submissè ac sensim secum disserebat: *Tu,* inquit, *Domine, qui impatibilem ac immortalem Deitatis haberes naturam, assumptâ carne vt homo passus es. Tu,* inquit, *non deserens Paternum sinum, in terra vtero demoraris. Tu, qui in vniuerso incircunscriptus Deitate existas, corpore in monumento circunscriberis. Sic te Iustorum animæ suscipientes choros ducunt. Eiusmodi vocibus te redemptorem salutant. Sic ineffabili tuâ illustrans lætitiâ, inenarrabilem clementiam prædicant. Enimuerò mundi quoque ciuibus* E *victoria trophæa exhibe. Appare, qui inuisibili ratione ades, cum decenti ac congruâ specie. Splende in orbis finibus resurrectionis fulgores. Resurge corpore, qui nequis teneri deitate. Excitare ergo, qui in sæcula absque somno es. Exurge, quem laudantium populorum synagoga sint circundatura. Exurge ad vindictam quidem tuorum pauperum, vtque aduersarias Virtutes ad exterminium dissipes. Tu iustitiæ Sol, resurrectionis ostende radios: Appareant terrarum orbi victoriæ fulgores. Ignotescat vniuersis eiusmodi salus. Videant pauperes, & lætentur. Videam ego quoque desideratum desideratissimi Domini adspectum. Videam*

Mariæ triduo mortis soliloquiũ.

Psal. 7. v. 8. Psal. 67. v. 2.

Psal. 68. v. 33.

eximiè præstantis Filij pulchritudinem omni specie A *maiorem. Aspectem glorificati Dei orientem gloriam. Audiam dulcem illam vocem, dulcia, omnique gratiâ plena verba emittentem. Vt aduentûs, ita & resurrectionis gaudium, prima omnium Matri annuntiaturus appare. Appare, inquam, qui semper sis cum illâ, serueſque inuincibilē.* Hoc modo diuinorum magistræ ac vnguentiferæ Virgini, laudantique ac supplicanti, primæ Filius resurrectionis claritatem ostendit, vtque licebat doceri Matrem, ac honorari, apparitionis suæ primâ præsentiâ honorat. Quanquam enim scriptum est, primùm apparuisse Magdalenæ, ita tamen intelligas, vt quod ad Apostolos, aut mulieres alias vnguenta afferentes, spectat. Sanè enim B Virgo parens ante etiam spiritalem Angelorum initiationem, Nati ex se mysteria peruidet. Supra omnes enim desiderio flagrans, decertansque, ac perseuerans, sola prima quoque condigna recipit munera. Par quippe erat, vt omnium prima mundi totius acciperet gaudium, quæ eius nobis tantæ lætitiæ plenitudinis causa extitisset: cui soli arcana credita essent; quæ innumerabiles passionis perpessa esset gladios. Par erat, vt quæ sola tristium Filio socia fuisset, sola quoque prior omnibus voluptatem illam perciperet. Enimuerò quisnam animus tantam illam quam suscepit, Domine, tuam gloriam, conijcere valeat? Quænam verò intelligens natura, im- C mensam illam pulchritudinem, quam velut Matri tunc reuelasti, intellectu perspiciat? O quantâ ei lætitiâ apparuisti! Quantâ verò luce, creata vniuersa id temporis illustrasti! Quali luminoso aspectu visus es mundi ciuibus! Qualis, dulcis illius ac præconis resurrectionis terræmotûs fragrantia, omnia perspirauit! Qualia vnguenta, inexhausto tuo illo vnguento copiâ supra modum scaturiente, terra reddidit! O quomodò in nouam quandam speciem, vniuersa rerum distributio, tunc temporis transfigurata est! Quomodò elementa in compositiorem quendam ordinem demutata sunt! Quomodò aër sedatis, dulcibusque ornatus est flatibus! Quantus oriens D decor chori stellarum! Quales solarium radiorum lucidissimi iactûs! Quænam grata species cœlestis ornatûs! Quis tantus Angelorum coactus chorus ac tripudium! Quis eorum laudationis suauis sonus! O qualibus tunc venustabantur diuinis splendoribus! Quam tuæ resurrectionis præcones induti erant lætitiam? Qualem ostenderunt, quam gloriam, ac speciem viderant! O voces illas ac sermones eorum, qui victoriæ de hoste reportatæ nuntij fuerunt! qui prædicauerunt prostratam mortem; qui Vitam te, ac resurrectionem terrenis euangelizarunt! O dulcem, ac supra omne desidera- E bile vocem tuam! quæ per vnguentiferas mulieres gaudium insonuit mundo: quæ tristia mortis disrupit vincula; quæ omnium auribus iucunditatem immisit. Oportebat enim ipsum per se gaudium ac iucunditatem, præuiâ eiusmodi prædicatione, hominum ordiri vocationem: eiusmodi plenâ gaudij compellatione, eos affari, qui tristi peccati reatu tenebantur: vt talia aduentûs tui ac beneficij præcurrerent fausta nuntia. Tripudiò gestiuit creatura omnis. Tunc cœli aperuerunt portas, ac velut propriam, terrenorum admiserunt annuntiationem. Exultarunt spiritales Virtutes, parique cum hominibus iocundita-

A Paschate.

Maria Θεολόγος Prima videt suscitatū Filium. *Marc. 16. v. 9.*

Magdalena prior vidit exceptâ Mariâ.

A re gaudentes, tripudium omni maius lætitiâ coëgerunt. Perfusus est lumine cùm spiritalis mundus, tum sensilis. Pulsæ sunt ab orbis finibus mœstitiæ nubes; lætitiæ radij omnia occuparunt. Natura rea habitum mœstitiæ exuit, ac luminis induit stolam. Disruptum est maledictionis chirographum, eiusque loco repromissiones conscriptæ sunt. Omnia, nouâ illâ vocis *Auete* compellatione, dulcissimo tuo ac indefectibili gaudio sunt impleta. Tu enim totius lætitiæ exultatio es, præcòque, ac causa; bonorum conciliatio, ac iocunditatis præbitio; vita, & resurrectio, gloriatioque inauferibilis: dulce lumen, ac spectaculum supra mo- B dum desiderabile: tranquillitas mente concepta, paxque aduenìens: ipsa per se sapientia, ac virtus, subministratioque prudentiæ; incorruptio & æternitas; incolumitas pariter ac iocunditas, constansque ac inuariabilis venustas. Pulchritudo intellectu maior, ac decor immensus; ipsa per se sanctitas, honorque, & iustitia, ac supra modum glorificata gloria. Solus es cupiditas numeris omnibus absoluta, ac desiderium modum nesciens: Innominabilis pariter, multisque insignita nominibus, ac supramodum appetibilis species. Quàm multa animus, cum tuâ illâ inenarrabili pulchritudine, nomina titulosque auet parturire! C Enimuerò prohibetur, cùm propriâ imbecillitate, tum sermonis inopiâ. Tu autem qui bonum sis innumerabilibus, ac nullo nominabile, atque à subtili omni cogitatu inueniendis appellationibus remotum, haudquaquam sermonem spectans, sed magis accensum animum, gaudium illud nobis annuntiaturus veni, quod per mulieres vnguentiferas olim annuntiasti. Nunc quoque nobis illuceat lætissimum iubar tuæ apparitionis. Liceat vtinam spiritalibus oculis, spiritalis Solis omni maiorem specie decorem aspicere. Desideriò fruamur Domini aspectu omne superante desiderium. Audierimus diuinam vocem, dulce quid D ac plenam gaudio prædicationem inclamantem. Acceperimus clementiæ tuæ lætissimam annuntiationem. Habeamus Vnguentiferam illam, per quam nobis inuiolabile annunties gaudium; per quam tuorum ad nos beneficiorum deriues fragrantiam; eam nimirum quæ te portauit vnguentum inexhaustum: quæ te, exultationem, vitamque, ac resurrectionem, cùm nobis conciliauit, tum prædicauit: cuius vbi puritatis aromata supra omnem odoris fragrantiam fuisses odoratus; in eâ quidem habitasti; atque ad nos per eam venisti. Qui porrò per eam, ô benigne, lætæ tuæ reconci- E liationis prædicasti aduentum, veni, vt nos ab humanis, ac huius sæculi rebus eruas, velut ab infimis terræ penetralibus; atque ad senij nesciam vitam illam nobis muniens iter, supernis epulantium accense choris: Tu enim es lumen, vita, & resurrectio, ac in cœlis lætantium voluptas; teque decet gloria, honor, ac adoratio, cum Patre ac Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Matth. 28. v. 9.

LEONIS ÆTERNI REGIS

Christi gratiâ, Imperatoris, Oratio in magnum, ac salutare aduersus mortem excitatum trophæum.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex Regio Cod. collato cum editis Gretz.

RESurrectio mei Iesu, ac Dei; mortuique Adæ ad vitam reuocatio; in vitæ hilaritate, festam Vitæ celebremus diem. Resurrexit Christus, inferis in captiuitatem redactis, ac libertate annuntiatâ captiuis; laudibus extollamus liberatorem. *Mors in victoriâ* à morte *absorpta est*; fugaturque corruptio, & interitus, ac incorruptio regnat; *Iubilate Deo omnis terra:* alio vocis præconio eius efferte potentiam: prostratus est aduersarius: superbus, depressus est; qui vinctos priùs tenebat, nunc vinculis constrictus tenetur: qui genus humanum abolebat, ac extinguebat, is iam occidit. Adest Christus ex inferis victor; quis non obuiam ei, quâ pedum agilitate, ac vocum alacritate tantum decet victorem, occurrerit? Canat cœlum desuper victoriæ cantica, ac terra subter. Nunc Angeli gloriam resonent: nunc homines choros ducant, ob pacem, eamque sempiternam, concessam. Interfecit enim inimicitias in carne, interfecto simul cum ijs earundem parente, ac artifice; is nimirum, qui hodie ex sepulchro tanquam ex thalamo processit, potentior effectus æternis illis vinculis, ac portis mortis. Omnium nobis solennitatum, si quas oculis conspicui homines, ac si quas inadspectabiles Mentes celebrant, hodierna festiuitas diuinior, sublimiorque illuxit. Nam si quæ alia supercœlestis exultatio est, quam iugi celebritate assistentes Deo Virtutes gaudio peragant, eam quoque, nostræ huic lætitiæ putandum est cedere; non modò propter eum qui resurrexit; sed & propter eos, quos secum suscitauit. Siquidem enim vnius ipsâ suscitatione eis gaudium est, quid hodiernâ die acciderit, cùm mundus vniuersus resurgit? Hodie egressum ex grauissimâ Ægypti seruitute festis gaudijs colimus; quo, à molesto illo luti opere liberati, crudelem Pharaonem reliquimus, Deique populus esse pariter, ac vocari meruimus, viámque illam, quæ ad hæreditatis promissæ terram bonam ducit, iniuimus, admirandum illum legislatorem, ac qui virgâ crucis prodigia præstet, secuti ducem. Celebrabant quidem olim etiam Israëlitæ egressionis solennem diem; valde tamen ea solennitas in angustum coacta erat: Festum, inquam, solenne agebant; at quid refert dicere, vt nihil eius participes essent, qui in cœlis dies festos agunt, ac epulantur; cùm ne ad illos quidem qui in terris, ac proximo interuallo dissiti degebant, celebritatis huius lætitia manaret: Potiori itaque iure non pertingebat ad superos. Cùm enim ea quæ agebantur corporali ratione constarent, nihil erat vt Spiritûs, ac secreti à materiâ ad eam celebritatem conuenirent.

1. Cor. 15. v. 54.

Psal. 65. v. 1.

Eph. 2. v. 16.

Dominicæ dies Resurrectionis solennitatum maxima in cœlo, & terris.

Iudæorum Pascha angustum, ac terrenum.

Gentilium sacra turpia.

Habebant antiquis temporibus etiam Græci sua festa, sed quodnam illis festorum omnium pulcherrimum? Illud videlicet quod omnis turpitudinis argumentum erat; & ipso hoc quod splendidum, magnificumque videbatur, nihil A aliud nisi summam animi insipientiam, & stoliditatem prodebat. Quâ enim turpitudine, & quâ, quantumuis insigni stultitiâ, minor censeri debet illa, vt Diuûm Rex, vt loquuntur ipsi, in taurum mutetur; vt amores suos dorso ferat, Deusque taurus humidum secet iter: blando mugitu Europam demulceat, inque dorsum, velut vehiculum conscendere inducat? aut vt perdito amore flagrans in auem sese transmutet, vt ita assumpto, ac rapto Ganimede pocillatore vtatur: aut vt insano mulierum œstro percitus, sese modò in auri speciem induat; atque is, qui catenâ de cœlo demissâ, deos omnes sese attracturum minabatur, in Danaës detrahatur gremium: modò cy- B gni formam subeat, vt nimirum modulatâ voce, quod par est credere, Ledam decipiat? Cæterum an non dies ille festiuus valde, ac clarus, quo patris Saturni celebratur memoria, à filio grauissima perpessi, exsectique; nec non suprema inde rursus proles, turpiter tum nata, tum notos afficiens? Similibus addamus similia; videlicet Panem illum, qui, vt grauissimi Græcorum sapientes volunt, ex vniuersorum seminum commixtione natus, eâque de causâ Pan appellatus est: armigeram item illam Virginem, quæ ex Iouis vertice exiuit: cuius matrem cùm vehemens, ardensque ille amator deuorasset, ipse inusitato more, ac modo partûs dolores C sustinuit; vt nimirum armatum fœtum, vti dicebam, ex capite effunderet: nempe, vt & filia symbolum parenti consentaneum gereret; quòd ille genitore suo hostiliter vsus, eum & Imperio deiecisset, ac tartaro inclusisset. Digna profectò dijs geniti, parentibus suis ob vitam, & lucis acceptam vsuram persoluerunt præmia.

πᾶν Omnia.

Quid nunc referam, quo Neptunus œstro percussus insanierit in Phrygium adolescentem, quem & ipse, fratris sui exemplo ad turpe, nefandumque ministerium rapit? Sic enim Græcorum disciplinarum sectatoribus videtur, qui inhonesta, magis inhonestis emendare studeant: D quibus religio est, vt Diuûm quempiam, gulæ ac ventri deditum fateantur; inque eum vsum, Pelopem agnoscant à Neptuno raptum; vt quod prouerbio ferunt, dum carbones fugiunt, incidant in flammam. Cæterùm quis fando explicet, quónam pacto ille idem in mulierculas item exardescens, in aliam, aliamque speciem transformatus sit? His adiunge Apollinem, qui Daphnem efflictim deperijt; qui alijs occulta pandens, sibi ipse nequijt opem ferre: quippe nesciuit fore, vt ab eo amasia fugeret; ipse verò vanis, ac incassum fusis ploratibus, iuxta arborem eiularet, nullo alio ad solatium relicto, quàm E vt dolorem magis accenderet: tametsi is Martem adulterantem prodit, ipsumque vinculis circunquaque adstringit. Quid verò percensere attinet, omnium pariter deorum in alienas formas transmutationes, ne Ceres Proserpinam quæritans, finem laboris reperiret; nemine scilicet existente à quo interrogaret; cùm omnes simul dii, positâ figurâ propriâ, peregrinas, ignotasque formas sibi adsciuissent. Quid dicam, non satis dispicio; num quia furtiuas illas Plutonis nuptias communi consilio celare statuissent; aut quia ignorarent; eamque ob causam difficiliori illis inquisitione, formas alias assumpsissent. At isti quidem, vt temerè excogitarunt, quos arbitrati sunt deos; ita etiam sine ratione iisdem dies

festos consecrarunt; non animaduertentes, quos eis festos constituisset dies, in eorum dedecus, ac opprobrium cedere; nec aliud ipsos, quàm suam ipsorum stoliditatem solenniter colere.

Christianorum festa honestatis plena.

Nobis porrò, vt Deum cognouisse, vel potiùs à Deo cognitos esse, præclarum ac honestum est; ita & festa celebrare. Quapropter tota rerum vniuersitas vnà nobiscum hodie celebrat, ac festum agit; simulque omnia bona quasi in vnum fontem confluunt; libertas; incorruptio; eius gloria, qui per misericordiæ viscera nos cognouit; lætitia eorum, qui ob regiam drachmam inuentam, gaudent: tristitia, ac mœror eorum, qui penitus prostrati sunt, inferni scilicet, ac mortis; nec non inuisorum dæmonum: quos cùm Græci turpiter agnouissent, longè adhuc B turpiùs coluerunt, ac Deo debitis honoribus prosecuti sunt. Verùm ad nostra, quæ verè diuina sunt, regrediamur; orationemque velut ad sacram speculam reuocemus: & gloriam, quâ à principio claruit is, qui nobis huius festi auctor est, religioso oculo contemplemur; sicque ad œconomiam vltimis temporibus exhibitam procedamus.

Pulchra Theologia. *Phil. 2. v. 6.*

Deus, cuius nobis hodie festiuitas agitur, ab æterno extitit, ac fuit cum Patre; *nec rapinam arbitratus est*, vt Scriptura loquitur, *esse se æqualem Deo:* sed ab ipso quidem esse suum accepit, particeps vt eiusdem naturæ, & æternitatis; ita & gloriæ, & omnium quæ Pater habet. Filio C enim ab initio competebat & gloriæ, & imperij, seu potestatis æqualitas, quia perfectus ex perfecto prognatus est; quodque eâ ratione magis constet eius gloria, *ex quo omnis paternitas* descendit, vt Filium genuerit, qui neque gloriâ, neque honore minor quicquam Patre existat. *Eph. 3. v. 15.* Homines quidem cùm perfectionis expertes sint, imperfecti, imperfectos; egentesque, egenos progenerant: at qui perfectus; vel (vt rectiùs loquar) omni perfectione maior est, is omnibus modis consummatum gignit; vt generatio illa diuinæ maiestati sit consentanea, non à naturâ illius aliena. Quia verò hæres existens omnium Pa- D tris bonorum, atque donorum, bonus ex bono erat: decebatque vt diuitiæ bonitatis non solùm in eo apparerent, quòd puluerem ad Dei imaginem condidisset; ac neque vt ipse honorem habens, opulentissimus esset: adiecit & hoc bonitatis suæ munus, & argumentum, vt postquam homo propriâ inclinatione, & ruinâ in seruitutem mortis inciderat, neque ratio vlla quâ se inde expediret, suppetebat, eum à vinculis his exsolueret. Quapropter nimiâ quadam beneuolentiæ abundantiâ, ipse se exsuperare voluit. Idcirco statuit perditum in libertatem asserere, non sine molestijs: (quod volenti facile erat; nam E omnia cedunt Deo:) sed ita, vt conuersationis cum reis societatem iniret; sicque ipse incommoda, ac miserias expertus, miseriam omnem dissolueret. Cæterùm cùm id aliter præstari non posset, quàm vt is qui me finxerat, meum ipse figmentum indueret; peragitur quod totum mysterium, occultum, ac arcanum mysterium est; ac mei simile primùm incipit esse, quod à principio erat Verbum: magnique cor. silij Patris Angelus, in humanâ specie venit; amoris magnitudinem, quo nos Pater dilexisset, per seipsum ostendit; ac suâ carni iustificatione, vt à mortis dominatione iusti speciem habente, exsoluatur, tribuit. Quibus enim aduersus eum, qui nihil piaculi in

Incarnationis ratio.

Isai. 9. v. 6.

Vt abolitum per

A se receperat suæ vim tyrãnidis explicare præsumpsit, ijs etiam, quo aduersos peccatum iure fulta erat, amisit: ac cùm per vnum peccatum, teste Scripturâ, imperium suum firmasset, idem per vnam iustificationem, ac meritum pessundatum est. Cùm enim mors, ad eius modum Adami, qui peccatum admiserat, eum se Adamum qui peccatum nesciuisset, retenturam speraret, non animaduertit rem sibi cum eo esse, qui diuturnam illam tyrannidem dissipaturus esset.

Christum mortis imperium. *Rom. 5. v. 21.*

Hoc præsentis nostri festi caput & summa Deus, non suffragijs hominum creatus, sed diuino ipse peculiariter gloriosus imperio, atque virtute, misericordiâ erga homines commotus, humanam naturam assumpsit; ac carnem suam in B atram mortem tradidit, vt nos immortalitatis luce collustraremur. Neque enim fieri poterat, vt ab ipso creatum hominem in calamitatibus versantem despiceret; quem, inquam, ex nihilo ad imaginem condidisset; vtue morbo ea ligni esu contracto, perpetuò excruciari sineret; aut paradisi ciuem iugi custodiâ macerari permitteret: at cùm auxilio destitutum aspiceret, manum suam, cuius homo opus esset, adiutricem extendit: fit personarum acceptor, qui iustissimus est: decretumque illud aduersus eum, qui mandatum violasset, legitimè conscriptum, insitâ commiseratione, velut munere quodam captus, obliterat, atque expungit; propriâque morte, mortis in nos impressionem cohibet. O im- C mensam bonitatem! O viscera! O amoris vim, quo sic Deus hominem deperijt! Ea terræ effingis puluere; tuâ inspiratione animam tribuis; domum destinas omnis generis plenam delicijs: ast ego tam immensam bonitatem non perpendi: magnitudini muneris tanti gratum me non exhibui; nec dignitatem, quâ pollebam, æstimaui. Ligni esu, diuinam prodidi denuntiationem quæ mihi vitam omnis interitûs expertem pollicebatur. Quod denique meorum scelerum grauissimum est, dexteram nesciui, quâ conditus essem: creatis, honorem quo Creator prosequen- D dus erat, detuli. Quid verò horum gratiâ mercedis rependitur? Luteam hanc meam deformitatem conditor ipse meus induis; neque renuis, quò minus te ad extremam vsque ignominiam demittas, gustesque amarum mortis poculum, vt ego de torrente voluptatis, quo immortalitas affluit, bibens, mortis amaritudinem depunam, Quisnam iste nouus adeò, ac præter opinionem, beneficentiæ ac humanitatis modus? Cecidit è cœlo Lucifer, qui manè oriebatur, estque effectus caligo: excidi & ego à diuinâ vitâ, omnéque contumeliarum genus suffers, vt priori in me illustriorem diuinam formam instaures. Quâ de E causâ flammeum ensem posuisti, vt lignum vitæ custodiat, vt ne eo vescens in æternum viuam? Nonne vt mei gratiâ in te mortem trahens, sic vitam mihi sempiternam dones? Quid verò in terram reuerti facis ob affectatam deitatem? An non vt ad me accedens, deitate dones? Verùm ab innatâ tuâ misericordiâ victus es; nec es passus, vt à morte manûs tuæ opificium absumeretur; neque amori tuo aduersus me consentaneum esse duxisti, si me omni auxilio destitueres: sed statuisti teipsum pro me pretium redemptionis, & salutis comparandæ tradere; descendisque ad has meas infimas sedes, vt qui per insidias huc delapsus sum, non solùm ab imo reuocer, sed & ad cœlos, vbi priùs non degebam, transferar. Hoc

Dei in hominem beneficia, hominisque ingratitudo.

Isai. 14. v. 12.

modo insidias, quibus deceptus essem, mihi in A lucrum conuertis; meâmque infirmitatem portas, ac dolores meos recipis, vt ego ad vitam omni dolore carentem commigram.

Isai.53.v.4.

Prodit discipulus, nec irasceris: percutiunt sacrilegæ manûs, nec vlcisceris: iudicat Pilatus, & taces, tanquam reus: conspuunt, nec faciem auertis: trahunt ad victimam, tanquam agnum; neque os aperis: clauis ligno affigunt; proque illis preces fundis. Modò Regem subsannat: *Si rex Israël est, descendat de cruce:* modò execrando ore illud *Vah!* intonnant. At tu omnia profundo immensi amoris tui tegis; quasi hominem eo consilio è luto effinxeris, vt nihil ille in te iniuriarum, & contumeliarum omitteret; tu verò nullam beneficentiæ rationem, quâ contumeliosum demereteris, prætetires. Neque enim in vesaniam, B sed in salutem ingratissimorum seruorum oculos conijcis.

Matth.27. v.42.& 40.

Pascha Christianorum.

Cæterùm hæc Dei interfectrix Synagoga molitur: at qui verè Dei populus est, is celebrat Pascha diuinum, & salutiferum; tum immolatione, tum venerandâ vnctione, securus plagarum quas Exterminator illaturus esset; atque à cunctis, quibus vexabatur, ærumnis liberatus, ac ad cœlestes promissiones translatus. Nam olim quidem Moyses, Hebræorum gẽtem ex durâ illâ Ægyptiorum seruitute liberans, velut vmbrâ quâdam, ac obscurioribus liueis rerum præsentem statum designauit: ac ille quidem post plagas alias, grauiori C hactenus plagâ, ac superiores omnes vincente, primogenitorum morte Ægyptum afficit; atque ijs, qui malè vexabantur, libertatem impertit: breuíque interuallo iter secat, quod persequentibus in sepulchrũ cedit. Hæc antiquitas beneficij monumento recolere, ac prosequi honore iubebatur. At postquam satis iam vmbra durauerat, tempúsque aduenerat vt ipsa veritas coleretur; neque iã vna natio, sed totum genus humanum libertatis recuperatæ beneficium celebraret; peragitur magnum hoc mũdi Pascha; non cæsis, immolatisque pluribus anniuersario ritu agnis; sed vnico illo, ac singulari Agno occiso, qui omnium onera suis hu- D meris tulit: vnguiturque pretioso sanguine non ædium caducarum superliminare; sed immortalis sapientiæ indissolubile opus; videlicet ea, quæ per fidem est, structura, ad quam exterminatori propinquare non licet: quam supra se, tanquam supra fundamentum, ratione fixionis in imo superædificatam, velut angularis lapis continet, ac sustentat, propter supernã illam eius virtutem, quâ continet omnia atque conseruat: quam pretioso suo sanguine sanctificat, velut victima pro nobis oblata; ac vt Redemptor, saluam facit nouam initians viam; non quidem diuiso, ac quasi disciso maris profundo: neque enim profundi illius semitâ suos E Redemptor ducit: sed quâ ad superas oras tenditur, ac quâ persecutoribus transire nullâ ratione conceditur. Ipse, non alius, in promissam terram nos introducit, vbi nullus Chananæus, nec eorum quispiam ex illis, qui exosi sunt: sed soli illi, qui hæreditatis largitorem agnoscunt, ac quos ille habitandi causâ introducit, vt à Patre hæreditatem accipiant, loco vulnerum, ac sanguinis quæ ipse obtulit. Patri enim sanguinem offert, vti etiam cõmendat animam. Nam licet ea pro nobis redemptionis pretium offerre dicatur: (Verè etenim pretium redemptionis, quòd nostri causâ mortem subiens, nos is redemerit) attamen Filius Patri suo oblationem facit.

Exod.12. v.4.

Christus, nouam nobis in cœlum initiat viam.

Christi sanguis quo nos redemit, oblatus Patri.

Agedum verò, sicuti ascensum supernum, ac hæreditatem mystico oculo contemplari sumus; sic & ea, quæ in his inferioribus locis peraguntur, intueamur. Duplex enim est, eorum quæ peragũtur spiritalis intelligentia. Etenim Christus tribuit superna: inde namque ad nos venit, ac vt nos eò transferret. Peragrat autem & hæc infima: vt tamẽ nihil humile, aut sordidum ex illis contrahat; vt & inde salutare Dei elucescat. Cùm illud audis, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* noli malè indubietatẽ abripi. Clamat, *Deus meus, vt quid me dereliquisti*; at rumpitur velum Paternæ domûs, quò ostendat Pater, quaniam Vnigenito patiente iram conceperit; vtque futurum sit, vt quia eius corporis templum soluere præsumpsissent, ex suâ ille domo eos abrumpat, atque exterminet: quin & à diuinâ suâ prouidentiâ per inspectionem protegẽte, velut abruptos, procul abijciat. Latus lanceâ perforatur: sed vide immortalitatis fontes; sanguinem, & aquam; inde manẽtes. Linteis funebribus inuoluitur, ac terrâ conditur, versaturque cum mortuis; sed sponte cedit periculum facienti inferno, vt suâ ipse ad breue tempus detentione, eos, qui perpetuò ibi detinebantur, educeret. Enimuerò nesciens infernus, dum additamentum sperat, etiam eos amisit, quos priùs possederat. Nesciens, dum Vitam apud se detinere putat, quibus coërcebat visceribus, mortuos effudit? Apparuit enim ijs, qui in tenebris, ac vmbrâ mortis sedebant, Oriens, qui occasum nescit; ijque ad vitæ lumen accurrerunt. Ianitores, impetum eius, ac præsentiam, qui ad afflictos vlciscendos venerat, minimè sustinuerunt. Immortalia illa receptacula, omnipotenti dexterâ spoliari videntes; cohorruerunt efflorentem incorruptionem, ac corruptionem tabescentem, pariterque ipsi abundè contabuerunt. Viderunt aperiri monumenta, mortuósque vegeto pede, ac alacri, ineluctabili è custodiâ progredientes, partæque libertatis gaudio choreas ducẽtes, ac apud se confundebantur. Vidit infernus amarum illud, ac lethale spiculum, quo genus humanum ob transgressionem transfixum fuerat, iam extractum; naturámque in pristinum restitutam statum, recreatamque ex eo, quo conflictabatur, morbo; foréque intelligens, vt ne ampliùs diffluentem eius fructum collecturus esset, inexplebilem ventrem suum ingeno cruciatu compleuit. Sepulchrum eum hospitio excipit, qui cœlis sublimior est; at mortui qui isthic computruerant, depositâ sepulchrorum putredine, nouam vitæ stolam induunt. Quin & mulieres, plenum lætitiâ nuntium è sepulchro accipiunt; quorum antea munus, mœror, ac commotatio in sepulchro. Nam & hoc communi salutis nostræ negotiationi consentaneum erat, vt inde audirent illud: *Nolite flere*; vbi propter latam sententiam, lacrymæ copiâ diffluebant: & vt eo loco vitæ indicia sortirentur, quem mors priùs obsederat.

In Christo mixta diuina, & humana.

Matt.27. v.46.

Nempe in horto.

Sed ô beatæ mulieres, tum ob aduentum primo diluculo ad monumentum, tum ob pulcherrimum illud & alloquium, & spectaculum: quæ nimirum primæ, immortalitatis illum locum specioso pede presseritis; primæque, magnum illud trophæum audieritis; nempe spoliatum infernum; mortem peremptam; corruptionem profundo mersam. Non ampliùs propter lapsum vocandus in crimen sexus fœmineus; per quem resurrectio faustè annuntiatur. Non

In mulieres vnguentiferas.

ampliùs propter primam generis parentem, mulieres pudore obteguntur; quippè quæ lætâ tum facie, tum linguâ, primæ gaudij nuntia perferunt. O felices aures, quæ ante alias rei tantæ auditum acceperunt! O felices oculos, qui vitam iamiam ex sepulchro, velut ab Oriente, solem rutilare viderunt! O felices manûs, quæ pedes quibus mors fuit conculcata contigerunt. Verùm ite, nec solæ rei tantæ voluptatem percipite. Abite, tristitiâque confectò præclaro illi choro, inchoandæ exultationis signum date. Non sunt fortè verbis vestris habituri fidem, veterem reneriti deceptionem; at proprijs oculis credent. Fortè indignas vos censebunt, quibus narrantibus assensum præbeant; at reuerebuntur non eo B duntaxat titulo, quòd vobis illi in Magistri cultu, ac honore inferiores extiterint; verùm etiam quòd fausto adeò nuntio primas teneatis. Ite, vtque ad Pastorem recurrant, quo percusso dispersæ sunt oues; cùm ille iam requirendis incumbat; commonete. Dispersit eas percutientium atrox facinus; congregauerit eius potentia, qui, quâ ratione fuit percussus, hostes disperdidit. Absconderunt se, vt Regem vulneratum vidissent, breuique tempore ob molestias inde enatas somno captum; nunc procedant: surrexit enim, vulneribúsque confectis aduersarijs, præclaro triumpho victor præit.

In Mariam. Adesto Virgo parens, eumque exime gladium, qui videntis è cruce pendentem Filium, cor C transfodit: nunc, quæ, & quanta euenerint, intuere; gloriæque, & exultationis particeps efficere. Claustra, ac portæ ineluctabiles confractæ sunt: in vincula coniectus est ille, qui vinculis liberatorem alligare tentauit: Compediti, educti sunt è domo carceris. Impassibilis ex sepulchro prodiit, qui virginitatis pudorem illæsum, & intactum, cùm nasceretur, custodiuit; vt quemadmodum auspicans, ita & consummans, nostræ salutis causâ susceptum ineffabile opus, naturæ transiliat leges: quanquam illic quoque formationis tempus seruet, ne inani tantùm specie carnem assumere videatur; hicque triduanæ sepulturæ hospitium, moramque; diuiniori vtique D consilio dispensatam; admittat. Puto enim, cùm humanæ vitæ triplex sit status, ex eo tempore quo ex patriâ eiecti sumus; ac alij quidem lege priores: alij sub lege; alij post legem, ac eam quæ est in gratiâ, vitam consecuti sint: ipsum, qui salutis vniuersorum causâ mortem obire elegisset, triduanam mundo initiasse resurrectionem: quò, euique generis portioni, pari numero dierum, quibus in inferno morte resolutus mansisset, libertatem sanciret. Sin autem cui placeat, vt eam generis velut ex elementis, ac primam reformationem in Dominicæ causam resurrectionis referat: atque ideo velit trium dierum spatio ab vni- E uersorum Domino labefactatam mundi, quod eam, vniuersorum consummatrix Trinitas peragit; ne ea quidem quæ à nobis dicta sunt aduersari comperiet. Quorsum ergo amicus, quatriduanus ad vitam reuocatur? siquidem Iesus suâ resurrectione, mundi totius reformationis, ac regenerationis figura fuit? Nimirum declarat, eùm eum rursus Creator, ac amicus ex mortuis suscitat, ad mortalem vitam redocere, quam ipse totidem constituit elementaribus principijs. Processit è locis obscuris, quod ante solem lumen exortum est, sempiternamque cùm solutionem, tum mœroris vinculum contulit. Nam alijs qui-

Ratio triduanæ mortis Dominicæ.

A dem sempiternam ruinam, ac tristitiam intulit; nempe desertricibus virtutibus, ac si qui ijs accedentes, Saluatorem agnoscere nuluerunt: illos verò qui beneficium receperunt vnà secum resuscitauit, ac magnificè gloriâ exornauit: Adamum saluum fecit: Euæ luctum in gaudium commutauit, creaturas omnes instaurauit: nihil in veteri, ac obsoleto statu reliquit, exceptis ijs, quæ Iudæorum furorem, & vesaniam perpetuâ ignominiâ notant. Quapropter omnis creatura collatam celebrans salutem: *Vbi inferne stimulus tuus? exclamat: Vbi mors victoria tua?* Aboli- 1. Cor. 15. v. 55. ta est, dissipata est; cum sonitu periit, diuinâ eius virtute, qui carne pro nobis passus est, sepultúsque, ac à mortuis suscitatus, Christus Deus noster, cui gloria in sæcula: Amen.

THEOPHYLACTI EPISCOPI

Bulgar. superioris Euang. expositio.

Et cùm præterisset sabbatum, Maria Magdalena, &c. Nihil magnum, neque dignum deitate Iesu sapientes mulieres illæ faciunt: assident sepulchro, & vnguenta emunt, vt secundum consuetudinem vngant corpus, vt fragrans maneat, & ne quid fœtidum ex corruptione oriatur, & vt vnguenta & alia quæ virtutem siccandi habent, humorémque corporis absorbent, incorruptum illud seruent. Et talia quidem sentiebant mulieres. *Et valde mane,* id Matthæus vesperam sabbatorum, & Lucas profundum diluculum dicit. Vnius autem sabbatorum, hoc est, primæ ex diebus hebdomadis. Sabbata enim dies hebdomadæ nominabant, vnam autem primam. Surrexerunt & veniunt ad monumentum, & disceptabant, quis reuoluet nobis lapidem? Cumque illæ cogitarent, Angelus reuoluit lapidem, non sentientibus mulieribus. Id quod & Matthæus dicit, quòd cùm irent mulieres, Angelus reuoluit lapidem. Hoc autem Marcus siluit, quòd Matthæus dixisset à quo reuolutus esset lapis. Quòd autem Matthæus dicit, Angelum sedere super lapidem, Marcus verò postquam ingressæ sunt in monumentum, vidisse ipsum mulieres intro sedere, non est mirandum. Potest enim fieri, quòd quem viderunt foris sedere, sicut Matthæus dicit, super lapidem, illum iterum viderint intus in monumento, qui præcucerit mulieres, & ingressus sit. Quidam autem dicunt, quòd aliæ quidem fuerint mulieres, quæ apud Matthæum, aliæ autem quæ apud Marcum. Magdalena verò omnium comes fuerit, nimirum quòd alacris esset, flagransque, ac officiosa.

Marc. 16. v. 1.

Matt. 28. v. 1. Luc. 24. v. 1. V. 6.

Dixit igitur mulieribus ille, qui apparuerat, *Ne expauescatis.* Principio à metu liberat, deinde bonum illud de resurrectione nuntium affert. Crucifixum autem ipsum nominat. Non enim pudet crucis, quæ salus est hominum, & bonorum caput. *Surrexit.* Vnde manifestum? *Non est enim hic.* Et vultis fide confirmari? *Ecce locus, vbi posuerant illum.* Ad hoc enim & lapidem reuoluerat, vt ostenderet locum.

Sed ite, dicite discipulis, & Petro. Petrum ab alijs discipulis vt præcipuum segregat, ac ob excellentiam nominat illum præ alijs: vel quia negauerat Petrus, si venissent mulieres, & dixissent quòd præceptum esset eis, vt annontiarent discipulis, dixisset Petrus: Ego negaui eum, iam non sum illius discipulus, abiecit igitur me, abomi-

Petrus cur nominatus.

natus est me. Illius igitur gratiâ apponit, *& Petro*, vt ne offendatur Petrus, quòd ipse non meruerit verbum, vt pote qui negarit, & propterea indignus sit qui aliis discipulis connumeretur. Porrò in Galilæam illos mittit, eripiens à tumultu, & metu Iudæorum.

B. IVONIS CARNOTENSIS *Episcopi.*

SERMO IN DIE PASCHATIS.

CVm cæteræ festiuitates in recordatione gestarum rerum lætitiâ spirituali fidelium mentes afficiant, in Christi resurrectione simili ratione corda simul lætantur & corpora: quia B Christo resurgente, homo noster interior à morte peccati ei consuscitatus est, & exteriori spes suæ resurrectionis probatissimo argumento confirmata est. Meritò ergo vtrumque lætatur, quia vtrumque Christo consuscitatur: interior in re, exterior autem in spe. Idcirco hæc solennitas ad anniuersarium diem suum non recurrit, sicut reliquæ solennitates, in quibus præteritorum tantum fit recordatio: sed huic obseruantiæ dies Dominica deputatur, & lunæ decursus post Plenilunium vicinum vernali æquinoctio. Dominica C enim dies quæ octaua est, & Dominicam congruè repræsentat Resurrectionem, quæ eo die facta est, & nostram præfigurat, quæ post septenariam huius temporis volubilitatem futura est. Lunæ verò decursus certi mysterij causâ huic obseruantiæ est deputatus, quia secundum Astrologorum inquisitionem, globus Lunæ semper dimidius lucet, & dimidius non lucet. Lunâ enim crescente, illuminatur pars inferior: Lunâ decrescente, illuminatur pars superior. Luna quippe in Scripturâ sacrâ typum gerit Ecclesiæ, quæ & defectum suæ mortalitatis ex originis necessitate tolerat, & tamen in medio nationis prauæ & peruersæ pro modo intelligentiæ suæ, humanæ ignorantiæ noctem illuminat. Huic innouatæ, & cum Christo suscitatæ per Apostolum dicitur: D *Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Hoc nobis Paschali mysterio insinuatur: Hoc lunæ Paschali tempore inferius deficientis, & superius crescentis figurâ commendatur, vt à tempore innouationis nostræ semper in appetitu terrenorum noster amor minuatur, & supernorum desiderio quotidianis profectibus augeatur.

In Christi Resurrectione vterque homo lætatur.

Quare Christi resurrectio semper celebretur die Dominicâ

Luna typus Ecclesiæ.

Col. 3. v. 1. 2.

Tropologia.

Tunc ergo verum Pascha celebramus, si quod rerum & temporum mysteriis significamus, vitâ & moribus semper teneamus. Idcircò sanctum Pascha in albis vestibus septem diebus celebramus, vt munditiam corporis, & lætitiam resurrectionis semper habere moneamur. Vnde per E sapientiam dicitur: *Omni tempore sint vestimenta tua alba, & oleum de capite tuo nunquam deficiat.* Quod est dicere, nunquam munditia à corpore, nunquam lætitia spiritualis absit à corde. Hoc idem significabatur, cùm Iudaicus populus post esum agni, septem diebus azymis vescebatur. Quod Apostolus in re significatâ ita interpretatur: *Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ac si dicat: Vt ad celebrandum verum Pascha, & edendam carnem veri Agni & immaculati sitis idonei, *expurgate vetus fermentum*, id est, tollite vetus

Modus celebrandi verum Pascha.

Eccl. 9. v. 8.

Tropologia.

1. Cor. 5. v. 7.

Ibidem.

A peccatum, *vt sitis noua conspersio*, id est, nouitatem vitæ nouæ recuperetis, quam in lauacro sancto accepistis. Cùm enim populus ad fidem veniens catechizatur, quasi molitur: quia sicut diuersitas granorum per molam in vnitatem cogitur, sic diuersitas populorum per instructionem fidei in quandam vnanimitatem adunatur. Sed nondum est conspersio. Accedit aqua, & fit panis. Sic in alio loco dicit Apostolus: *Vnus panis, vnum corpus sumus in Christo, quicunque de pane eius edimus, & de calice eius bibimus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Ac si dicat: Quia verus B est Agnus, quem epulamur, sic ad carnem eius edendam accedamus, vt cor mundum à malitiâ, & linguam immunem conseruemus à fallaciâ. Ita enim tanquam panis suauis in Christi corpus transibimus, & Christum nobis incorporabimus, vt Christum in nobis manentem semper habeamus, & in Christo semper maneamus, & ita non tantùm septem diebus, sed omni tempore verum Pascha celebremus, id est, vt de imis ad summa cœlorum gaudia toto desiderio transeamus.

Similitudo.

1. Cor. 10. v. 17.

1. Cor. 5. v. 8.

Christi caro edenda cum munditiâ.

SANCTI BERNARDI ABBATIS,

C *In die sancto Paschæ. De septem Signaculis, quæ soluit Agnus.*

VIcit leo de tribu Iuda. Vicit planè malitiam sapientia attingens à fine vsque ad finem fortiter, & suauiter omnia disponens: sed pro me, fortiter; suauiter, mihi. Vicit Iudæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligauit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphauit. Vbi enim sunt opprobria tua, Iudæe? Vbi sunt fabulæ, vasa captiuitatis? Vbi est mors victoria tua? Confosus est calumniator, raptor spoliatus est. Nouum genus potentiæ; hactenus victoriosa mors, obstupescit. Quid tu Iudæe? quid pridie ante crucem agitabas caput sacrilegum? quid sacrum hominis Christi caput exagitabas opprobriis? *Christus*, inquit, *Rex Israel,* D *descendat de cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam. Non est hoc Caipha, quod paulò antè dicebas, *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* At illud, quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas. *Si Rex Israël est, descendat de cruce*; hoc planè tuum est: magis autem eius, qui mendax est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, vt descendat, si Rex Israël est; & non magis ascendat? Sic non meministi, serpens antique, quàm confusus abscesseris olim, cùm dicere præsumpsisset, *Mitte te deorsum.* Et, *Hæc omnia* E *tibi dabo, si procidens adoraueris me?* Sic tibi excidit, Iudæe, quod audisti, *Quia Dominus regnauit à ligno*; vt Regem abneges, quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Iudæis, sed Nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite*, inquit, *in Nationibus, Quia Dominus regnauit à ligno.*

Apoc. 5. v. 5.

Insignes Christi victoriæ.

1. Cor. 15. v. 55.

Matth. 27. v. 42.

Ioan. 11. v. 50.

Ioan. 8. v. 44.

Matth. 4. v. 6. & 9.

Psal. 95. v. 10.

Meritò proinde titulum regni Præses Gentilis inscripsit ligno; nec potuit Iudæus, vt voluit, corrumpere tituli inscriptionem: nedum impedire Dominicam passionem, & nostram redemptionem. *Descendat*, inquiunt, *si Rex Israël est*; imò verò quia Rex Israël est, titulum regni non deserat; virgam imperij non deponat, *cuius*

Psal. 74. v. 1.

Christi in cruce perseuerantia.

Isai. 9. v. 6.

nimirum imperium super humerum eius, sicut praecinit Isaias. (*Ioan. 9. v. 21.*) *Noli*, inquiunt Iudæi ad Pilatum, *noli scribere, Rex Iudaeorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudaeorum.* Et Pilatus, *Quod scripsi, scripsi.* Si Pilatus quod scripsit, scripsit; Christus non perficiet quod incœpit? Ipse enim cœpit, & saluabit eos. Sed dicunt, *Alios saluos fecit; seipsum non potest saluum facere.* Imò verò si descenderit, neminem saluum faciet. Cùm enim saluus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, quantò minus poterit esse Saluator? Alios ergo saluos fecit: nam saluatione, cùm sit ipse Saluator, non indiget. Operator salutem nostram; nec eandem deesse patitur sacrificio vespertino, hostiæ salutari. B Noui, inquit, quid cogites. (*Perseuerantiam suadet exemplum Christi.*) Nun dabit tibi occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Non fecit obmutescere prædicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis. To locum tuum ne deseras: quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis, & cogitationes in malum. Sine causâ, maligne, parasti sagittas tuas in pharetrâ; & discipulorum suspitia cumulas opprobriis Iudæorum. Illi quippe desperant, isti improperant: sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis discipulis, & aliud aduersariis confutandis.

C (*Crux Christi gemmis quatuor virtutum adornata.*) Interim patientiam magis exhibet; humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His namque virtutum gemmis, quatuor cornua Crucis ornantur: & est supereminentior charitas; à dextris obedientia, patientia à sinistris; radix virtutum humilitas in profundo. His ditauit trophæum Crucis consummatio Dominicæ passionis; cùm ad Iudæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens; intùs, linguis; clauis exteriùs pungeretur. Nam & charitas in eo patefacta est, quòd pro amicis animam posuit; & obedientia consummata, cùm inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens vsque ad mortem. His spoliare dotibus, hac priuare gloriâ Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant, D *Si Rex Israël est, descendat de cruce.* Nimirum vt non sit iam obedientiæ forma, non incentiuum amoris, non patientiæ vel humilitatis exemplum; sed deleri debeant ex Euangelio verba illa suauissima, & dulciora super mel & fauum, (*Ioan. 15. v. 13.*) *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et ad Patrem, (*Ioan. 17. v. 4.*) *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* Itémque ad discipulos, (*Matth. 11. v. 29.*) *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et, (*Ioan. 12. v. 32.*) *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Hoc est enim quod dolet venenati serpentis astutia, exaltatum in deserto serpentem (*Num. 21. v. 9.*) E æneum, cuius intuitu sanentur vulnera quæ inflixit. Alioqui, quonam alio instigante misisse credimus vxorem Pilati ad ipsum, dicentem, (*Matth. 27. v. 19.*) *Nihil tibi, & Iusto illo: multa enim passa sum hodie per visum propter eum?* Timebat ergo iam tunc; sed nunc maximè, virtute crucis eneruari se sentiens inimicus. Serâ ducitur pœnitentiâ; & quos instigauit ad crucifigendum, instigat ad suadendum vt de cruce descendat. Denique, *Si Rex Israël est*, inquiunt, *descendat de cruce, & credimus ei.* Hæc plane serpentis astutia: hæc adinuentio nequitiæ spiritalis. Audierat impius Saluatoris vocem dicentis, (*Matth. 15. v. 24.*) *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël;* & nouerat, quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur; propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum, suggerebat vt dicerent, *Descendat, & credimus*: quasi iam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret.

Sed quid machinatur, aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei, in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non mouetur vanâ pollicitatione, qui nouit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphemâ mitissimus omniũ mouebatur. Eò quippe tendebatur malitiosa suasio, non vt ipsi crederent, sed nostra quoque, si qua erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim, *Dei perfecta sunt opera* (*Deut. 32. v. 4.*): quomodò fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per Prophetam. Quæris signa, Iudæe. *Expecta me in die resurrectionis meæ.* (*Soph. 3. v. 8.*) Si vis credere, maiora iam tibi opera demonstraui. Multiplicaui signa, sanitates perfici heri & hodie; hodie magis habeo consummari. An non maius erat, quòd vidisti è corporibus obsessis spiritus exire malignos, & de grabbatis suis exilire paralyticos, quàm è manibus meis vel pedibus clauos resilire, quos infixisti? Sed patiendi tempus est, non faciendi: & passionis horam sicut præuenire frustra conatus es, sic nec poteris impedire.

Sed si adhæc generatio praua & adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ (*Matth. 12. v. 39. Luc. 11. v. 29*): non signum descensionis, sed resurrectionis. Quod si Iudæus non quærit, amplectatur, & gaudeat Christianus. *Vicit enim leo de tribu Iuda* (*Apoc. 5. v. 5.*). Suscitatus est Paternâ voce leonis catulus; clauso prodiit tumulo, qui de patibulo non descendit. An verò id maius sit, inimici nostri sint iudices: qui tam curiosè munierant monumentum, signantes lapidem cum custodibus. Hunc enim lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ deuotæ inuicem querebantur (*Matth. 28. v. 2. Mar. 16. v. 3.*), factâ iam resurrectione Dominicâ, *euoluit Angelus, & resedit*, sicut scriptum est, *super eum.* Constat proinde clauso exiisse tumulo rediuiuum corpus, quod clauso Virginis vtero natum processit in vitam, & ad discipulos clausis introiuit ianuis in conclaui. Sed est locus vnde clausis noluit procedere ianuis; carcer vtique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula vniuersa contriuit, vt liberè suos educeret, quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur poris agmina Sanctorum dealbatorum, qui lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni (*Apoc. 7. v. 14*). Candidas prorsus in sanguine Agni: quia exiuit cum eo, & in eo etiam aqua dealbans; & testimonium perhibet ipse qui vidit (*Ioan 19. v. 34.*). Aut certè candidas in sanguine Agni nouelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo: sicut habes in Cantico canticorum. *Dilectus meus*, ait sponsa, *candidus & rubicundus; electus ex millibus* (*Cant. 5. v. 10.*). Inde est quòd in stolâ candidâ, & fulgureo vultu testis quoque resurrectionis apparuit.

Iam si confutandis Iudæorum calumniis sufficere videtur hoc ipsum, quòd clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant, *Si Rex Israël est descendat de cruce* (curiosiùs namque monumentum claudere & signare studuerant, quàm infigere clauos) si igitur vicit leo de tribu

Iuda in hoc ipso processu, & maius demonstrauit opus quàm petereot: ipsum iam resurrectionis miraculum eui poterit comparari? Legimus nonnullotum præcessisse resurrectiones, aut magis certè suscitationes; sed istius præambulas, quibus & duplici priuilegio noscitur præeminere.

Christi resurrectionis excellentia. Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterum morimri: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi vltra non dominabitur.*

Rom.6.v.9. Illi mortui iterum opus habent resuscitari: Christus, quòd mortuos est, peccato mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo; viuit in æternitate.

1. Cor. 15. v.20. Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus, qui ita resurrexit, vt cadere non adiciat, qui solus attigit immortalitatem:

B Est aliud io quo Resurrectionis huius innotescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus suscitauit aliquando semetipsum? Ineffabile illud est, vt à morte se excitet ipse qui dormit: singulare est; non est qui faciat, oon est vsque ad vnum.

4. Reg.4. v.34. 4. Reg.13. v.21. Elisæus Propheta mortuũ suscitauit; sed alterũ non seipsum. Ecce enim quot anois iacet io monumento, quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo vtique qui triumphauit mortis imperium in seipso.

Resurrexi. Christus; alij suscitatio. Inde est, quòd cæteros quidem dicimus suscitatos; Christum resurrexisse, qui solus virtute propriâ victor prodijt de sepulchro.

Psal. 138. v.18. C Siquidem & in hoc *vicit Leo de Tribu Iuda.* Quantùm poterit; imò quid noo posse videbitur viuens, & dicens Patri, RESVRREXI, *& adhuc sum tecum*, qui tam potens extitit deputatus eum mortuis; sed inter mortuos liber?

Nec verò resurrectionem distulit vltra tertiam diem, vt Prophera fidelis inueniatur, qui dixit,

Ose.6.v.3. *Viuificabit nos post duos dies; in die tertiâ suscitabit nos.*

Triduum Christi, ac nostrum. Decet nimirum, vt quemadmodum caput præcessit, sequantur membra. In patibulo sextâ feriâ redemit hominem ipsâ die, quâ fecerat hominem initiò: sequenti die sabbatizauit in mooumento, coosummato opere quod susceperat: tertiâ verò, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor oouus homo.

Totâ vitâ hac crux ferenda. D Ita & nos quicunque sequimur caput nostrum, totâ die hac, quâ plasmati & redempti sumus, non cessemus agere pœniteotiam; oon cessemus tollere crucem nostram, perseuerantes in eâ sicut ipse perseuerauit; & donec dicat Spiritus,

Apoc.14. v.13. vt requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, fratres, non carnem & sanguinem, noo spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce; deponamur aliorum manibus, noo nostrâ leuitate. Caput nostrum deposuere viri iusti: nos ergo dignatione suâ Angeli sancti deponant, vt consummatâ viriliter die crucis; secundâ, quæ post

E mortem est, quiescamus suauiter, dormiamus

Tit 2. v. 13. feliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei: qui resuscitabit corpora nostra tertiâ demum die, cõfigurata corpori claritatis suæ. Fœtent quatriduani, sicut de

Ioan. 11. v. 39. Lazaro scribitur, *Iam fœtet, Domine; quatriduanus est enim.*

Quarta dies filiorum Adam. Adinuentio filiorum Adam quartam formauit diem, quàm à Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, & abomioabiles facti sunt tanquam iumenta, quæ in stercore suo putruerunt. Diuinæ siquidem ordinationis est triduum, quod prædiximus; in labore, in requie, in resurrectione. Non placent hæc filijs hominum, sed suam volunt præferre diem: differentes pœnitentiam, vt

A indulgeant voloptati. Noo est hæc dies quam fecit Dominus: quatriduani facti sunt, & iam fœtent. Non nouit hanc, quod de Mariâ natum est, Sanctum: tertiâ resurrexit die, ne videret corruptionem. *Vicit* itaque *Leo de Tribu Iuda.* Luc.1.v.35. Apoc.5 v.5.

Occisus est Agnus, sed Leo vicit. *Leo rugiet, quis non pauebit?* Amos 3.v.8. Pro.30. v. 30. Leo, inquam, fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauebit aspectum; scilicet Leo de Tribu Iuda. Paueant qui abnegauerunt, qui dixerunt, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ioan. 19. v.15.

Paueant qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. v.14. Redit siquidem accepto regno, & malos malè perdet. Vultis nosse quia venit accepto regno? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cœlo, & in terrâ.* Matth. 28. v.18.

Sed & Pater io Psalmo, *Postula à me*, ait, *& dabo tibi Gentes, &c.* Psal.2. v.8. v.5.

B Fortis siquidem Leo est, non crudelis: graois tamen indignatio eius, & intolerabilis ira columbæ. Ier.30. v.16 Sed pro suis Leo rugiet, non in suos. Paueant alieni: Tribus Iuda magis exultet.

Gaudeant qui ioduti suot confessione, qoorum omoia ossa dicunt, *Domine, quis similis tibi? Leo de Tribu Iuda, radix Dauid.* Apoc.5.v.3.

Dicitur enim Dauid visu desiderabilis, vel manu fortis; & idem ait, *Ante te omne desiderium meum.* Psal. 37. v. 10. Et *fortitudinem meam ad te custodiam.* Psal. 58. v.10. *Radix*, inquit *Dauid.* Non Dauid radix eius, sed ipse radix Dauid: quia portat, & noo portatur. Meritò Dauid

C sanctè filium tuum vocas Dominum tuum: Psal.109. v.1. quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ, & desiderij; radix desiderabilis, radix fortis. Rom. 11. v. 18. *Vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid, &c.* Apocalypsis verba sunt hæc. Discant qui non legerunt: recolant qui nouerunt. *Vidi*, inquit Ioannes, *in dexterâ sedentis super thronum, librum signatum, &c.* Apoc.5. v.1.

Agnus, Leo, ipse liber. Leonem Ioannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occisus est; Agous accepit librum, Agnus apparuit; & apparuit Leo. Deoiqoe, *Dignus est*, aiunt seniores, *Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem.* Non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat, & Leo sit.

D Libri signacula, ipsa calceamenti corrigia. Plus dico, vt mihi videtur; idem etiam liber est, qui oon poterat aperiri. Quis enim dignus inueniretur aperire hunc librum? Indignum se profitetur & ipse Baptista Ioaones, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit. Ioan.1.v.27. *Non sum*, inquit, *dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Venerat enim ad nos calceata Majestas, diuinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso vtique & signato. Quod ligabat corrigia calceameoti, hoc claudebant signacula libri.

Septem signaculæ. Sed quid dicimus super his septem? An fortè triplex animæ virtus, ratio, memoria, & voluntas, & quadrifaria corporis compositio, ex ele-

E meotis videlicet quatuor, io his septem est intelligenda; vt nihil de veritate humanitatis defuisse nouerimus Saluatori?

Humanitas signata. An magis humanitatis eius, ipse est liber, & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam inoeniri arbitror, quibus maximè celabatur io carne præsentia Maiestatis, vt noo posset aperiri liber, & sapientia, quæ latebat, agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim, Matris desponsatio, quâ partus virginis, Matth. 1. v.18. & conceptionis puritas celabatur; ita vt hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. Infirmitas etiam corporis; quâ nimirum plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cæteris subiacens Mar. 6.v.3. necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus diuinitatis. Sic & Circuncisionis signum suscipiens,

peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum. Et item, in Ægyptum fugiens à facie Herodis reguli, nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex cœli. Quid trina illa tentatio inimici; in deserto, in

Matth. 4. pinnaculo, super montem? *Si Filius Dei*, inquit: *es, dic vt lapides isti panes fiant*. Et item, *Mitte te deorsum*. Neutrum Christus fecit, vt signaretur liber, vt falleretur astutus. Denique eousque seductus est, vt haberet iam pro constanti hominem esse purum; & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, vt non diceret vltra, *Si Filius Dei es*; sed, *Omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*. Sextum est signaculum crucis, vbi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus maiestatis. Clausit & sepultura librum hunc: nec vllum signaculum omninò sic obstruxit, sic occultauit magnum pietatis sacramentum. Sepulto nimirum Domino, sola restare desperatio videbatur; adeò vt discipuli dicerent,

Luc. 24. v. 21. *Quia nos sperabamus*. Quis non illo fleret in tempore clausum arctiùs librum, & non esse qui aperiret.

Sed ne fleueris vltra Ioannes sancte: etiam tu noli flere Maria. Procul sit luctus; tristitiæ nebu-

Psal. 31. v. 10. la dissipetur. *Lætamini in Domino, & exultate Iusti; & gloriamini omnes recti corde*. Dignus est Agnus, qui occisus est; Leo, qui resurrexit: postremò liber ipse dignus est aperire seipsum. Resurgens nimirum à mortuis: resurgens autem virtute propriâ, & post tres dies, sicut prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis; & resurgens in tantâ maiestate & gloriâ, indicat manifestè quæcunque prædiximus signacula, vel operimenta, voluntaria, non necessaria; nec conditionis fuisse, sed dignationis. Quid tu nuper Iudæe signabas lapidem monumenti? *Quia seductor il-*

Matth. 27. v. 63. *le dixerat adhuc viuens, Post tres dies resurgam*. Verè seductor, sed pius, non malitiosus. Deni-

Ier. 20. v. 7. que, *Seduxisti me, Domine, & seductus sum*, ait Propheta vester in personâ vestrâ: *fortior me fuisti, & inualuisti*. Seduxit vos, ô Iudæi, in passione: nam in resurrectione inualuit, & præualuit

1. Cor. 2. v. 8. vincens Leo de tribu Iuda. *Etenim si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Quid ergo facturus es? Et prædixit, & iam reuixit, diligenter explora signaculum sepulturæ? a-

Matth. 12. Luc. 11. pertum est enim. Datum tibi signum Ionæ Prophetæ: quia & prædixit ipse. Egreditur Ionas de ventre ceti; Christus de corde terræ tertiâ die procedit. Nisi quòd manifestè plùs quàm Ionas hic; qui semetipsum viriliter & ab ipso vtero mortis eduxit. Propterea viri Niniuitæ consurgent contra vos in iudicio; propterea ipsi iudices vestri erunt: quia Prophetæ obtemperauerunt, vos nec Domino Prophetarum.

Matth. 27. v. 42. Vbi est quod dicebans, *Descendat de cruce, & credimus ei*? Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros. Ecce apertum, non diruptum est: introite. Alioquin si non creditis resurgenti, vtique nec credidissetis descendenti. Sic vos scandalizabat crux

1. Cor. 1. v. 23. Christi: *Verbum enim crucis, Iudæis quidem scandalum est*, ait Apostolus: excitet vos saltem nouitas resurrectionis. Inuenimus nos in cruce gloriam. Nobis qui saluamur, Dei virtus est; & omnium (vt ostendimus) plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. Sed fortè & illa; imò multò magis illa vos scandalizat; & odor

2. Cor. 2. v. 16. vitæ nobis in vitam, vobis est odor mortis in

A mortem. Quid ergo insistimus? Non sustinet audire symphoniam, & chorum senior frater: occisum nobis saginatum vitulum indignatur. Foris stat: omninò non acquiescit intrare. In- *Luc. 15. v. 26.*

gredimur nos, Fratres, & *epulemur in azymis sinceritatis & veritatis. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*. Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes; humilitatem, patientiam, obedientiam & charitatem. *1. Cor. 5. v. 8.*

In hac quoque tam præcipuâ solennitate quid commendetur nobis, sedulâ cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus, & transmigratio. Christus enim, Fratres, non recidit hodie,

Pascha mysticum, & morale, transitu, ac trãsmigratione ad meliora.

B sed resurrexit: non redijt, sed transijt; transmigrauit, non remeauit. Denique & ipsum quod celebramus *Pascha*, transitus, non reditus interpretatur: & *Galilæa*, vbi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Credo iam aliquorum ingenia præuolant, & quorsum hæc velint tendere, suspicantur. Dicimus tamen breuiter; præsertim ne deuotionem vestram in tantâ solennitate sermonis videatur prolixitas onerare. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus reuixisset; ego eum, fratres, non transisse dicerem, sed redisse: non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse prio-

C rem. Nunc autem quia transijt in nouitatem vitæ, nos quoque inuitat ad transitum: vocat in Galilæam. Propterea siquidem quod mortuus est peccato, mortuus est semel: quia quòd iam viuit, viuit non carni, sed Deo. *1. Cor. 6. v. 10.*

Quid nos dicimus, qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ priuamus nomine, vt sit nobis in reditum magis quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctioni & orationi, grauitati & abstinentiæ dediti: cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere, & diluere cupientes. Cõmunicauimus passionibus Christi: complantati ei denuo sumus per baptismum

D quendam lacrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodò viuemus adhuc in illo? Si negligẽtias planximus, quid causæ est vt recidamus nunc in easdem? Inuenitemur nunc curiosi vt antè, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitijs, quæ tam anxiè deplorauimus his diebus. *Laui pedes meos; quomodò iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam; quomodò induam eam?* Non est *Cant. 5. v. 3.*

trãsmigratio hæc, fratres: non sic videbitur Christus: non hoc iter quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. *Luc. 9. v. 62.*

E Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Christiani: toto hoc tempore Quadragesimali ad instantes inhiant dies Resurrectionis. Heu, vt liberiùs indulgeant voluptati! Obnubilat, Fratres, solennitatis lætitiam materia tristior: sed ipsius plangimus solennitatis iniuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsâ; imò minus in ipsâ. Proh dolor, peccandi tempus, terminus recidendi facta est Resurrectio Saluatoris! Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiæ fræna: quasi adhuc surrexerit Christus, & nõ propter iustificationem nostrã. Sic honoratis, miseri, Christum quem suscepistis? Véturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu: castigantes cor-

Lætitiæ Resurrectionis sæcularis abusus.

pota, eleemosynas impendentes; & ecce susceptum proditis inimicis; imò exire compellitis, peiores nequitias admitteodo. Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras; Christi cum superbiâ, cum auaritiâ, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuriâ, cum fornicatione. Quid enim minus præsenti debetur, quàm venturo? Quid minus reuerentiæ Resurrectionis tempus exigit, quàm Passionis? Sed vos (vt manifestum est) neutram honoratis. Nam si côpateremini, & conregnaretis: si cômoreremini, cooresurgeretis.

Nuoc autem ex solâ consuetudine temporis, & simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis.

1. Cor. 11. v. 30.
Falsa pœnitentia.

Propter hoc, vt ait Apostolus, *multi infirmi, & imbecilles: & dormiunt multi.* B Propter hoc crebra in diuersis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Quid enim? Deprehensi estis inter angustias præuaricatores; nec qui præuaricati estis, sed qui persistis in peccato addentes præuaricationem, aut penitus impœnitentes, aut tepidè pœnitentes: nec pericula fugientes (vel post miseram experientiam) incentiua peccati.

Iob 40. v. 12.

Irretiuit vos inimicus perplexis (vt ait Scriptura) neruis testiculorum. Si hac conscientiâ Christi sacramenta refugitis; nihil vobis commune cum Christo; non habetis vitam in vobis. Ipsum audite, dicentem,

Ioan. 6. v. 54

C *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si indignè suscipitis, iudicium vobis manducatis, sanctum Domini non diiudicantes.

1. Cor. 11. v. 29.

Redite ergo præuaricatores ad cor, & in toto corde quærite Dominum, & odite malum; pœnitentes non verbo tantùm & linguâ, sed spiritu & veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem (vt videtur) qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctiones indicium, opportunitas fugæ, substractio occasionis.

Occasionũ fuga veræ conuersionis indiciũ.

Alioquin timendum valde, ne dies ista (siquidem & ipsa posita est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël) reprobet vos vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes; vel tanquam socios Iudæ, in quem intrauit sata- D nas post buccellam.

Sed quid ad nos, fratres, de his qui foris sunt iudicare; nisi quòd in eodem nos fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, solâ misericordiâ operante, in quo miserabiliter eos detineri fraternâ charitate dolemus? Vtinam vel nos iam sanctificati & penitus alieni ab hac miserâ & sacrilegâ consuetudine inueniamur, nec quicquam in nobis pereat, aut minuatur de exercitio spirituali sacræ resurrectionis aduentu, sed transire magis, & excrescere studeamus.

Spiritalis resurrectionis notæ.

Quicunque enim post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam diuinæ E miserationis excedit, ingreditur nouam quandam deuotionem, & gaudium in Spiritu sancto: nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoriâ, & inflammatur æternorum desiderio præmiorum; is planè est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo charissimi,

Col 3. v. 1.

si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in nouitate vitæ ambuletis: vt à sæculari lætitiâ, & consolatione A mundi per compunctionem, & tristitiam quæ secundum Deum est, ad deuotionem sanctam, & spiritalem vos transire gaudeatis exultationem: ipso præstante qui transiuit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, vt semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

EIVSDEM DE LECTIONE *Euangelicâ*, Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.

Mar. 16. v. 1.

AD ABBATES.

B Accepimus ab Apostolo habitare Christum per fidem in cordibus nostris.

Eph. 3. v. 17.

Vnde videtur non incongruè intelligi posse tandiu Christum in nobis viuere, quandiu viuit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodammodò Christus mortuus est in nobis. Porrò fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est, *Opera quæ dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me.*

Ioan. 5. v. 39.

Nec discrepare videtur ab hac sententiâ, qui *fidem sine operibus mortuam* asserit *in semetipsâ.*

Iacob. 2. v. 26.
Fidei vita, charitas; eique indicia, bona opera.

Sicut enim corporis huius vitam ex motu suo di- C gnoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam mouetur & sentit: vita verò fidei charitas est; quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis. *Fides quæ per dilectionem operatur.*

Gal. 5. v. 6.

Vnde & refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus animâ recedente. Tu verò si videris hominem in bonis operibus strenuum, & feruore conuersationis hilarem: viuere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Sed sunt nonnulli qui cùm spiritu cœperint, heu! carne postea consummantur.

Gal. 3. v. 3.

Scimus autem quia iam non permaneat in eis spiritus vitæ, quia scriptum est, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.*

Gen. 6. v. 3.

Quod si non permanet Spiritus, haud dubium quin excidat charitas, D quæ nimirum *diffusa est cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 5. v. 5.

Porrò fidei vitam (vt iam diximus) in charitate constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur, recedente spiritu fidem mori: quoniam *Spiritus est qui viuificat.*

Ioan. 6. v. 64.
Spiritaliter mortui, ac plangendi.

Denique si sapere secundum carnem mors est; non dubium quin illi quos viuere lętabamur, quandiu facta carnis spiritu mortificabant, secundum carnem viuentes plangendi sint tanquam mortui. Vnde & in eodem Apostolo legis, *Si*, inquit, *secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, E viuetis.*

Rom. 8. v. 13

Væ tibi quicunque es canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Non ad eos tantùm loquor qui corpore, sed etiam eos, qui corde redeunt in Ægyptum, sæculi huius oblectamenta sectantes; ac proinde fidei vitam, quæ est charitas, non habentes. *Si quis* enim *diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

1. Ioan. 2. v. 15.

Quis magis mortuus eo, qui fouet ignem in sinu, peccatum in conscientiâ, nec sentit, nec expauescit, nec excutit?

Christus in sepulchro (fides mortua in animo) spiri-

Ecce igitur Christus in sepulchro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata,*

vt

talitet vngendus.

vt venientes vngerent Iesum. Nunquid vt suscitarent? Et nos scimus, fratres, quia suscitare nostrum non est, sed vngere nobis incumbit. Cur hoc? nempe ne fœteat qui eiusmodi est, ne sit cæteris odor mortis, ne pereffluat, & penitus dissoluatur. Emant proinde aromata sua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim vt arbitror, Petrus mandatum accepit tertiò pascere gregem Domini. (*Ioan. 21. v. 15.*) Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

Mētis aromata, compassio.

Quærat igitur mens aromata sua, ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum; & inter hæc spiritum discretionis non omittat. Quoties peccantem videris fratrem, continuò procedere debet compassionis affectus tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex teipso. (*Gal. 6. v. 1.*) *Vos*, inquit Apostolus, *qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Et cùm exiret Dominus baiulans sibi crucem, & plangerent super eum, nondum quidem omnes tribus terræ, sed mulieres paucæ, conuersus ad eas, (*Luc. 23. v. 28.*) *Filiæ*, inquit, *Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Ordinem diligenter attende. *Super vos*, inquit, primò; deinde *super filios vestros.* Temetipsum attende, vt alijs noueris compati, vt arguas in spiritu lenitatis. Teipsum considera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficaciùs persuadet, & altiùs imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum Senem, (*In vitis Patrum.*) qui cùm audisset peccasse vnum ex fratribus, amarissimè flebat, inquiens, Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus, multis quidem prodest, quia animus liberalis contristare, quem pro se viderit anxium, erubescit.

Rectitudinis zelus.

Sed quid agimus, quòd nonnulli durâ ceruice, & attritâ sunt fronte; vt, quò magis eis compatimur, tantò magis nostrâ & compassione, & patientiâ abutantur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi iustitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abijci, tam impudenter prouocari. Scio quia si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus iustitiæ, quo aduersus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus, iustitiam Dei. Veruntamen oportet vt priora sibi vendicet compassionis affectus. (*Compassio zelo anterior.*) Alioquin in spiritu vehementi conterimus naues Tharsis; (*Psal. 47. v. 8.*) conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans. (*Isai. 42. v. 3. Matth. 12. v. 20.*)

Discretionis spiritus.

Sed cùm vterque aderit, videlicet & compassionis affectus, & zelus iustitiæ, necesse est vt adsit spiritus discretionis; ne fortè cùm oporteat hunc exhiberi, ille procedat; & indiscretio ipsa confundat vniuersa. Habeat itaque mens nostra tertium spiritum discretionis, vt miscens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari, & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens & obseruans quando oleum misericordiæ, quando vinum feruoris exhibeat. Et ne fortè meum putetis inuentum, Prophetam audite in Psalmo hæc eadem & eodem ordine postulantem. (*Psal. 118. v. 66.*) *Bonitatem*, inquit, *& disciplinam, & scientiam doce me.*

Emenda aromata,

Sed vnde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis nostri: sed magis spinas, & tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda sunt? Ab eo vtique qui ait, (*propriæ voluntatis nummo.* *Isai. 55. v. 1.*) *Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac.* Non ignoratis quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento, & sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores huius sæculi; sed apud auctorem sæculi, alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino, (*Psal. 15. v. 2.*) *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratiâ suâ, qui nullius eget, & cuius sunt vniuersa? (*Gratia gratis emitur.*) Gratia gratis datur; etiam cùm emitur, gratis emitur; quia quod datur pro eâ, nobis melius retinetur.

Tria ergo aromata mentis nummo propriæ voluntatis emenda sunt; quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam & lucramur plurimum, commutantes illam in melius, vt communis fiat, quæ propria fuit. Porrò cõmunis voluntas, charitas est. Emimus ergo absque commutatione, recipiẽtes quod non habuimus; & quod habuimus, melius retinentes. Quando verò compatietur fratri, qui in propriâ voluntate nescit compati nisi sibi? aut quando amans seipsum diliget iustitiam, & odio habebit iniquitatem? Simulare quidem potest ante oculos hominum, etiam & semetipsum seducere, vt cùm priuato amore vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelum putet esse iustitiæ. Verùm facilè est nosse quàm sint aliena à propriâ voluntate, quæ propria sunt charitatis, (*Charitatis discrimen, & propriæ voluntatis.*) cui illa rectâ fronte contrariam se constituit. Nam *charitas benigna est; charitas super iniquitate non gaudet.* (*1. Cor. 13. v. 4.*) Iam de spiritu discretionis scimus quia nihil sic illum extinguit, quomodò voluntas propria subuertens corda hominum, & rationis oculos claudens. Emenda proinde sunt tria mentis aromata, affectus compassionis, rectitudinis zelus, & spiritus discretionis; nummo (vt dictum est) propriæ voluntatis. Linguæ quoque aromata tria nihilominus sunt, (*Linguæ aromata.*) modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo. Vis habere hæc aromata? Eme illa à Domino Deo tuo. Eme, inquam, sicut & priora sine vllâ commutatione: vt aliquid recipias, perdas nihil. Eme à Domino moderatam correptionem, (*Moderata correptio.*) quia omninò magnum quoddam bonum, & datum optimum est, & quod habeant pauci. *Linguam* enim, vt ait beatus Iacobus, *nemo domare potest.* (*Iacob. 3. v. 8.*) Videas multos, sincerâ licet intentione, & benigno accedant animo, leuiter dicere, quod grauiter audiatur. Volat irreuocabile verbum: & quod sanare debuerat, quia mordacius fortè videtur, exasperat & exulcerat magis: quando negligentiæ additur impudentia etiam, & impatientiâ cumulatur: vt qui sordidus erat, sordescat adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis; ac more phrenetici non solùm repellens, sed & mordere tentans medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia; (*Copia sermonis.*) sed præ sermonis inopiâ linguam suam palato adhærescere sentiũt; quod & ipsum interdum solet audientibus obesse non parum. Alijs verò ad manum est abundantia multa sermonis, (*Efficacia.*) sed quæ dicunt, minùs sapiunt, minùs acceptantur: & quia gratiam non habent, minus efficacia sunt quæ loquuntur. Vides quàm necesse sit emere ab eo à quo omne bonum est, à quo omnis scientia, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo?

Emẽda hæc nummo cõfessionis.

Proiode eme ista nummo confessionis; vt priùs A peccata tua confitearis, quàm ad expurganda accedas aliena. Magnum prorsus & mirabile sacramentum animæ suscitatio. Vide oe ad illud immundus accedas. Quòd si fortè non potes innocens; imò, quia non potes; laua inter innocentes manus tuas, antequam circundes monumentum Domini. Omoia siquidem in confessiune lauantur. Er hæc ablutio in quaodam innocentiam tibi deputabitur, vt inter innocentes assistas. Ad altaris officium nemo accedit in veste communi; sed quisquis accessurus est, albis induitur. Et tu ergo cùm ad Domini monumentum properas, lauare, dealbare, induere vestimentis gloriæ, vt dicatur tibi, *Confessionem & decorem induisti*. Quia ibi coofessio, vbi in conspectu Domini pulchritudo est. Hæc pro eo dicta sunt, vt aromata linguæ, B moderata increpatio, copiosa exhortatio, efficax persuasio nummo confessionis emantur.

Psal. 103. v. 2.

Greg. in Pastorali.

Veruntamen legimus, & quotidianis etiam experimenos didicimus, Cuius vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur. Paret ergo & manus aromata sua, ne subsanner nos Sapiens tanquã pigrum illum, cui labor sit manum ad os porrigere; ne possit dicere is quem arguit, *Tu qui alium doces, teipsum non doces*; alligas enim onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito tuo nollens ea mouere. Dico vobis, Sermo quidã viuus & efficax exemplum est operis, facilè persuadens, quod intendimus; dum factibile probat esse quod suademus. Pro huiusmodi habeat ne- C cesse est etiam manus aromata sua; continentiam in carne, misericordiam in frat e, patientiam in pietate. Vnde Apostolus ait, *Sobriè, & iustè, & piè viuamus*. Hæc enim tria sunt conuersationi nostræ maximè necessaria, quoniam primum debemus nobis, secundum proximo, tertium Deo. Nam qui fornicatur, in corpus suum peccat, magno illud priuans hoore, & pauendo addicens pudendoque dedecori; tollens membrum Christi, & faciens membrum meretricis. Ego autem, non ab eâ tantùm, quæ tam abominabilis est; sed ab omni voluptate carnis cuntinẽdum dico. Aute igitur omnia perfectam hanc continentiã quære, quam debes tibi ipsi. Dehinc misericordiã quam D debes proxiiou, quia cum eo saluãdus es. Deinde patientiam, quam debes Deo, quia ab eo saluandus es. *Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur*. Et, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*. Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed vniuersa pro eo sustine, qui prior maiora pro te sustinuit; & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta, *Patientia pauperum non peribit in finem*. Porrò hæc aromata oummo subiectionis emuntur. Hæc est enim quæ dirigit gressus nostros, & sanctæ coouersationis gratiam promeretur. Nam si contraria lex inuenta est in E membris nostris per inobedientiam, quis nesciat per ubedientiam cootinentiam dari? Ipsa quoque est quæ misericordiam ordinare nouit; ipsa quæ patientiam & docet & donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum, in quo fides mortua est. Verùm si coosideremus quàm magnum sit ad nos suscitare eum qui huiusmodi est, quàm difficile sit vel accedere ad cor eius, quod lapidea quædam obstinatio & impudentia clausit, puto quòd dicere debeamus nos, *Quis reuoluet lapidem ab ostio monumenti?* Attamen dum sic trepidi veremur accedere cunctantes ad tam grande

Pro. 19. v. 24.

Rom. 2. v. 21. Matth. 23. v. 4.

Exemplum sermo efficax.

Manus aromata. Tit. 2. v. 12.

1. Cor. 6. v. 18.

Continentia.

Misericordia.

Patientia. 2. Tim. 3. v. 12. Act. 14. v. 21.

Psal. 9. v. 19.

Emẽda hæc nũmo subiectionis.

miraculum, fit nonnunquam vt solitâ pietate præparationem cordis nostri audiat auris diuina, & ad vocem virtutis eius resurgat qui erat mortuus. Et ecce Angelus Domini, hilaritas quædam in vultu illius tanquam in ostio monumenti nobis apparet; & fulgor quidam index resurrectionis; vt apertè videatur facies eius immutata, accessum præbens nobis ad cor suum; imò, & aduocans, ipsumque obstinatioois suæ reuolueos lapidem, & sedens super eum: ita vt suscitatâ fide, ipsa etiam lintreamina, quibus obuoluta fuerat, ipse demonstret. Dumque omoia quæ in corde suo priùs actitabantur aperit, & confitetur quomodò seipsum sepelierat intus, ipsum trepiditatem & negligentiam suam prodens, *Venite*, ioquit, *& videte locum vbi positus erat Dominus*.

Moralis Euangelici textus adaptatio.

AVCTORIS DE OPERIBVS

Cardinalibus Christi sub nomine S. Cypriani Episcopi Carthag. de Resurrectione Domini. Sermo.

QVæsitis aromatibus ad vngendum Dominum Iesum, in mooumento positum, sacræ mulieres communicato consilio conuenerunt, & repertis ibi sine corpore sudarijs, quem non inuenere, putauere soblatum. Nam & lapis reuolutus, & vacuum monumentum simplicibus animis coniecturas huiusmodi opponebant, quòd corpus strictum linteis nisi translatum esset, moueri loco noo posset, nec lapis magui ponderis nisi vi humanâ nullatenus reuolui potuisset: vnde & manè venientes quomodò posset ab ostio monumenti lapis gyrari anxiè causabantur. Sed Dominus qui inspirauerat vt venirent, præuenerat veoientes, & egressus de sepulchro vacuum locum reliquerat, apertóque ostio ingredi volentibus liberum dederat aditum: & quasi monebat se aliàs quæri, qui illis angustiis non poterat occultari.

Flebant igitur sacræ fœminæ, quæ eum cui obsequi volebant, se perdidisse putabant: & obriguerant mœstitudine, eo quòd deuorio sua desiderato frustrarentur effectu. Haboerant siquidem eum sicut Prophetam non inferiores fide illis discipulis, qui dicebaot, quòd Iesus Nazareous vir Propheta fuerat potens in opere & sermone. Et licet de resurrectione suâ ipse tam Apostolos quàm reliquos discipulos, in quorum societate istæ esse meruerant, Magister prouidus instruxisset, iocusserat tamen omnibus dubietatem, & terrorem supplicium crucis, & mortis atrocitas: nec tamen ab eorum cordibus auelli poterat dilectio, quâ ei adhæserant, & recordatio signorum quæ viderant, & admiraoio doctrinæ quam audieraot, & coouersationis piæ admirabilis sanctitudo qoâ fuerant informari. Necdum firmo gressu ibant, sed lababat pes dubitantium, sed quærebant quem amabant, oec malignè desperabant: vnde factum est vt quæstum inueotionis, dilectionis perseuerantia mereretur. Illæ itaque primæ viderunt, & cognouerunt, quæ ardentiùs dilexerunt, quæ deuotiùs quæsierunt: illæ sermocinatæ cum Christo, certificatæ quòd ipse esset qui à mortuis resurrexisset: nunciant Petro & cæteris, quòd *Christus resurgens à mortuis iam non moritur*. Euangelizatunt viuentem, qui mortuus putabatur: nec iam sepulturæ eius odoramentis corporalibus deseroiunt, sed aromatibus firmæ fidei, & certæ spei,

Mulieres Dominum habebant, vt virũ Prophetam. Luc. 24. v. 19.

Rom. 6. v. 9. Factę resurrectionis nuntiæ.

A & charitatis ſynceræ regnanti Domino famulantur, & virtutum fragrantiam non iudicato præſentant, ſed iudici. Lætantur Apoſtoli, quos mundus quaſi dehiſcens terruerat, & quaſi diſſolutione elementorum quaſſaretur, omoia præcipiti ruioâ ſterneret, minas horribiles intentarat, ſolidatiſque & compactis cœleſtibus & terrenis, æternâ redemptiuoe inuentâ gratulabundi adorant quem reliqueraot: credunt, nec in aliquo hæſitant: aſſiſtunt, quantum poſſunt ei, à quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret, quando terra tremuit, ſol expalluit, & radios lucis ſuæ ſol contenebratus abſcoodit? Ipſa monumenta lapides ſibi ſuperpoſitos proiecerunt, & indignara ſuperior & inferior plaga, teoebris, & motibus, & ſciſſuris, compaſſionis ſuæ & vehementis anguſtiæ indicauerunt affectum: nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Iudaïcæ ſcelus, & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu vti abundantiore quàm homines, quibus ſecundum naturam ratio inerat: & crudeliores extitere feris abutentes intellectu, intantum Christi ſanguinem ſitientes, vt ſeipſos maledictione æternâ damnatent, & in paruulos ſuos anathematis illius reliquias immobili ſtabilimento firmarent.

Apoſtoli confirmati in fide reſurrectionis.

B

Sed ne in eorum ſcelere diutiùs immoremur, qoi repulſi ſunt & deſtructi io finem, quorum parricidialia vota ſetuirium & exterminium meruerunt, quos cum Dathan & Abiron, quos ob diſſenſionis flagitium terra dehiſcens viuos abſorbuit, conſtat in tenebris inferi ſigillatos, oe tantarum abominationum recordatio Paſchalem ſereoitatem interpolet, circa ſolennitatis inclytæ gaudia deuotis & alacribus animis inſiſtamus. Neque enim fas eſt, vt à nobis aliqua his diebus triſtia recitentur: ſed ſicur filijs Chore datum eſt vt ſemper læta canereot, & prophetarent, & omoes Pſalmi eorum attitulati nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur aduerſa: ita nos ad Chriſtum pertioentes, cuius ſanguine conſperſa creditur Adam caluaria, qui ſub loco, quo crux Domioi fixa eſt, humatus traditur ab antiquis, eiuſdem ſanguinis ſanctificati elapſu, lætemur, & delectemur in Domino: nec iam amatoribus crucis mors Magiſtri ſit hortori, oeque pœna ſit dolori, nec paſſio ſit pudori, cùm hæc omoia vitæ noſtræ ſint inſtrumenta: quia mors eius pro peccatis noſtris ſacrificium fuit, & pœna crucis exceſſibus pœnâ dignis occurrit, labor eius onera noſtra depoſuit, dolor eius nos ſanauit, & damnatio indebita nos à damoatione æternâ abſoluit. Et ſi quid confuſioois viſa eſt io tempore illo pati ſancta eius humilitas, rerum hodie manifeſtatur effectu, quod Apoſtolus ait, ſtultum huiuſcemodi ſapientius eſſe hominibus, & infirmum ſortius omni fortitudioe, per quod reprobatâ ſapientiâ & potentiâ huius mundi, de ſapientibus & potentibus iu nomine crucifixi pauperes ſpiritu potentiſſimè triumpharunt.

C

Num. 16. v. 23.

Filij Chore læta canunt in Pſalmis illis inſcriptis.

Adæ caluaria credita in loco crucis in Caluariâ ſepulta.

D

1. Cor. 1. v. 25 Dei ſtultum & infirmũ, ſapientius fortiuſque hominibus.

E

Cantemus igitur *Domino, glorioſè enim honorificatus eſt.* Liber populus egreditur de Ægypto, Moyſe doce: mare fit peruium; columna flammea nocte coruſcans, Iſraëliticum aotecedit exercitum: ſtat à dextrâ & lænâ mare ſuſpenſum; deſiccato luto profundi, inoffcoſum abyſſus dat traoſitum: & egreſſo populo Dei, Pharaonem cum populo ſuo repenti nâ mole illapſum pelagus intercludit. Iam præceſſerat agnus,

Exod. 15. v. 1.

Prima Paſchæ miracula.

A quem Iſraël in Ægypto immolarat, cuius ſanguine limina rubricata percuſſor Angelus non eſt auſus attingere: nec exterminatoris gladium populus formidabat, cui & de ſpiritualibus nequitiis parabat victoriam, illud ſine maculâ ſacrificium, & mare diuiſum, & totum Ægypti robur extinctum. Primum illud antiquum Paſcha his miraculis coruſcauit, & excluſo fermento, præceptum eſt vt horum dierum celebritas ageretur io azymis: nec ſolennitatis huius gaudia ſeruilibus operibus fuſcarentur, nec omninò aliqua tantæ ſynceritatis gloriam maligoitas inquioaret. Certa data eſt ex lege diſtinctio, quæ eſſet Paſchalis oblatio, & tempus, & locus, & modus, quando, vel vbi, vel quomodò ſacra deberet hoſtia immolari. Victima, agnus; locus, voa per ſingulas familias domus: caro noo elixa, ſed aſſa; hora, veſpertioa. Hæc cùm eo tempore fierent io figurâ, quod nos in veritate agimus, typicè loquebantur: & dirupto io Chriſti morte templi velamine, verus Agnus ſolus inter filios hominum ſine maculâ Chriſtus, ætate vltimâ, in quâ muodi veſperaſcit conditio, ab voâ populi Chriſtiani familiâ in vnitate Eccleſiæ aſſus in cruce, proiectis foras hæreticorum fermentis, ſyncerae fidei ſolidatâ compagine, ioconſumptibiliter editur, creditur, & reoetur.

B

Paſcha nouum.

Noua & vetera ſub hoc nomine conuenerunt: egreditur Iſraël de ſeruitute Ægypti, exit populus Dei de regno diaboli: baptizantur in nube & mari Hebræi, & iam Spiritu ſancto, & ſanguine Chriſti mundatur à peccaris populus Dei: ex diuerſis familiis vna fit domus, vna fit tribus, vous eſt cibus ſignificantia & ſignificata, res & ſigna, virtus inuiſibilis & iouiſibilia ſacramenta ſic faciunt vnum corpus, ſicut caro & ſpiritus: & quod videtur, & oomine, & virtute Chriſti corpus cenſetur. In hac rerum conueoieotiâ hooorificatus eſt Chriſtus, & glorioſæ laudis triumphos lætabuoda hodie canit Eccleſia, in lapide angulari conſocians diſiunctos olim parietes, quos io voum mirabilis artifex fuſo ſanguine glutinauit: & reprobato diu à malignis fidei fundamento, charitatis ſuæ nexibus diuiſas copulauit macerias, & redegit partes in totum, & multa io vnum: & facti ſunt vna domus confœderati parietes, & ſtabile fundamentum. Hooorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis, victor mortis, ſpolians inferos, & captiuos præmittens ad ſuperos. Huculque per humilitatis gradus aſcendens, modò gloriâ & honore coronatus nil mortale, nil paſſibile retinens, impaſſibilitatis, & immortalitatis donauit nos gloriâ, & reſurgentes in beatitudine conſtituit ſempiternâ.

C

In Euchariſtiâ vous cibus ſignificantia & ſignificata.

D

Reſurrexerunt qoidem ante Chriſtum, ſed in nomioe & fide eius: ſub Eliâ viuente in corpore, vnus, & Eliſæo viuo & mortuo, duo qui obierant: ſed ad mortem quam guſtauerant, iterum redierunt: reſurrexit & Lazarus, & alij nonnulli ad imperium Chriſti, & aliquo tempore beoeficio vitæ vſi, iterum ad funera rediere. Res quidem honorabilis & dominatio poteſtatiua fuit ad corpus exanime ſpiritum reuocare: ſed reſurrectionis huius, cuius ſunt in Chriſto primitiæ, incomparabilis eſt dignitas, quam oec ſequitur corruptela, nec diſſoluit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati ſumus in transfiguratione, quæ facta eſt in monte præſentibus Apoſtolis Petro, & Iacobo, & Ioanne, quando ſicut ſol reſpleoduit

E

Ante Chriſtum ſuſcitati alij ad vitam mortalem: ipſe primitiæ reſurgentiũ ad immortalem.

Gloria trãſfigurationis ex parte, &

momentanea.

facies Saluatoris, & vestimenta eius candorem omoem exuperantia Apostolorum hebetauere conspectum; sed momentaneus ille decor imaginem, ooo speciem: similitudinem, non substantiam: partem, oon plenitudinem transformationis mirificè explicauit. Sed neque eandem gloriam, quam antè ostendit Apostolis, resurgens illico ostendit; sed quod videre consoeoerant, hoc viderunt: & dilata est claritatis illius, quam nobis pollicitus est, plenitudo, quæ io se erat perfecta, & à oobis io nobis expectatur perficienda lucidior, & sincerior quàm æstimari possit ab aliquo: vel quàm illa etiam claritas intimanerit, cuius primitias in Christo transformato accepimus.

Deposita altitudo, id est, occulta.

Agunt in cœlestibus hæc Paschalia gaudia ipsi Angelici spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur, lætantur, & delectantur io eo quod forma serui reuersa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis rediebit maiestatem. Sed & in boc multiplicata sunt gaudia, quòd & his pro quibus se humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatus esse commune, & partiri nobis suæ abundantiam voluit claritatis: vt post resurrectionem corpus non aggrauet animam, sed sit caro sine mole & pondere agilis & mobilis, nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia, & attingens quocunque voluerit, sine impedimento discurrens. Inerit resuscitatis corporibus nulli vanitati subiecta libertas: & quæ cogi non possit ad aliquid, in nullo laborans, iam à spe educta, te ipsâ perfruens, nullâ expectatione suspensa, & in pace quietissimâ confirmata, omnisque expers formidinis in spiritualibus deliciis iugis illa permansio reflorebit.

Resurrectionis dotes.

Psal. 138. v. 6.

Quàm mirabilis est scientia tua, Deus! confirmata est super nos, nec possumus ad eam attingere. Hæc sapientiæ tuæ altitudo: qui mundum non ex præcedente materiâ, sed solo verbi tui condidisti imperio, creaturis verò corporalibus ex mundi effeotiâ dedisti initium, suis incolis singula elementa adornans: hominem, quem de mundo fecisti, cunctis io terrâ, & aëre, & aquis viuentibus præficiens, ita vt suo præposito singula in suo genere ministrarent: tu aliis vitam temporalem, aliis procurasti perpetuam, admirabili ordine quædam mutans & reuocans, & præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixisti, & termioum, quem transire non possit dissolutioni conditio destinata. Homo, quia ex cœlesti & terrenâ materiâ compactus est, vestitus extrinsecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te iubeote, redderet terræ quod de terrâ assumpserat, & ad immaterialem originem reuerteretur spiritus: cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda, secundum naturæ suæ rationem æternitatis non poterant priuilegio perfrui: & quod sibi iurè non competebat, à conditore oequibant exigere: oeque vlla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, vltrò gratiam volens dare spiritui, decreuisti clementiùs, vt ex societate & clientelâ quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret: & quæ ei vehiculum fuerat & particeps studiorum, in recompensatione ministerij iterum dilecto accolæ consociata, pudica & pacifica rediret, nullas secum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & boc, Domine, ad cumulum beneficij addidisti, vt inter legem carnis & spiritus nulla postmodum esset diuersitas: nec post initum fœdus vlla iterum inter eos recrudescat rebellio, sed per maoum toam reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseueret. Te igitur iubeote, terra fit caro, & expulsa de domo iterum coniugatur viro, non iam ancilla, sed libera: & habitant voius moris in domo murmurationibus consopitis, quas olim compugnaotes inter se concupiscentiæ coocitabant.

Corporis incorruptio non debita hominis naturæ, sed Dei dono concessa.

In resurrectione legis carnis & spiritus nulla diuersitas.

Quis, Domine Deus, coosiderare hæc opera tua sufficit? & quis lutum coagulare potest in carnem? quis formare potest io hominem? quis infundere animam? quis reddere vitam? quis dare æternitatem? quis addere felicitatem? Ad hunc prouentum humana laborat creatio: hæc semper fidelium expectatio fuit. Hoc optabat rex ille humilis, qui se nouerat imperfectum, vt adderes coodıtioni tuæ quod deerat, & perficeres & solidares opus tuum, quod corruptibilitas & mortalitas assiduè cooueciis multis solebant affligere, & variis opprobriis consueuerant infestare. Tu morti imperas, & absorpta eliditur: inanescit corruptio, vbi æger, te medente, sanatur. Gustasti mortem pro filiis hominum, vt qui tecum mortui erant, tecum viuerent, & participes tribulatiooum etiam consolatione gauderent. Resurrectio quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare, & impios: Dei hoc dictante iustitiâ, vt pietas & impietas in operatoribus debitis stipendiis donarentur: & qui finem habere contempserunt in malis, iofinitâ clauderentur vltione in pœnis: & qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes. Non sunt participes huius gaudij, quos damnat ambitio: non potest furtiuos habens loculos, Paschalibus solennis interesse. Nihil proditor & venditor Magistri, fermentator prophanus commune habet cum azymis: omnis immundus in animâ ad esum huius Agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur: calciatus pedibus ad euangelizandum paratus, accioctus renibus & sanctimoniæ destinatus, habens baculum in manibus, & festinans vt Ægypo deserat idola, sequens Moysen, nec formidans viæ discrimina, quisque purus, & sincerus sine fraude homo verus accedat, & edat: & securus quòd resurgat, mortem optet, vt attingat ad æterna gaudia, in quibus est vita nostra sursum manens, & nos trahens ad bona cœlestia: Qui viuit.

Psal. 138. v. 16.

Paschalis gaudij qui non participes, qui-ve participes.

D. AMEDEI EPISCOPI

Lausaniæ ex Monacho Cisterciensi,

De Gaudio & Admiratione beatæ Viginis in Resurrectione & Ascensione Iesu Christi Filij sui ad Patrem.

HOMILIA.

Cant. 5. v. 1.

Mariæ gratulatio ex Dominicâ resurrectione.

COmedite amici, bibite, & inebriamini charissimi. Inuito vos ad mensâ sapientiæ, & ad vini libamina, quæ miscuit vobis in cratere calicis

præclari. Innito vos ad epulas Gloriosæ, ac con-
uiuium Dei Genitricis. Felix, qui tali potitus con-
uiuio, cotam recumbentibus in veste nuptiali ful-
gebit. Apponetur ei panis vitæ, confirmans, replẽs
& satians suauitate mitificâ: & vinum lætitiæ, vi-
num procedens de genimine viris, verè vinum
resurrectionis, expressum de ligno Dominicæ
passionis. Hoc vinnm botrus ille protulit, qui
Num. 13. v. 24. ablatus à terrâ promissionis in vecte ligneo pe-
pendit. Edet præterea præfatus conuiua in stolâ
Luc. 15. v. 23. primâ, & annulo pacis, occisum à Patre vitulum
Exod. 12. v. 11. saginatum, accinctus renes zonâ fidei & castitatis,
habens etiam calceamenta in pedibus, vtpote ad
omne bonum præparatus, Agni Paschalis assas
carnes manducabit. Nec deerit edentis volun-
tati hinnulus ceruæ gratissimæ, & ceruus saliens
de valle inferi in montem cœli. Dehinc perce-
Ioan 21. v. 9. pto pisce, qui ad littus maris inuentus est super
prunas apparente discipulis Domino, in resurre-
ctione gustabit simul cum fauo mellis. Sumensque
que canticum de Canticis canticorum dicet in
Cant. 5. v. 1. illâ die, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vi-
num meum cum lacte meo.* Affluens itaque om-
nibus diuitijs, ita secum alios ad prandium inui-
tabat, *Comedite amici*, bibite *& inebriamini
charissimi.* Et ego, Fratres, ad hoc conuiuium
vos inuito. Edite panem vitæ, vinum lætitiæ bi-
bite, inebriamini gandio resurrectioois. Ebrie-
tas hæc, summa sobrietas est; hæc mundi memo-
riam obliterat, & Deum præsentem animo sem-
per inculcat? bac ebrius quisque cuoctorum sem-
per obliuiscitur, & solius diuinæ charitatis recor-
datur. Hac igitur & vos inebriamioi, & gaudete
cum gaudente, qui cum lugente luxistis.

Eccl. 3. v. 4. *Tempus gaudij, & tempus mœroris*, ait Salo-
mon. Mœror abijt, gaudij tempus aduenit: ve-
rum gaudium, quod de Christi resurrectione
prouenit. Surrexit enim, & erexit animum Ma-
tris suæ. Iacebat illa velut in quodam arctissimo
mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in se-
pulchro. Illo namque resurgente, reuixit spi-
ritus eius, & quasi de graui somno euigilans, So-
lem iustitiæ & radios resurgentis in luce matuti-
nâ respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ,
& præcedentem in Filio futuram carnis resurre-
ctionem. Pascebatur oculis in carne fulgidâ re-
surgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis;
vt intus & foris egrediens & ingrediens frueretur
tur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis. Fa-
cta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, ad-
hæsit corde læuissimo Patri spirituum; & conglu-
tinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius
amoris immensitate tota refundebatur. Domi-
ne in virtute tuâ lætata est valde, & super salu-
Psal. 20. v. 2. tare tuum exultauit vehementer. Desiderium
cordis eius tribuisti ei, & voluntate eius non
Christus, corona Mariæ capitis. frandasti eam. Corona capitis eius Christus est,
dicente Sapientissimo. Quòd filius sapiens coro-
na sit matris suæ. Et quis sapientior illo, qui
est Patris sapientia? Benè autem corona de lapi-
de esse dicitur, quia in nouo & veteri Testamen-
to nomine lapidis Christus significatur. Dictus
est lapis, propter potentiam; pretiosus, propter
gloriam. Et vtraque Psalmista complexus est,
dicens, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*
Psal. 23. v. 10. Quia Dominus virtutum, ideo lapis; quia Rex
gloriæ, pretiosus. Nihil verò lapide fortius, ni-
hil gloriâ pretiosius est.

Habes ergo, ô Beata, ganditum tunm; im-
pletum est desiderium tuum, & Christus corona

A Paschate.

A capitis tui attulit tibi cœli principatum per gra-
tiam, regnum mundi per misericordiam, in-
ferni subiugationem per vindictam. Ille tibi ab
inferis victor ascendit, ille contriuit portas æ-
reas, & vectes ferreos confregit. Inferni mu-
nitiones obtinuit, & capita draconis allisit. De-
dit hostium tuorum strages innumeras, & prin-
cipem lethi relegauit; occidit mortem, & mor-
tis auctorem proiecit in vinculis. Catenis igneis
auctor ille mortis religatus est.

Inde eduxit suos de tenebris, & vincula eo- Eius ex inferis triumphus, ac socia turba.
rum disrupit. Animas omnium iustorum am-
bulantes in lumine vultus eius, & in nomine
eius exultantes associant sibi; in iustitiâ eius
B exaltatæ sunt, quæ propter iniustitias suas hu-
miliabantur. Solus fuit in transitu ad inferos
Dominus Iesus, sicut ex personâ illius Dauid
cecinit, dicens, *Singulariter sum ego, donec* Psal. 140. v. 10.
transeam. Solus in ingressu, sed in egressu
minimè solus, qui innumera Sanctorum mil-
lia secum reduxit. Cecidit in terram, & mor- Ioan. 12. v. 24.
tuus est, vt fructum multum afferret. Depo-
suit se in sementem, vt humanum genus colli-
geret in segete. Felix aluus Mariæ, in quâ se-
ges ista coaluit. Felix cui dictum est, *Venter* Cant. 7. v. 2.
tuus vt aceruus tritici vallatus lilijs. An non
vt aceruus tritici venter eius, qui grano intu-
muit, quo omnis renatorum seges excreuit? In
fonte quippe baptismatis peccatis, & nobisip- Mariæ venter, aceruus tritici.
C sis mortui, per lauacrum regenerationis Chri-
sto renascimur, vt ei viuamus, qui pro om-
nibus mortuus est. Vnde Apostolus ait, *Quot-* Gal. 3. v. 27.
*quot in Christo baptizati estis, Christum indui-
stis.* Ergo ex vno grano multæ segetes, & ex
aluo Virginis granum illud. Ideo aceruus no-
minatur, vi seminis, non numerositate; virtute,
non pluralitate.

Lilijs namque vallatus dicitur, eò quòd vte- Lilia.
ri materni perennis integritas Scripturæ sacræ
eloquiis comprobetur. Quid enim sunt aliud
diuina eloquia, nisi quædam lilia emanantia
candorem puritatis, & gratum putitati spiran-
tia odorem suauitatis? Hinc est quòd Verbum
D Patris & Sapientia, & candor lucis æternæ no- Sap. 7. v. 26.
minatur. Et de diuinis eloquijs per Psalmi-
stam dicitur, *Eloquia Domini eloquia casta,* Psal. 11. v. 7.
*argentum igne examinatum, probatum terræ,
purgatum septuplum.* Nam de odore scriptum
est in Canticis canticorum, *Curremus in odo-* Cant. 1. v. 3.
rem vnguentorum tuorum, id est, in notitiam
eloquiorum. Eloquia enim Domini vnguenta
pretiosissima sunt, quibus morbus animarum ex-
pellitur, quibus congrua vulneribus medicina
confertur. Horum antidoto dira serpentis ve-
nena diffugiunt; horum fomentis acerba vul-
nera cedunt, horum ope sauciatus ille curatur,
E qui incidit in latrones, cùm descenderet ab Luc 10. v. 30.
Hierusalem in Hiericu. De quorum item odo-
re in præfatis Canticis hæc Sponsi ad sponsam
vox est, *Odor vnguentorum tuorum super om-* Cant. 4. v. 10.
nia aromata. Cui alibi dixit, *Meliora sunt*
vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Cant. 1. v. 1.
Habet enim Ecclesia sponsa Christi vbera Te- Ecclesiæ vbera.
stamentorum, quibus infundat paruulis lac con-
solationis, perfectis lac exhortationis.

Nec mirum, si eius lacte perfecti alantur, quæ Cant. 8. v. 10.
ait, *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex*
quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens: Meliora vino.
Hæc vbera, meliora sunt vino. Et, Paulo at- 1. Cor. 1.
testante, *Quod stultum est Dei sapientius est* v. 25.

hominibus. Meliora ergo sunt vbera eius vino
inanis Philosophiæ, vino sæcularis scientiæ, vi-
no cupiditatis mundanæ; non quidem expressæ
Isai.5.v.2. de vineâ Sorec, neque de vineâ Cypri, aut de
Cant. 1. v.13. vineâ Engaddi, sed de vineâ Sodomorum & de
suburbanis Gomorrhæ; aut certè de vuâ fellis,
Deut. 32. v.32. & botro amaritudinis. Itaque adolescentulæ
memores vberum sponsæ super vinum, lactis
eius copiâ enutriti desiderant, vt eo crescant in
salutem. *Meliora sunt vbera tua vino, fragran-*
Fragantia. *tia vnguentis optimis*. Fragant hæc vnguenta
vnguentis optimis, cùm præfata Ecclesiæ Testa-
menta perfectis innotescunt eloquijs, vt pro sen-
suum capacitate alios historicâ superficie nu-
triant, & alios morali suauitate instruant, alios
mysticâ intelligentiâ ad alta sustollant. Fragrant
etiam vnguentis optimis, cùm eisdem Testamen-
tis additur gratia spiritualis intelligentiæ, & vir-
tus charitatis diuinæ; vt velut quædam lilia can-
deant ex dono intelligentiæ, redoleant ex amo-
ris suauitate. Inter hæc lilia dilectus pascitur, vt
Cant.2.v.16 eius dilectæ voce dicitur. *Dilectus*, inquit, *meus*
mihi, & ego illi; qui pascitur inter lilia. Inter
lilia quippe pascitur, cùm verbi eius internâ dul-
cedine legentis animus in Scripturis satiatur.
His ergo lilijs vallata Dei Genitrix, audit ab ore
Cant.7.v.2 Salomonis, *Venter tuus vt aceruus tritici valla-*
tus lilijs.

Possunt quoque per lilia Sanctorum animæ
designari, candentes per vitæ meritum, suffra-
gantes per virtutis exemplum. De candore Psal-
Psal. 50. v.9. mista Deo ait, *Asperges me Domine hyssopo, &*
mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.
Psal. 44. v.2. Et de odore ita pronuntiat, *Eructauit cor meum*
Verbum bonum De quo & Apostolus, *Christi*
2. Cor. 2. v.16. *bonus odor sumus Deo in omni loco*. Vallata igi-
tur lilijs Redemptoris Mater, aptissimè hunc il-
lis congruentem poterit proferre sermonem,
Phil.4.v.1. *Gaudium meum, & corona mea vos estis*; acqui-
siti sanguine meo, & carne sumptâ de carne meâ.
His etiam lilijs septus erat, dum animas Iustorum
ab inferno eriperet, suæque gloriæ dotatione bea-
ret. Verus enim Iacob in baculo crucis transiuit
Gen.32.v.10 Iordanem mortalitatis, & cum duabus turmis
regressus est. Ego duas turmas, circuncisionem
& præputium; eos qui in lege, & ante legem
fuere, intelligo. Ergo solus obijt, & fœnore
multiplicato reuixit. Nam vita omnium ipse est,
1. Cor. 15. v.22. & vita omnium cum ipso resurrexit. *Sicut enim*
in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo om-
nes viuificabuntur. Cuius morte pullulauimus,
simul sanguine radix nostra succreuit, cuius re-
surrectione corpus effloruit.

Effloruit verò non vt fœnum, sed vt Verbum;
non vt dies sæculi, sed vt dies cœli. Hinc voce
summi Patris de semine Dauid dicitur, *Ponam*
Psal. 88. v. 30. *in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius si-*
cut dies cœli. Igitur æternus flos de radice eius
ascendit, qui aruit ex passione, sed refloruit ex
resurrectione. Refloruit autem, non vt denuo
decidat, tanquam flos agri; sed vt Verbum Do-
Ioan. 1. v.14. mini maneat in æternum. Nam *Verbum caro fa-*
ctum est, & habitauit in nobis. Propterea vir de-
sideriorum Daniel Filium hominis vsque ad An-
tiquum dierum venisse perhibet, vt Filium ho-
minis demonstraret. Quem benè intuens Psal-
Psal. 44. v. 7. mista, ait, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi; vir-*
ga directionis, virga regni tui, &c. Ecce qui
Deum nominat, cuius sedem in sæculum sæculi
esse memorat; hunc postmodum vnctum à Deo
oleo lætitiæ præ consortibus narrat. Deus enim
ab æterno cum Patre regnat in sæculum sæculi;
& homo ex tempore vngitur oleo lætitiæ præ
consortibus, cui Pater ait, *Filius meus es tu, ego* Psal. 2.v.7.
hodie genui te. Et illud, *Sede à dextris meis, do-* & 109. v.1.
nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
Quem vt Patri æqualem ex diuinitate intelligas,
audi dicentem in Euangelio, *Ego, & Pater vnum* Ioan. 10. v. 30. & 14.
sumus. Et, *Qui videt me, videt & Patrem.* v. 9.

De ipso quoque Apostolus ait, *Quia Deus* Phil.2.v 9.
exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est su-
per omne nomen, &c. Equidem genu inferno-
rum flectitur illi per terrorem, genu terrestrium
per acquisitionem, genu cœlestium per beatifi-
cationem. Istis namque intentat supplicia, illos
eduxit à miseriâ, illos extollit in gloriâ. Istis ter-
ribilis in iudicio, illis misericors in auxilio, & his
munificus in præmio. Dæmones enim subijcit
gladio suo, homines redimens sanguine suo, An-
gelos satians vultu suo.

Ergo inferna prosternunt genu, trementes po-
tentiam eius; terrestria curuant genu, laudantes
clementiam eius; cœlestia flectunt genu, claman-
tes *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus* Isai.6.v.3.
Sabaoth. Ipse est Filius tuus, ô Maria; ipse amor
tuus, resurrexit tibi die tertiâ, & in carne tuâ
ascendit super omnes cœlos, vt omnia adimple-
ret. Habes ergo, ô Beata, gaudium tuum, attri-
butum est tibi desiderium tuum, & corona ca-
pitis tui. Attulit tibi cœli principatum per glo-
riam, regnum Dei per misericordiam, inferni
subiugationem per potentiam. Tantæ igitur,
támque ineffabili gloriæ tuæ diuersis affectibus
cuncta respondent: Angeli in honore, homines
in amore, dæmones in tremore.

GVERRICI ABBATIS DE *Resurrectione Domini.*

Nuntiauerunt Iacob dicentes, Ioseph vi- Gen. 45. v. 26.
uit. Quo audito, reuixit Spiritus eius,
& ait, Sufficit mihi, si Ioseph filius
meus viuit. Vadam, &c.

SERMO I.

DIcetis forsitan mihi, bene: sed quid ad rem?
Quid de Ioseph ad gaudium huius diei, ad
gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, & tu
iterum apponis Quadragesimalia: Agnum Pas- Luc.24.v.32
chalem esurit anima nostra, cui se per tam lon-
ga præparauit ieiunia. Ardens est cor nostrum in
nobis de Iesu: Iesum desideramus, sed nondum
meremur ipsum videre, vel de ipso audire: Ie-
sum, non Ioseph esurimus: Saluatorem, non
somniatorem: dominatorem cœli, non Ægypti:
non qui pauit ventres, sed qui pascit mentes, sed
esurientes. Legimus enim, *Beati qui esuriunt,* Matt.5.v.6.
quoniam ipsi saturabuntur. Cùm audimus, ma-
gis esurimus. Nam & qui epulas commendat,
famem irritat. Si de Iesu audierimus, auditui Psal.50. v.10.
nostro dabitur gaudium & lætitia, & exultabunt
ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra Qua-
dragesimali afflictione & luctu, magis autem do-
lore passionis eius, sed exultabunt nuntio resur-
rectionis eius. Cur ergo tuum Ioseph nobis in-
geris, cùm præter Iesum quicquid loquaris non
sapiat nobis, præsertim hodie, cùm Paschalis
Agnus comeditur, cùm *Pascha nostrum immo-* 1.Cor.5.v.7.
latus est Christus?

Ioseph Christi figura expressior.

Ouum, siue nucem apposui vobis, fratres; frangite testam, & inoenietis escam. Ioseph discutiatur, & Iesus inuenietur, Agnus Paschachalis, quem esuritis: qui tantò dulciùs comeditur, quantò latens abstrusiùs & studiosiùs quæritur, & difficiliùs inuenitur. Dicitis mihi, Quid Iosepb ad Christum? quid historia quam proposuisti ad diem istum? Multùm per omnē modum. Historiam recordamini, & vltro sese vobis reuelabit pietas mysterij: si modò Iesum interpretem habeatis, qui bodiéque resurgens de occidente literâ loquitur suis in viâ, & aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis & Prophetis manifestiùs aut signantiùs quàm Ioseph figuram exprimit Saluatoris? Et vt breuiter summam perstringam secundum illud, *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia*, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis, deinde quòd præ cæteris fratribus, pulchrâ facie & decorus aspectu, quòd innocens actu, prudens intellectu, quòd venditus à suis, suos à morte redemit: quòd priùs humiliatus vsque ad ergastulum, & sic exaltatus vsque ad solium: quòd denique pro merito operis sui nouo nomine appellatus est inter Gentes Saluator mundi; si hæc omnia, inquam, piè ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus, quàm verè sit à Domino dictum, *In manibus Prophetarum assimilatus sum?* Iam verò si veniamus ad verba illa quæ de historiâ proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quàm admirationem & gaudium moucbunt: quòd videlicet tam euidenter resurrectio Christi testificata sit à Lege & Prophetis, & historia vetus tam propriè noua sacramenta loquatur; vt cùm prophetia legitur, penè Euangelium, mutatis duntaxat nominibus, audiri videatur.

Luca 24. v. 26. — *Pro. 9. v. 9.* — *Gen. 41. v. 45.* — *Ose. 11. v. 10.*

C

Nuntiauerunt, inquit, *Iacob, dicentes, Ioseph viuit.* Quid aliud hîc intelligere possim, nisi nuntiauerunt Apostolis, dicentes, Iesus viuit? per Iacob namque nihil aliud quàm Apostolorum chorum intelligo, nec absurdè, vt arbitror: non solùm quia de Iacob orti sunt, non solùm quia de Iacob Israël facti sunt, cùm de luctâ actiuæ ad visionem & requiem contemplatiuæ transierunt: sed etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israëlitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Ioseph cùm putarent perisse, inconsolabiliter doluerunt: cùm audissent viuere, difficulter & tardè crediderunt: cùm cognouissent, ineffabiliter gauisi sunt. *Nuntiauerunt*, inquit, *Iacob, dicentes, Ioseph viuit: quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Quasi alijs verbis mihi videtur dictum, quod in Euangelio legitur scriptum: *Illa vadens* (haud dubium quin Maria Magdalene) *nuntiauit his qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus, & illi audientes quia viueret, & visus esset ab eâ, non crediderunt. Post hæc ostensus est duobus in viâ; & illi exeuntes nuntiauerunt cæteris, nec illi crediderunt.* Item apud Lucam, *Et regressæ à monumento, nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus; & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis*: nimirum quia euigilabant de graui somno tædij & desperationis.

D — *Iosephi cum Christo suscitato parallela* — E — *Marc. 16. v. 10.* — *Luc. 24. v. 9.*

Cùm autem, inquit, *vidisset Iacob vniuersa quæ Ioseph miserat ei, reuixit spiritus eius, & ait, Sufficit mihi si Ioseph filius meus viuit. Vadam, & videbo eum antequam moriar.* Sic vtique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse Iesus cùm se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quàm aspiratione muneris. Scitis quia cùm venit ad eos ianuis clausis, & stetit in medio eorum, illi *conturbati & conterriti æstimabant se spiritum videre*. Cùm autem *insufflauit in eos, dicens, Accipite Spiritum sanctum*; vel cùm cœlitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum: hæ vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt & argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud Sanctorum corda, & per eorum ora, quoniam Christus est veritas, vera resurrectio & vita. Ideo & Apostoli, qui priùs dubitabant, etiam post intuitum corporis viuentis; post gustum Spiritus viuificantis virtute magnâ reddebant testimonium resurrectionis. Adeò plus est corde Iesum concipere, quàm oculis videre, vel auribus de ipso audire: tantóque potentior est operatio Spiritus apud sensus hominis interioris, quàm corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus, vbi qui testificatur, & cui testificatur, vnus fuerit spiritus? Si vnus spiritus: & vnus sensus, parque consensus. Tunc ergo verè, sicut de Iacob legitur, Reuixit eorum spiritus, qui iam propemodum luctu erat extinctus, imò desperatione sepultus. Tunc, nisi fallor, quisque eorum dicebat sibi, Sufficit mihi, quòd Ioseph meus viuit: *quia viuere mihi Christus est, & mori lucrum.* Vadam igitur in Galilæam, in montem vbi constituit nobis Iesus, & videbo eum, & adorabo antequam moriar: quia *omnis qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam æternam; vt, etiamsi mortuus fuerit, viuat.*

A — *Luc. 24. v. 37.* — *Ioan. 10. v. 20.* — *Dona Spiritus suscitati Christi certa testimonia.* — B — *Act. 4. v. 33.* — *Operatio Spiritus in interiori homine, potentior omnibus.* — C — *Phil. 1. v. 21.* — *Ioan. 6. v. 40. & 11. v. 25.*

Nunc ergo, fratres mei, quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi? Puto equidem (an rectè, vos videritis) quoniam si vnquam amastis Iesum, seu viuum, seu mortuum, siue rediuiuum, hodie cùm tam crebro in Ecclesiâ resonant, & consonant nuntij resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi, & dicit, Annuntiauerunt mihi dicentes, Iesus Deus meus viuit. Quo audito, reuixit spiritus meus, qui dormiebat præ tædio, vel languebat tepore; aut iam deficiebat pusillanimitate. Nam & de morte suscitat criminosos, iucunda vox huius dulcis nuntij. Alioquin certè desperandus est, & obliuione sepeliendus, quem Iesus regrediens ab inferis, in infimo relinquit inferni. In hoc sanè noueris quòd spiritus tuus plenè in Christo reuixerit, si quod sequitur ex sententiâ dixerit, Sufficit mihi si Iesus viuit. O vocem fidelem, & planè dignam amicis Iesu! ô castissimum affectum qui sic loquitur, Sufficit mihi si Iesus viuit. Si viuit, viuo; cùm de ipso pendeat anima mea: imò, ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Iesus viuit? Imò desint omnia alia, nihil interest mea, dummodò Iesus viuat. Ipse ego, si placet ei, desim mihi: sufficit mihi dummodò viuat ipse vel sibi. Cùm sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt negligens & immemor sui, non nisi Iesum Christum, & ea quæ sunt Iesu Christi sentiat; tunc demum, vt arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic itaque qui sic affectus est non est onerosa paupertas, ille non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mor-

D — *Fort. gratulatur.* — *Viuere, dum viuat Iesus.* — E

tem lucrum deputat: imò nec mori se putat, cùm A magis de morte ad vitam transire se sciat, & fidenter dicat, *Vadam, & videbo eum antequam moriar.*

Nos tamen, fratres mei, licet non simus tantæ nobis puritatis conscij, eamus nihilominus, eamus videre Iesum in montem Galilææ cœlestis, vbi constituit nobis. Eundo, crescet affectus: & saltem perueniendo perficietur. Eundo, via priùs arcta & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur. Vt enim nec Iacob, nec aliquis de domo Iacob se excusaret à viâ, præter alia munera missa sunt pauperi seni sumptus & vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem: ita caro Christi tibi viaticum, Spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israël, & auriga eius. Cùm perueneris, tua sunt optima quæque, non Ægypti, sed cœli: in optimo loco regni tuus Ioseph tibi requiem prouidit. Qui priùs misit Angelos, mulieres, & Apostolos resurrectionis suæ testes & nuntios: nunc ipse clamat è cœlo, Ecce ego quem mortuum lugebas hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce viuo, & *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Venite ad me qui laboratis* fame, *& ego reficiam vos. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paraui.* Qui nos eò vocat, ipse perducat, vbi cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Commeatus ad cœli iter, pulchra similitudo.

Matth. 28. v. 18. & 11. v. 28. & 25. v. 34.

EIVSDEM DE EODEM

SERMO II.

Apoc. 20. v. 6

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ.

Ioan. 11. v. 25.

EGo sum, inquit Iesus, *resurrectio & vita.* Ipse vtique resurrectio prima, ipse & resurrectio secunda. Resurgens quippe à mortuis primitiæ dormientium Christus, sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam; & exemplo eiusdem suæ resurrectionis, operabitur nobis secundam. Prima enim est animarum, cùm eas sibi resuscitat in nouitatem vitæ: secunda erit corporum, cùm *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Rectè igitur resurrectionem & vitam Christus se profitetur, quandoquidem per ipsum, & in ipsum resurgimus, vt secundum ipsum, & apud ipsum viuamus: nunc quidem secundum ipsum in sanctitate & iustitiâ, postmodum apud ipsum in beatitudine & gloriâ. Porrò sicut resurrectio prima capitis nostri Domini nostri Iesu Christi, causa est & argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius corporis: sic vnicuique nostrûm prima resurrectio animæ quo reuiuiscit à morte peccati, argumentum est & causa secundæ suæ resurrectionis, quâ corpus liberabitur non modò à corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quòd enim hæc illius argumentum & causa sit, Apostolus euidenter ostendit, vbi ait, *Si Spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Benè igitur dicitur, *Beatus & sanctus, qui habet partem in prima resurrectione*: sanctus videlicet, propter primam, quam iam adeptus

Phil. 3. v. 21.

Resurrectio prima, causa & argumentum secundæ.

Rom. 8. v. 11.

A est, per innouationem animæ: beatus, propter secundam quam feliciter expectat in corporis restitutione. Denique vnde beatus sit, eadem aperit Scriptura, cùm subdit: *In his* (scilicet qui partem habent in primâ resurrectione) *mors secunda non habet potestatem*: etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. *Regnauit* quippe *mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Sed sicut *Christus*, sic & Christianus, *resurgens à mortuis, iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur.* Itaque in beatis illis nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit, retinebit: quoniam mors vna Christi vtramque nostram triumphauit, ab istâ B liberans iam captos, ab illâ capiendos: ne videlicet in illam incidamus, nec in istâ remaneamus.

Rom. 5. v. 14

Rom. 6. v. 9.

Quàm vera, quàm pia simul & magnifica illa morientis comminatio, *Ero mors tua, ô mors?* Quàm pulchrè & mirificè triumphauit, qui mortem pro omnibus gustans, tam suam quàm omnium omnimodam mortem absorbuit? Prorsus *absorpta est mors in victoriâ. Vbi est mors stimulus tuus?* Victa es quæ omnia vincebas; sed & arma perdidisti in quibus confidebas. Vbi enim est stimulus tuus? *Stimulus mortis peccatum*; quod semel pungens humani radicem generis, C in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo. *Quia per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiuit.* Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo vsque ad secundum: quoniam sicut originali lege tenebatur vniuersum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam tam peccati, quàm mortis: vtique per Dominum Iesum Christum, qui prorsus à peccato immunis, ac per hoc liber à debito mortis, hanc tamen vltro pro nobis exoluit moriens, & peccato nos absoluit resurgens. *Christus enim*, ait Apostolus, D *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Moriens namque delictorum nostrorum perdidit pœnam, & resurgens iustificationis perpetuæ nobis condidit formam & causam: vt quomodò videlicet *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*: sic Christianus conresurgens Christo iam non peccet ad mortem, nec ei peccatum vltrà dominetur. Hic est illi beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione primâ: in quem nec potestatem habebit mors secunda, sed absorbebitur in victoriâ resurrectionis Christi, etiam mors prima. Hic est, qui non solùm agnouit, E sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, & societatem passionis illius, configuratus morti eius: vt occurrat ad resurrectionem ex mortuis.

Osea. 13. v. 14.

1. Cor. 15. v. 54.

Rom. 5. v. 12

Rom. 4. v. 25

Rom. 5. v. 14

Phil. 3. v. 10. & 8.

Non errabat Apostolus, qui ob lucrum istud, omnia quæ ei lucra fuerant, non solùm detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur: in tantum vt Christo inueniretur configuratus sicut morti, sic & resurrectioni ipsius. Lucrosum omninò commercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, vt lucrifacias Christum: imò si opus sit, non solùm tua, sed & teipsum superimpendere, vt cum tanto fœnore immortalitatis & gloriæ, te ipsum mercaris

Lucrosum commercium præsentium pro futuris.

recipere. Quis enim ambigat lucrosum esse commercium, seminare corpus mortale, animale, ignobile, vt resurgat immortale, spirituale, gloriosum: mori mundo, vt possis dicere, Phil. 1. v. 21. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*? O cupidi, qui immoramini studio lucrandi, cur non discitis artem lucrandi? Cur non vilia, imò detrimenta & stercora contemnitis, vt Christum lucrifaciatis? *Quare appenditis argentum non in panibus;* Isai. 55. v. 2. *& laborem vestrum, non in saturitate?* Vt video, vilior est vobis argento vestro *Panis* ille *qui de* Ioan. 6. v. 33 *cælo descendit, & dat vitam mundo.* Sed non potest scire quanti sit, qui non vult gustare qualis sit. Vtinam auarus vel ipse sibi pretiosior esset pecuniâ suâ, nec amore illius venalem exponeret animam suam, proijceretque in vitâ suâ intima sua. Prudens ille negotiator dignusque rerum æstimator; Act. 20. v. 24 Paulum nimirum dico, qui nec animam suam, id est, animalem sensualemque vitam pretiosiorem fecit seipso; id est, spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, vt in vitam æternam posset eam custodire. Quia igitur qui diuitias habent, difficilè intrant in regnum cœlorum: & qui thesaurizant argentum, citiùs appendunt illud in inanibus quàm in panibus: in azymis dico sinceritatis & veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus Paschalis: vos beati pauperes, filij pauperis crucifixi; vos, inquam, qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Promptiùs omninò & faciliùs emunt bonum illud nihil habentes, quàm multa possidentes. Cùm deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas: quâ plerunque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores.

Pauperum sors beatior; quippe ad salutem expeditior.

Hos nimirum rectè inuitat Scriptura, *Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac.* Vides, ô felix pauper, solam à te voluntatem bonam exigi; in illâ solâ rationem tanti constare commercij. Nec recuses ingratus quod tam gratis offertur: imò ne perdas ingratâ voluntate, quod iam merueras beatâ paupertate. Agnosce quanti lucri sit non habere partem in ruinâ mundi, vt partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantæ felicitatis sit non inebriari luxu & furore sæculi, vt cum Christo bibas vinum in regno Patris sui. Inuitat ipse Agnus Paschalis amicos ad delicias corporis & sanguinis sui; *Comedite*, inquiens, *amici: bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. v. 1. Cibus iste & potus, vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primæ, pignusque secundæ. quia diuinæ planè in nobis initium substantiæ. *Participes*, inquit Apostolus, *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus:* Heb. 3. v. 14 Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum reuertitur, *diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.* Iob 3. v. 14. Vel certè, *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecùs:* quia nimirum gratia percepta in pœnam conscientiæ vertitur, cùm sanguis testamenti quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, & spiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hebr. 10. v. 29. Hoc contemptu & nauseâ diuitiæ deuoratæ euomuntur, ita vt de eo qui eiusmodi est, dicatur, *Non remansit quicquam de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis illius.* Iob 21. v. 11.

Ingratæ voluntatis periculum.

Eucharistiæ vis, ac veritas.

Videat autem ne fortè & ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui cùm per gratiam deuotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoriâ retinet, vt memoriam abundantiæ suauitatis diuinæ nobis eructet: non saporem in sermonibus, tanquam gustum in faucibus: non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania & scurrilia reuomit, gratiam sibi in iram conuertit. Prorsus in iram & iram terribilem; si in ipsum cadit quod Scriptura contexuit, dicens, *Cùm satiatus fuerit, arctabitur, & irruet in eum omnis dolor. Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris sui, & pluat super eum bellum suum.* Iob 20. v. 22. Iustum quippe sentiebat, atque consentiebat Propheta, aut pluat super peccatores bellum, qui ad pluuiam voluntariam, fructum pacis non retulerunt: sitque *ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum,* Psal. 10. v. 7 qui calicem Domini indignè biberunt. *Terra enim sæpe venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, fratres, meliora, & viciniora saluti:* Heb. 6. v. 7. tantùm gratiæ Dei grati sitis; & sicut in nouam creaturam translati estis Paschalibus mysterijs, sic in nouitate vitæ semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione Sacramenti, communione Spiritus sancti, initium substantiæ eius non solùm vsque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulò augere nitimini: vt qui per tot munerum prærogatiuas partem habere cœpistis in resurrectione primâ, tanti fiduciâ pignoris in die agnitionis reconsignari, ius vobis perpetuum vendiceris in resurrectione secundâ: præstante Domino nostro Iesu Christo, resurrectione & vitâ nostrâ, qui pro nobis mortuus per triduum, iam viuit & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

Tepiditas, ac neglectus diuinorum.

EIVSDEM DE EODEM.

SERMO III.

Beatus & Sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ. Apoc. 20. v. 6.

PRimitiæ dormientium Christus primogenitus ex mortuis, qui suâ resurrectione, quæ prima est omnium, & primam nobis resurrectionem animarum, & secundam corporum dedicauit: dum in corpore suo quod suscitauit à mortuis, & animabus sacramentum, & corporibus exemplum resurgendi nuntiauit. Sed & animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparauit, dum & quotidie reuiuiscunt à morte peccati per operationem mysterij, & hodie maximè resurgunt à somno corporis per deuotionem gaudij. Quis enim tam piger, aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam gaudio plenam, *Resurrexit Dominus*, non totus in exultatione suscitetur, non totus reuiuiscat, & recalescat spiritu? Imò & *cor meum, & caro mea exultauerunt*, inquit, *in Deum viuum*, Psal. 83. v. 3. qui totus concideram in mœrorem ac desperationem, Iesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, non paruo fœnore gaudij, Iesus mihi de sepulchro redit: dum & Deus viuus agnoscitur, qui paulò antè vt homo mortuus lugebatur: & quem occisum cor meum do-

lebat, iam iu eum viuum, non solùm cor meum, A sed & caro mea exultat: de suâ scilicet per eum resurrectione, & immortalitate secura. O anima mea, *Ego dormiui, & exurrexi*, ait Christus, *surge* & tu *qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Psal. 3. v. 6. Eph. 5. v. 14

Tepidus Christo resurgente mortuo similis.

An non, fratres, mortuo similis, qui adhuc stertit orto iam sole, qui adhuc negligentiâ & socordiâ premitur, quasi desperato sepultus tepore, iam vbique gratiâ resurrectionis rutilante? Ferit oculos Sol nouus emergens ab inferis, his qui manè vigilant ad eum diem reserans æternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet vltrà Sol eius, qui semel occideus semel ascendit super occasum, mortem sibi subijciens.

Psal. 67. v. 5.

O fratres, *hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ.* Exultemus in spe eius, vt videamus & gaudeamus io luce eius. *Exultauit Abraham vt videret diem* Christi, & hoc merito *vidit, & gauisus est.* Nam & tu quoque si vigiles quotidie ad fores sapientiæ, & obserues ad postes eius, peruigilque excubes cum illâ Magdalenâ ad ostium monumenti eius: probabis, ni fallor, & ipse cum eadem Mariâ, quàm verum sit, quod de ipsâ sapientiâ, quæ Christus est, legitur. *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam; & inuenitur ab his, qui quærunt eam. Præoccupat qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat. Qui de luce vigilarit ad illam, non* C *laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.* Sic enim & ipse promisit, dicens, *Ego diligentes me, diligo: & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Inuenit quidem Maria corporaliter Iesum ad quem vigilabat, ad cuius monumentum, cùm adhuc essent tenebræ, excubare venerat. Tu verò qui iam non debes nosse Iesum secuodum carnem, sed secundum Spiritum: spiritualiter nimirum eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter peruigilé in oratione aduerterit. Dic ergo Domino Iesu desiderio & affectu Mariæ, *Anima mea desiderauit te in nocte;* sed & *spiritus meus in præcordijs meis; de manè vigilabo ad te.* D Dic mente & voce Psalmistæ, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et vide si non cum eis tibi cantare contigerit. *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & exultauimus, & delectati sumus.*

Psal. 117. v. 24. Ioan. 8. v. 56. Sap. 6. v. 13. Pro. 8. v. 17. 2. Cor. 5. v. 16. Isai. 26. v. 9 Psal. 62. v. 2. Psal. 89. v. 14.

Vigilate ergo fratres in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia iam manè illius diei indecliuabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis & gratior ab inferis redijt; Solemque matutinum susceptio matutina reparauit. Prorsus *hora est iam nos de somno surgere*, postquam *nox processit, dies autem appropinquauit.* Vigilate, inquam, vt oriatur vobis matutina lux, E Christus scilicet, cuius quasi diluculum præparatus est egressus; paratus vtique vigilantibus ad se, mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innouare. Tunc vtique cantabis in iubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ;* cùm videlicet lucem quam in manibus abscondit interlucere tibi permiserit: annuntians de eâ amico, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. *Vsquequo piger dormis? vsquequo dormitas? Paululum dormies; paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias:* & cùm te dormiente, te nesciente Christus de sepulturâ surrexerit, & gloriâ eius transeunte, nec posteriora eius videre merueris: tunc serâ pœnitentiâ planges, & dices cum impijs, *Ergo errauimus à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Vobis autem*, inquit, *timentibus nomen meum, orietur Sol iustitiæ.* Et, *Qui ambulat in iustitijs, Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Et id quidem beatitudo est vitæ sequentis; sed iuxta quendam modum indulgetur etiam ad consolationem præsenos, sicut euidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta sapientia nobis probauit, *quoniam dignos seipsâ circuit quærens, & in vijs suis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentiâ occurrit illis.*

Psal. 28. v. 1 Rom. 13. v. 11 Sap. 6. v. 9. Sap. 5. v. 6. Mal. 4. v. 2. Isai. 33. v. 15.

Dei visio vita sequenti, & eius quæ nunc est.

Act. 1. v. 3. Sap. 6. v. 17.

B Vt enim Iesus se esse illam sapientiam, de quâ hæc scripta sunt, ostenderet; & quòd quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in vijs iustitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret, in viâ hodie occurrit mulieribus à monumento redeuntibus, in viâ se ostendit duobus euntibus in Emaus. Audeant & gaudeant, qui in vijs iustitiæ ambulant: audiant, inquam, quia non solùm inhæreotes studio contemplationis, sed etiam ambulantes iustè ac piè vias actionis, Iesus dignatur occursu & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorundam vestrûm, quia sæpe Iesus quem quæsierunt, velut ad monumentum ad memorias altarium, nec inuene- C runt, insperatus occurrit eis in vijs laborum. Tunc nimirum accesserunt, & tenuerunt pedes eius: quoniam scilicet pedes non tenuerat pigritia, præ desiderio eius.

Matth. 28. v. 9. Luc. 24. v. 15.

Iesus in viâ occurrens actionis.

Noli ergo tu, frater, nimis parcere pedibus tuis à vijs obedientiæ, & discursibus operum: quandoquidem Iesus pedibus suis non pepercit propter te, etiam à dolore clauorum, & adhuc eorundem amplexu & osculo pedum, non grauatur laborem remunerare, aut releuare pedum tuorum. Nam & illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adiunxerit, mitique delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum laboris tibi ademerit, D aperiens tibi sensum vt intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas, & non intelligebas? Obsecro vos, fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio diuina, nónne cor vestrum ardens erat in vobis de Iesu, cùm loqueretur vobis in viá, & aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, *& cantent in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini:* credant, & experiri satagant non experti, vt aliquando & ipsis cantabiles fiant iustificationes Dei, in loco peregrinationis suæ & afflictionis.

Psal. 137. v. 5. & 118. v. 54.

Resurgat itaque ac reuiuiscat spiritus omnium E nostrûm, siue ad vigilantiam orandi, siue ad instantiam operandi: vt quadam rediuiuâ ac viuidâ alacritate probet se de nouo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus & impiger sit ad actionem: nam perfecta resurrectio eius est in hoc duntaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non antè promeretur intellectus, quàm crebris suspirijs, vehementibus desiderijs dilatetur affectus, vt tantæ nimirum capax maiestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus crementum resurgendi signanter figuratum arbitror in mortuo, quem Elisæus suscitauit: qui cùm ad vitam redire inci-

Vitæ spiritualis indicia, strenua actio; ac oculorum apertio.

peret, primò dicitur *quia calefacta est caro pueri*, A deinde, quia *septies oscitauit*; & sic demum *oculos aperuit*. Caro pueri, cor carneum est, in Christo paruuli: cui prima spes vitæ est si dicere possit, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescit ignis*. Quanquam & vestimenta eius calida fiunt, cùm terra perflata fuerit austro, Spiritu vtique sancto, quem verus Elisæus præueniendo aspirat rediuiuo. Ampliùs autem & euidentiùs ad resurrectionem proficit, cùm desiderio & esurie quadam iustitiæ oscitare frequēter incipit. Illo scilicet modo ille oscitabat, qui dicebat, *Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam*. B Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, vt capacior fiat spiritus vitæ; quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus & sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est cum bonus exercetur actus: secundus resurrectionis profectus, cùm per orationem dilatatur affectus: perfectio autem, cùm ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis, fratres mei, resurgere magis ac magis enitimini, si quo modò occurratis, vt Apostolus ait, ad resurrectionem Christi ex mortuis, qui viuit & regnat C per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Psal. 38. v. 4.

Oscitatio orationis.

Psal. 118. v. 131.

Phil. 3. v. 11.

S. LAVRENTII IVSTINIANI, *de Resurrectione Domini.*

VRbium, prouinciarumque consueuerunt populi, quoties quicquam singularis gaudij, mundanæque prosperitatis principibus suis emerserit causa, copiosa lætitiæ portendere signa; quatenus ex corde, siue ex solâ tantùm exteriori ostentatione eisdem congratulari noscantur. Nam charitas vera atque sincera affectio hoc semper habet proprium, vt ex animo studeat gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Id planè vbi veraciter inest, agit indubiè; vbi autem abest, hoc idem frequenter arte componitur. Hinc est, quòd præsens sæculum iniquitate superabundans, vtrum fideliter diligat, sæpissimè ignoratur. O quàm iugiter fingit, & sanctæ charitatis tegmento se vestit: Cùm reuerà priuatâ affectione ducatur, videmus quantoties inter cognatos, & notos ista vigere; adeò vt vix reperiatur, qui proprio amore careat, noritque lætari ex charitate cum lætis, atque plorare cum flentibus. Hæc præcipua fraternæ charitatis regula, penes sacrosanctam matrem viget Ecclesiam. Habet namque perfectionem suam in membris singulis iuxta donorum qualitates diffusam, & est ipsa immaculata atque perfecta, quoniam viro suo Christo per spirituale connubium copulata, effecta est mater & virgo. Virgo quidem propter excellentem sanctitatis suę munditiam, mater autem ob spiritualem fœcunditatem prolis; nupta verò ex singulari vinculo charitatis. Didicit planè in membris & capiti conformari suo, ita vt in eâ sit cor vnum, anima vna, eadem voluntas, dona communia, & inuicem sentiendi æqualis intentio. Facta est omnia omnibus, vt viro suo vnicè dilecto lucrifaceret vniuersos; & esset corpus mysticum perfectum in membris, ac capiti suo copulatum atque connexum. Hinc est, quòd omninò hoc sentit in se quod in Christo Iesu ipsius sponso cœlesti. Illique, prout humana admittit fragilitas, in membris peregrinantibus per omnia se coaptare conatur. Hoc agit in spiritu, hoc euidentibus indicijs perficit foris. Quamobrem in eadem mos inoleuit, vt secundum temporum statuta, eadem in ceremonijs atque in diuinis officijs rememorare non desinat; quatenus debilia membra mediantibus exterioribus signis ad sui reuocet cognitionem auctoris. Istiusmodi piæ deuotionis studio cum nascente puero efficitur puer, infantem in cunabilis adorat; cum Magis mysticas munerum ei offert species. Illum cum genitrice comitatur ad templum, volucribus mundis redimit, & cum Symeone sene sanctissimo in B vlnas spirituales suscipiens vagientem exultat & laudat, atque modulationis delectabile carmen decantans, ait, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*. Quid multa? In cunctis pro perceptorum recordatione donorum ad exhortationem fidelium & proficientium robur, perfectorumque lætitiam, sponso suo nititur non esse dissimilis.

Rom. 12. v. 15.

Falsa plerumque hominum gratulationes.

Ecclesia mater & virgo, Christo copulata.

Phil. 2. v. 5.

Eius studiū

vt se illi componat.

Cerimoniæ per temporum statuta.

Luc. 2. v. 29.

Nempe id præsens sermo denuntiat, hodierna declarat solennitas. In ipsâ siquidem obortum humano generi nouum est gaudium. Eapropter concinunt lætantes chori, organa concrepant, ministri altaris vestiuntur albis, in filijs C toto orbe terrarum diffusa sancta mater exultat Ecclesia, & per vniuersas plateas & vicos ab omnibus Alleluia cantatur. Nullus nisi infidelis & mortuus ab huiusmodi alacri solennitate secernitur. Gaudent singuli, cuncti, vicissimque lætantur, & dicunt, *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ*. Hæc vtique est dies præclara & celebris, excelsior cunctis, sanctior vniuersis in quâ mundi conditor ab inferis resurgens in corpore victor gloriosissimus remeauit ad superos. Hodie, inquam, mortis deletum est antiquum chirographum, & originalis delicti culpa laxata. Nempe, quod seminatur in carne, resurgit in spiritu; & humanæ naturæ ignobilitas mutatur in gloriam, in virtu- D tem transit infirmitas: & pro corruptione, incorruptionis excellentia prærogatur. Quid ergo ô homo retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Te Deus tuus reuocauit ad gloriam, te decore induit, téque immortalitatis dote vestiuit. Corpus quippe tuum renouauit in spiritum, vt spiritum tuum reformaret in se. Angelorum gloriæ te hodie fecit esse consortem, & cœlestis patriæ tibi tradidit principatum; pristinæ te restituit libertati, & dignitatem originalis conditionis commutauit in melius. Quid, inquam, retribues Domino, pro omnibus, quæ retribuit tibi? Mentis tuæ excelsa conscende; quæ E inferiùs sunt, oblitis, diuinis intende laudibus. Est enim sacrificium iuge, in quo plurimum delectatur omnipotens, & seruitutis debitæ honorem admittit. Sic namque per Prophetam inquit, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*. De quo (oro) qui iam æternæ felicitatis adepti sunt gloriam, delectātur ampliùs, quàm in diuinæ maiestatis laudatione iucundâ. *Beati*, inquit Propheta, *qui habitāt in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

Dies Resurrectionis piâ gratulatione lætitia.

Psal. 117. v. 24.

1. Cor. 15. v. 43.

Beneficia ex Christi resurrectione, ac pro eis gratiarum actio.

Psal. 49. v. 23.

Psal. 83. v. 5.

Illis ergo in hac præcipuâ Resurrectione solennitate studia tua spiritualia coæquare contende, quatenus ita eorum gaudijs communicare valeas, quemadmodum beneficijs participare cœpisti. Exultatione igitur exhilaratus & iubilo curre, discurre, & omnibus redemptionis beneficia

confitere. Festino insuper gradu mentis, non A corporis, susceptis tecum aromatibus pretiosis, Dominicum visere cura sepulchrum. Ibi lacrymas deuotionis effunde, nec vsquam diuertas, donec resuscitati Domini vestigia teneas, contrectes manu, ac lenias osculis clauorum gloriosa foramina. Illum audi loquentem, agnosce viuentem, dilige diligentem. Dies ista tibi solennis existat, in quâ habitâ Dominum tuum pertractandi licentiâ, fide locupleteris & gratiâ. In hoc spirituali amoris præludio humiliter perseueta, quandiu euanescat à te, vt in Emaum duobus peregrinantibus discipulis tertius efficiatur comes. Dilecti autem tui inebriatus præsentiâ B tumulum relinque vacuum, & absentem sponsum sedulâ animi meditatione perquire. Age itaque in spiritu, vt post ambulantium discipulorum terga submissè inceoas, dilectumque tuum illis iam associatum aspicias, sermocinantium verba ausculses, & Dei sapientiam sub peregrini effigie Scripturas disserentem intelligas. Tunc sicut & discipulorū, tuum amoris face cor ardeat, & eloquiorum ignitorum illius sagittæ te feriant. Porrò si fueris eruditus in spiritu, ex repentinâ innouatione mentis, ex charitatis incendio, ex suauitate sermonis, atque ex intelligentiâ Scripturarum sponsum tuum agnoscas esse, qui loquitur. Illum autem etsi necdum tanquam Dominum, tamen velut peregrinum in cordis tui C hospitium compelle vt intret, & cum exultatione speciali liquescente præ dulcedine animâ, humilitatis illi mensulam para. Non enim mercede interiori priuaberis, si illum cum dilectione suscipies, iuxta ipsius pollicitationem, dicentis, *Quicunque recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & quicunque recipit Iustum in nomine Iusti, mercedem Iusti accipiet.* Discumbentibus quippe cunctis, in illo præcipuè considerationis obtutus fige, mores eius obserua, eloquia meditare; & priusquam panem apponas tecum confer, & dic. Estne iste sponsus meus, & Deus meus? Nunquid in habitu peregrinantis, ne agnoscatur, apparuit? D Cæterum si peregrinus est & aduena, vnde illi tam præclara sapientia? Quomodò in illo tanta redolet sanctitatis fragrantia? Cur illo mediante tam vehemens mihi prærogata est amoris flamma? Reuixit planè spiritus meus, & omnia interiora mea ad sermocinationem ipsius completa sunt iubilo. Præter humanam consuetudinem hoc in me actum esse fateor. Quantos quotidie peregrinos intueor, quot homines mirâ prudentiâ, atque incomparabili eloquentiâ præditos audio, & tamen neminem vnquam talia proferentem comperi, nunquam huiusmodi exultationem corde percepi? Hæc prorsus mutatio est E dexteræ Excelsi. Equidem scio, quòd soli Deo mortalium corda famulentur. Cæteris residentibus foris, sibimet ipse ingrediendi egrediendique retinet potestatem. Spirat vbi vult, & quibus placet; nec est, qui suæ teneri valeat maiestati. Sentiri quippe potest, eius verò spiritualis præsentia minimè intueri.

Quamobrem mirum non est, si carnales nostros nunc tegit oculos, nec agnosci queat, si Dominus est, cùm id etiam frequenter spiritualibus agat. Nempe vox illius dilecti mei vox est, aspectus autem hominis peregrini atque ignoti. In tali verò ambiguitate constrictus, scio quid faciam, vt mihi cognoscibilis fiat? Consueuit namque in refectione priùs quàm cibum capiat, apposita benedicere, panem frangere, ac simul discumbentibus impertiri. Panem igitur humanitatis causâ afferam, & qualiter se habebit solerter obseruabo. Hoc mihi notissimum præsentiæ illius indicium erit. Allatum itaque panem suscipiens mediator manibus benedicendo fregit, apposuit, atque apertis discumbentium oculis lætus euanuit. Hæc tecum iucundo animo meditando reuolue, te præsentem in spiritu exhibe, agnoscentem, loquentem, contrectantem, gaudentem, mirantemque. Verùm vt omnis hæc dies tibi festiua pertranseat, & (iuxta Prophetam vespere, manè, meridiè contemplandu sponsi tui suaui præsentiâ potiaris, quemadmodum manè sepulchrum, ita meridie sole iam ac occasum vergente relinque mensam, & gradu concito cum socijs regredieris Hierusalem. Perges autem ad domum, vbi Maria cum cæteris residet, quatenus agnoscant & ipsi te referante, quod videris. Tunc noctis incumbente crepusculo, lætantibus vniuersis in medio cœnaculi foribus clausis Dominum contemplare astantem. Dubietatis omninò caliginem abige, vt resurrectione celebratâ valeas gaudere, atque cum ipso Domino delectabiliter fari; palpare manus, videre faciem, cicatrices tangere, pacem suscipere, & cum eo, omnibus interioribus tuis iubilantibus, in spiritu epulari. In his exuberantem consequeris deuotionis dulcedinem, si corde mundus, & spirituali fueris resurrectione renatus. Prima namque resurrectio est peccatorum euasisse tenebras, atque futurorum bonorum desiderio inflammari, dicente Apostolo, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Verus ergo Dominicæ resurrectionis cultor est, qui per virtutis studium, & pij amoris incendium mediatori Christo inhærere concupiscit. Huiusmodi, mystico Christi coniunctus in corpore iam resurrexisse spiritualiter, iamque cum illo ad cœlos ascendisse cognoscitur, sicut Paulus insinuans, inquit, *Qui resuscitauit, & consedere nos fecit in cœlestibus cum Christo.*

Quamobrem ô fideles, qui de Domino in bonitate sentitis, atque gratiæ illius participes fieri meruistis, toto dilectionis affectu reuertimini ad vos, vt congruo ordine exultetis in Domino. *Canite tubâ in Sion, vocate cœtum, congregate populum, ordinate senes, vberáque sugentes. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo;* quatenus omnes voce consonâ & pari modulatione oris & cordis carmen iucunditatis & lætitiæ præcinatis, dicentes, *Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* Exultemus, inquam, quia resurrexit ipse; lætemur autem, quoniam resurgemus & nos. Nempe gigas ille fortissimus vigilans de sepolchro ablatis Gazæ ciuitatis Philistinorum ianuis, mediæ noctis silentio futuræ resurrectionis ascendit in montem. Mortis quidem calcauit imperium, & inferorum claustra propriâ virtute momordit: propter quod læta hodie vbique mater promit Ecclesia, *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Capitis enim decore vestita, quam resurrectionis gloriam accepit in paucis, hanc in extremo tempore nequaquam dubitat se habituram esse in omnibus, quemadmodum ore prophetico Dominus pollicitus est, dicens,

Ecce

Marginal notes:
Matth. 28. v. 9.
Luc. 24. v. 13.
Domini vel specie peregrini susceptio, eiusque apparitionis pia contemplatio.
Matth. 10. v. 14.
Christi præsentiæ sensus, non aspectui.
Cognitus in fractione panis.
Psal. 54. v. 18.
Fort. referente.
Luc 24. v. 35.
Ioan. 20. v. 19.
Col 3. v. 1.
Verus resurrectionis cultor.
Ephes. 2. v 6
Ioel 2. v. 15. & 1. v. 14.
Psal. 117. v. 24.
Iudic. 16. v. 3.
1. Cor. 15. v. 55.

Ezech. 37. v. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos* A *de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israël, & scietis quia ego Dominus; cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, populus meus: & dedero Spiritum meum in vobis, & viuetis, & requiescere vos faciam super humum vestram, & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci.* Spe igitur futuræ resurrectionis exhilarati, charissimi, Phil. 3. v. 14. ad propositum nobis, ad incorruptionis brauium percurramus, *aspicientes* fidei oculo *in Auctorem* Heb. 12. v. 2. *& consummatorem Iesum*, qui in diebus carnis suæ certamine pro nobis inito, mortem suscepit & vitam. Semel quippe ad euacuanda multorum delicta, pro peccatoribus moriens atque resurgens à mortuis, vltrà non moritur. Proinde viuorum restis, & primogenitus mortuorum, atque regum terræ princeps effectus, prædestinatis omnibus resurrectionis gratiam donauit & gloriam. Igitur, iuxta Prophetæ exhortationem, *exultemus in Domino, iubilemus in Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei*, qui est sponsus Ecclesiæ & Rex benedictus in sæcula sæculorum: Amen. Psal. 94. v. 1.

FERIA II. POST PASCHA.

LVC. XXIV.



IN illo tempore, duo ex discipulis Iesu ibant ipsâ die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaüs. Et ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illâ his diebus? Quibus ipse dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodò tradiderunt eum Summi Sacerdotes, & principes nostri in damnatione mortis, & crucifixerunt eum: Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia tertia dies [a] est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello, quò ibant, & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Et [b] dixerunt adinuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem horâ regressi sunt in Hierusalem. Et inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit [c] Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis.

a Promissam resurrectionem tacent, timentes eum cui loquebantur.

b Iam certi de resurrectione.

c Primo omnium virorum apparuit Petro, quod & si non dicit Euangelista, quando, vel vbi factum, tamen quia factum sit, non tacet.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



Luc. 24. v. 13. *STADIORVM sexaginta.* Stadium est octaua pars milliarij, & ideo sexaginta stadijs septem millia passuum, & quadringentos significat. Quod spatiũ eis congruit qui de morte, & sepulturâ Domini certi gradiebãtur, de resurrectione dubij. Nam *A Paschate*. A resurrectionẽ, quæ post septimã sabbati facta est, octauo numero contineri nullus ambigit. Discipuli ergo qui de Deo loquentes incedunt, sextum milliarium cœpti itineris compleuerunt, quia illũ sine querelâ viuentẽ vsque ad mortẽ, quam sextâ sabbati subijt, peruenisse dolebant. Compleuerant & septimum, quia hunc in sepulchro quieuisse non dubitabant. Sed de octauo dimidium tantum peregerunt, quia gloriam iam celebratæ resurrectionis perfectè non credebant.

Emaus iunc vicus, restaurata facta ciuitas dicta Nicopolis. Beda.

A *Nomine Emaus.* Emaus ipsa est metropolis ciuitas insignis Palæstinæ, quæ post expugoationem Iudææ sub Matco Aurelio Antonino principe restautata, cum statu mutauit & nomen.

V. 15. *Dum fabularentur.* Loquentes de se Dominus appropinquans comitatur, vt & fidem resurrectionis eorum mentibus incendat, & quod se promiserat facturum, impleat. (Matth. 18. v. 20.) *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Greg. in homiliâ. *Appropinquans.* Apparuit quidem in specie propriâ, sed speciem quam recognoscerent, non ostendit. Sicut & ipsi intus amabant. & tamen dubitabant: sic ipse foris & præsens adest, & quis sit, non ostendit. De se ergo loquentibus præsentiam exhibet, sed de se dubitantibus speciem cognitionis aufert. B

V. 18. Peregrinus Dominus. *Peregrinus es.* Peregrinum putant, quem non agnoscunt. Et verè peregrinus erat eis, à quorum fragilitate per gloriam resurrectionis iam longè stabat, à quorum fide resurrectionis nesciâ extraneus manebat.

V. 19. Vir Propheta. *Vir Propheta.* Prophetam, & magnum fatentur, Filium Dei tacent, vel quia nondum perfectè credunt, vel si credunt timent tradi in manus Iudæorum, nescientes com quo loquuntur.

V. 21. *Nos autem sperabamus &c.* Quodammodò redarguunt seipsos, quòd io illum redemptionem sperauerint, quem mortuum videtant, nec resurrecturum credebant: & maximè dolent eum sine culpâ occisum, quem innocentem oouerant: C & ex hoc tristes incedebant.

V. 22. *Terruerunt nos* Meritò dicontur terruisse eos, quibus de oon inoento corpore plus mœstitiam addiderunt, quàm de nuntiatâ resurrectione gaudium, quo recrearentur, afferunt.

V. 24. Supra v. 12. *Abierunt quidam &c.* Cùm supra dixerit Petrum cucurrisse ad monumentum, & modò dicat Cleophas: *Quidam ex nostris abierunt ad monumentum &c.* intelligendum est, quòd duo simul ierunt. Sed Petrum solum primò commemorauit, quia primitùs illi nunriauit Maria.

Christianorum increpata socordia. *O stulti, & tardi corde.* Hîc gemina humiliandi necessitas incumbit, qui nec in Scripturis quantum oportet edocti, nec ad implenda quæ nouimus, quantum decet, sumus inteno. Nam si Moyses, & Propbetæ de Christo locuti sunt, & cũ per D passionem in gloriam intraturum prædixerant, quomodò gloriatur se esse Christianũ, qui neque in Scripturis qualiter ad Christum pertinent, inuestigat, neque ad gloriam, quam com Christo habere cupit, per passiones attingere desiderat.

V. 27. Gregorius in homiliâ. *Et ipse se finxit longiùs ire.* Talem se exhibuit io corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi erant, si hunc quem nondum vt Deum diligebant, saltem vt peregrinum diligerent. Sed quia extranei à charitate esse non possunt cum quibus veritas gradiebatur, ad hospitium vocant: immò cogunt. Quo exemplo colligitur, quia pe- E regrini non solùm ad hospitium sunt vocandi, sed etiam trahendi.

V. 29. Cognitus Dominus in fractione panis. Rom. 2. v. 13. *Fregit, & porrigebat.* Quem in expositione Scripturæ non cognouerunt, in fractione panis nouerunt: quia *non auditores legis, sed factores iustificabuntur*; & veritas meliùs operando, quàm audiendo intelligitur.

V. 30. *Aperti sunt oculi.* Subtrahitur carnalibus oculis species infirmitatis, vt mentibus incipiat apparere gloria resurrectionis: vnde subditur: *Et dixerunt adinuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, &c.*

A Mysticè. Ideo in Christo illis ostensa est alia effigies, ne eum nisi io fractione panis cognoscerent, vt omnes iotelligant se Christum nõ agnoscere, nisi fiant participes corporis eius, id est, Ecclesiæ, cuius vnitatem commendat Apostolus in sacramento panis, dicens: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Cùm ergo panem benedictum porrigit, aperiuntur oculi vt eum cognoscant, & remouetur impedimentum quòd à satanâ in oculis erat, ne agnosceretur Iesus. Et hoc impedimentum permittit inesse Dominus, donec ad sacramentum panis veniatur. Sed parocipatâ vnitate corporis aufertur impedimentum inimici, vt possit Christus agnosci. (V. 31. Sacramentum panis. 1. Cor. 10. v. 17.)

B *Ardens erat.* Exaudito sermone, cor priùs torpore incredulitatis, & timoris frigidum, igne sancti Spiritus est accensum: vt iam superno desiderio ardeat, & ad credendam veritatem se extendat. Quot præceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammatur. (Præceptis cor inflammatur.)

V. 33. *Surrexit Dominus verè.* Iam fama erat quòd resurrexerat Iesus ab illis mulieribus facta, & à Simone Petro cui apparuerat: hæc loquentes inuenerant isti duo; sed & ipsi priùs audierant quòd resurrexerat, sed timuerunt dicere in viâ, quando tantummodò Angelos dixerunt visos mulieribus. Ignorantes enim eum cum quo loquebantur, poterant timere ne inciderent in manus Iudæorum, si quid passim dicerent de Christi resurrectione.

C

CATENA AVREA
in idem Euang.

Luc. 24. v. 13. ET *ecce duo ex illis.* GLO. Post manifestationem resurrectioois Christi per Angelos mulieribus factam, manifestatur vlteriùs eadeio resurrectio per ipsius Christi apparitionem discipulis. Vnde dicitur, *Et ecce duo ex illis ibant, &c.*

In hoc loco. THEOPH. Quidam alterum horum duorum Lucam inquiunt esse, & ob hoc suum nomen occultasse.

Libr. 10. in Lucam cap. vlt. AMB. Vel duobus discipulis seorsum Dominus iam se vespere demonstrat, scilicet Ammaoni & Cleophæ.

Libr. 3. c. vlt. t. 4. Mar. 24. v. 12. Luc. 24. v. 13. D AVG. de con. Euan. Castellum autem illud noo absurdè accipimus, etiam villam secundum Marcum potuisse appellari. Deinde castellum describit, dicens, *Quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus.*

Beda ca. 96. BEO. Ipsa est Nicopolis ciuitas insignis Palæstinæ, quæ post expugnationem Iudææ sub Marco Aurelio Antonino principe restaurata, cum statu mutauit & nomen. Stadium autem, quod auctore (vt Græci dicunt) Hercule, viarum spatia mensurat, octaua est pars milliarij. Et ideo sexaginta stadia septem millia passuum & quinquaginta significant; quod spatiom itineris fuit eis, qui de E morte & sepulturâ Domini certi, de resurrectione autem Domini dubij gradiebantur Nam resurrectiooem quę post septimam sabbao facta est, octauo numero cõtineri nullus ambigit. Discipuli ergo qui de Domino loqueotes incedunt, sextũ milliarium cœpti itineris compleuerãt, quia illum sine querelâ viuentem vsque ad mortem (qoam in sextâ sabbati subijt) peruenisse dolebaot. Compleuerant & septimum, quia hunc in sepulchro noo dubitabant quieuisse. Sed de octauo dimidium tantùm peregerant, quia gloriam iam celebratæ resurrectionis non credebant perfectè.

In hoc loco.

THEOPH. Prædicti autem discipuli loquebantur adinuicem de his quæ acciderant; non quasi credentes, sed sicut stupentes in rebus extraneis; vnde sequitur, *Et ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus, quæ acciderant.*

Cap. 96. in Bedâ.
Matth. 18. v. 20.

BED. Loquentes autem de se Dominus appropinquans comitatur, vt & fidem resurrectionis mentibus eorum incendat, & quod se facturum promiserat, impleat; scilicet, *Vbi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.* Vnde sequitur, *Et factum est dum fabularentur, &c.*

In hoc loco.

THEOPH. Obtento enim iam spiritali corpore, non obstat loci distantia, quin adesset quibus volebat: nec vlteriùs naturalibus legibus corpus suum regebat, sed spiritaliter, & supra naturam: vnde vt Marcus dicit, sub aliâ formâ eis videbatur, in quâ non concedebatur eis eius cognitio. Sequitur enim, *Oculi autem eorum tenebantur ne illum agnoscerent;* vt scilicet totam suam dubiam intentionem reuelent, & vulnus detegentes recipiant medicinam: & vt cognoscerent, quòd quamuis corpus ipsum quod passum fuerat resurrexerit, non tamen ampliùs tale erat vt esset omnibus visibile, sed tantùm ab his, à quibus vellet videri: & vt non dubitent quare de cætero non conuersatur inter plebem; quia scilicet post resurrectionem conuersatio eius non esset digna hominibus, sed diuina magis: quod etiam est forma resurrectionis futuræ, in quâ sicut Angeli conuersabimur, & filij Dei.

Hom. 23 in Euangel.

GREG. in hom. Cõuenienter etiam eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit; hoc agens foris in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis: Ipsi namque apud seipsos intus & amabant, & dubitabant. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit; sed de se dubitantibus, cognitionis suæ speciem abscondit. Verba quidem eis contulit; Nam sequitur, *Et ait illis, Qui sunt hi sermones, &c.*

GRÆCVS. Cõferebant quidem inter se quasi nõ ampliùs expectantes Christum viuentem, sed dolorosi quasi perempto Saluatore. Vnde sequitur, *Et respondens vnus, &c.*

In hoc loco.

THEOPH. Quasi dicat, Tu solus peregrinus, & extra confinia Hierusalem habitans, & expers es eorum quæ in medio eius contigerunt, vt hæc ignores?

Super illud. Tu solus peregrinus.

BEDA. Vel hoc dicit, quia peregrinum putabant eum, cuius vultum non agnoscebant: Sed reuerâ peregrinus erat eis, à quorum naturæ fragilitate, perceptâ iam resurrectionis gloriâ, longè distabat; & à quorum fide, vtpote resurrectionis eius nesciâ, manebat extraneus. Sed adhuc Dominus interrogat. Nam sequitur, *Quibus ille dixit, Quæ?* Et ponitur eorum responsio, cùm subditur: *Et dixerunt ei, De Iesu Nazareno qui fuit vir Propheta.* Prophetam fatentur, Filium Dei tacent. Vel nondum perfectè credentes, vel solliciti ne inciderent in manus Iudæorum persequentium (quia nesciebant quis esset) quod verum credebant celantes. Ad cuius commendationem subditur, *Potens in opere & sermone.*

In hoc loco.

THEOPH. Primò quidem est opus, secundò sermo: Nullus enim doctrinæ sermo approbatur, nisi priùs is qui docet, se ostendat auctorem: Præcedit enim opus aspectum: Nam nisi mundaueris intellectus speculum per opera, non emicat decor optatus. Adhuc autem subditur, *Coram Deo, & omni populo.* Nam primò complacendum est Deo; deinde curandum quantùm possibile est de innocentiâ apud homines; vt præcedente diuino cultu, viuamus sine scandalo plurimorum.

Doctrina Moralis.

GRÆCVS. Deinde assignatur causa tristitiæ, traditio & passio Christi, cùm sequitur, *Et quomodò tradiderunt &c.* Subditur autem desperantium vox, cùm dicitur, *Nos autem sperabamus quòd ipse esset redempturus Israël.* Sperabamus, inquit, non speramus; ac si mors Domini similis esset mortibus aliorum.

In hoc loco.

THEOPH. Expectabant enim Christum saluaturum, & redempturum populum Israël ab insurgentibus malis, & à seruitute Romanorum: Ipsum quoque sperabant terrenum Regem fore. Ideo dicunt, *Sperabamus quòd redempturus esset Israël,* cùm nec ipse iniustam contra se sententiam effugerit.

Super illud: Et quomodò tradiderunt.

BED. Meritò ergo tristes incedebant, quia & seipsos quodammodò arguebant, quòd in illo redemptionem sperauerint, quem iam mortuum viderant, nec resurrecturum credebant: & maximè dolebant eum sine causâ occisum, quem nouerant innocentem.

In hoc loco.

THEOPH. Videntur tamen hi viri non omninò increduli esse, per hoc quod subditur: *Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt.* In quo videntur habere memoriam eius, quòd eis Dominus dixerat, se tertiâ die resurrecturum.

GRÆCVS. Porrò relatam à mulieribus resurrectionis famam commemorat, cùm subditur, *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, &c.* Dicunt quidem hoc, quasi non credentes; propter quod referunt se territos, id est, stupefactos. Non enim quod erat eis relatum, firmum æstimabant, aut Angelicam illuminationem fuisse, sed stuporis & turbidinis causam inde sumebant. Testimonium quoque Petri non certum æstimabant, dum diceret se non vidisse Dominum, sed resurrectionem eius conijcere ex eo, quòd corpus ipsius in sepulchro non iacebat. Vnde sequitur, *Et abierunt quidam, &c.*

Lib. 3. c. 25.

AVG. de con. Euang. Cùm autem Lucas dixerit Petrum accurrisse ad monumentum, & Cleopham dixisse ipse retulerit, quòd quidam eorum ierant ad monumentum, intelligitur attestari Ioanni quòd duo ierint ad monumentum; sed Petrum primò solùm commemorauit, quia illi primitùs Maria nuntiauerat.

In hoc loco.

Et ipse dixit ad eos, O stulti & tardi corde ad credendum, &c. THEOPH. Quia prædicti discipuli omniâ dubietate laborabant, Dominus eos redarguit, vnde dicitur, *Et ipse dixit ad eos, O stulti.* Ferè enim eadem dixerant, quæ & astantes cruci, *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.* Contingit enim credere quædam ex his, & non vniuersaliter omnia; putà si aliquis credat quæ de cruce Christi dicuntur à Prophetis, sicut est illud, *Foderunt manus meas, & pedes meos:* quæ verò spectant ad resurrectionem non credat, sicut est illud, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Decet autem in omnibus fidẽ adhibere Prophetis, tam in gloriosis quæ de Christo prædixerũt, quàm in glorijs; quia ex passione malorum est ingressus in gloriam, vnde sequitur, *Nonne hæc oportuit pati Christum, &c.* scilicet secundum humanitatem.

Matth. 27. v. 42.
Psal. 21. v. 17.
Psal. 15. v. 10.
Lib. 4. Epist. 98.

ISID. Abbas. Sed & si oportebat Christum pati,

tamen qui crucifixerunt, rei sunt pœnæ: non enim satagebant perficere quod Deus disponebat: vnde & eorum executio fuit impia: Dei verò dispensatio prudentissima, qui nequitiam eorum in beneficia generis humani conuertit, quasi vtens vipereis carnibus ad antidoti salutiferi confectionem.

CHRYS. Et ideo Dominus ostendit consequenter hæc omnia non euenisse simpliciter, sed ex Dei proposito antè prædestinato. Vnde sequitur, *Et incipiens à Moyse, &c.* Quasi dicat, Postquam estis tardi, ego promptos vos reddam, mysteria Scripturarum vobis exponendo. Nam sacrificium Abrahæ (cùm Isaac dimisso immolatus est aries) hoc præfiguraui. Sed & in alijs Scripturis propheticis sparsim iacent mysteria crucis, & resurrectionis Christi.

Gen. 22. v. 12.

BEDA. Si autem Moyses & Prophetæ de Christo locuti sunt, & eum per passionem in gloriam intraturum prædixerunt, quomodò gloriatur se esse Christianum, qui neque qualiter Scripturæ ad Christum pertineant, inuestigat; neque ad gloriam, quam cum Christo habere cupit, per passionem attingere desiderat?

Cap. 96. in Bedà, super illud, O stulti.

GRÆC. Quia verò prædixit Euangelista, *Tenebantur oculi eorum ne eum agnoscerent*, donec sermo Domini mentem eorum moueret ad fidem, conuenienter opportunum sui aspectum auditui subiungit. Vnde sequitur, *Et appropinquauerunt castello, &c.*

AVG. de quæst. Euan. Quod non ad mendacium pertinet: Non enim omne quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc mendacium est: cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis: alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur; quia secundum vsitatum intellectum non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine mendacio ad aliquam rem significandam.

Libr. 2. c. 51.

Mendaciũ eius fictio quod nihil est, non quod ad aliquid refertur.

GREG. in hom. Quia ergo adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longiùs finxit. Fingere namque componere dicimus: vnde & compositores luti, figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit; sed talem se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Sed quia esse extranei à charitate non poterant, hi, cum quibus charitas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Vnde sequitur, *Et coëgerunt illum.* Ex quo exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solùm inuitandi sunt, sed etiam trahendi.

Hom. 23. in Euang.

Doctrina, Moralis.

GLOS. Nec solùm factis eum cogunt, sed etiam verbis inducunt. Sequitur enim, *Dicentes, Mane nobiscum, &c.*

Non extat hæc Glossa.

GREG. in hom. Ecce autem cùm per membra sua Christus suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit. Sequitur enim, *Et intrauit cum illis.* Mensam ponunt, cibos afferunt; & Deum quem in Scripturæ sacræ expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscunt. Sequitur enim, *Et factum est dum recumberet, &c.*

Vbi supra.

CHRYS. Quod non de sensibilibus oculis dictum est, sed de sensu mentali.

AVG. de con. Euan. Neque enim clausis oculis ambulabant, sed inerat aliquid quo non sinerentur agnoscere quod videbant; quod scilicet caligo & aliquis humor efficere solet: non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, vt alia reuerà esset effigies ab eâ, quam solebant intueri: quandoquidem & ante passionem transformatus est in monte, vt facies eius claresceret sicut sol. Sed non ita nunc factum est: Non enim incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à satanâ fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo facta est permissio vsque ad sacramentum panis, vt veritate Corporis eius participatâ, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.

Libr. 3. c. 25.

THEOPH. Sed & aliud innuit; quòd scilicet sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi, vt eum agnoscant: Magnam enim & ineffabilem vim habebat Domini caro.

In hoc loco.

AVG. de quæ. Euang. Vel quòd Dominus se ire longiùs finxit, cùm comitaretur discipulos exponens sacras Scripturas, vtrum ipse esset ignorantibus quid significat, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem peruenire posse homines intimauit; vt cùm longiùs ipse ab hominibus abscesserit, super omnes cœlos, cum eis tamen sit, qui hæc exhibent seruis eius. Tenet ergo Christum ne longiùs ab eo eat, quisquis catechizatus verbo in omnibus bonis ei qui se catechizat, communicat. Etenim isti catechizati erant verbo, cùm exponeret eis Scripturas. Et quia hospitalitatem sectati sunt, eum quem in ipsâ expositione Scripturarum non cognouerunt, in panis fractione cognoscunt: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Libr. 2. c. 51.

Rom. 2.

GREG. in hom. Quisquis ergo audita vult intelligere, festinet ea quæ iam intelligere potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, & dignatus est cognosci dũ pascitur. Sequitur enim, *Et ipse euanuit ex oculis eorum.*

Hom. 23. in Euang.

THEOPH. Non enim tale corpus habebat, vt diutiùs cum eis commorari deberet: vt ex hoc pariter augeret affectum eorum. Vnde sequitur, *Et dixerunt adinuicem, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?*

In hoc loco.

ORIG. Per quod innuit quòd prolati sermones à Saluatore accendebant audientium cor ad amorem diuinum.

GREG. in hom. Pentecost. Ex audito enim sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, mens in superno desiderio fit anxia. Audire libet præcepta cœlestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.

Hom. 30. in Euang.

THEOPH. Ardebat ergo cor eorum, vel igne verborum Domini quibus intendebant tanquam veris; vel quia eo disserente Scripturas, percellebatur intrinsecus cor eorum, quòd ille qui disserebat Dominus esset. Adeò ergo lætati sunt, vt nullam moram passi, mox reuersi sint in Hierusalem. Et hoc est quod sequitur, *Et surgentes eadem horâ reuersi sunt in Hierusalem.* Surrexerunt quidem eadem horâ; peruenerunt autem per plures horas, sicut oportebat 60. stadia transeuntes.

In hoc loco.

AVGVS. de con. Euan. Iam autem fama erat quòd surrexerat Iesus à mulieribus facta, & à Simone Petro, cui iam apparuerat. Etenim isti duo hæc inuenerunt loquentes illos, ad quos in Hierusalem venerunt. Sequitur enim, *Et inuenerunt*

Libr. 3. c. 25.

congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant dicentes, Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. A

Cap. 69. in Bedâ.

BADA Omnium enim virorum primò Dominus apparuissa videtur Petro, ex his quos Euangelistæ quatuor, & Paulus Apostolus commemorauerunt.

Apparet Christus virorum primo, Petro.

CHRVS. Non enim simul omnibus se manifestabat, vt sereret fidei semina: Nam qui primò viderat & certus erat, alijs referebat. Deinde sermo prodiens, præparabat animum auditoris visioni: & ideo primò digniori, & fideliori omnibus apparuit. Erat enim opus animæ fidelissimæ, quæ priùs acciperet hunc aspectum, vt minimè turbaretur inopinatâ visione. Et ideo primò videtur à Petro; vt qui primò confessus B est eum Christum, primò resurrectionem videre mereatur. Et etiam quia eum negauerat, priùs ei voluit apparere, consolans eum ne desperaret. Post Petrum verò alijs apparuit, quandoque paucioribus, quandoque pluribus, quod duo discipuli confitentur.

Lib. 3. c. 25.

Sequitur enim: *Et ipsi narrauerunt &c.* AVGVST. de con. Euan. Quòd autem ait Marcus, *Annuntiauerunt cæteris, nec illis crediderunt;* cùm Lucas dicat, quòd iam inde loquebantur verè resurrexisse Dominum, quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc credere nollent?

SANCTI AMBROSII EPISCOPI C
superioris Euang. expositio.

Luc. 24. v. 22. Gen. 3. v. 2.

Mulier auctor culpæ, prior videt resurrectionem.

SEd *& mulieres quædam ex nostris, &c.* Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior gustauerat, resurrectionem prior vidit, culpæ ordine, & remedio prior. Et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: quæ culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam; veterísque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors antè processerat, per os mulieris vita reparatur. Sed quia constantiâ ad prædicandum inferior sexus, ad exequen- D dum infirmior, viris euangelizandi mandatur officium. Nam sicut mulierum per Iesum non solùm culpa soluitur, sed etiam multiplicatur gratia, vt pluribus suadeat quæ vnum antè deceperat: ita & vir, qui temerè antè crediderat, fœneratum munus recuperare debuit: vt qui sibi ipse fuerat ad credendum lubricus, fieret alijs ad prædicandum idoneus.

Eccl. 25. v. 33.

Euangelizandi munus commissum viris.

S. TITI BOSTRORVM EPISCOPI
eiusdem Euang. expositio.

THEODORO PELTANO S. I. Interprete. E

Luc. 24. v. 13.

ET *ecce duo ex illis ibant.* Quandoquidem discipuli illi, qui castellum Emaus versùm iter faciebant, mœsti de Christo tanquam de eo, qui ampliùs in viuis non ageret, inter se disserebant, (huc enim tendit hæc illorum oratio: *Et nos sperabamus, &c.*) propterea Dominus illis se adiungens, ipsos stupidos, cordéque & mente tardos appellat; hac ratione animos illorum ad resurrectionis fidem paulatim excitans. Nam etsi resurrectionis famam, cùm per mulieres, tum per Petrum & Ioannem quoque ad se peruenisse non dissimulant; attamen quæ eâ de re referunt, tanquam fide adhuc destituti referunt. Aiút enim

V. 21.

Discipuli duo increduli.

A Paschate.

Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos; neque enim fœminas illas aliquam omnino veritatis lucem in medium attulisse putabant: Quod autem de resurrectione coràm exposuerant, hoc totum ex quadam animi perturbatione, sensuúmque illusione ortum credebant. Sed neque illud quoque, quod Petrus & Ioannes de solis linteaminibus in monumento repertis testati fuerant, certum satis veræ resurrectionis argumentum censebant; idque cùm ob alia, tum ob id maximè quòd se illum non vidisse affirmarent; subdunt enim: *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum verò non inuenerunt.* V. 22.

Et ipse dixit ad eos, O stulti. Christus Dominus, à tantâ illâ cæcitate, discipulos modis omnibus liberos esse volens, veterum oracula, & vaticinia in memoriam reuocat; Moyséque & alijs sacris vatibus in testimonium adscitis, ea edisserit & explanat, quæ in illorum dictis abstrusa iacebât, hoc est, dignis ea reddit clara & liquida, quæ apud indignos sunt, manéntque semper obscura. V. 24.

Eis Dominus Scripturas exponit.

Et appropinquauerunt castello. Quia verò, vt Euangelista exponit, eorum oculi tantisper tenebantur, ne eum agnoscerent, dum Seruatoris nostri doctrina in illorum corda recepta, viam ad fidem ipsis aperuisset; ob id, vbi primùm eò adductos animaduertit, vt verbis illius acquiescerent, absolutéque crederent, statim natiuum vultum illis patefecit; attamen apud eos non mansit: *Et ipse*, scribit Lucas, *euanuit ex oculis eorum;* neque enim Domino post resurrectionem eiusmodi cum discipulis conuersatio, & vsus erat, cuiusmodi antè. Nam quò maius sui desiderium, maiorémque amorem in illorum pectore excitaret, rarò admodum cum illis agebat. V. 17.

Statim agnitus euanescit ab eorum oculis.

V. 30.

Et surgentes eadem horâ, reuersi sunt in Hierusalem. Hoc est, eodem illo tempore, quo Dominus è conspectu illorum sese subduxit, nihil cunctati, statim Hierosolymam rediêre. Verumtamen, neque eadem illâ horâ, vndecim simul congregatos compererunt; neque eodem illo temporis momento, quæ de Domino Iesu comperta habebant, retulerunt: sed post aliquot horas, intra quas nimirum, sexaginta stadiorum interuallum, quod inter Emaus & Hierusalem interiacebat, eos conficere potuisse, probabile erat. Inter quod etiam temporis spatium Dominus Simoni visus est. Vndecim igitur duobus indicârunt, Dominum verè resurrexisse, & apparuisse Simoni; duo vicissim ea vndecim discipulis exposuerunt, quæ acciderant in viâ; tum quomodò eum in fractione panis cognouissent. V. 32.

Dominus visus Petro, postquam esset visus duobus.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in superius Euang. Hom. 1.

HEsterno die, id est, nocte, lecta est ex Euangelio resurrectio Saluatoris. Lecta est autem ex Euangelio secundum Matthæum. Hodie verò, sicut audistis pronuntiare lectorem, recitata est nobis Domini resurrectio, sicut Lucas Euangelista conscribit. Quod sæpe admonendi estis, & memoriter tenere debetis. Non vos debet mouere quòd alius Euangelista dicit, si quid alius prætermittit: quia & ille qui prætermittit quod alius dicit, dicit aliquid quod ille prætermiserit. Aliqua verò singuli dicunt, alij tres non dicunt: aliqua duo dicunt, alij non dicunt, aliqua tres dicunt, & vnus non dicit.

Serm. 140. de Temp. Est inter nouos Fulgent. ser. 36. ex quâ editione multum accessit.

Cap. 1 Al. Marcum.

Auctoritas autem tanta est Euangelij sancti, vt quia in eis loquebatur Spiritus vnus, verum fit etiam quod dixerit vnus. Hoc ergo quod modò audistis, quia Dominus Iesus, posteaquam resurrexit à mortuis, inuenit duos in viâ ex discipulis suis colloquentes inuicem de his, quæ contigerant, & dixit illis, *Qui sunt sermones isti, quos loquimini vobiscum, &c.* solus dicit Lucas Euangelista. Breuiter hoc attigit Marcus, quia apparuit duobus in viâ: sed quid illi dixerint Domino, vel quid eis dixerit Dominus, prætermisit. Quid ergo ista lectio contulit nobis? Magnum aliquid, si intelligamus. Apparuit Iesus: videbatur oculis, & non agnoscebatur. Magister ambulabat cum illis in viâ, & ipse erat via, & nondum illi ambulabant in viâ. Inuenit enim eos exorbitasse de viâ. Quando enim cum illis fuerat ante passionem, omnia prædixerat passurum se fuisse: moriturum, tertiâ die resurrecturum. Omnia prædixerat: sed sermo illius, illorum obliuio fuit. Sic perturbati sunt, quando eum viderunt in ligno pendentem, vt obliuiscerentur docentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem.

Luca 24. v.17. Mar. 16. v. 12. Matth. 20. v. 19.

Nos, inquiunt, sperabamus quia ipse erat redempturus Israel. O discipuli, sperabatis? Ergo iam non speratis? Ecce Christus viuit, & spes mortua est in vobis? Prorsus viuens Christus, mortua discipulorum corda inuenit, quorum oculis apparuit, & non apparuit: & videbatur, & abscondebatur. Nam si non videbatur, quomodò illum interrogantem audiebant, interroganti respondebant? In viâ cum illis tanquam comes ambulabat, & ipse dux erat. Vtique videbant, sed non agnoscebant. *Tenebantur oculi eorum,* sicut audiuimus, *ne eum agnoscerent:* non tenebantur ne viderent; sed tenebantur ne agnoscerent. Eia fratres, vbi voluit Dominus agnosci? *In fractione panis.* Securi sumus, panem frangimus, & Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus eius carnem. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causâ ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore & spe audis, consolatur te fractio panis. Absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, & tecum est quem non vides. Illi quando cum eis Dominus loquebatur, nec fidem habebant, quia eum resurrexisse non credebant, nec resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem: ambulabant mortui cum viuente, ambulabant cum ipsâ Vitâ. Cum illis ambulabat Vita, sed in eorum cordibus nondum renouata erat vita.

Cap. 2. V. 21. Dominus in fractione panis cognitus; in Eucharistiâ vbi cùm non videatur, à nobis manducatur.

Tu verò si vis habere vitam, fac quod fecerunt: vt agnoscant Dominum, hospitio susceperunt. Similis enim erat Dominus tanquam in longinqua pergenti, illi verò tenuerunt eum. *Posteaquam venerunt ad locum quò tendebant, dixerunt: Iam hic nobiscum mane, declinauit in vesperam dies.* Tene hospitem, si vis agnoscere Saluatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentauit seipsum in fractione panis. Ante fractionem ignotus loquitur cum hominibus; in fractione cognoscitur, quia ibi vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in cœlo. Ait enim; *Multæ sunt mansiones apud Patrem meum.* Hospes interea esse dignatus est, vt tu haberes suscipiendo benedictionem. Nemo superbiat, quia dat pauperi. Christus pauper hic fuit. Discite vbi Dominum quæratis, discite vbi habeatis, discite vbi agnoscatis, quando manducatis. Norût enim fideles aliquid quod melius intelligunt in istâ lectione, quàm illi cognouerunt. Dominus his cognitus est: & posteà quàm cognitus est, nusquam comparuit. Abscessit ab eis corpore, dum tenebatur fide. Ideo enim Dominus noster absentauit se corpore ab omni Ecclesiâ, & ascendit in cœlom, vt fides ædificetur. Si enim non credis nisi quod vides, vbi est fides? Si autem credis & quod nô vides, cùm videris, gaudebis. Ædificatur fides, quia redditur species. Veniet quod non videmus: veniet, fratres, veniet: sed vide quomodò te inueniat. Nam veniet quod dicunt homines, vbi est, quando est, quomodò est, quando erit, quando venturum est. Certus esto, veniet: nec solùm veniet: sed & si nolis veniet. Væ qui non crediderunt: erit enim magnus tremor eis qui non crediderunt, & magnum gaudium eis qui crediderunt. Gaudebunt fideles, confundentur infideles. Fideles dicturi sunt, Gratias tibi Domine, vera audiuimus, vera credidimus, vera sperauimus, vera cernimus. Infideles autem dicturi sunt, Vbi est quod non credebamus? Vbi est quod illa quæ legebantur mendacia putabamus? Laudandi ergo qui non vident & credunt: quia cùm viderint, gaudebunt. Causâ salutis nostræ suscepit Dominus carnem: in quâ suscepit & mortem. Resurrexit die tertio, iam non vlteriùs moriturus: & receptâ quam deposuerat carnis substantiâ, primus nobis resurrectionis incorruptibilis fecit exemplum. Ascendens in eodem corpore ad Patrem, sedet ad dexteram Dei, iudicium Patri communicans potestate, quem venturum ad iudicium speramus viuorum ac mortuorum: vt & nos de nobis credamus, de ipso puluere eandem carnem accipere, eadem ossa, eandem semper mansuram membrorum temperationem. Omnes sumus resurrecturi: sed non omnes læturi. *Veniet dies,* inquit, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent qui bona egerunt, in resurrect. one vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ita fiet, vt confusioni reddatur supplicium, fiduciæ reddatur præmium. *Ibunt enim illi in combustionem æternam: iusti autem in vitam æternam.*

Cap. 3. Hospitalitate cognoscendus Christus. v. 29. Ioan. 14. v. 2. Ioan. 5. v. 28 Matth. 25. v. 46.

EIVSDEM EODEM DIE HOMIL. II.

Resurrectio Domini nostri Iesu Christi, & hodie recitata est: sed de altero libro Euangelii, qui est secundum Lucam. Primo enim lecta est secundum Matthæum, hesternâ autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo Euangelistarum. Sicut enim passio ipsius ex omnibus Euangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo durant spatium, vt secundum omnes Euangelistas resurrectio recitetur. Passio autem quia vno die legitur, non solet legi nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando, vt per singulos annos secundum omnes Euangelistas etiam passio legeretur: factum est, non audierunt homines quod consueuerunt, & perturbati sunt. Qui autem amat literas, & non vult semper esse idiota, omnia nouit, & omnia diligenter inquirit. Sed sicut cuique à Deo parata est mensura fidei, sic quisque proficit.

Serm. 144. de temp. Cap. 1. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. Pium hoc Augustini consilium, Ecclesiæ iam vsu est receptum, cùm & passio ex 4. Euangelistis per dies 4. legatur. Rom. 2. v. 3.

Nunc attendamus, quod hodie cùm legere- Cap. 2.

Dei donũ magnum, fides nostra, quæ sic discipulis difficilis fuerit.

tur, audiuimus. Nam quod heri commendaui charitati vestræ, expressimus: hodie audiuimus infidelitatem discipulorum, vt intelligamus quãtum eius beneficio nobis præstitum est, si credamus quod nos audiuimus. Vocauit eos, instruxit eos, vixit cum eis in terrâ, fecit ante oculos eorum tanta mirabilia vsque ad mortuos suscitandos. Mortuos resuscitauit, carnem suam non credebatur resuscitare. Venerũt mulieres ad monumentum, corpus in monumento non inuenerunt, resurrexisse Dominum ab Angelis audierũt, fœminæ viris nuntiauerunt. Et quid scriptum est, quid audistis? *Visa sunt ista ante oculos eorum quasi deliramenta.* Magna infidelitas conditionis humanæ. Quando locuta est Eua quod dixerat serpens, audita est: citò mulieri creditum est, fœminis vera dicentibus, quod viueret Christus, minus creditũ est. Nam hoc est quod egit Dominus Iesus Christus, vt priùs illud sexus fœmineus nuntiaret. Quia ergo per sexum fœmineum cecidit homo, per sexum fœmineum reparatus est homo: quia Virgo Christũ peperit, fœmina resurrexisse nuntiabat: per fœminam mors, per fœminam vita. Sed non crediderunt discipuli, quod dixerant fœminæ, delirare putauerunt, quando veritatem nuntiabant.

Luc.24.v.11

Gen.3.v.6.

Cap. 3. v. 13.

Ecce alibi, *Duo ambulabant in viâ, & loquebantur secum de his quæ acciderant in Hierusalem*, de iniquitate Iudæorum, de morte Christi: ambulabant fabulantes, & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes. Apparuit & ipsis, factus est tertius viator, miscuit cum eis amica colloquia: oculi eorum tenebantur, ne agnoscerent eum. Oportebat enim vt ampliùs cor instrueretur. Cognitio differtur: quærit ab eis quid inter se loquerentur, vt quod ipse sciebat illi faterentur. Et quod audistis, mirari cœperunt, quia de re clarâ & tam manifestâ velut à nesciente interrogabantur. *Tu solus*, inquiunt, *peregrinus es in Hierusalem, & nescis quæ ibi gesta sunt? At ille dixit. Quæ? De Iesu Nazareno, qui fuit Propheta potens factis & dictis.* O discipuli! Propheta erat Christus Dominus Prophetarum? Iudici nomen præconis imponunt, ad alienigenarum verba deuenerant. Quid est quod dixi? Recolite quòd quando ipse Iesus ait discipulis suis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Responderunt opiniones alienas. Alij dixerunt quòd Elias est, alij quia Ioannes Baptista, alij quia Hieremias, aut vnus ex Prophetis. Verba ista alienorum erant, non discipulorum. Ecce ad ista verba discipuli venerunt. Nunc ergo vos quem me esse dicitis? Respondistis mihi opiniones alienas, fidem vestram volo audire. Tunc Petrus vnus pro omnibus, *Tu es Christus Filius Dei viui*, Non quicunque vnus ex Prophetis, sed *Filius Dei viui*, adimpletor Prophetarum, creator Angelorum. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Audiuit quod decuit eum audire ex hac voce, & tali voce: *Beatus es Simon Bar-jona, quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque solueris super terram, soluta erunt & in cœlo: & quæcunque ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlo.* Fides hoc meruit audire, non homo. Nam ipse homo quid erat, nisi quod ait Psalmista, *Omnis homo mendax.*

Al. meliùs.

V. 18.

Matth.16. v. 13.

Ibid v.16.

Psal. 115. v.11.

A Paschate.

Cap. 4.

Matth.16. v.22. & 23.

Petrus vt beatus, & vt satanas.

A Denique continuò post hæc verba denuntiauit eis passionem suam & mortem. Expauit Petrus, & ait, *Absit à te Domine, non fiet istud.* Tunc Dominus: *Redi post me satanas.* Petrus satanas? Vbi sunt illa verba, *Beatus es, Simon Barjona?* Nunquid beatus satanas? Beatus de Deo, satanas de homine. Denique ipse Dominus exposuit quare illum dixerit satanam. *Non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis.* Vnde tunc beatus? *Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis.* Vnde postea satanas? *Non sapis quæ Dei sunt*, quæ quando sapueras beatus eras, *sed sapis quæ hominis sunt.* Ecce quomodò alternabat anima discipulorum quasi ex ortu & occasu: modò stabat, modò iacebat, modò illuminabatur, modò B tenebrabatur, quia de Deo illuminabatur, de suo tenebrabatur. Vnde illuminabatur? *Accedite ad eum, & illuminamini.* Vnde tenebrabatur? *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Filium Dei eum dixerat, & timebat ne moreretur cùm Filius Dei esset. Nisi ille venisset vt moreretur, nos vnde viueremus?

Psal.33.v.6.

Ioa.8.v.44

Cap.5.

Ioan. 1. v.1.

Vnde nos habemus vitam, inde ille habuit mortem. Ipsum Euangelium attende. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quære ibi mortem? Vbi? Vnde? Quomodo? Erat Verbum, Verbum apud Deum, Deus Verbum. Si inuenis ibi carnem & sanguinem, inuenis mortem: ergo ille Verbum. C Vnde illi mors? A nobis hominibus in terrâ positis, mortalibus, corruptibilibus, peccatoribus. Vnde vita? Non erat illi vnde haberet mortem, non eramus nos vnde haberemus vitam. Accepit ille mortem de nostro, vt daret nobis vitam de suo. Quomodò ille mortem de nostro? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Accepit hinc à nobis, quod offerret pro nobis. Vita autem vnde nobis? *Et vita erat lux hominum.* Ipse nobis vita, nos illi mors. Sed qualis mors? Dignatione, non conditione, quia dignatus est, quia voluit, quia misertus est. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Hoc Petrus nesciebat, quando auditâ morte Domini expauit. Sed ecce iam di-D xerat Dominus moriturum se, & resurrecturum tertiâ die. Factum est quod prædicabat, & non credebant quod audierant. *Ecce iam triduum est ex eo, quo ista facta sunt, & nos putabamus quòd ipse erat redempturus Israel.* Sperabatis, iam desperatis? de spe cecidistis? leuat vos qui vobiscum ambulat. Discipuli erant, ipsum audierant Magistrum, nouerant ipsum, ab illo instructi erant, & non potuerunt imitari, & habere fidem latronis pendentis in cruce.

Mortẽ Dominus accepit de nostro vt redderet vitam de suo.

Ibid.v.14.

Ioan. 10. v.18.

V. 21.

Cap. 6.

Luc23.v.39

Matt. 27. v.38.

Latronis magna fides.

Sed fortè aliqui vestrûm nesciunt quod dixi de latrone, non audiendo passionem secundum omnes Euangelistas. Iste enim Euangelista Lucas E narrauit quod dico, quia duo latrones crucifixi sunt cum Christo: dixit & hoc Matthæus. Sed vnus eorum latronum qui insultauit Dominu, & alter eorum qui credidit Christum: Matthæus non dixit, Lucas dixit. Recolamus fidem latronis quam non inuenit Christus post resurrectionem in discipulis suis. Pendebat in cruce Christus, pendebãt & latrones In medio ille, illi à lateribus. Insultat vnus, credit alter: iudicat medius ille. Ille enim qui insultabat, hoc dixit, *Si Filius Dei es, libera te.* Et alius ad illum, *Tu non times Deum? Si nos propter facta nostra me-*

ritò patimur, ipse quid fecit? Et conuersus ad A *eum, Memento*, inquit, *mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Magna fides, huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubauerunt qui viderunt Christum mortuos suscitantem: credidit ille quem videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubauerunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid enim Dominus dixerat? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc speraret latro, adductus de latrocinio ad iudicem, à iudice ad crucem, de cruce ad paradisum. Deinde ipse attendens merita sua non dixit, Memento mei, vt liberes me hodie: sed, *Cùm veneris in regnum* B *tuum, tunc memor mei esto:* si mihi tormenta debentur, vel quoúsque veneris in regnum tuum. Et ille, non sic: inuasisti regnum cœlorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti: *hodie mecum eris in paradiso.* Non te differo. Tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Latro dicit, *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* Non solùm credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti crucifixo, cruento ligno horrenti, *Cùm veneris*, inquit, *in regnum tuum*: & illi, *Nos sperabamus.* Vbi latro inuenit, discipulus perdidit.

Cap. 7. Deinde iam, charissimi, magnum sacramentum quod cognouimus, audite. Ambulabat cum
Luc 24. illis, suscipitur hospitio, panem frangit & co- C gnoscitur. Et nos non dicamus, quia Christum non cognouimus: nouimus si credimus. Verum est, Nouimus si credimus, habemus si credimus. Habebant illi Christum conuiuio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quàm in domo. Cor enim nostrum interius nobis est, quàm sit domus nostra. Iam verò vbi debet eum fidelis agnoscere? Agnoscit qui fidelis est, qui autem catechumenus est, ignorat. Sed ianuam
Supra serm. 141. contra eum nemo claudat, vt nouerit. Hesternâ die admonui charitatem vestram, quia resurrectio Christi est in nobis, si benè viuamus. Si vita nostra mala moriatur, & quotidie noua proficiat.
Manus impositio pœnitentium. Abundant hîc pœnitentes. Quando illis impo- D nitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes, & eunt orare pœnitentes. Quomodò pœnitet quod fit: si pœnitet, non fiat: Si autem fit, nomen erat, crimen manet. Aliqui ipsi sibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati à nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt: nolunt inde surgere, quasi electus sit locus pœnitentium. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus humilitatis. Vobis dico, qui vocamini pœnitentes, & non estis: Vobis dico. Quid vo-
1. Cor. 11. v. 22. bis dicam? *Laudo vos, in hoc non laudo*: sed gemo, & plango.

Cap. 8. Et quid faciam, fratres? Immutate vitam in E melius. Mutate, quia finis incertus est. Omnis homo cum casu suo ambulat. Quid differtis benè viuere, cùm putatis quia longa erit vita? Longam vitam putatis, & mortem subitaneam non
De verbis Domini serm. 16. Homines omnia bona volunt, se solùm malos. timetis. Sed ecce longa sit; & quæro vnum pœnitentem, & non inuenio. Quantò meliùs bona longa, quàm mala vita erit? Longam cœnam malam ferre nemo, longam vitam malam omnes habere volunt. Vsque si grande quod viuimus, bonum sit ipsum grande. Quid enim vis mali, dic mihi in omnibus actibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terrâ non vis segetem malam, non vis vtique malam, sed bonam arborem, equum, seruum, bonum amicum, bonum filium, vxorem bonam. Et quid hæc magna commemorem, quando non vis vestem malam habere, sed bonam, caligam postremò ipsam non vis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te velle aliquod bonum; puta villam malam non vis, sed bonam, solam animam malam vis? Quid te offendisti? Quid de te tu ipse malè meruisti? Inter bona tua non vis esse malum nisi te solum. Porò, quia dico quod soleo, & facitis quod soletis. Ego coram Deo excutio vestimenta mea. Timeo ne mihi imputetur, quia non dico: officium meum impleo, fructum vestrum quæro, de bonis operibus vestris gau- B dium habere volo, non pecuniam. Non enim qui benè viuit, diuitem me facit, & tamen diuitiæ meæ non nisi spes vestra est: in Christo gaudium meum, solatium meum, & respiramentum periculorum in his tentationibus nullum est, nisi bona vita vestra. Obsecro vos, fratres, si obliti estis vestri, miseremini tamen mei.

EIVSDEM, DE EODEM ex Euangelio Lucæ.

Citat Beda 2. Timoth. 2.

RESurrectio Domini secundum omnes Euangelistas legitur his diebus. Ideo enim ne- Serm. 87. de diuersis.
C cessarium est vt legantur omnes, quia singuli non dixerunt omnia: sed quæ alius prætermisit, alius dixit: & quodammodò sibi dederunt locum omnes, vt necessarij essent omnes. Marcus Euangelista, cuius hesterno die Euangelium recitatum Mar. 16. Luc. 24.
est, breuiter dixit, quod Lucas vberiùs prosecutus est, de duobus quibusdam discipulis, qui non erant de numero quidem duodecim, sed tamen discipuli erat: quibus iter agentibus Dominus apparuit, & cum eis ambulauit. Ille enim tantummodò dixit, quia apparuit duobus iter agentibus: iste verò Euangelista Lucas, & quid illis dixerit, & quomodò eum in fractione panis cognouerint, omnia hæc dixit, sicut audiuimus.
D Quid ergo fratres, quid hîc discimus? Ædificeamur ad credendum resurrexisse Dominum Christum. Iam credebamus quando Euangelium audiuimus, & in hac Ecclesiâ hodie credentes ingressi sumus, & tamen nescio quomodò cum gaudio auditus, & memoria renouatur.

Quomodò vultis lætificetur cor nostrum, quando videmur istis, qui in viâ ambulabant, & quibus Dominus loquebatur, esse meliores? Nos enim credimus, quod illi nondum credebant. Spem perdiderant, & nos non dubitamus vnde illi dubitabant. Crucifixo Domino spem perdiderant; hoc apparuit in verbis illorum, quando
E eis dixit, *Qui sunt isti sermones quos habetis inter vos, & quare tristes estis? Et illi, Tu solus peregrinaris in Hierusalem, & nescis quæ ibi contigerunt? Respondit ille, Quæ?* Sciens omnia, de seipso quærebat: quia se in ipsis esse cupiebat. *Quæ*, dixit. Et illi, *De Iesu Nazareno qui fuit vir Propheta, magnus in factis & dictis.* Ecce meliores sumus. Illi dicebant Christum Prophetam: nos eum nouimus Dominum Prophetarum. *Fuit*, inquiunt, *Propheta magnus in factis & dictis. Et quomodò eum Principes Sacerdotum crucifixerunt: & ecce tertia dies est ex quo hæc omnia facta sunt. Nos autem sperabamus.* Quid sperabatis? *Quia* V. 17.

ipse erat redempturus Israel. Quod sperabatis, A & illo crucifixo perdidistis, hoc Latro crucifixus agnouit. Ait enim Domino, *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Ecce quia ipse erat redempturus Israel. Crux illa schola erat. Ibi docuit Magister Latronem. Lignum pendentis, cathedra factum est docentis. Sed qui reddidit se vobis, reuocet spem vobis. Sic & factum est.

Luc. 23. v. 42.

Christi crux, schola.

Mementote tamen charissimi, quemadmodum Dominus Iesus ab eis quorum oculi tenebantur ne illum agnoscerent, in fractione panis voluit se agnosci. Norunt fideles quid dicam: norunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. Ibi illi agnouerunt, exultauerunt, ad alios perrexerunt: iam scientes inuenerunt: narrantes quod viderant, in Euangelio addiderunt. Dicta sunt, facta sunt, scripta sunt: peruenerunt ad nos. Credamus & nos Christum crucifixum: sed eum, qui die tertio resurrexit. Ipsa est fides, quæ nos distinguit ab eis, distinguit à Paganis, distinguit à Iudæis; fides quâ credimus Christum resurrexisse à mortuis.

Panis Christi benedictione, Corpus Christi.

Apostolus dicit Timotheo, *Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium meum.* Itemque ipse Apostolus, *Quia si credideris in corde tuo,* inquit, *quia Dominus est Iesus, & confessus fueris ore tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis; saluus eris.* Ipsa est salus, de quâ hesterno die disputaui, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Scio vos credere: salui eritis. Corde retinete, ore proferte, quia Christus resurrexit à mortuis. Sed fidem habete Christianorum, non dæmoniorum. Ecce enim distinguo ista vobis, quod meum est distinguo: secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, distinguo vobis. Cùm distinxero eligite. Ecce dixi, Fides ista, quâ credimus Christum Iesum resurrexisse à mortuis, distinguit nos à Paganis. Quære à Pagano, vtrum crucifixus fuerit Christus: clamat, Valde. Vtrum resurrexerit, negat. Quære à Iudæo, vtrum crucifixus sit Christus: confitetur crimen patrentum suorum; confitetur crimen, vbi habet & partem. Bibit enim quod ei patentes sui propinauerunt, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sed quære ab illo vtrum resurrexerit à mortuis: negabit, irridebit, accusabit. Distincti sumus. Credimus enim nos Christum ex semine Dauid secundum carnem resurrexisse à mortuis.

2. Tim. 2. v. 8.

Rom 10. v. 9.

Mar. 16. v. 16.

Fides Christianorum, & dæmoniorum.

Matth. 27. v. 25.

Nunquid hoc dæmones nescierunt, aut istâ dæmones non crediderunt, quæ & viderunt? Adhuc antequam resurrexisset, clamabant & dicebant, *Scimus quis sis, Filius Dei.* Discernebamus nos à Paganis credendo Christum resurrexisse: si aliquid possumus à dæmonibus nos discernamus. Quid est, obsecro vos, quid est quod dixerunt dæmones? *Scimus quis sis Filius Dei.* Et audiunt, *Obmutescite.* Nonne hoc dixerunt quod & Petrus, quando quæsiuit ab eis, & dixit, *Quem me dicunt homines esse?* Et cùm opiniones respondissent alienas, addidit, & interrogauit, dicens, *Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui.* Hoc dæmones, hoc Petrus: hoc maligni spiritus, hoc Apostolus. Et audiunt dæmones, *Obmutescite:* audit Petrus, *Beatus es.* Quod discernebat illos, hoc discernat & nos. Vnde hoc dæmones clama-

Marc. 1. v. 24.

Luc 4. v. 34.

Matth. 16. v. 15.

Petri fides eadem verbis atque dæmonû: at discreto mentis sensu.

bant? Timendo. Vnde Petrus? Diligendo. Eligite, diligite. Ipsa est fides quæ Christianos à dæmonibus discernit, fides non quæcunque. Nam ait Apostolus Iacobus, *Tu credis* (Epistola Iacobi Apostoli habet) *tu credis, quia vnus est Deus: benè facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Ipse hoc dixit, qui in eadem Epistolâ scripsit, *Si fidem habeat aliquis, opera autem non habeat, nunquid potest fides saluare eum?* Et Apostolus Paulus discernens, ait, *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur.* Discreuimus, distinximus: imò distinctam inuenimus, distinctam legimus, distinctam esse didicimus. Quomodò distinguimur fide, sic distinguamur & moribus, sic distinguamur & operibus, accensi charitate, quam dæmones non habebant. Quo igne & illi duo in viâ ardebant.

Iacob. 2. v. 19. & 14.

Gal. 5. v. 6.

Cognito enim Christo & ab eis discedente, dixerunt apud se, *Nonne cor nostrum erat ardens in viâ, cùm aperiret nobis Scripturas?* Ardete: ne ardeatis igne quo arsuri sunt dæmones. Ardete igne charitatis, vt à dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cœlum leuat. Quicquid molestiarum passi fueritis in terrâ, quantumcunque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus, summa petit ardor dilectionis. Similitudinem accipite. Si faculam teneas ardentem, rectam capite sursum teneas: flammæ crinis surgit in cœlum. Deprime faculam, flamma in cœlum it. Fac faculam capite deorsum, nunquid & flammam deponis in terram? Quacunque ardens vergit, flamma illam viam nescit: cœlum petit. Spiritu feruentes accendimini igne charitatis, feruete facite vos laudibus Dei & moribus optimis. Alter calidus, alter frigidus. Calidus frigidum accendat: & qui parum ardet, optet augmentum, oret adiumentum. Dominus paratus est dare: nos paratis cordibus optemus accipere. Conuersi ad Dominum, &c.

Luc. 24. v. 32.

EIVSDEM DE EODEM.

SERMO.

Dominus noster Iesus Christus, sicut dicit Apostolus, *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Sicut morte ipsius seminamur, sic resurrectione ipsius germinamus. Etenim morte ipsius significatur mors vitæ nostræ. De hac re audi Apostolum, *Consepulti,* inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem: vt quemadmodum Christus resurrexit, à mortuis: sic & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ille non habuit quod emendaret in cruce, quia sine peccato ascendit in crucem. Nos in cruce eius emendemur, & ibi ponamus quod male contraximus, vt iustificari eius resurrectione possimus. Distinguere enim ita debetis. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Non dixit, Traditus est propter iustificationem nostram, & resurrexit propter delicta nostra. In eius traditione delictum sonat: in eius resurrectione iustitia sonat. Ergo moriatur delictum, & resurgat iustitia.

Ser. 28. de diuersis.

Rom. 4. v. 25.

Rom. 6. v. 4.

Istam spem, hoc donum, hanc promissionem, hanc tantam gratiam quando mortuus est Christus discipuli eius de animo perdiderunt, & in

Luc.24.v.21 Extincta discipulorum spes Christi morte.
eius morte ab spe ceciderunt. Ecce annuntiaba-
tur illis resurrectio eius, & videbantur illis verba
nuntiantium quasi deliramentum. Quasi delira-
mentum facta erat veritas. Si quando prædicatur
resurrectio in isto tempore & videtur alicui esse
deliramentum, nonne omnes dicunt habere ma-
gnum tormentum? Nonne omnes detestantur, ab-
horrent, auersantur, aures claudunt, audire no-
lunt? Ecce quod erant discipuli mortuo Christo.
Quod nos exhorremus, hoc erant illi. Hoc ma-
lum habebant arietes, quod horrent agni. Deni-
que isti duo quibus apparauit in viâ, & teneban-
tur oculi illorum, ne illum agnoscerent (vbi erat
cor indicant verba, & quid agatur in animo, vox
est, sed nobis: nam illi etiam cor patebat) de il-
lius morte loquebantur inter se. Adiunxit se illis
ipse quasi tertius viator: & Via in viâ cœpit col-
loqui: commiscuit sermonem. Quærit quid in-
ter se loquerentur, cùm omnia sciret, vt eos ad
confessionem tanquam nesciens prouocaret. Et
V. 18. dicunt illi, *Tu solus peregrinaris in Hierusalem,
& nescis quod actum sit in illâ istis diebus, de Iesu
Nazareno, qui fuit Propheta* magnus. Iam non
Dominus, sed Propheta. Hoc enim eum puta-
bant esse cùm mortuus esset. Adhuc honorabant
quasi Prophetam; nondum agnoscebant Domi-
num, non solùm Prophetarum, sed etiam An-
gelorum.

Quomodò, inquiunt, *seniores nostri & Prin-
cipes Sacerdotum, tradiderunt eum in damna-
tionem mortis: Et ecce iam tertius est dies, ex
quo ista gesta sunt. Nos autem sperabamus, quia
ipse erat redempturus Israël.* Ipse est totus labor.
Sperabatis, iam desperatis? Videtis quia perdi-
derant spem. Cœpit ergo eis exponere Scriptu-
ras, vt illic magis agnoscerent Christum, vbi de-
seruerant Christum. Ideo enim desperauerant
Christum, quia viderant mortuum. Ille verò
aperuit eis Scripturas vt agnoscerent; quasi si
mortuus non fuisset, Christus esse non posset.
Docuit de Moyse, docuit de subsequentibus Scri-
pturis, docuit de Prophetis, quod illis dixerat,
quia oportebat Christum mori, & sic intrare in
gloriam suam. Audiebant, gaudebant, suspira-
bant: & quomodò ipsi confessi sunt, ardebant,
& præsentem lucem non agnoscebant.

Quale autem mysterium, fratres mei? Intrat
Suscipiendus Christus & agnoscendus in hospitibus.
ad eos, fit eis hospes. Et qui per totam viam non
agnoscebatur, in fractione panis agnoscitur. Dis-
cite hospites suscipere, vbi agnoscitur Christus.
An nescitis quia si quem Christianum susceperi-
Matth.25. v.1.& 38.
tis ipsum suscipitis? Nonne ipse dicit, *Hospes fui,
& suscepistis me?* Et quando ei dicitur, *Domine,
Misericordiæ opera viæ præsentis itinere.
quando te vidimus hospitem?* respondet; *Cùm
vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Cùm
ergo Christianus Christianum suscipit, seruiunt
membra membris: & gaudet caput, & sibi im-
putat datum, quod membro eius fuerat eroga-
tum. Hic ergo pascatur Christus esuriens, acci-
piat potum sitiens, vestiatur nudus, suscipiatur
peregrinus, visitetur ægrotus. Hoc habet necessi-
tas itineris. Sic in istâ peregrinatione viuendum
est, vbi Christus eget. Eget in suis, plenus est
in se: egentes adducit ad se. Ibi non erit fames,
non erit sitis, non erit nuditas, non erit ægritu-
do, non erit peregrinatio, non erit labor, non
erit dolor. Scio quia ista ibi non erunt, & nescio
quid ibi erit. Ista enim quæ ibi non erunt, noui:
1. Cor. 2. v.9.
illud autem quod ibi inuenturi sumus, *nec oculus
vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis as-*

A *cendit.* Amare possumus, desiderare possumus,
in hac peregrinatione tanto bono suspirare pos-
sumus: dignè hoc cogitare, & verbis explicare
non possumus. Certè ego non possum. Ergo fra-
tres mei quærite qui possit. Si inuenire potestis,
& me vobiscum discipulum trahite. Illud scio,
quoniam *qui potens est*, sicut Apostolus ait, *fa-* Eph.3.v.20
cere super quàm petimus, aut intelligimus; il-
luc perducet vbi fiat quod scriptum est, *Beati* Psal. 83. v.5.
*qui habitant in domo tuâ, in sæculorum lauda-
bunt te.* Totum negotium nostrum, laus Dei.
Quid laudabimus, si non amauimus? & illud
amauimus, quod videbimus? Ibi inueniemus
B quod hodie cantauimus; Amen, verum est: Al-
leluia, Laudate Dominum.

EIVSDEM, SERMO HABI-
tus intra Octauas Paschæ.

SIcut Domino nostro cantauimus, ita illo ad- Serm. 59. de diuersis.
iuuante faciamus. Omnis enim dies à Do-
mino factus est: non tamen de aliquo præcipuè
scriptum est, *Hic est dies quem fecit Dominus.* Psal. 117. v.24.
Legimus, cùm Deus conderet cœlum & terram,
quia dixit, *Fiat lux: & facta est lux. Et voca-* Gen. 1. v.3.
uit Deus lucem, diem: & tenebras, noctem.
Sed est alius dies certus nobis & præcipuè com-
mendandus, de quo dicit Apostolus, *Sicut in die* Rom.13.v.13.
C *honestè ambulemus.* Dies iste vulgaris, quotidia-
nus, oriente sole & occidente perficitur. Est
alius dies, quo fulget verbum Dei in cordibus fi-
delium, & pellit tenebras, non oculorum, sed
malorum morum. Ipsum ergo agnoscamus, in ip-
so gaudeamus. Audiamus Apostolum dicentem,
Filij enim *lucis sumus, & filij diei: Non sumus* 1. Thes. 5. v.5.
*noctis, neque tenebrarum. Sicut in die honestè
ambulemus. Non in comessationibus & ebrie-* Dies quem fecit Dominus, Christiani probis moribus.
*tatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non
in contentione & æmulatione: sed induite Do-
minum Iesum Christum. Et carnis prouiden-
tiam ne feceritis in concupiscentijs.* Hoc si fa-
citis, toto corde cantatis, *Hic est dies, quem fe-
D cit Dominus.* Quod enim cantatis, vos estis,
si benè viuatis. Quàm multi per hos dies parum
est quia inebriantur: insuper etiam turpiter cru-
deliterque rixantur. Tales non cantant, *Hic est
dies, quem fecit Dominus.* Respondet eis Do-
minus, Tenebræ estis: non ego feci vos. Si vul-
tis esse dies, quem fecit Dominus, benè viuite:
& habebitis lucem veritatis, quæ nunquam oc-
casum faciet, in cordibus vestris.

EIVSDEM, DE EO QVOD
scriptum est in Euangelio secundum Marcum. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus, apparuit in aliâ effigie.

Marc. 14. v. 12. Est Serm. 140 de Tēp.

HOdierno die iam ecce tertiò audiuimus ex Cap.1. Alia nobis distributio Euangelicarum lectionum.
Euangelio Domini nostri resurrectionem:
quemadmodum me vobis locutum esse memini-
stis: quoniam hoc moris est, vt secundum omnes
Euangelistas resurrectio Domini recitetur. Mar-
ci Euangelium est, quod modò, cùm legeretur,
audiuimus. Marcus autem meruit istam dispen-
sationem, cùm in numero illorum duodecim
non fuisset, quemadmodum & Lucas. Nam
cùm sint quatuor Euangelistæ, Matthæus, Ioan-
nes, Marcus & Lucas, duo sunt ex illis duode-

cim Apostolis, id est, Matthæus & Ioannes. Sed illorum præcessio infœcunda non fuit, vt consequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apostolorum non pares, sed suppares fuerunt. Ideo enim voluit Spiritus sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Euangelium conscribendum duos, ne putaretur gratia euangelizandi vsque ad Apostolos peruenisse, & in illis fontem gratiæ defecisse. Cùm enim dicat Dominus de Spiritu suo & de verbo suo, quòd si quis perceperit, dignéque habuerit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: fons vtique manando se indicat, non remanendo. Per Apostolos peruenit gratia in alios, & missi sunt euangelizare, quoniam qui vocauit primos, ipse vocauit secundos: ipse vocauit etiam vsque ad nouissimum tempus corpus Vnigeniti sui, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam.

Apostolorum suppares Marcus & Lucas.

Ioh. 4. v. 14

Cap. 2.

Quid ergo audiuimus Marcum dicentem? Quòd apparuerit Dominus in viâ duobus, sicut dixit & Lucas, cuius Euangelium heri audiuimus: *Apparuit*, inquit, *duobus in viâ in aliâ effigie.* Lucas autem hoc ipsum alijs verbis dixit, sed ab eadem sententiâ non deuiauit. Lucas enim quid dixit? *Tenebantur oculi eorum ne eum agnoscerent.* Marcus quid dixit? *Apparuit eis in aliâ effigie.* Quod ille dixit, *Tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent*; hoc iste dixit, *in aliâ effigie.* Alia enim effigies visa est, retentis oculis non apparentis. Quid ergo, fratres, quoniam Lucas dixit (quod credo vos de lectione hesternâ certissimè meminisse) quòd cùm benedictum frangeret panem, aperti sunt oculi eorum? Ergo clausis oculis in viâ cum illo comitabantur, & poterant scire vbi gressus ponerent, si clausos oculos haberent? Aperti sunt ergo ad cogitationem, non ad visionem. Dominus itaque noster Iesus Christus ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus, in panis fractione cognoscitur, quia ibi percipitur, vbi vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in cœlo. Ait enim secundum Euangelistam Ioannem, *Mansiones multæ sunt apud Patrem meum: alioquin dicerem vobis, Ibo parare vobis locum. Sed si iero, & parauero, iterum veniens assumam vos.* Hospes in terrâ esse voluit Dominus cœli, peregrinus in mundo, per quem factus est mundus. Hospes esse dignatus est, vt tu haberes suscipiendo benedictionem, non quia ille indigebat, cùm hospes intrabat.

Mar 16. v. 12

Luc. 24. v. 16.

Clausi discipulorum oculi, Christo aliam exhibente speciem.

Ioan. 14. v. 2.

Hospes Dominus dignatione, non necessitate.

Cap. 3. *Elias missus ad viduam, vt benediceret.*

Eliam sanctum famis tempore per coruum pascebat: & quem persequebantur homines, ei seruiebant aues. Afferebat seruo Dei coruus mane panes, ad vesperam carnes. Non indigebat ergo ille quem Deus ministris auibus pascebat: & tamen quamuis Elias non indigeret, mittitur ad viduam Sareptanam, & dicitur ei, Vade, illa vidua pascet te. Defecerat ei Deus, vt ad viduam mitteretur? Sed si Deus seruo suo sine humano ministerio semper præberet panem, vidua vnde haberet mercedem? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad esurientem, & dicit ad eam, *Vade, & affer mihi pusillum, vt manducem.* Illa modicum habebat, quod consumptura erat, & moriendo defectura. Respondit, quantum haberet, Prophetæ intimauit. Et ait illi Propheta, *Vade prius, affer mihi.* Illa non dubitauit, sed obtulit. Obtulit refectionem, sed meruit benedictionem. Benedixit sanctus Elias hydriam farinæ, campsacem olei. Illud in domo repositum erat consumendum: & illud oleum in palo pendebat finiendum. Accessit benedictio, & vasa illa thesauri facti sunt. Laguncula olei facta est fons olei. Farina parua vberrimas segetes superauit. Si Elias non indigebat, Christus indigebat?

3. Reg. 17. v. 11.

Cap. 4.

Ideo fratres mei, admonet nos Scriptura sancta, quia plerunque seruos suos quos potest pascere Deus, ideo facit indigentes, vt inueniat operantes. Nemo superbiat, quia dat pauperibus; Christus pauper fuit. Nemo superbiat, quia hospitem suscipit: Christus hospes fuit. Melior est susceptus quàm suscipiens; ditior accipiens, quàm tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab eo cui dabat, acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat, fratres mei, quando dat pauperi; non dicat in animo suo, Ego do, ille accipit: Ego suscipio, ille indiget tecto. Fortè quem suscipis iustus est: ille indiget pane, tu veritate; ille tecto, tu cœlo; ille indiget pecuniâ, tu iustitiâ. Fœnerator esto, eroga quod recipias: noli timere, ne te fœneratorem iudicet Deus. Prorsus esto fœnerator; sed Deus tibi dicit, Quid vis? Fœnerari vis? Quid est fœnerari? Minus dare, & plus accipere. Ecce mihi da: ego accipio minus, & do plus. Quem quæris cui des vt crescat pecunia tua? Hominem quæris? quando accipit, gaudet: quando reddit, plorat. Vt accipiat, precatur: ne reddat, calumniatur. Da quidem & homini, & nolite auertere ab eo qui mutuum petit. Sed tu dedisti, non ploret cui dedisti: & si hoc ipsum quod daturus est, vel quod accepit exigitur, fortè ad manum nondum habet, pertulisti petentem, expecta habentem: cùm habuerit reddet tibi.

Fœnerator probatus.

Cap. 5.

Sed auarus es? dicit tibi Deus: Me conueni: ego Filium diuitem pauperem propter te feci. *Propter nos enim pauper factus est, cùm diues esset.* Aurum quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Familiam quæris? ille fecit. Pecora quæris? ille fecit. Possessiones quæris? ille fecit. Quid quæris tantùm quæ fecit? Ipsum accipe, qui fecit: cogita quemadmodum te dilexit. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Omnia per ipsum, & ipse inter omnia. Qui fecit hominem factus est homo: factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Qui fecit omnia, factus est inter omnia. Attende diuitias: quid ditius eo per quem facta sunt omnia? Et tamen ille cùm diues esset, mortalem carnem accepit in vtero Virginis. Infans natus est, pannis infantilibus inuolutus est, in præsepio positus est, patienter expectauit ætates; patienter tempora pertulit, per quem facta sunt tempora. Suxit, vagiuit, infans apparuit. Sed iacebat & regnabat: à matre nutriebatur, & ab Angelis nuntiabatur, & stellâ fulgente declarabatur. Tales diuitiæ, talis paupertas: diuitiæ vt creareris: paupertas, vt restituereris. Quòd ergo ille pauper susceptus est hospitio quasi pauper, dignatio fuit suscipientis, non miseria egentis.

2. Cor. 4. v. 9.

Ioan. 1. v. 3.

Cap. 6. *Christus hospes extiteti in viâ.*

Fortè dicis tibi, O beati qui meruerunt Christum suscipere! Si ego tunc fuissem! O si vnus fuissem de duobus illis quos inuenit in viâ! Tu esto in viâ, non deerit hospes Christus. Putas enim iam non tibi licere suscipere Christum? Vnde, inquis, licet? Iam resurgens manifestatus est discipulis suis, ascendit in cœlum: ibi est ad dexteram Patris, non est venturus nisi in vltimo sæculo ad iudicandos viuos & mortuos. Ventu-

rus est autem in claritate, non in infirmitate: daturus regnum, non quæsiturus hospitium. Quando dabit regnum excidit tibi quod dicturus est, *Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Ille diues, egens est vsque in finem sæculi. Eget prorsus, non in capite, sed in membris suis: vbi dolebat quando dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Obsequamur ergo Christo. Nobiscum est in suis, nobiscum est in nobis: nec frustra dixit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Hæc faciendo agnoscimus Christum in bonis operibus, non corpore, sed corde: non oculis carnis, sed oculis fidei. *Quia vidisti, credidisti,* ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat, *Non credo, nisi tetigero.* Et Dominus, *Veni, tange, & noli esse incredulus.* Tetigit & clamauit, *Dominus meus, & Deus meus.* Et Dominus, *Quia vidisti me, credidisti:* ipsa est tota fides tua, quia credis quod vides: laudo eos qui non vident, & credunt: quia cum viderint, gaudebunt.

Matth. 25. v. 40.
Christus egenus in finem vsque sæculi.
Act. 9. v. 4.
Matth. 28. v. 20.
Ioan. 20. v. 29.
Fides Thomæ imperfectior.

SANCTI PETRI CHRYSOLOGI,
de quartâ apparitione factâ duobus euntibus in castellum, ex Euangelio Marci.

Ex Sermone eius 82.

P*Ost hæc duobus ex his ambulantibus ostensus est.* Quare non tribus? quare non quatuor, sed duobus? Quia duobus populis, id est, Gentibus & Iudæis resurrectionis fides hîc prædicanda monstratur: vnde, sicut diximus, probatur in duabus fœminis, aut in discipulis duobus Ecclesiam vnam figurari.

Ostensus est in aliâ effigie. Nemo putet Christum suâ resurrectione sui vultus effigiem commutasse, vt qui in vultu ere erat ipse, alter esset in vultu: sed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis, & ex corruptibili incorruptibilis; vt hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam; & acquisiuisse vultus gloriam, non vultus notitiam perdidisse.

SANCTI GREGORII PAPÆ
in idem Euang. Homil.

Est 23. in Euang.

IN quotidianâ vobis solennitate laborantibus pauca loquenda sunt, & fortasse hæc vtilius proderunt; quia sæpè & alimenta, quæ minùs sufficiunt, auidiùs sumuntur. Lectionis ergo Euangelicæ summatim sensum statui, non per singula verba discutere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior expositionis onerare. Ecce audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis Iesu ambulantibus in viâ, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit: sed iis speciem, quam recognoscerent, non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant. Eis autem Dominus & foris præsens aderat, & quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit: sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit. Verba quidem contulit, sed duritiam intellectus increpauit Scripturæ sacræ mysteria, quæ de seipso erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longiùs finxit. Fingere namque componere dicimus, vnde & compositores luti, figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per du-

Exhibet se Dominus exteriùs discipulis, qualis erat interiùs in eorum animis.

A plicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud ipsos erat in mente.

Probandi autem erant, si ij qui eum & si necdum vt Deum diligerent, saltem vt peregrinum amare potuissent. Sed quia extranei esse à charitate non poterant ij, cum quibus veritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant, cùm illic scriptum sit: *Et coëgerunt illum?* Ex quo nimirùm exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solùm inuitandi sunt, sed etiam trahendi. Mensam ponunt, panes, cibósque offerunt: & eum quem in sacræ Scripturæ expositio-
B ne non cognouerant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo præcepta Dei, illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt, quia scriptum est: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur.* Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quæ iam intelligere potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur: & dignatus est cognosci, dum pascitur. Hospitalitatem ergo, fratres charissimi, diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulum dicitur: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim quidam placuerunt Angelis hospitio receptis.* Hinc Petrus ait: *Hospitales inuicem sine murmuratione.* Hinc ipsa
C Veritas dicit: *Hospes fui, & suscepistis me.*

Trahendi peregrini ad hospitium.
Discipuli illuminati faciendo Dei præcepta.
Rom. 2. v. 13.
Hebr. 13. v. 2.
1. Pet. 4. v. 9.
Matth. 25. v. 35.

Opinata res est valdè, & seniorum nostrorum nobis relatione tradita. Quidam paterfamilias cum totâ domo suâ, magno hospitalitatis studio seruiebat. Cúmque quotidiè ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios aduenit: ad mensam ductus est. Dúmque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuersus vrceum accepit: sed repentè eum in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cúmque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem di-
D xit, Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Ecce in iudicium veniens, dicet, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ecce ante iudicium cùm per membra sua suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit, & tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, vt vos ab eo suscipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modò peregrino Christo hospitium, vt vos in iudicio non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios recipiat ad regnum; ipso adiuuante, qui viuit &
E regnat Deus in sæcula.

Exemplum.
Matth. 25. v. 40.

S. BRVNONIS SIGNIENSIS
Episcopi, superioris Euang. expositio.

VNus autem istorum, qui hæc scribit, beatus Lucas fuisse putatur. Mos enim fuit antiquorum, vt in suis scriptis sic de se quasi de aliis loquerentur. Vnde & Moyses frequenter dicit, *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens.* Et Matthæus. *Præteriens Iesus,* inquit, *vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine:* & multa alia. *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Bonum est igitur loqui de Iesu, bonum est

Luc. 24. v. 13.
Matth. 9. v. 9.
V. 15.

Bonum loqui de Iesu. est eum semper in mente habere: quia nec ipse
eorum obliuiscitur, qui eius memores sunt. Sicut
& hîc, quia isti duo de eo loquebantur, ipse appropinquans ibat cum eis. Beati cum quibus
ambulat Iesus, beati eum quibus ambulat salus,
& vita: qui quoniam cum luce vadunt, diu errare non possunt. Sequitur.

Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.
V. 16. Quia etum dubitabant, quia nondum
perfectè credebant, ideo eum videntes non
agnoscebant. *Tu solus peregrinus es in Hierusalem,*
V. 18. *& non cognouisti quæ facta sunt in illâ his
diebus?* Ac si dicat, Tantum scelus nouiter in
Hierusalem perpetratum est, vt præ suâ magnitudine omninò celari non possit: & quomodò
tu solus ea, quæ his diebus ibi facta sunt, non cognouisti? Quibus ille dixit, *Quæ? Et dixerunt
de Iesu Nazareno, &c.*

V. 21. *Nos autem sperabamus quòd ipse esset redempturus Israël.* Multum ægrutabant isti, multúmque eis necesse fuerat, vt eis medicus, & Saluator apparuisset. Quòd enim dicunt: *Nos sperabamus;* se iam â spe quodammodò decidisse
ostendunt. *Et nunc super hæc omnia, tertia dies
est hodie, quòd hæc facta sunt.* Hodie igitur secundum promissionem suam resurrexisse debuerat:
qui tamen vtrum resurrexerit, ignoramus.

Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt
V. 22. *nos, &c.* His auditis, secretorum omnium cognitor, & videns eos amare, & dubitare, eorum
infidelitati respondens, ait: *O stulti, & tardi
corde, &c. Et incipiens à Moyse & omnibus Pro-*
V. 24. & 26. *phetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis
quæ de ipso erant.* Et meritò quidem à Moyse
Dominus incipit, quoniam & inter alios Prophetas maior est, & pluribus in locis Christi
passionem, & resurrectionem plenissimè significat. Quale est illud de vaccâ rufâ, quale illud de agno, & hœdo Paschali, quorum alter
per domos comedebatur, alter verò ab omni populo circa vesperam immolabatur. De quibus ad
Moysen, & Aaron Dominus in Ægypto loqu-
Exod. 12. v. 3. tus est, dicens. *Loquimini ad vniuersum cœtum
filiorum Israël, & dicite eis, vt sumat vnusquisque agnum per familias, & domos suas, secundum numerum animarum, quæ sufficere possint ad vescendum agnum. Sin autem minor est
numerus ad esum agni, assumat vicinum, qui
coniunctus est domui eius. Erit autem agnus*
Vide hæc eadē tract. Greg. hom. 20 in Euāg. *absque maculâ, masculus, anniculus. Iuxta
quem ritum tolletis & hœdum, immolabitque eum
vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.*
Christus enim & agnus est, propter innocentiam: & hœdus dicitur, propter similitudinem
carnis peccati. De hoc enim dicitur, *Ecce Agnus*
Ioan. 1. v. 29. *Dei, qui tollit peccata mundi.* De hoc similiter
Exod. 34. v. 26. dicitur: *Ne coquas hœdum in lacte matris suæ.*
Ad hunc autem vescendum vicinos, & propinquos inuitare debemus, vt quâ charitate omnium
salutem desideramus, innotescat. Vicinus etenim omnis Christianus est noster, & quicunque
ab Ecclesiâ longè non est. Est autem Agnus iste
absque maculâ, quoniam (sicut scriptum est)
Isai. 53. v. 9. *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore
eius.* Est autem & masculus, anniculus, quia nihil habet fœmineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis sentiens titillationis. Et
agnus quidem per domos comeditur, hœdus verò ab omni multitudine immolatur. Per quod
apertissimè designatur & hoc sacrificium, quod

modò in Ecclesiâ sumitur, & illud quod à Iudæis Ecclesiæ sacrificium vnum est, & idem cum eo, quod Christus in cruce obtulit.
insanientibus in arâ crucis est immolatum.
Quamuis enim & hoc, & illud vnum, idémque
A sit, tamen aliter, & aliter fit. Vnde illi hœdum
occidunt, inter iniquos, & peccatores mundi
Saluatorem deputantes; sicut scriptum est, *Et
inter iniquos deputatus est.* Itémque, *Nisi esset* Isai. 53. v. 12.
hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Nos Ioan. 19. v. 30.
autem, quia innocentem, sanctum, & iustum,
& sine omni contagione peccati, Dei Filium esse
credimus, agnum absque maculâ & immolamus, & sumimus. Ideóque quamuis agnus, &
hœdus immoletur, solus tamen agnus à populo
manducatur. Illud enim sacrificium in isto sumitur, quia hoc in illud verissimè conuertitur. Nota transsubstantiationem in Eucharistiâ.
B Nunquam enim illud comederetur, nisi hoc in
illud conuerteretur. Est autem hæc mutatio dexteræ Excelsi. Omnis autem multitudo filiorum
Israël hœdum immolauit. Sed quando? ad vesperam: quoniam proditor Iudas circa hanc horam cum Iudæis locutus, Christum vendidit,
nummos accepit, atque alterâ die circa horam
vespertinam, id est, post nonam, Saluator noster
spiritum emisit. Vnde Psalmista ait, *Eleuatio
manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Sequitur. Psal. 140. v. 2.

Et sument de sanguine agni, & ponent super V. 7.
vtrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Super vtrunque Agni sanguis super vtrúnque postem, & in superliminaribus.
etenim postem agni sanguinem ponũt, qui, & ore,
C & corde illum suscipiunt. Qui verò vel indignè
suscipiunt, vel etiam suscipiẽtes, Christi sanguinẽ
esse non credũt, isti in vnum tantũmodò postem
sanguinem ponũt. De quibus Apostolus ait, *Qui* 1. Cor. 11. v. 27.
*enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi
manducat, & bibit.* Nos igitur & ore sumentes,
& corde Christi sanguinem esse credentes, in
vtrunque postem eum ponamus: & corpore, &
mente suscipiamus. Cùm autem crucis signum,
quæ Christi sanguine cruenta est, in nostris frontibus facimus, tunc in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus. Sequitur.

Et edent carnes nocte illâ assas agni, & azymos V. 8.
D *panes cum lactucis agrestibus.* Idem enim hoc in
loco & per carnes, & per panes azymos intelligimus. Et benè vtrunque posuit, quoniam de Carnes de panibus, ob conuersionem.
panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis
agrestibus comedunt, qui corde compuncto, &
humiliato eas suscipiunt, & crucis amaritudinem,
Christo compatientes, in cordis palato quodammodò sentiunt. *Non comedetis ex eo crudum* V. 9.
quid, nec coctum aquâ, sed assum tantùm igni. Nihil agni crudum, vel coctũ aquâ edendum, sed assum igni.
Non sunt enim hæ carnes crudæ, quia passus est
Christus: neque in aquâ coctæ, quia non occultè, sed palàm, & cunctis videntibus est crucifixus.
E Latent enim carnes quæ in aquâ coquuntur, apparent autem quæ assantur. Talis igitur fuit passio Christi, quia cunctis videntibus est crucifixus. Redolet caro cùm assatur, redolet & passio
Christi. *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quicquam vsque manè.* Caput vorādum cum pedibus & intestinis.
Caput enim *Christi*, sicut Apostolus ait, *Deus* 1. Cor. 11. v. 3.
est. Pedes verò, qui terram tangunt, eius carnem
significant, quæ de terrâ assumpta est. Quid verò
eius intestina, nisi occulta omnia, & profunda
mysteria? Caput igitur illius cum pedibus, & intestinis vorant, qui & Deum, & hominem esse
credunt eum, & quæcunque de eo scripta sunt,
dignè, fideliterque suscipiunt. Non enim sufficit,
si & Deum, & hominem eum esse credamus, nisi

intestina quoque eius suscipientes, & de Virgine natum, & circuncisum, & veraciter passum, & die tertiâ resurrexisse, & cætera quæ de eo scripta sunt, indubitanter crediderimus. Vnde & subdiuit.

V. 10.
Vt nihil maneat vsque manè.

Nec remanebit ex eo quicquam vsque manè. Omnia sumantur, omnia credantur: nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Manè autem, vitæ huius finis intelligitur, quando Christus Sol iustitiæ apparebit: & fugatis tenebris, nox vlteriùs non erit. Tunc autem non erit tempus conuertendi, vel agni carnes comedendi: quia tunc credere qui incipient, cum fatuis virginibus audient, *Amen dico vobis, nescio vos. Si quid residuum fuerit, igne comburetis.*

Matth. 25. v. 12.
Residua igne comburenda.

Residua enim sunt quæ comedi nequeunt, vt est pellis, & ossa. Pellis etenim agni, caro Christi est, quæ quidem qualiter Deo vnita, qualiter Verbum caro factum est, neque dici, neque intelligi potest. Sed quis illa ossa comedere, vel (vt ita dixerim) corrodere valeat, vt qualiter ante omnia tempora sit à Patre genitus, diutissimè si licuerit, sempérque inuestigando intelligat? Sunt autem & alia multa, quæ quoniam comedi, & intelligi non possunt, charitatis igne, fideíque ardore comburantur. Sufficit enim credere, si non datur intelligere. Plures enim credendo, quàm intelligendo has carnes comedunt. Comedant igitur qui possunt: qui verò non possunt, credant, & charitatis igne comburant. Sequitur.

V. 11.
Habitus comedentium agnum.

Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes. Renes quidem accingere, est castitatis, & continentiæ cingulo luxuriam refrænare. Vnde & ipse Dominus ait, *Sint lumbi vestri præcincti.*

Luc. 12. v 35.

Calceamenta verò in pedibus habent, qui quasi aliàs pergere parati, peregrinos se in hoc mundo esse cognoscunt.

Psal. 118. v. 32.

Et isti quidem viam mandatorum Dei currentes, securè, & sine timore (vtpote benè calceati) super serpentes calcant, & scorpiones.

Luc. 10. v. 19

Baculos autem in manibus tenent, vt se ab incurrentibus aduersariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus est tibi. Hoc enim superbiam vincis. Habes castitatem, & hic baculus est quo luxuria superatur. Sed quid multa? quot virtutes, tot baculos habes.

Baculus, humilitas, aliæque virtutes.

Sic igitur præparetur, sic muniatur, sic armetur, qui has carnes comedere venit. Citò autem, & festinantes comedetis eas, vt cùm Dominus venerit, iam pleni, & saturi sitis, nec tunc credere incipiatis, quando per fidem liberari debetis. In fide namque suscipiendâ nulla mora debet esse. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.*

Matth. 25. v. 13.
Iudas, Christi passionis & resurrectionis figura.
Gen. 49. v. 8.

Christi prætetea passionem & resurrectionem alibi quoque significat Moyses. Scribit qualiter Iacob Iudam filium suum benedixerit, de cuius progenie Dominus natus est, dicens ei: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti: accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum?* Ad prædam enim Christus in crucem ascendit, quia de diaboli potestate morte suâ mundum eripuit. Sed quasi leo accubuit, quia nec ipsâ morte fortitudinem amisit. Quis autem suscitauit eum, nisi Deus Pater, & diuinitas ipsa, quæ in eo erat?

Similiter autem & Dauid Christi passionem, & resurrectionem significans, ait: *Ego dormiui,*

Psal. 3. v. 6.

A *& somnum cepi: & resurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: & diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Psal. 21. v. 17

Et in Esaiâ: *Corpus,* inquit, *meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Isai. 50. v. 6

Et alibi: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Oblatus est quia ipse voluit, & peccata nostra ipse portauit. Propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impium pro sepulturâ, & diuitem pro morte suâ.* Isai. 53. v. 4.

Quæris fortasse quis sit iste diues, B & impius, quem pro morte, & sepulturâ suâ Dominus dedit. Diues iste, & impius, populus Iudaïcus intelligitur: diues quidem, quia Legis, & Prophetarum diuitiis spiritualibus abundabat, & terram lacte, & melle manantem possidebat. Impius autem, quia Dominum, & creatorem suum damnare non timuit. Hunc autem dedit Dominus pro morte suâ, quia cum occidit: & pro sepulturâ, quia etiam sepulcrum ne resurgeret custodiuit. Sed quibus dedit? Romanis vtique, vt adimpleretur quod scriptum est: *Quod timet impius, veniet super eum.* His enim in perpetuâ seruitutem, & in vltimam infelicitatem, propter Christi mortem Iudæi traditi sunt. Pro. 10. v. 24

Dum hæc, & his similia Dominus loqueretur, C & Prophetarum illis testimonia interpretaretur, appropinquabant castello, quò ibant. Et tunc quidem non solùm corporis habitudine, sed & ipsâ facie, quamuis longiùs ire noluerit, longiùs se tamen ire ostendit. Sic enim & superiùs dicitur, quòd Samaritani noluerunt recipere eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Luc. 9. v. 53.

Hoc igitur modo probabat eos Dominus, quo affectu, & quâ charitate peregrinos suscipiebant, quatenus & nos ab eis discamus qualiter eos suscipiamus. Si enim aliter eos tenere non possumus, etiam eis violentiam inferre debemus. Vnde & hîc dicitur, *Et coëgerunt* V. 28.
D *illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.*

Et factum est, dum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. V. 29.

Sic enim facere solebat, quando adhuc inter eos conuersabatur. Et apertis oculis eorum, assuetam eius consuetudinem videntes, *cognouerunt illum: & ipse euanuit ex oculis eorum.* At V. 30.
illi gaudio pariter, & mœrore commoti, dixerunt adinuicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Quare eum non tenebamus? quare E vel ad pedes eius non corruimus? quare nobis ipsis, & cordibus nostris non credidimus? Vbi eum quæremus? vbi inueniemus?

Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis. V. 35.

Considera modò, quanta ibi lætitia fuerit, dum illi, & illi vicissim sibi sua gaudia nuntiarent. Nunquam autem tam benè cognoscitur Iesus, sicut in fractione panis.

Cognoscitur Dominus in fractione panis.

Panis iste spiritualis est, non carnalis: panis iste cibus animæ est. Hoc pane nutritur anima, & pinguescit intelligentia. De hoc pane scriptum est, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Deut. 8. v. 3.

De hoc pane per Prophetam dicitur, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. v. 4.

Miseri Iudæi, qui panem quidem habent, sed qui

panem eis frangat non habeot. Nobis autem panem fregit, nobis Scripturas exposuit, & sensum aperuit Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum: Ameo.

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulg. superioris Euang. expositio.

Luc. 24. v. 13.

ET ecce duo ex illis ibant eadem die in castellum, &c. Nonnulli vnum ex duobus illis Lucam ipsum fuisse dicunt: idcirco & abscondit nomeo suom Euangelista. Loquebantur autem inter se isti de omnibus, quæ acciderant, non vt credentes, sed vt dubitantes, & de rebus mirabilibus stupescentes, nec statim rei tam admirandæ senteotiâ suâ accedeotes. Iesus autem appropinquans, simul cum eis ibat. Iam enim spirituale & diuinum corpus habens, noo impediebatur locorum interuallis, qoo miaus adesset his, quibus volebat. Idcirco ex lineamentis corporis, in quibus tunc apparebat, non permittebaotur agnoscere illum. Nam sicut Marcus inquit, *in aliâ formâ apparuit*, & in aliis lineamentis: non vltra enim naturalibus legibus regebat corpus, sed spiritualiter, & super naturam: vnde *oculi illorum tenebantur, ne agnoscerent eum.* Quare autem in alterâ formâ apparuit, & tenebantur oculi eorum? Nempe vt ambiguam suam senteotiam reuelarent, vt vlcus detegerent, ac pharmacum susciperent, vt dulcior eis post multam conuersatiooem esset: vt doceret ex Mose & Prophetis, ac tunc agnosceretur, & magis credant, quòd corpus suum vltra oon sit tale, vt simpliciter possit ab omnibus videri. Quamuis illud ipsum quod passum est surrexerit, attameo quibus vult, apparet. Magnum autem quiddam ex hoc lucrifaciunt, quòd non vltra dubitant quare noo iterum in mediis populis versetur, considerantes, quòd conuersatio post resurrectionem suam longè alia sit, & noo communis: non qualis hominum, sed diuinior, io typum futuræ resurrectiooís, in quâ sicut Angeli & filij Dei versabimur. Propter hoc igitur tenebantur oculi eorum ne agnoscerent eum: à quibus enim volebat, videbatur.

Marc. 16. v. 12.

Christi corpus à resurrectione, nō nisi quibus ille volebat, conspicuū erat.

v. 18.

Cleophas verò comiti itineris, vt apparebat, obiicit: *Tu solus*, inquiens, *peregrinus es in Hierusalem*, hoc est, tu solus ex his qui habitant in Hierusalem, igooras quæ facta sunt? Alij autem, *peregrinus es*, sic intelligunt: Tu, inquit, solus peregrinus, & extra fines Hierusalem domicilium habens, non es particeps eorum quæ in mediâ Hierusalem contigerunt, vt hæc ignores? Vide autem quomodò paruam omniaò de Domino opiniooem habebant. Virum enim Prophetam eum existimabant, qualis Elias fuerat, vel Iesus Naue, vel Moses. *Potentem in opere, & sermone.* Primùm opus, & deinde sermo. Nullus enim sermo doctoris firmus est, oisi priùs docens se factorem declaret. Potens igitur esto primùm in opere, deiude & verbi solicitudinem habeto: sic & Deus cooperabitur tibi. Priùs enim opus, & deinde contemplatio ac illustratio. Nisi speculum purificaueris in labore & sudore, neutiquam concupitam pulchritudinem in speculo suspicies. *Beati* enim *mundo corde* (hoc fit per opera) *quia ipsi Deum videbunt*; hic contemplaoonis est finis. Oportet autem esse potentem io opere & sermone coram Deo, & tunc coram omni populo. Priùs enim placere debemus Deo, deinde danda opera vt etiam inter nos sine maculâ viuamus, quantum fieri potest: & neque quomodò hominibus placeas, sed quoiuodò seruias Deo, studendum: neque viuendum, vt multis sis scandalo, sed & hoc post illud prouidendum, quod & Sapiens dicit, *Prouide bona coram Deo, deinde & coram hominibus.* Et Paulus istud ipsum dicit.

Potēt opere, & sermone.

Math. 5. v. 8.

Corā Deo, & omni populo.

A Paschate.

Eccl. 41. v. 15.

Ro. 12. v. 17.

2. Cor. 8. v. 21.

V. 21.

Nos autem sperabamus, inquit, *quòd ipse esset redempturus Israël.* Quasi frustrati spe dicunt, nos sperabamus quòd ipse & alios saluaturus esset: & ecce oeque seipsum seruaoit. Adeò molli erant animo, & parùm fidenti. Et prope eadem dicebant, quæ illi in cruce, *Alios seruauit, seipsum non potest seruare.* Ideo & insipientes eos vocat, & tardos ad credendum. Quid aotem est redimi Israël? Diximus quòd Christum expectabant vulgares & minùs exercitati saluatorem & redemptorem à malis, quæ eis imminebant, & à iugo seruitutis Romanorum, sperabantque eum regnaturum vt Regem terrenum: ideo & dicunt: *Nos sperabamus quòd ipse redempturus esset Israël*, videlicet à Gentilibus Romanis, & ipse neque iniustam sententiam contra se latam effugit. *Atqui hodie tertius dies est: & mulieres terruerunt nos, &c.* Hæc quasi dubitantes dicunt: & videntur mihi viri in valde ambiguâ esse senteotiâ, & neque valde discredere, neque rectè credere. Etenim dicendo, *Sperabamus, quòd redempturus esset Israël*, incredulitatem indicant: quòd autem dicunt esse diem tertium, hominum est qui prope recordeotur, quòd dixerit eis, *Die tertiâ resurgam.* Et quod dicit, *exterruerunt nos*, hoc signat, quòd incredulitas eorum concutiatur. Et omniaò si coosiderentur sermones, humani sunt, & magnam dubitatiooem habeot, & hominum perplexorum & ignorantium quid agant propter resurrectionis miraculum.

Math 27. v. 42.

Iudæorum humilis existimatio, de terreno regno Messiæ, cuius fabellas & ex nostris quidā mussitant.

V. 24.

Abierunt autem, inquit, *quidam ex ijs, qui sunt nobiscum.* Vel Petrum solum dicit, vel Petrum & Ioannem. Et hinc manifestum, quòd quæ alij latè dicunt, alij compendiò tradunt, & transcursu transeunt. Abitiooem eoim Petri & Ioaonis ad sepulchrum, Ioannes pluribus complexus est, hic autem paucis mentiooem faciens, etiam oomina præterit.

V. 25.

Et ipse dixit ad eos, O stulti, & tardi corde, &c. Quoniam mente humano more affecti erant, multáqoe dubitatione laborabaot, stultos vocat & tardos ad credendum in omnibus, quæ loquuti fuerant Prophetæ. Credere enim possumus & ex parte, & in totum: vt si quis speret io salutem populi venturum, nooin salutem aoimarum, sed restitutionem & liberationem populi Iudaici: is non quantum oportet credere, credit. Et rursus, si quis credat Dauidi dicenti, *Foderunt manus meas, & pedes meos*, & cætera quæ de cruce, & aliis quæ in cruce facta sunt, tanquam ex personâ Domini prædicta: & recipit ea quæ de passione dicuotur, ea autem quæ de resurrectione, non curat, vti est hoc, *Quia non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: & illud, *Non derelinques animam meam in inferno*: & iterum, *Inter mortuos liber*: & illud, *Educens vinctos, & habitantes in sepulchris*, & similia: non habet perfectam fidem, sed ex parte. Oportet autem in omnibus, tam his quæ gloriæ sunt, quàm quæ ignominiæ, credere Prophetis. Oportebat enim

In partem credere, & in totum.

Psal. 21. v. 17.

Psal. 15. v. 10.

Psal. 87. v. 6.

Psal 67 v. 7

& Christum pati, quod est ignominiæ: & intrare A
in gloriam suam, quod est gloriæ. Vos autem sic
Isai.53. v.7 stulti estis, vt cùm Esaiam vtraque dicentem au-
Ibid. v.11. diatis, & quòd ad occisionem ductus sit, & quòd
Dominus velit ei ostendere lumen: illud quidem
Ibid v.5. recipitis, hoc autem respuitis. Et quòd vulne-
Ibid. v.10. ratus quidem sit, creditis: quod autem Dominus
velit eum purificare à plagâ, animo non perpen-
ditis. Sed quòd dicit, *Vos stulti estis*, signat
tardi estis. Nam si stulti fuissent, neque ipse eis
fuisset locutus: at quia tardi estis vos, ego men-
tem vestram acutiùs videre faciam. Vnde & à
Mose & ab omnibus Prophetis interpretatur eis,
nempe mysterium sacrificij Abrahæ, quando di-
Gen 22. v.12 misso Isaac aries immolatus est. Hæ enim res, Do-
minicas præfigurabant. Sicut etiam ipse Domi-
Ioan. 8. nus dicit: vidisse Abraham diem suum, & exul-
v.56. tasse. Et illud: *Videbitis vestram vitam penden-*
Deut. 28. *tem*: in quo & crucifixionem significat, dicendo
v.66. *pendentem*: & resurrectionem vitam nostram no-
minando. In reliquis autem Prophetis sparsim si-
ta sunt, quæ de cruce & resurrectione dicuntur,
præsertim in clarioribus. Et possent ex illis ea re-
censeri. At tu quæso attendas quomodò per affli-
ctionem eatur in gloriam Dei.

Simolat autem se longiùs iturum, iuxta nimi-
rum humanam naturam. Et quando permittit,
tunc aperiuntur oculi eorum, & agnoscunt eum.
Insinuatur autem & aliud quiddam, nempe quòd
oculi eorum qui benedictum Panem assumunt,
aperiuntur, vt agnoscant illum. Magnam enim &
indicibilem vim habet caro Domini. Euanuit au- Magnam, & indicibilem vim habet Eucharistia.
tem ab eis: neque enim adhuc habebat corpus,
quod multum corporali modo cum eis conuersa-
retur, vt ex hoc illorũ cresceret desiderium. Nam
ita exhilarati fuerunt, vt illâ ipsâ horâ surgerent,
& reuerterentur in Hierusalem: non eadem qui-
dem horâ, sed surrexerunt quidem horâ illâ: re-
uersi autem sunt post complutes, secundum quod
verisimile est iter fecisse euntes spatium sexaginta
stadiorum, in quibus omninò & Dominus visus
est Simoni, dum illi iterum reuertuntur Hieru-
salem. Ardens autem erat cor eorum, vel dum
B igni eloquiorum Domini illo interpretante in-
trinsecus succenderentur, & illis quæ dicebantur,
assentirentur vt veris: vel dum illo interpretante
Scripturas, tangeretur cor eorum intrinsecus.
Talis enim interpres nobis est Christus.

Qui extat Bernardi nomine hoc argumento tractatus, qui Bernardi nihil habeat, ipsaq; oneret prolixitate, consultò omissus. Haud abhorret ab Adelardi tractatu de puero Iesu duodenni, qui & ipse inter Bernardinos locum inuenit.

FERIA III. POST PASCHA.

LVC. XXIV.



N illo tempore: stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis. Ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se [a] spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur. At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos, cùm adhuc essem [b] vobiscum, quoniam necesse est impleri [c] omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertiâ: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in [d] omnes gentes.

[a] Non carnem.
[b] In eadem mortali carne.
[c] Scilicet hæc verba.
[d] Non in vnâ tantùm gente Iudæorum, vel in aliquâ parte terrarum.

GLOSSA ORDINARIA C
in Superius Euang.



Luc 24. v.35. Ioan. 20. v. 19. *TETIT Iesus in medio.* Hæc ostensio est illa, de quâ Ioannes ait: *Cùm sero esset die illâ, vnâ sabbatorum, &c. venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Quod verò dicit Ioannes Thomam non fuisse cum illis: cùm Lucas dicat istos duos inuenisse vndecim congregatos, & eos qui cum eis erant: intelligendum est quòd Thomas inde exisset, antequam Dominus eis hoc loquentibus appareret.

v.36. Error discipulorum. *Spiritum videre.* Nouerant discipuli fuisse verum hominem, sed postquam mortuus est, non credunt tertio die potuisse veram carnem de sepulchro resurgere. Putant ergo se videre spiritum, quem emisit in passione: sed hunc errorem aufert Dominus.

v.37. Turbatio. *Quid turbati estis.* AMBR. Credebant Apostoli, sed tamen turbantur. Primò quia paucorum opinionem sententia maioris partis excludit. Denique quia Petrus etsi crederet resuscitatum, turbari potuit quòd clausis ianuis Dominus cum corpore suo se improuisus infuderit.

Cogitationes in corda ascendentes.

Cogitationes ascendunt. Falsæ : non desuper A descendentes, sed sicut mala herba in corda ascendentes. Fidem quam in vobis plantaui, exigo : quod ex vobis ortum est, condemno : Si non est veritas resurrectionis, perditus est fructus passionis.

V. 38. *Palpate, & videte.* Multis documentis persuadet resurrectionem, præbendo se & oculis videndum, & manibus contrectandum: qui dum palpanda ossa, carnémque monstrat, statum suæ, vel nostræ resurrectionis signat : in quâ corpus nostrum, & subtile erit per affectum spiritualis potentiæ, & palpabile per veritatem naturæ. Post resurrectionem Dominus in corpore suo duo contraria ostendit, & palpabile eiusdem naturæ vt informet ad fidem, & incorruptibile alterius gloriæ vt inuitet ad præmium.

Corpus gloriosum subtile, & palpabile.

B

V. 40. *Ostendit eis manus.* Vt ostensâ vulnerum cicatrice infidelitatis vulnus sanaret : quas cicatrices & tunc seruauit, & in iudicio seruaturus est. Primò ad fidem resurrectionis instruendam. Deinde vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit semper ostendat. Tertio, vt suâ morte redemptis quàm misericorditer sint adiuti : propositis eiusdem mortis insinuet indicijs. Sed postremò, vt in iudicio quàm iustè damnentur impij denuntiet ; ostensâ, quam ab illis accepit, cicatrice. Non ergo ex impotentiâ curandi cicatrices seruauit, sed vt perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum.

Christi cicatrices cur in suscitato corpore relictæ.

C

V. 41. *Habetis hîc aliquid.* Ad insinuandam veritatem resurrectionis, non solùm tangi, sed conuesci voluit, non quòd vel ipse, vel nos post resurrectionem cibo debeamus indigere: sed vt corpus, non spiritum esse manifestaret. Manducauit potestate, non necessitate. Aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius calens : Illa indigentiâ, iste potentiâ.

Manducat potestate, non necessitate.

V. 42. *Piscis assi.* Piscis assus, ipse mediator passus: in aquis humani generis captus laqueo mortis, assatus tempore passionis. Ipse & fauus mellis nobis est in resurrectione. Fauus mellis in cerâ, id est, diuinitas in humanitate. In huius mellis comestione signatur, quia illos in corpore suo ad æternam quietem suscipit, qui cùm tribulationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Qui hic assantur illic, verâ dulcedine satiabuntur.

Piscis assus, ac fauus mellis.

D

V. 43. *Et cùm manducasset.* Omnes ambages aufert: Visus est, tactus est, manducauit : & ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, mittit manus ad Scripturas, vt etsi magicis artibus videatur potuisse quod voluit, sicut dicunt Pagani, saltem videant prophetare non potuisse antequam natus fuit.

Christi argumenta resurrectionis.

V. 45. *Tunc aperuit.* Post visum, post contactum, post commemoratam legem aperuit sensum : vt quod vident, & legunt, intelligant. Deinde post sui corporis commendatam veritatem, commendat Ecclesiæ vnitatem : *Et prædicare in nomine eius.*

E

V. 46. *Oportebat Christum pati, &c. incipientibus ab Ierosolymâ.* Oportebat vt ministri qui pœnitentiam, & remissionem erant prædicaturi in omnes Gentes, inciperent ab Hierosolymis. Non solùm quia illis credita sunt eloquia Dei, & quia eorum est adoptio filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio : sed ideo etiam vt Gentes variis erroribus, & facinoribus implicitæ, hoc maximè indicio diuinæ pietatis ad spem veniæ prouocetur, quod eis qui Filium Dei crucifixerunt, venia relaxatur.

Prædicatio cur cœpta ab Hierosolymis.

Rom. 3. v. 10.

A Paschate.

V. 49. *Vos autem sedete.* Postquam discipulos de virtute prædicationis perfectè instruxit, cùm repente si vellet posset eos roborare, distulit, dicens: *Vos autem sedete in ciuitate.* Vt exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare ante tempus præsumant. In ciuitate sedet, qui intra mentis claustra se coarctat, ne loquendo exteriùs euagetur, vt cùm diuinâ virtute perfectè fuerit indutus, tunc quasi à seipso foras exeat, alios instruendo.

Prædicatio nô nisi perfectis arripienda.

Sedere in ciuitate.

CATENA AVREA

in idem Euang.

DVm autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, &c. CYRIL. Vndique resurrectionis famâ per Apostolos diuulgatâ, & affectu discipulorum erecto ad Christi visionem, venit desideratus ; & quærentibus & expectantibus reuelatur ; nec disceptat vt de alio, sed euidenter se offert. Vnde dicitur : *Dum autem hæc, &c.*

Luc 24. v. 35

Eadem fere Titus. nec benè P. Nicol. illud, *Nec disceptat, vt de alio*, Quod Peltan. *neque de se nunc loquitur tanquam de alio* (nempe in tertiâ personâ loquens, quod illi tritum erat) *nec disceptatoriè*, emendat. quod nullum mihi commodè sensum habet ; cùm illud veteris Interpretis eo non careat.

AVG. de con. Euang. Hanc ostensionem Domini post resurrectionem & Ioannes commemorat. Sed quòd dicit Ioannes non cum illis fuisse Apostolum Thomam, cùm secundum Lucam duo illi regressi in Hierusalem, inuenerunt congregatos vndecim, procul dubio intelligendum est quòd inde Thomas exierit, antequam Dominus hæc loquentibus appareret. Dat enim Lucas locum in suâ narratione quomodò possit intelligi, dum hæc loquerentur priùs inde exisse Thomam, & postea Dominum intrasse : nisi quis dicat non illos vndecim qui iam tunc Apostoli vocabantur, sed discipulos suos vndecim fuisse ex multo numero discipulorum. Sed cùm adiunxit Lucas, *Et eos qui cum ipsis erant*, satis vtique declarauit euidentiùs illos vndecim appellatos, qui vocabantur Apostoli, cum quibus cæteri erant. Sed videamus cuius mysterij gratiâ secundum Matthæum & Marcum resurgens ita mandauerit, *Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis.* Quod etsi completum est, tamen post multa completum est ; cùm sic mandatum sit, vt aut hoc solum, aut hoc primum expectaretur fieri debuisse.

Libr. 3. cap. vlt. t. 4.

Consensus Euangelicus.

AMBR. Vnde hoc conuenientius arbitror, quòd Dominus quidem mandauerit discipulis, vt in Galilæâ eum viderent : sed illis ob metum intra conclaue residentibus primùm se obtulisse.

Libr. 10. in Lucam.

GRÆG. Nec hoc est promissi transgressio, sed potiùs festinata ex benignitate impletio propter pusillanimitatem discipulorum.

AMBROS. Postea verò confirmatis animis, vndecim illos Galilæam petisse. Vel nihil obstat, si dicantur pauciores intra conclaue, & in monte quamplures fuisse.

Libr. 10. in Lucam.

EVSEB. Duo enim Euangelistæ, scilicet Lucas & Ioannes, solis vndecim hunc scribunt apparuisse in Hierusalem : cæteri verò duo in Galilæam properare, nô solùm vndecim, sed etiâ vniuersis discipulis & fratribus, dixerunt Angelum & Saluatorem iussisse: de quibus & Paulus meminit,

1. Cor. 15. v. 6.

dicens, *Deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul.* A Est autem verior solutio, quòd prius quidem in Hierusalem latitantibus semel aut bis visus est ad eorum consolationem: in Galilæâ verò non in conclaui, aut semel aut bis, sed cum multâ potestate ostensionem sui fecit, præbens se eis viuentem post passionem in signis multis, vt Lucas testatur in Actis.

Libr. 3. c. vlt.

Avg. de cons. Euang. Vel quod ab Angelo (hoc est, à Domino) dictum est, propheticè accipiendum est. In Galilæâ enim secundum transmigrationis significationem intelligendum occurrit, quia de populo Israel transmigraturi erant ad Gentes, qui Apostolis prædicantibus non crederent, nisi ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet: B & hoc intelligitur, *Præcedet vos in Galilæam.* Secundum autem illud quòd Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in formâ serui intelligendum est, sed in quâ æqualis Patri, quam promisit electis suis. Illa erit reuelatio tanquam vera Galilæa, cùm videbimus eum sicuti est. Ipsa etiam erit beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem: vnde ad nos veniens non recessit, & quò nos præcedens non deseruit.

Analogica expositio.

Atqui Galilæa *reuolutio* dici possit; nihil reuelatio: quæ August. fefellit vocum vicinitas.

In hoc loco.

Theoph. Primò igitur Dominus in medio discipulorum stans solito pacis affatu eorum turbinem sedat; ostendens, quòd ipse idem est Magister eorum, qui hoc verbo gaudebat, quo etiam C eos muniuit, cùm ad prædicandum misit, vnde sequitur, *Et dixit eis, Pax vobis; Ego sum, nolite timere.*

Orat. 14. quæ est 3. de pace.

Greg. Nazian. Pudeat ergo nos pacis munus deserere, quam nobis hinc discedens Christus reliquit. Pax & res & nomen dulce, quam & Dei esse accepimus, iuxta illud. *Pax Dei*: & eius esse Deum, iuxta illud, *Ipse est pax nostra.* Pax bonum commendatum ab omnibus, obseruatum autem à paucis. Quæ autem est causa? Forsassis ambitio dominij, aut facultatum, aut liuor, aut odium proximi, contemptus, aut aliquid huiusmodi, ex his quæ Dei ignaros videmus incurrere. D Dei quippe præcipuè pax est, quæ confœderat omnia: cuius nihil est adeò proprium sicut vnitas naturæ & pacificus status. Transsumitur verò ab Angelis & diuinis Potestatibus, quæ ad Deum & adinuicem pacificè se habent. Diffunditur verò per totam creaturam, cuius est decor tranquillitas: in nobis autem manet, secundum animam quidem per inuestigationem virtutum & communicationem; secundum corpus verò in membrorum, & elementorum commensuratione: quorum alterum pulchritudo, alterum sanitas appellatur.

Pacis laus.

Cap. 97. in Bedâ.

Bed. Discipuli autem nouerant Christum verum hominem, cum quo tanto tempore fuerant conuersati: sed postquam mortuus est, non credunt tertiâ die potuisse veram carnem de sepulchro resurgere. E Putant ergo se videre spiritum, quem emisit in passione: vnde sequitur: *Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre.* Error ille Apostolorum, secta est Manichæorum.

Libr. 10. in Lucam.

Ambros. Adducti autem virtutum exemplis, Petrum & Ioannem non credimus potuisse dubitare. Cur ergo Lucas inducit fuisse turbatos? Primò omnium, quia paucorum opinionem sententia maioris partis includit. Deinde quia etsi Petrus de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, quod se Dominus cum corpore vectibus obseratis improuisus infunderet.

In hoc loco.

Theoph. Verùm quia per verbum pacis non est sedatus turbo in animabus discipulorum, aliunde indicat eis se Filium Dei esse, qui mentis cognoscebat arcana: vnde sequitur: *Et dixit eis, Quid turbati estis, &c.*

Cap. 97. in Bedâ.

Beda. Quales vtique cogitationes, nisi falsæ & perniciosæ? Perdidisset enim Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis: Tanquam si bonus agricola diceret, Quod ibi plantaui, inueniam; id est, fidem, quæ in cor descendit, quia desuper est. Cogitationes autem istæ non desuper descenderunt, sed de imo in cor sicut herba mala ascenderunt.

Cyrill. Hoc autem fuit euidentissimum signum, quod non alius est qui videtur, sed ille idem quem viderant in ligno mortuum, & positum in sepulchro: quem non latebat aliquid eorum quæ erant in homine.

Signum resurrectionis, detectio cogitationum.

Libr. 10. in Luc.

Ambr. Consideremus autem quâ gratiâ secundum Ioannem Apostoli crediderunt, & gauisi sunt: secundum Lucam quasi increduli redarguuntur? Et videtur mihi Ioannes (quasi Apostolus) maiora & altiora tetigisse; hic sequentia, & humanis proxima: hic historico vsus circuitu, ille compendio: quia & de illo dubitari non potest, quia testimonium perhibet de his quibus ipse interfuit: & ideo vtrunque verum putamus. C Nam etsi in primo Lucas eos non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat.

Cyril. Comprobans autem Dominus deuictam esse mortem, & humanam naturam iam in Christo corruptionem exuisse, primò ostendit eis manus & pedes & clauorum foramina: vnde sequitur, *Videte manus meas, &c.*

In hoc loco.

Theoph. Sed & aliud subiungit, palpationem scilicet manuum atque pedum, cùm dicit, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere:* quasi dicat: Vos putatis me esse spiritum (id est phantasma) sicut plures defunctorum circa sepulchra videri sunt soliti. Sed scitote quòd spiritus neque carnem habet, D neque ossa: ego autem carnem & ossa habeo.

Libr. 10. in Luc.

Ambr. Hoc autem Dominus ideo dixit, vt speciem nobis suæ resurrectionis ostenderet: nam quod palpatur, corpus est. In corpore autem resurgemus: sed illud subtilius, hoc crassius; vtpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem Christus clausa penetrauit.

Super illud: *Et rursum circumdabor.* c. 19. in nouis exemp. 31. in antiq.

Greg. 14. Mo. Non enim in illâ resurrectionis gloriâ corpus nostrum erit impalpabile, & ventis aëreque subtilius, vt Eutychius dixit: sed subtile quidem per affectum spiritualis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ. Sequitur. *Et cùm hæc dixisset, &c.*

Cap. 97. in Bed.

Beda. E Quibus scilicet indicata clauorum vestigia claruere: sed secundum Ioannem etiam latus eis ostendit, quod fuerat lanceâ perforatum; vt scilicet ostensâ vulnerum cicatrice dubietatis eorum vulnus sanaret. Solent autem in hoc loco Gentiles calumniam struere, quasi non valuerit Dominus vulnera sibi inflicta curare. Quibus respondendum est, quia non est consequens, vt qui maiora fecisse probatur, minora facere nequiuerit: sed certè dispensationis gratiâ, qui mortem destruxit, signa mortis delere noluit. Primò quidem, vt per hoc discipulis

Cicatrices cur retentæ in Christi corpore.

fidem suæ resurrectionis astrueret: deinde, vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat: tertiò, vt suâ morte redemptis quàm misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indicijs insinuet: postremò vt in iudicio quàm iustè damnentur impij, denuntiet.

V. 41.

Adhuc autem illis non credentibus, &c. CYRIL. Ostenderat Dominus discipulis manus & pedes, vt certificaret discipulos, quòd corpus, quod passum fuerat, resurrexit. Vt adhuc autem magis certificaret, aliquid manducabile petijt: vnde dicitur, *Adhuc autem illis non &c.*

Orat. 1. de resur. prope finem.

GREG. NYS. Et iussu quidem legis Pascha cum amaricantibus edebatur; quia adhuc amaritudo manebat: post resurrectionem verò, cibus fauo mellis dulcoratur: vnde sequitur, *At illi obtulerunt ei, &c.*

Cap. 97. in Bedâ.

BEDA. Ad insinuandum ergo resurrectionis suæ veritatem, non solùm tangi à discipulis, sed etiam conuesci cum illis dignatur: ne arbitrentur eum non solidè, sed imaginabiliter sibi apparere: vnde sequitur, *Et cùm manducasset, &c.* Manducauit quidem potestate, non ex necessitate. Aliter enim absorbet aquam terra siriens, aliter sol calens: illa indigentiâ, iste potentiâ.

GRÆC. Si damus Dominum verè comedisse, demus & omnes homines post resurrectionem vti ciborum fomentis. Sed quæ ex quadam dispensatione fiunt à Saluatore, non sunt regula & norma naturæ, quoniam in quibusdam alijs dispensauit. Resuscitauit enim nostra corpora non mutila, sed perfecta & incorrupta, qui tamen dereliquit proprij corporis foramina, quæ claui forauerant, & lateris cicatricem: vt ostendat quòd mansit post resurrectionem natura corporis, nec est in aliam mutatus substantiam.

Super illud: *Habetis aliquid quod manducetur.*

BEDA. Manducauit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, nec quasi resurrectionem, quam expectamus, cibis egere significans: sed vt eo modo naturam corporis resurgentis astrueret. Mysticè autem piscis assus quem Christus comedit, significat Christum passum: ipse enim latêre dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ; & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ: sed fauus mellis nobis extitit in resurrectione. In fauo quidem mellis vtramque naturam exprimere voluit personæ suæ. Fauus quippe mellis in cerâ est: mel verò in cerâ, est diuinitas in humanitate.

Allegoria.

In hoc loco.

THEOPH. Videntur autem & comesta aliud habere mysterium: Quòd enim manducauit partem piscis assi, significauit quòd naturam nostram in huius vitæ mari natantem, assans eam igne propriæ deitatis, & exsiccans eius humiditatem, quam à profundis vndis contraxerat, escam fecit diuinam: & eam quæ priùs erat abominabilis, præparauit Deo cibum suauem, quod significat fauus mellis: Vel per piscem assum significat vitam actiuam, consumentem nostram humiditatem laborum prunis: contemplationem verò significat per fauum mellis, propter dulcedinem eloquiorum Dei.

Super illud: *Necesse est impleri omnia.*

BEDA. Postquam autem visus est, tactus est, manducauit, ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, misit manus ad Scripturas: vnde sequitur: *Et dixit ad illos, Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum*, id est, cùm adhuc essem in carne mortali,

A Paschate.

in quâ estis & vos. Tunc quidem in eadem carne suscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat: & subdit, *Quoniam necesse est impleri omnia, &c.*

Libr. 1. c. 11.

AVGV. de con. Euang. Illud attendant qui magicis artibus Christum tanta potuisse, & nomen suum ad populos in se conuertendos arte ipsâ consecrasse delirant: vtrum potuit magicis artibus Prophetas diuino spiritu, antequam in terrâ nasceretur, implere? Neque enim si magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, magus erat antequam natus; cui prophetando venturo gens vna deputata est.

Redargutio blasphemantium Christum.

V. 45. Cap. 97. in Bedâ.

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, &c. BED. Postquam præbuit se videndum oculis, manibus contrectandum, legis commemorauit Scripturas: consequenter aperuit sensum, vt intelligatur quod legitur; vnde dicitur: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.*

In hoc loco. Vide clarius in ipso Theoph.

THEOPH. Alioquin quomodò eorum anima turbata, & vacillans circa Christi mysterium studuisset? Sed & verbis eus docuit. Sequitur enim: *Et dixit eis; quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati*; scilicet per lignum crucis.

Cap. 97. super illud: *Aperuit illis sensum.*

BED. Perdidisset autem Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis: vnde subdit, *Et resurgere à mortuis, &c.* Deinde post commendatam sui corporis veritatem, commendat Ecclesiæ vnitatem, cùm subdit, *Et prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes.*

EVSEB. Dictum enim erat, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Oportebat autem conuersos ex Gentibus expiari à quolibet contagio, & maculâ ipsius virtute, quasi contaminatos ab errore dæmonum idololatriæ, & quasi nuper conuersos à vitâ execrabili & impudicâ: & ideo dicit, quòd oportet prædicari priùs quidem pœnitentiam, consequenter remissionem peccatorum in omnes Gentes. Eis enim postea quàm veram ostenderunt malorum pœnitentiam, salubri gratiâ veniam commissorum donauit, pro quibus & mortem subijt.

In hoc loco.

THEOPH. In hoc verò quòd dicit, *Pœnitentiam, & remissionem peccatorum*, etiam de baptismate meminit, in quo per depositionem priorum scelerum subsequitur venia peccatorum. Sed quo pacto intelligetur in solo Christi nomine baptisma fieri, cùm alibi mandet hoc fieri in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti? Et primò quidem dicimus quòd non intelligitur, quòd in solo Christi nomine fiat baptisma, sed quòd Christi baptismate aliquis baptizetur; id est, spiritualiter, non Iudaicè; nec tali, quali Ioannes baptizabat ad solam pœnitentiam, sed ad Spiritus almi participationem: sicut & Christus in Iordane baptizatus ostendit Spiritum sanctum in specie columbinâ. Porrò baptisma in Christi nomine, id est, morte Christi intelligas: sicut enim ipse post mortem triduo resurrexit, sic & nos ter in aquam mergimur, & conuenienter emergimus incorruptibilitatis spiritus arrham recipientes. Hoc etiam Christus nomen continet in se, & Patrem quasi vnctorem, & Spiritum quasi vnctionem, & Filium quasi vnctum, scilicet secundum humanam naturam.

Baptisma, vt in nomine Christi.

SANCTI IGNATII ANTIOCHENI *Episcopi & Martyris, ex Epistolâ ad Smyrnæos.*

Ex Vossij Florentinâ editione. Citat Theodor. dial. 2.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

EGo namque post etiam resurrectionem, in carne eum esse noui, ac credo. Cúmque ad Petrum, sociosque venit, ait illis, *Tenete, palpate me, & videte, quoniam non sum dæmonium corporis expers.* Moxque eum tetigerunt, ac crediderunt, illius carne roborati, ac spiritu. Idcirco etiam mortem contempserunt, ac morte superiores extiterunt. Post resurrectionem autem, cum eis comedit ac bibit, ceu carne constans, tam etsi erat spiritu vnitus Patri.

Fœdè apud Theod. ὡς σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς. Rectè Flor. σαρκικὸς καίπερ πνευμ.

Hæc autem commoneo, dilectissimi, qui sciam vos quoque eo animo esse. Præcaueo autem vobis à bestijs humanam ostendentibus formam: quos non solùm oportet vos non recipere, sed nec in eos, si fieri potest, incidere: sed duntaxat pro ipsis orate, si quo modo pœniteant, quod difficile est. Id verò præstare, potest Christus Iesus, vera vita nostra. Si enim opinione tantùm hæc à Domino nostro gesta sunt, ego quoque opinione vinctus sum. Cur verò memet ipse morti tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias? Verùm qui gladio vicinus, vicinus Deo: qui inter bestias, is cum Deo, dummodò in nomine Iesu Christi. Vt eius socius passionum fiam, omnia sustineo, ipso me corroborante; qui perfectus homo factus est. Quem quidem ignorantes abnegant: quinimmò ab eo abnegati sunt, qui mortis potiùs quam veritatis patroni existant. Quos nec Prophetarum oracula, nec Mosis lex, ac neque hactenus Euangelium, nec nostræ (quæ secundum hominem sunt) passiones, persuaserunt. Etenim de nobis idem sentiunt. Quid enim me iuuat, qui laudauerit, cùm Dominum meum blasphemet, non confessus ipsum carnem gestare? Quod qui non profitetur, planè ipsum negauit, ipse mortuum gestans.

quod repræsento.

Theod. dial. 1.

ὢν νεκροφόρος. Non bene Theod. ὡς νεκροφόρον.

Nullus erret. Ipsa cœlestia, Angelorumque principes tum visibiles, tum inuisibiles, nisi in sanguinem Christi crediderint, sunt & ipsi in iudicio. Qui capit, capiat. Neminem locus in fastum agat. Totum enim fides est ac charitas, quibus nihil præstantius est. Considerate verò, qui aliter de Iesu Christi, quæ ad nos venit, gratiâ sentiunt, qualiter contrarij sint diuinæ voluntati. Nulla ijs cura de charitate, de viduâ, de pupillo, de eo qui in ærumnâ est; de eo qui vinctus, aut qui solutus; qui in fame aut siti est. Ab Eucharistiâ ac oblatione sese abstinent, quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam benignitate Pater suscitauit. Qui igitur Dei dono contradicant, altercando moriuntur.

Theod. dial. 3. ex quo προσευχῆς malui, quam προσφορᾶς Flor. quanquam idem sensus ac graue primæ Ecclesiæ fidei de veritate carnis Christi in Eucharistiâ testimonium, Aubertini, Verini, seu Cl. Salmasij, ac similium συζητοῦσιν pijs quibusque, ac quibus curæ sit ne moriantur, planè præferendum.

A

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS *Episcopi superioris Euang. expositio.*

STetit Iesus in medio eorum, &c. *Denique conturbati discipuli æstimabant se spiritum videre.* Et ideo Dominus, vt speciem nobis resurrectionis ostenderet: *Palpate*, inquit, *& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem, vsu clausa penetrauit. Nam quod tangitur, corpus est: quod palpatur, corpus est: in corpore autem resurgemus. *Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spiritale.* Sed illud subtilius,

Luc. 24. v. 35.

V. 38.

Verum Christi corpus à resurrectione

1. Cor. 15. v. 44.

B hoc crassius, vt putà adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodò non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solùm fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit: quòd vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens: tales illic Martyres nobis cicatricis suæ coronâ monstrauit.

Relictæ in eo cicatrices & firmât fidem, & acuunt deuotionem.

Et quoniam sermo huc noster vsque euasit, consideremus, quâ gratiâ secundum Ioannem crediderint Apostoli, qui gauisi sunt: secundum Lucam quasi increduli redarguantur: ibi Spiri-

C tum sanctum acceperint; hîc sedere in ciuitate iubeantur, quoad vsque induantur virtute ex alto. Et videtur mihi ille quasi Apostolus maiora & altiora tetigisse; hic sequentia, & humanis proxima. hic historico vsus circuitu; ille compendio: quia & de illo dubitari non potest, qui testimonium perhibet de ijs quibus ipse interfuit, & verum est testimonium eius. Et ab hoc quoque, qui Euangelista esse meruit, vel negligentiæ, vel mendacij suspicionem æquum est propulsari. Et ideo putamus verum vtrumque, non sententiarum varietate nec personarum diuersitate distinctum. Nam etsi primò Lucas eos non credidisse dicat; postea tamen credidisse de-

Ioannis & Lucæ concordia.

D monstrat: & si prima consideremus, contraria sunt; si sequentia, certum est conuenire. Ipsa igitur Scripturæ verba consideremus.

Sic ait Ioannes: *Et gauisi sunt discipuli, viso Domino. Dicit ergo his iterum: Pax vobiscum. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et cùm *hoc dixisset, insufflauit his, & dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Lucas autem dicit: *Et quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Cùm hæc autem loquuntur, ipse stetit in medio eorum, &c.* Possent videri hîc plures fuisse; sed quia & resurrectio-

Ioan. 20. v. 20.

V. 34. & 35.

E nis die & serò (nam aduesperascente iam die hi duo qui fuerant ingressi in castellum cum Domino, vbi ille se repente subtraxit, eadem horâ ad discipulos remeasse produntur, quando Dominus palpandum se obtulit.) Et secundum Ioannem, serò die illâ vnâ sabbatorum inducitur apparuisse discipulis, & vulnera obtulisse palpanda: ne quid ambiguitatis afferret, putauimus diligentiùs requirendum. Videtur enim separatim se istis vndecim demonstrasse, sicut se Ammaoni & Cleophæ seorsim iam vespere demonstrauerat: & quemadmodum isti duo, ita etiam & illi

Ammaon socius Cleophæ: id fortè ex apocrypho aliquo.

viderent vndecim ad confirmandos reliquos A conuenire potuisse. Denique *conturbati sunt*, vt habes secundum Lucam: & ideo *aperuit eis sensum vt intelligerent ea quæ scripta sunt*. Hunc autem latiùs, illum succinctiùs scripsisse, non dubium est. Quomodò enim Cephæ visum dicerent, si ab omnibus erat visus? Sed sicut ex mulieribus Mariæ Magdalenæ, & alij Mariæ, ita ex viris Petro visus est primo manè. Et Paulus sic ait: *Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, & quoniam sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die secundum Scripturam, & visus est Cephæ*. Et ideo Marcus specialiter induxit iuuenem mandantem vt Petro, & discipulis dicerent mulieres, quia surrexit Dominus. Petrus ergo vidit solus Dominum. B Deuotio enim parata semper & prompta credebat, & ideo studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Ioanne, alibi solus, vbique aut solus, aut primus: non contentus vidisse, quæ viderat, repetit intuenda: & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo. Vidit eum solus, vidit cum vndecim, vidit cum septuaginta, vidit & quando Thomas credidit, vidit cùm piscaretur: sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, vbi Dominum vidit in litore, veste se texit: ferum æstimans, si cum cæteris nauigio perueni- C ret. Sic cùm in mare Dominus ambularet, super vndas maris naturæ suæ oblitus occurrit. Sic cùm à Iudæis Dominus teneretur, aduersum turbas gladium solus exeruit. Sic & nunc cùm Dominus stetisset in littore, periculoso compendio religiosum maturauit obsequium.

Petro visus Dominus manè ex viris primo.
1. Cor. 15. v. 3.
Mar. 16. v. 7.
Petri deuotio & feruor.
Ioan. 20. v. 3.
Luc. 24. v. 12.
Petri cum feruore reuerentia ad Dominum.
Matth. 14. v. 29.
Ioan. 18. v. 10.

Non est igitur dubium credidisse Petrum, & credidisse quoniam dilexit, dilexisse quoniam credidit. Ioannem quoque credidisse manifestum est, dum Saluatorem videret: qui iam tunc credidit, posteaquam vacuum corporis vidit sepulchrum. Cur ergo Lucas inducit fuisse turbatos? Primò omnium, quia paucorum opinionem D sententia maioris partis excludit. Deinde quia etsi Petrus de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, cùm videret quòd se Dominus eum corpore in ea, quæ vestibulis obseratis, & obstructis erant septa parietibus, improuisus infunderet.

Ioan. 20. v. 8.
Petrus turbatus ex modo ingressus.

Lucas ergo historicè singula prosecutus est. Ille finem spectauit, hic seriem. Nam vtique dicendo: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent ea, quæ scripta sunt*: etiam ipse discipulos credidisse profitetur. Spiritum autem sanctum vel illis vndecim quasi perfectioribus insufflauit, & reliquis postea tribuendum esse promittit: vel E ijsdem ibi insufflauit, hîc spondet. Nec videtur esse contrarium, cùm diuisiones gratiarum sint. *Alij enim datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu; alteri gratia curationum; alij genera linguarum*. Ergo aliam insufflauit ibi operationem; hîc aliam pollicetur. Ibi enim remittendorum gratia tributa est peccatorum, quod videtur augustius: & ideo insufflatur à Christo, vt credas Spiritum Christi, & credas de Deo Spiritum. Deus enim solus peccata dimittit. Lucas autem linguarum gratiam descripsit effusam. Denique ibi habes: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt*. At verò in Actibus Apostolorum sic habes: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, quomodò Spiritus dabat loqui ijs*. Diuersitas autem visionum, frequentiam famulantium significat Angelorum, iuxta quod Dominus ipse promiserat, dicens: *Et videbitis Angelos descendentes, & ascendentes ad Filium hominis*.

V. 45.
1. Cor. 12. v. 8.
Remittendorum gratia peccatorum augustius quid dono effuso linguarum.
Luc. 5 v. 21.
Ioa. 20. v. 21
Act. 2. v. 4.
Ioan. 1. v. 51

Atque vtinam cum Euangelij fine noster quoque sermo claudatur. Cur secundum Matthæum & Marcum mandat discipulis: *Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis*: secundum Lucam verò & Ioannem etiam intra conclaue obtulit se videndum. Et quidem quòd se videndum frequenter obtulerit, & plusquam quingentis fratribus, & Petro, & Iacobo, etiam Apostoli comprobauimus testimonio. Et Lucas in Actibus Apostolorum docuit, quòd discipulis manifestauerit se viuere post passionem suam, in multis argumentis apparens ijs, & disputans de regno Dei. Ergo quia sæpius & diuersis apparuit, cùm in Galilæâ quando sit visus, nequaquam præscriptum ac definitum tempus Scriptura signauerit, in Hierusalem quando se obtulerit, & diem & horam expresserit; timidiores intra conclaue visitantur, fortiores ad montem conuenerunt. Denique intra conclaue ostijs clausis inducit Ioannes discipulos congregatos propter metum Iudæorum: quos non vndecim Lucas, sed plures scripsit fuisse. Istos autem Matthæus vndecim solos in Galilæâ conuenisse non siluit. Denique sic habes: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum, adorauerunt, quidam autem dubitauerunt*: Quibus docendi, & baptizandi tribuit potestatem. Vndecim quoque discumbentibus discipulis, & Marcus in fine apparuisse scribit, quando similiter prædicandi his per totum orbem mandat officium. Vnde hoc conuenientius arbitror; quòd Dominus quidem mandauerit discipulis, vt in Galilæâ se viderent; sed illis metu intra conclaue residentibus, primò se obtulisse; postea verò confirmatis animis, vndecim illos Galilæam petisse. Vel certè (hoc quoque diligentibus scriptoribus placuisse reperio) nihil obstat si dicamus, pauciores intra conclaue, in monte complures fuisse.

1. Cor. 15. v. 3.
Act. 1. v. 3.
Matth. 28. v. 16.

S. TITI BOSTRORVM EPISCOPI, *eiusdem Euang. expositio.*

THEODORO PALTANO S. I. Interprete.

D*Vm autem hæc loquerentur, stetit Iesus medio eorum*. Oculis eorum ab omni nube iam liberis, apparet illis Iesus; neque de se nunc loquitur tanquam de altero, sed seipsum manifestum exhibet, omnesque bono animo esse iubet. Illi autem præ admiratione vsque adeò exterriti & consternati sunt, vt pro Iesu spectrum aliquod, aut vmbram aliquam sese conspicari existimarent. Dominus autem eiusmodi cogitationum fluctus sedare volens, verbum consuetum & apud illos protritum mox depromit: ait enim: *Pax vobis*. Quò autem firmiter, citra illam hæsitationem, se illum ipsum esse credant, qui mortem perpessus fuerat, ostendit statim, se tanquam verum Deum (huic enim soli occulta cordium sensa patent) internam illorum conturbationem minimè ignorare.

Luc. 24. v. 36.

Quid, inquit, *turbati estis, & cogitationes* V. 38.

cor tuum? *Videte*, inquit, *manus meas & pedes* A
meos. Palpate & videte, quia spiritus ossa & car-
nem non habet, sicut me videtis habere. Hæc di-
cebat Veritas,& fallebat? Corpus erat, caro erat,
quod sepultum fuerat apparebat. Pereat dubi-
ratio, sequatur digna laudatio. Ostendit ergo
discipulis se. Quid est se? Caput Ecclesiæ suæ.
Ecclesia futura per mundum ab ipso præuideba-
tur, à discipulis nondum videbatur. Caput
ostendebat, corpus promittebat. Quid enim se-
quutus adiunxit? *Hæc sunt verba quæ locutus sum*
V. 44. *ad vos, dum adhuc essem vobiscum.* Quid est
hoc, *Dum adhuc essem vobiscum?* Nunquid non
tunc cum illis erat, cùm illis loquebatur? Quid
est, *Cùm adhuc essem vobiscum?* Vobiscum eram,
quando moriturus eram. Quid est, *vobiscum?*
Cum morituris moriturus. Modò iam non vo-
biscum, quia cum morituris, nunquam vlteriùs
moriturus. Hoc ergo dicebam vobis: Quid?
Cap. 5. *Quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt*
in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Dixi
V. 45. vobis, quia oportebat omnia impleri. *Tunc*
aperuit illis sensum. Veni ergo Domine, fac cla-
ues, aperi vt intelligamus. Ecce omnia dicis, &
non crederis. Putaris spiritus, tangeris, pulsa-
ris, & adhuc trepidant qui te tangunt. De Scri-
pturis admones, & adhuc non intelligunt. Clau-
sa sunt corda, aperi, & intra. Fecit, *Tunc aperuit*
illis sensum. Aperi Domine, & dubitanti de
Christo aperi cor. Aperi ei sensum, qui phantas-
ma fuisse credit Christum. *Tunc aperuit illis*
sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis.
V. 46. Quid? *Quoniam sic oportebat, quoniam sic scri-*
ptum est, & sic oportebat. Quid? *Christum pati,*
& resurgere à mortuis tertio die. Viderunt hoc,
viderunt patientem, viderunt pendentem, vi-
debant post resurrectionem præsentem viuen-
tem. Quid ergo non videbant? Corpus, id est,
Ecclesiam. Illum videbant, illam non videbant.
Sponsum videbant, sponsa adhuc latebat. Pro-
mittat & ipsam. *Sic scriptum est, & sic oporte-*
bat. Quid? *Christum pati, & resurgere à mortuis*
tertio die. Hoc sponsus est.
Cap. 6. Quid de sponsâ? *Et prædicari in nomine eius*
V. 47. *pœnitentiam, & remissionem peccatorum, per*
omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Hoc
nondum videbant discipuli: Ecclesiam per om-
nes gentes, incipientibus ab Hierusalem nondum
videbant. Caput videbant: & de corpore capiti
Christus ipse ab Apostolis visus, à nobis eius corpus. credebant. Per hoc quod videbant, quod non
videbant credebant. Similes illis sumus & nos.
Videmus aliquid quod ipsi non videbant, &
non videmus aliquid quod ipsi videbant. Quid
nos videmus quod ipsi non videbant? Ecclesiam
per omnes gentes. Quid non videmus quod ipsi
videbant? Christum in carne constitutum. Quo-
modò illi illum videbant, & de corpore crede-
bant: sic nos corpus videmus, de capite creda-
mus. Inuicem nos adiuuent visa nostra. Adiuuit
eos visus Christus vt futuram Ecclesiam crede-
rent, adiuuat nos visa Ecclesia vt Christum re-
surrexisse credamus. Impleta est fides illorum,
impletur & nostra. Impleta est illorum de capi-
te, impletur nostra de corpore. Totus Christus
& illis innotuit, & nobis innotuit. Sed totus ab
eis non est visus, nec à nobis totus est visus. Ab
eis caput est visum, corpus creditum. A nobis
corpus visum, caput creditum. Nulli tamen deest
Christus. In omnibus plenus est, & adhuc ei re-
stat corpus. Crediderunt ipsi, crediderunt per

illos Hierosolymitani multi. Credidit Iudæa,
credidit Samaria: Accedant membra, accedat
ædificium fundamenti. *Fundamentum enim ne-* 1. Cor. 3.
mo potest ponere, ait Apostolus, *nisi quod est po-* v. 11.
situm, quod est Christus Iesus. Insaniant Iudæi, Act. 7. v. 57.
impleantur zelo. Lapidetur Stephanus: seruet
lapidantium vestimenta Paulus, Saulus futurus
Paulus Apostolus. Occidatur Stephanus, per-
turbetur Ecclesia Hierosolymitana, discedant in-
de ligna ardentia, accedant & incendant. Ligna
enim quodammodò in Ecclesiâ Hierosolymita-
nâ ardebant Spiritu sancto, quando erat illis in Act. 4. v. 32.
Deum anima vna, & cor vnum. Lapidato Ste- Act. 8. v. 1.
B phano passa est illa congeries persecutionem,
sparsa sunt ligna, & accensus est mundus.
Denique hæc secutus furens Saulus ille accepit Cap. 7.
epistolas à Principibus Sacerdotum, & cœpit ire Act. 9. v. 1.
sæuiens, anhelans cædem, sitiens sanguinem vo-
decunque posset, quos posset vinctos trahere,
ad supplicium rapere, se diffuso sanguine satia-
re. Sed vbi Deus? Vbi Christus? Vbi Stephani
coronator? Vbi nisi in cœlo? Videat & Saulum,
irrideat sæuientem, clamet de cœlo: *Saule, Sau-*
le, quid me persequeris? Ego in cœlo sum, tu in
terrâ, & tamen persequeris me. Caput non tan-
gis, sed membra mea calcas. Sed quid facis,
quid proficis? *Durum tibi est contra stimulum*
calcitrare. Quantumcunque calces iuritas, te ve-
C xas. Pone ergo furorem, cape sanitatem. Pone
malum consilium, appete bonum auxilium. Vo-
ce illâ prostratus est. Quid est, *Prostratus?* Per-
secutor. Ecce victus est vnâ voce. Quid ibas?
quid sæuiebas? Quos quærebas, modò sequeris:
quos persequebaris, modò pro illis persecutio-
nem pateris. Surgit prædicator, qui prostratus est
persecutor. Audiuit Domini vocem. Excæcatus
est, sed in corpore, vt illuminaretur in corde.
Perductus ad Ananiam, de pluribus catechiza-
tus, baptizatus, processit Apostolus. Dic, præ-
dica. Prædica Christum, dissemina, ô bone aries;
iam dudum lupus. Vide illum, attende illum,
qui sæuiebat. *Mihi autem absit gloriari nisi in* Gal. 6. v. 14.
D *cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi*
mundus crucifixus est, & ego mundo. Funde E-
uangelium. Quod corde concepisti, ore disse-
mina. Audiant gentes, credant gentes. Pullu-
lent gentes, nascatur de sanguine Martyrum
sponsa Domino purpurata. Et ex illâ quàm mul-
ti accesserunt, quàm multa membra capiti cohæ-
serunt & cohærent nunc, & credunt. Et bapti-
zati sunt isti, & baptizabuntur alij. Et post nos
venient alteri. Tunc, inquam, in fine sæculi
accedent lapides fundamenti, lapides viui, lapi-
des sancti, vt in fine ædificetur totum ædificium
ab illâ Ecclesiâ, immò ab ipsâ Ecclesiâ, quæ mo-
dò cantat canticum nouum, dum domus ædifi-
E catur. Sic enim habet ipse Psalmus, *Quando do-* Psal. 95. v. 1.
mus ædificabatur post captiuitatem. Et quid? *Can-*
tate Domino canticum nouum, cantate Domino
omnis terra. Quàm magna domus. Sed quan-
do cantat canticum nouum? cùm ædificatur.
Quando dedicatur? In fine sæculi. Fundamen-
tum ipsius iam dedicatum est, quia ascendit in
cœlum, & non moritur: quando & nos surre-
xerimus, vt nunquam moriamur, tunc dedica-
bimur.

EIVSDEM IN EODEM

HOMIL. II.

Sermo 145. de temp. Cap. 1.

DE resurrectione Domini quod sequebatur in Euangelio secundum Lucam, bodie terminatum est, vbi audiuimus apparuisse Dominum in medio discipulorum suorum disceptantium de resurrectione eius, & non credentium. Tam verò inopinatum fuit & incredibile, vt nec videntes viderent. Videbant enim viuum, quem planxerant mortuum: videbant in mediu sui stantem, quem doluerant in cruce pendentem. Videbant ergo: & quia suis oculis non credebant, vt verum viderent, falli se putabant. *Æstimabant*, sicut audistis, *se spiritum videre*.

Luc. 24. v. 36.

Manichæi, carnem Christi negantes.

B Quod postea crediderunt de Christo pessimi hæretici, priùs hoc crediderunt titubantes Apostoli. Sunt enim hodie qui non credunt carnem habuisse Christum, quia & partum Virginis destruunt, & nolunt eum natum ex fœminâ credere. *Verbum caro factum est:* prorsus à suâ fide, vel potiùs à suâ infidelitate, totam istam dispensationem salutis nostræ, quòd factus est homo pro inueniendo homine, qui Deus fecerat hominem: totum hoc quod Christus in remissionem peccatorum nostrorum verum, non falsum sanguinem fudit, & de vero suo sanguine chirographum peccatorum nostrorum deleuit: hoc totum hæretici damnabiles euacuare conantur,

Ioan. 1. v. 14

Col. 2. v. 14.

C totum hoc Manichæi non credunt. Ecce loquitur & Euangelium, Stabat Dominus inter discipulos suos, nondum credentes quòd resurrexerat. Videbant eum, & putabant se spiritum videre. Si nihil mali est, credere Christum spiritum fuisse, non carnem: si nihil mali est, dimittantur in istâ opinione discipuli.

Cap. 2.

Attendite vt intelligatis quod volo dicere: Deus autem donet vt dicam, vt sic dicam, quomodò vos audire expedit. Ecce hoc ipsum repeto. Aliquando ipsi detestabiles carnem detestantes, & secundum carnem viuentes; aliquando hoc dicunt, & sic decipiunt. Qui melius credunt de Christo, illi qui dicunt quia carnem habuit: an nos qui dicimus, Deus erat spiritus, & oculis

D huminum non corpus, sed Deus apparebat? Quid est melius, caro, an spiritus? Quid responsuri sumus, nisi spiritum carne esse meliorem? Si ergo dicis, Confiteris quia spiritus melior est quàm caro. Melius ergo de spiritu sentio, qui eum spiritum fuisse dico, non carnem. O infelix error! Quare ego spiritum & carnem dico fuisse Christum? Tu dicis spiritum, ego spiritum & carnem. Non tu melius dicis, sed minus dicis. Audi ergo totum quod dico ego, id est, catholica fides, & quod dicit fundatissima fides, & serenissima veritas. Tu qui dicis spiritum tantùm fuisse Christum, quod est & spiritus noster, id est, anima

Catholica fides, fundatissima & serenissima veritas.

E nostra, hoc dicis tantùm fuisse Christum. Audi quid dicas. Dico quod dicas. Erat ipse spiritus ex eâ naturâ & substantiâ, vnde & noster est spiritus. Quantò minus dicas, attende. Erat ibi Verbum, tu dicis humanus spiritus solus. Ego dico Verbum, spiritus, corpus, Deus & homo. Si duo nolo dicere, isto vtor compendio, Deus & homo, & verus Deus, & verus homo. Sed de ipso homine si quæris à me, duo iterum dico, Anima humana, caro humana. Tu homo es propter animam & carnem: ille Christus propter

A Deum & hominem. Ecce quod dico. Sed tu meliùs te dicere putas, quia dicis, spiritus erat, spiritus apparebat, spiritus videbatur, spiritus in homine conuersabatur. Hoc dicis, boc dixi: hoc putabant & discipuli. Si nihil malum dicis, si bonum est quod dicis, bonum erat quod discipuli putabant. Si Dominus eos dimittit vt sic puteot, dimittendus es & tu. Hoc enim credebant quod & tu: si bonum est quod tu credis, bonum erat quod illi credebant. Sed non erat bonum.

Cap. 3. v. 36.

Terrenæ cogitationes in cor ascendunt, cœlestes, magis descendunt.

Ait illis Dominus: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor vestrum? Cogitationes istæ terrenæ sunt. Si enim cœlestes essent, descenderent in cor, non ascenderent. Quare enim dicitur nobis, *Sursum cor vestrum*, nisi vt terrenæ cogitationes non ante se inueniant cor

B nostrum, quod sursum posueramus? *Ergo quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas, & pedes meos: palpate & videte.* Parum est vobis attendere. Manus mittite, si parum est, attendite. Nec sufficiat attendere, palpate. Nec tangere solùm dixit: sed, Palpate & contrectate. Probent sibi manus vestræ, si mentiuntur oculi vestri: palpate & videte, oculos & manus habete. Quid palpate, & quid videte? *Quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Errabas cum discipulis, corrigere cum discipulis. Humanum est, concedo. Putatis spiritum Christum, hoc & Petrus, boc & cæteri qui spiritum

V. 37.

V. 38.

C putauerunt se videre: sed in isto errore non remanserunt, vt scias prorsus hoc fuisse in cordibus eorum. Medicus non dimisit, accessit, medicamentum adhibuit: vulnera in cordibus videbat, & vnde vulnera cordium curaret, in corpore cicatrices ferebat.

Cap. 4.

Sic ergo credamus, scio quia creditis sic: sed ne fortè in agro isto Domini sit herba mala, etiam eos alloquor quos non video. Nemo credat de Christo, nisi quod de se credi voluit Christus. Antequam nobis expedit, vt credamus quod credi de se voluit, qui nos redemit, qui salutem nostram quæsiuit, qui pro nobis sanguinem suum fudit, qui pro nobis quod nobis non debebatur, attulit: hoc credamus quod Christus est Filius

D Dei, Verbum Dei. Quid est Verbum Dei? Quod dicere non potest verbum hominis, hoc est Verbum Dei? Quæris à me, quid sit Verbum Dei? Si tibi vellem dicere quid sit verbum hominis, non explico, fatigor, hæsito, succumbo, non possum explicare vim verbi humani. Ecce antequam dicam vobis, quod volo dicere, iam verbum est in corde meo: nondum à me dictum est, & apud me est: dicitur à me, & peruenit ad te, & non recedit à me. Intenditis vt audiatis verbum à me, mentes vestras pasco, cùm loquor. Diuideretis inter vos cibum si afferrem ventribus, nec totus perueniret ad singulos. Sed quan-

Dei Verbum explicari non potest.

E tò plures estis, tantò in plura frustra quod ponerem diuideretis, & tantò minus quisque acciperet, quantò maior esset multitudo accipientium. Modò autem cibum attuli mentibus. Dico, Accipite, sumite, & comedite. Accepistis, comedistis, & non diuisistis. Quicquid loquor, & omnibus totum est, & singulis totum est. Ecce quomodò non potest satis explicari quantam vim habet hominis verbum, & dicitis mihi, Quid est Verbum Dei? Verbum Dei pascit Angelorum tot millia. Mente enim pascuntur, mente replentur. Implet Angelos, implet mundum, implet

implet Virginis vterum: nec ibi spatiatur, nec hîc angustatur. Quid est Verbum Dei? Ipse breuiter de se dicit: sed magnum est quod dicit, *Ego & Pater vnum sumus.* (Ioan. 10. v. 30.) Nolo murmures, verba appende. Quid ergo? Plura verba de vno Verbo non sufficiunt explicando Verbum. Ergo quod non potest explicari, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* (Ioan. 1. v. 14) Suscepit totum quasi plenum hominem, animam & corpus hominis. Et si aliquid scrupulosius vis, animam & carnem habet & pecus. Cùm dico animam humanam, & carnem humanam, totam animam humanam accepit. Fuerunt enim qui hinc hæresim facerent, & dicerent, quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem, sed Verbum Dei illi fuit pro mente, & pro intellectu, & pro ratione. (Apollinaristæ.) Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creauit: totum liberauit Verbum. (Assumptus totus homo, vt totus redimatur.) Vbi mens hominis & intellectus, ibi anima viuificans carnem. Caro vera & integra erat ibi, peccatum solum non erat ibi.

THEODORETI CYRI EPISCOPI, *de Inconfusibili.*

DIALOGO II.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Refert & Catena Corderij partim Theodorito, partim incerto auctori adscripta: sed valde perturbatè.

Sic ingressus est ianuis clausis, sicut exiuit ex vtero, cùm Virginis claustra consisterent, & sicut in mari ambulauit. Nam cùm discipuli suspicarentur se spiritum videre, suspicionem hanc Dominus remouit, & carnis naturam demonstrauit. *Quid enim,* inquit, *turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate me, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* (Luc. 24. v. 37.) Et vide quàm accuratè locutus sit. Non enim dixit, carnem & ossa esse, sed, carnem & ossa habere: vt ostenderet aliud quidem esse id quod habet secundùm naturam, aliud verò id quod D habetur. Sicut enim aliud est id quod assumpsit, aliud quod assumptum est; cùm tamen ex ambobus Christus consideretur: ita habens ab eo quod habetur plurimùm differt, nec tamen in duas personas diuidit eum, qui in his intelligitur. Cæterùm discipulis adhuc dubitantibus, Dominus & cibum petijt, & sumptum manducauit, cùm nec fallaci specie consumeret, nec corporis indigentiam expleret. Nam corpus immortale factum, cibo non egebat. De ijs namque qui resurgent Domini sententia est. *Illic neque vxores ducunt, neque nubunt, sed sunt sicut Angeli.* (Matth. 22. v. 30.) Quòd autem cibum sumpserit, testes sunt Apostoli. Nam beatus Lucas in Actuum proœmio dixit, Conuescentem cum Apostolis, præcepisse ab Hierosolymis ne discederent. (Act. 1. v. 4.) Diuinissimus verò Petrus clariùs, *Qui comedimus, & bibimus cum eo, postquam resurrexit à mortuis.* (Act. 10. v. 41. Hoc clarius quia vox prior συναλιζόμενος difficilior est.) Cùm enim eorum qui in humanis agunt proprium sit vt comedant, operæpretium Dominus carnis resurrectionem manducando atque bibendo, his, qui veram non existimabant, ostendit. Idem etiam in Lazaro, & in Jairi filiâ fecit. (Ioan. 12. v. 10. Luc. 8. v. 55.) Etenim cùm hanc suscitasset, iussit ei dari A cibum; & Lazarum secum discumbentem habebat, veram hinc astruens resurrectionem. At dicas, si verè Dominum comedisse dederimus, cunctos etiam ex mortuis rediuiuos cibum sumere concedamus. Enimuerò, quæ certâ consilij ratione à Domino facta sunt, haud regula, ac norma naturæ existunt. Nam & alia quædam dispensauit, quæ nullâ prorsus ratione ad vitam suscitatis euenient. Etenim, qui nihil mutila, atque integra omnium corpora sit suscitaturus (nec enim in resurgentibus claudus vllus, aut cæcus inuenietur) in suo tamen corpore clauorum foramina, & lateris vulnus reliquit: cuius rei tum ipse Dominus testis est, tum Thomæ manûs. (Ioan. 20. v.)

B S. PETRI CHRYSOLOGI

in superius Euang. De quintâ Christi manifestatione factâ discipulis, cùm Thomas abesset.

SERMO.

(Serm. 82.) Dvm rebellis Iudæa creatorem suum debellare contendit, & in auctoris sui necem leuat impias manus, terris abstulit pacem, concordiam rerum soluit, elementorum sic fœdus rupit, vt mundum totum ad chaos reuocaret antiquum: (Bellum Christi nece rebus conflatum.) denique diem fugat, noctem inuadit, lucem tenebris, cœlum rebus aufert; facit treme- C te terram, miscet mortuos viuis, inferos superósque confundit, & dissipato ordine, in creatoris iniuriam pacificum nil penitus, amicum penitus nil reliquit. Hinc est quòd reuersus ab inferis Christus, vt rebus pacem reddat, exclamat: *Pax vobis.* (Suscitatus pacem reddit.) *Dum hæc loquuntur,* inquit, *discipuli, Iesus stetit in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis.* (Luc. 24. v. 35.) Benè addidit *vobis*; quia iam terra steterat, dies redierat, sol recurrerat, & ordinem suum compago mundi redditum iam tenebat. Discipulis autem manebat adhuc bellum: & collidebat eos acriter fidei, perfidiæque conflictus: nam sic terram, sicut discipulorum corda turbo concusserat passionis: & ideo animos eo- D rum credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione vastabat: (Discipulorum adhuc turbati animi, ac pugna cogitationum.) insistebant mentibus eorum cogitationum cateruæ, & excursibus desperationis ac spei, robusta licèt pectora, rumpebantur. Inter miracula innumerosa signorum Christi, & multimoda passionis eius genera: inter deitatis insignia, & imbecilla carnis; inter damna, & dona vitæ, discipulorum sensus, mentésque ferebantur: nunc spiritus eorum tollebatur ad cœlum, nunc eorum animæ collidebantur in terram, & in intimis eorum tali procellâ sæuiente, portum quietis nullum, nullam stationem pacis poterant inuenire.

E Hoc videns scrutator pectorum Christus, qui iubet ventis, procellis imperat, & solo nutu tempestates tranquillitate commutat, mox eos suâ pace confirmat, dicens: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* (Suâ Christus pace confirmat.) Ego sum crucifixus ille, mortuus, sepultus. *Ego sum.* Per me Deus, per vos homo. *Ego sum.* Non spiritus in figurâ carnis, sed ipsa veritas in carne. *Ego sum.* Ego ex mortuis sum viuus: ex inferis sum superus. *Ego sum.* Quem mors fugit, inferna tremuerunt: tartarus Deum confessus est cùm pauescit. *Nolite timere.* Petre, quòd negaueris; quòd tu fugeris tu Ioannes, (Matth. 26. v. 70. Mar. 14. v. 51.)

ſent Hieruſalem, inuenerunt congregatos vnde- A
cim, & eos qui cum ipſis erant, dicentes: *Quia
ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Ac
deinde ſubiungit: *Et ipſi narrabant, quæ geſta
erant in viâ, & quomodò cognouerunt eum in
fractione panis.* Statimque annectit quintam
eius apparitionem, de quâ modò cùm legeretur
audiuimus, ita incipiens.

V. 35. *Dum hæc autem loquuntur, Ieſus ſtetit in me-
dio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego ſum noli-
te timere.* Vbi primò notandum, & diligenter
memoriæ commendandum eſt, quòd de ſe lo-
quentibus diſcipulis Dominus aſtare in medio,
& præſentiam ſuæ viſionis reuelare dignatus eſt.
Hoc eſt enim quod fidelibus cunctis alibi pro-
Matth. 18. v. 13. miſit, dicens: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati* B
in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ad con-
Adeſt Dominus de ſe loquentibus. firmandam namque fidei noſtræ conſtantiam,
quod ſemper agit præſentiâ diuinæ pietatis, ali-
quando etiam præſentiâ voluit corporalis oſten-
dere viſionis. Nam & de nobis quamuis porrò
infra Apoſtolorum pedes iacentibus hoc ipſum
eius miſericordiâ fieri confidere debemus, ipſum
videlicet eſſe in medio noſtri, quotieſcunque
conuenientes in nomine illius congregamur.
Nomen quippe illi Ieſus, id eſt, Saluator eſt. Et
cùm de acquiſitione perpetuæ ſalutis locuturi
conuenimus, conſtat nimirum quia in nomine
Ieſu congregamur. Nec dubitare fas eſt, de his C
quæ ipſe amat conferentibus nobis, eum eſſe
præſentem: & tantò vtique veriùs, quantò ea quæ
ore proferimus, perfectiori corde retinemus.

Deinde videndum, quòd apparens Saluator
diſcipulis pacis ſtatim eis gaudia mandat, id ip-
Pacem ſtatim mandat. ſum celebratâ immortalitatis gloriâ iterans, quod
ad paſſionem iturus mortis quaſi pignus eis ſpe-
ciale ſalutis accuratè commendauerat, dicens:
Ioan. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Cu-
ius gratiam muneris eo quoque nato viſi mox pa-
ſtoribus Angeli prædicabant laudantes Deum,
Luc. 2. v. 14. & dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ*
Tota eius in carne diſpenſatio, mundi reconciliatio. *pax hominibus bonæ voluntatis:* quia nimirum to- D
ta Redemptoris noſtri in carne diſpenſatio, mun-
di eſt reconciliatio. Ad hoc quippe incarnatus,
ad hoc paſſus, ad hoc eſt reſuſcitatus à mortuis,
vt nos qui peccando iram Dei incidimus, ipſe re-
conciliando ad Dei pacem reduceret. Vnde re-
Iſai. 9. v. 6. ctè & à Prophetâ *Pater futuri ſæculi, princeps pa-
cis* nominatur. Et Apoſtolus de eo ſcribēs his qui
ex Gentibus crediderant, ait: *Et veniens euange-*
Eph. 2. v. 17. *lizauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem his
qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum
ambo in vno Spiritu ad Patrem.*

V. 36. Apparente autem ſibi Domino, *Conturbati &
conterriti diſcipuli, exiſtimabant ſe ſpiritum vi-* E
dere. Agnoſcentes quidem Dominum eſſe qui
apparuit, ſed putantes quia non in corporis eum,
ſed in ſpiritus ſui ſubſtantiâ viderent: id eſt, quia
non corpus ipſius quod defunctum & ſepultum
nouerant, iam reſuſcitatum à morte conſpice-
rent, ſed ſpiritum potiùs quem relicto corpore
in manus Patris commendauerat, præ oculis ha-
berent. Sed hunc eorum errorem ſimul & pauo-
rem, quo ad nouam incognitámque viſionem
fuerant perculſi, benignâ magiſter piiſſimus gra-
tiâ conſolationis & admonitionis abſtergere cu-
rauit.

V. 37. *Quid*, inquiens, *turbati eſtis, & cogitationes
aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas &
pedes, quia ego ipſe ſum.* Non autem ſine causâ

A Paſchate.

A manus ſuas potiùs ac pedes, quàm vultum quem
æquè nouerant eos videre ac recognoſcere iubet,
ſed vt viſis clauorum ſignis quibus cruci erat af-
fixus, non ſolùm corpus eſſe quod videbant, ſed
& ipſum Domini ſui corpus quod crucifixum no-
uerant, intelligere poſſent. Vnde benè Ioannes
Dominicæ apparitionis memoriam faciens, la-
tus quoque ſuum, quod à milite fuerat vulnera- Ioan. 20.
tum, diſcipulis eum oſtendiſſe perhibet: vt quò v. 27.
plura notiſſimæ paſſionis ac ſuſceptæ mortis in-
dicia cognoſcerent, eò certiori patratæ iam re-
ſurrectionis, ac dirutæ mortis fide gauderent.
Qui vt illos per omnia de fide reſurrectionis cer-
tos redderet, non tantùm oculis intuendum, ſed
attrectandum quoque manibus corpus quod im-
B mortale illis oſtendebat, exhibuit, dicens: *Pal-
pate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non* V. 38.
habet, ſicut me videtis habere. Quatenus gloriam
reſurrectionis prædicaturi, modum quoque no-
bis reſuſcitati corporis qualis eſſet ſperandus,
abſque omni valerent ambiguitate monſtrare.
Vnde cum magnâ fiduciâ beatus Ioannes Apo-
ſtolus auditores ſuos ad ſequenda fidei & verita-
tis, quam didicit, arcana prouocat, dicens: *Quod* 1. Ioan. 1. v. 1.
*fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis
noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ con-
trectauerunt de verbo vitæ.*

Solent autem Gentiles hoc in loco ſimplicita-
C ti fidei noſtræ deceptionum laqueos tendere, di-
cendo: Quâ temeritate confiditis, quia Chri-
ſtus quem colitis, veſtra de puluere corpora poſ-
ſit incorrupta reducere, qui nec ſuorum vulne-
rum, quæ in cruce ſuſcepit, potuit cicatrices ob-
ducere: ſed reſuſcitato vt dicitis ſuo corpore à
mortuis, ſigna adhuc mortis in eſſe non celauit?
Quibus reſpondemus, quia Christus cùm omni-
potens ſit Deus, & noſtra vt promiſit corpora de
corruptione ad incorruptionem, de morte ad vi- Cur in Domini glorioſo corpore ſeruatæ cicatrices.
tam, de terræ puluere cœleſtem ſuſcitauit ad
gloriam, & ſuum quod moriendo exuerat cor-
pus, quale voluit reuocauit ad vitam. Quod cùm
D abolitis paſſionis indicijs, oſtendere diſcipulis
poſſet, certè vtique diſpenſationis gratiâ paſſio-
nis in eo maluit indicia reſeruare. Primò vide- 1.
licet vt diſcipuli, qui hæc videbant, manifeſtè
poſſent dignoſcere non ſpiritum ſine corpore,
ſed corpus eſſe ſpiritale quod videbant, certám-
que fidem peractæ reſurrectionis eius, certam
ſpem futuræ omnino hominum reſurrectionis
mundo prædicarent. Deinde vt ipſe Dominus 2.
& Deus noſter Ieſus Chriſtus qui in humilitate
Patrem interpellat pro nobis, oſtenſis vulnerum
ſuorum cicatricibus, quantum pro humanâ ſalu-
te laborauerit, ei perpetuò demonſtret, miró-
E que & ineffabili nobis ordine eum, qui nihil vn-
quam poteſt obliuiſci, qui ſemper miſereri pa-
ratus eſt, abſque intermiſſione admoneat, quàm
congruè hominibus miſereatur, quorum parti-
ceps naturæ, doloris, & paſſionis ipſe Dei Filius
effectus ſit, pro quibus ipſe confligens, mortis
imperium moriendo proſtrauit. Tertiò vt om-
nes electi perpetuâ beatitudine ſuſcepti, viden- 3.
tes in Deo ac Domino ſuo ſigna paſſionis, nun-
quam illi gratias agere deſiſtant, per cuius mor-
tem ſe viuere cognoſcunt, ſicque fieri valeat
quod voce totius Eccleſiæ canat Propheta in
Pſalmis: *Miſericordias Domini, in æternum* Pſal. 88. v. 1.
cantabo. Ad extremum vt etiam reprobi in iu-
dicio ſigna eiuſdem paſſionis aſpiciant, ſicut 4.
ſcriptum eſt: *Videbunt in quem transfixerunt;* Zach. 12. v. 10.

O ij

ac ſe iuſtiſſimè damnandos intelligant, non [A] ſolùm hi qui ei impias intulere manus, ſed & illi qui vel ſuſcepta eius myſteria pro nihilo contemnuot, vel ſibi oblata nuoquam ſuſcipere curaruot, vel etiam maiore impietate in eos qui ſuſceperuot, odiis ac perſecutionibus extinguere aut corrumpere laborant.

Non ergo fallit fides reſurrectionis Chriſti, noo decipit nos ſpes reſurrectionis noſtræ, quia Deus Pater & Dominom ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. Et ſicut alibi idem

[Rom 8. v. 11.]

Apoſtolus ait: *Quòd ſi Spiritus eius*, inquit, *qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Quod de electis ſpecialiter [B]

[1. Cor. 15. v. 51.]

dictum conſtat, quoniam *quidem omnes reſurgemus, non autem omnes immutabimur*: ſed ſoli qui nunc Spiritus ſancti inhabitatione reguntur, tuoc in æternæ vitæ beatitudine maiori eiuſdem Spiritus gratiâ ſubleuantur. Igitur Dominus ad confirmandam reſurrectionis fidem ſeipſum viuum diſcipulis præbuit, verba exhortationis attulit, veſtigia paſſionis non ſolùm intueoda, ſed & palpanda demonſtrauit. Sed infirma adhuc eorum præcordia nouitatem tantæ potentiæ capere oequeunt, magiſque mirari præ gaudio qood oocebantur iocipiunt. Verùm Dominus ne quid in eorum mente reſideret ambigui, ſumptis etiam [C] epulis, comedit eotam eis: vt ſi viſibus oculorum, ſi ſuorum tactibus non crederent digitorum, vel alimcotorum carnalium perceptiooe carnem

[Cherinti hæreſis, fore delicias ciborum in alterâ vitâ.]

eſſe quæ apparuit cognoſcerent. Quâ in re, fratres, cauenda eſt hæreſis ſtulta Cheriotianorum, ne quis videlicet pueriliter deſipiens æſtimet vel mediatoris Dei & Domini noſtri corpus excitatum à mortuis, ſuſtentaculo eguiſſe ciborum, vel noſtra poſt reſorrectionem corpora in vitâ & couerſatione ſpiritali eſcis reficienda carnalibus, vbi diuinæ cootemplatio claritatis eſurire & ſitire, ſicut & bonorum cæterorum penuriam pati oullatenus ſinit. Vnde ardentiſſimus vitæ illius amator de ſuâ certus deuotione, Deo ſpe [D]

[Pſal. 16. v. 15.]

lætabundus loquitur: *Ego autem cum iuſtitiâ apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor dum manifeſtabitur gloria tua.* Et Philippus eodem feruens

[Ioan. 14. v. 9.]

amore: *Domine*, ioquit, *oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*

Simpliciter itaque & piè ſentiendum eſt reſuſcitatum à morte, & immortale iam factum corpus Dominicum, nullam quidem neceſſitatem, attamen facultatem habuiſſe veſcendi: ideóque vbi opportunitas probandæ ſubſtantiæ naturalis exigebat cibis eſſe refectum, qui nimirum cibi nullum ſaginæ adiumentum vt mortalium corporibus ſolent illi præboerint, ſed quomodò io [E] ignem miſſa aqua, ita mox comeſti ſpiritali eius ſint virtute abſumpti. Sed & noſtra poſt reſurrectionem corpora cœleſti gloriâ prædita, cre-

[Corpora noſtra poſt reſurrectionem agilia, &c.]

dendom eſt ad quicquid voluerint agendum eſſe potentia, ad perueniendum vbicunque libuerit eſſe promptiſſima: ſed quia tunc nulla manducandi neceſſitas vel vtilitas aliunde poteſt incurrere, nullatenus immortale ſæculum cibis mortalibus eſſe fruiturum, vbi filijs reſurrectionis ooo aliud eſca & potus, quàm vita & ſalus, gaudium, pax, & omnia bona; quàm illud nimirum ſit, quod in Pſalmo canitur: *Beati qui habitant*

[Pſal. 83. v. 5.]

in domo tuâ Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et iterum: *Videbitur Deus deorum in*

[Ibid. v. 8.]

Sion. Vnde & Apoſtolus illius ſæculi arcana ſcribens, ait: *Quando erit Deus omnia in omnibus.* [1. Cor. 15. v. 28.]

Expletâ autem refectiooe Dominus adhuc exhortatioois monita ſubiunxit, dicens: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum.* [V. 44.] Id eſt, cum mortali adhuc & paſſibili carne veſtri eſſem ſimilis. *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Omnem magiſter veritatis tollit ſcrupulum ſimulationis, vndique veritatis iura confirmat. Videtur, palpatur, reficitur, ſermo exhortationis per ſingula præbetur; & ne ſolum eius teſtimonium minus ſufficere putaretur, etiam Moyſi & Prophetarum [B] auctoritas, qui eius incarnationem, paſſionem, & reſurrectionem ſuis præſignauerunt ſcriptis, ad medium producitur. Ne verò ad iotelligenda horum myſtica dicta, tardi fortè remanerent, ſeorſum quoque illis quo hæc iotelligere poſſeot, aperuit: Quo facto nihil vltra priſcæ dubietatis in eorum mente reſidere permiſit, nec tamen illis adhuc rationem paſſioois, ac reſurrectionis ſuæ reddere deſiſtit. Nam ſequitur.

Et dixit illis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertiâ: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. [V. 45.] Ideo autem Chriſtum pati & reſurgere o- [C] portebat à mortuis, quia impoſſibile erat mundum ſaluari niſi Deus homo veniret qui in hominis habitu apparens, & homioes quæ eſſeot diuioa inſtrueret, & mortem vt homo ſuſcipiens

[Vt Chriſtum pati neceſſe fuerit.]

diuinâ virtute reuinceret, ſicqoe in ſe credentes, & ad contemptum ſubeuodæ mortis accenderet, & certitudine ſperandæ reſurrectionis ac vitæ perpetis animaret. Quo enim aptiùs exemplo poterant homines ad fidem participandæ gloriæ & promerendæ vitæ immortalis erigi, quàm cùm ipſum Deum cognoſcerent humanitatis ac mortalitatis ſuæ factum participem? Quo efficaciùs ordine ad toleraoda pro ſuâ ſalute aduer- [D] ſa quæque prouocarentur, quàm cùm auctorem ſuum didiciſſent pro eorum ſalute innumera ab impijs genera probrorum, & ipſam mortis ſubiſſe ſenteotiam? Quâ ratione congruentiùs ſpem reſurrectionis acciperent, quàm cùm eius ſe ſacramentis ablutos, & ſanctificatos, eius corpori adunatos eſſe meminiſſent, qui pro ipſis morte guſtatâ, citiùs exemplum reſurgendi à morte præberet? *Oportebat* itaque *pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis die tertia: & prædicari*, inqoit, *in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem in omnes gentes.* Qui nimirum ordo erat neceſſarius, vt priùs pro ſalute mundi ſanguis funderetur [E] Chriſti, póſtqoe per eius reſurrectionem & aſcenſionem pateſieret hominibus cœleſtis ianua regni, ſic demum mittereotur, qui cunctis per orbem nationibus verbum vitæ prædicarent, ac ſacramenta fidei, quibus ſaluari, atque ad gaudia ſupernæ patriæ poſſent attingere miniſtrarent, cooperante ipſo mediatore Dei & hominum homine Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum: Amen.

S. BRVNONIS EPISCOPI SIgniensis, superioris Euang. expositio.

Luc. 24. v. 35.

LOquebantur discipuli de Iesu, & ea quæ viderant in communia referebant, cùm statim ipse adfuit, & suâ eos præsentiâ reddidit certiores. Semper enim in medio illorum est Iesus, qui piè loquuntur de eo, & qui congregantur in nomine eius. Vnde ipse ait, *Vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Pacem autem eis commendat, pacem eos habere persuadet, quia sine pace impossibile est placere Deo. In eis enim habitat Dominus, qui pacem, & concordiam diligunt. Vnde Psalmista, *Et factus est*, inquit, *in pace locus eius.* Sequitur: *Ego sum, nolite timere. Ego*, inquit, *sum*: cognoscite vocem meam: non in spiritu, vt putatis, sed corporaliter me videtis. *Conturbati enim, & conterriti*, non ipsum Dominum quem videbant, sed *spiritum se videre putabant.*

Iesus vbique in medio piè loquentium de ipso.

Matth. 18. v. 20.

Psal. 75. v. 3.

V. 37.

Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra. Nihil est quod cogitetis: quia non phantasticum aliquid, sed veritatem videtis. Et protinus eis manus, & pedes ostendens, ait,

V. 38.

Videte manus meas, & pedes, quia ipse ego sum. Cognoscite vel vulnerum cicatrices, si me nec in personâ, nec in voce cognoscitis. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ideo enim suorum vulnerum cicatrices Dominus reseruauit, vt in eis discipulorum suorum corda sanaret: & in seipso ostendendo vulnera carnis, sanaret in eis vulnera mentis. Sciebat enim quòd Apostolus Thomas aliquando dicturus esset, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Propter hoc igitur cicatrices delere noluit, quas si voluisset, omnimodò delere potuisset. Nemo autem hinc argumentando, nos cum omnibus nostri corporis cicatricibus resurgere arbitretur: quoniam nihil in Sanctorum resurget corporibus, quod inconueniens vel indecens videatur.

Relictæ in Domini corpore cicatrices ad fidem resurrectionis.

Ioan. 20. v. 25.

Non item futuræ in beatorum corporibus.

V. 41.

Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Hoc igitur offeramus & nos, semper hæc oblatio inueniatur in nobis. Hoc enim cibo ipse delectatur, quia in hoc cibo nostra fides continetur. In quo Christi passio, & resurrectio; in quo & vitæ nostræ perfecta forma significantur. Quia enim & de ipsius passione dolemus, & iterum de eiusdem resurrectione gaudemus, vtique offerimus ei & piscem assum pro passione, & fauum mellis pro resurrectione. Nam & beatus Paulus piscem assum ei offerebat, cùm diceret, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Itémque, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Multum enim ille piscis assatur, qui pro omnibus vritur. Omnes enim pisces sumus, quicunque in baptismo natauimus. Offerimus autem & Domino fauum mellis, quando eius amoris dulcedine pleni, simul cum Psalmistâ dicimus: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum ori meo!* Hoc enim cibo nobiscum reficitur Iesus, quo & ipse delectatur,

Piscis assus, & fauus mellis, pro Christi passione & resurrectione, nostrâque & mortificatione, & spiritali dulcedine.

1. Cor. 9. v. 27.

2. Cor. 11. v. 29.

Psal. 118. v. 103.

A Paschate.

A & mentes nostræ pinguescunt. Vnde & subditur.

V. 43.

Et cùm manducasset coràm eis, sumens reliquias dedit eis. Christi namque reliquias sumimus, si eum imitamur, & eius sermonem. Eius namque reliquiæ sunt hæc Euangelia, quæ ad comedendum, & agendum ipse nobis reliquit. His enim mens nutritur, reficitur anima, pinguescit intellectus. Vnde & subditur.

Christi reliquiæ, exempla & Scripturæ.

V. 44.

Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, &c. Dedit igitur eis reliquias, dedit & dentes quibus eas comedere possunt. Has enim comedere nequeunt, quibus sensus diuinitùs non aperitur. *Et dixit eis, Quoniam sic scriptum est.* Quod vos quidem, quia vsque nunc Scripturas non intelligebatis, B sicut scriptum est, esse nesciebatis.

V. 48.

Vos autem estis testes horum. Vobis prædicantibus testantibus, vbi hæc omnia firmabuntur.

V. 49.

Ioel 2. v. 28.

Et ego mittam promissum Patris mei in vos. De quo Propheta: *Erit*, inquit, *in diebus illis, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Nemo igitur ab Ecclesiâ recedat, quicunque hac virtute indui desiderat. Hæc enim virtus nulli datur qui extra hanc ciuitatem inuenitur. Vnde & sacri canones negant hæreticos dare posse Spiritum sanctum. Ideóque à Catholicis consignari præcipiunt, qui ab eis baptizati sunt.

Non datur ab hæreticis Spiritus sanctus.

C

THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. superioris Euang. expositio.

Luc. 24. v. 35.

D*Vm hæc loquuntur, stetit Iesus ipse in medio eorum, &c.* Dominus propter salutem nostram omnia faciens, stat in medio discipulorum, volens illis resurrectionem credibiliorem fieri, & primùm solitâ pacis imprecatione perturbationem illorum sedat. Et iterum ostendit, quòd ipse sit ille illorum Magister, qui ita alloqui gaudeat, & eos ad prædicationem mittens, animet. Verùm quia animarum illorum perturbatio verbis non sedatur, monstrat eis etiam aliunde D Filium Dei se esse, corda agnoscendo eorum. *Quare*, inquit, *cogitationes ascendunt in corda vestra?* Etenim in confesso est, solius Dei esse cognoscere corda. Subijcit autem & aliud argumentum, palpationem manuum & pedum eius. Vos enim, inquit, spiritum putatis me esse, vel phantasma, qualia multa circa mortuorum sepulchra apparere solent: sed scitis quòd spiritus quidem neque carnem neque ossa habet: ego autem ossa & carnem habeo, tametsi spiritualem & diuiniorem. Domini enim corpus, spiritus quidem non erat, sed spirituale, hoc est, absque omni crassitudine à spiritu gubernatum. Etenim corpus quod nunc habemus animale est, hoc est, ab animâ regitur, & à naturalibus & animalibus qualitatibus, ac viribus viuificatur. Quod autem E post resurrectionem habebimus, spirituale nominauit Paulus, hoc est, quod à diuino Spiritu viuificetur & gubernetur, modóque indicibili & spirituali ad incorruptionem alteratum sit, & in eâ conseruatum. Tale igitur oportet intelligere Domini corpus post resurrectionem, spirituale, & subtile, & alienum ab omni ineptitudine, neque cibi neque alterius cuiusquam indigens, quamuis ad confirmationem illorum comederit. Quod enim comedit, non secundum naturam comedit, sed secundum dispensationem, ad docendum, quod illud ipsum corpus

Domini solita salutatio, vt pacem imprecaretur.

V. 37.

Secreta cordium deregit.

Palpandas offert manus & pedes.

Eius corpus spiritale; nostrum modo, animale.

1. Cor. 15. v. 44.

Comedit quadam dispensatione.

quod passum est, surrexerit. Naturale autem A huic corpori erat clausis ianuis ingredi, & absque labore è loco in locum transire. Itaque, cùm discipuli adhuc non crederent, neque per palpationem persuaderentur, addit & aliud indicium, comedens. diuinâ quadam virtute consumendo quod edebat. Omnis enim cibus naturâ per os sumptus, ad secessum vadit: verùm hæc non naturaliter, sed (vt diximus) secundum dispensationem comedit.

Pars piscis assi, natura humana.

Habet autem ænigma quoddam, quòd partem piscis comederit: significat enim quòd naturam nostram, quæ in salsuginoso hoc mari natat, igni suæ deitatis assarit, & exsiccarit omnem humo- B rem quem ex profundis fluctibus habebat, vt fieret diuinus cibus; & quæ priùs erat abominabilis, fieret nunc dulcis Deo. Vel (vt opinor) significat per piscem assatum, actiuam vitam, quæ tollit nostram humiditatem, & ineptitudinem auxilio *carbonum solitariorum*, & quietem amplexantium: per fauum autem apiarium, scientiam vel contemplationem: siquidem dulcia eloquia Dei. Est & alius fauus agrestior, nempè Gentilium sapientia: hic autem est apiarius fauus, diuina, inquam, sapientia: siquidem Christus parua apis est magnitudine. Abbreuia- C tum enim est Verbum, & infirmum robore. *Non* enim *in virtute sermonis* Paulus prædicat, *vt ne crucem enacuet*: verumtamen regibus & idiotis est amabilis, afferens labores suos in sanitatem animarum.

Item, vita actiua. *Psal. 119. v. 4.* Fauus mellis, contemplatiua. *Psal. 18. v. 11* Mel siluestre & domesticum, profana sapientia & sacra. *Eccl. 11. v. 3.* *Rom. 9 v. 28* *1. Cor. 1. v 17.* *V. 45.*

Tunc aperuit mentem illorum, vt intelligerent Scripturas, &c. Postquam corda illorum pacificauit, & dubitationem loquendo, palpabilémque se exhibendo, ac comedendo sedauit, confirmatâ veritate resurrectionis corporis sui, tunc aperuit illorum mentem ad intelligendum Scripturas. Nisi enim quieta fuisset illorum anima, D quomodò in tantâ turbatione & inquietudine cognouissent? *Vacate* enim, inquit, *& cognoscite.* Idcirco & docet eos quòd *necessarium fuerit Christum sic pati.* Quomodò sic? per lignum crucis. Quia enim per lignum interitus, ideo necessarium fuit per lignum corruptionem tolli: & A aboleri voluptates, quæ in ligno, per dolores quos in ligno pertulit inuictus Dominus. *Et deinde resurgere*, inquit, *tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* De baptismo autem hoc loco dicit. Nam & in eo pœnitentia fit per confessionem, & depositionem pristinorum malorum & impietatum, & simul comitatur remissio peccatorum.

Psal. 45. v. 11. Sic pati oportebat, id est, per lignum, ac crucifigi.

In baptismo pœnitentia.

Quomodò autem baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cùm aliàs doceamur baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Igitur primùm quidem dici- B mus, quòd quando dicimus baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quòd oporteat in solius Christi nomine fieri: sed quòd Christi baptisma, quo Christus baptizatus est, spirituale sit, non Iudaicum: neque quale Ioannis in pœnitentiam solùm, sed & communionem Spiritus sancti, & remissionem peccatorum conferat: vt ipse nobis ostendit cùm nostri causâ baptizaretur in Iordane, monstrato in columbæ specie Spiritu sancto. Insuper baptisma in nomine Christi, intellige in morte Christi. Nam sicut ille mortuus triduanus resurrexit, ita & nos fi- C guraliter in aquâ sepulti, incorruptibilitatem animæ induimus, & arrhabonem incorruptibilitatis corporis accipimus. Et aliter: Christi nomen in seipso continet, & Patrem inungentem, & vnctionem Spiritum, & vnctum Filium. In nomine Domini remissio peccatorum. Vbi igitur fœtulentæ linguæ baptizantium in Montanum, & Priscillam, & Maximillam? Verè nulla ijs, qui sic baptizantur, remissio, sed peccatorum augmentatio est: & hi quidem malè peribunt. In omnes autem Gentes sermo exiuit, à Hierusalem sumpto initio. Oportebat enim hu- D manam naturam, quæ tota in Christo vnita est, & assumpta non vltrà in duas dirimi sectiones, Iudæorum, & Gentilium: sed incipere sermonem à Hierusalem, & in Gentibus requiescere: vnitis generibus.

Baptisma vt in nomine Christi.

Matth. 3. v. 16. *Ioan. 1. v. 32.*

Sancti Ambrosij expositio, secundæ primæ, & secundæ adhære.

FERIA IV. POST PASCHA.

IOAN. XXI.



N illo tempore: Manifestauit se iterum Iesus discipulis suis
a Idem est quod mare Galilææ & stagnum Genesareth.
ad a mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Na-
b Ioannes & Iacobus maior.
thanaël qui erat à Canâ Galilææ, & filij b Zebedæi, & alij ex
c Quorum nomina tacentur.
discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illâ nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dicit
c Et ideo sciet nobis prouidere.
ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. c Di-
d Id est, prædicationem ad colligendos solos dexteros.
cit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. d Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo Discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est,
e Fide Ecclesiæ. f Ex dilectione, in fluctus sæculi.
e tunicâ succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in f mare. Alij autem discipuli

g Id est, in Ecclesiâ fluctus mundi calcantes.
g nauigio venerunt: Non enim longè erant à terrâ, sed quasi cubitis ducentis, tra-
h Quibus significatur calor charitatis.
hentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt h prunas positas, &
¶ Fidem. i Prunas. k Verbum Dei. ¶ Scilicet viderunt, non super prunas.
piscem i super positum, & k panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos
l Dum his qui in fluctibus sæculi sunt stabilitatem æternitatis ostendit. m Id est, litus, quod est finis mundi
prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & l traxit rete in m terram plenum magnis
n Numero & quantitate.
piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm n tanti essent, non est scissum rete.
o Tanta erat euidentia veritatis, quòd Iesus erat, vt nullus eorum auderet non solum negare, sed nec dubitare, & ideo nec interrogare
Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et o nemo audebat discumbentium interrogare:
Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat
p Quantum ad dies: non ad apparitionum numerum.
eis, & piscem similiter. p Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm
surrexisset à mortuis.

GLOSSA ORDINARIA
in Superius Euang.

Ioan. 21. v. 1. August. hoc loco. POSTEA *manifestauit.* Relictis omnibus sequuti fuerunt Iesum. Quòd si post mortem Iesu antequam redderetur eis viuus, repetissent priorem artem, possent videri ex desperatione hoc fecisse: sed post redditum viuum, post acceptum eius insufflationis Spiritum, post verba eius, *Sicut misit me Pater, & ergo mitto vos,* Ioan. 20. v. 21. subitò fiunt quod fuerunt: piscatores, non hominum, sed piscium. Sed sciendum est non prohibitos fuisse suâ arte licitâ victum quærere Apostolatus integritate seruatâ, cùm vnde viuerent non haberent: & sic illis laborantibus adiecit Deus necessaria, quæ promisit: hîc autem penuriâ eorum dispositum est, vt in piscatione tanta exhiberentur sacramenta.

V. 3. Nox legis, mane Christi aduentus. *Et illâ nocte.* Nox ante aduentum Christi, in quâ nullus ad perfectionem per legem venit. Mane aduentus stetit iam post resurrectionem extra fluctus in solido, nec primò agnoscitur. In hac narratione magnum est sacramentum, & vt vehementiùs commendaretur vltimo loco est scriptum. Quòd septem fuerunt in piscatione discipuli, significat finem temporis, quod septem diebus voluitur. Littus etiam quia est finis maris, significat finem sæculi, in quo Petrus rete extraxit in initio prædicationis Christi. Est Luc. 5. v. 3. August. hîc. Piscatio duplex, ac quorum figura. alia piscatio hîc, alia post resurrectionem. Ibi & boni, & mali capti sunt, sicut nunc habet Ecclesia: hîc tantùm boni, qui erunt in æternum, impletâ in fine resurrectione mortuorum. Ibi Iesus non stat in littore, sicut hîc, sed ascendit in nauem Simonis. Ibi pisces in nauiculis, hîc rete in terrâ. Ibi ergo Ecclesia in hoc sæculo, hîc in fine sæculi. Ibi vocati, hîc resuscitati. Ibi retia non solùm in dexterâ, vel in sinistrâ, ne soli boni, vel soli mali, sed indifferenter, vt permixti habeantur boni, & mali: hîc in dexterâ, vt soli boni. Ibi rumpitur rete per schismata, hîc in summâ pace Sanctorum non est scissum. Ibi tanta multitudo quæ naues mergit, id est, in submersionem premit; non enim sunt mersæ: hîc non valent trahere à multitudine piscium, vt in nauem captos refunderent, sicut ibi: quia hi qui pertinent ad resurrectionem vitæ, sunt post finem huius vitæ in somno pacis velut in profundo latentes: nec apparebunt, nisi cùm in littore, id est, in fine sæculi resurrexerint. Quod ibi figuratur duabus nauiculis propter circumcisionem,

A & præputium: hoc isto loco ducentis cubitis Prima captura sine numero; centus secundæ numerus. propter electos vtriusque generis, quasi centum, & centum: quia hic numerus ad dexteram transit. Ibi non exprimitur numerus, quia multiplicati super numerum; hîc est certus numerus 153. Psal. 39. v. 6. Decem legem significat, quæ occidit: septem Spiritum, qui viuificat. Accedat ergo Spiritus Eius mysterium. ad legem, vt impleatur: id est, septenarius ad 2. Cor. 3. v. 6. denarium, & fiunt decem, & septem, qui numerus ab vno ad seipsum computatis omnibus crescens ad 153. peruenit, quo signantur omnes ad gratiam Spiritus pertinentes, quâ gratiâ cum lege Dei tanquam cum aduersario concordantur, vt viuificante Spiritu litera non occidat, sed compleatur: & si quid minus sit, remittatur. Hic numerus habet 150. & insuper tres, propter myste-
B rium Trinitatis. Quinquaginta autem fiunt 7. multiplicatis per septem, & ex adiectione vnius. Vno significantur esse vnum qui demonstrantur per septem propter operationem septenariam: & eo die missus est Apostolis Spiritus. In primâ capturâ, quæ est præsentis Ecclesiæ, magni sunt, & parui: in illo regno nulli nisi magni.

Venite. Hîc dicitur manducasse Iesus cum pisce panem. V. 12. In alio Euangelio cum pisce fauum mellis. Piscis assus, Christus passus. Piscis, quia Luc 24. v. 42. latuit in aquis humani generis, captus laqueo mortis. In fauo mellis notatur dulcedo diuinita- Piscis assus, & fauus mellis.
C tis, vel vtraque natura Christi: quia fauus est mel in cerâ, id est, diuinitas in humanitate. Idem Panis. significat panis, vnde: *Ego sum panis, qui de cælo descendi.* Ioa. 6. v. 51. Christus ergo piscis assus in passione: Fauus, vel panis in resurrectione. Comedit autem piscem assum, vel panem, vt suo cibo nobis ostenderet, quia & passionem ex nostrâ humilitate pertulit, & resurrectionem nostram ex suâ diuinitate procurauit. Hîc vltimum conuiuium Christi conuiuium vltimum. cum septem discipulis habuit, innuens illos solos secum futuros in æternâ refectione, qui septiformi Spiritusancto pleni in amorem eius anhelant. Prandium fecit illis septem de pisce, quem viderunt
D super prunas, & de pane, addens & de piscibus quos eo iubente attulerunt. Piscis assus, Christus est passus. Ipse etiam panis qui de cœlo descendit. Huic comparatur Ecclesia ad participandam beatitudinem, quæ per pisces designatur. Eadem etiam per septem discipulos signatur, quæ cum eo in æternum epulatur.

Hoc iam. Non quòd ter tantùm manifestatus sit, V. 14. Tertia manifestatio, die tertio facta. sed ad dies refert: primo die quo resurrexit, post octo dies, hoc die quando hoc fecit de piscibus. Secundum dies ergo manifestationes numerantur. Prima, quotiescunque sit facta, vno

die resutrectionis. Secunda, post octo dies: & A hæc est tettia. In hac tertiâ manifestatione hoc Euangelium terminatur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Ioan. 21. v. 1. Tract. 122. in Ioan. AVGVST. Quod immediatè Euangelista præmiserat, velun huius libri iodicat finem: sed narratur hîc deinde, quemadmodum se manifestauerit Dominus ad mare Tiberiadis, vnde dicitur, *Postea manifestauit, &c.*

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Dicit autem *Postea*, quia non continuè cum eis ambulabat, vt antea. Dicit etiam, *Manifestauit se*; quia non videretur nisi condescendetet, quia incorruptibile erat corpus. Loct autem meminit, ostendens quoniam plurimum timoris eis Dominus abstulerat, vt de reliquo ipsi longè à domo procedant. Non enim vltra in domo conclusi etant, sed in Galilæam ietant, peticulum declinantes Iudaïcum.

BED. Mote autem solito Euangelista priùs retulit causam; deinde quemadmodum res gesta sit, enattat: vnde sequitur, *Manifestauit autem sic.*

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Quia verò neque Dominus cum eis continuè etat, neque Spiritus datus erat: neque aliquid tunc erat eis commissum, neque aliquid habebant agere, artem piscatotiam tractabant: vnde sequitur, *Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Themas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Canâ Galilea*, qui scilicet vocatus est à Philippo; *& filij Zebedai*, scilicet Iacobus & Ioannes, *& alij ex discipulis eius duo Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari.*

Hom. 24. in Euangel. GREG. in hom. Quæri potest cur Petrus qui piscator ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem rediit, cùm Veritas dicat: Luc. 9. v. 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei?*

Tract. 122. in Ioan. AVG. Quod si fecissent discipuli defuncto Iesu, priusquam resurrexisset à mortuis, putaremus eos illâ, quæ animos eorum occuparat, desperatione fecisse. Nunc verò post eum sibi de sepulchro redditum viuum: post inspecta vulnerum loca, post acceptum eius insufflatione Spiritum sanctum, subitò fiuot (sicut fuerant) non hominum, sed piscium piscatores. Respondendum est ergo non eos fuisse prohibitos ex arte suâ licitâ victum necessarium quærere, sui Apostolatus integritate seruatâ; si quando vnde viuerent, aliud non haberent. Si enim beatus Paulus eâ potestate, quam profectò cum cæteris Euangelij prædicatoribus habebat, non cum cæteris vteretur, sed stipendio suo militaret, ne Gentes à nomine Christi penitus alienas, doctrina eius quasi venalis offenderet; aliter educatus, artem quam non nouerat, didicit; vt dum suis manibus transigitur doctor, nullus grauaretur auditor. Quantò magis beatus Petrus, qui iam piscator fuerat, quod nouerat, fecit, si ad præsens illud tempus aliud vnde viueret non inuenit. Sed respondebit quispiam; Et cur non inuenit, cùm Dominus promiserit, dicens, Matth. 6. v. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.* Prorsus etiam Dominus quod promisit, impleuit: nam quis alius pisces qui caperentur, apposuit, qui non ob aliud credendus est eis ingessisse penuriam quâ cogerentur ire in piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum?

Hom. 24. in Euang. GREG. in hom. Negotium ergo quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit: vnde post conuersionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus verò ad telonij negotium non resedit. Sunt enim pleráque negotia quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non reuertat.

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Alij autem discipuli sequebantur Petrum. Vnde dicitur, *Dicunt ei, Venimus & nos tecum.* Colligati enim de reliquo sibiinuicem erant; & simul volebant piscationem vide- B re. Sequitur, *Et exierunt, & ascenderunt in nauim.* In nocte autem piscabantur, quia adhuc formidolosi erant.

Hom. 24. in Euang. GREG. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, vt veniente Magistro fieret admirationis magna sublimitas. Vnde sequitur, *Et illa nocte nihil prendiderunt.*

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Laborantibus autem & afflictis discipulis assistit Iesus. Vnde sequitur, *Mane autem facto, &c.* Non enim seipsum mox eis ostendit; sed voluit & allocutionem cum eis inire. Et primò loquitur eis humaniùs: nam sequitur, *Dicit eis Iesus, Pueri, nunquid pulmentarium habetis.* Hoc autem dicit, quasi ab eis aliquid emere C vellet: vt autem timuerunt, eis signum ostendit per quod cognoscerent. Sequitur enim, *Dixit eis, Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Multa autem consequenter facta sunt: quorum primum est multos pisces esse comprehensos. Vnde sequitur, *Miserunt ergo rete, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Sed in Christi cognitione Petrus & Ioannes suos proprios modos ostenderunt. Proprios characteres. Ioannes enim perspicacior erat, & ideo primò cognouit Christum, Vnde sequitur, *Dicit ergo Discipulus ille, &c.*

BED. Hoc indicio (sicut sæpe, ita & hîc) suam demonstrat personam. Cognouit autem D primus Dominum siue miraculo istius piscationis, siue sono præcognitæ vocis, siue primæ reminisceos piscationis.

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Petrus autem feruentior erat, & ideo promptiùs venit ad Christum. Sequitur enim: *Simon Petrus cùm audisset, &c.*

BED. Dicitur autem Petrus nudus fuisse ad comparationem cæterorum vestimentorum quibus vti solebat; sicut solemus dicere, cùm aliquem simplici vestimento videmus indutum, Quare nudus incedis? Siue potest intelligi quòd more piscatorum studio piscandi nudus incesserit.

In hoc loco. E THEOPH. Quòd verò se præcinxit Petrus, pudoris est signum: præcinxit autem se lineo amictu, quem Phœnices & Tyrij piscatores circunuoluunt sibi; & siue nudi sint, siue vestiti, etiam cæteris indumentis apponunt.

BED. Eodem autem ardore, quo & multa alia fecerat, venit ad Iesum. Vnde sequitur, *Et misit se in mare: Alij autem discipuli naui venerunt.* Non tamen intelligendum est, Petrum super fluctus venisse; sed aut natando, aut pedibus propriis, quia erant prope terram. Sequitur enim, *Non longè enim erant, &c.*

GLOS. Interpositio est: sequitur enim, *Tra-*

hentes rete piscium, vt sit ordo literæ: *Alij discipuli nanigio venerunt trahentes rete piscium: Non longe enim*, &c. A

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Deinde aliud signum ponitur, cùm subditur, *Vt ergo descenderunt*, &c. Non enim adhuc ex materiâ præsuppositâ operatur; sed ad id quod est mirabilius ducit signa, ostendens, quoniam & ex subiectâ materiâ ante crucem miracula faciebat propter quandam dispositionem.

ἀνάγει τὰ σημεῖα προιοῦσιν.

Tract. 123. in Ioan.

AVG. Non est autem hîc intelligendum & panem fuisse prunis superpositum; sed quasi diceret, Viderunt prunas positas, & piscem superpositum prunis; & viderunt panem.

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Vt autem ostenderet non esse phantasma quod factum est, iubet ex piscibus ab eis captis afferri. Sequitur enim, *Dicit ei Iesus: Afferte ex piscibus quos prendidistis nunc.* Deinde & aliud signum fuit, quòd ex multitudine piscium rete non est scissum. Vnde sequitur: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete ad terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti*, &c. B

Tract. 122. in Ioan.

AVG. Mysticè autem in capturâ piscium commendauit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in vltimâ resurrectione mortuorum. Et ad hoc commendandum valet, quòd tanquam finis est interpositus libri, quod esset etiam secuturæ narrationis quasi procemium. Quòd autem septem discipuli fuerunt in illâ piscatione, suo septenario numero finem significat temporis: vniuersum quippe septem diebus voluitur tempus. C

Super illud. *Vt ergo descenderũt.*

THEOPH. Cùm autem nox erat, ante Solis Christi præsentiam, Prophetæ nihil cœperunt: quia etsi vnam nationem Israël corrigere conarentur, illa tamen frequenter in idololatriam labebatur.

Hom. 24. in Euang.

GREG. in hom. Quæri autem potest, cur discipulis in mare laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulauit. Sed mare præsens sæculum significat, quod se casuum tumultibus & vndis vitæ corruptibilis illidit: per soliditatem autem littoris perpetuitas quietis æternæ figuratur. Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant: quia autem Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat. D

Tract. 122. in Ioan.

AVG. Littus etiam finis est maris, & ideo finem significat sæculi. Sicut enim in hoc loco qualiter in fine sæculi futura sit, ita Dominus aliâ piscatione significauit Ecclesiam qualiter nunc sit. Vnde ibi Iesus non stabat in littore, sed ascendens in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eam à terrâ reducere pusillum. In aliâ piscatione non mittuntur retia in dexteram, ne solos significent bonos; nec in sinistram, ne solos malos; sed indifferenter, *Laxate*, inquit, *retia vestra in capturam*, vt permixtos intelligamus bonos & malos. Hîc autem inquit, *Mittite in dexteram nauigij rete*, vt significaret eos qui stabant ad dexteram solos bonos. Illud fecit in initio prædicationis suæ, hoc post resurrectionem suam: hinc ostendans illam capturam piscium bonos & malos significare, quos nunc habet Ecclesia; istam verò tantummodò bonos, quos habebit in æternum, completâ in fine huius sæculi resurrectione mortuorum. Illi autem qui pertinent ad resurrectionem vitæ (id est, ad dexteram) & inter Christiani nominis retia desigunE

Allegorica expositio.

A tur, non nisi in littore, (id est, in fine sæculi cùm resurrexerint) apparebunt. Ideo non valuerunt sic trahere retia, vt in nauem refunderent quos cœperant pisces, sicut de aliis dictum est. Habet autem istos dexteros Ecclesia post finem huius vitæ in somno pacis (velut in profundu) latentes, donec ad litus rete perueniat. Quòd autem in primâ piscatione duabus nauiculis; hoc isto loco ducentis cubitis (tanquam centum & centum) existimo figuratum, propter vtriusque generis electos; & circuncisiunis & præputij.

BED. Vel per ducentos cubitos gemina charitatis virtus exprimitur: per dilectionem enim Dei & proximi Christo appropinquamus. Piscis autem assus est Christus passus. Ipse latere dignatus est in aquis generis humani. Capi voluit laqueo nostræ mortis: Et qui nobis factus est piscis humanitate, extitit nobis panis, nos reficiens suâ diuinitate.

Tropologica expositio.

Hom 24. in Euang.

GREG. Petro autem sancta Ecclesia est commissa: Vnde ipsi specialiter dicitur, *Pasce oues meas.* Quod ergo postmodum aperitur in voce, nunc significatur in opere. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit: Hoc egit verbis, hoc Epistulis; hoc agit quotidie miraculorum signis: sed cùm rete magnis piscibus plenum dicitur, additur & quantis: & hoc est quod subditur: *Plenum magnis* &c.

Tract. 122. in Ioan.

Psal. 39. v. 6.

C AVG. In aliâ piscatione numerus piscium non exprimitur, tanquam illud ibi fiat quod prædictum est per Prophetam; *Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Hîc verò certus est numerus, cuius reddenda est ratio. Numerus enim qui legem significat, decem est propter Decalogum. Cùm autem accedit ad legem gratia (id est, ad litteram spiritus) quodammodò denario numero additur septenarius: septenario quippe numero significatur Spiritus sanctus, ad quem significatio propriè pertinet. Primùm enim in lege sonuit sanctificatio in die septimo. Esaias etiam Propheta eum commendat opere, vel munere septenario. Cùm itaque legis denario Spiritus sanctus per septenarium D numerum accedit, fiunt decem & septem, qui numerus ab vno vsque ad seipsum computatis omnibus crescens, ad centum quinquaginta tres peruenit.

Isa. 11. v. 2.

Hom. 24. in Euang.

GREG. Ducamus etiam per trigonum decem & septem, veniunt quinquaginta vnum. In quinquagesimo autem anno cunctus populus ab omni operatione quiescebat; sed vera requies in vnitate est: Vbi enim scissura diuisionis est, vera requies non est.

Tract. 122. in Ioan.

AVG. Nunc ergo tantummodò centum quinquaginta tres Sancti ad vitam resurrecturi significantur æternam, sed omnes ad gratiam Spiritus E pertinentes hoc numero figurantur; qui etiam numerus ter habet quinquagenarium numerum; & insuper ipsa tria, propter mysterium Trinitatis. Quinquagenarius autem multiplicatis septem per septem, & vnius adiectione, completur: vnus autem additur, vt eos significet esse vnum. Non autem frustra dictum est quòd erant magni. Cùm enim dixisset Dominus, *Non veni soluere legem, sed implere* (daturus Spiritum vtique per quem lex posset impleri) paucis verbis interpositis, ait, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* In primâ autem piscatione rete propter significanda schismata rum-

Matth. 5. v. 19.

pebatur : hîc verò quoniam in illâ summa pace Sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Euangelistam consequenter dicere, *Et cùm tanti essent* (id est, tam magni) *non est scissum rete* : tanquam illud respiceret vbi scissum est ; & in illius mali comparatione commendaret hoc bonum.

V. 12. Tract. 123. in Ioan. *Dicit eis Iesus, Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium &c.* AVG. Peractâ piscatione Dominus eos ad prandium vocat. Vnde dicitur, *Dicit eis Iesus, Venite, prandete.*

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Hic quidem non dicit quòd comedit cum eis, sed Lucas hoc dicit. Hoc autem fiebat, non vt naturâ indigente cibis de reliquo sed condescensione ad demonstrationem resurrectionis factâ.

Lib. 13. c. 22. AVG. 13. de ciui. Dei. Corpora autem iustorum quæ in resurrectione futura sunt, neque ligno vitæ indigebunt, quo fiat vt nullo morbo vel senectute inueterata moriantur; neque vllis aliis corporalibus nutrimentis, quibus esuriendi, atque sitiendi qualiscunque molestia deuitetur : quoniam certo & inuiolabili munere immortalitatis induentur : vt, non nisi velint ; possibilitate, non necessitate, vescantur : Non enim potestas, sed egestas edendi, & bibendi talibus corporibus auferetur. Sicut & Saluator noster post resurrectionem iam quidem in spirituali carne, sed tamen verâ, cibum ac potum cum discipulis sumpsit, non alimentorum indigentiâ, sed eâ quâ & hoc poterat potestate. Sequitur : *Et nemo audebat &c.* Ac si diceret.

Tract. 123. in Ioan. AVG. super Ioan. Nemo audebat dubitare quòd ipse esset. Tanta enim erat euidentia veritatis, vt eorum non solùm negare, sed nec dubitare quidem vllus auderet : quoniam si quisquam dubitaret, vtique interrogaret.

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Vel hoc dicit, quia de reliquo non similiter confidebant ei loqui vt priùs, sed cum silentio & reuerentiâ multâ sedebant, attendentes in eum : & formam quidem alteratam videntes, & multâ admiratione plenam, valde stupefacti volebant interrogare : sed formido, in hoc quòd sciebant quòd Dominus est, detinebat interrogationem ; & solùm comedebant quæ ampliori eis potestate condiderat. Hîc autem non respicit in cœlum, neque humana illa facit, ostendens quòd & illa condescensionis gratiâ fiebant. Vnde subditur, *Et venit Iesus, &c.*

Non satis aptè Cord. *permissionis.*

Tract. 123. in Ioan. Allegoria piscis assi. AVG. Mysticè autem piscis assus Christus est passus. Ipse est & panis qui de cœlo descendit : huic incorporatur Ecclesia ad participandum beatitudinem sempiternam. Propter hoc dictum est, *Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc* ; vt omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum (per quem potest in hoc loco nostra vniuersitas intelligi figurata) tanto sacramento nos communicare noscemus, & eidem beatitudini sociari.

Hom. 24. in Euang. GREG. Per hoc etiam quod cum septem discipulis vltimum conuiuium celebrat, eos tantummodò qui septiformi gratiâ sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in æternâ refectione denuntiat : Septem quoque diebus omne hoc tempus euoluitur ; & sæpe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo vltimo conuiuio de præsentiâ veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt.

Hom. 86. in Ioan. CHRYS. Quia verò non continuò cum eis conuersabatur, nec similiter vt priùs, subdit Euangelista, dicens, *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.*

AVG. Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus, id est, primo die cùm resurrexisset : & post dies octo, quando Thomas vidit & credidit : & hoc die, quando hoc de piscibus fecit : & deinde & quoties voluit vsque ad diem quadragesimum quo ascendit in cœlum. Tract. 123. in Ioan.

AVG. de cons. Euang. Inuenimus autem apud quatuor Euangelistas decies commemoratum Dominum visum esse post resurrectionem; semel ad monumentum à mulieribus; iterum eisdem regredientibus à monumento in itinere ; tertiò Petro, quartò duobus euntibus in castellum; quintò pluribus in Hierusalem vbi non erat Thomas; sextò vbi vidit eum Thomas ; septimò ad mare Tiberiadis ; octauò omnibus vndecim in monte Galilææ secundum Matthæum. Nonò, vt dicit Marcus, nouissimè recumbentibus, quia iam non erant in terrâ cum illo conuiuaturi : decimò ipso die ascensionis, non iam in terrâ, sed eleuatum in nube. Libr. 3. c. 25.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Cat. Cord. in Ioan.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

MAnifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. INCERTI AVCTORIS. Huius loci omnis sensus spiritalis, est eiusmodi. Qui discipulus præcessêre, in erroris dæmonum caligine versantes, neminem, vel admodum paucos (vt velut neminem ceperint computari possit) ceperunt. At neque qui figuris ac vmbræ seruiebant, cùm & ipsi spretâ lege, præceptis hominum obsequerentur ; Quin & Ethnicorum multitudo capi non poterat, cui diuina doctrina non reciperetur. Cùm autem venit Sol iustitiæ, humanam scilicet salutem esuriês, esculentum apud homines nihil inuenit ; iubétque proponi Euangelicum sermonem (quæ dextera doctrina est, ac cuius ratione Lex ac Prophetæ sinistra intelligantur) iubentísque gratiâ complures traxerunt. Quod enim hîc miraculum extitit, Apostolorum vires excedit. Ioan. 21. v. 1. Nocturni laboris piscando cassa opera.

SEVERI. Illud autem de Petro & Ioanne, vbi post resurrectionem apparuit illis Deus ac Saluator noster Iesus, ac in dexterum nauigij latus rete mittere iussit, & ceperunt ingentem magnorum piscium multitudinem, centum quinquaginta trium, hanc, vt breuiter dicam, habet significationem. Narrauit enim Euangelium ipsos, cùm eâ nocte valide laborassent, nihil cepisse. Nempe ad spiritalem, ac intelligibilem sensum translata narratio hoc insinuat, ante Saluatoris aduentum, noctem mundo incubuisse : hominibus scilicet quos Dei cognitio ac fides deficeret, nefandorum Deorum cultui addictis. At vbi matutina quædam lux atque aurora aduentus Saluatoris illuxit, oriente iam & affulgente terrigenis iustitiæ Sole, (hoc enim sibi vult Scriptura sacra) tunc laxatum rete Apostolicum, maximam hominum capturam fecisse, ac dexteram partem impleuisse. Moyses siquidem & Prophetæ, laxato venatorio rete, totâ retrò actâ nocte, vnicam duntaxat Israëliticam nationem ceperant ; eamque adeò sæpius resilientem, ac dæmonibus litantem, vt nihil quodammodò cepis- Piscatio ad dextrum latus.

se viderentur. Quapropter Apostolis potiores A
dexteræ partes (ipsi læuum tenentes latus, quod nostro more minorem honorem habet) cessere.

Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est,
V. 7. Petri in Christum reuerentia & amor. *tunicâ succinxit se.* THEODORI HERACLEOTÆ. Id quoque eximiæ Petri reuerentiæ ac pietatis indicium est; quòd nimirum Domino repente adstante, statim se, tegendæ nuditatis causâ tunicâ succinxerit, séque in mare mittens, ad ipsum, littus tenentem ocyus venire contenderit. Fecit autem hoc Saluator, non vt piscationis lucro discipulos ditaret (quippe quos pauperes, ac egenos esse velit) sed vt futuræ hominum capturæ ijs symbolum præberet. Qui enim sub initium Euangelij dixerat, *Venite post me, & faciam*
Matth. 4. v. 19. *vos piscatores hominum;* præsenti irrationa- B
lium piscium capturâ, bono eos animo esse videbat, fore, vt & rationali hominum piscatione, inuisibili ratione fauentem, ac adiuuantem ipsum nanciscerentur; prætérque omnem expectationem ex erroris profundo homines educentem, atque ad veræ fidei, ac pietatis agnitionem trahentem.

V. 10. *Afferte de piscibus, quos cepistis.* SEVERI.
V. 11. Confortatus Petrus verbi huius virtute, *traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus; & cùm tanti essent, non est scissum rete.* Tum enim capturæ præiuerat Iesu verborum vis, cùm ait, *Mittit in dexteram na-*
V. 6. *uigij rete;* tam rursus eadem captos continebat, ne rete scinderetur, ac iis impensus labor piscan- C
di cassus iret.

Eadem pluribus Seuerus. AMMONII. Petrus cum sociis spiritale rete trahit, ad Christum capturam adducens. Per centum autem intelligitur plenitudo Gentium; quinquaginta electum genus Israëlis salutem cõsecutum: per tres autem sanctissima Trinitas declaratur, in cuius gloriam captorum infidelium vita coniunctim cedere intelligitur.

V. 13. *Et venit Iesus, & accepit panem.* THEOD. HERACL. Benedictionis panis, ac pulmentarij participes faciens, confestim se illis notum fecit. Vnde subiunxit Euangelista, dicens, *Hoc tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurre-* D
xisset à mortuis.

V. 14. AMMONII. Non orauit modò frangendo panem, vt ostenderet fuisse priora illa submissionis. Porrò quæ humana sunt, ante passionem agit. Quanquam verò Lucas eum etiam manducasse dixerit, haud tamen id carnis indigentiâ, sed argumento resurrectionis.

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI *Episcopi Constantinop. in supertus Euang.*

HOMIL.

E
ExHom. 86 in Ioan. 21. V. 1. POstea *manifestauit se iterum discipulis ad mare Tiberiadis.* Vides non semper cum eis esse, vt ante passionem? Apparuit vesperi, &
1. Cor. 15. v. 5. abiit, & post octo dies iterum, inde ad mare, & iterum cùm & turba multa esset. Quid autem significat, *manifestauit?* vt ostendat quòd non nisi ex permissione videbatur, propterea quòd incorruptibile corpus erat, & immortale. Sed cur meminit loci? Vt iam metum eos deposuisse ostenderet, quòd iam foris extra domum versarentur. Non enim ampliùs domi se continebant, sed in Galilæam ierant, ad declinandum Iudæorum periculum.

Venit ergo Simon piscatum. Cùm enim non frequenter Iesus cum eis versaretur, neque adhuc Spiritus datus esset, neque haberent quid facerent, ad artem suam redierant. *Et erant simul Petrus, & Thomas, & Nathanail* qui à Philippo vocatus erat, *& filij Zebedæi, & alij duo.* Cùm ergo nihil haberent quid facerent, piscatum se contulerunt, & hoc noctu, quoniam formidabant. Hoc etiam ait Lucas? quanquam Luc. 5. v. 5.
non huius piscationis, sed alterius meminit. Alij autem discipuli vnà sequebantur: volebant enim simul & esse & videre venationem, & otium suum bene disponere. Laborant ergo, & laborantibus astitit Iesus, neque continuò cognitus est, vt conferendi sermonis occasio foret.

Dicit ergo eis; Nunquid pulmentarium habetis? Adhuc more hominis loquitur, ac si empturus esset aliquid ab eis. Cùm autem illi nihil se habere innuerent, iussit vt in dexteram rete iacerent, & ceperunt. Cùm autem eum cogno- Petri characteres atq; Ioannis.
uissent, proprios mores iterum referunt Petrus & Ioannes: ille feruentior, hic altior erat: ille vehementior, hic perspicacior: ideo Ioannes prior agnouit Iesum, Petrus prior ad eum properauit: neque enim parua erant signa, quæ contigerant. Quænam? Primùm, quòd multos cepissent pisces; inde quòd non scinderetur rete: præterea quòd priusquàm descenderent, prunas viderint, & piscem impositum, & panem: quæ non ex subiectâ materiâ fecerat, vt propter quandam dispensationem fecit ante crucem.

V. 7. Petri reuerentia & desiderium. Vt ergo cognouit eum, omnibus reiectis, & piscibus, & reti, succinxit se Petrus. Vides & reuerentiam, & desiderium? Atqui ducentis quasi cubitis aberant? non tamen naui appellere expectauit, sed natando ad Iesum venit. Quid
V. 12. Apostolorũ reuerentia. ergo Iesus? *Venite,* inquit, *prandete. Et nemo audebat eum interrogare.* Iam enim solitam fiduciam non habebant, neque ad eum loqui audebant, sed silentio, metúque, & reuerentiâ in eum intenti, discubuerunt: norant enim Dominum esse, ideo non interrogarunt quisnam esset. Et cùm formam mutatam, & horroris plenam viderent, admodum erant perterriti, volebantque de eâ interrogare. sed & metus, & quòd norant non alium esse, eos ab interrogando cohibuerunt, & tantùm comederunt, quæ ipse immensâ potentiâ suâ parauerat. Hîc non ampliùs in cœlum suspicit, neque hominem agit, ostendens illa indulgentiæ gratiâ fecisse. Et quòd non frequenter cum discipulis esset, neque similiter,
V. 14. dicit, *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis, cùm resurrexisset à mortuis.* Et iubet de piscibus afferri, vt id imaginationem non esse demonstraret: sed hoc in loco non dicit Christum cum discipulis manducasse, Lucas autem si- Luc. 24. v. 43.
mul manducasse alibi dicit. Quomodò autem, non nostrum est dicere. Modo quodam perquàm mirabili hæc facta sunt, non quòd naturâ cibis ampliùs indigeret, sed ad resurrectionis veritatem demonstrandam, ita permisit.

Morale. Fortasse hæc audientes conflagratis, & qui cum Iesu tunc fuerunt, & qui futuri sunt in commu-
Beatum esse cũ Christo. ni resurrectione, beatos ducitis. Adnitamur ergo pro viribus, vt faciem eius admirabilem intueamur: nam si nunc hæc audiendo ita flagramus, & illis temporibus quibus in terrâ versatus est fuisse, vocem audisse, faciem vidisse, allocutum esse, tetigisse, ei ministrasse desideramus: considera qualis visu futurus sit, non in corpore

amplius mortali, neque humana disponens, sed Angelis constipatus, cùm nos & immortali corpore erimus, & immortalem eum videbimus, & summâ fruemur felicitate, quæ omnem sermonem exuperat. Quare obsecro, adnitamur ne tantâ excidamus gloriâ: neque enim difficile est, modò velimus, neque onerosum, si attenderimus. Nam *si sustinebimus, & conregnabimus:*

2. Tim. 2. v. 12.

hoc est, si tribulationes feremus, si persecutiones, si arctâ viâ ambulabimus: arcta enim, naturâ quidem laboriosa est, nostrâ autem electione leuis, spe futurorum. *Id enim, quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed ea quæ non videntur.*

2. Cor. 4. v. 17.

Dirigamus ergo oculos in cœlum, & illa semper imaginemur bona, atque inspiciamus: in quibus si semper versabimur, neque bona huius mundi nos allicient, neque mala molestè feremus: sed & hæc & similia omnia deridebimus, & nihil nos aut seruos, aut superbiâ elatos facere poterit, modò nos eò semper desiderium intendamus, si illam dilectionem intuebimur. Et quid dico præsentibus malis non dolituros? Imò ne videre quidem ea putabimus. Talis enim res est amor, vt non præsentes tantùm, sed absentes quos diligimus quotidie cernere videamur: magna namque dilectionis vis. Omnia negligit, vt dilecto animum colliget; si ita Christum diligeremus, humana omnia vmbra, omnia imago, omnia nobis somnium viderentur: diceremus & nos: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia?* Non dixit pecunias, aut diuitias, aut pulchritudinem: hæc enim vilissima sunt & ridicula: sed quæ grauia videntur posuit, Famem, persecutiones, mortes: quæ ille vt nullius momenti contempsit: nos autem propter pecunias à vitâ nostrâ abscedimus, & à luce separamur. Et Paulus quidem, non mortem, non vitam, non præsentia, non futura, non aliam creaturam, diuinæ præponit dilectioni: nos, si vel parum auri videmus, eius cupiditatibus incendimur, & diuinas leges pessundamus. Quod si hæc dictu non ferenda sunt, longè minus factu: & quod graue est, auditu horrescimus, re ipsâ minimè: sed facilè iuramus, peieramus, rapimus, vsuras exigimus, continentiam negligimus, à verâ ratione desistimus, plurima præceptorum transgredimur, & pecuniarum gratiâ membra nostra omninò contemnimus. Nam qui pecunias amat, innumeris malis proximum, & seipsum cum illo afficiet: etenim irascetur facilè, maledicet, stultum appellabit, peierabit, neque veteris legis modum seruabit. Non enim diligit proximum, qui aurum diligit. Atqui nos & inimicos propter cœlorum regnum amare iubemur. Quomodò ergo id consequi poterimus? Nam si cùm vetera præcepta impleamus, non erit nobis ad regnum aditus, nisi abundauerit iustitia nostra plusquàm illorum: si illa transgrediemur, quis nobis erit excusationi locus?

Amoris vis. — Rom. 8. v. 35 — Matth. 5. v. 43.

Auaritiæ mala.

Amator pecuniarum non modò inimicos non diligit, sed amicos inimicorum loco habebit. Et quid amicos dico? Ipsam sæpenumero naturam ignorat amator pecuniarum, neque cognationem nouit, neque consuetudinis recordatur: non reueretur ætatem, nullum habet amicum, sed omnes odit, & in primis seipsum: non tantùm quoniam perdit animam suam, sed quoniam innumeris solicitudinibus, laboribusque, atque miseriis distrahitur. Etenim peregrinationes, odia, pericula, insidias, & alias huiusmodi subit calamitates, hac duntaxat gratiâ, vt malorum radicem secum habeat, & multas numeret pecunias. Quid hoc morbo grauius? omnibus priuatur deliciis, omni voluptate, multum gloriæ, multum honoris amittit. Amator pecuniarum multos formidat, multos habet accusatores, inuidos, calumniatores, insidiatores: qui ab eo iniuriam acceperant, oderunt, vtpote offensi: qui minùs, timore ne offendantur, & offensorum misericordiâ illum vt hostem obseruant, & cauent. Maiores, potentioresque indignantes, pro pauperum misericordiâ ad hæc & liuore moti, vt inimicos odio habent. Et quid homines dico? Cùm Deum inimicum habeat, quid spei reliquum ei fuerit? quid consolationis? Amator pecuniarum his vti minimè potest, sed seruus & custos est, non dominus: augere eas semper contendit, nunquam erogare vellet. Eum contemplare, & omnium pauperum pauperiorem iudicabis, vt qui nullâ cupiditate contentus sit. Atqui pecuniæ non vt custodiamus, sed vt vtamur, inuentæ sunt. Quòd si eas aliis defossuri sumus, quid nobis est miserius, qui vndique congregare inhiamus, vt clausas teneamus & communem vsum auferamus?

Mala profusionis in vsum voluptatum.

Est & alter morbus, neque hoc minor: hi certè defodiunt; illi in ventrem, voluptatem, atque ebrietatem omnia conferunt, & sibi ipsis præter iniustitiam luxuriæ etiam supplicium parant: alij parasitis & adulatoribus largiuntur: hi in ludis & meretricibus, hi aliis huiusmodi dispendiis profundunt. hoc pacto innumeras sibi ad gehennam vias sternunt, rectâ ad cœlum derelictâ, quæ non lucrum tantùm, sed & voluptatem prædictis longè maiorem affert. Qui meretricibus dat, ridiculus & insanus est, & multos sibi inimicos parat, & breuem voluptatem, vel nullam potiùs. Quæcunque det meretricibus, ex his nulla gratia habebitur. *Dolium enim pertusum est domus aliena.* Præterea muliebre genus temerarium est, & inferno eius similatur cupiditas: illi enim mulieris amorem Salomon comparauit: tunc cessat, cùm omnibus rebus amantem spoliauit; imò nec tunc quidem, sed magis conuiciatur; & insultat iacenti, eùmque maiorem in modum ridet: & tot eum malis circumuenit, vt nullo pacto narrari possint. At eorum qui salui fiunt voluptas minimè talis est: nullum riualem habet, sed omnes congratulantur & plaudunt; & qui beneficia acceperunt, & qui collata viderunt: nulla ira, nulla tristitia, nullus pudor, aut ignominia eius animum expugnat: sed multa conscientiæ lætitia, multa futurorum spes, clara gloria & splendor; & quod maximum est, Dei beneuolentia, & securitas: nullum præcipitium, nulla suspicio, sed tranquillissimus portus. Quibus omnibus cognitis, voluptatem voluptati comparantes, meliora eligamus, vt futura consequamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria simul, & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

Pro. 23. v. 27.

SANCTI

S. AVGVSTINI EPISCOPI, *Hippon. in superius Euangelium.*

HOMIL. I.

Ex tract. 122. in Ioan. 21. V. 1. POstea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis: manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat à Cana Galilaa, & filij Zebedai, & alij ex discipulis eius duo. Dicit Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Quæri solet de hac piscatione discipulorum, cur redierint Petrus & filij Zebedæi ad id quod fuerunt priusquam à Domino vocarentur: erant enim piscatores quando eis dixit,

Matth. 4. V. 19. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Tunc eum quippe illi secuti sunt, vt magisterio eius relictis omnibus adhærerent: in tantum vt cùm ab eo diues ille tristis abscederet, cui

Matth. 19. V. 21. ipse dixerat, *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus. & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me:* Diceret ei Petrus, *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* Quid est ergo quòd nunc quasi Apostolatu relicto fiunt quod fuerunt, & quod dimiserant repetunt, tanquam obliti

Luc. 9. v. 62. quod audierant: *Nemo mittens manum super aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno cælorum?* Quod si fecissent defuncto Iesu priusquam resurrexisset à mortuis: quod quidem non poterant, quoniam dies quo crucifixus est, totos eos tenebat attonitos, vsque ad eius sepulturam, quæ ante vesperam facta est. Sequens autem dies erat sabbati, quando eis motem patrium seruantibus operari vtique non licebat. Tertio verò die Dominus resurrexit, eosque reuocauit ad spem quam de illo non habere iam cœperant: tamen si tunc fecissent, putaremus eos illâ, quæ animos eorum occupauerat, desperatione fecisse. Nunc verò post eum sibi de sepulchro redditum viuum, post oblatam suis oculis & manibus, non solùm videndam, verumetiam tangendam atque palpandam redituuæ carnis euidentissimam veritatem, post inspecta vulnerum loca, vsque ad Apostoli Thomæ confessionem, qui se aliter crediturum non esse prædixerat, post acceptum eius insufflatione Spiritum sanctum, post verba in suas aures eius

Ioan. 20. v. 21 ore prolata: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* subitò fiunt sicut fuerant, non hominum sed piscium

Non prohibitum Apostolis victū quærere arte aliquā honestā; sed concessum à discipulis accipere. piscatores. His ergo quos hoc mouet respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte suâ licitâ scilicet atque concessâ victum necessarium quærere, sui Apostolatus integritate seruatâ, si quando vnde viuerent, aliud non haberent. Nisi fortè quispiam putare audebit, aut dicere, Apostolum Paulum non pertinuisse ad eorum perfectionem,

Matth. 19. v. 47. qui relictis omnibus Christum secuti sunt, quoniam ne quemquam eorum grauaret quibus E-

2. Thes. 3. v. 8. uangelium prædicabat, suum victum suis mani-

Non vsus Apostolus hac indulgentiâ. bus transigebat: vbi magis impletum est, quod ait; *Plus omnibus illis laboraui.* Et adiunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum:* vt hoc quoque

1. Co. 15. v. 3 appareat Dei gratiæ deputandum, quòd & animo & corpore poterat vsque adeò plus illis omnibus laborare, vt neque cessaret ab Euangelio prædicando, neque tamen ex Euangelio sicut illi sustentaret hanc vitam: cùm id per tot gentes, in quibus Christi nomen non fuerat prophetatum, A Pasibate.

A multò latiùs atque fertiliùs seminaret. Vbi ostendit ex Euangelio viuendi, hoc est, victum habendi, non necessitatem Apostolis impositam, sed potestatem datam. Quam potestatem commemorat idem Apostolus dicens: *Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Si alij potestatis vestra participes sunt, non magis nos? Sed non sumus,* inquit, *vsi hac potestate.* Et paulò post: *Qui altario seruiunt, cum altario compartiuntur: Sic & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere: ego autem nullo horum vsus sum.* 1. Cor. 9. v. 11

B Satis igitur apertum est, non imperatum, sed in potestate Apostolis positum, vt aliunde non viuerent nisi ex Euangelio, & ab eis quibus Euangelium prædicando spiritalia seminabant, carnalia meterent; hoc est, carnis huius sustentaculum sumerent, & tanquam milites Christi stipendium debitum acciperent, sicut à prouincialibus Christi. Vnde idem ipse miles egregius paulò superiùs de hac re dixerat: *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Quod tamen ipse faciebat, quia plus illis omnibus laborauit. Si ergo beatus Paulus vt eâ potestate, quam profectò cum cæteris Euangelij prædicatoribus habebat, non eum cæteris vteretur, sed suo stipendio militaret, ne gentes à nomine Christi penitus alienas doctrina eius quasi venalis offenderet, aliter educatus, artem quam non nouerat, didicit, vt dum suis manibus transigitur doctor, nullus grauaretur auditor: quantò magis beatus Petrus, qui iam piscator fuerat, quod nouerat fecit, si ad præsens illud tempus, aliud vnde viueret, non inuenit? Sed respondebit quispiam: Et cur non inuenit, cùm Dominus promiserit, dicens: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis?* Profectò etiam sic Dominus quod promisit impleuit. Nam quis alius pisces, qui caperentur, apposuit? Qui non ob aliud credendus est eis ingessisse penuriam, quâ compellerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum: vt simul & prædicatores Euangelij sui pasceret, & ipsum Euangelium tanto sacramento quod erat de numero piscium commendatutus, augeret. De quâ re etiam nos quod ipse apposuerit, dicere iam debemus. 1. Cor. 15. v. 10. Al. qui. C Domini promissio, humanam industriam non excludit. Matth. 6. v. 33. D

Dicit ergo Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei qui cum illo erant, Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim. & illâ nocte nihil prendiderunt. Manè autem iam facto stetit Iesus in littore, &c. Hoc est magnum sacramentum in magno Ioannis Euangelio: & vt vehementiùs commendaretur, loco vltimo scriptum. Quòd ergo septem discipuli fuerunt in istâ piscatione, Petrus & Thomas, & Nathanaël, & duo filij Zebedæi, & alij discipuli eius duo quorum nomina tacentur, isti suo septenario numero finem significant temporis. Vniuersum quippe septem diebus voluitur tempus. Ad hoc pertinet quòd manè facto Iesus stetit in littore, quia etiam litus finis est maris, & ideò finem significat sæculi. Eundem finem sæculi ostendit, & quod Petrus rete traxit in terram, hoc est, in littus. Quod ipse Dominus aperuit, vbi alio quodam loco de sagenâ in mare missâ similitudinem dedit: *& eam trahunt,* inquit, *ad littus.* Quod littus quid esset, exponens, ait: *Sic erit in consummatione sæculi.* Sed illa verbi est, non rei gestæ parabola. Re autem gestâ sicut hoc loco, qua- V. 3. E Piscatio prima & secunda, ac quorum figuræ. Matth. 13. v. 48.

liter in sæculi fine futura sit: ita Dominus aliâ piscatione significauit Ecclesiam qualiter nunc sit. Quòd autem illud fecit in initio prædicationis suæ, hoc verò post resurrectionem suam, hinc ostendit illam capturam piscium, bonos & malos significare, quos nunc habet Ecclesia: istam verò tantummodò bonos, quos habebit in æternum, completâ in fine huius sæculi resurrectione mortuorum. Denique ibi Iesus non sicut hîc in littore stabat, quando iussit pisces capi: sed *ascendens in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum vt à terrâ reduceret pusillum, & in eâ sedens docebat turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* (Luc. 5. v. 3.) Et illic quod captum est piscium in nauiculis fuit, non sicut hîc rete extraxerunt in terram. His signis, & si qua alia poterunt reperiri, ibi Ecclesia in hoc sæculo, hîc verò in fine seculi figurata est: ideo illud antè, hoc autem post resurrectionem Domini factum est, quia ibi nos Christus significauit vocatos, hîc resuscitatos. Ibi retia non mittuntur in dexteram, ne solos significent bonos: nec in sinistram, ne solos malos: sed indifferenter, *Laxate*, inquit, *retia vestra in capturam*, vt permixtos intelligamus bonos & malos. Hîc autem, inquit, *Mittite in dexteram nauigij rete*, vt significaret eos qui stabant ad dexteram solos bonos. Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur. hîc verò quoniam tunc in illâ summâ pace Sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Euangelistam dicere, *Et cùm tanti essent*, id est, tam magni, *non est scissum rete*: tanquam illud respiceret vbi scissum est, & in illius mali comparatione commendaret hoc bonum. Ibi capta est multitudo piscium tanta, vt impleta duo nauigia mergerentur, id est, in submersionem premerentur: non enim mersa sunt, sed tantùm periclitata. (Al. tamen.) Vnde enim existunt in Ecclesiâ, tanta quæ gemimus: nisi cùm tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendam propemodum disciplinam intrat, cum moribus suis à Sanctorum itinere penitus alienis? Hîc autem *miserunt rete in dexteram partem, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*. Quid est, *iam non valebant illud trahere*, nisi quia illi qui pertinent ad resurrectionem vitæ, id est, ad dexteram, & intra Christiani nominis retia defunguntur, non nisi in littore, id est, in fine sæculi cùm resurrexerint, apparebunt? Ideo non valuerunt sic trahere retia, vt in nauem refunderent quos ceperant pisces: sicut de illis omnibus factum est, quibus rete diruptum, & nauiculæ pressæ sunt. Habet autem istos dextros Ecclesia post finem vitæ huius in somno pacis, velut in profundo latentes: donec ad littus rete perueniat quò trahebatur, quasi à cubitis ducentis. Quod autem illic duabus nauiculis propter circuncisionem & præputium, hoc istu loco ducentis cubitis existimo figuratum, propter vtriusque generis electos, & circuncisionis & præputij: tanquam centum ad centum, quia in summâ centenarij numerus ad dexteram transit. (Alludit ad veterē numerandi morem per digitos.)

Postremò in illâ piscatione numerus piscium non exprimitur: tanquam illud ibi fiat quod prædictum est per Prophetam, *Annuntiaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* (Psal. 39. v. 6.) (Numeri piscii mysterium.) Hîc verò non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus centum quinquagintatres: cuius numeri ratio Domino adiuuante reddenda

A est. Si enim numerum construamus qui legem significet, quid erunt nisi decem? Decalogum quippe legis, id est, decem notissima illa præcepta digito Dei duabus lapideis tabulis primùm fuisse conscripta, certissimum nobis est. (Deut. 9. v. 10.) Sed lex quando non adiuuat gratia, præuaricatores facit: & tantummodò in literâ est. Propter hoc enim maximè ait Apostolus, *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* (2. Cor. 3. v. 6.) Accedat ergo ad literam spiritus, ne occidat litera quem non viuificat spiritus: sed vt operemur præcepta legis, non viribus nostris, sed munere Saluatoris. Cùm autem accedit ad legem gratia, id est, ad literam spiritus: quodammodò denario numero additur septenarius. Isto quippe numero, id est, septenario, significari Spiritum sanctum, aduertenda literarum B sacrarum documenta testantur. Nempe enim sanctitas vel sanctificatio ad sanctum propriè pertinet Spiritum: vnde cùm & Pater spiritus sit, & Filius spiritus sit, (quoniam *Deus Spiritus est*) (Ioan. 4. v. 24.) & Pater sanctus, & Filius sanctus sit, proprio tamen nomine amborum spiritus vocatur Spiritus sanctus. Vbi ergo primùm in lege sonuit sanctificatio? Nisi in die septimo? Non enim sanctificauit Deus diem primum, in quo fecit lucem: aut secundum, in quo firmamentum: aut tertium, in quo discreuit mare à terrâ, & terra herbam lignúmque produxit: aut quartum, in quo sydera sunt creata: aut quintum, in quo animalia, quæ in aquis viuunt & in aëre volitant: aut sextum, in quo terrestris anima viua & ipse homo: sed sanctificauit diem septimum, in quo requieuit ab C operibus suis. (Gen. 2. v. 2.) Conuenienter igitur septenario numero significatur Spiritus sanctus. Esaias etiam Propheta: *Requiescet*, inquit, *in eo Spiritus Dei.* (Isai. 11. v. 2.) Eúmque deinceps commendans opere vel munere septenario: *Spiritus*, inquit, *sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & implebit illum spiritus timoris Dei.* Quid in Apocalypsi? Nónne septem Spiritus Dei dicuntur, cùm sit vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult? (Apoc 1. v. 4. 1. Cor. 12. v. 11.) Sed operatio septenaria vnius Spiritus sic appellata est ab eodem Spiritu, qui scribenti affuit, vt septem spiritus dicerentur.

D Cùm itaque legis denario Spiritus sanctus per septenarium numerum accedit, fiunt decem & septem: qui numerus ab vno vsque ad seipsum computatis omnibus crescens, ad centum quinquagintatres peruenit. Ad vnum enim si adijcias duo, fiunt vtique tres, his si adijcias tres & quatuor, fiunt decem: deinde si adijcias omnes numeros qui sequuntur vsque ad decem & septem, ad supradictum numerum summa perducitur, id est, si ad decem, quò ab vno vsque ad quatuor perueneras, addas quinque, fiunt quindecim. His addas sex, & fiunt viginti vnum: his addas septem, & fiunt vigintiocto: his addas octo, E & nouem, & decem, & fiunt quinquagintaquinque: his addas vndecim & duodecim & tredecim, & fiūt nonagintavnum: his rursum quatuordecim & quindecim & sexdecim, & fiunt centum trigintasex: huic numero adde illum qui restat de quo agitur, id est, decem & septem, & piscium numerus ille complebitur. Non ergo tantummodò centum quinquagintatres Sancti ad vitam resurrecturi significantur æternam, sed millia Sanctorum ad gratiā Spiritus pertinentium, quâ gratiâ cum lege Dei tanquam cum aduersario concordatur, vt viuificāte Spiritu litera non occidat:

sed quod per literam iubetur, Spiritu adiuuante compleatur, & si quid minus fit, remittatur. Omnes ergo ad istam gratiam pertinentes, hoc numero figurantur: hoc est, figuratè significantur. Qui numerus ter habet etiam quinquagenarium numerum, & insuper ipsa tria propter mysterium Trinitatis. Quinquagenarius autem multiplicatis septem per septem, & vnius adiectione completur: nam septies septem fiunt quadraginta nouem. Vnus autem additur, vt eo significetur vnum esse, qui per septem propter operationem septenariam demonstratur: & nouimus Spiritum sanctum post ascensionem Domini quinquagesimo die missum, quem discipuli iussi sunt expectare promissum.

Act. 2. v. 4.

Non igitur frustra dicti sunt hi pisces, & tot & tanti, id est, & centum quinquaginta tres, & magni: Sic enim scriptum est: *Et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Cùm enim dixisset Dominus: *Non veni soluere legem, sed implere*, daturus vtique Spiritum per quem lex posset impleri, tanquam septem additurus ad decem, paucissimis verbis interpositis ait: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Iste ergo poterit pertinere ad numerum piscium magnorum. Minimus autem ille qui soluit factis quod docet verbis, in tali Ecclesiâ potest esse, qualem significat piscium prima illa captura, habentem bonos & malos, quia & ipsa dicitur regnum cœlorum, propter quod ait: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Vbi vult intelligi etiam bonos & malos: quos dicit in littore, id est, fine sæculi separandos. Denique vt ostenderet istos minimos esse reprobos qui docent bona loquendo, quæ soluunt malè viuendo, nec quasi minimos in vitâ æternâ futuros, sed omninò ibi non futuros: cùm dixisset, *minimus vocabitur in regno cælorum*, continuò subiecit: *Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Isti sunt certè Scribæ & Pharisæi, qui super cathedram Moysi sedent, & de quibus ait: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt.* Docent sermonibus, quod soluunt moribus. Consequens est ergo, vt qui minimus est in regno cœlorum, qualis nunc est Ecclesia, non intret in regnum cœlorum, qualis tunc erit Ecclesia; quoniam docendo quod soluit, ad eorum societatem qui faciunt quod docent non pertinebit. Et ideo non erit in numero piscium magnorum: quoniam *qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Et quia hic magnus erit, ideo ibi erit, vbi minimus ille non erit. Vsque adeò quippe ibi magni erunt, vt qui minor ibi est, maior sit eo quo hic nemo maior est. Sed tamen qui hic magni sunt, id est, qui in regno cœlorum vbi sagena congregat bonos & malos, faciunt bona quæ docent: ipsi erunt in illâ regni cœlorum æternitate maiores, quos isti ad dexteram & ad resurrectionem vitæ pertinentes indicant pisces. Sequitur de prandio Domini cum istis septem discipulis, & de his quæ post prandium locutus est, ac de ipsius Euangelij termino, vt Deus quod donauerit disseramus: sed hoc non est isto sermone coarctandum.

V. 11. Matth. 5. v. 18. Ibid. v. 19. Magni tantum pisces in secundâ capturâ, etiam minimi in primâ. Matth. 13. v. 47. Matth. 5. v. 20. Matt. 23. v. 3. Matth. 11. v. 11.

A Paschate.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. II.

In eo quod tertiò Dominus post resurrectionem manifestauit se discipulis suis, beati Ioannis Apostoli Euangelium terminatur: in quo iam pertractauimus, vt valuimus, partem priorem, vsque ad eum locum vbi narratum est, captos fuisse pisces centum quinquaginta tres à discipulis, quibus se demonstrauit, & cùm magni essent, retia non esse rupta. Deinde quæ sequuntur consideranda sunt, & quantum adiuuat Dominus, sicut res postulare videbitur, disserenda. Peractâ quippe illâ piscatione, *Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es, scientes quia Dominus est.* Si ergo sciebant, quid opus erat vt interrogarent? Si autem non opus erat, quare dictum est, *non audebant*: quasi opus esset, sed timore aliquo non auderent? Sensus ergo hic est, tanta erat euidentia veritatis, quâ Iesus illis discipulis apparebat, vt eorum non solùm negare, sed ne dubitare quidem vllus auderet: quoniam si quisquam dubitaret, vtique interrogare debebat: Sic ergo dictum est, *nemo audebat eum interrogare, Tu quis es?* ac si diceretur, nemo audebat dubitare quòd ipse esset.

Ex tract. 123. in Ioann. 21. V. 12.

Et venit Iesus & accepit panem, & dat eis, & piscem similiter. Ecce dictum est etiam quid prandeant: de quo prandio aliquid suaue ac salubre dicemus & nos, si pascat & nos. Superiùs narratum est quòd isti discipuli quando descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Vbi non est intelligendum etiam superpositum panem fuisse prunis, sed tantùm subaudiendum, viderunt. Quòd verbum si repetamus eo loco, vbi subaudiendum est, ita totum dici potest: viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & viderunt panem. Vel ita potiùs: viderunt prunas positas, & piscem superpositum, viderunt & panem. Iubente etiam Domino attulerunt & de piscibus quos ipsi ceperant, quod eos fecisse: quamuis à narrante Ioanne non esset expressum, tamen Dominum iussisse non tacitum est. Ait enim: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Et vtique iubente illo, eos non fecisse quis credat? Hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis, de pisce scilicet, quem prunis superpositum viderant, huic adiungens ex illis quos ceperant, & de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est & *panis viuus, qui de cælo descendit*: huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam, propter quod dictum est: *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc*: vt omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest hoc loco nostra vniuersitas intelligi figurata, tanto sacramento nos communicare noslemus, & eidem beatitudini sociari.

V. 13. Supra tract. 122. Domini prandium cum discipulis. V. 10. Ioan. 6. v. 58.

Hoc Domini prandium est cum discipulis suis: ad quod Ioannes Euangelium suum, cùm haberet de Christo alia multa quæ diceret, magna, vt existimo, ex rerum magnarum contemplatione concludit. Hic enim Ecclesia qualis in solis bonis futura est, significatur per capturam centum quinquaginta trium piscium: & eis qui hæc cre-

dunt, sperant, diligunt, participatio tantæ beatitudinis per hoc prandium demonstratur.

V. 14. *Hoc iam tertiò*, inquit, *manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset à mortuis.* Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus: id est, primo die cùm surrexit, & post dies octo quando discipulus Thomas vidit & credidit, & hodie quando hoc de piscibus fecit. Post quot autem dies id fecerit, dictum non est: nam ipso primo die non est visus semel, sicut Euangelistarum omnium testimonia collata demonstrant. Sed sicut dictum est, secundum dies numerandæ sunt manifestationes eius: vt ista sit tertia. Prima quippe habenda est, eadémque vna propter vnum diem, quotiescunque die illo quo resurrexerit se ostendit: secunda B post dies octo, & hæc tertia, & deinde quoties voluit vsque ad diem quadragesimum, quo ascendit in cœlū, quamuis non scripta sunt omnia.

EIVSDEM IN IDEM EVANG.

HOMIL. III.

Serm. 140. de Temp. Cap. 1.

ET hodie lectio recitata est de his quæ facta sunt post resurrectionem Domini secundum Euangelistam Ioannem. Audiuit nobiscum charitas vestra Dominum Iesum Christum ad mare Tiberiadis ostendisse se discipulis suis: & qui eos iam fecerat piscatores hominum, inuenit C eos adhuc piscatores piscium. Per totam noctem nihil ceperunt: viso autem Domino, & eo iubente, retia mittentes ceperunt quantum numerum audistis. Nunquam hoc Dominus iuberet, nisi aliquid significare vellet, quod nobis nosse expediret. Quid ergo pro magno potuit ad Iesum Christum pertinere, si pisces caperentur, aut si non caperentur? Sed illa piscatio, significatio nostra erat. Recolamus ergo vobiscum duas illas piscationes discipulorum factas esse iubente Domino Iesu Christo: vnam ante passionem, alteram post resurrectionem. In his ergo duabus piscationibus tota figuratur Ecclesia, & qualis modò, & qualis erit in resurrectione mortuorum. Modò enim habet sine numero mul- D tos bonos & malos, post resurrectionem autem habebit certo numero solos bonos.

Apostolorū duplex piscatio, præsentis temporis Ecclesiæ figura, & futuri in resurrectione.

Cap. 2. Al. *ibi.* Prima.

Recordamini ergo primam piscationem, vbi videamus Ecclesiam qualis est isto tempore. Dominus Iesus inuenit discipulos suos piscantes, quando primùm eos vocauit, vt sequerentur eum. Tunc totâ nocte nihil ceperunt. Eo autem

Luc. 5. v. 4

viso, audierunt ab illo, *Mittite retia. Domine*, inquiunt, *per totam noctem nihil cepimus, sed ecce in verbo tuo mittimus.* Miserunt, iubente omnipotente. Quid potuit aliud fieri, nisi quod ille voluisset? Sed tamen eodem ipso facto ali- E quid nobis, vt dixi, quod nosse expediat, significare dignatus est. Missa sunt retia. Adhuc Dominus nondum erat passus, nondum resurrexerat. Missa sunt retia: ceperunt tantum piscium, vt duo nauigia implerentur, & ipsa retia eadem piscium multitudine scinderentur. Tunc illis dixit: *Venite, & faciam vos piscatores hominum.* Acceperunt ab illo retia verbi Dei, miserunt in mundum tanquam in mare profundum: ceperunt quantam multitudinem Christianorum cernimus, & miramur. Duo autem illa nauigia, duos populos significabant, Iudæorum & Gentium, Synagogæ & Ecclesiæ, circuncisionis & præ-

Mar. 1. v. 17. Luc. 5. v. 10.

A putij. Illorum enim duorum nauigiorum tanquam duorum parietum de diuerso venientium, lapis angularis est Christus. Sed quid audiuimus? Ibi premebantur nauigia præ multitudine. Sic fit modò: multi Christiani qui malè viuunt, Ecclesiam premunt. Parum est quia premunt, & retia dirumpunt. Nam si non essent retia scissa, schismata non essent commissa.

Cap. 3. Secunda piscatio.

Transeamus ergo ab istâ piscatione quam toleramus: & ad illam veniamus quam ardenter optamus, & fideliter exoptamus. Ecce Dominus mortuus est, sed resurrexit: apparuit ad mare discipulis suis; iubet eos retia mittere. Non quomodocunque, intendite. Nam in primâ piscatione non illis dixit, Mittite retia in dexteram aut sinistram: quia si diceret, In sinistram, soli mali significarentur: si diceret, In dexteram, soli boni figurarentur. Ideo non dixit, vel in dexteram, vel in sinistram, quia permixti erant capiendi boni cum malis. Iam modò post resurrectionem qualis erit Ecclesia, audite, discernite, gaudete, sperate, comprehendite. *Mittite*, inquit, *retia in dexteram partem.* Iam dexteri capiuntur: nulli mali timeantur. Scitis enim quia dixit se separaturum esse oues ab hœdis; oues positurum ad dexteram, hœdos ad sinistram: sinistris dicturum, *Ite in ignem æternum*: dextris dicturum, *Accipite regnum.* Ecce vnde, *Mittite retia in dexteram partem.* Miserunt, ceperunt: certus est numerus, nemo est ibi super numerum. Modò autem quanti super numerum accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, & in libro vitæ non scribuntur. Ibi ergo certus numerus est. De quibus piscibus & vos esse affectate, non audiendo tantùm & laudando: sed intelligendo, & benè viuendo. Mittuntur ergo retia, capiuntur pisces magni. Quis est enim ibi tunc paruus, quando erunt æquales Angelis Dei? Capiuntur ergo pisces magni, centum quinquaginta & tres. Dicet mihi aliquis, Et tot erunt Sancti? Absit à nobis, vt tantam paucitatem esse Sanctorum, & in illo regno futurorum etiam de solâ istâ Ecclesiâ suspicemur. Certus numerus erit; sed millia millium erunt de populo Israelitico. Ioannes sanctus in Apocalypsi de solo populo Israël duodecies duodena millia dicit futuros, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt, virgines enim permanserunt. At verò de cæteris gentibus venire dicit cum stolis albis tanta millia hominum, quæ numerare nemo potest.

In dexterā.

Matth. 25. v. 41.

Matth. 22. v. 30.

Apoc. 14. v. 1

Cap. 4. Centum quinquaginta tres pisces.

Aliquod ergo signum vult iste numerus, & anniuersariâ solennitate sermonis huius commemorare vobis debeo, quod omni anno soletis audire. Centum quinquaginta & tres pisces, numerus est significans millia millium Sanctorum atque fidelium. Quare ergo isto numero tot millia, quæ futura sunt in regno cœlorum, Dominus significare dignatus est? Audite quare. Scitis legem datam esse per Moysen populo Dei, & in ipsâ lege præcipuum commemorari Decalogum, id est, decem præcepta legis. Quorum est vnum præceptum de colendo vno Deo, secundum præceptum, *Ne accipias nomen Dei in vanum*: tertium Exod. 20. præceptum de obseruatione sabbati, quod Christiani spiritaliter obseruant, Iudæi carnaliter violant. Ista tria præcepta ad Deum pertinent, reliqua septem ad homines, propter illa duo principalia, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & diliges proximum tuum tanquam teipsum.*

Decē præcepta, ad duo reducuntur. Matth. 22. v. 37.

In his duobus mandatis, tota Lex pendet, & Propheta. Quia ergo duo sunt ista præcepta in illo Decalogo, tria pertinent ad dilectionem Dei, & septem ad dilectionem proximi. Quæ sunt septem pertinentia ad hominem? *Honora patrem tuum & matrem, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dixeris, non concupisces vxorem proximi tui, non concupisces rem proximi tui.*

Cap. 5.

Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adiuuetur gratiâ Dei. Si ergo legem nemo implet viribus suis, nisi Deus adiuuet spiritu suo, iam recolite quemadmodum Spiritus sanctus septenario numero commendatur; sicuti sanctus Propheta dicit, implendum hominem spiritu Dei sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritu timoris Dei. Istæ septem operationes commendant septenario numero Spiritum sanctum, qui quasi descendens ad nos incipit à sapientiâ, finit ad timorem. Nos autem ascendentes incipimus à timore, perficimur in sapientiâ: *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* Si ergo spiritu opus est, vt lex possit impleri, accedant septem ad decem, fit numerus decem & septem. Si computes ab vno vsque ad decem & septem, fiunt centum quinquaginta & tres. Non opus est omnia annumerare, apud vos numerate: sic computate, vnum & duo & tria & quatuor sunt decem. Quomodò decem sunt vnum & duo & tria & quatuor, sic adde cæteros numeros vsque ad decem & septem, & inuenis numerum sacratum fidelium, atque Sanctorum in cœlestibus cum Domino futurorum.

Esai. 11. v. 2.

Eccl. 1. v. 16.

EIVSDEM EODEM DIE,
de duabus piscationibus,
SERMO I.

Est 1. de diuersis.
Cap. 1.

Liberatoris nostri prædicatio, nostra est liberatio. Duas autem aduertimus in sancto Euangelio Domini piscationes, id est, quando ad verbum eius missa sunt retia: vnam priùs, quando discipulos elegit, & hanc alteram, quando à mortuis resurrexit. Illa piscatio significauit Ecclesiam, qualis modò est: Ista verò post resurrectionem Domini, significauit Ecclesiam, qualis futura est in fine sæculi. Denique iussit mitti retia in illâ priori piscatione, & non dixit in quam partem: sed tantummodò vt mitterentur, præcepit. Misere discipuli. Non dixit, in dexteram: non dictum est, in sinistram. Pisces enim, homines significabant. Si ergo diceretur in dexteram, soli boni futuri erant; & si diceretur in sinistram, soli mali. Quia verò permixti futuri erant in Ecclesiâ & boni & mali, sine differentiâ missa sunt retia, vt caperentur pisces, significantes mixturam bonorum & malorum. Deinde & hoc ibi scriptum est, quia tantum ceperunt piscium, vt duæ nauiculæ impletæ mergerentur: hoc est, ad submersionem premerentur. Non enim submersa sunt illa duo nauigia, sed periclitata. Vnde periclitata? Multitudine piscium. Significatum est hinc, quia per multitudinem quam collectura erat Ecclesia, periclitatura erat disciplina. Et hoc additum est in illâ piscatione, atque narratur, Quia & retia præ multitudine piscium disrupta sunt. Disrupta retia quid significauerunt, nisi futura schismata? Tria ergo ista in illâ piscatione significata sunt, mixtura bonorum & malorum, pressura turbarum, separationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum, quia nec in dexteram nec in sinistram missa sunt retia. Pressura turbarum, quia tantum captum est, vt nauiculæ premerentur. Separationes hæreticorũ, quia tanta fuerat multitudo, vt retia rumperentur.

Luc. 5. v. 4
Prima piscatio.

Boni malis permixti.

Pericula à multitudine.

Disrupta retia.

Cap. 2.
Altera piscatio.

Respicite nunc ad piscationem istam, quæ hodie in Euangelio recitata est. Facta est enim post resurrectionem Domini, vt significaret talem futuram Ecclesiam, post nostram resurrectionem. *Mittite*, inquit, *rete in dexteram partem.* Discretus est ergo numerus eorum, qui ad dexteram stabunt. Meministis enim Dominum dixisse, *venturum se esse cum Angelis suis, & quod congregabuntur ante eum omnes gentes; & diuidet eas, sicut pastor diuidit oues ab hœdis. Oues ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram.* Ouibus dicturus est, *Venite, percipite regnum:* hœdis dicturus, *Ite in ignem æternum. Mittite in dexteram;* Tanquam diceret: Iam surrexi: Ecclesiam volo significare, quæ erit in resurrectione mortuorum. *Mittite in dexteram.* Missa sunt retia in dexteram: nec poterant ea leuare præ multitudine piscium. Et ibi dicta est multitudo: sed hîc certus numerus, & multitudo, & magnitudo: ibi autem non est dictus numerus. Modò enim antequam veniat resurrectio, & separentur boni à malis, illud impletur quod ait Propheta, *Annuntiaui, & locutus sum.* Quid est, *Annuntiaui, & locutus sum?* Retia misi. Et quid? *Multiplicati sunt super numerum.* Est numerus, sunt super numerum. Numerus ad Sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerũ modò in Ecclesiam intrare possunt, in regnum cœlorum non possunt.

Ioan. 21. v. 6.
Matth. 25. v. 32.

Psal. 39. v. 9.
Numerus, electorum: super numerum, reproborum.

Cap. 3.

Quare admoneo, vt eripiatis vos de præsenti sæculo malo. Quare admoneo, vt qui vultis viuere, non imitemini malos Christianos. Non dicatis. Quare? Ille non fidelis est, & inebriatur? Quare? Ille non fidelis est, & concubinas habet? Quare? Ille non fidelis est, & quotidie fraudes facit? Quare? Ille non fidelis est, & Mathematicos consulit? Modò enim qui volueritis esse grana, tunc inueniemini in massâ. Qui autem volueritis palea esse, inueniemini in magno aceruo, sed magno igni incedendi. Quid ergo? *Adduxerunt*, inquit, *retia ad littus.* Petrus attraxit retia ad littus: modò cùm Euangelium legeretur, audistis. Vbi audis littus, intellige finem maris: vbi audis finem maris, intellige sæculi finem. In illâ piscatione non ad littus attracta sunt retia: sed ipsi pisces qui capti sunt, in nauiculas fusi sunt. Hic autem traxerunt ad littus. Specta finem sæculi. Venturus est finis: bono dextrorum, malo sinistrorum. Et quot pisces? *Attraxerunt*, inquit, *retia habentia pisces centum quinquaginta tres.* Et adiecit Euangelista rem necessariam. *Et cùm tam magni essent, non est scissum rete.* Magni erunt, sed hæreses non erunt. Et idcò magis hæreses non erunt, quia magni erunt. Qui sunt magni? Lege verba ipsius Domini in Euangelio, & inuenis magnos. Ait enim quodam loco, *Non veni legem soluere, & Prophetas, sed adimplere.*

Ioan. 21. v. 11.

Matth. 5. v. 17.

Cap. 4.
Minimi, & magni in regno cœlorũ, id est, Ecclesiâ.

Amen, amen, dico vobis, quòd quicunque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit. Soluerit, & docuerit. Soluerit malè viuendo, & docuerit bona docendo: *minimus vocabitur in regno cœlorum.* Sed in quo regno cœlorum? In Ecclesiâ quæ modò est, quia & ipsa vbcatur regnum cœlorum. Nam si non vocaretur regnum cœlorum & ista Ecclesia quæ colligit

bonos & malos, noo diceret ipse Dominus in parabolâ loquens, *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, quæ congregat omnia genera piscium.* Sed quid sequitur? *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Sagenæ, retia suot: coogregat omnia genera piscium. Sed quid? Trahunt illa ad littus. Hoc in parabolâ Domious dicit. *Et cùm traxerint ad littus, sedent, & colligunt bonos, & mittunt in vasa; malos autem proiiciunt.* Et exposuit, quod proposuit. Quid enim? *Sic erit in consummatione sæculi.* Intellexistis littus? *Venient*, inquit, *Angeli, & colligunt malos de medio iustorum, & mittunt in caminum ignis ardentis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Tamen regoum cœlorum est appellata Ecclesia. Et quia mare habet pisces simul natantes, & bonos & malos, io isto regno cœlorum, id est, in Ecclesiâ huius temporis, miotmus vocatur ille, qui docet bona, & agit mala; quia ibi est & ipse. Noo enim non est ibi: ibi est in regno cœlorum; id est, in Ecclesiâ, qualis est isto tempore. Docet bona, agit mala: oecessarius est, mercenarius est. *Amen dico vobis*, inquit, *perceperunt mercedem suam.* Prodest aliquid. Nam si oihil prodessent, qui bona doceot & malè viuunt, noo diceret ipse Dominus suo populo, *Scribæ & Pharisæi cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Quare? *Dicunt enim, & non faciunt.*

Matth. 13. v. 47.

Minimi, id est, mali in Ecclesiâ.

Matth. 6. v. 2.

Matth. 23. v. 2.

Inteudat ergo charitas vestra. Volo enim exponere qui sint pisces magni. *Qui solnerit*, inquit, *vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum* Ibi erit, sed minimus. *Qui autem fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum* Ecce sunt illi pisces magni, ad dexteram capti: *qui fecerit, & sic docuerit.* Bona fecerit, bona docuerit: non sibi loquenti magna faciendo contredixerit, cùm malæ vitæ testem habeat linguam bonam. *Qui ergo fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et sequitur. *Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra super Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Modò quomodò intelligis regnum cœlorum? Illud vnde dicitur dextris, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum.* Quid est, *plus quàm Scribarum, & Pharisæorum?* Respice Scribas illos & Pharisæos, qui cathedram Moysi sedent; de quibus dictum est, *Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt.* Ergo iustitia Pharisæorum, est dicere, non facere. Abundet iustitia vestra super Scribarum & Pharisæorum; vt & bona dicatis, & benè viuatis.

Cap. 5. Matth. 5. v. 19.

V. 20.

Matth. 25. v. 34.

Iustitia Scribarum, dicere & non facere.

Iam ergo de numero centum quinquaginta trium piscium, quid opus est eadem retexere? Nostis illa. A decem & septem nascitur oumerus crescens. Incipe ab vno, peruenı ad decem & septem, vt omnes addas: id est, vnum addas ad duos, & fiant tres: addas tres, & fiant sex: addas quatuor, & fiant decem. Sic omnes adde vsque ad decem & septem, & peruenis ad centum quinquaginta tres. Tota ergo intentio nostra esse noo debet, nisi quid sibi volunt decem & septem: ibi est enim fundamentum centum quinquaginta trium. Quid sibi voluot decem & septem? In lege agnosce decem. Decem præcepta data sunt prima: Decalogus dicitur scriptus in tabulis digito Dei. In decem agnosce Legem; io septem agnosce Spiritum sanctum. Septenario enim oumero commendatur Spiritus sanctus: ideo in lege non nominatur sanctificatio, nisi septimo die. Fecit Deus lucem: noo dictum est, Sanctificauit eam. Fecit firmameotum: noo dictum est, Sanctificauit firmameotum. Discreuit mare à terrâ, iussit germinare terram: non dictum est, Sanctificauit. Iussit animalia procedere de aquis natantia & volantia: non dictum est, Saoctificauit. Iussit de terrâ exire animalia quadrupedia & omnia reptaotia: noo dictum est, Sanctificauit. Fecit ipsum hominem: ooo dixit, Sanctificauit.

Gal. 6. Allegoria numeri 153.

Sanctificatio septimi diei.

Veotum est ad septimum diem vbi reqoieuit, & ipsum sanctificauit. Per requiem suam Deus sanctificauit requiem oostram. Ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, vbi cum illo sine fine requiescemus. Nam quare Deus requiesceret? Non enim operando fatigatus est. Tu, si verbo facias, noo fatigans: si iubeas, & continuò fiat, stas, iotcger manes. Pauca verba dixit, vnde totum fecit, & subitò lassatus est? Ergo legem agnosce io decem: Spiritum sanctum agnosce in septem. Iungatur Spiritus legi. Quia si acceperis legem, & defuerit tibi adiutorium Spiritus, non imples quòd legis, non imples quod tibi iubetur: sed homo sub lege insuper præuaricator tenetur. Accedat Spiritus: adiuuet, & fit quod iubetur. Si desit Spiritus, litera occidit te. Quia præuaricatorem te faciet. Nec potes te excusare de ignorantiâ, quia legem accepisti. Iam quod faceres didicisti: ignorantia te non excusat, Spiritus te non adiuuat: ergo peristi. Sed quid ait Apostolus? *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Vnde Spiritus viuificat? Quia facit impleri literam, ne occidat. Isti sunt Sancti, qui faciunt legem Dei ex dono Dei. Lex iubere potest, iouare noo potest. Accedit adiutor Spiritus: & fit iussum Dei cum gaudio, cum delectatione. Nam multi faciuot ex omore. Sed qui faciunt legem, timendo pœnam: mallent non esse quod timerent. Qui autem faciunt legem, amaudo iustitiam: gaudent & ibi, quia oon habeot inimicam.

Cap. 7.

2. Cor. 3. v. 6. Spiritus viuificans; lex occidens.

Ideo dicit Dominus, *Concorda cum aduersario tuo citò, dum es cum illo in viâ.* Quis est aduersarius tuus? Sermo legis. Quæ via? Vita ista. Quomodò est ille aduersarius? Dicit, *Non mœchaberis*: & tu vis mœchari. Dicit, *Non concupisces rem proximi tui*: & tu vis rapere res alienas. Dicit, *Honora patrem & matrem*: & tu contumeliosus es in parentes. Dicit lex, *Noli dicere falsum testimonium*: tu à mendacio non recedis. Quando vides qoia ille sermo aliud iubet, & tu aliud facis, est aduersarius tuus. Adoersarium habes malum, oon tecum intret in secretarium: compone cùm es cum illo in viâ. Adest Deus qui vos concordet. Quomodò vos concordat Deus? Donando peccata, & inspirando iustitiam, vt fiant opera bona. Cùm ergo concordaueris cum aduersario tuo, id est, cum Decalogo legis per Spiritum sanctum, pertinebis ad decem & septem Cùm pertinueris ad decem & septem, iam exinde excrescet numerus ad centum quinquaginta tres. Eris ad dexteram coronandus, ne remaneas ad sinistram damnaodus. Conuersi ad Domioum, &c.

Cap. 8. Matth. 5. v. 25. Luc. 12. v. 58

Aduersarius noster in viâ, Dei lex.

Serm. 1. de diuersis.

EIVSDEM DE IISDEM *piscationibus, & de centum quinquaginta tribus piscibus captis.*

Possidius in Indiculo, De centum quinquaginta tribus piscibus, ex Euangelio Ioannis.

Cap. 1.

MVltis & varijs modis, & altitudinem diuinitatis suæ, & misericordiam humanitatis in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus ostendit, quemadmodum solet in mysterijs & sacramentis: vt petentes accipiant, & quærentes inueniant, & pulsantibus aperiatur. Hoc enim etiam quod lectum est hodie de sancto Euangelio quærit intellectorem, & facit gaudium spiritale, cùm fuerit intellectum. Intendat sanctitas vestra quid sibi velit, quòd eo modo se Dominum discipulis demonstrasse sancta Scriptura testatur, quomodò Euangelista narrat. (Ioan. 21. v. 3.) Perrexerunt enim discipuli piscatum, & totâ nocte nihil ceperunt. Dominus autem apparuit eis mane in littore; interrogauit vtrum haberent pulmentarium: illi se dixerunt non habere. Ait illis, *Mittite retia in dexteram partem, & inuenietis.* Qui quasi empturus venerat, gratis tanta largitus est: & largitus de mari, tanquam de creaturâ suâ. Magnum quidem miraculum. Miserunt statim, & tantum ceperunt, vt præ multitudine piscium extrahere retia non possent. Sed hoc tantum miraculum si attendas quis fecerit, C non est mirum: multa enim maiora iam fecerat. Non enim qui ante resurrectionem mortuos suscitauerat, magnum aliquid post resurrectionem fuit, quòd pisces capi fecit. Ergo interrogare debemus ipsum miraculum, quid nobis interiùs loquatur. Non enim sine causâ non dixit vtcunque, Mittite retia: sed, *Mittite in dexteram partem.* Deinde pertinuit ad Euangelistam dicere & numerum piscium: pertinuit etiam dicere, *Et cùm tanti essent* (id est, tam magni) *retia non sunt disrupta.* (Luc. 5. v. 4.) Hoc loco recordari nos fecit, aliquando ad iussum Domini missa esse retia, quando elegit discipulos, antequam pateretur ipse. Ibi erat Petrus, Ioannes & Iacobus. Miserunt retia, ceperunt pisces innumerabiles: & cùm D vnum nauigium impletum esset, quæsierunt se adiuuari à vicino nauigio: & impleta sunt duo nauigia piscibus (hoc ante resurrectionem) sanè tam multis, vt retia rumperentur. Quare ibi numerus nullus dicitur? Quare ibi retia rumpebantur, hîc rupta non sunt? Quare ibi non dictum est, vt ad dexteram partem mitterentur retia, hîc autem dixit, *Mittite retia in dexteram partem?* (Loquitur & factis Christus.) Non est vtique sine causâ: non enim faciebat ista Dominus quasi frustra & inaniter. Verbum Dei est Christus, qui non solùm sonis, sed etiam factis loquitur hominibus.

Cap. 2. Primæ piscationis mysterium, & secundæ.

Hoc ergo nobis propositum est, quod cum ve- E strâ charitate tractemus, quid sibi velit ista diuersitas. Etenim retia illa quæ missa sunt antea, & ceperunt innumerabilem piscium numerum & onerauerunt duas naues, & retia rumpebantur, & non sunt missa in dexteram partem retia, sed neque dictum est in sinistram. Iam mysterium illius captionis impletur hoc tempore. Illud autem alterum mysterium, quod non sine causâ post resurrectionem fecit, iam non moriturus, sed semper viuus futurus: non solùm diuinitate, quâ nunquam mortuus est, sed etiam

A Paschate.

A corpore, quo pro nobis mori dignatus est. Non ergo frustra, illud ante passionem, hoc post resurrectionem. Illud nec in dexteram, nec in sinistram, sed tantùm, *Mittite retia*: hoc autem, *Mittite in dexteram.* Ibi nullus numerus, sed sola copiosa multitudo, vt duas naues penè mergerent: nam & hoc dictum est ibi. Est hîc autem & numerus, & magnitudo piscium. Deinde ibi retia rumpebantur, hîc pertinuit ad Euangelistam dicere, *Et cùm tam magni essent, retia non sunt disrupta.* Nunquid non videmus, fratres, verbum Dei retia esse, & hoc sæculum mare; & omnes qui credunt intra illa retia includi? Si fortè quis dubitat hoc significare: attendat ipsum Dominum in parabolâ hoc dixisse, quod in miraculo ostendit. Ait enim, *Simile est regnum cœ-* (Matth. 13. v. 47.) B *lorum sagenæ missæ in mare: quæ congregat ex omni genere piscium. Quam, cùm impleta esset, educentes, traxerunt illam ad littus & iuxta littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Apparet ergo (Mare, sæculum hoc.) signum habere fidei, retia missa in mare. An non est mare hoc sæculum, vbi se inuicem homines quasi pisces deuorant? An paruæ procellæ, & fluctus tentationis perturbant hoc mare? An parua pericula sunt nauigantium, id est, in ligno crucis patriam cœlestem quærentium? Manifestissima ergo similitudo est.

Illud tantùm videamus, fratres (quia resurrectio Domini nouam vitam significat, quam habebimus, cùm hoc sæculum transierit) quomodò primùm Verbum Dei missum est in hoc mare, id est, in hunc mundum. In hoc sæculum fluctibus turbulentum, & tempestatibus periculosum, & naufragijs molestum, missum est verbum Dei, & cepit multos, ita vt implerentur (Duo nauigia duo populi in Christo coniuncti.) duo nauigia. Quæ sunt duo nauigia? Populi duo. Quibus duobus, tanquam duobus parietibus lapis angularis factus est Dominus, vt eos in se coniungeret ex diuerso venientes. Venit enim populus Iudæorum ex aliâ longè consuetudine: venit autem populus Gentium ab idolis. Venit ex D circuncisione populus Iudæorum: venit ex præputio populus Gentium. Ex diuerso venerunt: sed in lapide angulari iunguntur. Nunquam enim angulum faciunt parietes, nisi è diuerso venientes. In Christo ergo concordauerunt duo populi: vocati, ex Iudæis, qui erant propè; & ex Gentibus, qui erant longè. Nam quia propè erant Iudæi (iam enim vnum Deum colebant) quando crediderunt in Christum, attende quid fecerunt. Quicquid habuerunt, vendiderunt, (Act. 4. v. 34. Ecclesia ex Iudæis.) posuerunt pretia prædiorum suorum ante Apostolorum pedes: & distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat. Liberati sunt sarcinis E negotiorum sæcularium: & lenibus humeris secuti sunt Christum. Subdiderunt collum iugo leni: & amplectentes lapidem angularem ex propinquo, pacati sunt. Venit autem & populus Gentium ex longinquo, & ipse peruenit ad illum lapidem, & conuenit in pace. Istos duos populos significant duæ illæ naues. Sed tantâ multitudine piscium impletæ sunt, vt penè mergerentur. Legimus enim & inter ipsos, qui de Iudæis crediderant, extitisse carnales, qui pressuram faciebant Ecclesiæ, & prohibebant Apostolos Gentibus loqui Euangelium, dicentes, Non est (In eâ carnales, nauem)

grauantes. *Act. 15. v. 1.* missus Christus nisi circuncisis: vt si vellent Euangelium accipere Gentes, circunciderentur. Vnde Apostolus Paulus missus ad Gentes, odiosus eis factus erat verum prædicans, qui de Iudæis crediderant. Volabat enim Apostolus, vt ex diuerso veniens populus Gentium tamen angulum tangeret, vbi firma pax erat. Carnales ergo illi exigentes circuncisionem, non pertinebant ad numerum spiritalium: neque iam videbant transactis sacramentis carnalibus, venisse illum, cuius præsenti luce vmbræ fugarentur. Tamen quia seditiones faciebant, quasi multitudine suâ mergebant nauem.

Cap. 4. Ecclesia ex Gentibus malorum multitudine penè obruta.

Attendamus etiam nauem Gentium. Videamus si non tanta multitudo collecta est in Ecclesiam, B vt vix appareant grana frumenti in tam multo numero palearum. Quàm multi raptores, quàm multi ebriosi, quàm multi maledici, quàm multi spectatores theatrorum! Nonne ipsi implent Ecclesias qui implent & theatra; & plerunque seditionibus quærunt in Ecclesijs, qualia solent in theatris? Et plerunque si aliquid spiritaliter dicatur aut iubeatur, resistunt, reluctantur, sequentes carnem, repugnantes Spiritui sancto. *Act. 7. v. 51.* Vnde Iudæos quoque Stephanus accusabat. *Ægrè sublatæ Augustino ebrietates è templo.* In istâ ciuitate, fratres mei, nonne experti sumus quod recordatur nobiscum sanctitas vestra, quanto periculo nostro de istâ Basilicâ ebriositates expuleris Deus? C Nonne seditione carnalium penè mergebatur nobiscum nauis? Vnde hoc, nisi de illo numero piscium innumerabili? Deinde etiam illud ibi dictum est, *Quia retia rumpebantur.* Disruptis retibus, hæreses & schismata facta sunt. Retia quidem omnes concludunt, sed impatientes pisces nolentes venire ad cibum Domini, vbi possunt impingunt se, &

Rupta retia per loca. rumpunt, & exeunt. Et retia quidem illa per totum expanduntur: qui rumpunt autem, per loca rumpunt. Donatistæ ruperunt in Africâ, Ariani ruperunt in Ægypto, Photiniani ruperunt in Pannoniâ, Cataphryges ruperunt in Phrygiâ, Manichæi ruperunt in Perside. Quot locis sagena illa disrupta est? D & tamen quos includit perducit ad littus. Perducit quidem, sed nunquid qui ruperunt retia? Omnes mali exeunt. Non quidem exeunt, nisi mali: remanent autem & boni & mali. Nam vnde perducitur sagena ad littus cum piscibus & bonis & malis, de quâ in parabolâ locutus est Dominus.

Cap. 5.

Hanc enim similitudinem habet etiam area, cùm trituratur. Est palea, sunt frumenta. Sed tamen qui attendunt aream, difficile vident nisi paleam. Diligentium opus est, vt frumenta in paleâ inueniantur. Venti autem perflant vndique aream. Et cùm trituratur antequam subrigatur vt possit ventilari, nunquid non patitur ventos. Ventus flat ex hac parte, verbi gratiâ, tollit paleas: inde rursus flat, tollit ad alteram partem. E A quacunque parte tollit paleas, & mittit in sepem, & in spinas, & quodlibet. Non potest frumentum inde tollere: non tollit ventus nisi paleas. Sed tamen cùm tulerint vndique flantes venti paleas, nunquid solum triticum in areâ remanebit? Non inde it nisi palea: remanet autem & palea & frumentum. Quando it omnis palea? *Matth. 3. v. 12.* Quando venerit Dominus ferens ventilabrum in manu suâ, & mundabit aream suam, & frumenta recondet in horreum, paleam autem comburet igni inextinguibili. Melius intendat sanctitas vestra quid dicam. Aliquando enim A venti qui tollunt paleam de areâ, iterum flant à sepe vbi hæserat palea, & eam reuocant in aream. Sicut verbi gratiâ, nescio quis homo in Catholicâ constitutus, passus est aliquam tentationem tribulationis. Videt sibi carnaliter subueniri posse in negotio suo apud Donatistas: dictum est illi, Non tibi subuenierut, nisi hîc communicaris. Flauit ventus, proiecit in spinas. Si contingat illi negotium habere sæculare rursus, quod non attendens vbi sit, sed vbi negotia sua commodiùs explicet, quasi flante vento ab alterâ parte sepis, reuocatur ad aream Domini.

Cap. 6. Carnales vbique palea.

Isti ergo, fratres, qui carnalia quærunt in Ecclesiâ, & non sibi proponunt quid promittat B Deus, quia hîc sunt tentationes, pericula, difficultates: post temporales autem labores, requiem sempiternam promittit, & Angelorum sanctorum societatem: sibimet ergo ista non proponentes, sed carnalia desiderantes in Ecclesiâ, siue sint in areâ, siue sint foris, palea sunt. Nec ad illos valde gaudemus, nec palpamus eos vanis adulationibus. Bonum est illis vt fiant frumentum. Hoc enim inter illas veras paleas, & istos carnales homines (refert:) quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium: homini autem Deus dedit liberum arbitrium. *Homo ex paleâ frumentum.* Et, si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum. Si à verbo Dei se auertat hodie, fit palea. Et non est quærendum C nisi quales inueniat vltima ventilatio.

Cap. 7.

Attendite iam, fratres, etiam illam Ecclesiam beatam, mysticam, magnam, quam significant centum quinquaginta tres pisces. Ista enim qualis sit: audiuimus, & nouimus, & videmus. Illa autem qualis futura sit, in prophetiâ nobis est: sed adhuc nondum peruenit experimento, sed tamen licet de futurâ gaudere, quamuis præsentem nondum videmus. Missa sunt tunc retia, nec in dexteram, nec in sinistram: captura enim erant & bonos & malos. Si enim diceretur in dexteram, non ibi intelligerentur mali: si diceretur in sinistram, non ibi intelligerentur boni. Quando autem bonos & malos habitura D erant, passim missa sunt retia, & ceperunt, vt tractauimus, iniquos & iustos. Nunc autem iam futura Ecclesia in illâ Hierusalem sanctâ, vbi patebunt omnium corda mortalium, non est metuendum, ne intret aliquis in illam Ecclesiam qui malus est. Non enim sub pelle mortalitatis teget astutiam cordis nequissimi. Iam enim venit Dominus: & ideo post resurrectionem iubet vt mittantur hæc retia, iam non moriturus. Et fit quod Apostolus ait, *Quousque veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis: & tunc laus erit vnicuique à Deo*; *1. Cor. 4. v. 5.* quando publicabuntur conscientiæ, quæ modò teguntur. Tunc ergo boni soli erunt ibi, pellentur mali. Ad dexteram enim missa sunt retia: iniquos habere non poterunt.

Cap. 8. Centum quinquaginta tres pisces.

E Quare ergo centum quinquaginta tres? Nunquid tot erunt Sancti? Nam si computentur non solùm omnes fideles, qui in bonâ vitâ exierunt de corpore, sed soli Martyres: vnus dies passionis Martyrum, si computetur, millia hominum inueniuntur coronatorum. Ergo centum quinquaginta tres pisces, quid sibi volunt, sine dubio conquirendum est. Quid sibi volunt quinquaginta? In isto enim numero, id est, in quinquaginta, mysterium est: quia ter multiplicati quinquaginta, fiunt centum quinquaginta. Nam ideo videtur additus ternarius numerus, vt ad-

moneatur, ex quâ multiplicatione facti sunt centum quinquaginta tres: ac si diceretur, centum quinquaginta in tria diuide. Nam si diceretur, centum quinquaginta duo, ex illo numero qui supercreuit admoniti, diuideremus in septuaginta quinque: quoniam septuaginta quinque bis ducti, faciunt centum quinquaginta. Diuisionem quippe binam, binarius additus indicaret. Si diceretur centum quinquaginta sex, in vicenos quinos partiri debuimus, vt fierent eorum sex partes. Nunc autem quia dictum est centum quinquaginta tres, in tres partes debemus diuidere totum illum numerum, id est, centum quinquaginta. Huius numeri pars tertia, quinquaginta sunt. Itaque nostra tota consideratio, in quinquagenario numero figenda est.

Cap. 9. Quinquaginta dies antiquæ traditionis, ac Alleluia solennis.

Nunquid fortè ipsi sunt quinquaginta isti dies, quos nunc celebramus? Non enim sine causâ, fratres mei, consuetudinem antiquæ traditionis tenet Ecclesia, vt per istos quinquaginta dies Alleluia dicatur. Alleluia enim laus est Dei. Significatur ergo nobis laborantibus actio quietis nostræ. Cùm enim post illum laborem ad illam requiem veniemus, solum negotium laus Dei erit: actio nostra illi Alleluia est. Quid est Alleluia? Laudate Deum. Quis laudet Deum sine defectu, nisi Angeli? Non esuriunt, non sitiunt, non ægrotant, non moriuntur. Nam & nos diximus Alleluia, & cantatum est manè: hîc & cùm iam adessemus, paulò antè diximus Alleluia. Odor nos quidam diuinæ laudis, & illius quietis attingit: sed ex maiori parte mortalitas premit. Lassamur enim dicendo, & membra nostra reficere volumus: & si diu dicatur Alleluia, onerosa nobis est laus Dei, propter molem corporis nostri. Nam plenitudo sine cessatione in Alleluia, post hoc sæculum, & post laborem erit. Quid ergo fratres? Dicamus quantum possumus, vt semper dicere mereamur. Ibi cibus noster Alleluia: potus Alleluia: actio quietis Alleluia; totum gaudium Alleluia erit, id est, laus Dei. Quis enim habet aliquid sine defectu, nisi qui fruitur sine fastidio? Quantum ergo erit robur in mente, quanta immortalitas & firmitas in corpore, vt neque mentis deficiat intentio in contemplatione Dei, neque membra succumbant in continuatione laudis Dei?

Cibus noster ac potus in cœlo, Alleluia.

Cap. 10.

Quare ergo quinquaginta dies in hoc mysterio celebrantur? Dominus quadraginta dies fecit cum discipulis suis post resurrectionem, sicut Actus Apostolorum testantur: post quadraginta dies ascendit in cœlum, & decimo die posteaquam ascendit, misit Spiritum sanctum. Quo impleti Apostoli & omnes qui conuenerant in vnum, locuti sunt linguis, & fecerunt illa magnalia, quæ legentes & accedentes amplectimur, cum magnâ fiduciâ loquentes verbum Dei. Quadraginta dies fecit in terrâ cum discipulis, ante passionem autem quadraginta dies ieiunauit: nec inuenis alium ieiunasse quadraginta diebus, præter Dominum, & Moysen & Eliam. Dominus, tanquam Euangelium: Moyses, tanquam lex; Elias, tanquam prophetia: quia Euangelium testimonium habet à Lege & Prophetis. Ideo & in monte, quando voluit ostendere Dominus noster Iesus gloriam suam, inter Moysen & Eliam stetit. Medius in honore ipse fulgebat: Lex & Prophetæ à lateribus astabantur. Quadragenarius ergo numerus hoc tempus significat, in quo laboramus in sæculo: quia sapientia nobis

Act. 1. & 2.

Matth. 17. Luc. 9.

Quadragenarius ieiunij figura

hîc dispensatur temporaliter. Aliter enim visio sapientiæ immortalis sine tempore, aliter autem temporaliter dispensatur. Fuerunt enim Patriarchæ, & transierunt hinc: temporalis fuit dispensatio ipsorum. Non dico temporaliter viuunt, & cum Deo viuunt. Sed temporalis dispensatio verbi per eos facta est. Non enim modò loquuntur hîc; sed scripta sunt quæ locuti sunt, & leguntur in tempore. Venerunt Prophetæ tempore proprio, & abierunt. Venit Dominus tempore proprio: nam nunquam recessit præsentiâ maiestatis, nunquam recedit diuinitate vbique constitutus. Sed quomodò in Euangelio dictum est, *In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: in sua propria venit, & sui eum non receperunt?* Quomodò hîc erat, & quomodò venit: nisi quia hîc erat maiestate, venit humanitate? Quòd enim venit in carne, temporaliter ipse nobis sapientiam ministrauit: temporaliter per Legem, temporaliter per Scripturas Euangelij. Cùm transierint enim tempora, videbimus ipsam sapientiam sicut est, quæ retribuit denarium numerum. Septenarius enim numerus indicat creaturam: quia sex diebus Deus operatus est, & septimo ab operibus quieuit. Ternarius verò numerus conditorem Patrem & Filium & Spiritum sanctum insinuat. Perfecta est sapientia, creaturam Creatori piè subdere: discernere conditorem à conditione, artificem ab operibus. Qui commiscet artifici opera, nec artem intelligit, nec artificem: qui autem discernit, impletur sapientiâ. Iste est ergo denarius, plenitudo sapientiæ. Sed quando temporaliter distribuitur? Quia in quaternario numero est insigne temporalium, quater ductus denarius, quadragenarium numerum facit. Et annus quadrifariè variatur, verno, æstate, autumno & hyeme: & maximè apparet in tempore quaternaria quædam vicissitudo. Quatuor ergo cardines peruexit Euangelium, quod in tempore dispensatur: & ipsa est Catholica Ecclesia, quæ quatuor partes orbis obtinuit. Ergo denarius hoc modo quadragenarium facit.

huius temporis.

Ioan. 1. v. 10.

Matth. 24. v. 31.

Cap. 11. Quadragenarium Domini, Mosis & Eliæ ieiunium &c.

Ideo quadraginta diebus illi ieiunauerunt: significantes, in isto tempore necessariam esse abstinentiam ab amore rerum temporalium. Hoc enim significant per tot dies perpetua illa ieiunia, quadraginta diebus. Vnde & populus ille Israël quadraginta annos per eremum ductus est, antequam terram promissionis regnaturus intraret. Sic & nos in vitâ istâ, vbi maxima solicitudo est, vbi timor, vbi pericula tentationum: temporali dispensatione quasi per eremum ducimur. Sed cùm benè gesserimus quadragenarium numerum, id est, benè vixerimus in istâ temporali dispensatione, secundum præcepta Dei ambulantes, accipiemus mercedem, denarium illum fidelium. Quia & Dominus quando ad vineam mercenarios conduxit, mercedem illis denarium dedit. Omnibus denarium, & quos manè conduxerat, & quos medio die, & quos fine diei, omnibus denarium dedit: quia si fuerit ab ineunte ætate quisque fidelis denarium accepturus est: iam non per temporum distributionem, sed in æternâ contemplatione sapientiam discernentem creatorem à creaturâ: vt creatore perfruatur, de creaturâ laudet creatorem. Sed credidit aliquis iuuenis, & priore tempore suo non fuit fidelis, denarium est accepturus. Sed credidit senex, iam in occasu diei quasi horâ vn-

Matth. 20. v. 9. Denarius futuri typo quadraginta additus.

decimâ conductus ad vineam, & ipse denatium perecepturus est. Itaque ad quadragenarium illum benè gestum adde mercedem denatij, & fiet quinquagenarius, qui significat Ecclesiam fùturam vbi semper laudabitur Deus. Sed quia in nnmine Trinitatis vocati sunt omnes, in quadragenario numero bene viuant, & denariom accipiant. Ipsum quinquagenarium ter multiplica, & fiunt centum quinquaginta. Adde ipsum mysterium Trinitatis, fiunt centum quinquaginta tres, qui piscium numerus in dexterâ inuentus est, in quo tamen numero innumerabilia sunt millia Sanctorum. Vnde nulli mali inde proijcientur, quia non ibi erunt: nec vllo schismate retia disrumpentur, quæ sunt vincula vnitatis & pacis.

Cap. 11.

Satis esse arbitror expositum grande mysterium. Sed scitis, quòd ad nos pertinet bene operari tempore Quadragesimo, vt possimus Dominum laudare in Quinquagesimo. Ideo quadraginta illos dies, antequam vigilemus in labore & ieiunio & abstinentiâ celebramus: significant enim præsentiam huius temporis. Post resurrectionem autem Domini, quia isti dies significant lætitiam sempiternam: nondum hoc sunt, sed hoc significant. In mysterio res est, fratres, nondum in effectu. Non enim quando celebratur Pascha, crucifigitur Dominus: sed quomodò præterita anniuersariâ celebratione significauimus, sic & futura quæ nondum sunt. Isto ergo tempore relaxantur ieiunia: significat enim numerus dierum istorum quietem futuram. Sed videte, fratres, ne per multam ebriositatem quasi permissi magnâ effusione, carnaliter volentes celebrare istos dies non mereamini quod significant in æternum cum Angelis celebrare. Fortè enim quemcunque ebrium reprehendero, dicturus est, Tu nobis tractasti, quia isti dies lætitiam sempiternam significant: tu nobis insinuasti, quia hoc tempus gaudium Angelicum & cœleste prænuntiat. Non ergo debui mecum benefacere? Vtinam bene, & non malè. Significat enim tibi gaudium, si fueris templum Dei. Si autem immunditiâ vinolentiæ impleas templum Dei, sonat tibi Apostolus, *Quisquis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Sit hoc conscriptum in cordibus sanctitatis vestræ, meliorem esse hominem minus intelligentem & melius viuentem, quàm multum intelligentem & non benè viuentem. Plenitudo quidem est, & beatitudo perfecta, vt citò quisque intelligat & bene viuat: sed si fortè vtrunque non potest, melius est bene viuere, quàm citò intelligere. Qui enim bene viuit meretur amplius intelligere: qui malè viuit, & quod intelligit, perdet. Sic dictum est, *Qui habet, dabitur ei: qui autem non habet, & id quod videtur habere, auferetur ab eo.* Conuersi ad Dominum, &c.

Carnalis Quinquagesimæ celebratio.

1 Cor. 3. v. 17.

Plena beatitudo, eius que secundæ partes.

Matth. 25. v. 29.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,
Euangelij eiusdem expositio.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 21. v. 1.

P*Ostea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis.* Dominus noster Iesus Christus optatissimo sui conspectu frui denuo discipulis suis cumulatâ largitate tribuit, ac iam tertiò suâ illos præsentiâ impartit, vt firmum atque constantem erga se fidei sensum illorum animis inderet. Qui enim cum iam non semel, sed & tertiò viderant, quomodò non omni fidei debilitate animo excussâ, cunctis etiam reliquis accurati piorum dogmatum magistri, ac præcones existerent? Exit igitur Petrus piscatum vnà cum alijs. Eò enim proficiscenti etiam comites adiunguntur: per hæc quoque Saluatore nostro Christo vtile quidpiam disponente, ac ordinante. Dixerat enim ad eos quodam loco, cùm discipulatus iugum imponeret, atque ad Apostolatus dignitatem vocaret, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Vt igitur rudiori velut typo certiores faceret euenturum omninò quod dixerat, ac complendum reipsâ quod erat pollicitus, ex ipso quod tractabant instituto, ac ipsâ eorum arte clarè rem suadet. Beati namque discipuli collatâ artis industriâ (quippe qui piscatores essent) cùm noctem totam laborassent, nihil ceperant. Manè autem, cùm iam lux spargi cœpisset, stetit Iesus in littore. Nesciebant illi, ipsum esse. Quærenti tamen, atque dicenti, Num quid piscium quod esset edendo intra retia, haberent, nihil se prorsus cepisse dicunt. Tum iubet rete ad dexteram nauigij mittere. Illi, tametsi noctem totam inutili cassoque labore consumpserant, Mittemus, inquiunt, in verbo tuo. Id vt factum est, captorum pondus piscium trahentium vires superabat. Et hæc quidem diuinus Euangelista. Quia verò paulò antè diximus, Saluatorem clarissimo planè, reque ipsâ patrato opere certiores sanctos Apostolos fecisse, fore vt iuxta quod pollicitus erat, ij hominum piscatores essent; age, translatis ad veritatis significationem, quoad eius licet, figuris, Saluatoris sermonibus veritatis testimonium perhibeamus, ac ea, quæ facta sunt, sigillatim explicantes, spiritalis contemplationis ansam non exiguam, vt quidem existimo, lectoribus præbeamus. *Da enim sapienti occasionem, & sapientior erit; notifica iusto, & addet ad recipiendum.*

Malè omissa Borbonio.

Matth. 4. v. 19.

ἐν ῥήματι malè Borb. nec ex fide Interpretis, *in nomine tuo.* Est, quòd ita iubeas.

Pro. 9. v. 9.

Quòd ergo discipuli cùm totam noctem piscati essent, nihil penitus ceperint, sed frustra desudarint, id significare arbitror; nempe veterum doctorum prædicationibus adductum neminem penitus ad fidem, aut ita captum vt Deo perfectè famularetur, eique placitum cultum adhiberet, aut certè paucos admodum. (Quod enim valde exiguum est, ac si nihil sit existimatur) cùm meritò ingens toto orbe hominum copia intelligatur. Quonam igitur obstaculo ac impedimento, priscorum labor in irritum cedebat? aut quid eis prædicationem penè inutilem reddebat? Nempe nox erat, ac tenebræ adhuc, animorumque caligo quædam, ac fraus dæmoniaca mentis oculis insidens, nec sinens diuinam, ac veram lucem conspicere. *Non* enim *erat qui faceret bonum*, Psalmistæ ea vox est, *non erat vsque ad vnum. Omnes declinauerant, simul inutiles facti erant.* Tametsi verò per Mosen captus erat Israël, tamen perinde ac ij qui capti non sunt, cultum typicum ac vmbratilem obseruabat; & Lege, quæ ad perfectum adducit nihil, eruditus erat. Quippe quodammodò inutilem, ac Deo contrarium typicum esse cultum, facilè ex eo videas, quòd ipse cruentas victimas, ac genus omne terrenæ ac corporeæ oblationis repudiat. *Vt quid* enim *mihi*, inquit, *thus de Sabà affertis, & cinnamomum de terrà longinquà? Holocautomata vestra non sunt accepta, & sacrificia vestra non mihi iucunda fuerunt.* Atque hæc

Discipulorum noctu piscatio, spiritali sensu.

Psal. 13. v. 3.

Hebr. 7. v. 9

Legalis cultus Deo parum acceptus.

Ier. 6. v. 20.

quidem dicimus, non quòd primum, atque olim datum mandatum contemnamus, neque quòd Legem iocusare velimus, sed potiùs vt auditoribus ionuamus; cùm vniuersi Dominus Deus ad Euangelicæ duntaxat institutionis decus respiceret; ijque, qui per legem capti essent, voum eum, qui vmbris, figurisque coostarer, inutilem cultum spectarent, eodem propemodum numero, atque ordine habitos esse, ac qui necdum capti essent, donec correctionis tempus effulsisset; cùm Christus apertè dicat, postquam factus est homo, *Ego sum veritas.* Iam si quid his insuper addendum est, oon grauabor, propter vtilitatem legentium.

Ioan. 14. v. 6.

Lex ipsa humanis traditionibus deprauata.

Matth. 15. v. 9.

Isai. 53. v. 1.
Ier. 15. v. 10.

Qui per Mosen ad Legalem disciplinam vocati fuerant, ipsâ quoque datâ Lege spretâ, vixque non lato risu sanctum excipientes mandatum, conuersi erant ad doctrinas, mandata hominum; eòque duritiei ac præfracti animi deuenerant, vt & sanctorum Prophetarum ijs sermo, doctrináque torperet. Sanè etiam clamabant, *Domine, quis credidit auditui nostro?* Ieremias verò, *Heu me mater, quare me genuisti, virum, qui iudicer, simque suspecta fides in omni terrâ? Non profui, nec profuit mihi quisquam. Fortitudo mea defecit in ijs, qui maledicunt mihi.* Quomodò ergo præfractum illum durumque Israelem, non ijs similem esse fateamur, qui ne prorsus quidem capti essent, quando ipsam quoque Mosi sancitam Legem conculcauerat? Quòd aotem ipsa quoque Gentium multitudo nondum ad fidem conuersa esset, extraque diuinæ doctrinæ septa prorsus consisteret, vt probemus nulla necesse verba adhibere. Illis ergo tenebræ io corde erant, & nox diabolica, quæ veræ Dei cognitionis, atque fidei lucem repelleret. Quare totâ, vt verbo dicam, nocte cùm sudassent, spiritale tamen euerriculum, ijs qui Domini aduentum præcesserant, piscibus carebat. Sed manè facto, hoc est, depulsâ iam diabolicâ caligine, ac Christo vero exorto lumine, exque ijs qui fessi erant, quærente, num opsonij aliquid intra retia haberent, quod Deo, nostrûm omnium salutem quodammodò esurienti, cibus fieret (eius enim proprium cibum appellauit Scriptura conuersionem Samaritanorum) palamque fatentibus sibi prorsus esse oihil, in dexteram nauigij partem denuò retia mittere iubet. Nam miserat etiam Moses doctrinæ rete, per Legis scilicet literam: at in læuâ quodammodò piscatus extiterat, cùm Saluatoris mandatum intelligatur in dexterâ. Maior enim citra omnem comparationem, atque præstantior honore, ac gloriâ præceptis Legalibus Christiana censenda institutio; omninò quippe figuris anteibit veritas, Dominus seruo, quæ iustos facit Spiritus gratia, literæ quæ condemnat. Absque morâ igitur Saluatoris nostri monitis obsecuti diuini discipuli, rete laxant. Hoc autem nobis etiam significat, non sibi eos rapuisse Apostolatus gratiam, sed ipso iubente profectos esse ad spiritalem capturam. *Exeuntes* enim, inquit, *docete omnes Gentes.* Et quidem aiunt ipsi, in eius verbo se rete laxare: Piscantur enim non aliter quàm Saluatoris nostri verbis, ac præceptis Euangelicis. Tanta porrò retia subijt piscium multitudo, vt nec iam facilè discipuli possent trahere. Innumeri enim sunt, qui capti credidere; iamque sanctorum Apostolorum viribus maius ac præstantius reuerâ istius rei miraculum enitet. Christi enim virtus ac operatio, ipsa suâ vi,

Matutina piscatio.

Ioan. 4. v. 34.

Matth. 28. v. 19.

Laxarum rete in verbo Domini.

in Ecclesiam quæ in terrâ est, velut in rete saluandorum multitudinem cogit.

Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Simon ergo Petrus, &c. Seipsum hîc quoque rursus eum auctor, qui diligebatur, ait. Diligebatur aotem plurimùm, ob multam, vt videtur, solertiam, ac mentis puritatem, atque oculorum cordis subtilitatem, nec non aciem iogenij ad acutiùs intelligendũ aptissimam. Ac sanè cunctis alijs prior miraculi sensum ipse rapiens, adesse Christum agnouit, atque alijs indicauit; nihil prorsus hæsitans, quin potiùs clamore sublato, magnâque fiduciâ, *Dominus est,* ait. Et prosilit quidem diuinus Petrus, ratus se scaphâ tardiùs ad eum accessurũ. Feruens quippe, & ad Christi amorem ac studium semper incitatus & audax, Petrus. Sequuntur verò etiam alij præstitem illum, vnà cum nauigio rete adducentes. Tum prunas miro, nouóque modo positas aspiciunt, ac Christo accensam pyram, piscemque qui opsonio cederet arcanâ captum virtute, impositum: idque ipsum singulari consilio, ac documento. Non enim sanctorum Apostolorum manus, id est, prædicatio, spiritalem in nobis capturam auspicata est, sed Saluatoris potentia. Primus quippe vnum, ceu sequentium primitias, cepit. Neque verò vnum prorsus fuisse dicimus, sed per vnum non bene multi significantur. Tum verò eo capto, ingentem discipuli multitudinem capiunt, eius diuinissimis rursum nutibus roborati, vt & capere quid possint. Trahit verò rete Petrus, ex quo rursus intelligi datur, fore, vt sanctorum Apostolorum labor non sit imperfectus. Attulerunt ipsi quo iubente ceperant, captos pisces numero centum quinquaginta tres; centenario numero, vt reor Gentium plenitudinem designante. Plenissimos enim est centenarius numerus, ex decadibus decem compositus. Proindeque ipse Dominus Iesus Christus modò quidem centum sibi oues esse ait, integrum creaturarum rationc vtentium numerum hoc pacto significans; modò fœcundissimum agrum producturum centum asserit, sanctæ animæ perfectam vbertatem hinc indicans. Quinquagenario verò, quæ secundum electionem gratiæ sunt, eorum qui ex Israël, reliquias intelligendas velut ingerit. Quinquagenarius enim dimidium est centenarij, & numeri perfectione caret. Ternarius autem sanctam & consubstantialem vt in vno numero significare potest Trinitatem, cuius ad gloriam & laudem sempiternam, eorum qui per fidem capti sunt vita refertur, & coniunctim intelligitur. Deus enim in omnibus credentibus est, proximè coniunctos habens, quod ad sanctificationis rationem spectat, eos, qui Euangelicis prædicationibus acquieuere.

V. 7. &c.

Ioannis præclaræ dotes ex quibus eius priuilegiũ amoris.

Petrus vbique feruens

Dominus ipsam spiritalẽ capturam auspicatus.

[illegible] Malè Borbon. non carituram mysterio. Fuisset imperfectus ac fine caruisset, nisi ad terram, traxissent captos pisces

Matth. 16. v. 12.

Matth. 11. v. 8.

Iam autem tractâ in littus sagenâ, ait rursus Dominus noster sanctis discipulis, *Venite, prandete,* docens nimirum his verbis post labores ac sudores insumptos erga vocatos atque saluatos, secum tandem recubituros, iuxta ipsius Saluatoris vocem, atque vnà perpetuò futuros, delicijs (spiritalibus nimirum ac diuinis, omnemque mentem excedentibus) ijs appositis. Tantum non verò Christus id vult significare, quod in Psalmis scriptum legitur, *Labores manuum tuarum manducabis.* Sed enim nec sibi ipsi quod manducant ceperunt, sed eis potiùs Christus distribuit, vt rursus velut in typo quodam noueri-

Prandium cum Christo à piscatione.

Luc. 22. v. 29.

Psal. 127. v. 2.

mus; tunc quoque rursus Christum nobis fore diuinorum præbitorem bonorum, & eorum distributorem quæ alendo sunt; quippe Dominum.

S. PETRI CHRYSOLOGI

in superius Euang. De septimâ Christi manifestatione factâ discipulis, ad mare Tiberiadis.

SERMO.

Serm. 78.

Dominicæ passionis nox.

POst illam terris inexpertam, tremendam cœlis, inauditam sæculis, inferis non ferendam tempestatem Dominicæ passionis, venit ad mare Dominus, & discipulos suos nocturnis in tenebris repetit fluctuantes. Fugiente enim Sole, quid de splendore lunari? quid de stellis ad noctis potuit solatium remanere? Erat enim vna terra & confusa caligo, quæ non solùm visum corporis, sed ipsum mentis cæcabat obtutum; nec sinebat litius fidei, portum salutis petere, vel repetere nauigantes.

Ioan. 21. v. 4.

Creaturę in eâ turbatio.

Manè, inquit Euangelista, *iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est.* Creatoris iniuriam tota fugerat creatura: necem Domini sui mundus euitare contendit, sciens ad totam domum vindictam pertendere, in quâ fuerit seruorum scelere dominator occisus. Hinc est, quòd suis se deserentibus fundamentis, terra tremuit: Sol, ne videret, aufugit: dies, ne interesset, abscessit: petræ, quia non valebant discedere per naturam, nouum scinduntur per vulnus; facinus tantum sono, quia voce non poterant, accusantes: infernus, vbi ad se penetrare ipsum iudicem vidit, victus & eiulans, quos tenebat amisit: hinc est, quòd redditæ corporibus suis animæ resurrecturos mortuos, quos mundus putauerat deperiisse, viuentibus nuntiarunt.

Reductus dies Domini resurrectione.

Ergo taliter cùm mundi compago tota confuso ordine fluctuaret, & ad primordiales tenebras, atque antiquum chaos crederet se auctoris sui morte deuolutam, subitò resurrectionis suæ lumine Dominus diem reducit, & orbem totum pristinum reformat in corpus: vt quem sibi taliter viderat esse compassum, suam secum suscitaret ad gloriam, dicente Euangelistâ: *Manè iam facto.* Id est, transactâ nocte Dominicæ passionis. *Stetit Iesus in littore.* Vt in antiquum terminum reuocaret vniuersa, firmaret dubia, iactata compesceret, turbata componeret, & statione suâ ipsa fundamenta orbis, quæ sic commota fuerant, stabiliret, quo mox mundus ad sui recurreret auctoris obsequium, qui ad sui diffugerat auctoris iniuriam.

Iesus stans in littore.

Manè autem facto, stetit Iesus in littore. Vt Ecclesiam præcipuè, in quâ discipuli à maris tunc fluctibus iactabantur, ad fidam fidei suæ reduceret stationem: denique quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore inuenerat prædetectos, arguit tales, pueros nuncupando, cùm dicit: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Ibi enim erat Petrus, qui negauerat: Thomas, qui dubitauerat: Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed pueros compellat vt timidos: & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam, dicendo: *Pueri, nunquid habetis pulmentarium?* Vt humanitas ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem: corpus enim resurrexisse non crederent, nisi eum toto hominis ordine cernerent manducantem. Hinc est quòd petit escas saturitas tota rerum: panis ipse manducat, quia non ille cibum, sed suorum semper esurit charitatem. *Pueri, nunquid habetis pulmentarium? responderunt ei, Non.* Et quid habebant, qui Christum iam secum positum non habebant, qui coram stantem Dominum suis adhuc oculis non videbant? *Non enim cognouerunt discipuli, quòd Iesus est.*

V. 5. Matth. 26. v. 7. Ioan. 20. v. 25. Mar. 14. v. 51. Pueri facti Apostoli.

Fort. agnoscebant.

V. 6.

Dicit, eis, Mittite in dexteram partem nauis rete, & inuenietis. Reuocat ad dexteram, quos turbo passionis egerat, & redegerat ad sinistram. *Miserunt*, inquit, *& non poterant illud trahere à multitudine piscium.* Miserant in dexteram, miserant in virilem partem, sed vt pueri adhuc trahere non valebant: senserunt tamen ex ipso pondere, senserunt pisces venisse ad iubentis imperium, non humanæ artis incurrisse capturam.

V. 7. Amoris oculus semper acutior.

Discipulus autem ille, qui diligebatur ab Iesu, ait, Dominus est. Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper viuaciùs qui diligitur, sentit. *Petrus vt audiuit.* Quæ res illam Petri sic tardauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nuntiare? Vbi est istud ipsius singulare? *Tu es Christus Filius Dei viui*: vbi est? In domum aufugerat Caiphæ Principis Iudæorum: tardiùs suum Dominum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audiuit. *Vt audiuit*, inquit, *quia Dominus est, tunicâ se præcinxit; erat enim nudus.* Mirum, fratres, cùm comprehenderetur Dominus, Ioannes abiecit sindonem, & Petrus inuentus est nudus: quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio sic nudauit. Mirum, fratres, & verè mirum, quia qui in naui nudatus est, in mare se demergit indutus: quia innocentia nunquam nuda est, & reatus semper refugit ad velamen. Denique sicut Adam, ita & nunc Petrus post culpam suam gestit tegere nuditatem, qui fuerant ambo vtique ante culpam sanctâ nuditate vestiti. *Tunicâ se præcinxit, & misit se in mare.* Vt mare dilueret, quod negatio taliter sordidauerat. *Misit se in mare.* Vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. *Et tunicâ se præcinxit.* Qui præcingendus erat martyrij passione, dicente Domino: *Alius te præcinget, & ducet quo tu non vis.*

Matth. 16. v. 16. Petrus tardior ad agnitionem à negatione.

Gen. 3. v. 7. Adam & Petrus ante culpam sanctâ nuditione vestiti.

Inf. v. 18.

V. 8.

Alij autem discipuli nauigio venerunt. Alij nauigio perueniunt, & capturam piscium trahunt, vt Ecclesiam sæculi iactatam procellis, & eos quos Euangelico reti ad supernam lucem rapiunt, & eleuant de profundo, ad Dominum secum fideli labore perducant. *Non*, inquit, *longe erant à terrâ.* Non erant longè à terrâ viuentium, quos præsentium finis proximos esse fecerat iam futuris. *Sed quasi cubitis ducentis.* Ex Iudæis & Gentibus centenarium numerum duplicat, qui duorum vitam, salutemque iungit populorum. Reliquam partem lectionis sequenti sermone, Domino iuuante, tractabimus.

BEATI

B. GREGORII PAPÆ *in idem Euang.*

HOMILIA.

Est Hom. 24. in Euang. Ita ex August. LEctio sancti Euangelij, quæ modò in auribus vestris lecta est, fratres mei, quæstione animum pulsat, sed pulsatione suâ vim discretionis iudicat. Quæri etenim potest, cur Petrus qui piscatur ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem rediit: & cùm veritas dicat; Luc. 9. v. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei*; cur repetijt quod dereliquit? Sed si virtus discretionis inspicitur, citò videtur, quia nimirum quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum verò telonearium scimus. Et post conuersionem suam ad piscationem Petrus redijt, Matthæus verò ad telonei negotium non resedit: quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat.

Hæc item. Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio festinè cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare, nisi præsens sæculum designat, quod se casuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis illidit? Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat: ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens: Iam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Hinc est quòd in alio loco post resurrectionem suam eisdem discipulis dicit: Luc. 24. v. 44. *Hæc sunt verba, qua locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum.* Neque enim eum ipsis non erat, quibus præsens corporaliter apparebat. Sed tamen iam se cum ipsis esse denegat, à quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat. Quod illic cùm ipsis positus fatetur, non se esse cum ipsis, hoc quoque hîc situ corporis indicat, cùm adhuc eis nauigantibus esse se iam in littore demonstrat. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, vt Magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas. Qui protinus dixit: V. 6. *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.*

Sed & ista. Piscatio duplex, ac cuius veraque figura. Luc. 5. v. 4. Bis in sancto Euangelio legitur, quia Dominus iussit vt ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet, & post resurrectionem. Sed priusquàm Redemptor noster pateretur & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum iubet, sed vtrùm in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non iubet. Post resurrectionem verò discipulis apparens, mitti rete in dexteram iubet. In illâ piscatione tanti capti sunt, vt retia rumperentur: in ista autem & multi capti sunt,

A & retia tamen rupta non sunt. Quis verò nesciat bonos in dexterâ, ac malos in sinistrâ figurari? Illa igitur piscatio, in quâ specialiter in quam partem mitti rete debeat non iubetur, præsentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul & malos colligit, nec eligit quos trahat, quia quos eligere possit, ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est: quia ad videndum claritatis ipsius gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illâ piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur: quia nunc ad fidei confessionem, etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In istâ verò piscatione, B & multi pisces & magni capiuntur, & rete non rumpitur: quia sancta electorum Ecclesia in continuâ auctoris sui pace requiescens, nullis iam dissensionibus dilaniatur.

Captis autem tam magnis piscibus, ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. V. 11. Iam credo quòd vestra charitas aduertat, quid est quòd Petrus rete ad terram trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa; ipsi specialiter dicitur: Petrus rete plenum trahit. Ecclesia illi commissa. *Simon Ioannis, amas me? pasce oues meas.* Infra v. 15. Quod ergo postmodum aperitur in voce, hoc modò significatur in opere. Quia igitur prædicator Ecclesiæ nos à mundi huius fluctibus separat, nimirum necesse est, vt rete plenum piscibus Petrus C ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia sanctæ prædicationis voce stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidiè miraculorum signis. Quoties enim per eum ad amorem quietis æternæ conuertimur, quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi intra rete fidei, vt pisces ad littus trahimor?

Sed cùm rete magnis piscibus plenum dicitur additur & quantis, scilicet centum quinquaginta tribus. A magno mysterio numerus non vacat, sed intentos vos tanti mysterij profunditas D expectat. Neque etenim quantitatis summam solerter Euangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse iudicasset. Scitis namque, quòd in testamento veteri omnis operatio per Decalogi mandata præcipitur. In nouo autem eiusdem operationis virtus per septiformem gratiam Spiritus sancti multiplicaris fidelibus datur: Hæc etiam. Piscium numerus. quem Propheta denuntians, dicit: *Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Isai. 11. v. 2. Sed ille in hoc Spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, vt & Patrem & Filium & eundem Spiritum sanctum vnius virtutis credat, vnius sub-E stantiæ esse fateatur. Quia igitur septem, quæ superius diximus, per nouum testamentum latiùs data sunt, decem verò per vetus præcepta, omnis nostra virtus & operatio per decem & septem potest plenè comprehendi. Ducamus ergo per trigonum decem & septem, & veniunt quinquaginta & vnum. Qui profectò numerus à magno mysterio non vacat, quia in testamento veteri legimus, quòd annus quinquagesimus Iubileus vocari iussus est, in quo videlicet cunctus populus ab omni operatione quiesceret. Sed Leuit. 25. v. 10. vera requies in vnitate est, diuidi quippe vnum non potest. Vbi enim scissura diuisionis est, vera requies non est. Ducamus igitur per trigonum

A Paschate. Q

quinquaginta & vnum,& fiunt centum quinqua- A gintatres.Quia igitut omnis uostra operatio in fide Ttinitatis exhibita, ad requiem tendit, decem & septem ter ducimus, vt ad quinquaginta & vnum venire debeamus. Et quia vera nostra requies tunc est, cùm ipsam iam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam io vnitate diuinitatis esse certum tenemus, qninquaginta & vnum ter ducimus, & electorum summam in supernâ patriâ, quasi centum quinquagintatrium piscium numerum tenemus. Post resurrectionem ergo Domini missum rete dignum fuit, vt tot pisces caperet, quot solummodò electos ciues supernæ patriæ designatent.

B Inter hæc verò, & hesterna sancti Euangelij lectio, & hodierna nos admoner, vt vigilanter debeamus inspicere, cur Dominus & Redemptor noster post resurrectionem suam piscem assum legitur comedisse. Non enim vacat à mysterio, quod iteratur in facto. In hac etiam lectione panem, & assum piscem: in illâ verò, quæ hesternâ die lecta est, cum asso pisce etiam fauum mellis comedit.

Luc. 24. v. 42. Piscis assus, ipse Christus in passione.

Quid autem signate piscem assum credimus, nisi ipsum mediatorem Dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ.

Idem fauus mellis in resurrectione.

Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, fauus mellis nobis extitit in resurrectione: & qui in pisce asso figurati C voluit tribulaoonem passionis suæ, in fauo mellis vtramque naturam exprimere voluit personæ suæ. Fauus quippe, mel in cerâ est: mel verò in cerâ, est diuinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat: nam piscem comedit & panem.

Panis reficiens. *Ioan. 6. v. 51*

Qui enim assari vt piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex diuinitate, qui ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi* Assum ergo piscem comedit & panem, vt ipso suo cibo nobis ostenderet, quia & passionem ex nostrâ humanitate pertulit, & refectionem nostram ex suâ diuinitate procurauit.

Moralitas.

D Qnod si vigilanter inspicimus, nobis quoque qualiter ad imitandum congruit videmus. Sic enim sua facta Redemptor indicat, vt imitationis viam nobis sequentibus sternat. Ecce in cibo suo Dominus noster pisci asso coniungere fauum voluit: quia videlicet illos in suo corpore ad æternam quietem suscipit, qui cùm hîc tribolationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Cum asso pisce fauus sumitur, quia qui hîc afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dnlcedine verâ satiantur. Notandum quoque, quòd vltimum conuiuium Dominus cum septem discipulis habuisse describitur.

Septem discipuli in supremo conuiuio à Domino excepti.

Petrus namque & Thomas, Nathanaël, filij Zebedæi, & alij ex discipulis duo, in eo fuisse memorantur. E Cur autem cum septem discipulis vltimum conuiuium celebrat, nisi quòd eos tantummodò, qui septiformi gratiâ Spiritus sancti pleni sunt, futuros secum in æternâ refectione denũtiat? Septem quoque diebus omne hoc tempus euoluitur, & sæpè septenario numero perfectio designatur. Illi ergo vltimo conuiuio de præsentiâ veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt: quos mundi huius amor non ligat, quibus & si vtcunque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo conuiuio aliàs per Ioannem dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* *Apoc. 19. v. 9.* Idcircò enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei conuiuium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore, ad resurrectionem æternæ contemplationis veniunt, oon ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc vltimo conuiuio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur: quia illos, vt diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc septiformi gratiâ, in amore Spiritus anhelant.

Cœna Agni.

Hæc ergo vobiscum, fratres, agite, huius Spiritus repleri præsentiâ desiderate: quid vos sequi io futurum possit, ex præsenti perpendite. Pensate si hoc Spiritu pleni estis, & nostis si ad illud conuiuium peruenire valeatis. Quisquis namqne ille est, quem nunc Spiritus iste non reparat, profectò ab illâ æterni conuiuij refectione ieiunat. Mementote quid de eodem Spiritu Paulus dicat: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* *Rom. 8. v. 9.* Quasi quidam titulus diuinæ possessionis, est iste Spiritus amoris. Nunquidnam Spiritum Christi habet is, cuius mentem odia dissipant, elatio inflat, ira vsque ad diuisionem mentis exasperat, auaritia cruciat, luxuria eneruat? Pensate quis sit Spiritus Christi. Profectò ille, qui facit amicos & inimicos diligi, terrenæ despici, pro cœlestibus æstuare, carnem propter vitia conteri, mentem à concupiscentijs refrænari. Si ergo vultis ius cognoscere possessionis Dei, personam perpendite possessoris vestri. Ecce enim quod diximus, voce veridicâ Paulus clamat: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* *Rom. 8. v. 9.* Ac si apertè dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de diuinæ claritatis specie postmodùm non lætatur. Sed nos tamen, si ad hæc quæ dicta sunt infirmamur, necdum culmen perfectionis attingimus, in viâ Dei quotidiè sancti desiderij gressus ponamus. Consolatur nos veritas, quæ per Psalmistam dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* *Psal. 138. v. 16.* Non omninò erit nobis noxia nostra imperfectio, si in Dei itinere constituti, & ad transacta non respicimus, & ea quæ restant transire festinamus. Nam qui imperfectorum desideria dignanter inflammat, hæc quandoque ad perfectionem roborat, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo viuit & regnat Deus, in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

FERIA V. POST PASCHA.

IOAN. XX.

a Quam fortior fixerat affectus. b Cum aliis duabus.

IN illo tempore: [a] Maria stabat ad monumentum foris [b] plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum. Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Do-

c Hæc est maior causa doloris.

minum meum, & nescio vbi [c] posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non

d Redarguens eam. e Quæ non credit adhuc est mulier, adhuc corporei sexus appellatione signatur. f Quasi. Non lacrymas nudas, sed fidem exigo: bonæ lacrymæ si Iesum agnoscas. g Interrogatur causa doloris, vt augeatur desiderium. h Non penitus falsò, quia in eius mente seminabat.

sciebat quia Iesus est. [d] Dicit ei Iesus. [e] Mulier, quid [f] ploras? Quem [g] quæris? Illa [h] existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi

i Prius corpore conuersa putauit quod non erat, nunc conuersa corde quod erat agnouit.

vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. [i] Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere. Nondum enim as-

k Naturæ.

cendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad [k] Patrem

l Non ait communiter nostrum, sed meum & vestrum, quia differunt. m Gratia. n Quia ego homo. o Qui a vos ab errore liberauit. ¶ Sub quo & homo sum.

[l] meum & Patrem [m] vestrum: [n] Deum meum & Deum [o] vestrum. Venit Maria Magdalenæ annuntians discipulis, quia vidit Dominum, & dixit mihi hæc.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

Ioan. 21. v. 11. Maria ad monumentum plorans.

PLORANS. Iam plus de sublato quàm, de occiso plorat: quia tanti magistri, cuius vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat: & iste dolor ibi eam tenebat.

In illud prospiciens

Dum ergo fleret. Cùm eum sciret ibi non esse: sed quia nimis dolet, nec suis oculis, nec oculis illorum duorum credendum putauit. Vel potiùs diuino instinctu hoc factum est.

V. 12. Angeli ad caput, & pedes.

Vidit duos Angelos. Angeli, id est, nuntij, significant Euangelium Christi, à capite vsque ad pedes, id est, ab initio vsque ad finem esse nuntiandum. Et ille ex passione suâ erat nuntiandus, qui Deus est ante sæcula, & homo in fine sæculi. Sedet ergo Angelus ad caput, cùm dicit: *In principio erat Verbum*. Ad pedes, cùm dicit: *Verbum caro factum est.* Vel duo Angeli, duo testamenta: vnum prius, aliud sequens. Coniuncta, dum pari sensu incarnatum, mortuum, resuscitatum nuntiant.

Ioan. 1. v. 1. & 14.

V. 13. Ioan. 1. v. 14

Quid ploras? Quasi dicat, *Noli plorare.* Prohibent lacrymas quodammodò nuntiantes gaudium. At illa putans eos interrogare nescientes, prodit causam lacrymarum: *Quia tulerunt Dominum meum*, id est, corpus Domini mei.

V. 14. Maria vt Dominum nesciebat.

Et non sciebat. Quia tergum ad eum habebat, quem non resurrexisse credebat: Quia amabat, & dubitabat; videbat, & non cognoscebat.

V. 15.

Quem quæris? Non quòd dubitet quem requireret: sed quia illa quem quærit, ignoret: non enim quærit Christum, sed quem putat raptum.

Domine. Quem putat hortulanum dicit dominum, vt honorificaret hominem à quo roga-

A Paschate.

A bat beneficium. Nec sic dicit eum dominum, sicut illum quem quærit sublatum. Iesum verò agnoscens vocat Magistrum, quia recolit eum à quo discernere humana, & diuina discebat.

Si tu sustulisti. Non dicit quem, quia hoc in animo agit vis amoris, vt quem semper cogitat nullum alium ignorare credat.

Maria. Postquam communi nomine vocauit, & non est agnitus, vocat ex nomine: Ac si dicat, Recognosce eum à quo recognosceris V. 16.

Noli me tangere. Hic innuit, quòd pedes eius amplecti voluit. Meritò non tangit, quæ non videt: nam qui videt, tangit. Fidem docens, & in corde eius, vt hortulanus seminans, dicit: V. 17. Maria vetita tangere.

B *Noli me tangere.* Non quòd nollet tangi nisi cum ascendisset, cùm & mulieres, & alij in terrâ eum tetigisse legantur, & non sedentem in cœlo. Vult ergo sic se spiritualiter tangi, id est, sic se credi, vt sit æqualis Patri. Et quia ista adhuc carnaliter in eum credebat, quem sicut hominem flebat, audit: *Noli me tangere.* Id est, sic credere, quia in corde tuo *nondum ascendi ad Patrem:* id est, nondum credis me æqualem Patri: tunc tanges, cùm non imparem credes In hac figuratur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credit, nisi cùm ad Patrem ascendit. Figura Ecclesiæ ex Gentibus.

C Mysticè. *Noli me tangere*: Noli manum maioribus adhibere, sed vade ad perfectiores, qui facilè resurrectionem credant. Mulieribus enim in Ecclesiâ docere non permittitur. 1. Cor. 14. v. 34.

Venit Maria. Ibi culpa abscinditur, vnde processit. Mulier mortem viro propinauit, modò mulier vitam nuntiat viris: & quæ tunc verba serpentis, modò narrat verba viuificatoris: ac si ipsis rebus dicat Deus, De quâ manu illatus est potus mortis, de ipsâ suscipite potum vitæ. V. 18. Mulieris partes in negotio salutis.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Ioan. 20. v. 11. Libr. 3. c. 24. *Maria autem stabat, &c.* AVG. de con. Euan. Id est ante illum saxei sepulchri locum, sed tamen intra illud spatium quò iam ingressæ fuerant: hortus quippe illic erat.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Ne mirereris autem quòd Maria amarè flebat ad sepulchrum: Petrus verò nihil tale passus est: compassibile enim est muliebre genus, & naturâ flebile.

Tract. 121. in Ioan. AVG. Oculi igitur qui Dominum quæsierant, & non inuenerant, lacrymis vacabant, ampliùs dolentes quòd fuerit ablatus de monumento, quàm quòd fuerat occisus in ligno: quoniam B Magistri tanti, cuius vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat.

Libr. 3. c. 24. AVG. de con. Euan. Viderat autem cum alijs mulieribus Angelum sedentem à dextris super lapidem reuolutum à monumento, ad cuius verba cùm fleret, prospexit in monumentum.

Hom. 25. in Ioan. CHRYS. Magnum enim ad mitigationem est ad monumentum apparens: vide denique eam vt plus requiesceret, & inclinantem se & volentem locum videre vbi iacuit corpus. Vnde sequitur: *Dum ergo fleret, &c.*

Hom. 25. in Euang. GREG. Amanti enim semel aspexisse non sufficit: quia vis amoris intentionem multiplicat in- C quisitionis.

Tract. 121. in Ioan. AVG. Nimium enim dolebat, nec suis nec discipulorum oculis facilè putabat esse credendum: an potius diuino instinctu in animo eius effectum est vt prospiceret?

Hom. 25. in Euangel. GREG. Quæsiuit enim corpus, & minimè inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde & contingit vt inueniret: actúmque est vt desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod inuenissent. Sancta enim desideria dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Ista itaque quæ sic amat, quæ se ad monumentum quod prospexerat iterum inclinat, vi- D deamus quo fructu vis amoris in eâ ingeminat opus inquisitionis. Sequitur enim: *Et vidit duos Angelos, &c.*

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Quia enim non erat excelsa mulieris mens vt ex sudarijs perciperet resurrectionem, Angelos videt in læto habitu, vt & ipsa à passione mitigetur.

Tract. 121. in Ioan. AVG. Quid est autem quòd vnus ad caput, & alter ad pedes sedebat: an quoniam qui Græcè Angeli dicuntur, Latinè sunt nuntij; isto modo Christi Euangelium velut à capite vsque pedes, ab initio vsque in finem signabant esse nuntiandum.

Hom. 25. in Euang. GREG. Vel ad caput sedet Angelus cùm per A- E postolos prædicatur, quia *in principio erat Verbum:* & quasi ad pedes sedet, cùm dicitur: *Verbum caro factum est.* Possumus etiam per duos Angelos duo testamenta agnoscere, quæ dum pari sensu incarnatum, & mortuum, ac resurrexisse Dominum nuntiant, quasi testamentum prius ad caput, & testamentum posterius ad pedes sedet.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Angeli autem apparentes nihil de resurrectione dicunt: sed paulatim in eum qui de resurrectione est, intrant sermonem. Quia enim mulier vltra consuetudinem præclarum habitum viderat, ne turbetur audiuit compassionis vocem: vnde sequitur: *Dicunt illi: Mulier, quid ploras?* Angeli lacrymas prohibebant, & futurum quodammodo gaudium nuntiabant. Ita enim dixe- A runt, *Quid ploras?* ac si dicerent, plorare noli.

Hom. 25. in Euang. GREG. Ipsa enim sacra eloquia quæ nos in lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis Redemptoris nostri speciem repromittunt.

Tract. 121. in Ioan. AVG. At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodit lacrymarum, vnde sequitur: *Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum.* Dominum suum vocat Domini sui corpus exanime, à toto partem significans: sicut omnes confitemur Iesum Christum Filium Dei sepultum, cùm sola eius sepulta sit caro. Sequitur: *Et nescio vbi posuerunt eum.* Hæc erat causa maioris doloris, quia nesciebat quò iret ad consolandum doloré.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Nondum autem de resurrectione aliquid nouerat, sed adhuc translationem imaginabatur.

Libr. 3. c. 24. AVG. de con. Euan. Hîc intelligendi sunt surrexisse Angeli, vt etiam stantes viderentur, sicut Lucas eos visos esse commemorat.

Tract. 121. in Ioan. AVG. super Io. Sed hora iam venerat, quâ id quod nuntiatum quodammodò fuerat ab Angelis flere prohibentibus, gaudium succederet fletibus, vnde sequitur: *Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum.*

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Sed quare ad Angelos loquens, & nondum ab eis aliquid audiens, conuertitur retrorsum? Mihi videtur quòd hæc eâ dicente, C Christus post eam apparuit: & Angeli considerantes dominatorem, & figurâ, & inspectione, & motu confestim ostenderunt, quoniam Dominum viderunt: & hoc est quod mulierem conuerti retrorsum fecit.

Hom. 25. in Euang. GREG. Notandum etiam quòd Maria quæ adhuc de Domini resurrectione dubitabat, conuersa retrorsum est vt videret Iesum: quia videlicet per eandem dubitationem suam quasi tergum in Domini faciem miserat, quem resurrexisse minimè credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non cognoscebat eum, vnde sequitur: *Et vidit Iesum stantem, &c.*

Hom. 85. in Ioan. D CHRYS. Angelis enim vt dominator apparuit, mulieri verò non ita, ne eam ex primâ visione stupefaceret: non enim oportebat eam repente ad excelsa reducere, sed paulatim. Sequitur: *Dixit ei Iesus: Mulier, quid ploras? &c.*

Hom. 25. in Euang. GREG. Interrogatur doloris causa, vt augeatur desiderium; quatenus cùm nominaret quem quæreret, in amorem eius ardentiùs æstuaret.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Et quia in communi figurâ apparuit, æstimauit eum hortulanum esse, vnde sequitur: *Illa æstimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, &c.* Hoc est, si propter timorem Iudæorum leuasti eum, dicito mihi, & E ego eum accipiam.

In hoc loco. THEOPH. Timebat enim ne Iudæi etiam corpori insæuirent exanimi, & ideo volebat in alio loco incognito illud transponere.

Hom. 25. in Euang. GREG. Forsitan autem nec errando hæc mulier errauit, quæ Iesum hortulanum credidit: An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui vim summa virtutum virentia plantabat? Sed quid est quòd viso eo quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem quærebat, ait: *Domine, si tu sustulisti eum?* Sed vis amoris hoc agere solet in animo, vt quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Postquam autem eam Dominus communi vocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est: vocat ex nomine, vnde sequitur: *Dicit ei Iesus,*

Maria: ac si diceret, Recognosce eum à quo recognosceris. Maria ergo qua vocatur ex nomine recognoscit auctorem, quia & ipse erat qui quærebatur exteriùs,& ipse qui eam interiùs vt quæreret, docebat. Vnde sequitur: *Conuersa illa dicit: Rabboni, quod dicitur magister.*

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Sicut enim Iudæis quandoque immanifestus erat, & præsens: ita & loquens cùm volebat seipsum notum faciebat. Qualiter autem *conuersa* dicit, cùm Christus ad eam loqueretur? Mihi videtur quòd dicente eâ: *Vbi posuisti eum?* conuersa ad Angelos, vt interrogaret cur stupefacti essent: deinde Christus vocans eam, cooperuit eam ad seipsum: & per vocem manifestum seipsum fecit.

Tract. 121. in Ioan. AVG. Vel quia priùs conuersa corpore, quod non erat, putauit; nunc corde conuersa, quod erat agnouit. B Nemo autem calumnietur mulierem quòd hortulanum dixerit Dominum, & Iesum Magistrum:ibi enim honorabat hominem à quo beneficium postulabat, hîc recolebat doctorem à quo discernere humana & diuina discebat. Aliter ergo dum dixit: *Sustulerunt Dominum meum*: aliter autem, *Domine, si tu sustulisti eum.*

Hom. 25. in Euang. GREG. Iam verò ab Euãgelistâ nõ subditur quid mulier fecit,sed ex eo innuitur quod audiuit. Sequitur: *Dicit ei Iesus: Noli me tangere.* In his namque verbis ostenditur, quòd Maria amplecti voluit eius vestigia,quem recognouit. Sed cur tangi non debeat,ratio quoque additur,cùm subiungitur: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* C

Tract. 121. Ioan. AVG. Sed si stans in terrâ non tangitur, sedens in cœlo quomodò ab homine tangetur? qui certè antequam ascenderet discipulis suis se obtulit tangendum, dicens, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, vt Lucas testatur. Quis autem tam sit absurdus, vt dicat eum à discipulis quidem antequam ascendisset ad Patrem se voluisse tangi, à mulieribus autem noluisse, nisi cùm ascendisset ad Patrem? Sed leguntur etiam fœminę post resurrectionem antequam ad Patrem ascenderet tetigisse Iesum, in quibus erat etiam ipsa Maria Magdalena, narrante Matthæo. Aut ergo hoc sic dictum est, vt in illâ fœ- D

Christus vt tangatur. minâ figuratetur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cùm ascendisset ad Patrem: aut sic in se credi voluit Iesus, hoc est, sic spiritualiter tangi quod ipse & Pater vnum sunt. Eius quippe intimis sensibus quodammodò ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit vt Patri agnoscat æqualem. Quomodò hæc non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat.

Libr.1.c.9. AVG.I. de Trin. Tactus autem tanquam finem facit notionis. Ideòque nolebat in eo esse finem intenti cordis in se, vt hoc quod videbatur tantummodò putaretur.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Vel aliter: Volebat hæc mulier adhuc cum Christo esse, sicut & ante passionem, & E præ gaudio nihil magnum excogitabat, quamuis caro Christi multò melior facta fuerit resurgendo. Ab hac ergo intelligentiâ eam abducens, dixit: *Noli me tangere*, vt cum multâ reuerentiâ ei loquatur. Vnde nec discipulis apparet de reliquo cum eis conuersans, vt reuerentiùs ei attendant. Dicens: *Nondum enim ascendi*: ostendit quoniam illuc properat & festinat. Eum autem qui illuc debet abire, & non vltra cum hominibus conuersari, non oportebat cum eadem videre mente quâ & antè: & hoc manifestat conse-

A Paschate.

A quenter, dicens: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.*

HILAR. 11. de Tri. Inter cæteras impietates suas etiam hoc dicto Domini vti solent hæretici, vt per id quod Pater eius Pater eorum est, & Deus eius Deus eorum est, in naturâ Dei non sit: Sed in formâ Dei manens, formam serui assumpsit. Et cùm hoc ad homines in serui formâ Christus Iesus loquatur, non ambigitur quin Pater sibi vt cæteris sit ex eâ parte quâ homo est, & Deus sibi vt cunctis sit ex eâ naturâ quâ seruus est. Denique hunc eundem sermonem cœpit dicens, *Vade ad fratres meos.* Fratres autem ex carne sunt Deo. Cęterum vnigenitus Deus sine fratribus est. Arguuntur hæretici.

AVG. Vel aliter: Non ait Patrem nostrum, sed, *Patrem meum, & Patrem vestrum*: aliter ergo meum, aliter vestrum: naturâ meum, gratiâ vestrum. Neque dixit Deum nostrum, sed, *Deum meum*, sub quo ego homo: *& Deum vestrum*, inter quos & ipsum mediator sum. Tract. 121. in Ioan.

AVG. de con. Euan. Tunc ergo egressa est à monomento, hoc est ab illo loco vbi erat horti spatium ante lapidem effossum: & cùm illâ aliæ quas secundum Marcum inuaserat tremor & pauor, & nemini, scilicet aliorum, quicquam dicebant. Vnde & hîc dicitur: *Venit Maria Magdalena, &c.* Libr.3.c.24.

GREG. Ecce humani generis culpa ibi abscinditur, vnde processit: quia enim in paradiso mulier viro propinauit mortem, à sepulchro mulier viris annunciauit vitam, & dicta sui viuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narrauerat. Hom. 25. in Euang.

AVG. de con. Euan. Dum autem cum alijs veniret, tunc secundum Matthæum occurrit illis Iesus, dicens: *Auete.* Sic ergo colligimus Angelorum collocutionem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, & etiam ipsius Domini, semel scilicet quando Maria hortulanum putauit, & iterum cùm eis occurrit in viâ, vt eas repetitione firmaret; & sic venit Maria Magdalenæ annuncians discipulis, non solùm ipsa, sed & aliæ quas Lucas commemorat. Libr.3.c.24.

BEDA. Mysticè autem Maria quæ interpretatur Domina illuminata, illuminatrix, seu stella maris, significat Ecclesiam; quæ Magdalena, id est, turrensis dicitur. Nam Magdalon Græcè, Latinè turris dicitur, propter illud quod dicitur in Psal. *Factus est mihi turris fortitudinis.* In eo autem quòd hæc mulier discipulis Christum resurrexisse nunciauit, omnes monentur, maximè quibus est commissum prædicandi officium, vt si quid eis cœlitùs reuelatum fuerit, studiosè proximis propinent.

ADDITIO AD CATENAM AVREAM.

Ex Catenâ Cord. in Ioannem. Ioan. 20. v. 11. MAria autem stabat ad monumentum. AMMON. Maria nihil perfecti cogitans, manebat plorans in monumẽto, non solùm quòd mortuus esset, verùm etiam quòd & aliò delatum Dominicum corpus existimaret. Quòd verò amoris vi succensa remanserat, meruit & Angelicâ visione donari.

V. 12. & 13. *Dum ergo fleret, inclinauit se.* EIVSDEM. Vberiùs vt fleret, in monumentum inclinans, prospexit. Quam blandè alloquentes Angeli, *Quid ploras*, aiunt? Nimirum hortantes ad aliquid perquirendum, ac discendam resurrectionem, cuius gratiâ in veste candidâ apparuerunt,

Candor vestium in Angelis.

Per candorem, intellige Angelorum puritatem. Interrogant autem, non vt discant cur fleret, sed vt fletum cohiberent. Non enim decebat eam tali tempore flere, ac diei solennia luctu violare. Suâ autem Angeli eo in loco apparitione, significabant, cùm ij illic assidui essent, nemini licuisse aliò diuinum corpus deferre; docentque illam mysterium resurrectionis, vt quæ Scripturam, sicut Discipuli, nesciret.

Mariæ conuersio.

Et cùm hæc dixisset, conuersa est retrorsum. APOLLINARII. Non ferens Angelorum splendorem, sed spectaculi nouitate stupefacta, conuersa est retrorsum, & videt Iesum stantem, hoc ipso nimirum operante, vt ab eâ videretur. Nisi autem retrorsum conuersa fuisset, inque aliam mentis profectu mutata esset, nequaquam Dominum vidisset.

AMMONII. Illis quidem admirabilior; feminæ verò humilior, ac communi apparuit habitu, ne illam percelleret: quare etiam hortulanum eum esse existimauit. Videt Dominum, nec agnouit, vel quia tenebræ erant, vel quia diuinâ virtute sese occultabat. Prouidè conuersa est, ac Dominum vidit; nec tamen agnouit, ne velut dæmonis spectro obiecto, animo perturbaretur: adhuc enim mortuum eum suspicabatur.

* nihil aptum iam pridem, Cord.

V. 15. Christus hortulanus.

Illa existimans quia hortulanus esset. SEVARI. Fortassis autem non abs re suspicata est Iesum hortulanum esse, cùm reipsâ ipse verus esset ac immortalis paradisi cultor; in monumenti horto, tanquam paradiso, mulierem, quæ fide labans, ac incredula Adamum primum hortulanum seduxerat, erudiens atque emendans.

THEOD. MOPSVESTENI. Impensioris consilij fuit vt conuerteretur, id præstante diuinâ gratiâ, & vt conuersa illum non agnosceret; ne subitò, eum videndo, quem adhuc mortuum opinabatur, animo terreretur, putans id quod apparebat, dæmonis quoddam spectrum, remque imaginariam esse: sed vt collato priùs velut cum homine speciatim sermone, ac verè perspecto loqui se cum viuente, tum demum eum, qui præsens erat, quis esset agnosceret; simulque adeò crederet, ac eius quod contigerat, magnitudinem suspiceret.

V. 17. Atqui non repulsæ Magdalena & altera Maria ne Dominum tangerent. Matth. vltimo.

Dixit ei Iesus, Noli me tangere. APOLLINARII. Vult quidem Saluator resurrectionem ostendere, ac suadere: eos tamen qui necdum ad resurrectionem peruenerunt perinde accedere, ac ante resurrectionem eum accedebant, haud ampliùs congruum, æquumque arbitratur, quin & illos ad eandem vitam prouexerit, vt scilicet necessitudine deuincti, necessitudine & accedant. Planè necesse vt ad Patrem ascendam, tumque alterâ apparitione suscipiam notos, & amicos nouos, qui iam nouum induerint hominem. *Noli* ergo, inquit, *me* modò *tangere*. Aliud siquidem, illudque magnum ac salutare in vestri gratiam opus restat peragendum, vt nempe ad Patrem ascendam, qui & Pater vester mei ratione futurus est; ac tum maximè, cùm ascendens, quæ ex vobis sunt primitias sustulero. Hocque vtique illa abiens fratribus annuntiauit.

THEOD. MOPSVESTENI Videtur quidem prohibere ne se tangat; ac deterrere ne more solito ad sui corporis contactum, quod iam aliud quodammodò, præstantiusque euaserit, enitatur. Quin aliud quid etiam insinuat. Quòd enim nihil mulierem tangere prohiberet, inde liquet, quòd se ille discipulis sæpiùs tangendum præbuerit, ac fixuras iusserit contrectare, quas claui vt par est, corpori impressas reliquerant. Duo igitur his verbis innuit, tum quòd corpus modò post resurrectionem longè potioris rationis esset quàm priùs, adeóque nec temere humano contactui exponendum esse, tum quòd in cœlos foret assumendus.

ORIGENIS PRESBYTERI
in idem Euang.

HOMILIA.

Abhorret planè à stylo, atque doctrinâ Origenis: Planè scriptoris Latini opus, nec adeò antiqui: de quo Belarm. &c.

IN præsenti solennitate locuturi auribus vestræ charitatis, dilectissimi, adducimur ad memoriam, quomodò beata Maria Magdalenæ Dominum nostrum super omnia diligendo, discipulis fugientibus, eum ad mortem euntem sequebatur: ac veri amoris igni succensa, nimio ardens desiderio indesinenter plorans à monumento non recedebat. *Maria enim*, vt ait Euangelista, *stabat ad monumentum foris plorans*. Audiuimus, fratres, Mariam ad monumentum foris stantem, audiuimus & plorantem: videamus si possumus cur staret, videamus & cur ploraret. Prosit nobis & illius stare, prosit & illius plorare. Amor faciebat eam stare, & dolor cogebat eam plorare. Stabat, & circunspiciebat, si fortè videret quem diligebat. Plorabat verò, quia sublatum existimabat quem quærebat. Dolor renouatus erat, quia prius doluerat defunctum, & nunc dolebat sublatum. Et iste dolor maior erat, quia nullam consolationem habebat. Prima fuit causa doloris, quia viuum perdiderat: sed de hoc dolore aliquantulam consolationem habebat, quia mortuum se retinere credebat. Nunc autem de isto dolore consolari non poterat, quia corpus defuncti non inueniebat. Metuebat ne amor Magistri sui in pectore suo frigesceret, si corpus eius non inueniret, quo viso recalesceret. Venerat autem Maria ad monumentum, deferens secum aromata & vnguenta quæ parauerat: vt sicut antea pedes viuentis vnguento pretioso vnxerat, sic & nunc totum corpus defuncti, & vnguento vngeret, & aromatibus condiret: & sicut priùs ad pedes eius lacrymas fuderat, fleuerat priùs, & lacrymis suis pedes eius rigauerat pro morte animæ suæ, veniebat nunc ad monumentum lacrymis rigare pro morte Magistri sui. Cùm autem non inuenisset corpus in monumento, labor vngendi perijt, sed dolor lugendi creuit: defuit obsequio, qui non defuit dolori: defuit quem condiret, sed non defuit quem ploraret: eòque magis plorabat, quò magis ille deerat. Plorabat enim vehementer Maria, quoniam additus erat dolor super dolorem eius, duósque dolores eximios vno gestabat in corde: quos mitigare lacrymis volebat, sed non valebat. Et ideo tota posita in dolore, mente & corpore deficiebat, & quid ageret ignorabat. Quid enim mulier ista poterat agere nisi plorare, quæ & intolerabilem habebat dolorem, & nullum inueniebat consolatorem?

Ioan. 20. v. 11.

Petrus quidem & Ioannes venerant cum eâ ad monumentum, sed non inuento corpore, abierunt ad semetipsos: *Maria autem stabat ad mo-*

numentum foris plorans, & quasi desperando sperans, & sperando perseuerans. Petrus & Ioannes timuerunt, & ideo non steterunt: Maria autem non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse, quod timere deberet. Perdiderat enim Magistrum suum, quem ita singulariter diligebat, vt præter ipsum nihil diligere, nihil posset sperare. Perdiderat vitam animæ suæ, & iam sibi melius arbitrabatur fore mori quàm viuere: quia forsitan inueniret mortiens, quem inuenire non poterat viuens, sine quo tamen viuere non valebat. *Fortis est vt mors dilectio.* Quid enim aliud faceret mors in Mariâ? Facta erat exanimis, facta insensibilis: sentiens non sentiebat, videns non videbat, audiens non audiebat: sed neque ibi erat vbi erat; quia tota ibi erat vbi Magister erat, de quo tamen vbi esset nesciebat. Quærebat eum, & non inueniebat: & ideo stabat ad monumentum, & plorabat, tota lacrymabilis, tota miserabilis. O Maria quid spei, quid consilij, aut quid cordis erat tibi, vt sola stares ad monumentum discipulis abeuntibus? Tu ante illos venisti, & cum illis rediisti, & post illos remansisti. Cur hoc fecisti? Sapiebas plus illis, aut diligebas plus quàm illi, quia non timebas vt illi? Certè nihil modò sapiebat Maria nisi diligere, & pro dilecto dolere. Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat seipsam, oblita erat denique omnia, præter illum quem diligebat super omnia: & quod mirabile est, sic erat oblita vt etiam ipsum non cognosceret. Credite mihi, si ipsum cognosceret, in monumento eum non quæreret: & si verba illius corde retineret, non de mortuo doleret, sed de viuente gauderet: nec de sublato ploraret, sed de resurgente exultaret. Dixerat enim Iesus quòd sic moreretur, & quòd ille die tertiâ resurgeret, sed proh dolor! nimius dolor cor illius repleuerat, & memoriam horum verborum deleuerat: sensus nullus in eâ remanserat, omne consilium in eâ perierat, spes omnis defecerat: solummodò flere superat. Flebat ergo quia flere poterat.

Cant. 8. v. 6.

Et dum fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad pedes, & vnum ad caput: qui dicunt ei, Mulier quid ploras? O Maria, ecce magnam consolationem inuenisti, & forsitan melius tibi contigit quàm sperasti. Nam tu quærebas vnum, & duos inuenisti. Quærebas mortuum, & viuentes repetisti. Reperisti eos qui de te curam videntur habere, & qui volunt dolorem tuum lenire: ille vero quem quæris dolorem tuum videtur negligere, lacrymas tuas non videtur respicere. Vocas eum, & non audit: oras, & non exaudit: quæris illum, & non inuenis: pulsas, & non aperit: tu sequeris illum, & fugit. Heu! quid est hoc? Heu quàm magna mutatio? Heu quomodò mutatus est in contrarium? Iste enim est Iesus, qui modò recessit à te. Et quomodò? Forte nescis an diligat te. Olim te diligebat, olim à Pharisæo te defendebat, & à sorore tuâ, olim gentet excusabat. Olim laudabat te, quando vnguento pedes ipsius vngebas, lacrymis rigabas, & capillis tergebas, dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat. Olim quærebat te cùm non adesses, vocabat te cùm abesses, mandabat tibi per sororem tuam vt ad se venires: *Magister adest, & vocat te.* O quàm citò surrexit Maria vt audiuit? quàm fœliciter venit, & solito more cecidit ad pedes tuos?

V. 11. & 12.

At Origenes facit has mulieres diuersas inter se, neutraque forsitan illi est Ioannis Maria Magdal. Ioan. 11. v. 28.

A Paschate.

A O bone Iesu: Tu quoque cùm vidisti eam lacrymantem, lacrymatus es. O quàm piè consolando eam, dixisti: *Vbi posuistis eum?* Denique pro dilectione eius quæ multum dilexit te, fratrem eius Lazarum suscitasti, & planctum huius dilectricis tuæ in gaudium conuertisti.

Et, ô dulcissime Magister, quid post hæc peccauit in te hæc discipula tua, aut in quo postea offendit dulcedinem cordis tui hæc amatrix tui, quia sic recedis ab eâ? Nos post hæc nullum aliud peccatum de eâ audiuimus, nisi quia quando sepultus fuisti, ante omnes valdè manè venit ad monumentum tuum ferens vnguenta, quibus vngeret corpus tuum: & cùm non inuenisset te in mo-
B numento, cucurrit, & nuntiauit hæc discipulis tuis. Illi venerunt, viderunt, & abierunt: hæc autem stat, & plorat. Si hoc peccatum est, negare non possumus quin ipsa hoc fecerit: si autem peccatum non est, sed est amor tui, & desiderium quod habet de te: quare sic recedis ab eâ, & abscondis te, tu qui diligis omnes diligentes te, & qui inueniris ab omnibus quærentibus te? Tu enim dicis, *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerit ad me, inueniet me.* Ergo mulier ista quæ valde manè vigilat ad te, cur non inuenit te? Quare non consolaris lacrymas, quas fundit pro te Domino suo, sicut consolatus es lacrymas, quas fudit pro fratre suo? Si enim solito more eam di-
C ligis, cur desiderium eius tandiu protrahis? O verax Magister, & fidelis, recordare testimonij, quod olim reddidisti Marthæ furori eius. Dixisti enim, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Verè optimam partem elegit Maria, quia elegit stare ad pedes tuos, & audire sermones tuos. Verè optimam partem elegit; quia te elegit. Sed quomodò verum est, *Quæ non auferetur ab eâ*, si tu es ablatus ab eâ? Quod si ab eâ non est ablata optima pars quam elegit, vt quid plorat? aut quid quærit? Certè Maria nihil aliud quærit nisi quod elegit: & propter hoc solum plorare non desinit, quia quod elegit nunc perdidit. Ergo, ô custos hominum,
D aut tu partem quam elegit custodi in eâ: aut ego nescio quomodò verum est, *Quæ non auferetur ab eâ.* Nisi & hoc ita intelligatur, quòd licèt tu sis ablatus ab oculis eius, tamen non es ablatus à corde eius.

Pro. 8. v. 17.

Luc. 10. v. 42.

Sed, ô Maria, quid iam ampliùs moraris? Quid turbatis? quid ploras? Ecce habes Angelos, sufficiat tibi Angelorum visio: quia forsitan ille quem quæris, quem ploras, sentit aliquid in te propter quod non vult videri à te. Pone tam finem dolori tuo, sit modus lacrymis tuis. Recordare quid ipse dixerit tibi & alijs mulieribus, *Nolite flere super me.* Ergo quid est hoc quod facis? Ipse prohibuit flere, & tamen tu non desinis flere. Timeo ne plorando ipsum offendas, pro quo sic incessanter
E ploras. Nam si ipse amaret lacrymas tuas: non posset forsitan, vt olim, tenere lacrymas suas. Nunc audi consilium meum. Sufficiat tibi Angelorum consolatio, mane cum illis, interroga illos, & fortè scient quid factum sit de eo quem quæris, & quem ploras. Ego certè credo quòd ipsi ad hoc venerunt, vt testimonium de ipso perhiberent: & credo quòd illum quem ploras, misit eos pro se, & pro te, vt annuntient resurrectionem suam, & consolentur deplorationem tuam. Dicunt enim ei, *Mulier quid ploras?* quæ est causa tanti doloris tui? Non abscondas à nobis

Luc. 23. v. 28

V. 13.

lacrymas tuas: aperi nobis animum tuum, & nos A indicabimus tibi desiderium tuum. Maria nimio dolore confecta tota in excessu mentis posita nullam recipit consolationem, & ad nullum tendit consolatorem: sed intra se cogitat dicens. Proh dolor! qualis est ista consolatio? qualis est ista visitatio? Onerosi sunt mihi omnes consolatores: grauant me, & non consolantur. Ego autem quæro creatorem, & ideo mihi grauis est ad videndum omnis creatura. Nolo Angelos videre: nolo cum Angelis manere: quia possunt dolorem augere, & non possunt penitus delere. Si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere: timeo ne amorem meum magis impediant, quàm expediant. Denique ego non B quæro Angelos, sed eum qui fecit me & Angelos. Non quæro Angelos, sed meum & Angelorum Dominum. *Tulerunt Dominum meum*, ipsum solum quæram: ipse solus me potest consolari. Sed *nescio vbi posuerunt eum*. Circunspicio si viderem illum, & non video: vellem inuenire locum in quo positus est, & non inuenio.

Cant.5.v.17 Heu me miseram quid agam? quò ibo? quò
Ibid.v.8. enim abiit dilectus meus? *Quæsiui eum* in monumento, *& non inueni*: vocaui eum, & non respondit mihi. Heu me! vbi eum quæram? vbi eum inueniam? Surgam certè, & circuibo omnia loca, quæ potero: non dabo somnum oculis meis, non dabo requiem pedibus meis, donec inueniam illum, quem diligit C anima mea. Effundite lacrymas oculi mei, plorate, & nolite deficere. Ambulate pedes mei, discurrite, & nolite quiescere. Heu heu! quò abiit gaudium meum? vbi latet amor meus? vbi est dulcedo mea? Cur dereliquisti me salus mea? O dolores, ô angustiæ intolerabiles! Angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam ignoro. Si iuxta monumentum maneo, ego illum non inuenio: si à monumento recessero, nescio infelix quò vadam, nescio vbi eum quæram. Discedere à monumento, mors mihi est: stare ad monumentum, irremediabilis dolor est. Melius est autem mihi sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab eo longiùs ire. Si enim longiùs abiero, D fortè cùm rediero ipsum sublatum inueniam, & sepulchrum destructum. Stabo igitur, & hic moriar, vt saltem iuxta sepulchrum Domini mei sepeliar. O quàm beatum corpus meum, si fuerit sepultum prope Magistrum meum! O quàm felix anima mea, quæ egrediens de vase fragili corporis mei, mox poterit ingredi in gloriosum sepulchrum Domini mei! Corpus meum semper fuit animæ meæ labor & dolor, sepulchrum Domini mei erit mihi requies & honor. Hoc ergo sepulchrum non deseram, quia ita mori erit consolatio mea, & in morte meâ erit requies mea. Viuens iuxta illud manebo, moriens illi adhære- E bo: nec viua, nec mortua ab illo separabor. Heu me infelicem! Quare hæc tunc ego non prospexi, quando Dominum meum sepeliri conspexi? quare cum eo non steti? quare monumentum tunc perseueranter non custodiui? Nunc certè non plorarem sublatum, quoniam aut prohibuissem, aut sublatores subsecuta fuissem. Sed proh dolor! ego volui obseruare legem, & dimisi Dominum legis. Legi obediui, & eum cui lex obedit, non custodiui: quamuis cum Christo manere non fuisset legem transgredi, sed adimplere. Pascha enim ab isto defuncto non contaminatur, sed renouatur. Mortuus iste non polluit mundos, sed mundat immundos. Sanat omnes tangentes se, & illuminat ad se accedentes.

Abij, redij, monumentum apertum inueni: ipsum autem quem quærebam, non inueni. Stabo itaque & expectabo, si fortè alicubi appareat. Sed quomodò stabo sola? Abierunt discipuli, & me solam plorantem reliquerunt. Nusquam apparet qui mecum doleat, nusquam apparet qui mecum Magistrum requirat. Apparuerunt Angeli, sed nescio pro quâ causâ apparuerunt. Si me consolari deberent, causam pro quâ ploro non ignorarent: si enim causam non ignorant pro quâ ploro, cur dicunt mihi, *Quid ploras?* An ideo interrogant vt me plorare prohibeant? Quæso non hoc mihi suadeant, non hoc moneãt, alioquin interficiant. Quid plura? Ego illis non obediam, & dum viuo plorare non desinam, donec Dominum meum inueniam. Sed quid faciam vt illum inueniam? Quò me vertam? ad quem ibo? à quo consilium petam? Quem percunctabor? Quis mei miserebitur? Quis me consulabitur? Quis indicabit mihi quem diligit anima mea, vbi positus sit, vbi cubet in meridie, vbi quiescat? Quæso nuntiate illi quia amore langueo, & dolore deficio, nec est dolor sicut dolor meus. Reuertere dilecte mi, reuertere dilecte votorum meorum. O amabilis, ô desiderabilis, redde mihi lætitiam salutaris præsentiæ tuæ. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant.2.v.14 O spes mea, ne confundas me ab expectatione meâ. Demonstra mihi faciem tuam, & sufficit animæ meæ.

Dum Maria sic doleret, & sic fleret, cùm hæc V.14. dixisset, *Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est. Dixit ei Iesus, Mulier quid ploras? & quem quæris?* O desideriũ animæ eius, cur interrogas eam, *Quid ploras, & quid quæris?* Ipsa paulò antè coram oculis suis cum magno dolore cordis sui viderat spem suam suspendi in ligno, & tu nunc dicis, *Quid ploras?* Ipsa die tertiâ viderat manus tuas, quibus sæpe benedicta fuerat, pedes tuos, quos deosculata fuerat, & quos lacrymis rigauerat, cruci clauis affigi: & tu dolor eius nunc dicis, *Quid ploras?* Viderat te expirantem spiritum suum, videlicet spiritum tuum: & tu dicis, *Quid ploras?* Nunc insuper corpus tuum sublatum existimat, ad quod vngendum, vt sese quoquo modo consolaretur, veniebat: & tu dicis, *Quid ploras, quem quæris?* Tu scis quia te solum quærit, te solum diligit, pro te omnia contemnit: & tu dicis, *Quid quæris?* Dulcis magister, ad quid quæso prouocas spiritum huius mulieris? ad quid commoues animam eius? Tota pendet in te, tota manet in te, tota sperat de te, & tota desperat de se. Ita quærit te, vt quærens nihil quærat, nihil cogitet præter te. Ideoque forsitan non cognoscit te, quia non est in sese, sed propter te est extra se. Cur ergo dicis, *Quid ploras, quem quæris?* An putas quòd ipsa dicat, te ploro, te quæro, nisi tu priùs inspiraueris, & dixeris in corde eius, Ego sum quem ploras, & quem quæris? An putas quòd ipsa cognoscat te quandiu volueris celare te?

At illa existimans quia hortulanus esset, dixit V.15. *ad eum: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* O dolor miserabilis, amor inenarrabilis! Mulier ista, quia densâ nube doloris obtecta non videbat Solem,

qui manè ſurgens radiabat per feneſtras eius, & A per aures corporis eius, iam intrabat domum cordis eius: ſed quoniam amore languebat, iſto languore ſic oculi cordis eius caligabant, vt non videret quem videbat. Videbat enim Ieſum, ſed neſciebat an eſſet Ieſus. O Maria, ſi quæris Ieſum, cur non cognoſcis Ieſum? Et ſi cognoſcis Ieſum, quid quæris Ieſum? Ecce Ieſus venit ad te, & quem quæris, quæritat te, *Mulier, quid ploras?* Et tu eum hortulanum exiſtimas, vt ipſum non cognoſcas. Etenim Ieſus eſt hortulanus: quia ipſe ſeminat omne ſemen bonum in horto animæ tuæ, & in cordibus fidelium ſuorum: ipſe omne olus plantat bonum, & rigat in animabus ſanctorum: & ipſe eſt Ieſus qui tecum loquitur. Sed forſitan eum ideo non cognoſcis, quia tecum loquitur: mortuum tu quæris, & ideo viuentem B non agnoſcis. Nónne in veritate comperi hanc eſſe cauſam pro quâ à te recedebat, & pro quâ tibi non apparebat? Cur enim tibi appareret quem non quærebas? Tu certè quærebas quod non erat, & non quærebas quod erat. Tu quærebas Ieſum, & non quærebas Ieſum. Ideoque videndo Ieſum, neſciebas Ieſum. O pie, & dulcis Magiſter, non poſſum omninò excuſare hanc diſcipulam tuam, non poſſum liberè defendere hunc errorem eius: & tamen errabat, quia talem te requirebat, qualem te viderat, & qualem in monumento poſitum reliquerat. Viderat quippe defunctum corpus tuum de cruce deponi, & in monumento reponi: tantúſque dolor inuaſerat C eam de morte tuâ, vt non poſſet ſperare de vitâ tuâ: & tantus dolor inuaſerat eam de ſepulturâ tuâ, vt nihil poſſet cogitare de reſurrectione tuâ. Denique Ioſeph poſuit in monumento corpus tuum, Maria ſepeliuit ibi pariter ſpiritum ſuum, & ita indiſſolubiliter iunxit, & quodammodo vniuit eum cum corpore tuo, vt faciliùs poſſet ſeparare animam ſe viuificantem à viuificato corpore ſuo, quàm ſpiritum ſuum te diligentem à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo quàm in corpore ſuo: cúmque requirebat corpus tuum, requirebat pariter ſpiritum ſuum: & vbi perdidit corpus tuum, perdidit cum eo ſpiritum ſuum. Quid igitur mi- D rum ſi ſenſum non habebat, quæ ſpiritum amiſerat? Quid mirum ſi te neſciebat, quæ non habebat ſpiritum quo ſcire debebat? Redde ei itaque ſpiritum ſuum, quem habet in ſe corpus tuum, & mox recuperabit ſenſum ſuum, & relinquet errorem ſuum. Sed quomodo errabat, quæ ſic pro te dolebat, & ſic te amabat? Certè ſi errabat, indubitanter dico quòd ipſa errare ſe ignorabat: & ſic error non procedebat ab errore, ſed ab amore & dolore.

Ieſus, hortulanus.

Mariæ nõnulla culpa quærentis ac plorantis vt mortuũ eum, qui viuus eſſe.

Igitur miſericors & iuſte iudex, amor, quem habebat in te, & dolor, quem habebat pro te, excuſet eam apud te, ſi fortè erret de te: nec at- E tendas ad mulieris errorem, ſed ad diſcipulæ amorem: quæ non pro errore, ſed pro dolore, & amore plorabat: & dixit tibi: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* O quàm ſcienter neſcit, & quam doctè errat! Angelis dixit, *Tulerunt, & poſuerunt:* & non dixit, tuliſtis, & poſuiſtis, quoniam Angeli nec de monumento te tulerunt, neque te in aliquo loco poſuerunt. Tibi verò dixit, *Si ſuſtuliſti eum, & vbi poſuiſti*, quia tu te verâ teipſum de monumento ſuſtuliſti, & in loco vbi es, poſuiſti. Angelis non dixit, Dicite mihi: quo-

Si tu ſuſtuliſti.

A niam Angeli non poterant ex toto dicere quod de te factum fuerat, & vt factum fuerat. Tibi verò dicit, *Dicito mihi*: quia non eſt impoſſibile tibi dicere, quod poſſibile tibi fuit facere. Tu enim virtute tuâ ſurrexeras, & quod de te factum fuerat tu ipſe feceras. Quid eſt autem hoc Domine, quòd Maria tam crebrò dicit & repetit verbum iſtum, *Vbi poſuiſti eum?* Dixerat autem Apoſtolis primò, *Vbi poſuerunt eum*; hoc idem poſtmodum dixit Angelis, *Vbi poſuerunt eum*: & nunc tibi dixit de te, *Vbi poſuiſti eum.* Multum dulceſcit verbũ hoc in corde eius, quod ſic abundat in ore eius. Certè dulce magis hoc facit dulcedo tua, facit & hoc ipſa pro amore tuo, quoniam meminit te dixiſſe de fratre ſuo, *Vbi poſuiſtis eum?* Ex quo enim audiuit verbum hoc ab B ore tuo, conſeruauit illud diligenter in corde ſuo, & delectata eſt vti eo in ſermone ſuo. O quantum diligit perſonam tuam, quæ ſic diligit vocem tuam! O quantum deſiderat videre vultum tuum, quæ tam deſideranter pronuntiat verbum tuum! & quàm libenter oſcularetur pedes tuos, quæ tam libenter loquitur ſermones tuos?

Vbi poſuiſti eum?

Ioan. 11. v. 34.

Quid eſt hoc etiam, ô bone Ieſu, quod dicit ad te de te, *Et ego eum tollam?* Ioſeph timuit, & non fuit auſus tollere corpus tuum de cruce, niſi de nocte, & niſi hoc peteret à Pilato: Maria verò noctem non præſtolatur, nec Pilatum reueretur, ſed audacter promittit, dicens, *Et ego eum tollam*: O Maria, ſi corpus Ieſu fortè poſitum eſt in atrio C Principis Sacerdotum, in quo Princeps Apoſtolorum caleſaciebat ſe ad ignem: quid factura es? *Ego eum tollam.* O mirabilis mulieris audacia! O mulier non mulier! Etſi ancilla oſtiaria interrogauerit te, quid factura es? *Ego eum tollam.* O ineffabilis huius mulieris amor! ô mirabilis mulieris audacia! ô mulier non mulier! nullum locum excipit, nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutè promittit, *Dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. O mulier, magna eſt fides tua*, magna eſt conſtantia tua! Tu ergo bone Domine, cur oblitus eſt dicere? *Fiat tibi ſicut vis*, &, *Confide, quia fides tua te ſaluam fecit?* Nunquid oblitus eſt miſereri? Cur igitur non dicis ei vbi poſuiſti te, vt ipſa tollat te ſuper cor D ſuum, & portet in corpore ſuo; & annuntiet te diſcipulis tuis? Noli quæſo dulcis Magiſter illius vltra protrahere deſiderium, quia ecce iam triduò ſuſtinet te, nec habet quid manducet, neque habet vnde ſatiet animam ſuam eſurientem, niſi te manifeſtando, porrigas illi panem corporis tui, & de fragmẽtis tuis repleas cophinum cordis ſui. Si ergo non vis vt deficiat in viâ, refrigera & conforta viſcera animæ eius dulcedine ſaporis tui. Tu es enim panis viuus, qui habes in te delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis. Non enim diu poterit retineri vita corporis eius, niſi tu citò manifeſtes te vitam animæ eius.

Et ego eum tollam.

Matt. 15. v. 28.

Matth. 9. v. 22.

Mar. 8. v. 2.

Ioan. 6. v. 51

E *Dicit ei Ieſus, Maria. Conuerſa dixit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter. Dicit ei Ieſus, Noli me tangere.* O mutatio dextræ Excelſi! Conuerſus eſt dolor magnus in gaudium magnum: mutatæ ſunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris. Vbi Maria audiuit, *Maria*: (Sic etenim conſueuerat eam vocare Magiſter ſuus) præſenſit in nomine quandam ſingularem vocationis dulcedinem, & per eam cognouit ipſum à quo vocabatur eſſe Magiſtrum ſuum. Tunc reuixit ſpiritus eius, & reuerſus eſt ſenſus eius. Cúmque Ieſus vellet adhuc adiungere, non potuit hæc

V. 16.

A Maria patienter expectare: sed præ nimio gaudio interrupit ea dicens, *Rabboni*. Non enim arbitrabatur se indigere verbo quæ inuenerat Verbum, & longè vtilius arbitrabatur tangere Verbum, quàm audire quælibet verba. O amor fortis, & impatiens! Non sufficiebat illi videre Iesum, & loqui cum Iesu, nisi etiam tangeret Iesum. Sciebat enim quia *virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. (Luc. 6. v. 19.) O piissime Domine, & dulcissime Magister, quàm bonus es his qui recto sunt corde, quàm suauis eis qui recto sunt corde, & humiles sunt spiritu! O quàm beati qui in simplicitate cordis quærunt te, & quàm felices qui sperant in te! Verum certè est, & indubitanter (B) verum, quòd tu diligis omnes diligentes te, & nunquàm derelinquis sperantes in te. Ecce enim dilectrix tui simpliciter quærebat te, & veraciter inuenit te: sperabat in te, & non est derelicta à te: sed plus est consecuta per te, quàm expectauerat à te.

(Morale.) Sequamur igitur, fratres, huius mulieris affectum, vt perueniamus ad effectum. Ploret vnusquisque ad Iesum, & quærat fideliter Iesum, quia non celauit se quærenti peccatrici. Disce peccator homo, à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua: disce plorare Dei absentiam, & desiderare eius præsentiam. Disce à Mariâ Iesum amare, & in Iesum sperare: & quæ- (C) rendo Iesum inuestigare, nulla aduersa formidare, nullam consolationem extra Iesum accipere, omnia propter Iesum contemnere. Disce à Mariâ quærere Iesum in monumento cordis tui. Reuolue lapidem ab ostio monumenti Dei, amoue omnem duritiam, & repelle omne obstaculum à fide tuâ. Tolle omnem concupiscentiam mundi à corde tuo, & diligenter perscrutare si sit Iesus in eo. Si autem non inueneris in eo Iesum, sta foris & plora, permane in fide, & respice foris ad alios si fortè in aliquo videris eum, & plorando ora Iesum vt dignetur intrare ad te, & inhabiter in te. Et ne fortè erectâ ceruice repellas (D) eum à te, humiliando inclina te, & iterum respice in monumentum Dei quod est in te: quòd si videris ibi Angelos, vnum ad caput, & vnum ad pedes, id est, si cognoueris in corde tuo quasi cœlestia desideria, tam ad actiuam, quàm ad contemplatiuam pertinentia, per quæ tamen adhuc non possis videre & habere Iesum, noli his contentus esse, noli adhuc deficiendo quiescere, sed plora, & quære Iesum in te donec inuenias. Et si fortè aliquando tibi apparuerit, & desiderio tuo se presentauerit, noli te præsumere tanquam tu eum cognoscas, sed interroga illum, & ora vt indicet tibi seipsum. Audeo tibi confidenter pro- (E) mittere, si in fide ad monumentum cordis tui steteris, si plorando Iesum quæsieris, & quærendo perseueraueris: si te cum humilitate inclinaueris, si exemplo Mariæ nullam consolationem de Iesu nisi Iesum recipere volueris: ipso reuelante ipsum inuenies, & ipsum cognosces: ita vt non sit necesse ab aliis quærere vbi est Iesus, sed tu magis iudicabis eum, nuntians aliis, *Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi*: (V. 18.) Cui est honor & gloria, cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

SANCTI AMBROSII MEDIOlanensis Episcopi superioris Euang. expositio.

Maria autem stabat ad monumentum, &c. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & ad Deum meum, & Deum vestrum. (Ex l. 10. in Lucã. Ioan. 20. v. 11. & 17.) Quomodò non ascẽderas, Domine Iesu? Quemadmodum aberas, qui in manibus Patris commendaueras spiritum? (Luc. 23. v. 46.) Aut quando abesse potes, qui semper in Patre es, cum patre semper? Denique ipse dixisti; *Si descendero in infernum, tu* (Psal. 138. v. 8.) (B) *ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitem in extremo maris. Etenim illuc manus tua deducet me.* Aut quomodò ascendens abesse potes, qui vbique semper es? Descendisti quidem Filius hominis, nec Patri, cùm descenderas, abfuisti: sed descendisti nobis, vt te oculis, ac mentibus videremus: vt in te crederemus. (Iesus nobis descendit, & ascendit.) Ergo & ascende nobis, vt te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus. Ascendisti Apostolis, quibus dixisti: *Qui me videt, videt & Patrem.* (Ioan. 14. v. 9.) Denique Ioannes, vbi te quæreret, sciuit. Apud Patrem quæsiuit, & reperit. Et ideo ait: *Et Verbum erat apud Deum.* (Ioan 1. v. 1.) Ascendisti & Paulo, qui non contentus solus te sequi, nos quo- (C) que docuit, quemadmodum te sequamur, & vbi te reperire possimus, dicens: *Si ergo consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.* (Col. 3. v. 1.) Et, ne oculorum magis hoc, quàm animorum putaremus officium, addidit: *Quæ sursum sunt, sapite, & non quæ super terram.* Ergo non supra terram, nec in terrâ, nec secundum carnem te quærere debemus, si volumus inuenire. *Nunc enim secundum carnem iam non nouimus Christum.* (2. Cor. 5. v. 16.) Denique Stephanus non supra terram quæsiuit, qui stantem te ad dexteram Dei vidit. (Act. 7. v. 55.) Maria autem, quæ quærebat in terrâ, tangere (D) non potuit: Stephanus tetigit, quia quæsiuit in cœlo. Stephanus inter Iudæos vidit absentem, Maria inter Angelos non vidit præsentem.

Sed quare non potuerat illa tangere, Euangelista ipse nos docuit, dicens; quia cùm te videret, nesciebat quia tu es. Sic enim habet: *Conuersa est retrorsum, & vidit &c.* (Maria tangere non potest, quæ non videt. V. 14.) Meritò tangere non potuit, quæ videre non poterat. Nam qui videt, tangit. Itaque quid intersit inter illam, & hanc Mariam, Scriptura distinguit. (Quid inter Matthæi Mariam, Ioannisque intersit.) Illa occurrit, vt Iesum videat, hæc retrorsum conuertitur: Illa salutatur, hæc redarguitur. Denique sic habes: *Dicit ei Iesus, Mulier.* (V. 15.) Quæ non credit, mu- (E) lier est, & adhuc corporei sexus appellatione signatur. (Mulier vt dicta.) Nam quæ credit, occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, (Eph. 4. v. 13.) carens iam nomine sæculi, corporis sexu, lubrico iuuentutis, multiloquio senectutis.

Dicit ergo Iesus, Mulier, quid ploras? Quasi dicat, Non lacrymas nudas Deus, sed fidem exigit. (Lacrymæ non bonæ si desit fides.) Bonæ lacrymæ, si Christum agnoscas. *Quem quæris?* inquit. Molimina enim Dominus sera condemnat. Sed benè addidit; *Quem?* non quòd iste dubitet quem requirat, sed quia illa quem quærebat, ignoret. Non enim Christum quærit, qui putat raptum. Adest Christus, quemadmodum quæritur. Nescitur ergo qui quæritur, quando non agnoscitur cùm videtur. (Adest Christus sicut quæritur.) Denique Christum videbat, & hortulanum putabat. Sic enim habes: *Illa existimans quia hortulanus*

Mariæ verba quid velint.

esset, &c. Etsi fide incerta, tamen sermone non A lubrica. Etsi hortulanum putauit, tamen Dei Filium designauit. Etsi adhuc non credat, tamen affectat vt credat. Ipse enim corpus tulit, qui suscitauit. Ego veniabilis error mulieris, quæ licet dubitare non debuit Christi corpus per gloriam resurrectionis assumptum, doceri tamen gestit à Christo, & fidem suam iam deuota promittit: vt & ipsa illud iam tollat è terris, & ad dexteram Dei quærat. Denique post hæc verba non mulier, sed Maria vocatur. Aliud est enim commune vulgi nomen, aliud speciale personæ Christum sequentis. Et ad discipulos, licet nondum arbitra plenæ fidei, tamen nuntia destinatur. Prohibetur autem tangere, quia nondum inhabitare in Christo corporaliter plenitudinem diuinitatis, sicut Paulus, acceperat: nondum euacuauerat lubricum sæculi, carnis ambiguum: nondum vitam vixerat Christi. Denique ista nec adorat Dominum, nec pedes tenet, sicut illa Maria. In quibus vtique non tam obsequium corporale, quàm plenæ fidei designatur affectus: quòd Christum & hominem, & Deum credat. Deus est enim, qui adoratur; homo autem, qui tenetur. Non igitur tangi Dominus fastidit à fœminâ, cuius & Maria pedes vnxit vnguento: nec tactum dedignatur, sed profectum docet: quia non omnes Christum possunt tangere resurgentem, quem tetigerunt in hac vitâ, & corpore commorantem. Qui vult Christum tangere, sua membra mortificet, & resurrecturo similis, induat viscera misericordiæ, non ambigat renuntiare terrenis.

Mariæ nomen.

Col. 2. v. 9.

B

Matth. 28. v. 9.

Maria adorans, ac Dominicos tãgens pedes.

Ioan. 11. v. 3.

Col. 3. v. 5. & 12.

C

Noli me tãgere vt mulier audiat.

Quid est igitur, *Noli me tangere?* Noli manum adhibere maioribus: *sed vade ad fratres meos*, hoc est, ad perfectiores. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus & frater, & soror, & mater est.* Quia resurrectio non facilè nisi à perfectioribus capi potest, fundatioribus huius fidei prærogatiua seruatur. Mulieribus autem docere in Ecclesiâ non permitto: domi viros suos interrogent. Ad eus ergo mittitur, qui domestici sunt: & accipit præscripta mandata. Nec fugit, hoc loco sensisse quosdam Ioannem Christum noluisse tangi, quia nondum receperat typum, quem commendauerat Patri, quasi adhuc eum tangere non deberet.

Matth. 12. v. 50.

1. Cor. 14. v. 34.

1. Tim. 2. v. 11.

D

V. 17.

Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Benè distinxit, quia mulieri loquebatur. Non enim communis nobis natura cum Christo, nisi conditionis humanæ. Illi Pater generatione propriâ, nobis adoptione voluntariâ: illi per naturam, nobis per gratiam: illi Deus vnitate mysterij, nobis pietate cœlesti.

Nimis clemens excusatio.

Dicit aliquis, Quomodò ergo Thomas, cùm adhuc non crederet, tetigit tamen Christum? Sed ille non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse: & tactu suo debuit me docere, sicut docuit & Paulus. *Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & hoc mortale induere immortalitatem*, vt incredulus credat, & cunctator dubitare non possit. Faciliùs enim credimus quod videmus. Habuit autem admirandi causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus inoffensâ compage corpus insertum. Et ideo mirum, quomodò se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu; tangi facilis, difficilis æstimari.

E

1. Cor. 15. v. 53.

EIVSDEM DE MARIA MAGD.

SERMO.

Est Serm. 19. adscribitur & S. Maximo. Vide eiusdem expositionem suprà fer. 3.

HÆret adhuc sensibus vestris, fratres, hoc nos ante dies paucissimos prædicasse, quòd Maria Magdalene non leuiter fuerit obiurgata, cur post resurrectionem Dominum quæreret in sepulchro: & non reminisceos verborum eius, quibus se ab inferis tertiâ die rediturum esse dixerat, putaret eum inferni legibus detineri. Arguitur enim non leuiter cur non memoraretur resurrectionis promissum, ac mortis scrutaretur indicium. Fides enim humilis & ignara quærit, quod nescit; obliuiscitur quod docetur. Festina quidem est ad obsequium, sed non perfecta est ad credendum: Anxia enim est de Dominicæ carnis iniuriâ, sed incerta est de resurrectionis gloriâ. Plorat quidem amore Christi, sed mœret desperatione corporis non reperti. Periisse putat, quem iam regnare constabat: scrutatur enim in tumulo, quem vocare potiùs deberet è cœlo. Increpatur igitur sancta Maria tanquam pigrior ad credendum: & cùm sera licet Dominum cognouisset, dicitur ei à Saluatore: *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem.* *Noli me tangere*, increpationis verbum est: hoc est, noli me tangere manibus, quoniam resurrectionem meam mentis obliuione non retines. Non potes me corporeis tenere complexibus, quoniam fidei perfectione non tangis. Prohibetur tactu, quæ amisit auditum. *Noli me*, inquit, *tangere, quia nondum ascendi ad Patrem.*

Maria Magdalene increpatur tãquã pigrior ad fidem.

Ioan. 20. v. 17.

Videamus quomodò nondum ad Patrem ascenderit Christus, cùm ipse dicat, *Quia Pater in me, & ego in Patre;* à quo per indiscretam diuinitatis substantiam nunquam est separatus. Dum enim vnus in vno manet, semper Patrem Filiúmque simul esse significat. Aut nunquid illuc ascendere se dicit Filius, vbi antè habitat quàm ascendat? Dixit enim idem Dominus: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlis, Filius hominis, qui est in cœlo.* Si ergo cùm descendit Saluator in cœlo est, multò magis etiam priusquam ascendat, in cœlo est. Sed vide ne fortè ad obiurgationem Mariæ vox ista pertineat, cui paulò antè inter sepulchra quærenti Dominum dicitur: *Quid quæris viuentem cum mortuis?* Nunc addatur, *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem:* hoc est, quid me contingere cupis, quæ me dum inter tumulos quæris, adhuc ad Patrem ascendisse non credis: quæ dum me inter inferna scrutaris, ad cœlestia redisse diffidis: dum inter mortuos quæris, viuere cum Deo Patre meo non speras. *Nondum*, inquit, *ascendi ad Patrem*: hoc est, tibi nondum ascendi ad Patrem, quia apud fidem tuam adhuc detineor in sepulchro. Quantum in te est enim, adhuc humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis: quia nondum me fides tua eleuauit ad cœlum. Quid ergo me festinas contingere vt Dei Filium, quem redeuntem ad Patrem mentis deuotione non sequeris? Quisquis igitur vult contingere Dominum Saluatorem, priùs illum debet fide suâ ad dexteram diuinitatis imponere, & credulitate cordis collocare in cœlestibus potiùs quàm inter defunctos inquirere.

Ioan. 14. v. 10.

Ioan. 3. v. 13.

Luc. 24. v. 5.

Nondũ ascendi, & hoc Mariæ increpatio.

Illi autem ascendit Dominus in Patrem, qui eum semper esse credit in Patre. Ascendit beatis Apostolis ad Patrem, quibus ait: *Qui me videt, videt & Patrem.* Ascendit Ioanni Euangelistæ, qui apud Patrem eum quæsiuit, & reperit atque ideo ait: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ascendit etiam beato Paulo, qui non contentus solùm se scire quod nouerat, nos quoque docuit quemadmodum Saluatorem in cœlestibus quæreremus, dicens: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens.* Et vt nos ab hac humili, vel terrenâ inquisitione Mariæ penitus submoueret, addidit dicens: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ergo tam non super terram, nec in terrâ, nec secundum carnem debemus quærere Saluatorem, si volumus eum inuenire atque contingere, sed secundum diuinæ maiestatis gloriam, vt dicamus cum Apostolo Paulo: *Nunc autem secundum carnem non nouimus Christum.* Igitur & Stephanus beatus fide suâ non super terram quæ sinit Christum, sed stantem illum ad Dei dexteram recognouit: ibi illum reperit, vbi mentis deuotione quæsiuit. Non solùm autem Stephanus in cœlo videt Christum, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit enim Dominum, cùm pro inimicis suis orans velut fide suâ tenens illum, dicit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Intelligite ergo quanta deuotionis est gloria. Maria iuxta Dominum constituta eum tangere non meretur: Stephanus in terris positus Christum tangit in cœlo. Illa inter Angelos præsentem non videt Saluatorem: Stephanus intra cœlos Dominum cernit absentem.

Ioan. 14. v. 9.
Ioan. 1. v. 1.
Col. 3. v. 1.
Ibidem.
2. Cor. 5. v. 16.
Act. 7. v. 59.
Stephanus Dominum in cœlo tangit orans pro inimicis.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
Episcopi Constantinop. in superius Euang.

HOMIL.

Ex Hom. 86. in Ioan. 20. v. 11.

ABierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Procliuis est ad misericordiam, & ad ploratum facilis muliebris sexus: quod dico, ne admireris, cur Maria tam amarè fleret ad sepulchrum, non autem Petrus. *Discipuli,* inquit, *abierunt ad semetipsos: Maria autem stabat ad monumentum.* Imbecillis enim naturæ erat, & de resurrectione nondum notat: quemadmodum illi, visis linteaminibus, credentes resurrexisse, spe abierunt bonâ. Et quâ gratiâ non statim abiit in Galilæam, vt bis constitueret ante passionem? Reliquos fortasse expectabat: præterea maximè adhuc perturbati erant. Hi ergo abierunt, illa autem adhuc perstabat. Multùm enim, vt dixi, eam consolabatur conspectum monumentum. Vidésne vt ad dolorem leniendum se inclinat, & vult locum videre, vbi sepultus fuerat Iesus? propterea non paruam inde mercedem accepit: quod enim non viderant discipuli, ipsa prior vidit; sedentes Angelos, vnum ad caput, & vnum ad pedes in albis, plenos splendoris & lætitiæ. Nam cùm mulieris mens humilis esset, & rudis, nec ex sudario resurrectionem coniectaretur, videt Angelos sedentes speciosos, vt iam mœrorem deponeret, & consolaretur: sed nihil primùm de resurrectione dicunt, sed paulatim ad id docendum veniunt. Vidit eorum splendorem, & supra consuetudinem vidit speciem, audiuit commiserantium vocem. Dixerunt enim: *Mulier, quid ploras?* Quibus omnibus tanquam apertis ianuis paulatim ad resurrectionem ostendendam venitur, & sessio ipsa ad interrogandum eam adduxit præ-ferebant enim se rem omnem scire, ideo non simul sedebant. Cùm enim non par esset, eam per se ausuram interrogare, ipsi ad rogandum trahunt. Tum illa & feruore quodam, & amore percita: *Tulerunt,* inquit, *Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Quid inquis? Nondum resurrectionem concipis? Vides nondum admodum in altum erexisse?

Petrus & Ioannes resurrexisse credunt visis linteaminibus, Mariâ non credente.

V. 13.

Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum. Et quænam hæc consequentia, cùm illos alloqueretur, & nihil adhuc respondissent, respicere? Vt sentio, loquente Mariâ, cùm Christus repente à tergo ipsius apparuisset, obstupuerunt Angeli: & vultu, & motu, & gestu se Dominum vidisse significarunt, ideo mulier respexit: illis ergo se statim apparuit: Mariæ autem, ne primo eam aspectu perterreret, vili & communi specie: hocque vel ex eo constat, quòd hortulanus ei visus est. Nam cùm adeò humi iaceret, non erat repentè ad alta erigenda, sed paulatim.

V. 14.
Maria ut alloquens Angelos tergo conuersa.

Rogat ergo eam Iesus: *Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Ostendit se intelligere, quòd vellet interrogare, & vt responderet, adduxit: quod mulier intelligens, non ampliùs Iesum nominat, sed tanquàm ille sciret de quo interrogaret, ait: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Iterum & positum sublatum, ac si mortuus esset, dicit: quasi dicat, si propter Iudæorum metum tulisti eum, dicito mihi, & ego accipiam. Magnus amor & beneuolentia mulieris, sed nihil altum cogitat, propterea iam non vultu, sed voce se notum facit: quemadmodum enim Iudæis nunc notus, nunc ignotus, etiam præsens erat: ita loquendo, cùm volebat, cognoscebatur. Et cùm Iudæis inquit; *Quem quæritis?* neque vultu, neque voce cognitus est, quoad ad voluit: quod & nunc contigit. Et nomine eam tantùm appellauit, exprobrans quòd de viuo id imaginaretur. Quomodò autem conuersa respondet, si ad ipsum loquebatur? Mihi videtur cùm dixisset, *Vbi posuisti eum?* rursum ad Angelos respexisse tanquàm rogatura, quid obstupuerint, & ab his ad Christum se vocantem, & voce quis esset ostendentem, conuertisse. Cùm enim dixit, *Maria,* tunc cognouit: ita non visus, sed vocis fuit cognitio.

V. 15.
V. 16.
Ioan. 18. v. 5.

Quòd si quis diceret, Vnde constat Angelos obstupuisse, & propterea Mariam respexisse? etiam dicet, vnde constat tetigisse eum, & procidisse? sed quemadmodum hoc constat, quòd dixit, *Noli me tangere*: ita illud quòd conuersa sit. Sed cur inquit, *Noli me tangere?* Quidam dicunt spiritalem gratiam petere, cùm eum discipulis dicentem audisset, *Si vadam ad Patrem, rogabo eum, & dabit vobis alium Paraclitum.* Sed quomodò absens hæc audiuit? Præterea longè à sententiâ hæc imaginatio. Quomodò peteret, cùm nondum ad Patrem ierit? Quid ergo est? Mihi videtur velle eam adhuc cum eo versari, vt solebat: & ex lætitiâ nihil de eo magnum cogitasse: tametsi longè melior factus erat secundùm carnem, quare ab hac eam sententiâ abducens, & vt reuerenter se alloquatur admonens (neque enim cum discipulis similiter versari deinceps videtur) eius mentem erigit, vt reuerentiùs adeat. Nam si dixisset: Noli vt priùs ad me accedere, non enim eadem

V. 17.
Ioan. 14. v. 16.
Quid Mariæ prohibita tangere.

eadem sum conditione, neque simol vobiscum A conuersatutus sum ampliùs, elatiùs & superbiùs dictum videri potuisset: sed dicendo: *Nondum ascends ad Patrem*: etsi leniùs, idem tamen significauit. Ostendit enim illuc matutare, & cùm illuc abiturus, nec ampliùs cùm bominibus conuersaturus esset, oon etat eodem quo ptiùs animo aspiciendos. Et quòd bic sensus sit, ex sequentibus significatur: addidit enim: *Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, &c.* Atqui non continuò asceensurns erat, sed post quadragiota dies. Quomodò ergo hoe dicit? Vt eius mentem excitatet, & se in cœlum abite persuaderet. Illa autem particula; *Patrem meum, & Patrem vestrum: & Deum meum, &* B *Deum vestrum*, dispensationem spectat. Ascendere enim catnis est; bæc enim ad eam quæ nihil magnum imaginabatut, loquitur. Ergo aliter eius, aliter nostet Patet est? Sanè quidem. Nam si aliter iustorum, alitet aliorum hominum Deus est, longè magis Filij, & nostet. Et cùm dixisset; *Dic fratribus meis*, ne ex boc æqualem arbitrareris, ostendit diffetentiam. Ipse enim sessurus erat in thtuno Patris, illi autem & astimti. Itaque licet secundum catnis substantiam frater noster factus sit, honote tamen multùm differt, qoanmm autem ne dici quidem potest.

V.18. *Abijt ergo Maria Magdalene, hac nuntiatura* C *discipulis.* Tanti est sedolitas, & tolerantia. Illi autem quare non doluetunt Magistri absentiam, neque vt anteà locuti sunt? Tunc vt morituri desiderio afficiebantur, nunc cùm resurrexerit, cur erat dolendum? Nuntiauit itaqne Maria se vidisse Iesum, & allocutam, quæ satis eos consolari poterant.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in superius Euang.

HOMIL. I.

Ex Tract. 121. in Ioan. 20. v. 11.

M*Aria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Viris enim recedentibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affe- D ctus. Et oculi qui Dominum quæsierant & non inuenerant, lacrymis iam vacabant, ampliùs dolentes quòd fuerat de monumēto sublatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus: qnoniam Magistri tanti cuius eis vita subttacta fuerat, nec memoria remanebat. Tenebat itaque ad monnmentum iam dolot iste mulietem.

Al. *memoriam videbant.* Retinebat.

Cùm ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Cur hoc fecerit nescio. Non enim nesciebat oon ibi esse iam quem quærebat, quandoquidem inde sublarum discipulis ipsa nuntiauerat: & illi ad monumentum venetant, & non solùm intnendo, sed etiam intrando corpus Domini quæsierant, nec inuenerant. Quid sibi ergo vult quòd ista cùm fleret, rursum in monumen- E tum inclinata prospexit? Vtrum quòd nimium dolebat, nec suis nec illorum oculis facilè putabat esse credendum? An potiùs diuioo instinctu io animo eius effectum est vt prospiceret?

V.12. Prospexit enim, *Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Quid est quòd vnus ad caput; & ad pedes alter sedebat? An quooiam qui Græcè Angeli dicuntur, Latinè sunt nuotij, isto modo Christi Euangelium velut à capite vsque ad pedes, ab initio vsque in finem si- A gnificabant esse nuntiandum?

Angeli duo ad caput & pedes.

V.13. *Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Angeli lacrymas prohibebant. Vbi quid aliud quàm futurum quodammodò gaudium nuntiabant? Ita enim dixerunt, *Quid ploras?* Ac si dicerent, noli plotare. At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodidit lacrymarum. *Quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum.* Dominum suum vocans corpus exanime Domini sui, à toto partem significans: sicut omnes confitemur Iesum Christum Filium Dei vnicum Domioum nostrum, quod vtique simul est & Verbum & anima & caro: crucifixum tamen B & sepultum, còm sola eius sepulta sit caro. *Et nescio*, inquit, *vbi posuerunt eum.* Hæc erat caussa maior doloris, quia nesciebat quò iret ad consolandum dolorem. Sed hora iam venerat, vt id quod nuntiatum quodammodò fuerat ab Angelis flere prohibentibus, gaudium succederet flentibus.

V.14. & 15. *Denique cùm hæc dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei* C *Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister.* Nemo calumnietur mulieri quòd hortulanum dixerit Dominum, & Iesum Magistrum. Ibi enim rogabat, hîc agnoscebat. Ibi hoUorabat hominem à quo beneficium postulabat, hîc recolebat doctorem, à quo discernere humana & diuina discebat, Appellabat Dominum cuius ancilla non erat, vt per eum perueniret ad Dominum, cuius ancilla etat. Aliter ergo Dominom dixit, *sustulerunt Dominum meum*; aliter autem, *Domine, si tu sustulisti eum.* Nam & Prophetæ appellauerunt dominos eos qui homines erant: sed aliter illum de quo scriptum est, *Dominus nomen ei.* Sed ista mulier quæ iam fuerat conuersa retrorsum vt videter Iesum, quando eum putauit esse hortulanum, & cum illo vtique D loquebatur, quomodò rursus conuersa dicitur, vt ei diceret, *Rabboni*: nisi quia tunc conuersa corpore quod non erat putauit, nunc corde conuersa, quod erat agnouit.

Dominus, aliter de creaturis, aliter de Deo.

Psal. 67. v. 5.

V.17. *Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Est in his verbis quod breuiter quidem, sed tamen attentius pertractare debemus. Iesus quippe mulietem, quæ illum Magistrum agnouit & appellauit, cùm hæc ei responderet, fidem docebat: & hortulanus ille in eius corde, tanquam in horto suo granum sinapis seminabat. Quid est E ergo, *noli me tangere?* Et tanquam huius prohibitionis caussa quæreretur, adiunxit: *nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quid est hoc? si stans in terrâ non tangitur, sedens in cœlo quomodò ab hominibus tangetur? Qui certè antequam ascenderet, discipulis se tangendum obtulit dicens, sicut Lucas Euangelista testatur: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*: vel quando dixit discipulo Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Quis autem tam sit absurdus, vt dicat eum à discipulis quidem antequam ad Patrem ascen-

Luc. 24. v. 38.

Infra v. 27.

A Paschate.

R

dixisset, voluisse se tangi: à mulieribus autem noluisse, nisi cùm ascendisset ad Patrem? Sed nec sic qui vellet, desipere sineretur. Leguntur enim etiam fœminæ post resurrectionem antequam ad Patrem ascenderet, tetigisse Iesum, in quibus erat etiam ipsa Maria Magdalene narrante Matthæo, quòd *occurrerit illis Iesus dicens, Auete. Illæ autem accesserunt*, inquit, *& tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Hoc à Ioanne prætermissum est, sed à Matthæo verum dictum est. Restat ergo vt aliquod in his verbis lateat sacramentũ, quod siue inueniamus, siue inuenire minimè valeamus, inesse tamen nullo modo dubitare debemus. Aut ergo sic dictum est, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, vt in illâ fœminâ figuraretur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit nisi cum ascendit ad Patrem: B aut sic in se credi voluit Iesus, hoc est, sic se spiritaliter tangi, quòd ipse & Pater vnum sint. Eius quippe intimis sensibus quodammodò ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit, vt Patri agnoscat æqualem: aliter non rectè tangitur, id est, aliter non rectè in eum creditur. Poterat autem sic credere Maria, vt eum putaret imparem Patri, quod vtique prohibetur cùm ei dicitur, *Noli me tangere*: id est, noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Noli tuum sensum hucusque protendere quod pro te factus sum, *ne non transire valeas ad id per quod facta es. Quomodò enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? *Nondum enim ascendi*, inquit, *ad Patrem meum*. Ibi me tanges, quando C me credideris Patri non imparem Deum.

Quid, *Noli me tangere*? ac quæ dicti ratio? *Matth. 28. v. 9.*

Ioan. 10. v. 30.

* Al. *non pertingere ad illum non possis per quē facta es.*

Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Non ait Patrem nostrum. Aliter ergo meum, aliter vestrum: naturâ meum, gratiâ vestrum. *Et Deum meum, & Deum vestrum.* Neque hîc dixit, Deum nostrum. Ergo & hîc aliter meum, aliter vestrum: Deum meum sub quo & ego homo sum: Deum vestrum, inter quos & ipse mediator sum.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. II.

Serm. 111. de Temp. & de diuers. 6. Cap. 1.

NArratio resurrectionis Domini nostri Iesu Christi secundum Euangelistam Ioannem hodie legi cœpit. Hoc enim scitis, & commendaueram vobis secundum omnes quatuor Euangelistas istis diebus resurrectionem Domini recitari. In his ergo quæ audistis illud tantùm solet mouere, quare dixerit Dominus Iesus mulieri quærenti corpus eius, & eum iam viuum agnoscenti: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Dixi autem vobis, & meminisse debetis, non omnia omnes dicere: sed dici ab aliis, quæ ab aliis prætermissa sunt. Non tamen ita, vt inter se repugnare credendi sint, si absit E contentio, & adsit pietas intelligentis. Nam sicut legitur apud Euangelistam Matthæum, posteaquam resurrexit, *occurrit* duabus *mulieribus*, in quibus & ista erat, *& dixit eis, Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Et vtique ad Patrem nondum ascenderat. Quomodò ergo nunc dicitur: *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Sic enim verba ista videntur sonare, quasi tunc eum posset tangere Maria, quando ascendisset in cœlum. Si in terrâ positum non tangit, in

Ioan. 20. v. 17.

Matth. 28. v. 9.

A cœlo sedentem quis mortalium potest tangere?

Cap. 2.

Tangere Christum, in eum credere.

Matth. 9. v. 21.

Sed ille tactus fidem significat. Tangit Christum, qui credidit in Christum. Nam & illa mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, apud seipsam ait: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, saluaero.* Fide tetigit, & sanitas subsecuta est quam præsumpsit. Denique vt nos sciamus quid sit verè tangere, Dominus continuò dixit discipulis suis: *Quis me tetigit? Et dixerunt discipuli: Turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Et ille: Tetigit me aliquis.* Quasi diceret: Turbæ premunt, fides tangit. Videtur ergo ista Maria cui dixit Dominus, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, Ecclesiæ gestare personam, quæ tunc in Christum credidit, cùm ascendisset ad Patrem. Ecce vos interrogo, quando credidistis, interrogo Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam, cuius persona erat in vnâ fœminâ: & vnâ voce mihi respondet, Tunc credidi, cùm Iesus ascendisset ad Patrem. Quid est, Tunc credidi, nisi tunc tetigi? Multi carnales Christum tantummodò hominem putauerunt, diuinitatem in illo latentem non intellexerunt. Non benè tetigerunt, quia non benè crediderunt. Vis benè tangere? Intellige Christum vbi est Patri coæternus, & tetigisti. Si autem hominem putas, & nihil ampliùs putas, tibi nondum ascendit ad Patrem.

Cap. 3.

Adhibuit ergo Dominus Iesus speciem corporis sui humanis sensibus, ad confirmandam carnis resurrectionem. Nihil nos docere aliud voluit, ostendendo se viuum in corpore post resurrectionem suam, nisi vt credatur à nobis resurrectio mortuorum. Ecce dies sancti, qui post resurrectionem Domini celebrantur, significant futuram vitam post resurrectionem nostram. Sicut enim Quadragesimæ dies ante Pascha, significauerunt laboriosam vitam in hac ærumnâ mortali: sic isti dies læti significant futuram vitam, vbi erimus sine fine cum Domino regnaturi. Vita quæ significatur Quadragesimâ ante Pascha, modò habetur: vita quæ significatur quinquaginta diebus post resurrectionem Domini, non habetur sed speratur, & sperando amatur. Et in isto amore Deus qui promisit ista laudatur, & ipsæ laudes D Alleluia sunt. Quid est enim Alleluia? Verbum est Hebræum Alleluia, Laudate Deum. Alleluia, laudate; ia, Deũ. Alleluia ergo laudate Deum sonamus & inuicem excitamus ad laudandũ Deum, cõcordibus cordibus meliùs quàm cithara chordis. Dicimus laudes Deo, cantamus Alleluia & cùm cantauerimus, propter infirmitatem recedimus, vt corpora reficiamus. Quare reficimus, nisi quia deficimus? Deinde tanta est infirmitas carnis, tanta huius vitæ molestia, vt quælibet magna res veniat in fastidio. Quomodò desiderauimus istos dies ad annum venturos, cùm modò abirent: & quantâ auiditate ad illos venimus E per temporis interuallum? Si diceretur nobis, Sine cessatione dicite Alleluia, excusaremus. Quare excusaremus? Quia lassi non possumus, quia ad ipsum bonum fastidio fatigaremur. Ibi nullus est defectus, nulla fastidia. State, laudate, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Quid quæris, quid ibi facturus sis? *Beati*, ait, *qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Cap. 4. Omissa hic longa disputatio de vsu membrorum in resurrectione, quæ & fere omissa erat in collecta sermonum de Temp.

Alleluia quid.

In hac vitâ nulla res quæ in fastidium nõ veniat.

Psal. 133. v. 1.

Psal. 83. v. 5.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. III.

Serm. 155. de Temp. Cap. 1.

ET hodie resurrectio Domini recitata est de sancto Euangelio. Lectum est enim Euangelium secundum Ioannem: audiuimus quæ in aliis libris Euangelij non audieramus. Omnibus quidem commonis est prædicatio veritatis, & de foote vno omnes biberunt. Sed in prædicatioone Euangelij, sicut sæpe commonui charitatem vestram, alia omnes, alia tres, alia duo, alia singuli posuerunt. Modò ergo quod audiuimus secundum Ioannem Euangelium, quia Maria vidit Domioum, & dixit ad eam Dominus, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*, solus Euangelista Ioannes commemorat. Hioc ergo loqueodum est sanctitati vestræ. Visis enim linteaminibus in sepulchro, Dominum oon resurrexisse crediderat, sed ablatum esse. Ipse Ioannes (seipsum enim dicit, *quem diligebat Iesus*) cùm audisset denuntiantibus mulieribus, & dicentibus: *Tulerunt Dominum meum de monumento*, cucurrit cum Petro, & attendit in monumentum, vidit sola linteamina, *& credidit*. Quid credit? non quia resurrexerat, sed quia de monumento petierat. Hoc sequeoria verba testantur. Sic enim scriptum est, quod modò audiuimus. Attendit, *vidit, & credidit: nondum enim sciebat Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere*. Apparuit ergo quid credidit: quod fidei non erat hoc credidit: credidit, sed falsum credidit. Apparuit ei postea Dominus, fugauit falsum, inseruit verum.

Ioan. 20. v. 17. — *V. 2.*

Cap. 2. Tamen illud quod solet mouere lectorem & auditorem non incuriosum neque negligentem, quomodò sit dictum, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*: hîc videamus, Domioo ipso adiouante, quid dictum sit. Mouet enim hoc quidem, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem.* Quando enim ascendit ad Patrem? Sicut indicant Actus Apostolorum, quadragesimo die post resurrectionem suam, quem diem in nomine ipsius celebraturi sumus: tunc ascendit ad Patrem, tunc eum discipoli qui manibus tetigerunt, oculis deduxerunt. Tunc sonuit Angelica vox, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet, quomodò eum vidistis euntem in cælum.* Si ergo tunc ascendit ad Patrem, quid dicimus, fratres mei? Maria noo poterat eum tangere in terrâ stantem, & poterat tangere in cœlo sedentem? Si hîc non poterat, quantò minus poterat ibi? Quid est ergo, *Noli me tangere, non enim ascendi ad Patrem?* Sic enim sonant verba, tanquam diceret, Tunc me tange, cùm ascendero: antequam ascendam, noli me tangere. O Domioe, hîc es, & oon tango: cùm ascenderis, tangam? Deinde si antequam ad Patrem ascenderet, tactum horrebat humanum, quomodò se discipulis oon solùm videndum, sed etiam contrectandum præbuit, quando dixit, *Quid cogitatis in cordibus vestris? Videte manus meas, & pedes meos: Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Incredulus etiam ille discipulus Thomas tetigit latus perforatum, & exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* An fortè aliquis insipiens dixerit, Antequam ad Patrem ascenderet, viri eum poterant

Act. 1. v. 11. — *Luc. 24. v. 38.* — *Ioan. 20. v. 28.*

A tangere: mulieres autem non poterant, nisi cùm ad Patrem ascenderet. Absurda est ista cogitatio, & peruersa sententia. Prorsus quod audiuit Maria, audiat Ecclesia. Hoc omnes aodiant, Deum iotelligant, omnes faciant. Quid ergo est, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem?* Quod me vides, hominem solùm putas, patri æqualem esse adhuc nescis: noli me tangere talem, ooli in hominem solum credere, sed Verbum æqoale Genitori intellige. Quid ergo est, *Noli me tangere?* Noli credere. Quid noli credere? Qoia hoc solùm sum quod vides. Ascendam ad Patrem, & tunc tange. Tibi ascendo, quando intellexe-
B ris æqualem. Quando me putas minorem, nondum ascendo tibi.

Noli me tangere.

Cap. 3. Tangere aotem, credere esse, puto quia facilè possumus intelligere de illâ muliere quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi, & salua facta est. Recordamini Eoangelium: Dominus Iesus Christus ibat ad visitaodam Archisynagogi filiam, quæ primò nuntiata fuit infirma, postea mortua. Illo pergente, ecce mulier de transuerso venit, quæ fluxu sanguinis laborabat per duodecim annos, & in medicis frustra curaotibus, & non sanantibus, omnia sua consumpserat: dixitque in corde suo, *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Hoc ipsum dicere, iam tangere fuit. Deoique
C audi sententiam: cùm salua facta esset secundum fidem suam, ait Dominus Iesus Christus, *Tetigit me aliquis. Et discipuli, Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Et ille, Tetigit me aliquis, nam ego scio virtutem exisse de me.* Gratia processit, vt illa sanaretur: non vt ille minueretur. Dicunt ergo discipuli, Premunt te turbæ, & tu vnum aut vnam sensisti? Et ille, *Tetigit me aliquis*: illæ premunt, ista tetigit. Quid est, illæ premunt, ista tetigit? Iudæi affligunt, Ecclesia credidit.

Math. 9. v. 22.

Cap. 4. Secundum hunc ergo intellectum, quo videmus mulierem tetigisse, quod est credidisse, se-
D cundum hoc dictum est ad Mariam, *Noli me tangere*; ascendam, & tange. Tunc enim tange, quando cognoueris, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Verbum quidem caro factum est, Verbum incontaminatum, immaculatum, immutabile manet, integrum. Sed quia tu hominem solùm vides, Verbum non vides, nolo credas in carne & relinquas Verbum. Totus Christus tibi appareat, quia æqualis est Patri io Verbo. *Noli* ergo, inquit, modò *tangere*: quia nondum vides quid sim. Ecclesia ergo, cuius figuram Maria gerebat, audiat quod audiuit Maria. Tangamus om-
E nes: si credamus, iam ascendit ad Patrem, sedet ad dexteram Patris. Confitetur hoc hodie vniuersa Ecclesia: *Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.* Hoc audiunt qui baptizantur, hoc credunt, antequam baptizentur. Quando ergo credunt, Maria tangit Christum. Intellectus obscurus & sanus, incredulis claosus, fide pulsanti est apertus. Ipse ergo Dominus Iesus Christus & ibi est, & nobiscum est: & cum Patre est, & in nobis est: & ab illo noo recedit, & nos non deserit; & orare docet vt Magister, & cum Patre exaudit vt Filius.

Ioan. 1. v. 1. — *Al. sic,*

EIVSDEM DE VERBIS *Euangelij*, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.

HOMILIA IV.

Meminit Possidius cap. VIII. extat Beda Philip. 2. ex quo aucta Sirmundi editio.

Est serm. 17. ex nouis P. Sirm. *Ioan. 20.*

EX Euangelio secundum Ioannem resurrectio Domini cœpit hodie recitari. Audiuimus, & fidei oculis vidimus erga Dominum Iesum piæ mulieris affectum. Quærebat Iesum, sed tamen adhuc tanquam corpus requirebat hominis mortui, & diligebat tamen tanquam magistrum bonum. Non intelligebat eum resurrexisse à mortuis, nun credebat: & quòd à monumento remotum lapidem vidit, credens ablatum inde corpus quod quærebat, nuntiauit discipulis rem dolendam. Cucurrerunt duo, quorum vnus erat Petrus, alius Ioannes. Ipse est enim, quem diligebat Iesus, vtique præ cæteris: nam omnes vt Dominus diligebat. Cucurrerunt vt viderent vtrum verum diceret mulier, sublatum esse corpus de monumento. Venerunt, attenderunt, non inuenerunt corpus, & crediderunt. Sed quid crediderunt? Quod credere non debuerunt. Quando ergo audistis, Et crediderunt, fortè putastis eos credidisse quod credere debuerunt, hoc est, resurrexisse Dominum à mortuis. Non hoc crediderunt: sed quod nuntiauerat mulier. Denique vt sciatis hoe eos credidisse, subiecit mox Euangelista, & ait, *Nondum enim nouerant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Vbi est fides? vbi est toties veritas contestata? Nonne eis ipse Dominus Iesus ante passionem aliquoties dixit tradendum se esse, occidendum, & resurrecturum? Loquebatur adhuc surdis. Iam Petrus ei dixerat, *Tu es Christus Filius Dei viui.* Iam audierat, *Beatus es Simon Barjona, quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* Talis fides Domino crucifixo absorpta est. Tandiu enim Petrus Filium Dei credidit, donec videret in ligno pendentem, donec videret clauis affixum, donec videret mortuum, donec videret sepultum. Tunc perdidit quod tenebat. Vbi petra? vbi firmitas petræ? Petra erat ipse Christus, ille autem à petrâ Petrus. Ideo resurrexerat petra, vt firmaret Petrum: nam perierat Petrus, nisi viueret petra.

Maria discipulis nũtiat sublatũ de monumento corpus Dominicum.

Credunt illi re ipsâ sublatum.

C

v. 9.

Matth. 16. v. 17.

Petri fides absorpta Domino crucifixo.

D

Petrus à petrâ.

Postea tamen, quando Dominus dixit mulieri, *Maria*, conuersa agnouit eum, & appellauit magistrũ *Raboni*. Manifestata est hinc mulieri resurrectio Domini. Quid sibi ergo vult, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Quæstio mirabilis multis modis. Primò quia vetuit se tangi, quasi malè possit tangi à tangente. Deinde quia rationem reddens quare se tangi noluerit, & prohibuerit, ait, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*: quasi diceret, Tunc me tanges, cùm ascendero ad Patrem meum. In terrâ positum tangere prohibebatur, & eum tangere poterat in cœlo sedentem? Dixeram enim, Quid est, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Plus addo: Quando resurrexit, sicut & ipse dicit, & alij Euangelistę, & audiuimus, cùm lectiones sanctæ legerentur, apparuit discipulis suis; & cùm spiritum eum putarent, ait illis, *Quid turbati estis? & quare cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas, & pedes meos. Palpate, & videte.* Nunquid iam ascenderat? Nondum ascenderat ad Patrem suum, & dixit discipulis suis, *Palpate, & videte.* vbi est, *Noli me tangere?* Hîc fortè aliquis dicturus est, Tangi à viris voluit, à mulieribus noluit. Si fœminam horreret, non nasceretur ex fœminâ. Veruntamen quicquid hoc est, potest facere qualemcunque quæstionem, vt dicatur Dominum se, antequam ad Patrem ascenderet, à viris tangi voluisse, à mulieribus noluisse. Ait Euangelista Matthęus, ipse enim narrauit, occurrisse mulieres Domino resurgenti, in quibus erat & ipsa Maria, & tenuisse pedes eius. Coartata est quæstio multis modis, quid sibi velit, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Totum quicquid locutus sum, ad hoc locutus sum, vt quæstionis difficultas augeretur: videris validam, & quasi insolubilem. Adiuuet me Dominus, vt soluatur. Qui dignatus est eam proponere, dignetur exponere. Orate mecum effectum: ad me aures, ad illum cor. Quod mihi suggerere dignatur, vobis communicabo. Qui melius intelligit, doceat me: sic doctor sum, vt indocilis non sim. Qui autem melius non intelligit, quod intelligit audiat à me.

Ve dictum Mariæ, *Noli me tangere.* *v. 17.*

E

Luc. 24. v. 38.

A

Matth. 28.

B

Augustini vere modestum cor.

Dominum Iesum, sicut audiuimus, sicut apparet, hominem putabant discipuli, & secundum hoc fidem suam librabant. Altius non erigebantur, in terrâ cum Christo ambulabant. Quod factus erat propter nos, hoc nouerant; quod nos fecit, non nouerant. Ipse est Christus & factor, & factus. Vide factorem, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Vide factum, *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Videmus ergo Iesum, sed prædicatâ iam nobis fide Apostolorum. Quod nos nouimus, illi nondum nouerant. Non facio iniuriam. Non audeo dicere ignorantes: sed tamen video ignorãtiam confitentes. Non nouerant, posteà didicerunt, quod iam nos nouimus; Christum & Deum & hominem, Christum & factorem rerum, & factum in rebus, Christum & creaturè hominis, & creatum hominem, nos nouimus, illi nondũ. Deus Christus ęqualis est Patri: tantus est, quantus ille: talis est, qualis ille: hoc est, quod ille: non hic est, qui ille. Hoc est quod ille; quia ille Deus, & ille Deus: ille omnipotens, & ille omnipotens: ille immutabilis, & ille immutabilis. Hoc est quod ille. Non hic est, qui ille: quia ille Pater, hic Filius. Hoc quicumque nouit, illi ad Patrem ascendit: qui hoc non nouit, nondum illi ascendit Christus ad Patrem. Paruulus cum illo est, in terrâ cum illo est, æqualis omnipotẽti nondum illi est. Proficienti ascendit; cum illo qui proficit, ascendit.

Discipuli Christum nouerant solum hominem. Beda.

C

Ioan. 1. v. 1.

Ibid. v. 14.

D

Ascendit Christus ad Patrem, credenti esse Patri æqualem.

Quid est ergo, *Noli me tangere?* Tactus fidẽ significat: Tangendo enim acceditur ad eum qui tangitur. Mulierem illam videte, quę fluxum sanguinis patiebatur. Dixit in corde suo, *Sanabor si tetigero fimbriam vestimenti eius.* Accessit, & tetigit, & sanata est. Quid est, Accessit & tetigit? propinquauit & credidit. Vt sciatis eam tãgẽdo tetigisse, Dominus dixit, *Tetigit me aliquis.* Quid est, tetigit me, nisi, credidit in me? Et vt noueritis hoc esse, Tetigit me, quod est, Credidit in me, responderunt discipuli, & dixerũt ei, *Turba te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit?* Si solus ambulares, si spatium tibi ambulandi turba fe-

E

Mar. 5. v. 25 *Luc. 8. v. 43*

Tangere, credere.

tisset, & nemo iuxta te esset, benè diceres, Tetigit me aliquis. Turba premit te, tu vnum tangentem commemoras. Et ille repetit, *Tetigit me aliquis.* Priùs enim dixerat, *Quis me tetigit?* & postea, *Tetigit me aliquis.* Nescitis quid dicitis, Turbæ te comprimunt, Tetigit me aliquis. Turba ista premere nouit, tangere non nouit. Constat hoc eum significare voluisse dicēdo, *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis.* Vt illum tactum fidem credamus esse tangentis, vel potiùs credentis accessum.

Quid sibi ergo vult, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Quod me vides, hoc me putas: nondum ascendi ad Patrem. Hominem me vides, hominem solùm me putas. Sum B quidem homo: sed non hîc stet fides tua. Noli sic me tangere, vt hominem tantummodò credas. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ascendo ad Patrem meum, & tange me, id est, profice, intellige me æqualem Patri, & nunc tange, & salua eris. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quòd descendi vides, quòd ascendi nondum vides. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Memetipsum exinaniui formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc crucifixum est, hoc sepultum, hoc resuscitatum. Illud autem, *Cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*, nondum vides. C Quòd ascendi nondum vides. Noli tangendo terram, cœlum perdere: noli remanendo in homine, in Deum non credere. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Procedat Arrianus. Priùs procedat Photinianus; hæretici, qui Dominum Iesum nisi hominem omninò non nouerunt. Homuncionistæ dicuntur isti hæretici. Homuncionistæ; quia non nouerunt Christum nisi hominem. Respondemus Photiniano, Noli tangere. Quid est, Noli tangere? Noli sic credere: nondum tibi Christus ascendit ad Patrem. Procedat Arrianus. Ego, inquit, Deum credo Christum, sed minorem. Nec tibi adhuc ascendit ad Patrem. Cùm ascendit ad Patrem, extende te D vt tangas: extende te, tange Deum. Et ego, inquit, Deum profiteor, sed alterius naturæ, & alterius substantiæ: creatum, non per quem creata sunt omnia: factum, non in principio Verbum sine tempore. Adhuc ergo infra es: nondum tibi ascendit ad Patrem. Vis ascendat tibi ad Patrem? Crede, *Cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Rapina non erat, quia natura erat. Rapina vsurpatur, natura cognoscitur. In formâ Dei non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Sic est natus, & semper natus: & natus, & semper natus, & sine initio natus. Tu quid dicis, Arriane? Erat tempus, quando non erat Filius. Vides quia nondum tibi ascendit ad Patrem? Noli tangere, noli sic credere. Non est tempus inter Patrem & Filium. Genuit Pater, E natus est Filius: sine tempore ille genuit, sine tempore natus est, per quem facta sunt tempora. Sic tange, & ascendit tibi ad Patrem Verbum, sed coæternum Deo. Sapientia Dei, sed sine quâ nunquam fuit Pater. Respondere tibi habet caro tua, & confabulatura tecum, & dictura tibi in tenebris, Quomodò natus si sic fuit? Tenebræ tecum loquuntur. Exponatur magis mihi, clamas: clamo, exponatur mihi. Quid tibi vis exponatur? Natus est, an non natus? non enim esset Filius nisi natus. Si ergo natus est, fuit tempus quando

Phil. 2. v. 7.

Ibid. 4. v. 5.

Phil. 2. v. 6

A Paschate.

A non erat. Falsum est hoc. Terra loqueris, de terrâ loqueris. Expone ergo mihi, ait, quomodò natus, si semper fuit. Non expono, non exponu: non possum, non expono: sed pro me Prophetam oppono, *Generationem eius quis enarrabit?* *Isai. 53. v. 8.*

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,

Euangelij eiusdem expositio.

F. FRANCISCO COMAEFIS Interprete.

M*Aria autem stabat ad monumentum foris, plorans.* Christi amans Maria, quippe etiam omnis metus expers, nec admodum Iudæorū furorem reformidans, audaciùs quidem monumento B assidet: quod tamen fœminis fere semper ex naturâ est, affectu vincitur, ploratq; insatiabiliùs, ac largiores ex oculis exprimit fontes; non eâ dūtaxat ratione lugens quòd mortuus Dominus, sed quòd etiā putaret, fuisse à monumento translatū. *Ioan. 20. v. 11.*

Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Et vidit duos Angelos, &c. Vide rursus, vt non gratis pro Christo fundantur lacrymæ, nec dilectionis in ipsum procul sit fructus; sed vicina sit quodammodò ac labores proximè sequatur gratia, prorsusque locuplex retributio. Ecce enim assidenti Mariæ, proque pio erga Deum affectu visceribus cōtabescente, ac sincerum Do- C mino animum seruanti, Saluator sanctorum Angelorū voce, sui illi mysterij cognitionem aperit. Vidit enim Angelos in vestibus candidis, Angelicæ puritatis natiuissimum decorem vestium illo nitore designāte, qui & eius fletu inhibito, aiunt, *Mulier, quid ploras?* Nec enim lacrymarum causam sciscitantur; quippe quam eâ etiam tacente, pernouerant; ac res ipsa satis indicabat: sed potius à fletu cessare hortantur, vt quæ minùs congruâ è tēpore, ratione, ac ob ea quæ non deceret, luctum assumpsisset. Cùm enim mors soluta sit, ac corruptio iam ruptuerit, atque idcirco Saluator noster Christus à mortuis excitatus, ad incorruptionem reditum instaurauerit, cur ab eo erras, D mulier, quod congruè tempus deposcit; mœrésque ac ploras amarissimè, cùm te rerum exitus in cōtrarium potiùs vocet: gaudere namque potiùs, ac æquo animo esse oporteret. Ergo, quid ploras, ac celebritatis splendorem quodammodò violas?

V. 12. Mariæ feruoris, ac dilectionis merces.

V. 13. Angeli à fletu compescunt.

Apparent autem sedentes ad caput, atque ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu: tantum non habitu significantes mulieri, sic Dominum translatum esse arbitranti, nullâ sanctum corpus iniuriâ violari potuisse, sanctis Angelis assidentibus, sanctisque Potestatibus diuinum Templum circunstantibus: quippe quē Dominum suum nouerant. Sed quæret forsan aliquis, nec immeritò, quam ob causam sanctos discipulos beati Angeli non sint allocuti, nec eis prorsus apparuerint; mulieri verò appareant, ac cum eâ sermonem misceant? E Dicemus igitur propositum fuisse Christo Saluatori, vt mysterij sui certam fidem charorum suorum mentibus insereret; sed varijs persuasionis modis visum esse, eorum animo accommodatis, quibus erat præstanda fides. Sanctis itaque discipulis ipse rerum exitus diuinarum Scripturarum spei congruens ad certam persuasionem sufficiebat, fidémque nullatenus dubiam inserebat. Sanctis enim literis accommodatâ fide recedebant, fuisset que quodammodò superuacaneum, vt qui sic firmiter crediti dissent, sanctorum insuper Angelorum voce docerentur: sed per necessarium istud

Apostolis cur non visi Angeli, nec eos allocuti plures aliter sentiunt de fide Petri & Ioannis.

erat mulieri quæ sacras diuinasq; literas nesciebat, nec aliàs alium resurrectionis mysterium nouerat.

Dicit ei, Quia tulerunt Dominum meum, &c. Tarda quodammodò ad intelligendum Mulier: quinimmò vniuersus eiusmudi est fœmineus sexus. Nondum enim capit, ex visione quid significetur; luctus tamen causam aperit. Sed quia Christum Dominum vocare non destiterat, suamque deuotâ compellatione dilectionem ostendebat, iurè demum etiam optatissimâ visione fruitur. Videt enim Iesum: licet nondum præsentem intelligat. Cur ita? Vel quòd adhuc seipsum Saluator noster Christus diuinâ virtute occultaret, ignorantiâ laborat; vel quòd adhuc profundum diluculum, eius facilè vultum discernere non sinebat, nocte rem quodammodò B prohibente, vixque eius qui prope accessisset formam, atque habitum submonstrante. Idcirco etiam ipse Dominus noster Iesus Christus in Cantico canticorum, huiusce noctis ambulationem, atque humorum ex matutino rore collectorum meminit, his verbis, *Caput meum impletum est rore, & cincinni mei guttis noctis.*

[illegible] non satis, nocturnarum. Cant. 5. v. 3.

V. 15. *Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras?* &c. Cùm necdum plenè adhuc solutâ nocte tenebræ essent, videt Iesum vix tandem propiùs accessisse; ac quidem nesciebat quis esset, quippe cùm corporis simulacrum, ac vultus figuram haud satis distinguere posset; audit verò ita compellantem, *Mulier, quid ploras?* Ac planè mitis quidem Saluatoris sermo, eiusmudi tamen, vt hor- C tulani cuiusdam, pro temporis locique ratione suspicionem meritò audienti ingereret. Rursus verò credendum est, Dominum quòd sic loquatur, haudquaquam prorsus eius fletus causam inquirere, at neque quem illa quærat velle nosse, sed potiùs à fletu ipsam compescere, vti sanè & bini illi beati Angeli; quippe in quibus & ipse loqueretur. Quid ergo ploras, ò mulier, inquit? Quem quæris? Hoc est, inhibe lacrymas, cùm præsto sit, quem quæris. Ego, inquit, tui luctus causa, tanquam mortuus sim, ac grauissima passus, atque insuper è monumento sublatus. Sed quando nunc viuo, ac præsens sum, misso luctu ad animi te iucunditatem transferto. Iraque luctum inhibentis interrogatio est.

Compescit à luctu etiã Dominus.

Oportebat enim, omninoque decebat hanc etiam partem Christi numine instaurari. Adami præuaricationis reatu vniuerso hominum generi dictum erat, tanquam in primitijs, primo generis parenti, atque auctori, *Terra es, & in terram reuerteris:* ad mulierem verò, idque priuatâ pœnâ, *In doloribus paries filios.* Mulieri itaque pœnæ loco indictum erat, vt doloribus afflueret. Igitur necesse erat supremi Iudicis ore veteris illius maledictionis graue onus dissolui; nempe Saluatore nostro Christo iam à fœminâ, seu potiùs à fœmineo ipso toto sexu, in Mariâ ceu primitijs, lacrymas abstergente. Prima enim hæc E inter mulieres, moerore ac luctu ob Christi passionem assumpto, vocem à luctu reuocantem meruit audire: cuius quidem vis vocis ad vniuersum quoque fœminarum sexum pertineat, si modò eorum nomine doleant quæ in Christum nefariè perpetrata sunt, eius nimirum colentes fidem, ac tantum non illud quod in Psalmis habetur, dicentes, *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi.* Verùm Dominus noster Iesus Christus, hæc ait,

Gen. 3. v. 19. & 16. Abstersæ in Mariâ à sexu fœmineo lacrymæ ac dolores.

Psal. 138. v. 22.

A vt à luctu eam liberaret: Illa verò hortulanum quempiam illum esse rata, qui loquebatur, sibi facilè alia in loca translatum iri Saluatoris cadauer pollicebatur, modò ipse vbinam illud posuisset, ostenderet. Nam cùm nondum magnum illud resurrectionis mysterium intelligeret, eiusmodi iactabatur cogitationibus. Quippe rudiores sunt vt plurimum fœminarum mentes, nec sunt comparatæ vt & valde ardua, longéque minus vt quæ rationis vim excedunt miracula, assequi possint.

Rudior fere fœminarum sexus.

V. 16. *Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa, dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister; & occurrit vt eum tangeret.* Ad clariorem iam agnitionem mulieris animum vocat, seque nullo obstante spectandum præbens, velut scilicet ei quæ acriùs amaret, eius noscendi tarditatem tantum non deinceps austeriùs accusat. Tale quid enim paulò obscuriùs indicat, cùm ex nomine compellat. Illa porrò mox intelligit, prioresque iam ex ipso aspectu exuens suspiciones, solitum ei deferi honorem, Rabboni eum vocans, quod est, Magister: summáque animo lætitiâ perfusa, ocyùs accurrit, feruore irruens vt sanctum tangat corpus, ac benedictionis munus corradat.

Desunt hæc à Græcis alijs.

Mariæ compellatio ex nomine.

V. 17. *Dicit ei Iesus, Noli me tangere. Nondum &c.* Non facilis est vulgo horum verborum vis: latet enim in eis mysterium. Vocandum verò istud ad examen sit, vt quod vtile existat inde procuremus. Tribuet enim Dominus, vt quæ ipsi locutus est, verba intelligamus. Mulierem itaque in se irruentem prohibet, nec sinit volentem suos amplecti pedes. Cuius rei causam aperiens, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, inquit. Verùm quid istud sibi velit quærendum, operæpretium putamus. Quid enim, si nondum ad Patrem qui in cœlis est, ascendit, num idonea causa esse potest cur sanctam eius carnem ne charis quidem ipsis tangere liceat? An citra culpam suspicari quispiam potest Dominum hæc ad illam dicere, quòd tactu inquinari nollet, siue etiam vt labe purus ad Patrem qui est in cœlis, ascenderet? At quì non valde insipiens, ac mentis inops, qui sibi hæc finxerit? Nunquam enim fiat vt diuina natura possit coinquinari. Quemadmodum enim D Solis radij in cœnum, aliasque in terrâ sordes vibrantes, nihil inde damni accipiunt, manent enim ijdem, immunes nimirum à sordibus, & fœtoris prorsus expertes; ita diuina illa ac sacrosancta natura sordes, aut inquinamentum nullum vnquam admiserit. Quænam igitur ratio fuerit, cur accedere, & sanctam eius carnem tangere Maria vetaretur; & quid sibi velit Dominus, cùm ait, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, despiciendum iam quoad per facultatem licuerit.

. Dicimus itaque causas aduentus Saluatoris nostri multas esse & varias; sed vnam hanc, eamque maximè necessariam quam ex ore eius suscepimus, *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ante salutarem itaque crucem, & resurrectionem à mortuis, nondum nostræ salutis causâ susceptâ dispensatione sibi conuenientem exitum nactâ, cum iustis simul atque iniustis miscebatur, ac tum cum publicanis & peccatoribus epulabatur, tumque si qui eius sanctam carnem vellent tangere, liberum accessum dabat, vt sanctitate omnes impartiret, atque ad veritatis agnitionem vocaret, ægrosque ad bonam valetudinem (peccatorum scilicet morbis constrictos, ac conflictatos) reduceret. Ideoque ijs

Matth. 9. v. 13.

Matth. 9. v. 12. *Luc. 5. v. 32.*

A rursus dicebat, *Non egent, qui sani sunt, medico; sed qui male habent.* Quare ante resurrectionem quidem à mortuis cum iustis & piscatoribus nullo discrimine versabatur, nec vllum prorsus submouebat, eorum qui se adirent. Et sanè cùm in domo Pharisæi recumberet, mulier lacrymis soluta, quæ erat in ciuitate peccatrix, vti scriptum est, adstitit, ac, quorum semper ornatui studuerat, solutis capillis, vixque tandem repudiatis malis pristinis, pedes abstergebat; nec is tamen prohibere cernitur. Sed & cùm Principis Synagogæ filiam suscitaturus venisset, rursus accedens mulier quæ fluxu sanguinis laborabat, eius tetigit fimbriam vestimenti, nec tamen quicquam indignatum comperiemus, sed blandè potiùs eam allocutum. Ait namque, *Filia, fides tua te saluam fecit; vade in pace.* Sed tunc quidem singulari dispensatione, ac indulgentiâ, impuris adhuc, animoque ac corpore inquinatis, licebat nullo obstaculo, tum Saluatoris nostri Christi sanctam carnem tangere, tum omnem ex illo benedictionem haurire. Postquam autem nostræ salutis carnis assumptione expleto negotio, ipsam tum crucem, tum in cruce mortem pertulerat, atque à mortuis reparatâ vitâ, naturam suam morte superiorem ostenderat, atque demum, nec iam facilè se adeuntes vel ipsam sanctam carnem tangere, indulget: istud sanctis Ecclesijs suoque Mysterio in typum statuens, quem Lex quoque Mosaica significabat, cùm & agnum immolari in Christi figuram præciperet. *Omnis* enim, inquit, *incircuncisus non comedet de eo:* incircuncisum vocans, impurum. Impura autem naturâ suâ verè censetur hominis natura. Quid enim illa est, si cum eâ quæ Deo inest, puritate conferas? Non oportet ergo, vt qui sunt incircuncisi, id est, impuri, sacrum Corpus tangant; sed qui spiritali circuncisione puri sunt redditi. *Circuncisio* enim *cordis in spiritu*, iuxta Pauli vocem. Haud verò in nobis fiat spiritalis circuncisio, nisi Spiritus sanctus in nobis habitet, tum per fidem, tum per sanctum baptisma. Num igitur à sacri interim corporis contactu arcenda Maria, quæ Spiritum sanctum nondum acceperat? Tametsi enim Christus à mortuis excitatus erat, nondum tamen Spiritus à Patre per ipsum humano generi datus fuerat. Cùm enim ad Deum ac Patrem ascendisset, ipsum nobis è cœlis misit: quamobrem etiam dicebat, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclesus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Cùm itaque nondum missus nobis esset Spiritus sanctus (nondum enim ille ad Patrem ascenderat) Mariam arcet, quippe quæ nondum Spiritum acceperat, dicens, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum;* hoc est, nondum ad vos misi Spiritum sanctum. Inde norma sanctis Ecclesijs data. Adeoque etiam arcemus à sacrâ mensâ etiam qui cognouerunt Christi deitatem, ac iam fidem professi sunt; id est, adhuc Catechumenos; quandiu necdum Spiritum consecuti sunt. Non enim Spiritus sanctus in illis, qui nondum vncti sunt, habitat. Postquam autem fuerint illo impartiti, quin & Saluatorem nostrum Christum tangat, nihil vetat. Quapropter etiam, ijs qui mysticam Eulogiam sumpturi sunt, diuinorum Mysteriorum Ministri clamant, SANCTA SANCTIS; docentes sanctorum perceptionem eos cum primis decere, qui in Spiritu sanctificati sint.

Luc. 7. v. 37. — *Matth. 9. v. 22.* — B — C — *Exod. 12. v. 44.*

Mundities ad Eucharistiam necessaria.

Rom. 2. v. 29.

Ieiuna hæc ratio, ac contrarijs exemplis Augustino ritè confutata.

D — *Ioan. 16. v. 7.* — E

Diaconorum acclamatio in Missâ.

A Paschate.

ESSE FILIVM NATVRA DEVM; etsi Patrem Deum suum vocare nostri causâ inueniatur.

V. 17.

V*Ade autem ad fratres meos, & dic illis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Propter causas quas modò attulimus non sinit Mariam tangere suam carnem, quamuis ob singularem Dei amorem id illa sitienter admodum cuperet: vicem tamen reddit perseuerantiæ, sicque firmæ fidei ac dilectionis duplex præmium rependit, pietatem erga se non infructuosam eius cultoribus esse ostendens. Et quod his adhuc illustrius est, in eâ primâ, vniuersus, vt ita dicam, fœminarum sexus duplici honore coronatur, ac veteribus morbis exoluitur. Prima enim quæ sic luctum egerit, ac Christum lacrymarum causam nacta sit, luctus tristia in iucunditatem vertit, quæ minimè flendum audierit, ab ipso qui & pridem damnauerat, ac doloris insultibus obnoxium fore sequiorem sexum sanxerat. Dictum enim à Deo ad mulierem fuerat, *In doloribus paries filios.* Sed quemadmodum eam doloribus in paradiso quondam subiecerat, cùm serpentis vocibus ancillata, ac diaboli malitiæ obsecuta esset: sic etiam in horto rursus eam non vltrà dolere iubet. Dum autem etiam à maledicto, quo mulier doloribus addicta erat, ipsam liberat, ingentia discipulis bona primam nuntiare imperat: vt sicut prima omniumque vetustissima mulier diaboli ancillata vocibus damnata fuerat, ac per illam vniuersus fœmineus sexus; sic etiam ipsa Saluatoris nostri verbis obtemperans, inque vitam æternam conducentia renuntians, vniuersum fœminarum sexum crimine liberaret. Dat itaque Mariæ Dominus, nedum vt non fleat, neque animo lugubri, ac doloribus comparato existat, sed vt etiam speciosos pedes habeat. Iuxta enim Prophetæ vocem, *Quàm speciosi pedes annuntiantium bona!* Atqui primæ illius fœminæ non speciosi pedes; nihil quippe boni illa nuntiabat, dum primo parenti diuinum mandatum vt transgrederetur, auctor fuit.

Gen. 3. v. 16.

Euæ maledicto soluta in Mariâ; factaque prima resurrectionis nuntia.

Isai. 52. v. 7.

Admirabilem porrò fuisse Mariam, vel hinc intelliges: digna quippe extitit, cuius Propheta mentionem fecerit. Quid enim de illâ, ac sociabus scripsit, quæ Christi resurrectionis nuntium sanctis discipulis detulerunt? *Mulieres venientes ab spectaculo, venite: non enim est populus intelligentiâ pollens.* Has enim Christi verè amantes mulieres diuinum oraculum his verbis propemodùm hortatur ocyùs accurrant, vt quorum fuere spectatrices, hæc & renuntient. Iudæos verò dementiæ condemnat, quippe qui etiam vulgatum de Christi Saluatoris resurrectione sermonem, deriderent. Iam verò cùm & aliæ essent fœminæ (id enim etiam alijs Euangelistis placet) tametsi sapientissimus Ioannes meminit solius Mariæ, nihil tamen alios alijs aduersantes sanctorum sermones comperiemus. Haud procul enim à vero abest, vt existimemus, idcirco Ioannem Mariæ Magdalenæ duntaxat mentionem fecisse, vt quæ etiam ardentiori studio Christum diligeret, atque reliquis præsiliret, tum vt monumentum videret, tum vt peteret hortum, omnemque circum monumento vicinum locum exquirendi causâ corporis, lustraret. Existimabat enim reuerâ translatum fuisse Dominum. Solent enim ferè

Maria Prophetæ oraculo celebrata.

Isai 27. v. 11.

Maria alijs stipata mulieribus, etsi sola nominata.

ducibus ac auctoribus attribui rerum & consiliorum euentus, licet alios eorum adiutores, ac consortes habeant.

Mariæ præstantia à resurrectionis nuntio.

In honoris igitur & claritatis, ac gloriationis perpetuum titulum id Mariæ Saluator indulsit, vt fratribus annuntiaret, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, Tu verò mihi rursus altum hoc, magnumque cape mysterium, nec à rectâ diuinorum dogmatum regulâ mentem tuam excidere patiaris. Audis nostri simile factum esse vnigenitum Dei Verbum, vt & nos ei similes, quoad assequi natura potest, ac quantum ad gratiæ (vt sic dicam) instaurationem attinet, efficeremur? Humiliauit enim semetipsum, vt ad suam celsitudinem, quod suapte naturâ humile est, eueheret; ac serui formam gestauit, quamuis secundum naturam Dominus sit, ac Filius, vt seruos naturâ in adoptionis gloriam pro sui similitudine, ac quod in ipso erat, transferret. Quâ igitur ratione nobis similis factus est (nempe homo) vt & nos ei similes efficeremur (dij scilicet atque filij) in se quidem ipse propriè nostra suscipit, suáque nobis retribuit. Quonam autem modo, iurè vtique percontaberis. Dicam igitur quanta facultas fuerit.

Primùm quidem cùm in seruorum classe, ac naturâ simus (quæ enim creata sunt, creantis naturæ serua existunt) suos ille fratres vocat, ac communem Patrem suum pariter ac nostrum, Deum nominat: nostra verò, atque humana, pro eâ quam nobiscum iniit, similitudine sibi vendicans, qui noster Deus sit suum vocitauit Deum: quanquam ipse naturâ Deus; vt quemadmodum nos ad dignitatem naturâ superiorem per similitudinem cum ipso euehimur (Non enim cùm filii essemus per naturam, filii nuncupationem nacti sumus: clamat enim in nobis per Spiritum suum, *Abba, Pater*) sic & ipse cùm nostram formam assumpserit (quippe qui factus sit homo vt Scripturis proditum est) Deum habeat Deum, quamuis Deus ex Deo per naturam, ac verus existat. Noli ergo offendi, etsi audias Deum suum vocare Deum, sed studiosè potiùs considera, ac obserua prudenter dicti huius accuratam rationem. Patrem, Deum suum esse ait; ac Deum, Patrem nostrum; rem vtrinque veram dicens. Naturâ enim & veritate Christi Pater est vniuersorum Deus; haud tamen noster naturâ Pater, sed magis Deus, vt creator ac Dominus. Se tamen nobis quodammodò accensens qui Filius est, propriam sibi ac peculiarem dignitatem nostræ naturæ tribuit, dum suum Genitorem, Patrem communem dicit. Quod autem nostræ naturæ inest in se rursus suscipit, pro eâ quam nobiscum iniit similitudine. Deum enim suum Patrem vocat, qui pro excellenti suâ humanitate, ac bonitate suam nobiscum similitudinem dehonestare nolit. Si ergo præ inscitiâ vocem eiuscemodi carpere velis, nec ferendum ducas, quòd Dominus Deum suum Patrem ac Deum dicat, quæ in tui gratiam suscepta est, dispensationem stultè vituperabis; cumque gratias agere deceret, singularis in te muneris auctorem dehonestabis, ac dilectionis in nos exhibitæ modum stultè reprehendes. Si enim humiliauit semetipsum ignominiâ contemptâ, ac propter te factus homo; tuæ humilitatis, ô quisquis es, crimen istud est: ei verò qui propter te illud subire voluerit, magna ac stupenda prorsus admiratio debetur. Vehementer autem miror, quòd cùm exinanitionem audis (*exinaniuit* enim *semetipsum* propter nos) plenitudinis tibi cogitatio non subeat, & cùm humiliationem vides, altitudinem mente non repures. Quomodò enim se exinaniuit, nisi perfectum esse cogites, vt Deum? Quâue ratione fuit humiliatus, nisi arcanæ eius naturæ sublimia animo repures? Igitur plenissimus cùm esset, ac perfectissimus, quà Deus, tui causâ exinanitus est, qui ad tuam similitudinem se ipse demiserit; excelsus item cùm esset, quà Filius, exque Patris ipsâ substantiâ natus, humiliauit semetipsum, quia factus est homo; tantùm diuinæ Majestatis celsitatibus impar, quantùm naturæ discrimen est. Cùm ergo Deus idem sit ac homo, excelsus quidem propter Genitorem (Deus enim est de Deo, & ex Patre verè Filius) humilis autem propter nos (homo enim sicuti nos factus est propter nos) caue animo turberis, cùm dicentem audies, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum*. Decet enim, ac quàm meritò, vt quà Deus ac naturâ Filius Patrem, Genitorem vocet; atque vt quà homo nobis similis Deum suum, Deum appellet.

Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6.

Phil. 2. v. 7.

ἡττώμενος τῆς ἑαυτοῦ θείας φύσεως. Sic paulò explicatiùs reddo, nec alienè puto à Cyrilli mente.

v. 18. *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Curatus, qui maximè laborauerat, muliebris sexus Saluatoris clementiâ, nostrarum ægrotationum caput quodammodò instaurantis, ac secundis euentibus transferentis in melius. Renuntiat enim Maria sibi visum esse Dominum mortis vinculis exolutum, ac quænam eum loquentem audierit; discipulisque verba vitæ, ac diuinorum primitias Euangeliorum detulit.

S. FVLGENTII RVSPENSIS *Episcopi, Sermo, Vbi post resurrectionem, Christus in horto Mariæ apparuit Magdalenæ.*

Stylus affinis Homiliæ Origeni adscriptæ eodem argumento, siue prodierint ab eadem vena, siue alterius auctor, alterius auctori exemplo fuerit.

Est 44. inter nouos.

Psal. 45. v. 5. CONclusus florescit hortus, fluminis impetu lætificante rigatus, quem primogenitus mortuorum post crucis ignominiam, & Passionis iniuriam visitare dignatus est, honore & gloriâ coronatus. Procera alma virorem sui decoris ostendit: quia caro Christi corruptionis ignara, immarcessibilis ab inferis resurrexit. De ipso namque Dauidico canente oraculo tantò antè prædictum est, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ecce flos campi suauiter redolet in pratis. Vbique ibi diffusa gratia Catholicæ matris, liliumque conuallium circa montem sacri candescit altaris, dum fidelibus vniuersis indumento iustitiæ candidatis, conuiuium præparatur Angelicæ passionis.

Psal. 15. v. 10. Cant. 2. v. 1.

Matth. 27. v. 5. 52. Post resurrectionem igitur Sanctorum secum surculis de sepulchrorum scrobibus eleuatis, vestigiis deambulans delicatis, ingressus est Dominus paradisum voluptatis: & quoniam in hospitio mundi exulem paradisi secum fecerat præuaricatrix illa caput sui corporis Eua, Redemptorem propriæ salutis cum spolio mortis victorem remeantem ab inferis, ad monumentum solicitè vigilans in horto amœnitatis prima speculari meruit Maria, ab auctore vocata, ab incredulitate

Maria ad monumentum vigilans, visu Dominico recreata.

conuersa, & appellatione sui nominis immobiliter confirmata. Nam cùm affectu religiosissimo, & corde meticuloso Dominici corporis sepulchrum impatienti studio frequentaret, duos primitùs Angelos in albis ad caput, & pedes vbi positum fuerat corpus Christi eminus sedentes aspexit. Non ideo cœlestes Angeli descenderunt vt ab eis caro requiescentis Domini seruaretur, sed vt Mariæ Magdalenæ surrexisse à mortuis monstraretur. Quòd verò vtrique Angeli ad caput pedesque sedebant, vnde iam Dominus surrexerat suscitato corpore viuus; hoc proculdubio figurabant, quia ab Oriente vsque ad Occidentem Christi resurrectio prædicata, tanquam à capite vsque ad pedes vniuersum orbem fuerat impletura.

Ioan. 20. v. 12.

Duo Angeli ad caput & pedes quid mysticè.

V. 13. B *Dicunt* autem *ei, Mulier, quid ploras?* De cœlo descendentes stolatos Angelos cernis, & adhuc fœmineis lacrymis occuparis? Statue mulier, statue vacuis limitem fletibus. Iam deletæ sunt lacrymæ ab oculis miserorum, quia solutis gemitibus vinculorum triumphator ascendit in altum Dominus Angelorum. *Ascendit* enim *in altum; captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Dicite mihi ô beati, quos cerno, & qui esse possitis, ignoro. Dicite, inquam, mihi consolatores boni, quomodò plorare non potero tanto mihi ablato Magistro? cuius adspectum videre desidero, & nec cadauer sepultum inuenio. C Quisnam iste est aduersarius, qui ita inuidet mibi, vt iacens Domini venerabile corpus furto conaretur auferre? Non sufficit quòd Iudas vendidit? Iudæus emit? Pilatus damnauit: miles in ligno trabalibus perforauit? mortuum aspexit, & acuto mucrone transfixit? Paruàne ista fuerunt, quæ in meo Domino, dum adhuc perutuerer, & spiritum voluntariè postea emitteret, à sacrilegis funestè commissa sunt? Figitur patibulo viuus, & rapitur de tumulo mortuus? Ad solarium nostrum diues ille Ioseph postulatum à Pilato sepulturæ mandandum corpus accepit, diligentiùs in hac tumuli thecâ condiuit. Sepulti corporis notauimus locum, aromata præparauimus, vt Doctoris nostri vel exanime corpus vngentes, ardorem æstuantis animi foueremus. D Et ecce subitò cum omni cautelâ vigilans & inquirens, festinans aduenio, & monumentum inane reperio. Hæ sunt meorum cum amaritudine viscerum decurrentium quermoniæ lacrymarum. Attendite dolorem meum, perpendite vulnerati cordis aculeum, & donate lacrymanti dulcissimum sermocinationis vestræ remedium. Tractate diligentiùs quæso, tractate quasi patroni fideles serenis auribus intimatum susceptæ vestræ salutis negotium, & de inueniendo tanti thesauri pignore sapientissimum præbete consilium.

Psal. 67. v. 19.
Eph. 4. v. 8.

Mariæ querelæ non inuento corpore Dominico.

E Bene petis, Maria, bene quæris, bene pulsas. Nullus tibi abstulit, quem quæris: ipse se potestate propriâ suscitauit. Dum nobiscum loqueris, citò tuis conspectibus apparebit. *Erit* enim *tecum Dominus semper, & satiaberis secundum quòd concupiuit anima tua: & ossa tua pinguia fient, & erit cor tuum sicut hortus ebrius, & sicut fons, cuius non deficiet aqua:* quia ita oculorum tuorum velut candens facula vigilat luminosa pupilla. Recedunt nuntij diuinitus destinati, & illico apparuit Dominus nuntiorum. Cernit stantem, & interrogat flentem. *Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum,*

Isai 58. v. 11.

V. 15.

A *dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Considera obsecro, vel tu lugentis conscientiæ gemitum, & noli despicere mei pectoris cruciatum. Istius horti te cultorem aduerto. Dominum meum in hoc horto sepultum inquiro. Horti tu solus es & cultor & custos. Fieri non potest, nisi vt ipse mihi demonstres vbinam inueniam quem dilexit anima mea: aut à te eum inuenio, aut ipse es forsitan quem requiro. Intuetur te oculus meus, & inflammatur aspectus meus. Nunquid tu es Dominus & Deus meus, ad quem de nocte sitiens sicut ceruus vigilat spiritus meus? O Maria, quæ in me plenam intentionem fidei direxisti, velociter inuenisti, quæ puro proposito concupisti. Non est vltrà dilata; accepit petitionis propriæ suæ verè responsum, & de appellatione nominis cognitionem impetrare meruit Saluatoris.

Apparet Dominus hortulani specie.
Cant. 1. v. 6.
Isai 26. v. 9.

Iam breuiter requiramus, quare cùm Dominus Mariam vocaret, & ab illo vocata Dominum Magistrumque cognosceret, audiuit ab eo, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Hoc est vtique dicere. Noli tantummodò Maria hominem me putare, quem à mortuis resurgentem in horto conspicis gradientem; sed tange me, cùm ascendero ad Patrem, vt Patri credas æqualem. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; ad Deum meum, & Deum vestrum.* C Pater meus est origine, non adoptione: naturâ, non gratiâ. Ipse enim dixit, *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Hodie Dei, sempiternum est. Non habet initium, non habet terminum. Non ortum, non occasum: nec spectatur apud Deum aliquando crastinus, vbi nunquam fuit hesternus. Taliter ergo Pater meus est. Pater autem vester est, cui accepto mei munere magisterij orantes dicere meruistis, *Pater noster qui es in cœlis.* Deus meus est, cui propter vos assumpto homine vt essem mediator Dei & hominum in cruce positus dixi, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Non quia à Patris consortio aliquando separatus sum, aut Pater ab Vnici indiuiduâ charitate potuit vllo modo discedere, D quia *Ego in Patre, & Pater in me est,* sed vt in veri hominis carne pro expiatione peccati mortem subiens supplicij, hac voce possem dubijs vel infirmis, & præcipuè Manichæis incredulis apertiùs demonstrari. Ecce qualiter Deus meus. Deus autem vester est, quia vos in primo homine meâ secum cooperante maiestate creauit, & nunc effuso mei sanguinis pretio ad possidenda regna cœlestia, profundâ misericordiâ recreauit.

V. 17.
Tangere prohibita imperfectiore fide: sic vbique August.
Psal. 2. v. 7.
Dei hodie, æternitas.
Deus, vt Deus & Pater noster, ac Christi.
Matth. 6. v. 9.
Matth. 27. v. 46.
Ioan 14. v. 10.

B. GREGORII PAPÆ
in idem Euang.

E

HOMILIA.

MAria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauit lacrymis maculas criminis, & vox veritatis impletur, quâ dicitur: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quæ enim priùs frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam postquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non inuenit, sublatum credidit, atque discipulis nuntiauit. Qui venientes viderunt, atque ita esse ve-

Est Hom. 25. in Euang.
Luc. 7. v. 47.

mulier dixerat, crediderunt. Et de eis protinus scriptum est: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos.* [Ioan. 20. v. 10. & 11.] Ac deinde subiungitur: *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Quâ in re [Maria constantia ad monumentum.] pensandum est, huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ à monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non inuenerat, flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius quem sublatum credidit, ardebat desiderio. Vnde contigit vt eum sola tunc videret, quæ remanserat, vt quæreret: quia nimirum virtus boni operis, perseuerantia est. Et voce veritatis dicitur: [Matth. 10. & 24.] *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* [Leuit. 3. v. 9.] Et præcepto legis, cauda hostiæ in sacrificio iubetur offerri. In caudâ quippe finis est corporis. Et ille benè immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debitæ perducit actionis. Hinc Ioseph inter reliquos fratres talarem tunicam habuisse describitur. [Gen. 37. v. 3.] Tunica quippe vsque ad talum, est opus bonum vsque ad consummationem.

Sed Maria dum fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Certè monumentum iam vacuum viderat, iam sublatum Dominum nuntiauerat. Quid est quòd se iterum inclinat, iterum videre desiderat? [Diligens inquisitio, ac quæsiti inuentio.] Sed amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsiuit ergo priùs, & minimè inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret. Actúmque est, vt desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod inuenissent. Hinc est enim quod de eodem sponso Ecclesia in Canticis canticorum dicit: [Cant. 3. v. 1.] *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quæ defectum quoque inuentionis ingeminat, dicens: *Quæsiui illum, & non inueni.* Sed quia diu inuentio se non elongat, si inquisitio non desistat, adiungit: [Ibidem.] *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum dum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.*

[Enarratur locus è Cantic.] Dilectum namque in lecto quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantulâ requie Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non inuenit, restat vt surgat, ciuitatem circumeat, id est, sanctam electorum Ecclesiam mente & inquisitione percurrat: per vicos eum & plateas quærat, id est, per angusta & lata gradientes aspiciat, vt si qua inuenire in eis valeat, eius vestigia exquirat: quia sunt nonnulli etiam vitæ secularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inueniunt, qui custodiunt ciuitatem, quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studijs occurrunt, vt suo vel verbo, vel scripto nos doceant. Quos cùm paululum pertransimus, inuenimus, quem diligimus: quia Redemptor noster etsi humilitate homo inter homines, diuinitate tamen super homines fuit. Cùm ergo transeunt vigiles, dilectus inuenitur: quia cùm Prophetas & Apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui naturâ Deus est, esse supra homines consideramus. Priùs ergo non inuentus quæritur, vt pòst inuentus strictiùs teneatur. Sancta etenim desideria, vt prædiximus, [Sancta desideria dilata crescunt.] dilatione crescunt: si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Hoc amore arsit, quisquis ad veritatem pertingere potuit. Hinc namque Dauid ait: [Psal. 41. v. 3.] *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Hinc nos admonet, dicens, [Psal. 104. v. 4.] *Quærite faciem eius semper.* Hinc Propheta ait: [Isai. 26. v. 9.] *Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Hinc iterum Ecclesia in Canticis canticorum dicit: [Cant. 2. v. 5.] *Vulnerata charitate ego sum.* Iustum quippe est, vt ex visione medici pertingat ad salutem, quæ per æstum eius desiderij vulnus amoris portat in pectore. Hinc rursus ait: [Cant. 5. v. 6.] *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Mens namque hominis, conditoris sui speciem non quærentis malè dura est, quia in semetipsâ remanet frigida: at si iam ardere ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit. Fit desiderio anxia, vilescunt in sæculo cuncta quæ placebant: nihil est quod extra conditorem libeat: & quæ priùs delectabant animum, fiunt postmodùm vehementer onerosa. Nihil eius mœstitiam consolatur, quousque adhuc qui desideratur non aspicitur. Mœret mens, lux ipsa fastidio est: talique igne in mente decoquitur rubigo culpæ, & succensus animus quasi auri more, quia per visum speciem perdidit, per incendium clarescit. Ista itaque, quæ sic amat, quæ se ad monumentum, quod perspexerat, iterum inclinat, videamus quo fructu vis amoris in eâ ingeminat opus inquisitionis. Sequitur.

[v. 12.] *Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Quid est quòd in loco Dominici corporis duo Angeli videntur, vnus ad caput, atque [Duo Angeli ad pedes & caput.] alius ad pedes sedens, nisi quòd Latinâ linguâ Angelus vocatur nuntius: & ille ex passione suâ nuntiandus erat, qui & Deus ante sæcula est, & homo in fine sæculorum? Quasi ad caput sedet Angelus, cùm per Apostolum Ioannem prædicatur, quia [Ioan. 1. v. 1. & 14.] *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et quasi ad pedes sedet Angelus, cùm dicit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Possumus etiam per duos Angelos, duo testamenta cognoscere, vnum prius, & aliud sequens. Qui videlicet Angeli per locum Dominici corporis sibimet sunt coniuncti: quia nimirum vtraque testamenta dum pari sensu incarnatum, & mortuum, ac resurrexisse Dominum denuntiant, quasi testamentum prius ad caput, & testamentum posterius ad pedes sedet. Vnde & duo Cherubin, quæ [Exod. 25. v. 10.] propitiatorium tegunt, sese inuicem aspiciunt, versis vultibus in propitiatorium. Cherubin quippe, plenitudo scientiæ dicitur. Et quid per duo Cherubin, nisi vtraque testamenta signantur? Quid verò per propitiatorium, nisi incarnatus Dominus figuratur? de quo Ioannes ait: [1. Ioan. 2. v. 2.] *Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris.* Et dum testamentum vetus hoc faciendum denuntiat, quod testamentum nouum de Domino factum clamat, quasi vtraque Cherubin se inuicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt: quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, à suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis eius mysterium concorditer narrant.

[v. 13.] Requirunt Angeli Mariam, dicentes: *Mulier,*

quid ploras? Et dicit eis? Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Ipsa namque sacra eloquia, quæ in nobis lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis Redemptoris nostri speciem promittunt. Sed notandum iuxta historiam est, quòd mulier non ait; Tulerunt corpus Domini mei, sed, *Tulerunt Dominum meum.* Vsus namque sacri eloquij est, vt aliquando ex parte totum, aliquando verò ex toto partem significet. Ex parte enim totum significat, sicut de Iacob filijs

Gen. 46. v. 27. scriptum est, *Quia descendit Iacob in Ægyptum in animabus septuaginta.* Neque enim in Ægyptum animæ sine corporibus descenderunt, sed per solam animam totus homo signatur, quia ex parte totum exprimitur. Et solum Dominicum corpus in monumento iacuerat, & Maria non corpus Domini, sed sublatum Dominum quærebat, videlicet ex toto designans partem.

V. 14. *Hæc cùm dixisset, conuersa retrorsum, vidit Iesum stantem. & nesciebat quia Iesus esset.* Notandum quòd Maria, quæ adhuc de Domini resurrectione dubitabat, retrorsum conuersa est vt videret Iesum: quia videlicet per eandem dubitationem suam quasi tergum in Domini faciem miserat, quem resurrexisse minimè credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non agnoscebat, eùmque illi & amor ostenderat, & dubietas abscondebat. Cuius adhuc ignorantia exprimitur, cùm infertur. *Et nesciebat, quia Iesus esset. Qui dicit ei: Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Interrogatur doloris causa vt augeatur desiderium: quatenùs cùm nominaret quem quæreret, in amore eius ardentiùs æstuaret.

V. 15. Iesus hortulanus. *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Forsitan nec errando hæc mulier errauit, quæ Iesum hortulanum credidit. An non ei spiritaliter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui semina, virtutum virentia plantabat? Sed quid est, quòd viso eo quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem quærebat, ait: *Domine, si tu sustulisti eum?* Quasi enim iam dixisset, ex cuius desiderio plangeret, eum dicit, quem non dixerat. Sed vis amoris hoc agere solet in animo, vt quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Rectè & hæc mulier quem quærit, non dicit, & tamen dicit: *Si tu sustulisti eum:* quia alteri non putat incognitum, quem sic ipsa continuò plangit desiderio.

V. 16. Vocata ex nomine Maria Dominum agnoscit. *Dicit ei Iesus, Maria.* Postquam eam communi vocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est, vocat eam ex nomine, ac si apertè dicat: Recognosce eum à quo recognosceris. Perfecto

Exod. 33. v. 12. quoque viro dicitur: *Noui te ex nomine:* quia homo commune omnium nostrum vocabulum est, Moyses verò proprium: cui rectè dicitur, quia ex nomine scitur, ac si ei Dominus apertè dicat: Non te generaliter vt cæteros, sed specialiter scio. Maria ergo quia vocatur ex nomine, recognoscit auctorem: atque eum protinus *Rabboni*, id est, Magistrum vocat: quia & ipse erat, qui quærebatur exteriùs, & ipse qui eam interiùs vt quæreret docebat. Iam verò ab Euangelistâ non subditur quid mulier fecit, sed ex eo innuitur, quod audiuit: cui dicitur.

V. 17. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In his namque verbis ostenditur,

A quòd Maria amplecti voluit eius vestigia, quem recognouit: sed ei Magister dicit, *Noli me tangere*: non quia post resurrectionem Dominus Expositio est Augustini. tactum renuit fœminarum, cùm de duabus ad sepulchrum eius venientibus scriptum sit: *Accesserunt, & tenuerunt pedes eius*: sed cur tangi non Matth. 28. v. 9. debeat, ratio quoque additur, cùm subinfertur: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In corde etenim nostro tunc Iesus ascendit ad Patrem, cùm æqualis creditur Patri. Nam quisquis eum æqualem Patri non credit, adhuc in eius pectore ad Patrem Iesus non ascendit. Ille ergo Iesum veraciter tangit, qui Patri Filium coæternum credit. In corde etenim Pauli ad Patrem Iesus as-

B cenderat, cùm idem Paulus dicebat: *Qui cùm* Phil. 2. v. 6. *in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Vnde Ioannes quoque Redemptorem nostrum manu fidei tetigit, qui ait: *In* Ioan. 1. v. 1. *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Tangit ergo Dominum, qui eum Patri, æternitate substantiæ æqualem credit.

Sed fortasse aliquis tacitâ quæstione pulsatur, quomodò Filius Patri esse æqualis possit. Quâ in re, humana natura quod admirando comprehendere non valet, restat vt hoc sibi esse credibile ex admiratione aliâ sciat. Habet namque quid ad hæc sibi sub breuitate respondeat. Constat enim

C quia ipse creauit matrem, in cuius virgineo vtero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum si æqualis est Patri, qui prior est matre? Paulo quoque attestante didicimus Christum Dei virtu- 1. Cor. 1. tem, & Dei sapientiam. Qui ergo Filium mino- v. 24. rem putat, Patri specialiter derogat, cuius sapientiam esse ei inæqualem fatetur. Quis etenim homo potens æquanimiter ferret, si quis ei diceret: Magnus quidem es, sed tamen sapientia tua te minor est? Ipse quoque Dominus dicit: *Ego,* Ioan. 10. *& Pater vnum sumus.* Sed rursus ait: *Pater ma-* v. 30. *ior me est.* De quo etiam scriptum est, quia sub- Ioan. 14. v. 28. ditus erat parentibus suis. Quid ergo mirum si ex Luc. 2. v. 51. humanitate suâ minorem se Patre asserit in cœlo,

D ex quâ subiectus erat etiam parentibus in terrâ? Ex quâ humanitate nunc Mariæ dicitur, *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Cùm meum dicat & vestrum, cur non communiter dicit, nostrum? Sed distinctè loquens indicat, quia eundem Patrem & Deum dissimiliter habeat ipse, quàm nos. *Ascendo ad Patrem meum*, videlicet per naturam: *& Patrem vestrum*, per gratiam: *ad Deum meum*, quia descendi: *ad Deum vestrum*, quia ascendetis. Quia enim & ego homo, Deus mihi est: quia vos ab errore liberati, Deus est vobis. Distinctè ergo mihi Pater, & Deus est: quia quem ante sæcula Deum genuit, hominem in fine sæculo-

E rum me mecum creauit.

Venit Maria Magdalene annuntians discipu- V. 18. *lis quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi:* Ecce Mulier prior in culpâ, prior in vitæ nuntio. humani generis culpa ibi absciditur, vnde processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinauit mortem, à sepulchro mulier viris annun- Gen. 3. v. 3. tiauit vitam; & dicta sui viuificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narrauerat: ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat, De quâ manu vobis illatus est potus mortis, de ipsâ suscipite poculum vitæ. Hæc de expositione lectionis Euangelicæ succinctè transcurrimus,

nunc opitulante eodem, de quo loquimor, Domino, & resurrectionis eius gloriam, & pietatis eius viscera consideremus.

Cito Dominus resurgit, & morte breui gustatâ. Psal. 109. v. 7.

Citiùs enim à morte voluit resurgere, ne nostra diu anima in infidelitatis morte remaneret. Vnde benè quoque per Psalmistam dicitur: *De torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput.* In humano quippe genere, ab ipso mundi initio torrens mortis effluxerat. Sed de hoc torrente Dominus in viâ bibit, quia mortē in transitu gustauit: atque ideo exaltauit caput, quia hoc quod moriendo in sepulchro posuit, resurgendo super Angelos eleuauit: & inde antiquum hostem in æternum perculit, vnde sæuire contra se manus persequentium temporaliter permisit. Quod apertè Dominus beato Iob indicat, dicens:

Iob 40. v. 20. Leuiathan figura diaboli, vt hamo captus.

B *Nunquid capies Leuiathan hamo?* Per Leuiathan quippe, quod additamentum eorum dicitur vetus ille deuorator humani generis designatur: qui dum se diuinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit. Qui præuaricationis quoque culpam, quam primò homini propinauit, dum se sequentibus pessimâ persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coaceruat. In hamo autem esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius vnigenitum Filium incarnatum misit, in quo & caro passibilis videri posset, & diuinitas impassibilis videri non posset. C Cúmque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Prius verò eum in miraculis Deum cognouerat: sed de cognitione suâ ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo esca carnis patuit, quam deuorator appeteret: & diuinitas passionis tempore latuit, quæ occaret. In hamo eius incarnationis captus est: quia dum in illo appetijt escam corporis transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se deuoratorem duceret, D ibi diuinitas quæ perforaret: ibi aperta infirmitas quæ prouocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transfigeret.

In hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde momordit: & quos tenebat mortales, iutè perdidit: quia eum in quo ius non habuit, morte appetere immortalem præsumpsit. Hinc est etiam quòd hæc ipsa, de quâ loquimur, Maria viuit: quia ille pro humano genere, qui morti nil debebat, occubuit. Hinc est quòd nos quotidiè ad vitam post culpas reuertimur, quia ad pœnam nostram conditor sine culpâ descendit. Ecce iam antiquus hostis ea, quæ de humano genere ceperat, spolia amisit, supplantationis suæ E victoriam perdidit: quotidiè peccatores ad vitam redeunt, quotidiè de eius faucibus Redemptoris manu rapiuntur. Vnde benè quoque ad beatum Iob voce Dominicâ iterum dicitur: *Aut armillâ perforabis maxillam eius?* Armilla vbi ponitur, ambiendo constringit. Quid igitur per armillam, nisi circumplectens nos diuina misericordia designatur? Quæ Leuiathan istius maxillam perforat, dum nobis post perpetrata vitia, quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium ostendit. Armillâ Dominus Leuiathan maxillam perforat, quando ipse ineffabili misericordiæ suæ potentiâ sic malitiæ antiqui hostis obuiat, vt aliquando etiam eos, quos iam cepit, amittat. Et quasi ab oreillius caduat, qui post

Iob 40. v. 21. Perforata Leuiathan maxilla, quos cepit, amittit.

A perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illiûs semel raptus, maxillam eius euaderet, si perforata non esset? An non in ore Dauid tenuit, cùm in tantam se luxuriæ voraginem immisit? An non in ore Petrum tenuit, cum negauit? Sed dum ad vitam vterque per pœnitentiam redijt, Leuiathan iste eos aliquo modo quasi per masillæ suæ foramen amisit. Per foramen ergo maxillæ ab eius ore subtracti sunt, qui post perpetrationem tantæ nequitiæ pœnitendo redierunt. Quis autem hominum Leuiathan istius os euadat, vt illicita nulla committat? Sed hinc cognoscimus quantum Redemptori humani generis debitores simus, qui non solùm nos in ore Leuiathan ire prohibuit, sed ab ore eius etiam B redire concessit: qui spem peccatori non abstulit, quia maxillam eius, vt euadendi viam tribueret, perforauit: vt saltem post morsum fugiat, qui incautus priùs cauere noluit, ne morderetur. Vbique ergo nobis occurrit superna medicina: quia & dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia, ne desperet. Vnde cauendum summoperè est ne quis delectatione peccati Leuiathan istius ore rapiatur: & tamen si raptus fuerit, non desperet: quia si peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxillâ eius inuenit, per quod euadat.

2. Reg. 11. v. 4.

Matth. 26. v. 70.

Adest testis diuinæ misericordiæ hæc ipsa, de C quâ loquimur, Maria: de quâ Pharisæus, dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Sed lauit lacrymis maculas cordis & corporis, & Redemptoris sui vestigia * tersit, quæ sua itinera praua dereliquit. Sedebat ad pedes Iesu, verbúmque de ore illius audiebat: viuenti adhæserat, mortuum quærebat: viuentem reperit, quem mortuum quæsiuit: tantumque apud eum locum gratiæ inuenit, vt hunc ipsis quoque Apostolis, eius videlicet nuntijs, ipsa nuntiaret. Quid igitur fratres, quid in hac re debemus aspicere, ni-D si immensam misericordiam conditoris nostri, qui nobis velut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam viuere post lapsum fecit? Perpendo etenim Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam: & nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis: aspiciat Petrum, qui amarè fleuit, quod timidè negauerat. Alius contra proximum suum in malitiâ crudelitatis exarsit: aspiciat latronem, qui & in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans, aliE-na diripuit: aspiciat Zachæum, qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit; aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis, igne diuini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus vbique oculis nostris, quos imitari debeamus, obijcit, vbique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo iam displiceant vel experta. Libenter obliuiscitur omnipotens Deus, quòd nocentes fuimus: paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. Inquinati post aquas salutis, renascamur ex lacrymis. Itaque iuxta primi Pastoris vocem, *sicut modò geniti infantes lac concupiscite.* Redite ergo paruuli filij ad sinum matris vestræ æternæ sapientiæ, sugite larga vbera pietatis Dei: transacta plangite, imminentia

Maria Ioseni, mulier peccatrix quæ est apud Lucam. Luc. 7. v. 39.

* tetigit.

Spei & pœnitentiæ exempla in Sanctis à peccato liberatis.

Matth. 26. v. 71.

Luc. 23. v. 42.

Luc. 19. v. 8.

Facilis Deus ad veniam.

1. Petr. 2. v. 2.

minentia vitate. Redemptor noster momentaneos fletus vestros æterno consolabitur gaudio, qui viuit & regnat cum Deo Patte, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulg. superioris Euang. expositio.

Ioan. 20. v. 11.

Maria autem stabat ad monumentum, &c. At Maria (muliebre enim genus affectionibus magis obnoxium, & ad lacrymas propensum) ante sepulchrum stat, & plorat. Quia enim non habebat Iesum, vel locum videns in quo fuerat positum desiderabile corpus, ex hoc solo consolationem inuenit: vnde & maiorem meretur visionem quàm discipuli. Quæ enim illi non viderunt, ea hæc conspicata est; duos Angelos, inquam. Maximæ autem consolationi ei erant Angelorum conspectus, & fulgidus illorum habitus. Sedendo autem vnum ad caput & alterum ad pedes, manifestant quòd sciant quid amplius; &, si rogentur, posse docere. Porrò verbum istud, *Quid ploras?* magnâ compassione plenum est. Nam vt ne turbetur mulier interrogatione hac, perturbationem mulieris reprimunt, mansuetè ac placidè dicendo; *Mulier, quid ploras?* Illa autem magnâ affectione, & amore dicit, *Sustulerunt Dominum meum*, propter eáque ploro: nescio enim quò transtulerint eum, vt eò vadens inungam corpus, & vel mediocrem inde consolationem inueniam.

Maria, maiori visione quàm discipuli digna habita.

Tu verò disce hîc Petrum actiuum & feruidum, Ioannem autem contemplatiuum & ad diuinorum cognitionem idoneum. Sæpius igitur contemplatiuus cognitione & ingenio præuenit; actiuus autem posterior est, ac tamen feruore ac studio illius vincit acumen; videtque prior diuinum quoddam mysterium. An non tale quidem contingit in disciplinis? Etenim cùm duo pueri sunt, vnus ingenio acutior, alter tardior, præoccupat hic suo studio velocitatem naturæ alterius. Etenim in spiritualibus sæpe actiuus & sermone idiota, sensu quiddam sublimius percipit contemplatiuo. Sed & omnis anima quæ dominatur affectionibus, Maria dicitur. Purgata igitur per affectionum depositionem, videt Iesum simul Deum & hominem. Nam Angelorum vnus qui ad caput sedet, deitatis symbolum est: alter autem ad pedes, incarnationis Verbi, quæ est extrema.

Petrus actiuus, Ioanne contemplatiuo vt prior.

Maria, anima vitijs purgata Christum videt Deû & hominem.

V. 14.

Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, &c. Quare conuersa est retrorsum Maria, cùm loqueretur cum Angelis? quid accidit ei quòd conuersa est retrorsum? Videtur igitur, dum illa colloqueretur cum Angelis, Iesum stetisse post eam, & illos territos, quia spectauerant Dominum, & habitu, & formâ, & aspectu, statim dixisse, quòd viderint Dominum: cùmque hoc audiuisset, mulierem conuersam esse retrorsum. Nam Angelis quidem in habitu fortè quo terrebat, apparuit; Mariæ autem non item, sed in simplici & communi. Ideo & illum putauit esse hortulanum, horti videlicet illius, in quo sepulchrum erat: vnde & dicit: *Domine, si asportasti eum:* hoc est, si tu furatus es: & non dicit Iesum, sed *eum*, quasi ad eum qui sciret, faciens sermonem. Si igitur tu portasti & abstulisti, ac furatus es eum ex hoc loco, *dic mihi, vbi posuisti eum, & ego illum tollam*, & transferam in locum alium; vbi magnificè sepelietur. Fortassis enim metuebat, ne fortè Iudæi & in mortuum corpus desæuirent: & propterea volebat in alium incognitum locum eum transferre. Plena enim affectionum erat mens mulieris, non valens sublime quiddam cogitare: ideo & Dominus, quia à seipsâ sublime quiddam intelligere nequibat, suâ voce se illi notum reddit. Cùm enim solo nomine vocasset eam dicens, *Maria:* sui notitiam illi concessit. Nam V. 16. sicut Iudæis aliquando innotescebat, aliquando etiam præsens incognitus erat: ita etiam loquens quando voluit seipsum illis notum faciebat, sicut & nunc quando voluit, cognoscibilem se fecit Mariæ per vocem: qui etiam si loquutus dixisset, *Mulier, cur ploras?* non agnouit tamen eum mulier: non enim volebat Iesus. At quando voluit, tunc per vocem agnitus fuit.

Ciborum vocat masse...

Iesus vt volebat & latebat præsens & loquens, & se prodebat.

Conuersa mulier, dicit ei. Quid hoc? Loquebatur cum eo, ac dicebat, *Dic mihi vbi posuisti eum?* & nunc Euangelista dicit, quòd conuersa est. Videtur itaque, postquam ipsa dixit, *Vbi posuisti eum?* conuersam esse ad Angelos, interrogaturam forsitan, quare expauefacti fuissent, deinde vocatam à Christo, perculsam per vocem, & conuersam ad illum ab istis, & ita agnouisse, ac dixisse, *Rabboni:* & voluisse quidem accedere ad eum, & esse cum eo sicut priùs, & fortassis vt desiderabilem vnguento perfundere. At ille euexit eius mentem, vt melius quiddam de se sentiret, maiorique reuerentiâ se obseruaret, dicens: *Noli me tangere:* hoc est, non vltra V. 17. res se habent vt olim, neque similiter vobiscum conuersari volo. Nam quamuis nec verbis hoc dixerit, sic tamen intelligitur. *Ascendo enim ad Patrem meum*, & illuc festino. Illuc enim festinanti, & non iam tale habenti corpus, quale dum conuersaretur cum hominibus, maiori iam reuerentiâ operæpretium fuerit attendere, & vt præstantiori quàm communis tactus & colloquium & conuersatio ferat. Vide autem, quantam sententiam breuiter locutus fuerit Euangelista. Dixit enim, *Noli me tangere.* Deinde quasi interrogasset quispiam, Quare? Quia inquit, non iam tale mihi corpus est, quale cùm in terrâ versarer, sed quale in cœlo & sursum. Et deinde quasi iterum subinferret: Quare igitur nunc in terrâ ambulas, si tales habe corpus? *Nondum enim*, inquit, *ascendi ad Patrem meum*, ascensurus autem sum. Hoc enim per sequentia manifestat, dicens: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum:* quamuis non statim ascenderit, sed post quadraginta dies. Quomodo igitur hoc dicit? Mentem eius erigere volebat, & persuadere quòd in cœlos iret, & per hoc solatium caperet. Quia autem dixerat *fratres*, subdit, *Et Patrem vestrum.* Pater enim & noster Deus, sed gratiâ, Domini autem Pater naturâ. Sic Deus quoque modo diuerso, noster enim naturâ, Christi autem iuxta humanitatem: Deus enim eius fuit secundum quòd humanam assumpsit naturam.

Maria, pio more amplexari quærit.

Dominus repulsâ, ad altiora maioremque reuerentiæ euehit. Aliam alij rationem tradunt; sed hic de more Chrysostomum sublegit.

Deus aliter noster ac Christi Deus & Pater.

V. 18.

Abit igitur Maria, cùm ei Dominus ita loqui dignatus esset, & annuntiat ea discipulis. Tantum bonum est perseuerantia & assiduitas. Assiduus igitur & tu sis, & disces forsan quiddam, & discipulorum Verbi futurus es doctor.

FERIA VI. POST PASCHA.

MATTH. XXVIII.



N illo tempore: Vndecim discipuli abierunt in Galilæam in
a Credentes, se ante eum humiliauerunt.
montem, vbi constituerat illis Iesus. Et [a] videntes eum ado-
b Dubitatio eorum nostram auget fidem.
rauerunt, quidam autem [b] dubitauerunt. Et accedens Iesus
c Vt qui ante regnabat in cœlo, per fidem regnet in terris.
loquutus est eis, dicens: [c] Data est mihi omnis potestas in cœ-
d Id est, primùm catechizate: quia sine fide impossibile est placere Deo. e Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum.
lo & in terra. [d] Euntes ergo docete omnes gentes, [e] baptizan-
f In inuocatione nominis: In professione Trinitatis. g Quia fides sine operibus mortua est.
tes eos in [f] nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos [g] seruare omnia
¶ Quæ quidem non sunt pauca, vel leuia. h Diuinitate.
quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego [h] vobiscum sum omnibus diebus vsque ad
i Cum finitis laboribus mecum regnabitis.
[i] consummationem sæculi.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

Math. 28. v. 16. Iesus in monte visus.

A ABIERVNT, à Hierusalem, *in Galilaam in montem*; Quia corpus de communi terrâ susceptum, iam super omnia terrena erat eleuatum. Et monet nos, vt si eum videre volumus, ad superna de infimis eleuemur. Præcessit Christus primitiæ dormientium, sequuntur alij in suo ordine; & videntes eum adorant, id est, sine fine laudant.

1. Cor. 15. v. 23.

V. 17. Luc. 24. v. 36.

B *Quidam autem dubitauerunt*: Vt Lucas ait, *existimantes se spiritum videre*, quem moriendo tradidit.

V. 18.

Et accedens. Et ideo pius Magister illos ad fidem confortat, & dubios ad fidem vocat, intimans ad quantam peruenerit gloriam.

Heb. 2. v. 7.

Data est. Hoc non de coæternâ Patris diuinitate, sed de assumptâ dicit humanitate, in quâ minor Angelis, in quâ etiam gloriâ, & honore coronatus est, & omnibus superpositus.

V. 19.

Euntes; Quia iam in lucem venit, quod hactenus quibusdam de causis dubium hominibus fuerat.

C

Ordo congruus in negotio salutis.

Docete. Congruus ordo. Primò enim docendus est auditor, deinde fidei sacramentis imbuendus, tunc ad seruanda mandata instruendus. Quia nisi priùs anima fidem recipiat, non est dandus baptismus: nec valet mundari, si post non insistat bonis operibus.

V. 20.

Futuri iusti, & electi in finem vsque sæculi.

Et ecce ego vobiscum sum. Quæ autem merces piæ conuersationis, quódve pignus futuræ beatitudinis etiam in præsenti sit fidelibus, subdit: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* Quod Apostolis, per successiones vniuersali Ecclesiæ promittit. Nota quòd vsque in finem sæculi non sunt destituti, qui diuinâ mansione sunt digni.

D

CATENA AVREA. *in idem Euang.*

Math. 28. v. 16. Hom. 1. inter æstiuales.

VNdecim autem discipuli abierunt in Galilaam, in montem vbi constituerat illis Iesus, &c.* BEDA in ho. Postquam Dominicam resurrectionem ab Angelo nuntiatam beatus Matthæus asseruit, iussionem Domini etiam à discipulis impletam refert, dicens: *Vndecim autem discipuli abierunt in Galilaam, in montem vbi constituerat illis Iesus*: Nam pergens Dominus ad passionem ait discipulis, *Postquam resurrexero, pracedam vos in Galilaam.* Angelus quoque mulieribus ait, *Dicite discipulis eius, quia pracedet vos in Galilaam.* Quapropter iussioni Magistri, obedientia discipulorum obsequitur. Rectè autem vndecim discipuli ad adorandum pergunt: iam enim vnus perierat, qui Dominum ac Magistrum suum tradiderat.

Math. 26. v. 32. Marc 14. v. 28.

Super illud: *Vndecim autem abierunt.*

HIER. Post resurrectionem ergo Iesus in Galilææ monte conspicitur, ibique adoratur: licet quidam dubitent, & dubitatio eorum nostram augeat fidem. Sequitur. *Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.*

Habet & Hilarius, ex quo mutuatus Hieronymus.

REMI. Hoc autem Lucas Euangelista pleniùs manifestat. Refert enim quia cùm Dominus resurgens à mortuis ipse apparuisset discipulis, ipsi conturbati & exterriti, existimabant se spiritum videre.

Super illud: *Vndecim in Galilaam abierunt.* Sensus anagogicus.

RABA. In monte quidem apparuit eis Dominus vt significaret quoniam corpus, quod de communi generis humani terrâ nascendo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuarat: & vt admoneret fideles si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hîc ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire. Iesus autem discipulos in Galilæam præcedit, quia Christus resurrexit à mortuis *primitia dormientium*. Sequuntur autem hi qui sunt Christi, & suo ordine ad vitam de morte transmigrant, in suâ specie diuinitatem contemplantes: & huic congruit quod Galilæa reuelatio interpretatur.

1. Cor. 15. v. 20.

Imò, *renolutio.*

Libr. 3. cap. vlt.

AVG. de con. Euan. Sed considerandum est quomodò corporaliter in Galilæâ Dominus videri potuerit: Quia enim non ipso die quo resurrexit visus est, manifestum est. Nam in Hierusalem visus est eo die in initio noctis, vt Lucas & Ioannes apertissimè consonant: Neque etiam in sequentibus octo diebus, post quos dicit Ioannes discipulis apparuisse Dominum, vbi primo die vidit eum Thomas, qui non viderat

A die resurrectionis eius: nisi quis dicat, non illos vndecim (qui iam tunc Apostoli vocabantur) sed discipulos vndecim illic fuisse ex multo numero discipulorum. Sed occurrit aliud quod obsistit: Ioannes enim quando commemorauit non in monte ab vndecim, sed ad mare Tiberiadis à septem piscantibus visum esse Dominum: *Hoc iam tertiò*, inquit, *manifestauit se Iesus discipulis suis*: quod intelligendum est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum manifestationum. Si autem acceperimus intra illos octo dies antequam Thomas eum vidisset, ab vndecim discipulis quibusque Dominum visum, non erit ad mare Tiberiadis tertiò manifestatum esse, sed quartò. Ac per hoc cogimur intelligere post omnia factum esse, quòd eum in monte Galilææ discipuli vndecim viderunt. B Inuenimus itaque apud quatuor Euangelistas decies commemoratum Dominum visum ab hominibus esse post resurrectionem. Semel ad monumentum à mulieribus. Iterum eisdem egredientibus à monumento in itinere, Tertio Petro. Quartò duobus euntibus in castellum. Quintò pluribus in Hierusalem, vbi non erat Thomas. Sextò vbi vidit eum Thomas. Septimò ad mare Tiberiadis. Octauò in monte Galilææ secundum Matthæum. Nonò quod dicit Marcus, nouissimè recumbentibus, quia iam non erant in terrâ cum illo conuiuaturi. Decimò in ipso die non iam in terrâ, sed eleuatum in nube, cùm in cœlum ascenderet, quod Marcus & Lucas commemorant: C sed non omnia scripta sunt, sicut Ioannes fatetur: crebra enim erat eius cum illis conuersatio per dies quadraginta priusquam ascédisset in cœlum.

Decem Christi apparitiones à resurrectione.

REM. Videntes ergo discipuli Dominum cognouerunt, & idcirco demissis in terram vultibus adorabant: & ideo pius & clemens Magister, vt omnem dubietatem auferret à cordibus eorum, accedens ad eos corroborauit in fide: vnde sequitur, *Et accedens Iesus locutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrâ.*

Super hoc verbum.

HIER. Illi autem potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit. D

RAB. Non enim hoc de coæternâ Patri diuinitate, sed de assumptâ loquitur humanitate, secundum quam minoratus est paulò minùs ab Angelis.

Apud Chrysol. ser. 80.

SEVE. Filius quippe Dei Virginis filio, Deus homini, diuinitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit.

Vbi supra.

HIER. In cœlo autem, & in terrâ potestas data est: vt qui antè regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris.

REM. Quod ergo Psalmista de resurgente Domino dicit, *Constituisti eum super opera manuum tuarum* E hoc nunc Dominus dicit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrâ.* Et hîc sciendum, quia antequam Dominus surrexisset à mortuis, nouerant Angeli se subiectos homini Christo. Volens ergo Christus etiam hominibus notum fieri, quòd data esset sibi omnis potestas in cœlo & terrâ, prædicatores misit, qui verbum vitæ cunctis nationibus prædicarent. Vnde sequitur, *Euntes ergo docete omnes gentes.*

BEDA in hom. Qui enim ante passionem suam dixerat, *In viam Gentium ne abieritis*: surgens à mortuis dicit: *Ite, docete omnes Gentes.* Quapropter confundantur Iudæi, qui dicunt Christum tantummodò ad suam salutem esse venturum. E-

A Paschate.

A rubescant & Donatistæ, qui localiter Christum concludere cupientes, dixerunt tantummodo in Africâ esse, non in alijs regionibus.

Super illud: *Euntes docete.*

HIER. Primùm ergo docent omnes gentes, deinde doctas intingunt in aquâ: Non enim potest fieri vt corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; vt quorum est vna diuinitas, sit vna largitio; nomenque Trinitatis vnus Deus.

Apud Chrysol. ser. 80.

SEVE. Omnes ergo gentes potestas vna eadémque recreat ad salutẽ, quas creauit ad vitam.

Libr. 2. extat hic liber in fine operum Hieronymi.

DIDYM. in lib. de Spiritu sancto. Licet autem quis possit existere mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus B prætermittat (videlicet contrarius Christo legislatori) tamen sine perfectione baptizabit: imò penitus à peccatis liberare non poterit, quos à se existimauerit baptizatos. Ex his autem colligitur quàm indiuisa sit substantia Trinitatis, & Patrem verè Filij esse Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum sanctum verè Patris & Dei esse Spiritum; & insuper Sapientiæ & Veritatis, id est, Filij Dei. Hæc est salus credentium; & dispensatio ecclesiasticæ disciplinæ in hac Trinitate perficitur.

Libr. 2 de Trinit.

HILA. Quid enim in hoc sacramento salutis humanæ non continetur? Plena sunt omnia & perfecta, vt à pleno & perfecto prolata. Habet enim naturæ suæ nomen in Patre, sed Pater tan- C tùm est. Non enim humano modo habet aliunde quod Pater est. Ipse ingenitus, æternus, habens in se semper, vt semper sit soli Filio notus. Filius autem est progenies ingeniti, vnus ex vno, verus à vero, viuus à viuo, perfectus à perfecto; virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloriæ gloria, imago inuisibilis Dei, forma Patris ingeniti. Spiritus autem sanctus non potest à confessione Patris & Filij separari: Et quidem vbique non deest hoc expectationis nostræ solarium. Hîc in bonorum operationibus futuræ spei pignus est; hîc mentium lumen, hic splendor animorum est. Hæc igitur licet mutare non possint hæretici, af- D ferunt tamen humana commenta: vt Sabellius Patrem extendat in Filium, idque nominibus potiùs confitendum putat esse quàm rebus, cùm ipsis Filium proponat & Patrem: vt Ebion omne initium ex Mariâ concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat: vt Arriani, qui ex nihilo atque ex tempore formam & sapiẽtiam & virtutem Dei producunt. Quid autem mirum est, vt de Spiritu sancto diuersa sentiant, qui in Filio largitore eius creando, & demutando tam temerarij sunt auctores?

Super illud: *Docentes obseruare.*

HIER. Consideratur autem hîc ordo præcipuus: E Iussit Apostolos vt primùm docerent vniuersas gentes, deinde fidei tingerent sacramento: & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent. Vnde sequitur, *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*

Hoc in loco.

RAB. Quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Hom. 91. in Matth.

CHRYS. in hom. Quia verò eis magna iniunxerat, erigens eorum sensus dicit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Quasi dicat, Ne dicatis difficile esse iniunctum negotium; ego sum vobiscum qui omnia facio leuia. Non autem cum illis solùm dixit se futurum esse, sed & cum omnibus qui post illos credunt: Non enim vsque ad consummatio-

nem sæculi Apostoli mansuri erant, sed sicut vni corpori fidelibus loquitur.

In hoc loco. RAB. Ex hoc autem intelligitur, quòd vsque ad finem sæculi non sunt defuturi in mundo, qui diuinâ mansione & inhabitatione sunt digni.

Hom. 91. in Matth. CHRYS. Rememorat autem eis & consummationem, vt eos magis attrahat: & ne præsentia solùm inspiciant, sed & futura bona & sine fine manentia. Quasi dicat, Tristitia quam sustinebitis, simul cum præsenti vitâ consumetur, & totuo sæculum in consummationem deueniet; bona autem quibus potiemini, sunt in æternum permansura.

Hom. s. æstiu. BEDA in hom. Quæritur autem quare hîc dicat, *Ecce ego vobiscum sum*; cùm alibi dixisse legatur, *Vado ad eum qui me misit?* Sed alia sunt quæ humanitati ascribuntur, & aliæ quæ diuinitati. Iuit ad Patrem per humanitatem, manet autem cum discipulis in formâ, quâ est Patri æqualis. Quod autem dicit, *Vsque ad consummationem sæculi*, finitum pro infinitu ponitur: Nam qui in præsenti sæculo manet cum electis eos protegendo, ipse post finem cum eis manebit, eos remunerandu.

In fine comm. HIER. Qui ergo vsque ad consummationem sæculi cum discipulis se esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.

De Pasch. serm. 2. LEO PA. in ser. de Pasch. Qui ascendit in cœlos, non deserit adoptatos; & ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum inuitat ad gloriam. Cuius gloriæ participes nos faciat ipse Christus Rex gloriæ, qui est Deus benedictus in sæcula: Amen.

ADDITIO AD CATENAM *Auream*.

Ex Cord. Catenâ.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Math. 28. v. 19. EVntes, docete omnes gentes. NAZIANZ. Actionem fidei copulauit, dicens, Baptizantes in sanctæ Trinitatis nomen; addensque, *Docentes seruare omnia.*

NYSSENI. His consona Apostoli sententia. Ait enim quodam suorum operum loco diuinius Paulus, *non posse dicere oculum manui, operâ tuâ non indigeo*: quibus docet, operæpretium esse vt vtriusque Ecclesiæ corpus ritè habeat, perspicaci scilicet veritatis sensu, actioni commixto, cùm nec nuda contemplatio, si desint opera quibus vitæ moralis absolutio præstetur, perficiat animum, nec quæ actione consistit philosophia, quantam necesse est vtilitatem conferat, quin vera pietas agendorum dux ac auspex existat. Necessaria enim oculorum cum manibus coniunctio est, id est, vt fides coëant atque opera.

1. Cor. 12. v. 16. Actionis cum contemplatione, operum cum fide necessaria societas.

AMMONII. Omnia quæcunque Christus præcepit ei seruanda sunt, qui in Trinitatem fuerit baptizatus. Id enim causæ est, cur Dominus fidei omnium mandatorum obseruationem coniunxerit; qui nimirum sciret, omninò fieri non posse, vt altero desiderato, homo salutem consequatur. Idcirco etiam Dauid qui rectâ in Deum fide præditus esset, *Ad omnia*, aiebat, *mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* Cuncta namque mandata aduersus omnem iniquitatem Domini nobis largitate donata sunt. Vnum si defuerit, oppositâ ei vitij viam omninò introducit.

Psal. 118. v. 128.

NAZIANZ. Recordare, heus tu, professionis, in A quid baptizatus sis. In Patrem? rectè: adhuc tamen Iudaicum est. In Filium? rectè: non amplius id quidem Iudaicum; at necdum perfectum. In Spiritum sanctum? præclarè admodum. Hæc perfectio. Num verò in hæc simpliciter, an illorum commune aliquod nomen? Planè commune. Quodnam illud? Dei scilicet.

Baptisma Christianũ in vnum trium nomen.

MAXIMI. Quin hæc noueris, ab eo quidem peccato quod parentum noxâ contraximus sancto nos baptismo liberatos esse: ab eo autem quod post baptismum perpetratum nobis sit, pœnitentiâ liberari.

MARCI ASCETÆ. Quisquis rectâ fide baptizatus est, omnem mysticè gratiam adeptus est: confirmatur verò deinceps per opera mandatorum. Ac quidem baptismus ipse perfectus est; haud verò non obseruantem mandata perfectum facit. B Nec enim fides in eo duntaxat posita est vt in Christum tingaris, verùm etiam vt eius mandata exequaris. Sin autem & à baptismo superamur, non id eo fit, quòd baptismus imperfectus sit, sed quòd nos præcepta negligamus, ac voluntate libidinibus adhærescamus. Initiatorum enim baptismate neque Deus, neque satanas voluntatem cogit. Atqui, inquit, si peccatum in baptismo tollitur, vnde rursus in corde operatur? Huic respondebimus, peccatum haud ideo operari à baptismo quòd relictum in animo sit: sed quòd spretâ mandatorum obseruatione à nobis dilectum. C Equidem sanctum baptisma, his, qui per gratiam, non ex operibus iustificantur, perfectam absolutionem præbet: rursum verò aut sibi libidine injicere vinculum, aut solutum esse mandatorum obseruatione, volũtatis arbitrij est. Immorãs enim libidini aut iracundię animus, non relicti peccati, sed voluntariæ libidinis argumentum existit.

In baptizatis peccatum à prauâ voluntate ac libidine.

MAXIMI. Cùm Dominus post resurrectionem aperiè præceperit, docendas omnes Gentes, qui fit, vt necessaria Petro reuelatio fuerit de Cornelio, eâ ratione quòd Gentilis esset? aut quomodò, qui erant Hierosolymis Apostoli, audito quod gestum in Cornelio erat, cum Petro disceptabãt? Dici id verò queat, etiam maximè necessariam fuisse Petro de Gentibus reuelationẽ. Non enim D sciebat nullum fore circũcisionis & præputij discrimen; atneque id perspicuè exploratum habebat, absque externo ac conspicuo legis cultu docendas esse Gentes: atque id causæ est, cur Dominus certâ ei reuelatione arcani sui consilij mysterium manifestarit. Alia namque præcepti ratio est, alius modus quo illud implendum sit. Accepto itaque Petrus Domini præcepto prædicandi Gentibus, haud rem aggressus est, expectans ab eo doceri modum, à quo datum præceptum esset: nempe vocandas Gentes absque circuncisione, ac reliquis crassioribus legis scitis ac cerimonijs. Etenim spiritalem nouit Scriptura circuncisionem, E in eo positam, vt libidinosa animi ad corpus affectio, ac necessitudo cum eo vitiosior, exscindatur.

scitè Cord. *Versus est de Petri reuelatione.* *Act. 10. v. 11.*

NYSSENI. Cùm ferinam, ac rationis expertem naturam diuino Petrus oraculo immolarę iussus est, vt ijs mundatis, quod residuum foret esculentum fieret, tunc quoque nuda, ac aperta pietatis tradita doctrina est, diuinâ voce haud semel dicente, Non esse commune quod Deus mundauerit, sed iam tertiò intimatâ eâ prædicatione, vt nouerimus primâ voce Deum Patrem mundantem, alterâque similiter Deum vnigenitũ Filium, parique demum ratione tertiâ, quicquid immundum est, mundantẽ, qui sit Deus, Spiritum sanctũ.

Trinitatis fides detecta in Petri visione.

Et ecce ego vobiscum sum &c. DAMASCENI. A Non cum illis tantùm dixit se futurum, verùm etiam cum omnibus qui post illos credituri erant. Non enim vsque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant: sed tanquam vnum corpus fideles alloquitur. Ne enim, inquit, rerum mihi difficultatem obijciatis: ego enim vobiscum sum, qui omnia reddo facilia. Id quoque Prophetis in veteri lege assiduè inculcabat, ac, tum Ieremiæ se iuniorem causanti, tum Mosi, tumque Ezechieli rem defugientibus, Ego, aiebat, vobiscum sum: ita hîc quoque Apostolis.

S. HIERONYMI PRESBYteri in idem Euang. expositio. B

Matth. 28. v. 16. VNdecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem vbi constituerat illis Iesus. Post resurrectionem Iesus in monte Galilææ conspicitur, ibique adoratur: licet quidam dubitent, & dubitatio eorum nostram augeat fidem. Tunc manifestiùs ostenditur Thomæ, & latus lanceâ vulneratum, & manus fixas demonstrat clauis.

V. 18. *Accedens Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Illi potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus iacuerat, qui postea resurrexit: In cœlo autem & in terrâ potestas data est, vt qui antè regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. C

V. 19. *Euntes autem docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Primùm docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aquâ. Non enim potest fieri vt corpus

Baptismo præit doctrina. baptismi recipiat sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vt quorum vna est diuinitas, vna sit largitio, noméque Trinitatis vnus Deus est.

V. 20. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Ordo præcipuus: Iussit Apostolis vt primùm docerent vniuersas gentes, deinde fidei intingerent sacramento; & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent. D Ac ne putemus leuia esse quæ iussa sunt & pauca,

Seruanda omnia quæ sunt præcepta. addidit: *Omnia quæcunque mandaui vobis.* Vt quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt.

Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Qui vsque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquàm à credentibus recessurum. Qui antem vsque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat eam diem in quâ se scit futurum cum Apostolis. E

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, Euangelij eiusdem expositio.

Est hom. 91. in Matth.

VNdecim autem discipuli abierunt in Galilaeam. Iste postremus mihi esse videtur aspectus in Galilæâ, quando ipsos baptizatum emisit. Sin autem quidam dubitarunt; hinc quoque rursum veritatem mirare; quâ ratione suos illi ad extremam vsque diem productos defectus non supprimant. Atqui hîc etiam eo cōspectu confirmati sunt. Quid igitur illos conspicatus ait?

A Paschate.

Data est mihi omnis potestas in cælo &c. Rursum humiliùs, exque hominis ratione deiectiùs cum illis loquitur: nondum enim Spiritum, qui sublimes efficere posset, acceperant.

Euntes docete omnes Gentes, &c. Tum quæ ad dogmata spectarent, tum quæ ad mandata, denuntians. Ac Iudæorum, ue meminit quidem; neque ea quæ perpetrata erant in medium affert. Non Petro exprobrat, quòd negauerit; nec de aliorum cuiusquam fugâ expostulat. Iubet autem vt in vniuersum orbem effundantur; compendiariam ijs, Baptismatis initiatione doctrinam concredens. Deinde, quandoquidem magnum quid, remque arduam illis iniunxerat, ipsorum animos attollens, ait; *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi.* Viden' rursum auctoritatem & potentiam? Video' quomodò illa etiam quadam obsecundatione, inque rem nostram demissione, dicta sint? Non autem cum ipsis solùm se futurum dixit, sed & cum omnibus qui post illos credituri essent. Non enim Apostoli ad sæculi vsque consummationem permansuri erant; sed fidelibus loquitur velut vni corpori. Ne mihi, inquit, operis, negotijque difficultatem dixeritis; ego enim vobiscum sum, qui cuncta facilia reddam. Id in veteri quoque Testamento subinde Prophetis dicebat; tum Ieremiæ pueritiam causanti, tum Moysi ac Ezechieli munus detrectantibus. *Ego*, inquit, *vobiscum sum.* Idipsum hic etiam istis ait. Tu verò hîc quoque tecum animo horum discrimeno pensa, ac excellentiam. Illi, cùm ad vnam gentem mitterentur, haud rarò detrectabant; hi verò, in vniuersum orbem mittente Christo, nihil eiusmodi locuti sunt. Reuocat autem in memoriam etiam consummationem, vt magis alliciat; nec præsentia tantùm mala spectent, sed & futura bona, eaque perpetua. Mala enim, inquit, quæ sustinebitis, in præsenti vitâ disperibunt, cùm & sæculum hoc erit consummandum: Bona autem vobis fruenda, ac possidenda, immortalia manebunt, vti à me crebrò est in superioribus dictum. Sic instructos, dicique illius memoriâ animis excitatos, illos dimisit. Dies enim ille, ijs expetendus qui virtute nitent: vt & ijs qui sordent peccatis, tanquam addictis, formidolosus. At ne timeamus tantùm, ac horreamus, verùm etiam (dum tempus est) in melius vitam commutemus, atque à nequissimis moribus emergamus. Possumus enim, si velimus.

Apostolorum perfectio munere Euangelici.

Cùm enim ante gratiam id multi præstiterint, multò magis post gratiam. Quid enim graue nobis iniunctum est? Num vt diffecemus montes, aut sublimi aëre volemus, vel Tyrrhenum æquor superemus? Nequaquam. Quinimmò facilis adeò ac expedita vitæ ratio, ac disciplina, vt ne instrumentis quidem egeamus, sed animi duntaxat affecta, propensâque voluntate. Quænam enim tantis peragendis instrumenta, atque operis adminicula habuerunt Apostoli? An non vnicâ tunicâ, nudisque pedibus circuerunt, atque omnium victores extiterunt? Quod enim ex ijs mandatis difficile, quibus falus præstatur? Nullum habeas inimicum; nullum odio prosequaris; nulli detrahas. Atqui his contraria multò difficiliora sunt. Sed dixit, inquies, Pecuniam proijce; est que hoc onerosum. Imò verò neque hoc præcepit, sed consuluit. Cæterùm etsi præceptum esset; quidnam graue onera non circunferre, nec curas intempestiuas?

BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI in idem Euang. Homil.

EVangelica lectio, fratres charissimi, quam modò audiuimus, & iuxta literam gaudio plena refulget, quia triumphum Redemptoris nostri, simul & redemptionis nostræ dona plano sermone describit. Et si hanc enucleatiùs pertractare velimus, gratiorem in litterâ fructum spiritalis sensus inditum esse comperimus.

Sermo Dei instar aromatum.

Sermo etenim Dei aromatum more, quò subtiliùs quasi terendo & cernendo discutitur, eò maiorem internæ suæ virtutis fragrantiam reddit. Planum namque est, dulce audiendum pijs, quod *discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus: Et videntes eum adorauerunt.* Sed non vacat à mysterio quòd Dominus in Galilæâ post resurrectionem, vel quòd in monte discipulis apparuit.

Matth 28. v. 16.

Apparitio in monte.

In monte etenim apparuit, vt significaret quia corpus quod de communi humani generis terrâ nascendo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuatum cœlesti virtute induerit. In monte apparuit, vt admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hîc ab infimis cupiditatibus ad superna studeant desideria transire.

In Galilæâ.

Nomen verò Galilææ quid mysterij salutaris contineat, crebrâ Patrum expositione notissimum est. Sed nô ab re est sæpius verbo repetere, quod semper necesse C est animo retinere. Galilæa quippe transmigratio facta, ac reuelatio dicitur.

Potiùs reuolutio iuxta veram etymolog.

Vtraque auté interpretatio nominis ad vnum finem respicit. Siquidem suprà legimus, dixisse Angelum mulieribus: *Ite, dicite discipulis eius quia surrexit, & ecce precedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Et nunc Euangelistâ narrante cognouimus, quia *abierunt discipuli in Galilæam, & videntes eum adorauerunt.*

Supra v. 7.

Quid est ergo quòd Dominus Iesus præcedit discipulos in Galilæam, vt videatur ab eis; sequuntur illi, & videntes eum adorant, nisi quia *surrexit Christus à mortuis, primitiæ dormientium?* Sequuntur autem hi qui sunt Christi, & D ipsi in suo ordine ad vitam de morte transmigrant: ibique eum videntes adorant, quia in specie suæ diuinitatis contemplantes sine fine collaudant. Cui visioni congruit illud, quòd Galilæa etiam reuelatio interpretatur. Tunc etenim *reuelatâ facie*, sicut Apostolus testatur, *gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur*, quicunque modò reuelamus ad eum viam nostram, eiúsque vestigia fide sequimur non fictâ.

1. Cor. 15. v. 20.

2. Cor. 3. v. 18.

Et videntes, inquit, *eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* Si quærimus vnde dubitauerint qui videntes Dominum adorauerunt, E nulla magis causa occurrit, quàm ea cuius Lucas meminit, cùm ipso resurrectionis suæ die discipulis eum apparuisse narratet, *Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre.* Videntes ergo Dominum cognoscunt, & quia hunc Deum esse didicerant, demissis in terram vultibus adorant. Sed inerat mentibus eorum non contemnenda dubietas, quiá se non corpus in quo passus est, resuscitatum, sed spiritum, quem finitâ passione tradidit, solum videre putabant. Vnde confestim Magister pius & eos qui iam crediderunt, in fide confortat, & illos qui adhuc dubitauerunt, ad fidei gratiam conuocat: omni-

Luc. 24. v. 36.

Discipulorum dubitatio.

A bus scilicet intimans, ad quantam gloriæ magnificentiam assumpta pro hominibus & morti data humanitas resurgendo peruenerit.

Data est mihi, loquit, *omnis potestas in cœlo & in terrâ.* V. 18. Non enim hoc de coæternâ Patri diuinitate, sed de assumptâ loquitur humanitate, quam suscipiendo minoratus est paulò minùs ab Angelis, & in quâ resurgendo à mortuis, gloriâ & honore coronatus est, & constitutus super opera manuum Patris, omniáque subiecta sub pedibus eius.

Data potestas Christo vt homini.

Intérque omnia etiam mors ipsa quæ ei ad tempus præualere visa est, eius pedibus substrata est. Quod ergo Psalmista de Domino resurgente à mortuis ait Patri, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, hoc est vtique quod resurgens ipse B Dominus, ait discipulis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.*

Psal. 8. v. 8.

Et quidem etiam priusquam à morte resurgeret, nouerant Angelicæ in cœlo virtutes iure se subditas homini, quem à suo conditore specialiter assumptum esse videbant. Sed cæci in terrâ homines dedignabantur ei subijci, quem communi secum mortalitate cognouerant indutum. Contemnebant eius virtutem in miraculis intelligere diuinam, cui infirmitatem in passionibus inesse cernebant humanam. Propter quod benignus mediator ipse Dei & hominum, etiam hominibus in terrâ notum fieri volens, quia data sit ei omnis potestas in cœlo & in terrâ, quatenus & ipsi cum Angelis in cœlo vitam possent habere perennem, misit doctores, qui cunctis per orbem nationibus verbum vitæ prædicarent.

Euntes, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* V. 20. Rectissimus autem ordo prædicandi, & modernis quoque prædicatoribus Ecclesiæ diligentissimè sectandus, vt primò quidem doceatur auditor, deinde fidei sacramentis imbuatur, deinde seruandis Domini mandatis ex tempore liberiùs instruatur.

Prædicandi ordo rectus vt priùs doceas fidem, tum sacramento intingas, postremò seruanda mandata admoneas.

Quia neque indoctus quisque & ignarus Christianæ fidei, potest eiusdem fidei sacramentis ablui, neque lauacro baptismi à peccatis emundari sufficit, si non post baptisma studeat quisque bonis insistere. Priùs ergo docere gentes, id est, scientiâ veritatis instruere, ac sic baptizare præcipit, quia & *sine fide impossibile est placere Deo*, &, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ad extremum verò subiungit: *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & *fides sine operibus mortua est.*

Fides sine operibus bonis non saluat.

Hebr. 11. v. 6.

Ioan. 3. v. 5.

Iacob 2. v. 26.

Quanta autem merces piæ conuersationis, quale pignus futuræ beatitudinis etiam in præsenti fidelibus maneat, subsequenter insinuat, dicens: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

Libet autem conferre huic testimonio, quod Marcus ait: *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Quia enim ipse Deus & homo est, assumptus est in cœlum humanitate quam de terrâ susceperat: manet cũ Sanctis in terrâ diuinitate, quâ terram pariter implet & cœlum: manet autem omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi. Ex quo intelligitur, quòd vsque ad finem sæculi non sunt defuturi in mundo, qui diuinâ mansione & inhabitatione sint digni. Nec dubitandum eos post huius sæculi certamina manere cum Christo

Marc 16. v. 19.

Dominus humanitate in cœlum assumptus, deitate manet nobiscum.

Nunquam defuturi in mundo eius habitatione digni.

in regno, qui in sæculo certantes Christum in sui cordis hospitio meruerunt habere mansorem. Notandum intérea, quòd præsens vbique diuina maiestas aliter electis suis, aliter adest reprobis. Adest enim reprobis potentiâ naturæ incomprehensibilis, quâ omnia cognoscit nouissima & antiqua, intelligit cogitationes à longè, & omnes vias singulorum præuidet. Adest electis gratiâ piæ protectionis, quâ illos specialiter per præsentia dona vel flagella quasi filios pater erudit, atque ad possessionem futuræ hæreditatis erudiendo prouehit. Adest electis, vt scriptum est: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Adest reprobis vt præmissum est: *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdas de terrâ memoriam eorum.* Vnde necesse est, vt semper in operibus nequam paneant mali, quorum etiam cogitationes singulæ conspéctui districti iudicis parent: semper in operatione iustitiæ & in his quæ propter iustitiam patiuntur gaudeant boni, quibus *Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum*, & in quacunque tribulatione positis nunquam eius pietas abest, cui canitur in Psalmo: *Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris & maligni.* Quam pietatis suæ præsentiam non tantùm nobis verbo promisit, sed & euidentibus designauit indiciis, cùm post resurrectionem suam discipulis sæpius vsque ad diem quo cœlos petiit, apparuit, eorúmque animos admonendo, increpando, Spiritus sancti donum tribuendo roborauit. E quibus quidem apparitionibus decem solummodò in Euangelistarum scriptis inuenimus, sed plures fuisse docet Apostolus, dicens: *Et resurrexit tertiâ die secundum Scripturas, & visus est Cephæ, & post hæc Vndecim. Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Quibus enim locis vel temporibus factæ sint visiones, quas commemorat, ignoramus: tantum scimus quia quòd sibi nouissimè visum esse Dominum confirmat, post ascensionem eius factum est, vel quando illum de cœlo alloquens de persecutore doctorem Ecclesiæ fecit, vel quando in paradisum & tertium cœlum raptus audiuit arcana verba, quæ non licebat homini loqui. Et sicut alibi dicit: Mysterium Euangelij, quod ab homine non accepit, per reuelationem Iesu Christi didicit.

Aliter electis adest, aliter reprobis. — *Psal. 138. v. 3.* — *Psal. 33. v. 19.* — *Ibid. v. 17.* — *Rom. 8. v. 28.* — *Psal. 9. v. 14.* — *Sæpius visus Dominus discipulis, quàm sit proditum ab Euangelistis.* — *1. Cor. 15. v. 5.* — *Act. 9. v. 3.* — *2. Cor. 12. v. 2.* — *Gal. 1. v. 12.*

Decies verò visum, vt diximus, post resurrectionem Dominum, Euangeliorum nobis & Actuum Apostolorum prodit historia, vbi ipso resurrectionis suæ die quinquies apparuisse legitur. Primò quidem Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum: Deinde eidem Mariæ, & alteri eiusdem nominis fœminæ regredientibus à monumento nuntiare discipulis quæ ibi compererant, occurrens apparuit: Tertiò Simoni Petro: Quartò Cleophæ & socio eius, cum quibus ipse gradiens in Emaus ibidem in panis fractione cognitus est. Qui mox reuersi Hierosolymam, inuenerunt discipulos loquentes: *Quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Nam pleniùs alibi quando Simoni apparuerit, non legitur. Quintò apparuit eis in eodem loco ianuis clausis, vbi non erat Thomas. Sextò post dies octo quando erat cum eis & Thomas. Septimò piscantibus ad mare Tiberiadis. Octauò in monte Galilææ, A quod hodiernâ lectione audiuimus. Nonò recumbentibus illis vndecim apparuit, die quo ascendit in cœlum. Decimò viderunt eum ipsâ die non iam in terrâ positum, sed eleuatum in aëra, cœlósque petentem dicentibus sibi Angelis: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Decem Domini apparitiones proditæ. — *Marc. 16. v. 9.* — *Ioan. 20. v. 16.* — *Matth. 28. v. 9.* — *Luc. 24. v. 15.* — *Ioan. 20. v. 19.* — *Ibid. v. 26.* — *Ioan. 21. v. 4.* — *Matth. 28. v. 16.* — *Marc. 16. v. 14.* — *Act. 1. v. 9.*

Hac ergo frequentiâ corporalis suæ manifestationis ostendere voluit Dominus, vt diximus, in omni loco se bonorum desideriis diuinitùs esse præsentem. Apparuit namque ad monumentum lugentibus, aderit & nobis absentiæ eius recordatione salubriter contristatis. Occurrit reuertentibus à monumento, vt agnita resurrectionis B gaudia prædicarent: aderit & nobis, dum bona quæ nouimus proximis fideliter adnuntiare gaudemus. Apparuit in fractione panis his, qui se peregrinum esse putantes ad hospitium vocauerunt: aderit & nobis, cùm peregrinis & pauperibus, quæcunque possumus bona libenter impendimus; aderit & nobis in fractione panis, cùm sacramenta corporis eius, videlicet panis viui, castâ ac simplici conscientiâ sumimus. Apparuit in abdito de suâ resurrectione loquentibus: adest & nobis modò eius dono idem agentibus; aderit nobis semper cùm ab externis operibus ad tempus vacantes, de eius gratiâ locuturi conuenimus. Apparuit, cùm foribus clausis intus Iudæorum metu residerent. Apparuit, cùm minorato eodem metu apertis eum gressibus in montis C vertice quærerent. Adfuit quondam confortaturus suo Spiritu Ecclesiam, cùm ab infidelibus premeretur, & ad publicum venire ac dilatari prohiberetur: adest eidem & nunc, cùm inclinato ad fidem culmine regali, terror quieuit persecutionis, & omnis mundi sublimitas Apostolicis est subdita vestigiis. Apparuit piscantibus, eísque apparens diuinis adiuuit beneficiis: aderit & nobis, cùm necessaria vitæ temporalis rectâ intentione curamus, iustísque nostris laboribus subsidium suæ pietatis adiungit. Apparuit recumbentibus, aderit & nobis, cùm iuxta Apostoli monita, *sine manducamus, siue bibimus, siue aliud quid agamus, omnia in gloriam Dei facimus.* D Apparuit primò in Iudæâ, deinde in Galilæâ, post hæc rursum in Iudæâ, die quo ascendit in cœlum. Aderat Ecclesiæ, cùm primò solius Iudææ terminis clauderetur, adest modò, cùm Iudæis ob culpam perfidiæ derelictis transmigrauit ad Gentes. Aderit in futuro, cùm ante finẽ sæculi reuertetur ad Iudæam, & sicut Apostolus ait, intrante Gentiũ multitudine, *sic omnis Israël saluus erit.* Nouissimè illis apparuit ascendens in cœlũ: aderit & nobis, vt eum post mortem sequi mereamur ad cœlos, si ante mortem eum in Bethaniam vnde ascẽdit, id est, in domũ obedientię sequi curamus. Ipse etenim cœlos ascensurus, Bethaniam venit, quia sicut Apostolus ait: *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus illum exaltauit.* E Venimus ibidem & nos, si quod ille monet agimus, quod promisit intendimus. *Esto*, ait, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Fitque ipsius gratiâ largiente, vt qui nobiscum vsque ad vitæ huius terminum manet, post hanc nos vitam ad videnda secum vitæ cœlestis præmia subleuet, in quâ viuit & regnat cum Patre Deus, in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Hoc significatur, adesse bonorum vbique desideriis. — *Ioan. 20. v. 19.* — *Matth. 28. v. 9.* — *Luc. 24. v. 29.* — *Ioan. 20. v. 19.* — *Matth. 28. v. 16.* — *Act. 4. v. 30.* — *Ioan. 21. v. 4.* — *Marc. 16. v. 14.* — *1. Cor. 10. v. 31.* — *Act. 1. v. 9.* — *Rom. 11. v. 26.* — *Act. 1. v. 9.* — *Marc. 16. v. 14.* — *A Bethaniâ ascẽdit Dominus ad montem Ascensionis.* — *Phil. 2. v. 8.* — *Apoc. 2. v. 10.*

A Paschate.

TEOPHYLACTI EPISCOPI

Bulgar. superioris Euang. expositio.

Matth. 28. v. 16. Ioan. 20. v. 19. & 26.

VNdecim autem discipuli abierunt in Galilaam, &c. Secundum Ioannem primùm discipulis visus est Iesus ipso die resurrectionis clausis ianuis: deinde post dies octo, quando & Thomas credidit: postremò, quia in Galilæam occursuri erant, nondum autem omnes congregati erant, sed quidam piscabantur apud Tiberia-

Ioan 21. v. 1.

dem, apparuit tunc piscatoribus solis, qui septem erant. Nunc igitur quod dicit Matthæus, posteriùs factum est quàm illa, quæ à Ioanne dicta sunt. Sæpe enim apparuit eis per dies quadraginta, accedens & abscedens, non semper & vbique eis præsens. *Vndecim* igitur *Discipuli*, qui præcipui erant ac capita, cum reliquis omnibus qui sequebantur, Christum adorauerunt. *Aly autem dubitarunt*; hoc est. quidam dubitarunt. Probabile est quòd sic sit intelligendum. *Vndecim abierunt in Galilaam*, & vndecim *adorauerunt illum. Alij autem*, id est, aliqui (fortè ex ijs qui ex septuaginta erant) de Christo *dubitauerunt*: postea tamen etiam illi coofirmati fuerunt. Nonnulli sic intelliguot, quod Matthæus quidem non expresserit quinam dubitassent: quod autem iste omisit, Ioannes dixit; nempe quòd Thomas esset is qui dubitauit. Fortè autem & omnes dubitarunt, id quod Lucas dicit. Debea igitur sic intelligere, quòd cùm venissent in Galilæam, adorauerunt eum. Illi autem qui adorarunt in Galilæâ, primùm dubitaruot in Hierusalem, sicut Lucas dicit.

V. 18.

Locutus est itaque illis Iesus: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Hoc quidem huuc sensum habet. Habui quidem sicut Deus, & opifex potestatem omnium; *Quia omnia seruiunt tibi*, dixit ad eum Dauid: sed voluntariam

Psal. 118. v. 91.

subiectiooem non habui, quam nunc habiturus sum. Subiecta enim erunt mihi omnia, quandoquidem per crucem vici eum, qui potestatem haber mortis. Duplex enim est obedientia & subie-

Data Christo omnia, vt voluntariè illi seruiant.

D ctio. Inuoluntaria scilicet, secundum quam omnes sumus serui Dei, etiam dæmones ipsi: & voluntaria, quomodò *Paulus* erat *seruus Christi*.

Rom. 1. v. 1.

Cùm priùs omnia obedientiam inuoluntariam exhiberent, Saluaror omnium potestatem quasi dimidiatam habebat: post crucem autem, cùm Dei cognitio innotuerit omnibus, ac cunctis voluntariè subiectis, meritò dicit Christus, Nunc omnem potestatem accepi: priùs enim partiaria potestas mihi erat, eo quòd præter voluntatem mihi velut factori seruiebant: nunc autem cùm homines sponte & scientes mihi seruiant, omnis & integra potestaa mihi data est.

E A quo autem data est illi? Omninò à semetipso habuit, & suâ humilitate. Nisi enim humiliatus fuisset, & congressus cum aduersario per cru-

Potestas vt data Christo.

cem, noo saluasset nos. Quapropter sic illud intellige; *Data est mihi omnis potestas*, propriis meis certaminibus & laboribus seruaui homines, & facti sunt mihi in sortem & peculiarem populum. Dominus itaque super terram potestatem habet, eo quòd omnis terra agnouit illum: in cælo autem, eo quòd merces ac municipatus illorum qui credunt, in cælo est. Vel etiam aliter,

Genuina magis expositio, quæ est Hieronimi.

A Quia humana natura priùs condemnata, nunc vnita Dei Verbo personaliter in cælo sedet, & ab Angelis adoratur, meritò dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo.* Etenim humana natura priùs seruiebat, nunc in Christo imperat omnibus.

Breuiter igitur sic intellige: *Data est mihi omnis potestas*, eo quòd volentes & nolentes me Deum agnoscunt, qui priùs mihi seruiebant inuoluntariæ obedientiæ modo. Si autem de humanâ naturâ dicitur, sic intellige: Ego priùs condemnata natura, existens autem Deus secundum vnionem ad Filium Dei absque naturarum confusione, accepi potestatem super omnia, ita vt ab Angelis in cælo adorer, & super terram ab

B omnibus finibus terræ glorificer.

Cæterùm Apostolos non iam ad solos Iudæos mittit: sed quia omnem potestatem accepit, omnemque humanam naturam sanctificauit in seipso: meritò ad omnes gentes mittit, præcipiens baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus

Trinitatis professio Ario aduersa atque Sabellio.

sancti. Coofundantur Arius & Sabellius. Arius quidem, eò quòd Christus non iussit in nominibus baptizari, sed in nomine. Nomen autem trium, vna Deitas: Vnus igitur Deus, tres. Sabellius verò, eo quòd trium personarum meminit, non vnius, sicut ille nugatur tria nomina habere eundem, & nuoc vocari Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum: sed tres personæ

C vnum habent nomen, Dei scilicet.

Non satis baptizari sed seruanda Christi mãdata. V. 20.

Deinde quia non sufficit baptizari tantùm, sed etiam benè operandum est post baptisma, dicit; *Docentes eos seruare omnia quacunque pracepi vobis*; non vnum vel duo, sed omnia mandata mea. Horrescamus & timeamus, fratres, quia si vnum nobis defecerit, non erimus perfecti serui Christi. Omnia enim exiguntur vt seruentur. Vide autem Domini sermonem, quomodò vtrunque Christianismi caput complectatur; theologiam, & practicam virtutem. Dicendo qui-

Christianismi capita, fides & virtus.

dem quòd oporteat baptizari in nomine Trinitatis, theologiam nobis tradidit: dicendo autem

D quòd oporteat docere, & mandata tenere, practicam virtutem edocuit.

Confirmat quoque & animat illos, eò quòd mittat ad Gentes, & in mortem, ac pericula, dicens: *Ego enim vobiscum sum vsque ad consummationem saculi.* Vide & hîc quomodò memor

Consummationis memoria quid præstet.

fuerit coosummationis, vt magis illos exciter ad contemnendum grauia. Ne grauanim feratis: finem enim habitura sunt omnia mundana, siue aspera sint, siue prospera: vtque ideo ne succumbatis in aduersis, prætereunt enim: neque prosperis decipiamini, finem enim habitura sunt. Non solùm autem hoc Apostolis est pollicitus

E euenturum, sed simpliciter discipulis suis omnibus. Neque enim Apostoli vsque ad finem mundi victuri erant; vnde & nobis, & his qui post nos erunt, promisit hoc: non quòd post consummatiooem mundi absuturus sit, absit. Tunc enim magis nobis aderit, & clariùs & mundiùs. Nam, vbi Donec, vel Vsque in Scripturâ inuenitur, non adimit quod posterius. Quocirca gratias agamus Domino, qui & nunc nobiscum est, & omne bonum suppeditat, & iterum nobiscum erit perfectiùs post consummatiooem.

SABBATO IN ALBIS.

IOAN. XX.



a quam Matthæus primam sabbati dicit. b Cum iam tempus operandi rediisset.
IN illo tempore: Vna [a] sabbati Maria Magdalene venit [b] ma-
c In requirentis intelligentiâ.
ne, cùm adhuc [c] tenebræ essent ad monumentum: & vidit
d Aliâs reuolutum. e Ex nimio ardore cucurrit nunciare discipulis, vt aut secum quærerent, aut secum dolerent.
lapidem [d] sublatum à monumento. [e] Cucurrit ergo, & venit
ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem dilige-
f In Græcis codicibus additur, meum, propensiore charitatis & familiaris affectu.
bat Iesus: & dicit illis: Tulerunt [f] Dominum de monumento,
& nescimus vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus & ille alius
g Quomodò autem venerunt, regressus narrat: Cucurrerunt autem duo. h Per decursum huius mundi: Iudæi per legis literam, Gentiles per legem naturæ.
discipulus: & [g] venerunt ad monumentum. [h] Currebant autem duo simul: & ille
alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm
se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Pe-
i Sacræ Scripturæ sacramenta.
trus sequens eum, & introiuit in monumentum: & vidit [i] linteamina posita, & su-
darium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim
inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat pri-
k Vacuum sepulchrum. l Non quidem resurrexisse, sed sublatum esse.
mus ad [k] monumentum, & vidit, & [l] credidit. Nondum enim sciebant Scripturam:
m Cur nondum?
[m] quia oportuit eum à mortuis resurgere.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Ioan. 20. v. 1. & 4. Gregor. in Homil. VNA *Sabbatorum &c. Currebant autem.* Ioannes significat Synagogam, quæ prior venit ad monumentum, sed non intrauit: quia prophetias de incarnatione & passione audiuit, sed in mortuum credere noluit. Petrus Ecclesia, quæ cognouit carne mortuũ, viuentem credidit Deum: post quem & Iudæa in fine intrabit.

V. 7. Sudarium inuolutum. *Separatim.* Quia sacramenta diuinitatis incomprehensibilia à nostræ infirmitatis cognitione remota sunt. In inuoluto, nec finis, nec initium aspicitur. Sic celsitudo diuinitatis nec cœpit esse, nec desinit.

In vnum locum. Quia in scissurâ mentium Deus non est, sed in vnitate. Vel sudarium capitis, passio Christi, cuius sacramenta infidelibus sunt occulta. *Seorsum.* Quia longè à nostrâ: quia ille sponte, & sine culpâ passus, nos inuiti cum culpâ. (Fort. à *forte nostrâ.*)

V. 9. *Nondum enim.* Scilicet vsque adeò, vt cùm ab ipso Domino apertè diceretur, propter consuetudinem ab eo audiendi parabolas non intelligerent.

CATENA AVREA,
in idem Euang.

Ioan. 20. v. 1. Hom. 84. in Ioan. CHRYS. Quia iam transierat sabbatum, in quo impediebatur à lege, non potuit Maria Magdalene quiescere, sed venit prufundo diluculo consolationem quandam à loco sepulturæ inuenire volens. Vnde dicitur, *Vnâ autem sabbati Maria Magdalene, &c.*

A AVG. de con. Euang. Venit quidem Maria Magdalene sine dubio cæteris mulieribus, quæ Domino ministrauerant, plurimùm dilectione feruentior, vt non immeritò Ioannes solam commemoraret, tacitis eis quæ cum illâ fuerant, sicut alij testantur. *Libr. 3. c. 24.*

AVG. su. Ioan. Vna autem sabbati est, quem iam diem Dominicum propter Domini resurrectionem mos Christianus appellat; quem Matthæus primam sabbati nominauit. *Tract. 120. à med. illius.*

BEDA. Dicitur ergo, *Vnâ sabbati*, hoc est, alterâ, siue primâ die post sabbatum.

THEOPH. Vel aliter: Hebdomadæ dies Iudæi sabbatum nominabant: vnam autem Sabbati, primum ex diebus sabbati, vel hebdomadæ appellabant. Futuri autem sæculi exemplar est hic dies, quoniam futuri sæculi vna dies est nequaquam nocte interpolata. Deus enim ibi Sol est, qui nunquam occidit. In hac igitur die Dominus resurrexit, incorruptibilitatem corporis assumens; sicut nos in futuro sæculo incorruptione induemur. *In hoc loco.* B

AVG. de con. Euang. Quòd autem Marcus dicit: *Valde mane oriente iam sole*, non repugnat ei quod hîc dicitur; *Cùm adhuc tenebra essent*: Die quippè surgente aliquæ reliquiæ tenebrarum, tantò magis extenuantur, quantò magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait Marcus; *Valde manè orto iam sole*, tanquam sol iam videretur super terram; sed potiùs sicut dicere solemus eis, quibus volumus significare temporiùs aliquid faciendum, *orto iam sole* dicitur, id est, de proximo adueniente in has partes. *Libr. 3 c. 24.* C *Ouid. 4. Metam. & Colum. l. 9. vtuntur.*

GREG. in hom. Congruè autem dicitur, *Cùm adhuc tenebra essent.* Maria enim auctorem omnium, quem carne viderat mortuum, quærebat in monumento: & quia hunc minimè inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, *Hom. 22. in Euang.*

cùm venit ad monumentum. Sequitur. *Et vidit lapidem reuolutum à monumento.*

[Libr. 3. c. 24.] AVG. de con. Euang. Iam ergo factum erat quod solus Matthæus commemorat de terræmotu, & lapide reuoluto, conterritisque custodibus.

[Hom. 84. in Ioan.] CHRYS. Surrexit quidem Dominus lapide, & signaculis sepulchro iniacentibus: Quia verò oportebat & alios certiores fieri, aperitur monumentum post resurrectionem; & ita creditur quod factum est. Hoc denique & Mariam mouit. Videns enim lapidem sublatum, non intrauit, neque prospexit; sed ad discipulos ex multo amore cum velocitate cucurrit. Nondum autem de resurrectione nouerat aliquid manifestum, sed putabat translationem corporis esse factam.

[Interlin.] GLO. Et ideò cucurrit nuntiare discipulis, vt aut secum quærerent, aut secum dolerent. Et hoc est quod sequitur. *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, &c.*

[Tract. 119. in Ioan.] AVG. Ita se commemorare solet, quòd eum diligebat Iesus: qui vtique omnes, sed ipsum præ cæteris, & familiariùs diligebat. Sequitur, *Et dixit eis, Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.*

[Lib. 3. c. 10. in nouis vexemp. 9. in vet.] GREGO. 3. Moral. Hoc autem dicens, totum pro parte insinuat; Solum quippe corpus Domini quæsitura venerat, & quasi totum Dominum sublatum deplorat.

[Tract. 120. in Ioan.] AVGVST. Nonnulli autem codices Græci etiam habent, *Tulerunt Dominum meum.* Quod videri dictum potest propensiori charitatis, vel famulatus affectu. Sed hoc in pluribus codicibus, quos in promptu habemus, non inuenimus.

[Hom. 84. in Ioan.] CHRYS. Euangelista verò non priuauit mulierem hac laude, nec verecundum existimauit quòd ab eâ priùs addiscerent. Audientes ergo illi cum multo studio monumento insistunt.

[Hom. 22. in Euang.] GREG. Illi autem præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerunt, videlicet Petrus, & Ioannes. Vnde sequitur, *Exijt ergo Petrus, &c.*

[In hoc loco.] THEOPH. Sed si quæras, quomodò astantibus custodibus venerunt ad monumentum. Rudis quæstio: quoniam postquam Dominus resurrexit, & vnà cum terræmotu affuit Angelus in sepulchro; recesserunt custodes annuntiantes Pharisæis.

[Tract. 120. in Ioan.] AVGVST. Cùm autem iam dixisset, *Venerunt ad monumentum*, regressus est vt narraret quomodò venerunt, atque ait: *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit prior ad monumentum.* Vbi ostendit quòd ipse prior venerit, sed tanquam de alio cuncta narrat.

[Hom. 84. in Ioan.] CHRYS. Veniens autem considerat linteamina posita, vnde sequitur, *Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina.* Nihil tamen ipse plùs perscrutatur, sed desistit: & hoc est quod subditur, *Non tamen introiuit.* Petrus verò vt feruidus introiens vniuersa inspexit diligenter, & ampliùs vidit. Vnde sequitur. *Venit ergo Simon Petrus & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus, &c.* Quod erat resurrectionis signum. Neque enim (siquidem eum transtulissent) corpus eius denudassent: neque si furati essent, huius rei fuissent soliciti, vt leuarent sudarium & inuoluerent, & ponerent in vnum locum seorsum à linteaminibus: sed simpliciter, vt se habebat, suscepissent corpus. Ideo enim Ioannes præmiserat quoniam sepultus est cum myrrhâ, quæ conglutinat corpori linteamina: vt non decipiaris ab his qui dicunt eum furtò sublatum esse. Non enim ita insensatus esset qui furaretur, vt circa rem superfluam tantum studium consumeret. Post Petrum autem & Ioannes introiuit. Vnde sequitur, *Tunc ergo introiuit & ille discipulus, &c.*

[Tract. 120. in Ioan.] AVGVST. Nonnulli putant hoc Ioannem credisse quòd Iesus resurrexerit: sed quod sequitur, hoc non indicat. Vidit ergo inane monumentum, & credidit quod dixerat mulier. Nam sequitur, *Nondum enim sciebant Scripturam, &c.* Non ergo eum credidit resurrexisse, quem nesciebat oportere resurgere. Quando autem ab ipso Domino audiebant, quamuis apertissimè diceretur, consuetudine tamen audiendi ab illo parabolas, non intelligebant: & aliquid aliud eum significare credebant.

[Hom. 22. in Euang.] GREGO. in hom. Hæc autem iam subtilis Euangelistæ descriptio à mysterijs vacare credenda non est. Per Ioannem iuniorem Synagoga, per seniorem verò Petrum Ecclesia Gentium designatur: quia etsi ad Dei cultum est prior Synagoga quàm Ecclesia Gentium, ad vsum tamen sæculi prior est multitudo Gentium quàm Synagoga. Cucurrerunt autem simul, quia ab ortus sui tempore vsque ad occasum pari & communi viâ (& si non pari & communi sensu) Gentilitas cum Synagogâ decucurrit: [Allegorica expositio.] Venit Synagoga priùs ad monumentum, sed minimè intrauit; quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominicâ audiuit, sed credere in mortuum noluit. *Venit autem Simon Petrus, & introiuit in monumentum.* Quia secuta posterior Ecclesia Gentium Christum Iesum & cognouit carne mortuum, & viuentem credidit Deum. Sudarium autem capitis Domini cum linteaminibus non inuenitur, quia *caput Christi Deus*, & diuinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione disiuncta sunt; eiúsque potentia creaturæ transcendit naturam. Non solùm autem separatum, sed inuolutum inueniri dicitur; quia lintei quo inuoluitur, nec initium, nec finis aspicitur. Celsitudo autem diuinitatis nec cœpit esse, nec desinit. Benè autem additur *in vno loco*, quia in scissurâ mentium Deus non est; & illi eius gratiam habere merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Sed quia solet per sudarium laborantium sudor detergi, potest & sudarij nomine intelligi labor; qui etsi semper quietus in se atque immobilis permanet, laborare tamen se denuntiat, cùm duras hominum prauitates portat. Sudarium ergo quod super caput eius fuerat, seorsum inuenitur; quia ipsa Redemptoris nostri passio longè à nostrâ passione disiuncta est; quoniam ipse sine culpâ pertulit, quod nos cum culpâ toleramus. Ipse sponte morti succumbere voluit; ad quam nos venimus inuiti. Postquam autem intrauit Petrus, ingressus est & Ioannes; quia in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Iudæa colligetur.

[In hoc loco.] THEOPH. Vel aliter: Intellige Petrum actiuum & promptum: Ioannem verò contemplatiuum & docilem erga diuinarum rerum peritiam: Plerúmque autem præuenit contemplatiuus notitiâ & docilitate, sed actiuus instantiâ feruoris & sedulitate præcedit illius acumen, & priùs inspicit diuinum mysterium.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 20. v. 1.

Alijs fortè melius explicata Matthæi vox, ὀψὲ σαββάτων

VNà *Sabbati Maria Magdalene.* APOLLINARII. Vespere quod est à Sabbato Dominus resurrexit, à se prædictum triduum breuians: eâ scilicet ratione, quòd passus primo exeunte vespere, tertio statim inchoante reuixerit. Tres verò dies visus est sustinere, ad omnis exoluendam differentiam temporis, tum nimirum præsentis, tum præteriti, tum futuri, sese ipse omnium causâ qui iam addicti essent, ac morerentur, morti tradens. Præuenit ergo illos B resurrectione: mysterium enim erat. Prima verò ad sepulchrum venit mulier, hactenusque non esse Dominum in monumento discipulis nuntiat: haud quidem ipsa suscitatum cogitans, sed ab inimicis sublatum è monumento, atque aliò translatum existimans, ac velut ad inquirendum ipsos prouocans. Postea verò cùm & Dominum conspexisset, beatum spectaculum discipulis nuntiat, vt funestam mulieris indicationem, faustus muliere perferente nuntius solueret.

V. 5. *Vidit linteamina posita.* SEVERI. Vident in monumento linteamina posita, quod vtique non accidisset, si corpus furto sublatum fuisset. Hoc C enim apprimè furibus familiare, vt exuant, tumque citiùs furtum peragant, ne deprehensi, extremas pœnas luant. Quin & sudarium non cum linteaminibus positum, sed separatim vno loco inuolutum, nec vestigium perturbationis monstrabat, qualis in furibus tollentibus corpus. Vnde enim illis tantum otij, tantaque licentia, vt & capitis velamen viderent, & seorsim ponerent. Quamobrem hoc quoque resurrectionem manifestè astruit, ac probat.

EIVSDEM. Probat hoc nudum, absque linteaminibus resurrexisse Iesum: vt sciremus eo statu esse, vt nullâ iam prorsus cibi, vestiumque inte- D gumenti necessitate, carnis ratione adstringatur, tametsi dispensationem implens, se ijs sponte, vtpotè naturæ nostræ particeps, subiecerit. Deinde refert Adami in pristinum statum restitutio- *Gen. 2. v. 25.* nem, cùm is nudus erat in paradiso, nec erubescebat. Iam enim, vt Deus, etsi incarnatus, augustissimâ gloriâ conuestitus erat; ipse scilicet *amictus lumine sicut vestimento*, vti ait Dauid Propheta. *Psal. 103. v. 2.*

V. 5. AMMONII. Indicium hoc erat resurrectionis. Nam si furto ab inimicis quæstus causâ, sublatus esset, haud sanè ijs relicta vestimenta: Sin ab amicis, haudquaquam ij sic nudum probo habuis- E sent. Siquidem enim discipuli fuissent, fugissent vtique ob milites custodiæ præfectos, atque Iudæos, nec substitissent vt corpus exuerent, ac seorsim linteamina, seorsim sudarium ponerent. Ostendit itaque non amplius vestimentis egere, qui ad incorruptionem commigrarit. Non viderunt resurgentem, ex vestium tamen citrâ collectione resurrectionem intelligunt, ac credunt, sacrâ id attestante Scripturâ. Apparente Angelo, territi custodes fugam inierunt; eaque ratione Petrus ac socij tutò ad monumentum venerunt.

Luc. 24. v. 12. EIVSDEM. Nihil istud Lucæ aduersatur, dicenti Petrum duntaxat ad monumentum venisse. Cùm enim visis linteaminibus abijssent, venerunt iterum quas Ioannes mulieres refert, dicen- A tes resurrexisse Dominum. Cucurritque iterum solum Petrus ad monumentum, eâ forsitan spe ductus vt & ipse visionem aliquam nancisceretur.

Nempe Magdalena quam & Cyrillus non solam arbitratur: Etsi Ammonij phrasis haud plures omninò fœminas exigat.

SANCTI IOANNIS CHRYsostomi Episcopi Constantin. in superius Euang.

HOMILIA.

Ex hom. 84. in Ioa. 20. v. 1.

VNa *autem sabbatorum*, hoc est, die Dominico, *cùm adhuc tenebræ essent, Maria Magdalena venit mane ad monumentum, & vi-* B *dit lapidem reuolutum à monumento.* Surrexerat Iesus, & lapide & signis impositis: sed cùm hoc alijs manifestari oporteret, post resurrectionem apertum est monumentum, & ita res credita est. Hoc itaque & Mariam mouit: maximè namque Magistrum diligebat. Postquam sabbatum præterijt, cessare non potuit: sed cùm adhuc essent tenebræ, à loco sibi aliquam quærens consolationem, eò se contulit: & cùm vidisset lapidem reuolutum, neque intrauit, neque introspexit, sed ad discipulos cucurrit ex nimio desiderio. Id enim curabat quàm citissimè; quid de corpore factum esset, intelligere: hoc & cursus, C & verba significarunt. *Tulerunt*, inquit, *Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* *V. 2.* Ecce quomodò nondum quicquam de resurrectione certum norat, sed esse ablatum suspicata est, & simpliciter omnia discipulis nuntiat. Euangelista autem tantâ laude mulierem non fraudauit, neque sibi dedecori arbitratus est, vt ab eâ docti profectâ, primùm hæc intelligerent: hoc pacto semper eius veritas lucet.

Cùm venisset Maria, & id significasset, audientes illi, ad sepulchrum properant, & vident linteamina posita: quod erat resurrectionis signum. Neque enim si qui corpus abstulissent, illa reli- D quissent: neque si furati essent, sudarium inuoluere, & ponere in vnum locum curassent: sed vt erat corpus, abstulissent: propterea superius dixit Ioannes, quòd cùm multâ myrrhâ esset sepultus, quæ non minus quàm pix corpori linteamina conglutinat: vt cùm audieris sudaria in sepulchro relicta, furto abreptum non arbitreris: non enim fur adeò stultus fuisset, vt in superfluâ re tantùm laborasset. Quánam gratiâ sudaria dimisit? Quomodò id faciendo latere potuit? Etenim diutiùs in eo erat immorandum, & deprehendi potuisset. Cur linteamina posita erant, & sudarium separatim inuolutum? E vt intelligeres non perturbatè, & festinanter fecisse: ex hoc resurrectionem crediderunt: ideo postmodum apparuit eis Christus, ab aspectu in fide confirmatis. Considera hoc in loco Euangelistæ humilitatem, quomodò diligentem perscrutationem Petro attribuit. Nam ipse cùm prior venisset, visis linteaminibus positis, nihil amplius perquirit, sed discedit. Ille autem feruore quodam ingressus, omnia quæsiuit diligenter, & ampliùs vidit: & tunc consolatus est videndo linteamina posita, & sudarium separatim reuolutum, quòd benè diligentem arguebat.

Linteamina posito, argumento non sublati corporis.

Tu autem cùm audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa quæso ab insanâ funeris impensâ. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis qui faciunt, plurimùm

Morale in superfluos sumptus funeris.

affert detrimenti, mortuis nullam vtilitatem, vel damnum potius? Sumptuosa namque sepultura nonnunquam causa est, vt fures cadauer effodiant, & nudum, insepultumque proijciant. Sed ô inanem gloriam! quantam etiam in luctu vim, quantam amentiam ostendit? Multi igitur ne id accidat, tenuia scindunt linteamina, & multis implent aromatibus, vt duplici ratione inutilia furibus reddantur: ita terræ mandant. Nónne hæc insanientium? nónne furentium sunt, ambitionem præ se ferre, & cursus tollere? Sanè, inquit, vt nulla furandi sit occasio, hæc omnia molimur. Quid ergo, si nemo furabitur? Nónne tineæ & vermes consument? Et si non hi, nónne tempus & putredo? Sed esto neque fures, neque vermes, neque tempus, neque aliud quippiam timendum, sed corpus ad resurrectionem vsque intactum permansurum, & ea omnia noua præseruari: quid inde mortuis emolumenti, cùm nudum corpus resurgit? Hæc enim hîc remanent, nihil illi exanimi conferunt.

Sed cur, inquies, id in Christo seruatum est? Meritò sanè. Noli hæc humanis rebus comparare: nam & meretrix vnguentum super sanctos eius pedes effudit. Quod si de his dicendum est. Hæc primùm à non intelligentibus resurrectionis rationem facta sunt, ideo inquit: *Sicut moserat Iudæis*. Neque enim ex Duodecim erant qui hæc fecerunt, sed qui non multo Iesum honore prosecuti sunt. Duodecim autem non sic, sed morti, cædibus, & periculis pro eo se exposuerunt, qui honor longè maior. Præterea, vt dixi, de hominibus nobis nunc sermo est: illa autem Domino exhibita sunt: Et vt intelligas nulli curæ hæc Christo esse, inquit: *Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare: Sitientem, & dedistis mihi bibere: Nudum, & induistis me*; non autem mortuum, & sepelistis; Quod ego non vt sepulturam tollam, dico, absit: sed luxuriam & superfluam ambitionem.

Luc. 7. v. 38.

Ioan. 19. v. 40.

Aromata Christi corpori adhibita Iudæorum more.

Matth. 25. v. 35.

Affectus, inquit, & dolor, & mortui misericordia hæc suadet: Non est misericordia, sed inanis gloria: nam si vis mortui misereri, aliam tibi viam ornandi funeris ostendam: & docebo his mortuum vestibus ornare, quæ simul cum eo resurgent, & conspicuum reddent: hæ vestes nec à tineis corroduntur, neque tempore consumuntur, neque diripiuntur à furibus. Quænam hæ sunt? Eleemosyna vestis est, quæ cum eo resurget. Eleemosyna tanquam signaculum cum eo. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient: *Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare*: hæ insignes faciunt, hæ conspicuos, hæ securos. Præsentia enim nihil aliud sunt, quàm tinearum & vermium esca: non tamen sepulturam prohibeo, sed modus seruetur, vt tegatur corpus, non nudum mandetur terræ. Nam si viuentibus præcipitur, ne quid habeant præter vestimentum, longè magis mortuis. Neque enim ita mortuus veste indiget, vt viuus: dum enim viuimus, & frigoris gratiâ, & caloris, & pudoris vestibus egemus: mortuis nulla horum impendet necessitas; ne autem nudum iaceat corpus, operiendum est. In primis autem terram optimum habemus operimentum, & huiusmodi corporum naturæ decentius. Quòd si vbi tot necessitates vrgent, nihil superfluum est inquirendum, multò minus vbi illæ cessant.

Vides defunctos eleemosynis viuorum iuuari.

Mortuo sufficit integumentum.

Sed qui viderint, ridebunt, inquies. Quid tum? Quamuis ridearis, minimè curandum est stulti iudicium: sed potiùs multi te admirabuntur, & doctrinam nostram persequentur. Non enim hæc digna risu sunt, sed illa quæ nunc facimus, cùm lugemus, cùm plangimus, cùm simul nos cum mortuo defodimus, hæc & risu, & supplicio digna: in his autem, & modo sumptibus adhibendo sapientiâ vti, per quàm laudabile est, & omnes nobis plaudent, & Christi virtutem admirabuntur, & dicent, Papè, quanta est Crucifixi potentia! Persuasit morientibus, & ijs qui corrumpuntur, mortem non esse mortem. Non enim vt in pereuntes afficiuntur, sed vt in migrantes in meliorem locum. Persuasit corpus hoc mortale & terrenum, vestem induere, serico & auro distinctâ longè pretiosiorem, hoc est, immortalitatem: quamobrem non multùm de sepulturâ curant, sed sepulturam optimam putant vitam optimam. Hæc, si ita nos philosophari viderint, dicent. Sin plangentes, effœminatos, circunstantes plorantibus mulieribus, ridebunt, & maiorem in modum reprehendent; & impensam, amentiam appellabunt: etenim hæc accusare omnes audimus, & meritò sanè. Quam enim habebimus excusationem, cùm corpus tabe & vermibus mox consumendum ornantes, Christum esurientem, nudum, errantem, contemnimus? Cessemus, quæso, ab insanâ diligentiâ, sed eam morientium curam habeamus, quæ & nobis & illis conferat ad gloriam Dei. Largas pro his eleemosynas faciamus, mittamus eis pulcherrima viatica. Nam si memoria clarorum virorum, qui mortui sunt, prodest viuentibus: *Protegam*, inquit, *hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid seruum meum*; longè magis eleemosyna id faciet. Hæc mortuos suscitauit, quando circumsteterunt viduæ, ostendentes, quæ fecerat cùm esset cum ipsis Dorcas.

Memoria sanctorum defunctorum prodest viuentibus.

4. Reg. 19. v. 34.

Act. 9. v. 39.

Cùm ergo moriendum sit, quisque funus sibi paret, persuadeátque vt indigentibus aliquid relinquat. Cùm his emittat indumentis, vt Christum relinquat hæredem. Nam si Reges hæredes scribentes, familiaribus partem relinquunt in filiorum cautionem: cùm Christum cohæredem filijs tuis dimittis, intellige quantam tibi & illis concilias beneuolentiam. Hæc sunt funera pulcherrima, hæc & remanentibus, & obeuntibus proficiunt. Si ita sepeliemur, in resurrectione clari apparebimus: quòd si curato corpore animam neglexerimus, multa grauia perpetiemur, & multùm ridebimur. Non enim parua est ignominia, nudum & inopem virtutum hinc migrare: neque corpus insepultum proiectum adeò ignominiosum videtur, vt anima tunc carens virtutibus: hanc vestiamus, vestibus semper duraturis. Quòd si in hac vitâ neglximus, saltem in morte nobis consulamus, & ex rebus nostris nobis opem ferre per eleemosynam curemus: sic inuicem mutuo auxilio, futurorum fiduciam habere poterimus: gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

Funus vt apparandum.

S. AVGVSTINI EPISCOPI

Hippon. in superius Euang.

HOMILIA.

VNâ autem sabbati Maria Magdalene venit mane cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum,

Extractat. 120. in Ioa. 20. v. 1.

numentum, & vidit lapidem sublatum à monumento. Vna sabbati est, quem iam diem Dominicum propter Domini resurrectionem mos
Matth. 28. v. 1. Christianus appellat; quem Matthæus solus in Euangelistis primam sabbati nominauit.

V. 2. *Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem diligebat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescio vbi posuerunt eum.* Nonnulli codices etiam Græci habent, *tulerunt Dominum meum*: quod videri dictum potest propensiore charitatis, vel famulatus affectu: sed hoc in pluribus codicibus quos in promptu habuimus, non inuenimus.

V. 3. & 4. *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.* Aduertenda hic, & commendanda est recapitulatio, quomodò reditum est ad id, quod fuerat prætermissum, & tanquam si hoc sequeretur adiunctum est. Cùm enim iam dixisset, *venerunt ad monumentum*, regressus est vt narraret quomodò venerunt, atque ait, *Currebant autem duo simul, &c.* Vbi ostendit quòd præcurrens ad monumentum prior venerit alius ille discipulus, quem seipsum significat, sed tanquam de alio, more sanctæ Scripturæ eunctá narrat.

V. 5. *Et cùm se inclinasset*, inquit, *vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.* Putamúsne, nihil ista significant? Nequaquam hoc putauerim: sed ad alia festinamus, in quibus immorari quæstionis vel obscuritatis alicuius necessitate compellimur: nam ista quæ per seipsa manifesta sunt, quid singula etiam significent, quærere, sanctæ quidem delitiæ sunt, sed otiosorum, quod non sumus nos.

Otiosorum delitiæ, quid in scripturis quæque significent, quærere.

V. 8. *Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum.* Prior venit, & posterior intrauit. Neque hoc vtique vacat, sed mihi ad ista non vacat. *Et vidit*, inquit, *& credidit.* Hic nonnulli parum attendentes, putant hoc Ioannem credidisse, quòd Iesus resurrexerit: sed quod sequitur, hoc non indicat. Quid sibi enim vult quòd statim adiunxit, *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere?* Non ergo eum credidit resurrexisse, quem nesciebat oportere resurgere. Quid ergo vidit, quid credidit? Vidit scilicet inane monumentum, & credidit quod dixerat mulier, cum de monumento esse sublatum. *Nondum*

V. 9. *enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere:* & ideo quando id ab ipso Domino audiebant, quamuis apertissimè diceretur, consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aliud eum significare credebant. Sed ea quæ sequuntur, in sermonem alium differamus.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI, *Euangelij eiusdem expositio.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 20. v. 1. VNà autem Sabbati Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, &c. Non vtique domi tem ansisset studiosissima, sapiensque hæc mulier, neque mouimentum reliquisset, nisi legem sabbati, & eius violatoribus intentatam pœnam verita, desiderij ardorem cohibuisset; ac veteribus obsecuta legibus, hactenúsque iis per eam vigentibus, mentem suâ & inuitam ab his quotum maximè desiderio tenebatur, auocandum esse putasset. Verùm exacto iam sabbato, proximéque vicinâ exoriente luce, ad locum cursu festina properat. Tum lapidem ex ostio monumenti reuolutum cernens, suspicionibus concedit haud omninò à veri specie abhorrentibus, Iudæorúmque immortalem inuidiam reputans sublatum Iesum existimat, hanc quoque vnà cum reliquis illorum furoribus impietatem ascribens. Sic itaque animo hærens, eóque cogitationum æstu fluctuans mulier, ad eos qui Dominum diligebant, propensâ reuertitur, id propemodum studens, vt discipulorum fidelissimos eius sibi socios indaginis adhiberet. Cúmque adeò firmâ ac inexpugnabili niteret fide, nihil se crucis ignominiâ, atque tormentis passa est abduci, vt Christum despiceret; quin ex more Dominum vocat, licet mortuum. Planè enim eiusmodi religiosæ mentis fundata virtus, ac affectio est.

Maria statim sabbati religione soluta, circa monumentum sedula.

Amoris cõstantia, in- que defunctum reuerentia.

Illi porrò vbi mulierem hæc nuntiantem audissent (Petrus scilicet & Ioannes, ipse huius libri scriptor: se ipse enim illum alterum discipulum vocat) quàm nimirum poterant velocissimo cursu contendentes, ad ipsum festinatò monumentum perueniunt: fiuntque miraculi spectatores, idonei scilicet rei testes; quippe cùm bini essent, vti lege præscriptum est. Ac quidem à mortuis excitatum Christum ij needum nanciscuntur; ex inuolutis tamen linteaminibus resurrectionem intelligunt, ipsáque iam mortis perrupta vincula (quippe hoc ipsum pridem clamante Scripturâ) credunt. Quapropter veris prænuntiationibus rerum euentus percipientes, firmissimam demum fidem amplectuntur.

Deut. 19. v. 15.

Petrus & Ioannes, ad fidē resurrectionis ex linteaminibus adducti.

Obseruandum autem, beatum Ioannem Euangelistam resurrectionis tempus vt significet, ita dicere, *Vnâ Sabbati, manè cùm adhuc tenebræ essent venit Maria Magdalene*, cùm Matthæus qui idem velit significare, alto vespere eam factam esse narret. Nemo tamen vt reor, inter se discrepare diuino Spiritu afflatos viros existimabit, aut diuersa eos tempora resurrectionis exponere. Si quis enim ad illorum verborum vim animum velit aduertere, eundem ipsum sensum sanctorum Euangelistarum voces inuenier habere. Manè quippe altum, vt quidem arbitror, ac vesper altus, ad vnam spectent significationem, nempe nocturni spatij tuedium. Nulla itaque est discrepantia. Alter enim à noctis fine, alter ab initio inchoans; in profundum vergit temporum, ac in ipsam, vti mox dicebam, deuenit mediam noctem.

Matth. 28. v. 1.

Matthæi Ioannisque conciliatio: vtrique designatū noctis mediū.

BEATI GREGORII PAPÆ. *in idem Euang. Homil.*

FRactus longâ molestiâ stomachus, diu me charitati vestræ de lectionis Euangelicæ expositione loqui prohibuit. Vox namque ipsa à clamoris virtute succumbit, & quia à multis audiri non valeo, loqui (fateor) inter multos erubesco. Sed hanc in me verecundiam & ipse reprehendo. Quid enim? Nunquid si multis prodesse nequeo, nec paucis curabo? Et si ex messe portare manipulos multos non possum, nunquid

Est hom. 20 in Euang.

Gregorij solicitudo prædicandi.

nam debeo ad aream vacuus redire? Quamuis [A] enim quantos debeo ferre non valeo, certè vel paucos, certè vel duos, certè vel vnum feram. Habet namque ipsa infirmitatis intentio mercedis suæ certitudinem: quia supernus arbiter noster etsi pondus considerat in retributione, tamen vires pensat in pondere.

Joan. 20. v. 1.

Tenebræ adhuc cùm venit Maria ad monumentum.

Lectio sancti Euangelij, quam modò, fratres, audistis, valdè in superficie historicâ est aperta, sed eius nobis sunt mysteria sub breuitate requirenda. *Maria Magdalene cùm adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum.* Iuxta historiam notatur hora, iuxta intellectum verò mysticum, requirentis signatur intelligentia. Maria enim auctorem omnium, quem carne viderat mortuum, quærebat in monumento: & quia hunc minimè [B] inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cùm venit ad monumentum. Cucurrit citiùs, discipulis nuntiauit: sed illi præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amauerunt, videlicet Petrus & Ioannes. Currebant autem duo simul, sed Ioannes præcucurrit citiùs Petro: venit prior ad monumentum, & ingredi non præsumpsit. Venit ergo posterior Petrus, & intrauit. Quid, fratres, quid cursus iste significat? Nunquid nam hæc tam subtilis Euangelistæ descriptio à mysteriis vacare credeoda est? Minimè. Neque enim se Ioannes & præisse, & non intrasse diceret, si in ipsâ sui trepidatione mysterium defuis- [C] se credidisset. Quid ergo per Ioannem, nisi Synagoga: quid per Petrum, nisi Ecclesia designatur? Nec mirum esse videatur quòd per iuniorem Syoagoga, per seniorem verò Ecclesia significari perhibetur: quia etsi ad Dei cultum prior est Synagoga quàm Ecclesia Gentium, ad vsum tameo sæculi prior est multitudo Gentium, quàm Synagoga, Paulo attestante, qui ait: *Quia non prius, quòd spirituale est, sed quod animale.* Per seniorem ergo Petrum significatur Ecclesia Gentium, per iuniorem Ioannem Synagoga Iudæorum. Cucurrerunt ambo simul: quia ab ortus sui tempore vsque ad occasum, pari & com- [D] muni viâ, etsi non pari & communi sensu, Gentilitas cum Synagogâ cucurrit. Venit Synagoga prior ad monumentum, sed minimè intrauit: quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominicâ audiuit, sed credere in mortuum noluit. Vidit enim Ioannes posita linteamina, non tamen introiuit: quia videlicet Synagoga & Scripturæ sacræ sacramenta cognouit, & tamen ad fidem Dominicæ passionis credendo intrare distulit: quem diu longéque prophetauit, præsentem vidit, & recipere renuit: hominem esse despexit, Deum carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo est, nisi quia & citiùs cucurrit, & tamen ante monu- [E] mentum vacua stetit?

Petrus prior Ioanne ingreditur in monumentum; id est, Ecclesia prior Synagogâ.

1. Cor. 15. v. 46.

V. 6.

Venit autem Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum: quia secuta posterior Ecclesia Gentium, mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, & cognouit carne mortuum, & viuentem credidit Deum. *Vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.*

V. 7.

Sudarium seorsim positum, & inuolutum; diuinitas Christi incomprehensib.

1. Cor. 11. v. 3.

Quid esse credimus, fratres, quòd sudariom capitis Domini cum linteaminibus non inuenitur in monumento, nisi quia Paulo attestante, *caput Christi Deus*; & diuinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione disiuncta sunt, ciúsque poteotia creaturæ transcendit naturam? Et notandum quòd non solùm separatim, sed & inuolutum inueniri dicitur in vnum locum. Linteum quippe quod inuoluitur, eius nec initium nec finis aspicitur. Rectè ergo sudarium capitis iouolutum inuentum est, quia celsitudo diuinitatis nec cœpit esse, nec desinit: nec per initium nascitur, nec termino coangustatur. Benè autem additur, *In vnum locum*: quia io scissurâ mentium Deus non est. Deus quippe in vnitate est: & illi habere eius gratiam merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt.

Labor Dei.

Sed quia solet per sudarium laborantium sudor detergi, potest etiam sudarij nomine exprimi labor Dei: qui in se quidem quietus semper atque incommutabilis permanet, sed tamen laborare se denuntiat, cùm duras hominum prauitates portat. Vnde per Prophetam dicit: *Laboraui sustinens.* Deus autem apparuit in carne, laborauit ex nostrâ infirmitate. Quem laborem passionis eius dum increduli viderunt, eum venerari noluerunt. Quem enim videbant carne mortalem, dedignati sunt credere immortalem esse diuinitate. Vnde etiam Hieremias ait: *Reddes eis vicem Domine, iuxta opera manuum suarum: dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis eius laborem dedignati sunt, quasi eundem laborem illius pro scuto tenuerunt, vt eò ad se transire eius verba non permitterent, quò eum laborare vsque ad mortem viderent. Quid autem nos, nisi capitis nostri, id est, Domini membra sumus? Per linteamina itaque corporis laborum ligamenta signantur, quæ nunc electos omnes, id est, eius membra constringunt. Sudarium ergo quod super caput eius fuerat, seorsum inuenitur: quia ipsa Redemptoris nostri passio, longè à nostrâ passione disiuncta est: quoniam ipse sine culpâ pertulit, quod nos cum culpâ toleramus. Ipse spontè morti succumbere voluit, ad quam nos venimus inuiti. Sequitur:

Ier. 6. v. 11.

Thren. 3. v. 64.

V. 8.

Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum. Postquàm intrauit Petrus, ingressus est & Ioannes. Posterior intrauit, qui prior venerat. Notum est fratres, quòd in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Iudæa colligetur, Paulo attestante, qui ait: *Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et vidit, & credidit.* Quid, fratres, quid æstimandus est credidisse? Nunquid quia Dominus surrexerat, quem quærebat? Non vtique, quia adhuc tenebræ erant ad monumentum: & subiuncta quoque verba contradicunt, cùm dicitur: *Nondum enim sciebant Scripturas; quia oporteret eum à mortuis resurgere.* Quid ergo vidit, & quid credidit? Vidit linteamina posita, & credidit quod mulier dixerat, de monumento Dominum fuisse sublatum. Quâ in re diuinæ dispensationis magnitudo pensanda est, quòd discipulorum corda & accenduntur, vt quærant, & differuntur ne inueniant: quatenus infirmitas animi ipsô suo mœrore cruciata, purgatior ad inueniendum fiat: & tantò validiùs teneat cùm inuenerit, quantò tardiùs inuenit quod quærebat.

Rom. 11. v. 25.

Secus Chrysost. & alij, resurrectionem credidisse existimant.

Hæc sub breuitate, fratres charissimi, de Euangelicâ lectione transcurrimus: nunc restat, vt

de ipsâ tantæ solénitatis nobilitate aliquid loquamur. Hanc enim rectè oobilitatem solennitatis dicam, quia solennitates cæteras antecedit. Sicut enim io sacro eloquio Sãcta sanctorum, vel Cantica cãnticotum pro sui magnitudine dicuntur: ita hæc festiuitas rectè dici potest solennitas solenniratum. Ex hac quippe solenoitate exemplum nobis resurrectionis datum est, spes cœlestis patriæ aperta, & facta supetni tegni iam præsumptibilis gloria. Pet hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferoi claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. Quod ante passiooem dixit, in resurrectione suâ Dominus impleuit: *Si exaltatus fuero à terrâ, omnia trahā ad me.* Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, vtique electa. Neque etenim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit: sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide, & actibus tecognouit. Vnde rectè etiam per Osee dicit: *Ero mors tua, ô mors: ero morsus tuus, inferne.* Id namque quod occidimus, agimus vt peoitùs non sit. Ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinquimus. Quia ergo in electis suis funditùs occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partem abstulit & partem reliquit, non occidit funditùs, sed momotdit infetnum. Ait ergo: *Ero mors tua, ô mors.* Ac si apertè dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua ô mors. *Ero morsus tuus, inferne:* quia sublatis eis te ex parte transfigo.

Pascha, solennitas solennitatum pro sui excellentiâ.

Ioan. 12. v.32.

Tracta à Christo omnia, vt nullos electos apud inferos reliquerit.

Mortis mors, inferni morsus.

Osée.13.v.14.

Quæ est ista ergo solennitas quæ inferni claustra destruxit, & ianuas nobis tegni cœlestis aperuit? Inquitatur subtiliùs nomeo eius: tequiratur egregius prædicator, videamus quid de eius æstimatione anunciet. Ait enim: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Si igitur Pascha Christus, pensandum nobis est quid de Pascha lex loquitur, vt indagemus subtilius an de Christo dicta videantur. Moyses quippe ait: *Sument de sanguine agni, ac ponent super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed assum tantùm igni. Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis: nec remanebit ex eo quicquam vsque mane: Si quid residuum fuerit, igni comburetis.* Vbi & additur: *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus: & comedetis festinantes.* Quæ videlicet cuncta magnam oobis ædificationem pariunt, si fuerint mysticâ interpretatione discussa. Quis namque sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrunque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroque etenim poste agni sanguis est positus, quando sacramentum passionis illius, cùm ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, vt imitari passionem illius necdum velit, in vno poste sanguioem posuit: qui enam in superliminaribus domotum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus pet cogitationem iohabitamus? Cuius domus superliminare est ipsa intentio, quæ præmi-

1. Cor. 5. v. 7.

Exod. 12. v.7.

Ibid. v.11.

Sãguis agni super vtrũque postem, Christi sanguis vtroq; ore haustus.

Superliminare domus.

A Paschate.

net actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem passionis Dominicæ dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit. Vel certè domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousque viuimus, habitamus. Et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis illius in froote portamus. De quo adhuc agno subditur.

Et edent carnes nocte illâ assas igni. In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modò Dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem nostras conscientias oon videmus: quæ tamen carnes igni assandæ sunt, quia nimirum ignis dissoluit carnes, quas aqua coxerit: quas verò ignis sine aquâ excoquit, robotat. Carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis passionis illius resurrectione valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit. Qui enim ex morte cõualuit, videlicet carnes illius ab igne durueruot. Vnde etiam per Psalmistam dicit, *Exaruit velut testa virtus mea.* Quid oamque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed ei ex igne additur, vt solidetur. Virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit. Sed sola Redemptoris nostri percepta sacramenta, ad veram solennitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque & bona opera iungantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei peruersis moribus contraire? Vnde benè adhuc ad comedendum subditur: *Et azymos panes cum lactucis agrestibus.* Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet: qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne peruersè dirripiat, quod quasi rectè dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus Prophetæ voce per increpationem Dominus dicebat: *Venite ad Bethel, & impie agite:* Atque post pauca: *Et sacrificate de fermentato laudem.* De fermentato namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapinâ parat. Lactucæ verò agrestes valdè amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, vt cùm corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis oostris in fletibus affligamus: quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ, abstergat à mentis stomacho peruersæ humorem vitæ. Vbi & subditur.

Eius carnes edendæ assæ tãtùm agni.

Psal. 21. v.16.

Panes azymi, bona opera sine corruptione vanæ gloriæ.

Amos. 4. v. 4.

Ibid. v. 5.

Lactucæ agrestes, fletus pœnitentiæ.

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ. Ecce iam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico tepellunt. Nuoquid, fratres charissimi, Israeliticus ille populus in Ægypto constitutus, comedere agnum crudum consueuerat, vt ei lex dicat: *Non comedetis ex eo crudum quid?* Vbi & additur; *Nec coctum aquâ.* Sed quid aqua, nisi humanam scientiam designat, iuxta hoc quod per Salomonem sub hæreticorũ voce dicitur: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt?* Quid crudæ agni carnes, nisi inconsideratam, ac sine reuerentiâ cogitationis relictam illius humanitatem significant? Omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aquâ cocta: quia Redemptor noster nec purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter Deus incarnari potuit, cogitandus. Omnis enim qui Redemptorem nostrum purum hominem credit, quid iste aliud quàm agni carnes crudas comedit, quas videlicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit? Omnis verò qui incarnationis eius mysteria iuxta

Agni carnes crudæ, humanitas relicta sine consideratione.

Coctę aquâ, eadem per humanam discussa sapientiam.

Prov. 9. v.17.

humanam ſapientiam diſcutere conatur, carnes A agni aquâ vult coquere, id eſt, diſpenſationis eius myſterium per diſſolutam vult ſcientiam penetrare. Qui ergo paſchalis gaudij ſolennitatem celebrare deſiderat, agnum nec aquâ coquat, nec crudum comedat: vt neque per humanam ſapientiam profunditatem incarnationis illius penetrare appetat, neque in eum tanquam in hominem purũ credat: ſed aſſas igni carnes comedat, vt diſpenſari omnia per ſancti Spiritus potentiam ſciat.

Caput vorare cum pedibus, diuinitatem & humanitatẽ credere.
1. *Cor.* 11. *v.* 3.

De quo adhuc rectè ſubiungitur: *Caput cum pedibus & inteſtinis vorabitis*: quia Redemptor noſter eſt α & ω. Deus videlicet ante ſæcula, & B homo in fine ſæculorum. Sicut iam prædiximus fratres, Paulo atteſtante didicimus, quia *caput Chriſti Deus*. Caput ergo agni vorare, eſt diuinitatem illius fide percipere. Pedes verò agni vorare, eſt veſtigia humanitatis eius amando & imitando perquirere. Quid verò ſunt inteſtina, niſi verborum illius occulta & myſtica mandata, quæ tunc voramus, cùm verba vitæ cum auiditate ſumimus? In quo deuorationis verbo, quid aliud quàm pigritiæ noſtræ torpor reprehenditur, qui eius verba atque myſteria & per noſmetipſos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inuiti?

Inteſtina; verborum illius occulta myſteria.

Non remanebit ex eo quicquam vſque mane: C quia eius dicta ſunt magnâ ſolicitudine diſcutiẽda; quatenùs priuſquam dies reſurrectionis appareat, in hac præſentis vitæ nocte omnia illius mandata intelligendo & operando penetrentur. Sed quia valdè eſt difficile, vt omne ſacrum eloquium poſſit intelligi, & omne eius myſterium penetrari, rectè ſubiungitur: *Si quid autem remanſerit, igni comburetis*. Quod ex agno remanet igni comburimus, quando hoc quod de myſterio incarnationis eius intelligere, & penetrare non poſſumus, poteſtati ſancti Spiritus humiliter reſeruamus: vt non ſuperbè quis audeat vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit. Sed D hoc igni tradit, cùm Spiritui ſancto reſeruat. Quia igitur qualiter edendum ſit Paſcha, cognouimus, nunc à qualibus edi debeat agnoſcamus. Sequitur.

Nihil vſque manè remaneat; aut igni comburatur.

Exod. 12. *v.* 11.
Comedentium agnũ affectio.
Pſal. 25. *v.* 2.

Sic autem comedetis illum: *Renes veſtros accingetis*. Quid in renibus, niſi delectatio carnis accipitur? Vnde & Pſalmiſta poſtulat, dicens: *Vre renes meos*. Si enim voluptatem libidinis in renibus eſſe neſciret, eos vri minimè petiſſet. Vnde quia poteſtas diaboli in humano genere maximè per luxuriam præualuit, de illo voce Dominicâ dicitur, *Poteſtas eius in lumbis eius*. Qui ergo Paſcha comedit, habere renes accinctos debet: vt qui ſolennitatem reſurrectionis atque incarnationis agit, corruptioni iam per vitia nulla ſubiaceat, voluptates edomet, carnem à luxuriâ reſtringat. Neque enim cognouit quæ ſit ſolennitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni ſubiacet. Hæc quibuſdam dura ſunt, ſed *anguſta porta eſt quæ ducit ad vitam*: & habemus iam multa exempla continentium. Vndè bene adhuc ſubditur: *Calceamenta habebitis in pedibus*. Quid etenim ſunt pedes noſtri niſi opera? quid verò calceamenta, niſi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ verò ſunt mortua animalia, ex quorum pellibus noſtri muniuntur pedes, niſi antiqui Patres qui nos ad æternam patriam præceſſerunt, quorum dum exempla conſpicimus, noſtri operis pedes munimus? Calceamenta ergo in pedibus habere, eſt mortuorum vitam conſpicere, & noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſtodire. *Tenentes baculos in manibus*. Quid lex per baculos, niſi paſtoralem cuſtodiã deſignat? Et notandum quòd priùs præcipimur renes accingere, poſtmodùm baculos tenere: quia illi debent curam paſtoralem ſuſcipere, qui iam in ſuo corpore ſciunt fluxa luxuriæ domare, vt dum aliis fortia prædicant, ipſi deſiderijs mollibus eneruiter non ſuccumbant. Benè autem ſubditur: *Et comedetis feſtinantes*. Notate chariſſimi fratres, notate quod dicitur; *Feſtinantes*. Mandata Dei, myſteria Redemptoris, cœleſtis patriæ gaudia cum feſtinatione cognoſcite, & præcepta vitæ cum feſtinatione implere curate. Quia enim adhuc hodiè licèt benè agere, ſcimus: vtrum cras liceat, ignoramus. Feſtinantes ergo Paſcha comedite, id eſt, ad ſolennitatem patriæ cœleſtis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patriâ locum perdat. Nemo moras ad apperenda ſtudia innectat, ſed cœpta perficiat, ne minimè liceat implere quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non ſumus, adiuuat ipſe quem amamus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum: Amen.

Accincti renes, ſtudiũ caſtitatis.
Iob. 40. *v.* 11.
Matth. 7. *v.* 14.
Calceamenta in pedibus Patrum exempla.
Baculi in manibus; paſtoralis cura.
Feſtinantes comedant.

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHÆ.

IOAN. XX.



a Hoc in ipſo die reſurrectionis

IN illo tempore: Cùm eſſet [a] ſerò die illo, vnâ ſabbatorum, &

b Voſi corporis vbi erat diuinitas, oſtia clauſa non obſtiterunt, ſicut & natus fuerat de Virgine.

[b] fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter

c Die Dominicâ eiuſdem reſurrectionis.

metum Iudæorum: [c] venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit

d Vbi ad dubitandum corda ſananda vulnerum ſunt ſeruata veſtigia.

eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis [d] manus & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis

e Iteratio, confirmatio eſt. f Dat eis pacem ſuper pacem, ſicut promiſit per Prophetam. g Æqualis eſt Pater Filio, ſed hæc verba mediatoris ſunt. Ille miſit me, ego vos. h Id eſt, ad paſſiones, etſi [illegible], quaſi ea charitate vos mitto ad mala, quâ Pater me miſit.

[e] iterum: [f] Pax vobis. [g] Sicut miſit me Pater, & ego [h] mitto vos. Hæc cum dixiſſet,

i Insufflatio significauit Spiritum sanctum, non Patris esse solius Spiritum, sed & suum. k Id est, quos dignos remissione iudicaueritis, duabus scilicet clauibus, videlicet potestatis & discretionis.

[i] insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum [k] remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Thomas autem vnus ex discipulis duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti [l] me, Thoma, [m] credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus Christus est Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

l Hominem. m me esse Deum.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Ioan. 21. v. 19. Quinque Domini apparitiones in die ipso Paschæ.

Vm ergo esset. Hoc ipso die resurrectionis factum est, in quo quinquies Iesus apparuit. Primò Mariæ Magdalenæ, secundò eidem cum aliis currenti, nuntiare discipulis volentibus, tertiò Petro, quartò Cleophæ & socio eius, quintò discipulis ianuis clausis prædictis duobus iam reuersis.

V. 20. *Ostendit eis.* Post resurrectionem in corpore suo Dominus duo contraria ostendit, & palpabile eiusdem naturæ vt formet ad fidem, & incorruptibile alterius gloriæ vt inuitet ad præmium.

V. 21. *Dixit ergo eis iterum, Pax.* Pacem offert, qui propter pacem venit: iterat, vt monstret per suum sanguinem esse pacificata quæ in cœlis sunt, & quæ in terrâ.

V. 22. *Accipite Spiritum.* AVG. In terrâ datur Spiritus, vt diligatur proximus: è cœlo datur Spiritus, vt diligatur Deus.

V. 23. *Quorum remiseritis peccata.* Ecce charitas, quæ per Spiritum sanctum infunditur cordibus eorum. Qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum qui non sunt, tenet. Et ideo postquam dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, continuò subiecit: *Quorum remiseritis peccata.*

V. 24. *Thomas autem.* Non casu, sed diuinâ dispositione defuit Thomas, & audita non credidit: vnde palpandum se ei Dominus præbuit, quia eius dubitatione, & factâ sibi probatione, nulli relinquitur iam dubitare.

Thomas Didymus. *Qui dicitur Didymus.* Didymus, id est, geminus, quia dubius: Thomas, id est, abyssus, quia dubitando profundiùs nouit.

V. 28. Thomæ fides. *Respondit.* Videbat, & tangebat hominem: & super hoc Deum credebat iam remotâ dubitatione, & confitebatur quem non videbat.

V. 29. Incertum tetigisse Thomam Dominum. *Quia vidisti.* Non ait tetigisti, sed *vidisti*: quia visus quodammodò generalis sensus est, qui de aliis quatuor dici solet. Forsitan non fuit ausus tangere: sed adspiciendo tantùm, seu etiam tangendo, credit.

Commendata Gentiũ fides. *Beati.* Commendat fidem Gentium: sed præterito vtitur, vt qui quod erat futurum, in suâ prædestinatione nouerat iam factum.

V. 30. *Multa.* Quasi in fine libri concludit, *Multa quidem, & alia fecit, quæ* præ suâ multitudine *non sunt scripta:* hæc autem quæ fecit Iesus, & ante resurrectionem, & pòst dicit, se scripsisse, vt fidem astruat quâ vita habeatur. Deinde tamen narrat quomodò se manifestauit Iesus ad mare Tiberiadis. Et in capturâ piscium commendauit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in vltimâ resurrectione. Ad quod commendandum valet, quòd quasi finis libri interpositus est, vt esset etiam sequuturæ narrationis quasi procemium, quod ei faceret quodammodò eminentiorem locum.

A Paschate.

CATENA AVREA,
in idem Euang.

CHRYS. Audientes discipuli quod Maria annuntiauit, consequens erat vt aut discrederent, aut credentes dolerent, quoniam eos non reputauit dignos suâ visione. Hæc igitur recogitantes, neque per vnam diem dimisit pertransire: sed ex eo quòd sciebant iam suscitatum esse, videre sitientibus & timidis existentibus, *cùm serò factum esset*, ipsis astitit. vnde dicitur: *Cùm ergo serò esset die, &c.* Ioan. 20. v. 19. Hom. 85. in Ioan.

BEO. In hoc infirmitas Apostolorum monstratur, qui foribus clausis intus congregati residerent propter timorem Iudæorum, quorum metu fuerant priùs dispersi. *Venit Iesus, & stetit in medio.* Ideo autem *serò* apparuit, quia consequens erat, tunc maximè eos timidos esse.

THEOPH. Vel quia præstolabatur vt omnes conuenirent. *Ostiis verò clausis*, vt ostendat quia eodem modo resurrexit adiacente lapide super monumentum. In hoc loco.

AVG. in serm. Pasch. Nonnulli autem de hac re ita mouentur, vt penè periclitentur, afferentes contra miracula diuina præiudicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulchro quod pependit in ligno, quomodò per ostia clausa intrare potuit? Si comprehendis modum non est miraculum: vbi deficit ratio, ibi est fidei ædificatio.

AVG. sup. Io. Moli quidem corporis vbi diuinitas erat ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas matris inuiolata permansit. Tract. 121. in Ioan.

CHRYS. Sed mirabile est qualiter phantasma eum non æstimarunt: sed hoc fuit, quia Hom. 85. in Ioan.

mulier præueniens in eis multam fidem operata est. Sed & ipse per visum manifestum se eis ostendit, & voce eorum fluctuantem mentem firmauit. Vnde sequitur: *Et dixit eis: Pax vobis*: Id est, ne tumultuemini. In quo etiam commemorat verbum quod ante crucem dixerat: *Pacem meam do vobis.* Et rursus: *In me pacem habebitis.*

Hom. 26. in Euang. GREG. Et quia ad illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus & latus. Vnde sequitur: *Et cùm hoc dixisset, &c.* Claui enim manus fixerant, lancea latus aperuerat. Ibi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Et quia ante crucem eis dixerat: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*, hoc opere impletur. Vnde sequitur: *Gauisi sunt, &c.* B

AVG. 22. de ciu. Dei. Claritas quâ iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui, in Christi corpore cùm resurrexit ab oculis discipulorum potiùs abscondita fuisse quàm defuisse credenda est: non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi vt posset agnosci.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Vniuersa autem hæc eos ad fidem certissimam inducebant: quia verò prælium inexpugnabile habebant ad Iudæos, rursus eis pacem annuntiat. Vnde sequitur: *Dixit eis ergo iterum: Pax vobis.* C

BED. Iteratio, confirmatio est: siue ideo repetit, quia gemina est virtus charitatis, vel quia ipse est qui fecit vtraque vnum.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Simul quoque demonstrat crucis efficaciam, per quam soluit omnia tristia, & contulit omnia bona: & hoc est pax. Mulieribus autem suprà annuntiatum est gaudium, quia in tristitiis illud genus erat, & hanc suscepit maledictionem, dicente Domino: *In dolore paries.* Quia ergo vniuersa prohibentia sunt destructa, & directa sunt omnia de reliquo, subdit, *Sicut misit me Pater, &c.*

Hom. 26. in Euang. GREG. Pater quidem Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Itaque dicitur: *Sicut misit me Pater, &c.* Id est, eâ charitate vos diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. D

Tract. 121. in Euang. AVG. Æqualem autem Patri Filium nouimus, sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit, dicendo. *Ille me, & ego vos.*

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Sic igitur eleuauit eorum animum, & ab his quæ facta sunt, & à dignitate mittentis: & non adhuc deprecatio ad Patrem fit, sed suâ auctoritate dat eis virtutem. Vnde sequitur:

Libr. 4. c. 20. Quid flatus Domini datus Spiritum sanctum. *Hæc cùm dixisset, insufflauit eis, & dixit, Accipite Spiritum sanctum.*

AVG. 4. de Tri. Flatus ergo ille corporeus substantia Spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus diceret alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, & alium quem post ascensionem suam misit.

Hom. 26. in Euang. GREG. Cur autem priùs in terrâ discipulis datur, postmodum de cœlo mittitur, nisi quòd duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei & dilectio proximi? In terrâ datur Spiritus, A vt diligatur proximus: ex cœlo datur Spiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus est Spiritus & duo data, priùs à consistente Domino in terrâ: postmodum datur ex cœlo, quia proximi amore discitur qualiter præueniri debeat ad amorem Dei.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Quidam autem dicunt quoniam non Spiritum dedit, sed aptos eos ad susceptionem Spiritus per insufflationem instruxit. Si enim Angelum videns Daniel excessum mentis passus est, quid ineffabilem illam gratiam suscipientes passi essent nisi discipulos suos primitùs instruxisset? Nequaquam autem quis peccabit dicens, tunc suscepisse eos quandam potestatem spiritualis gratiæ, non vt mortuos suscitent & miracula faciant, sed vt dimittant peccata: vnde sequitur, *Quorum remiseritis, &c.*

Tract. 121. in Ioan. AVG. Ecclesiæ charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit: eorum autem qui non sunt eius participes, tenet. Ideo postquam dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, continuò de peccatorum remissione & retentione subiecit.

Hom. 26. in Euang. GREG. Sciendum verò est quòd hi qui priùs Spiritum sanctum habuerunt, vt ipsi innocentes viuerent, & in prædicatione quibusdam prodessent: idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, vt prodesse non paucis, sed pluribus possent. Libet ergo intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solùm de seipsis securi fiunt, sed etiam principatum superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam verò relaxent: Horum nunc in Ecclesiâ Episcopi locum tenent, & soluendi ac ligandi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ.

Hom. 85. in Ioan. CHRYS. Sacerdos enim etsi propriam benè dispensauerit vitam, aliorum verò non cùm diligentiâ curam habuerit, cum perniciosis in gehennam vadit. Scientes igitur periculi magnitudinem multam tribuite eis deuotionem, & etiam si non valde nobiles fuerint; non autem iustum est ab his qui in principatu subijciuntur, iudicari, & si vita eorum fuerit valde detractabilis, in nullo lædens in his quæ sunt eis commissa à Deo. Non enim Sacerdos, sed neque Angelus aut Archangelus operari aliquid potest in his quæ sunt data à Deo. Sed Pater & Filius & Spiritus sanctus omnia dispensant. Sacerdos autem suam linguam & manum tribuit. Non enim iustum esset, propter alterius malitiam circa symbola nostræ salutis lædi eos, qui ad fidem veniunt. Omnibus autem discipulis congregatis solus Thomas deficiebat à dispersione quæ iam facta erat: vnde dicitur, *Thomas autem vnus ex duodecim, &c.* Honor sacerdotalis. E

ALCV. Didymus Græcè, Latinè geminus, propter dubium cor in credendo: Thomas abyssus, quia altitudinem diuinitatis certâ fide penetrauit.

Hom. 26. in Euang. GREG. Non autem casu gestum est, vt electus ille discipulus tunc deesset. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus dubitans dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis.

Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ in fide solidatur.

BED. Quæri autem potest quare hîc Euangelista tunc Thomam defuisse dicat: cùm Lucas scribat quòd duo discipuli euntes in Emaus reuersi in Hierusalem, inuenerunt vndecim congregatos: sed datur intelligi quoddam fuisse interuallum quo ad horam Thomas egressus sit, & Iesus veniens in medio eorum steterit.

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Sicut autem simpliciter & qualitercunque credere facilitatis est, ita multum inuestigare est crassissimæ mentis: propter hoc Thomas accusatur. Apostolis enim dicentibus *quoniam vidimus Dominum* non credidit, non tantùm illis discredens, quantum rem putans impossibilem esse: vnde sequitur, *Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum: Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum & mittam digitum meum in locum clauorum.* Alijs enim crassior existens, eam quæ est per sensum crassissimum, scilicet tactum, quærebat fidem: & neque oculis credebat: vnde non sufficit eum dicere: *Nisi videro*, sed addidit: *Et misero digitum &c. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, &c.*

V. 26.

CHRYS. Considera Dominatoris clementiam, qualiter & pro vnâ animâ ostendit seipsum vulnera habentem, & accedit vt saluet vnum: & nimirum discipuli annuntiantes digni erant fide, & ipse promittens. Sed tamen quia solus Thomas quæsiuit; neque hoc eum priuauit Christus: non autem statim ei apparet, sed post dies octo, vt in medio à discipulis admonitus accendatur in maius desiderium, & fidelior fieret in futurum: vnde dicitur, *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clau.*

Hom. 86. in Ioan.

Christi clementia.

AUG. In ser. pas. Quæris à me, & dicis: Si per ostia clausa intrauit, vbi est corporis modus? & ego respondeo: Si super mare ambulauit, vbi est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tanquam Dominus: nunquid igitur quia resurrexit, destitit esse Dominus?

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Astat itaque Iesus, & non expectabat à Thomâ interrogari: sed vt ostendat quoniam cùm loquebatur ad condiscipulos, aderat: eisdem verbis vsus est. Et primò quidem increpat vel impropetat: vnde sequitur: *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum &c.* secundò autem erudit, dicens: *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Vide quoniam infidelitatis erat ambiguitas, antequam Spiritum sanctum acciperent, postea autem non, sed firmi erant de reliquo. Dignum autem est quærere qualiter corpus incorruptibile typos habebat clauorum, sed ne tumultueris: condescensionis enim erat, vt discerent quoniam ipse erat qui crucifixus fuerat.

Libr. 2. c. 8. t. 9.

AUG. de symb. Posset autem si vellet de corpore suscitato & clarificato omnem maculam cuiuslibet cicatricis abstergere, sed sciebat quare cicatrices in suo corpore reseruaret. Sicut enim demonstrauit Thomæ non credenti nisi tangeret & videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua, non quòd eis dicat, sicut Thomæ: *Quia vidisti, credidisti*: sed vt conuincens eos veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnosci-

Christi stigmatum ratio.

A Paschate.

ris latus quod pupugistis, quoniam per vos & propter vos apertum est: nec tamen intrare voluistis.

Libr. 22. c. 20.

AUG. 22. de ciu. Dei. Nescio autem quomodò etiam sic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore, non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris in resurrectione erunt mortuorum, quibus dictum est: *Capillus capitis vestri non peribit.* Sed si hoc decebit in illo nouo sæculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illâ immortali carne cernantur, vbi membra vt præsciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed eisdem membris redditis, non perditis apparebunt. Quamuis igitur omnia quæ acciderant corpori vitia tunc non erunt, non sunt tamen appellanda vitia, sed virtutis indicia.

Cicatrices non defuturæ in Martyrum corporibus gloriosis.

Hom. 26. in Euang.

GREG. in hom. Palpandam autem carnem Dominus præbuit, quam clausis ianuis introduxit: quâ in re duo mira, & iuxta humanam rationem valde sibi contraria ostendit: dum post resurrectionem corpus suum incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur: & incorruptibilem ergo se & palpabilem demonstrauit, vt profectò post resurrectionem esse ostenderetur corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ.

Lib. 14. super illud Iob 19. *Rursum circumdabor pelle.* c. 29. in nouis exempl. 31. in ant.

GREG. 13. Moral. Corpus etiam nostrum in illâ resurrectionis gloriâ erit quidem subtile per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ: non autem sicut Eutychius scripsit, impalpabile, & ventis aëréque subtilius.

Tract. 121. in Ioan.

AUGUST. Videbat autem Thomas tangebátque hominem, & confitebatur Deum quem non videbat neque tangebat: sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud iam remotâ dubitatione credebat: vnde sequitur, *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, &c.*

In hoc loco.

THEOPH. Qui priùs infidelis fuerat, post lateris tactum optimum se theologum ostendit. Nam duplicem naturam vnicamque hypostasim Christi edisseruit: dicendo enim, *Dominus meus*, humanam naturam: dicendo verò, *Deus meus*, diuinam confessus est; & vnum & eundem Deum & Dominum. Sequitur: *Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, credidisti.*

Tract. 121. in Ioan.

AUG. Non ait, tetigisti me, sed, *vidisti me*, quoniam generalis quodammodò est sensus visus: nam & per quatuor alios sensus nominari solet, velut cùm dicimus, Audi, & vide quàm benè sonet; olfac, & vide quàm benè oleat; gusta, & vide quàm benè sapiat; tange, & vide quàm benè caleat: vnde & hîc Dominus cùm dicit, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*; quid aliud ait, quàm tange & vide? nec tamen ille oculos habebat in digito: ergo siue intuendo, siue etiam tangendo hoc ait, *Quia vidisti me, credidisti*: quamuis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cùm se offerret ille tangendum.

Sensus visus generalis.

Hom. 26. in Euan.

GREG. Sed cùm Apostolus dicat, *Fides est substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium*, profectò liquet, quia quæ apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, cùm palpauit, cur ei

dicitur? *Quia vidisti me, credidisti.* Sed aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, & Deum confessus est. Lætificat autem valde quod sequitur: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* In quâ sententiâ nos specialiter significati sumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus, si tamen fidem nostram operibus sequimur. Ille enim verè credit, qui exercet operando quod credit.

Tract. 121. in Ioan.

AVG. Præteriti autem temporis vsus est verbis, tanquam ille qui id quod erat futurum, in suâ nouerat prædestinatione iam factum.

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Cùm ergo aliquis nunc dixerit, Vtinam in temporibus illis fuissem, & vidissem Christum miracula facientem, excogitet, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

In hoc loco.

THEOPH. Exprimit autem & hinc discipulos, qui nec plagas clauorum, nec latus palpantes crediderunt.

Hom. 86. in Ioan.

CHRYS. Quia verò Ioannes pauciora alijs Euangelistis dixerat, subiungitur: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc:* sed nec alij omnia dixerunt, sed quæ erant sufficientia attrahere ad fidem audientes. Mihi autem videtur hîc dicere ea quæ post resurrectionem sunt signa, & ideo dicit in conspectu discipulorum suorum, cùm quibus solis post resurrectionem conuersatus est: deinde vt discas quoniam non solùm discipulorum gratiâ signa fiebant, induxit: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei*, communiter ad humanam naturam loquens. Et vt ostendat quoniam non illi cui creditur, sed nobisipsis vtile est credere, subdit: *Et vt credentes vitam habeatis in nomine eius*, id est, per Iesum. Ipse autem est vita.

Ex Cord. Cat.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 20. v. 19.

CVm ergo serò esset die illo. APOLLINARII. Ianuis clausis intrò cõparuit potentiâ diuinitatis superatis quæ prohibẽdo essent, præbensque discipulis principium, vt iam non secundum carnem, nec humano more, sed supra quàm ferat carnis natura, Christi virtutem ac potentiam cogitarent. Quòd autem diuiniori modo illis apparere voluerit, exinde patet, quòd & statim, ostensis quæ ad fidem resurrectionis astruendam essent, ac Spiritus donum elargitus, se illis subduxerit. Non enim ista erant humano more cum ijs versantis, & conuescentis, pariterque quiescentis ac incedentis: sed iam humani victus ratione superior, pari etiam ratione, ac sublimiùs incipit adire.

ἀνοσύνας quam vocem nullus Cord. reddens, nihil sensum auctoris reddit.

EVSEBII. Quomodò toties Lucâ ac Ioanne auctoribus apparente Iesu discipulis suis Hierosolymis, ijdem Matthæo ac Marco referentibus, per mulieres in Galilæam abire iubentur, vt ibi eum videant, quasi non eum visuri Hierosolymis? Siquidem vndecim duntaxat Saluatoris discipulos nossent sacra Euangelia, nec sic quidem dicat aliquis deesse rationem, quòd incredulis hactenos mulieribus nuntiantibus discipulis, semel iterumque elanculum Hierosolymis latitantibus, quò eos solaretur, Iesus apparuerit. Nam in Galilæâ non occultè, nec semel, iterumue; nec

ὄντα Cord. negassent credidisse. At quis ferat?

A cùm Iudæorum metu ij clausi essent, sed palam ac liberè diuinitatem suâ prodebat, ac certa eius indicia dabat, *præbens illis seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei: eisque consuescens ac conuescens*, vt Lucas in Actis ait. Et hæc quidem prima solutio est. Quoniam verò inter discipulos quidam eximij erant, atque præcipui numero duodecim, alij verò illis inferiores septuaginta discipulorum implebant chorum, de quibus ait Lucas in Euangelio, *Posthac designauit Dominus & alios septuaginta*: quin & alij plures erant noti Saluatoris, qui & ipsi discipulorum nomine gaudebant; B quibus par non erat vt simul omnibus congregatis post resurrectionem Hierosolymis appareret, meritò Euangelistæ duo Lucas & Ioannes Christum solis vndecim Hierosolymis apparuisse dicunt; alij verò duo non vndecim tantum in Galilæâ, sed simpliciter discipulis omnibus. Plures itaque & diuersæ discipulis visiones factæ sunt à resurrectione, atque hi quidem has, illi illas conscribunt; atque hi alia, alij alia dixisse eum ac fecisse aiunt. Quandoque etiam, cùm eadem ijs narratio incidat, supplet alter quæ alius omisit.

Apparitiones Hierosolymis, & in Galilæa.
Act. 1. v. 3.

Luc. 10. v. 1.
Malè Cord. ἑπτά nec aptè quæ Lucæ verba sunt, *illis septuaginta sese ostendit.*

SEVERI. Illud autem meritò quis quæsiuerit, quonam modò Saluator discipulis pollicitus, tam per Angelos quàm semetipsum, cùm in Galilæam venissent, se illis appariturum, promissionem occupet; C ac quidem narrante Lucâ, eâ ipsâ quâ resurrexit die, Hierosolymis vndecim congregatis, Ioanne verò auctore, tum ipsâ hac, tum & octauâ die apparuerit, *stans in medio, ac dicens, Pax vobis*, seque Thomæ palpandum præbens. Verùm hoc nobis singularis beneuolẽtiæ & amoris abundantiâ cõmendat, non mendacij crimen aliquod habet. Non enim dixit se duntaxat in Galilæâ visum iri: nec verò quòd Hierosolymis apparuerit, idcirco nõ apparuit in Galilæâ, quod esset falsa locutum esse. Sin autẽ tum Hierosolymis, vbi propter metũ Iudæorũ domi se continebant, tali consolatione indigentibus apparuerit, ac deinde in Galilæâ postmodum apparendo, D promissionem suam adimpleuerit, omnem dubio procul accusationem effugit, cùm vtroque beneuolè simul ac verè factum sit. Videtur autem mihi magnam vim habere, quod dictum est à Matthæo de discipulis, vt abirent in Galilæam, & ibi ab eis visum iri. Cùm enim multæ illis essent exhibendæ apparitiones, ad vnam respicit cæteris celebriorem, quam promiserat, vbi nimirum illis in monte appariturus erat. Tunc siquidem ijs accedentibus ac adorantibus, cùm quidam dubitarent, diuinâ quadam auctoritate ait, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terrâ.* Quæ enim naturâ deitatis habebat, hæc accipere dicitur inquantum indulgentiâ factus est homo. Quocirca etiam aiebat, E *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

Matth. 28. v. 10.
Sic & Hieronymus.
V. 18.
Ioan. 17. v. 5

Ostendit eis manus, & latus. AMMON. Hoc est, passionis insignia, ac notas, vt certiores redderet, esse hoc corpus, quod passione sublatum esset, tametsi spiritale euaserat, inque incorruptionem transierat. Idcirco eis ostendit, vt omnem illorum sedaret perturbationem: sic quoque implero quem Dominus sermonem dixerat, *Modicum & videbitis me, & gaudebit cor vestrum.* Pacem dicens, soluit eorum metum. Est quidem Christus ipse pax nostra: cæterùm nos quo-

V. 20.
Matth. 16. v. 2.

que hinc docti sumus vt in sacris conuentibus pa- A cem acclamemus.

V. 21. *Sicut misit me Pater.* AMMONII. Nulla difficultas, tum ob ea quæ gesta sunt, tum ob meam mittentis dignitatem. Id quorsum? Eorum hic erigit animos, remque maximè dignam fide ostendit, siquidem suum eis erat relicturus ministerium. Nec ampliùs interpellat Patrem, sed suâ auctoritate potestatem præbet. Cùm, inquit, crucis munere cuncta sint facta facilia, mitto vos vt faciatis opus quod ego feci.

V. 22. *Accipite Spiritum Sanctum.* INCERTI AVCTORIS. Christus cùm daret Spiritum.
V. 23. *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Hoc solius Dei
Luc. 5. v. 21. virium est. *Quis enim potest dimittere peccata,* B *nisi solus Deus?* Quin & hoc præclarè admodum faciebat. Operæpretium putauit, vt qui iam in se diuinum, ac Dominicum Spiritum haberent, etiam arbitri dimittendorum quorundam peccatorum essent. Dimittunt autem, siue retinent peccata, qui diuino præditi Spiritu sunt, duplici ratione. Aut enim eos, quorum vitæ institutum fidesque probata est, vocant ad Baptismum, aut certè aliquos nondum dignos diuinâ gratiâ arcent. Vel aliâ ratione, Ecclesiæ filios qui peccauerint pœnis mulctant, ac pœnitentibus ignos-
2. Cor. 2. v. 7. cunt. Sicut Paulus, Corinthium qui erat fornicatus, tradidit quidem in interitum carnis, vt C spiritus saluus fieret: at recipit tamen, ne abundantiori obrueretur tristitiâ.

Gen. 2. v. 7. SEVERI. *Insufflauit.* Ipse enim est qui & initio è terrâ puluerem formans hominem, in eius faciem insufflauerat spiraculum vitæ.

THEODORI HERACLEOTÆ. Spiritum vocat gratiam spiritalem, dicendo, *Accipite Spiritum sanctum*, eo quòd spiritales reddat auditores, sicut ipse superiùs dixerat, *Verba quæ locutus sum*
Ioan. 6. v. 64. *vobis, spiritus & vita sunt.* Siquidem igitur verba quæ ipse locutus esset spiritum vocat, id est, spiritalia; quumodò non potiori ratione tantum donum Spiritum pari nomine appellauerit?

AMMONII. Spiritale eis donum dedit absol- D uendi peccata, ac condemnandi. Sunt qui dicant, idoneos reddidisse ad suscipiendum Spiritum, quo post ascensionem impartiendi erant: quocirca non dixit, Accepistis Spiritum sanctum, sed, *Accipite.* At dici potest, eos modò donum accepisse remittendi peccata; post Pentecosten verò, mortuos suscitandi, ac si qua sunt perfectiora. Quòd insufflando Spiritum dedit, ostendit sibi consubstantialem esse, nec à se extraneum, ac per ipsum eum à Patre procedere. Corroborauit ille ad ea facienda quæ Deo placita essent, & vt mysterij Christi virtutem pernoscerent. Spiraculum naturam innouauit, ac quo an- E te præuaricationem Adamus imaginis cultu præditus esset, restituit. Dixit se missurum, vt certiores essent, fore vt definito tempore in omnes veniret.

V. 24. Impartitus Thomas & absens Apostolicâ gratiâ. *Thomas autem.* AMMONII. Etsi erat absens Thomas, Spiritus tamen gratiam per insufflationem accepit: quippe quam Dominus effunderet in vniuersum Apostolorum chorum.

V. 25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum.* ORIGENIS. Videtur Thomas accurati quidpiam ac exquisiti habere, vt etiam ex eius colligi verbis potest: eáque locutum existimem, non quòd fidem detraheret, dicentibus se Dominum vidisse, sed quòd timeret ne fortè phantasma esset, atque illius meminisset, *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum.* Quod ipsum etiam Matth. 24. v. 5.
Thomæ error aliorum etiam discipulorum. reliquis Apostolis euenisse puto, sed præcipuè Thomæ. Quòd enim etiam alij simile quid cogitauerint, cùm Iesum vidissent, liquet ex eo quod scriptum est. *Quia putabant phantasma esse: Respondetque, & ait illis, Palpate me, &* Luc. 24. v. 36. *videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.*

SEVERI. Commodùm dubitando, ac Deum incarnatum tangendo, eos qui phantasiâ factum hominem reputant, perditionis filios ostendisti, ac bipartitæ hæresis cultores confixisti, vnum διφυῆ [illegible] eundemque agnoscens ex Deo Deum propter nos immutabiliter factum hominem, quem tecum adorantes, dicimus, Tibi gloria Dominus meus & Deus meus.

hæretico fortisan spiritu, non Nestorium, sed Patres pungit Chalcedonenses: cùm illi duplicem ponentes naturam, ac Christum διφυῆ dicentes, non alterum atque alterum Seuerianorum calumniâ, sed vnum Dominum Deumque incarnatum cum Thomâ profiterentur. Sit hic modulus Ecclesiastici officij.

Infer digitum tuum huc. SEVERI. Operosâ V. 27. Apostoli incredulitate, ac curioso attactu, nos in fide confirmati sumus, credentes Emmanuelem ipso quo passus est corpore, reiectis inanis spectri fabulis, suscitatum esse.

AMMONII. Supra modum Thomas operosè curiosus, quòd rem impossibilem existimaret, re- C prehenditur. Quamobrem non solùm dixit, Nisi videro: verùm etiam, *Nisi palpauero*, ne fortè phantasma sit, id quod videtur. Audito quidem ex discipulis lanceâ confossum esse, fidem adhibuit, etsi non vidisset; at resurrectionem, vt quæ rationem excederet, minimè credidit. Nec tam verò ex incredulitate, quàm ex dolore dixit, quòd & ipse visioni interesse non meruerit. Certâ autem consilij ratione Thomas non credidit, vt omnes per eum intelligeremus id ipsum quod cruci affixum fuerat, corpus resurrexisse. Quærendo enim videre carnis cicatrices, hoc quærebat, num ipsa caro resurrexisset.

EPIPHANII. Ingressus verò ianuis clausis, ac D Thomæ contrectatus, ne inane spectrum, non veritas videretur; quem Thomas credidit, impleto in illo quod ita dictum est, *Manibus meis Deum exquisiui, & non sum deceptus;* Deus Psal. 76. v. 3. idem, ac idem homo, non confusionem operatus, sed duobus in vnum contemperatis, qui non ipse in nihilum cesserit, sed terrenum corpus in vnam virtutem Deitate corroborauerit, vnus Dominus Iesus Christus, non duo Christi, non duo dij.

AMMONII. Ostendit sibi inesse cicatrices, permittitque illi vt se tangat. Sic enim indulgentiâ quadam se Thomæ conspicuum fecit, tametsi E corpus eius omnis esset crassitiei expers, atque agile redditum, quò scilicet ipsum esse quod cruci affixum fuerat, corpus omninò suaderetur. Quòd verò Thomæ verbis vsus est, ostendit etiam se præsentem, cùm hæc Thomas loqueretur. Verùm ne quæ incredulitati reliqua esset ratio, quemadmodum petiuit Thomas videre, ita monstrauit. Nedum verò Thomam, sed & Angelos nescientes carnis dispensationem, atque Isai 63. v. 1. dicentes, *Quis est iste qui venit de Edom?* Ac Zach 13. rursus. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum* v. 6. *tuarum*, vt doceat, ait, *His plagatus sum in domo charissimi mei.*

SEVERI. Tua, inquit, incredulitas fidei patens extitit. Illâ itaque relictâ, hanc amplectere.

Luc.11.v.9. Memor siquidem sum meorum promissorum, cùm dixi, *Pulsate, & aperietur vobis.* Palam pulsasti, sed tibi aperui, ipso ambitiosiùs opere implens quod quæsijsti. *Affer* enim *digitum huc, & vide manus meas*, memineri$s$que Adami manus, quam non cohibuit Dei præceptum, quominùs vetitum ligni fructum acciperet, ob quam ego manus meas clauis terebrandas dedi. *Afferque manum tuam, & mitte in latus meum*, atque animo ad Euam recurre, ex viri latere excisam; quæ virum suum seductionis serpentis adhibuerit socium, cuius gratiâ militis lanceâ latus percussus sum: nec id quouis modo, sed voluntariâ iam functus passione, vt planè ostenderem, qui mortem, costâ, ac latere primùm olim vigentem hebetarim, & ante resurrectionem ex ipso mortuo haud secus ac viuente, salutarem aquæ ac sanguinis fontem eduxerim, ac mortis initium immortalitatis mysterium fecerim.

AMMONII. Exprobrat illi, quòd neque discipulis crediderit, neque suæ prædictioni fidem habuerit. Quasi dicat, Cùm vix tactui credas, tange manu, & noli esse incredulus.

SANCTI ATHANASII ARchiepiscopi Alexandrini, *Oratio in Sanctum Pascha, & in recens baptizatos, Sabbato in Albis.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

In Regio Codice inscripta habetur, In nouam Dominicam, vt & in Seguieriano, in quo tribuitur Basilio Seleuciæ.

Gaudium à Dominicâ Resurrectione.

CHristus resurgens ex mortuis, vniuersam hominum vitam, festum vnum ac ingens fecit. Terrestrium namque hominum vitæ rationes in cœlos transferens, vberem dierum festorum materiam suppeditauit. Horum testis verborum Paulus, cuius lingua Dominicorum verborum organum fuit, cùm sic ait: *Nostra enim* *Phil.3.v.20.* *conuersatio in cœlis est; vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* Quis enim Christum expectans, non spe erectus festum agat? Quis secum animo Saluatoris aduentum reputans, non ipsum iam rerum experi- D mentum gaudio occupet? Quis verò mortalis Regis regressum in proximo audiens, mentem non excitet, speque roboratus oblectet animum, spectaculi tempus desiderio præuertens? Tunc communis populi commotio est: tripudiant pueri; puellæ choros ducunt; senes, spe vegeti, senectutis onus abijcere nituntur; proque fausto Regis aduentu, festæ lucis lætitia vniuersa peruadit. Quid ergo Christi Regis immortalis aduentu operæpretium sit, non eò venientis, vt nouo vrbes splendore augeat, ac extruat arces, vel vt dona, quæ tempore obsolescant, tribuat: sed vt hominum genus immortalitatem induat; E mortalesque, quos mors deprædata esset, inuiolabili tutâque cœli regione constituat.

Hodiè iterum Christus à resurrectione, Discipulis apparuit suscitatus à mortuis, secundâ apparitione certiùs astruens fidem resurrectionis. Apparuit autem clausis ianuis: qui enim inferni portas ostendisset inualidas, nihil portis ad ingressum opus habebat. Nam vbi iubet Deus, otiosæ sunt consuetudinis leges. Antè iam, fluido *Matth.14. v.25.* elemento humanis substrato gressibus, mare calcauerat, fluctûsque mensus passibus, soli instar A concretum æquor ad itineris vsum durauerat. *Intrauit*, inquit, *Iesus, clausis ianuis.* Atqui cùm, *Ioan. 20. v. 26.* cùm resurrexisset, reuolutus est sepulchri lapis, ac aperta ianua monumenti? Enimuerò illic significabatur, hoc ipsum inuisibili ratione accidisse inferno, quod acciderat visibili sepulchro: iamque monumento aperto, nullo antrum ostio, ac apertum mors palam ostendebatur. Debuit enim vnà cum inferno sepulchrum denudari, rerumque oculis subiectarum typo, eisdem res non subiectæ traduci. Hîc autem intrat ianuis clausis, vt qui haud satis resurrectionem credebant, ipso ingressu obstupescentes, ex miraculo velut manuducerentur in miraculi fidem. Christus itaque resurgens, antè se mulieribus quàm B discipulis videndum præbuit: mulieresque, Christi resurrectionem annuntiauerunt Apostolis: atque id meritò: sic enim in contrarium vertebatur illata Euæ à diabolo iniuria. Vnde enim mors venerat, inde medela procedit: vnde mors cœperat, inde resurrectio illucescit. Mulier tum transgressionis auctor, tum præco resurrectionis. Quæ primum Adamũ in lapsum induxisset, eadem ipsa secundo resurgenti testis accedit. Post hæc itaque etiam discipulis vili inclusis domunculâ, ac timore contractis, Christus se videndum præbuit, ad eos ingressus clausis ianuis.

Ratio aperti monumenti in Resurrectione.

Vt suscitatus Dominus primùm apparuerit mulieribus.

Thomas autem non habens sermoni fidem cùm ijs quæ accidissent præsentiâ defuisset, adspectandi desiderio, auditum auertebat: obtura- C bat aures, cupiens aperire oculos: vulnerabatur desiderio, feriente ipsâ Collegarum voce. *Nisi mittam digitum meum in fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Insatiabili desiderio amoris affectus Thomas, tanquam fidem non habens, incredulitatem prætendit, vt adspectu fruatur. Suâ, inquit, apparitione, meam incredulitatem soluet. Mittam digitum meum in fixuras clauorum. Dominum contrectabo, cuius desiderio teneor. Reprehendat incredulitatem, modò tantùm adspectum concedat. Videam vt incredulus, atque vt fidelis amplectar, ac fruar. Videam perfossas manûs, per quas Adæ manûs ad transgressionem extensæ, sanatæ sunt. Videam latus, per quod mors ex latere progressa, sublata est. Spectator, non auditor tantùm Domini esse volo. Maiorem in modum ex narratione, desiderio accendor. Per ea, quæ fausta annuntiatis, dolorem meum augetis. Medebor dolori, asciscens incredulitatem.

Thomæ excusata incredulitas, ac desiderium enarratum.

Ecce verò iterum adest Dominus, pariterque Discipulum à mœrore ac incredulitate absoluit. Imò, non tam incredulitatem sustulit, quàm desiderium impleuit. Affuit iterum clausis ianuis, incredibilique cõspectu, non creditæ resurrectioni fidem astruit: ac miraculum denuò congeminat, vt certam Thomæ faciat persuasionem. *Infer*, inquit, *digitum in fixuram clauorum.* Quem quærebas absentem, eo nunc fruere. Noui tuum etiam tacentis desiderium. Antequam verbum edas, noui quid animus velit. Audiui verba tua, tametsi non etiam conspicuus oculis. Tametsi non apparebam, aderam non credenti. Tempus incredulitati concessi, vt tuum illud admirarer desiderium. *Mitte digitum tuum in fixuras clauorum; & mitte manum tuam in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.*

Thomas porrò vbi contrectans incredulitatem depulisset, sincerâ fide, diuinoque incensus de-

siderio, in ea prorumpit verba: *Dominus meus,* A *& Deus meus*: Christus verò ad eum: *Quia vidisti me, credidisti? Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Resurrectionem meam, ô Thoma, ijs prædica, qui non viderunt. Attrahe terrarum orbem, non oculis, sed sermonibus credentem. Circumeas Barbarorum gentes & oppida; doceas eos loco armorum, crucis loricâ indui. Prædica tantùm, & adorantes credent; non mei abs te flagitabunt conspectum. Indica vocationem, ac vide fidem: *Beati*, enim reuerâ, *qui non viderunt, & crediderunt.* Huiusmodi est recens coactus iste Domini exercitus; partus spiritalis lauacri; gratiæ opera; cultura Spiritûs: *Ij*, non videntes obedierunt, sed desiderantes crediderunt: Non corporis, sed fidei oculis Chri- B stum cognouerunt: Non miserunt digitos in fixuras clauorum, sed Cruci cohærescentes, passionem amplexi sunt. Non fuerunt Dominici lateris spectatores, sed per gratiam Dominicis membris sunt coniuncti, apud se retinentes Domini vocem illam: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Qui non viderunt, & Christo adhæserunt.

In recens baptizatos.

Hodie exuitis vestem quam gestatis; ne verò signaculum occultum deponatis: exuitis externa symbola; militiæ insignia nolite deponere. Deponis vestem, ô Christi miles, at fidei armis denudari caue. Nunc tibi maximè armaturâ opus est. Nunc enim multò magis quàm antè aduersarius aduersum te vigilat. Quandiu captiuus & C seruus hostis eras, qui teneret mancipatum, haud magnopere oppugnare curabat: nunc verò quoniam in Christi sortem translatus es, ac deserto hoste ad Domini castra transfugisti: lupoque relicto, ouili es aggregatus, ad pristinum quasi venarum mille fraudes excogitans redit. Ad hunc nos Paulus conflictum instruens, ducis instar præit, ac præcepta suppeditat: *Non est iam nobis*, inquit, *colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum sæculi huius; contra spiritualia nequitiæ*: Vides hostilem cuneum, ac ardentem pugnam? Cuius ergo gratiâ bellum hoc D geritur? Quænam pugnæ sunt præmia? idem ipse dux subiungit, dicens: *In cœlestibus.* Hoc est; pro bonis cœlestibus. Pro immortalitate consequendâ armaris; pro immutabilitate bellum sustines; vt Christi fruaris præsentiâ, confligis. Hæc cœlestia bona sunt; his te ille spoliare studet. Ne verò timueris: haud te Christus pugnantem, præsidio nudatum relinquit: sed armis Spiritûs vndique protegit. Et vide, quæso, quàm horum armorum splendor, hostibus existat terribilis: sic enim ait: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis; super omnia assumentes scutum fidei, in* E *quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis accipite; & gladium spiritûs, quod est verbum Dei.* Aduersus inuisibiles hostes, inuisibilibus nos armis instruxit. Et hæc quidem ac tanta armorum vis: Vt autem incumbat bellum, quanquam non appareat, hac ratione perspexeris. Qui enim neque Christum tentare diabolus detrectarit, sed extremâ impudentiâ, ipsum quoque Dominum contrà aggressus sit, quomodò ab struendis tibi insidijs cessabit? Vidit Christum baptizatum; Obserues hanc temporis occasionem, ô recens baptizate: tumque

Vestis candidæ à Baptismo depositio.

Durius certamen à Baptismo.

Eph. 6. v. 12.

Eph. 6. v. 14.

Domini tentatio à Baptismo.

ad tentandum excitatus processit. Vidit in deserto esurientem, famemque vt tentationis instrumentum ac adminiculum arripiens, ne ipsum quidem cibi necessarium vsum, ab insidijs liberum permisit: quin accedens aggressus est, aitque, *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*: vix non ita dicens: Siene Filij Dei nomenclaturâ efferris? deceptus es nomine: nudo abs te titulo gloriaris. Esurientem video, Deique Filium appellabo? Illegitimus honor passione arguitur: miraculo necessitatem cura: lapides iubenti obtemperent, sumque ipse appellationi fidem habiturus. Reuereantur illi mandatum, & ego miraculo consentiam: præcipientis audiant vocem, & honoris approbator accedam. Enimuerò Scripturæ verbis confixus est: *Non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Cæterùm confusus ille priori luctâ, secundâ rursus vice tentat: *Mitte*, inquit, *te deorsum; scriptum est enim, quia Angelis suis mandabit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Sed contra ipse rursus audiuit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Verùm nec secundâ hac plagâ elanguit, sed tertiam adhuc adhibet machinam, spe victoriæ impellens in ruinam. *Hæc* enim, inquit, *omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Vides machinamentorum truculentiam? Vides fraudis apparatum? Sed forsitan tria duntaxat tentationum genera esse existimabis, ipsius numeri secutus speciem. Enimuerò tentationum genus omne, tribus his continetur: neque enim destitisset tentare, nisi totam priùs pharetram sagittis vacuasset. Cunctas siquidem à voluptatum illecebris machinas, per cibi cupiditatem admouit, obiectu vno, cognatis appetitionibus ad motum pulsatis. Dicendo autem, *Mitte te deorsum*, nullum non lapidem prouocandæ arrogantiæ mouit. Istud verò, *Hæc omnia tibi dabo*, pessimam peccatorum radicem auaritiam, in medium produxit. Omne enim peccatorum genus ex vnâ harum radice pullulat; nec vllum apud homines peccatum locum habet, quod non ex istis procedat. Aut enim illud, voluptate vulnerat, vel honoris ambitu ferit, aut diuitiarum amore ad iniquitatem trahit. Nudatus ergo telis, ferire desijt; ipsumque nobis Christus machinamentis nudum inermemque, cuspidibus eius retusis, constituit. Palam faciens eius dolos, victoriæ nobis expositum fecit.

Math. 4. v. 3.

Deut. 8. v. 3.

*Psal. 90. v. 11.

Deut. 6. v. 16

Triplici Dominicâ tentatione, tentatio omnis comprehensa.

Dominicis ergo certaminibus, lucri ipsi accessione vincamus. Pugnante Domino, nostra nos trophæa erigamus. Ne inquinemus fidei tunicam, quam gratia contexuit. Ne donum spreueris, quod à Deo accepisti. Cogita quis dederit, & datum custodi. Si margaritæ aut purpuræ regiæ fuisses constitutus custos, nonne ad ipsam vsque mortem fidelem te depositarium præberes? Verùm nunc, non margarita tantùm: neque purpura, aut de regiâ quidpiam suppellectili, sed ipsum Domini corpus, curæ fideique tuæ commissum est. Immò, quid commissum dico? Ipse factus es Dominicum corpus: membrum factus es Christi: Induisti Christum iuxta illàm Apostoli vocem: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Caue ne membrorum Christi proditor fias. Factus es Spiritûs sancti habitaculum, ac eius membrum qui regnat in cœlis. Dominum ergo virtutibus honoremus; temperantiam omni studio sectemur; misericordiam promptè exerceamus: eleemosynam nobis

Morale.

Christiani, Domini ipsum corpus.

Eph. 3. v. 27.

1. Cor. 6. v. 19.

asciscamus: incredulitaris excutiamus venenum: A fraudem diabolo amicam auersemur: mendacium aduersarij organum odio habeamus. Imitemur beatum Paulum, qui mox accepto baptismo eum prædicauit, quem necdum suscepto, persequebatur. Imitemur Ennuchum illum Æthiopem, qui baptismum in viâ consecutus, via ipse credentibus Æthiopibus euasit. Multiplicemus gratiæ talentum, vt vocem illam desideratissimam audiamus Domini dicentis: *Euge serue bone & fidelis; super pauca fuisti fidelis; supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

Gal. 1. v. 13. &c.

Act. 8. v. 26. Eunuchus Æthiopum doctor.

Matth. 25. v. 23.

S. GREGORII NAZIANZENI *in nouam Dominicam; id est, in Octauam Paschæ.*

IACOBO BILLIO Interprete.

Sic dicta Græcis, quod in eâ resurrectionis encænia celebrentur: vel quod figura octauæ resurrectionis, quâ erunt omnia noua.

DE Encænijs honorandis lex vetus est, eáque præclarè constituta; vel potiùs de rebus nouis per Encænia honore complectendis: idque non semel, verùm sæpiùs: nimirum qua- C libet anni conuersione diem eundem aduehente: ne alioqui res pulchræ progressu temporis euanescant, atque obliuionis gurgite obscuratæ dilabantur. Innouantur quidem ad Deum insulæ, quemadmodum apud Esaiam legimus, quæcunque tandem illæ insulæ existimandæ sunt: vt autem ipse opinor Gentium Ecclesiæ recens constitutæ, atque ex falsâ & amarâ infidelitate emergentes, ac firmitatem accipientes Dei incessibus aptam & congruentem. Innouatur etiam apud alium Prophetam murus æreus; hoc est, ni fallor, anima firma & ænea, receosque ad pietatem compacta. Adhæc canticum nouum Domino canere iubemur, tam qui in Babylonem ac prauâ confusione à peccato pertracti, ac deinde in Hierusalem incolumes reuersi sumus, atque illic qui- D dem, vt in terrâ alienâ, canticum diuinum minimè canere poteramus, hîc autem nouam cantionem vitæque rationem instituimus: quàm qui in virtute perstitimus, nouosque subinde in eâ progressus fecimus, innouatorisque Spiritus ope atque auxilio, virtutis muneribus partim iam functi sumus, partim fungimur. Tum etiam Testimonij Arca innouatur, & quidem magnificis sumptibus, quam Deus ostendit, & Beseleel confecit, & Moses fixit. Iam regnum quoque Dauid innouatum est, neque id semel, sed priùs cùm vngeretur, postea cùm Rex salutaretur. Facta sunt Encænia Hierosolymis, & hyems erat, nimirum infidelitatis; & Iesus aderat: Deus & tem- E plum; Deus, inquam, tempore omni antiquior, & templum nouum, vno eodemque die solutum, ac tertio pòst die excitatum, atque in sæcula manens, vt ipse salutem consequar, atque à veteri lapsu reuocer, ac per huiusmodi beneficium instauratus, noua creatura efficiar. Quin diuinus quoque Dauid cor mundum in se creari, ac Spiritum rectum in visceribus innouari postulat: non quòd non habeat (quis enim habere possit, si tantus vir eo careat?) sed quòd pro nouo id ducat, quod nunc quotidiè accrescit.

5. Mach. 4. v. 59.

Isai. 41. v. 1.

Neh. 12. v. 27.

Malè χωνευτόν. Bill. *aurea.*

Psal. 95. v. 1. &c.

Psal. 136. v. 4.

1. Par. 16. v. 1.

2. Reg. 16. v. 13.

2. Reg. 5. v. 1.

Ioan. 10. v. 22.

Hyems infidelitatis.

Psal. 50. v. 12.

Sed quid mihi plura Encænia colligere necesse A est, cùm præsentia declarare promptum sit, eaque, quæ hodierno die, vitæ post mortem adiuncti, celebramus? Encænia, Encænia, hoc festum est, fratres. Identidem enim hoc verbum præ voluptate repetatur. Quænam autem hæc sint, qui scitis, docete: qui nescitis, auribus innuuemini. Lumen vnum & inaccessibile, ac successioni minimè obnoxium, Deus, nec principium habens, nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, atque eiusmodi, vt paucis, immò ne paucis quidem, perspicua sit ipsius magnitudo. Secunda autem lumina, primique Luminis radij, Virtutes ipsum circunstantes, atque administri Spiritus. At nostrum hoc lumen B non modò sæpius ortum habuit, sed etiam nocte scinditur, noctemque vicissim æquis partibus secat, oculis concreditum, ac per aërem fusum, atque id, quod dat, accipiens. Nam oculis cernendi facultatem præbet, & primùm ab oculis cernitur, rebusque ijs quæ sub aspectum cadunt, circumfusum, claritatem affert.

Encænia Paschæ resurrectionis.

Deus lumen primum.

Angeli, secunda lumina.

Nam cùm Deus hunc ex inuisibilibus & inuisibilibus rebus constantem mundum; hunc, inquam, magnum & admirabilem maiestatis suæ præconem fingere ac construere voluisset, æternis quidem nullum aliud lumen quàm seipsum C præbuit. Quid enim secundo lumine opus ijs erat, qui maximum habebant? inferioribus autem atque humanis primam huius luminis vim protulit: (conueniebat quippe magno Lumini, opificium suum à lumine auspicari) quo tenebras, desormemque illam rerum congeriem & confusionem omnia occupantem, soluit ac depulit. Nec verò id organicum à principio, nec, meâ quidem sententiâ, solare protulit, verùm incorporeum & Solis expers: sed postea ad orbem terrarum illustrandum Soli traditum est. Nam cùm in alijs rebus hunc ordinem tenuisset, vt materiam priùs conderet, ac deinde formâ eam conuestiret, ordine videlicet, ac figurâ, magnitudineque vnicuique rei impositis: hîc, vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, D formam materiâ priorem protulit: (forma enim Solis, lumen est) ac postea materiam induxit; Solem hunc nimirum, diei oculum, fabricatus. Itaque procreato lumine primum quiddam inter dies numeratur, & secundum, & tertium, ac sic deinceps vsque ad septimum diem & cessationem operibus afferentem, quibus ea, quæ creata sunt, diuiduntur & distinguuntur, arcanis rationibus ordinata & constituta, nec conferum in rerum naturam ab omnipotenti illo Verbo producta; cuius sola etiam cogitatio, vel solus sermo confectum opus repræsentat. Quòd si postremus homo creatus est, idque cùm Dei manu atque imagine ornatus sit, nemini mirum videri debet. Construendum enim priùs, tanquam Regi, pala- E tium erat, atque ita Rex introducendus, omni iam suo satellitio stipatus.

μυστηρίων Billius, *libertatem.* At visum nimis κατ' ἀνάγκην.

Lux primo die condita.

Solis forma, id est, lux, condita ante Solem.

Sol, diei oculus.

Homo vt vniuersorum Rex, postremus conditus.

Quòd si, quod eramus, permansissemus, ac præcepto paruissemus, effecti vtique fuissemus, quod nun eramus, atque ad lignum vitæ post scientiæ lignum accessissemus, atque immortales effecti, Deo propiùs adiuncti fuissemus. Quoniam autem inuidiâ diaboli mors in mundum intrauit, hominemque per fraudem illexit ac circumuenit, idcircò Christus passione nostrâ patitur, nimirum homo factus, eoque paupertatis sese deijcit, vt caro compingatur, quò nos eius

Creatus homo non immortalis, sed qui immortalitatem nãcisci posset.

paupertate

paupertate ditemur. Hinc mors, & sepultura, A & resurrectio. Hinc noua creatura, & festum festo succedens, ac rursus ego festum diem agito, salutis meæ Encænia celebrans.

Encæniorum prima Dominica.

Quid igitur dixerit quispiam, nonne prima Dominica Encænium erat; ea, inquam, quæ sacrosanctam illam noctem, & luminum gestationem excepit? Quid igitur hodiernæ Dominicæ hoc tribuis: ô festorum amans, & permultas animi alacritates commiscens? Respondeo Illa salutifera erat; hæc salutis natale: illa sepulturæ & resurrectionis confinium erat; hæc secundæ omninò regenerationis est: vt quemadmodum prima creatio initium à Dominicâ die accepit (id quod ex eo perspicuè liquet, quòd septimus ab eâ dies sabbatum efficitur, quod ab operibus re- B quiem affert) sic etiam rursus secunda ab eadem Dominicâ incipiat; vt quæ prima sit eorum, quæ ipsum sequuntur. atque octaua ab ijs diebus, qui antè fluxerunt, sublimi vtique sublimior. & admirabili admirabilior. Ad supernæ siquidē vitæ statum spectat. Quam etiam mihi diuinus ille Salomoo designasse videtur, cùm præscriberet, vt partem septem daremus, id est, huic vitæ; atque etiam octo; hoc est, futuro æuo. Id porrò fiet, si & hic honestis actionibus incubuerimus, & in altero sæculo velut in integrum restituri fuerimus. Quin magnus etiam ille Dauid eidem diei Psalmos de Octauâ accinere videtur, quem- C admodum & huic Encæniorum diei Psalmum alium nuncupat, innouationem quandam domus nominans. Quæ quidem domus ipsi sumus, qui Dei templum & esse, & dici, atque adeò fieri, digni habiti sumus.

Noua Dominica sublimi sublimior.
Eccl. 11. v. 2.
Psal. 6. v. 1. & 1
Psal. 29. v. 8.

Encæniorum celebratio nouum hominem induētibus.
Gen. 3. v. 6.

Encæniorum rationem haberis. At vos innouamini, ac deposito veteri homine in nouitate vitæ rationes vestras instituite, omnibus rebus, ex quibus mors oritur, frenum injicientes; omnia membra coërcentes, prauam omnem ligni manducationem detestantes, aut etiam euomentes, atque ab id solùm vetera memoriâ tenentes, vt ea fugiatis. Pulcher erat ad aspectum, & bonus ad esum fructus ille, qui mihi mortem in- D tulit: proinde colorum nitorem fugiamus, ad nos ipsos oculos conuertamus. Caue ne te pulchræ atque eximiæ formæ cupiditas superet; ac ne ad leuem quidem, si fieri potest, fortuitumque conruitum palpebræ te transuersum agant: quod quidem assequêris, si Euam tibi animo præposueris, dulcem illam illecebram, charum venenum. Quonam enim modo huic facilè aliena saluti erit, quem sua perdidit? Ne dulcedine perfundantur fauces tuæ, in quas voluitur quicquid porrigitur: & quod antequam accipiatur in pretio est, idem acceptum vilescit & contemnitur. Odoratus te effœminauit? odorum suauitates fuge. Tactu emollitus es? lenitate omni ac mollitiei nuntium remitte. Auditus in errorem induxit? fraudulentis & curiosis ac superuacaneis sermonibus ostium claude. Verbo Dei os tuum aperi, vt Spiritum attrahas, non autem vt mortem haurias Cùm quidpiam eorum, quæ interdicta sunt, te illicit, in mentem tibi veniat, quinam eras, & vnde pertieris. Si vel tantillum à ratione deflexeris, ad teipsum redi, priusquam penitus excidas & in mortem proruas; atque ex veteri nouus efficere, animæque Encænium celebra. Ita tibi aduersus serpentem solùm existat, ob quem excidisti. Cupiditas omnis ad Deum tendatur, non ad aliud quicquam insidiosum ac periculosum. Ratio omnibus præsit: neque id quod excellentius est, ab inferiori deorsum trahatur. Fratrem tuum, & quidem immerentem odio ne habeas, pro quo Christus mortuus est; ac frater tuus effectus, cùm Deus ac Dominus esset. Rectè & ex virtute aliquid gerenti, ne inuideas, qui ex inuidiâ laborasti, atque animum induxisti, vt tibi inuideri crederes, eamque ob causam corruisti. Lacrymam ne asperneris, qui multis lacrymis digna perpessus es, ac postea misericordiam consecutus es. Pauperem ne repellas, qui deitatis opes accepisti: Sin minùs, at certè in pauperis detrimentum ne ditescas. Nam id quoque ad hominibus inexplebili cupiditate correptis impetrare, permultum est. Peregrinum ne contemnas, pro quo Christus, cuius nos omnes hospites & aduenæ sumus, peregrinatus est: ne paradiso, vt priùs remouearis. Egenti tectum, vestem, cibum impertias, qui in his deliciaris etiam vltra necessitatem. Diuitias ne ames, nisi pauperibus opem ferant. Remitte, cùm tibi remissum sit: miserere, cùm misericordiam consecutus sis: benignitate, dum licet, benignitatem compara: cura, vt omnis vita tua, omnis vitæ ratio innouetur. Quæ sub iugo estis, Deo quoque nonnihil date: præoccupatæ enim estis: Virgines, omnia Deo offerte solutæ quippe estis. Seruam voluptatem ne suffuremini, libertatem fugientes, ex eo quòd cum illis habitetis, qui C viri quidem non sunt, sed tamen viri sunt. Vt quispiam assiduis voluptatis monimentis prematur, haud sustineo Eam quoque consuetudinem, quæ per [illegible] contrahitur, odi & detestor. Proceres, potentiorem timete: qui sublimibus solijs insidetis, sublimiorem. Ne quid admireris, quod non permaneat: ne contemnas, quod certum & stabile sit: ne quicquam arctiùs constringas, quod, cùm manibus tenetur, effluit. Ne quid ex ijs, quæ non in inuidiâ, sed in odio sunt, expetas: ne magnopere te efferas, vt ne profundiùs deijciaris. Ne animos hinc attollas, quòd malis præstantior appareas; verùm id tibi molestiam pariat, D quòd à probis supereris. Proximi tui lapsum ne ride: verùm tu, quàm poteris tutissimè transi, atque interim humi iacenti manum porrige. Nec cùm mœrore afficeris, secundarum rerum spem abijce; nec, cùm prosperis rebus frueris, mœrorem. Annus vnus quatuor partes vehit, atque vnicum temporis momentum multas rerum mutationes. Fac, vt & solicitudo voluptatem, & spes melior tristitiam reprimat.

Gen. 3. v. 4.
Isai. 58. v. 7.
1. *Cor.* 7. v. 34.
Aspectus scilicet impudicos.
Eccl. 11. v. 17.
Simile.

Sic innouatur homo: sic Encæniorum dies celebratur, huiusmodi delicijs, huiusmodi epulis. *Non apparebis*, inquit, *in conspectu meo vacuus* sed si quid pulchri habes, tecum feres. At nunc diuerso modo nouus appare; sic nempe, vt totus immuteris. *Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.* Huic festo muneris loco præclaram E mutationem offer; ac ne sic quidem magnificè de te sentias, verum dic cum Dauide, *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, à quo promanat, quicquid ab hominibus rectè & cum laude geritur. Nec verò eò hæc oratio pertinet, vt eodem semper statu maneas, sed vt perpetuo ac laudabili motu agiteris, ac noua prorsus creatura sis: quod quidē assequeris, si vel in peccatum lapsus, ad bonam frugē te referas, vel cùm ex virtute aliquid geris, cursum adurgeas. Heri ad temporis arbitrium fidem tuam accommodabas: hodie Dei fidem cognosce. Quousque vtroque poplite claudicabis? Quo-

Exod. 23. v. 15.
Deut. 16. v. 16.
2. *Cor.* 5. v. 17.
Psal. 76. v. 11.
Magnifica gratiæ Dei confessio.
Fides ex temporis vsu, ac ac-

vſque diſpenſatione vtêris? Aliquando tandem A ædificeare in animum inducito. Heri alicuius pretij haberi, magni ducebas: hodie reipsâ eſſe plusis facito. Quem ad finem inſomnia? Sit quoque tibi aliquando ſtudio veritas. Heri ſpectaculorum ſtudio flagrabas? hodie contemplationis ſtudioſum te præbe. Heri conuiciator & petulans eras: hodie benedicentiæ & manſuetudini ſtude. Heri comeſſator eras: hodie grauitatis & temperantiæ magiſter. Hodie temulentus: cras abſtemius. Hodie in lectis eburneis laſciuiens, ac primarijs vnguentis delibutus: cras humum pro lecto habens, atque inſomnem noctem ducens; pro ſcurrâ & faceto, cogitabundus; pro ornato, B & veſtium elegantiam nimiùm ambitiosè conſectante, ſordidus; pro ſuperbo & arrogante, vilis, quantum ad ea quæ oculis cernuntur: pro loquearibus aureis anguſtè habitans; pro ſublimi ac ceruicem attollente, humi vultum demittens. Hoc ſi animo fueris, atque ita feceris, cœlum tibi nouum erit & terra noua; nimirum vt alia, ita horum etiam rationem intelligenti.

Iſai 66. v. 22.

Sed iam ad temporis quoque feſtum, vt par eſt, celebrandum nos conferamus. Commodùm enim omnia ad hoc feſtum concurrunt, ſimulque lætantur. Vide enim qualia ſunt, quæ oculis offeruntur: princeps anni pars principi dierum pōpam peragit: ac quidquid pulcherrimum ac ſuauiſſimum habet, dono dat. Nunc cœlum ſplen- C didius, nunc ſol ſublimior magiſque aureus, nunc lunæ orbis clarior, & ſiderum chorus purior. Nunc, & fluctus cum litoribus, & nubes cum ſole, & venti cum aëre, & terra cum ſtirpibus, & ſtirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc fontes limpidiùs fluunt, nunc flumina vberiùs, nimirum hybernis vinculis ſoluta. Nunc & pratum ſuauiter olet, & planta viret, & herba detondetur, & in virentibus aruis agni ſaltitant. Nunc nauis cum celeuſmatis, iiſque vt plurimum religioſis & pietatis plenis, è portu ſoluit, velóque tanquam pennis cingitur, ac per gyrum aſſultat delphinus, iocundiſſimum quiddam inſufflans, ſe- D ſeque in altum euehens, vectores lætos atque hilares proſequitur. Nunc aratrum agricola compingit, oculos in altum tollens, frugumque datorem inuocans, boui aratori iugum innectit, dulcemque ſulcum proſcindit, ac ſpes lætas fouet. Nunc paſtor & bubulcus fiſtulas aptant, ac paſtorale carmen inſpirant, atque in arboribus & petris Veris amœnitate fruuntur. Nunc plantarum cultor plantam curat, & auceps calamos cōſtruit; & ramos ſuſpectat, ac pennam auium ſtudioſè explorat. Nunc piſcator profundum aquæ proſpicit, ac rete ſuum repurgat, & petris inſidet. Nunc ſedulæ apes, ſolutis pennis & relictis alucaribus ſapientiæ ſuæ documentum præbent, atque ad pra- E ta conuolant, floreſque decipiunt, ac partim cellulas elaborant, ſexangulas & inter ſe oppoſitas fiſtulas attexentes, rectaſque angularibus alternantes, non minus ad operis elegantiam, quàm ad ſecuritatem: partim mel in horrea recondunt, atque hoſpiti ſuo dulcem fructum & inaratum proferunt; quemadmodum vtinam nos quoque qui Chriſti apiarium ſumus, ac tale partim ſapientiæ, partim induſtriæ & laboris exemplum accepimus. Iam auis nidum conſtruit, atque alia quidem redit, alia immigrat, alia circumuolat, ac nemus cantu ſuo implet, hominemque garritu demulcet. Omnia Deum laudant, & vocibus mutis concelebrant. Propter omnia enim gratiæ Deo per me habentur: atque illa illorum laudatio mea efficitur, nimirum à quibus ego laudis argumentum capio. Nunc quidem omne animantium genus ridet, atque omnibus ſenſibus paſcimur. Nunc etiam ſuperbus equus, & iubam arrigens, ſtabulum faſtidit, ac perfractis vinculis per campos laſciuus fertur, atque in fluminibus geſtit, ſeſeque oſtentat.

Veris deſcriptio: aſſectatur Andreas Cretenſis in Georgio.

Pulchre Aſterius in Martyrem Phocam.

Delphinus.

Apum ſapientia.

Nos Chriſti apiarium.

Quid cætera commemorem? Nunc Martyres ſub dio populum retinent, ac pompam agunt, ſplendidiſque ſedibus piam plebem & Chriſti amātem conuocant, ac certamina ſua in publicum proponunt. Quo è numero vnus quoque eſt meus ille laureatus (meus enim, etſi non apud me; faceſſat inuidia, ſcientibus loquor) Mamas ille in- B ſignis, & paſtor & Martyr; qui priùs quidem ceruas mulgebat, ad ſanctum virum nouo & inuſitato lacte alendum certatim properantes, nunc autem Metropolis plebem paſcit, hodieque multis hominum millibus vndecunque accurrentibus ver innouat, tum ob virtutis pulchritudines varium, & paſtoribus dignum, tum ob ſermones triumphales. Atque vt paucioribus adhuc verbis complectar, nunc Ver mundanum, Ver ſpiritale, Ver animis, Ver corporibus, Ver viſibile, Ver inuiſibile: quo vtinam in altero æuo participes efficiamur, præclarè in hac vitâ mutati, ac noui ad nouam vitam tranſmittamur, in C Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria, imperium, honor cum Spiritu ſancto ad gloriam Dei Patris: Amen.

Nempe Cæſaream, in cuius ſuburbio ad ſancti Mamantis Martyrium habita hæc oratio.

SANCTI IOANNIS CHRYſoſtomi Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang.

HOMIL. I.

AT cùm veriſimile eſſet diſcipulos hæc audientes, vel non credere mulieri, vel ſi crederent, ægre ferre, quòd ipſi quoque eum videre digni non fuerint habiti, quamuis in Galilæâ D ſe eis apparíturum pollicitus eſſet: ne igitur propterea ægrè ferrent, ne diem quidem remoratus eſt: ſed eo deſiderium trahens, & quòd iam ſcirent reſurrexiſſe, & quòd à muliere audierant, & videre deſiderantibus, & timentibus, quod etiam deſiderium augebat, veſpere illius diei magnâ cum admiratione adſtitit. Et cur hac horâ? Quoniam credibile erat eos magis formidare. Sed id mirandum eſt, quòd phantaſma eum non ſint ſuſpicati. Clauſis enim foribus, & repentè eſt ingreſſus: ſed profectò à Mariâ præmoniti, fidem confirmarant: prætereà clarâ & manſuetâ ſpecie ſe eis obtulit. Die autem non venit, vt omnes congregarentur, valde enim timebant: nec o- E ſtium pulſauit, ſed repentè adſtitit. *Et oſtendit latus & manus:* ſimul autem & voce fluctuantem animum confirmauit, inquiens; *Pax vobis:* hoc eſt, nolite perturbari: & verbi ante paſſionem ad eos habiti meminit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et item: *In me pacem habete, in mundo tribulationem habebitis.*

Ex Hom. 85. in Ioan. 20. v. 19.

Veſpere apparet Dominus, cùm maior timor incumberet.

V. 20. Pacem dat diſcipulis.

Ioan. 14. v. 27.

Ioan. 16. v. 33.

Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino. Vides te ſermonem Domini confirmari? Quod enim ante paſſionem dixerat: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis;* hoc nunc impleuit. Per hæc autem omnia in certiſſimam eos fidem adduxit. Nam cùm bellum implacabile cùm Iudæis haberent,

Ioan. 16. v. 22.

Pacis imprecatio, vt consoletur. Rom. 1. v. 7. & c.

pacem subinde eis dicit, vt parem bello consola- A tionem afferat. Hoc verbum primum post resurrectionem dixit, ideo Paulus semper, *Gratia*, inquit, *& pax*. Mulieribus outem gaudium annuntiat, eò quòd fœminarum sexus tn tristitijs erat, primamque hanc maledictionem acceperat. Conuenienter itaque viris propter bellum, pacem; mulieribus verò propter tristitias, gaudium annuntiat. Porrò vbi dissoluit omnes molestias, crucis præclara facta adiungit: hæc autem erant pax: Ex quo igitur, inquit, omnia sublata sunt impedimenta, & trophæum clarissimum statui, omniaque confecta sunt: Inde, inquit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Nullum habetis impedimentum, & propter ea quæ iam facta sunt, & propter meam vos mittentis dignitatem. Qua- B re hoc dicit? Eorum animos erigit, & suam proponit auctoritatem, siquidem suum eis relicturus erat ministerium: nec iam cogat Patrem, sed suâ eis auctoritate potestatem præbet.

Erigit discipulorum animos, eos auctoritate mittens.

V. 22.

Insufflauit enim, & dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, &c. Quemadmodum enim Rex præfectos mitteos, vt io carcerem reos intrudant, & vt liberent, potestatem præbet: ita Iesus discipulos dimittens, hac munit auctoritate. Qnomodò ergo inquit: *Nisi ego abiero, ille non veniet:* atqui nunc Spiritum dat? Quidam dicunt non dedisse Spiritum, sed idoneos ad eum accipiendum per insufflationem reddidisse. Nam si Daniel viso Angelo perterritus est, quid illis arcanam illam gra- C tiam accipiendo vsu venisset, nisi priùs eos Iesus præparasset? Ideo inquiunt; Non dixit, accepistis, sed, *Accipite Spiritum sanctum.* Non tameo quispiam erraret, si tunc eos potestatem quaodam & gratiam spiritalem accepisse diceret, non tamen vt mortuos suscitareot, & virtutes ostenderent, sed vt peccata dimitterent: differeutes enim sunt gratiæ Spiritus, quare addidit; *Quorumcunque remiseritis peccata, remissa sunt:* ostendens, quod virtutis genus largiatur. Post quinquagiuta autem dies, signorum operationem acceperunt, ideo inquit: *Accipietis virtutem venientis in vos Spiritus sancti, & eritis mihi testes:* per signa scilicet. Est enim inenarrabilis Spiritus gratia, & multiplex D donum. Hoc autem fit, vt intelligas Patris, & Spiritus sancti vnum donum, & vnam esse potestatem: quæ enim Patris propria, eadem & Filij esse, & Spiritus sancti videntur. Quomodò ergo: *Nemo venit ad Filium*, inquit, *nisi Pater traxerit eum?* Sed hoc Filij esse ostenditur. *Ego enim*, inquit, *sum via: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Vide & hoc idem Spiritus esse: *Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu sancto.* Et iterum Apostolos aliquando à Patre, aliquando à Filio, aliquando à Spiritu sancto datos Ecclesiæ: & diuisiones gratiarum Patris & Filij, & Spiritus videmus esse communes.

Ioan. 16. v. 7.

Dani. 8. v. 17.

Præparati Apostoli ad accipiendum Spir. sanctum, Christi in eos insufflatione iuxta aliquos.

Verius accepisse donum remittendi peccata; vt in Pentecoste, operationem signorum.

Act. 1. v. 8.

Trium personarum vnum donum, & potestas.

Ioan. 6. v. 44.

Ioan. 14. v. 6.

1. Cor 12. v. 3.

Luc. 11. v. 49.

Eph. 4. v. 11.

Act. 20. v. 28.

Omnia ergo faciamus, vt Spiritum sanctum habere possimus: & qui eius gratiam assecuti sunt, eos quantauis reuerentiâ colamus. Magna enim dignitas Sacerdotum. *Quorumcunque remiseritis*, inquit, *remissa sunt peccata.* Quamobrem Paulus dicebat: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*, vt maximum illis honorem habeatis. Tu enim rem tuam curas, quam si benè ordinaris, nulla tibi alia sollicitudo impendet. Sacerdos si suam vitam benè dis-

Magna Sacerdotum dignitas, vt & peccata dimittant. Hebr. 13. v. 17.

A Paschate.

A posuerit, tuam autem non diligenter curauerit, cum impijs in gehennam detrudetur: & nonnunquam non proprijs actionibus, sed nostris damnatur, nisi omnia quæ ad se spectant, efficiat. Cùm igitur periculi magnitudinem videatis, multâ eos beneuolentiâ prosequamini: quod & Paulus significauit, dicens: *Ipsi peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri:* idcirco maximè colendi sunt. Quòd si eis insultabitis, neque vestra benè disponetis. Quum ad enim bono & læto animo est gubernator, etiam nautæ securi sunt: sin inuisus his esse cœperit & molestè ferre, neque iidem vigilare, neque artem exercere poterit; volensque nolens innumeris eos malis inferet: ita & Sacerdos si B debitum à nobis cultum sibi præstari viderit, rectè nos gubernare poterit: si afficietis mœrore manus eius debilitantes, simul vobiscum fluctibus, etiam si maximi animi sit, expositum facietis. Intellige quid de Iudæis inquit Christus: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis, facite.* Nunc non est dicendum: Super cathedram Moysi, sed, super cathedram Christi sederunt Sacerdotes. Eius enim acceperunt doctrinam. Quare Paulus inquit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Christo exhortante per nos.* Nónne videtis sæculi principibus omnes subesse, & sæpe genere, vitâ, & prudentiâ potioribus deteriores præponi? Nihilominus principis qui eos præ- C posuit reuerentiâ, nihil quales illi sint, cogitant. Quòd si homo aliquem constituerit, tantus subit metus; si Deus quem constituit, despicimus, maledicimus, innumeris afficimus contumelijs: & cùm fratres nostros iudicare prohibeamur, contrà Sacerdotes linguam acuimus. Quanam hæc digna excusatione, cùm in oculo nostro trabem non videmus, festucam in proximi oculo acriùs censemus? Nescis grauius te tibi iudicium præscribere, cùm ita alium iudicas?

Sacerdos de alienis peccatis rationẽ redditurus.

Ibidem.

Vide quanta reuerentia sit adhibenda Sacerdotibus.

Matth. 23. v. 2.

Super cathedram Christi sedent Sacerdotes.

2. Cor. 5. v. 20.

Simile.

Ne malis quidem Sacerdotibus obloquendum.

Matth. 7. v. 1.

Luc. 6. v. 37.

Hæc dico, non quòd indignos ad sacerdotium assumi probem, sed miserescens & lacrymans. Non enim propterea à subditis iudicandi sunt, etiam si malè & vitiosè viuant. Tu autem, si tibi consules, nihil in his quæ illis à Deo D commissa sunt, damni accipies. Nam si asinum loqui fecit, & per ariolum benedictiones spiritales largitus est & in ore bruto, & linguâ immundâ Balaam, propter offendentes Iudæos operatus est: multò magis propter vos fideles, etiam si praui sint Sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritum sanctum: neque enim qui purus est propter propriam puritatem Spiritum attrahit, sed gratia omnia operatur. *Omnia enim*, inquit, *propter vos, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas.* Quicquid enim concreditum habet Sacerdos, solius Dei donum est: & vbi humana occurrit sapientia, hæc minor gratiâ ap- E paret. Neque hoc dico vt pigriùs viuamus, sed ne pigrè qui vobis præpositi sunt viuentibus, vos his commissi aliquando mala vobis comparetis. Et quid Sacerdotes dico: Neque Angelus, neque Archangelus quicquam in his, quæ à Deo data sunt, efficere potest: sed Pater & Filius & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdus & linguam & manus præbet: neque enim iustum est, vt propter alterius malitiam, qui fide accedunt, quod attinet ad salutis nostræ symbola damno, afficiantur. Quibus omnibus consideratis, & Deum timeamus, & eius Sacerdotes maiorem in mo-

Lutherani vide.

Num. 22. & sequent.

Per malos Sacerdotes Deus omnia perficit, æquè ac per bonos.

1. Cor. 3. v. 22.

Nihil nocet malus minister in Sacramentis.

dum veneremur, vt & pro nostris meritis, oostráque in illos obseruantiâ, à Deo multam accipiamus remunerationem, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum: Amen. A

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

Ex Homil. 80. in Ioan. 20. v. 24.

THomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, &c. Quemadmodum simpliciter & vt contingit credere, facilitatis est: ita præter modum inquirere & inuestigare, crassissimæ mentis: idenque Thomas accusatur. B Dicentibus enim Apostolis, *Vidimus Dominum*, non credidit: non tantùm illis fidem denegans, quantùm rem impossibilem existimans, nempe resurrectionem ex mortuis. Non enim dixit, Non vobis credo, sed, *Nisi mittam digitum in locum clauorum, non credam.* At quomodò alijs omnibus congregatis, ipse solus abfuit? Credibile est ex fugâ nondum rediisse. Tu autem cùm discipulum non credentem videas, considera Domini clementiam, quomodò pro vnâ etiam animâ vulnera se habere ostendit, & vt vnum saluum faceret, apparuit: tametsi ille reliquis esset crassioris ingenij, adeoque ex crassissimo sensuum fidem sibi quæreret, ac nec oculis crederet. C Non enim dixit, Nisi videro: sed, Nisi contrectauero, ne fortè quod videbatur imaginatiu foret. Atqui discipuli ista annuntiantes tunc fide digni erant, atque etiam ipse, qui se resurrecturum pollicitus fuerat. Veruntamen cùm amplius quæreret, neque his eum priuauit Christus. Et quâ gratiâ ei continuò non apparuit, sed post dies octo? Vt interea à discipulis edoctus, iisdem auditis in maius traheretur desiderium, & magis in fide cõfirmaretur. Vnde autem intellexerat latus perforatum? Ex discipulis. Cur alterum credidit, alterum non credidit? Quia hoc longè mirabilius erat. D Et considera quàm vere loquantur discipuli, quomodò neque sua, neque aliorum vitia abscondunt, sed quàm verissimè scribunt.

Thomas tarditate fidei culpandus.

Domini erga illum clementia.

Differt ad dies octo suam apparitionem, vt maius desiderium fiat.

Scriptorũ sacrorum sinceritas.

Adstitit ergo iterum Iesus, neque ab illo rogari expectat, neque quicquam tale audire: sed nihil eo dicente, ipse Iesus primum eius satisfecit desiderio, ostendens se cùm ea discipulis diceret, affuisse: iisdem enim verbis vsus est, & acriùs castigando, & ad futura erudiendo. Nam cùm dixisset ei: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Subiunxit: *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Vides ex incredulitate dubitasse? Verùm id antequàm Spiritum acciperent: eo autem accepto, perfecti euaserunt: E Neque in hoc tantùm reprehendit, sed & in sequentibus. Vbi enim ille certior factus ad se rediit, & dixit, *Dominus meus, & Deus meus;* inquit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc enim fidei est, his assentire quæ non videntur. *Est enim fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Hîc autem non solum discipulos laudat, sed & qui post illos credituri erant. Atqui, inquies, discipuli viderunt & crediderunt. At nihil tale quæsiuerunt, sed ex sudario statim resurrectioni priusquàm corpus intuerentur, verè crediderunt. Cùm ergo quispiam dicit, Vellem illis fuisse temporibus, & Christum miracula facientem vidisse, intelligat beatos qui non viderunt, & crediderunt.

V. 27.

Hebr. 11. v. 1.

Discipuli alij viso tantùm sudario resurrexisse crediderunt.

Dignum autem dubitatione est, quomodò corpus incorruptibile formam clauorum exhiberet, & mortali manu tangi posset: sed hoc te non perturbet: erat enim cuiusdam inclinationis quod fiebat. Corpus enim tam tenue & leue, vt clausis ianuis ingrederetur, omni crassitudine carebat: sed vt resurrectio crederetur talem se exhibuit; & vt ipsum qui crucifixus fuerat esse, ac neminem alium pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis crucis resurrexit, & manducauit: quod resurrectionis signum Apostoli plurimi fecerunt, dicentes: *Qui cum eo manducauimus, & bibimus.* Quemadmodum igitur cùm ante passionem super aquas ambularet, aliud à nostrâ naturâ corpus illud fuisse non dicimus: ita post resurrectionem videntes ipsum signa clauorum habere, non propterea corruptibile dicemus: nam hæc propter discipulum ita ostensa sunt.

Cicatrices in corpore glorioso ex quadam indulgentiâ, ex quâ & palpabile.

Act. 10. v. 41.

Multa & alia signa, inquit, *fecit Iesus.* Nam cùm pauciora hic quàm alij retulisset Euangelista, dicit neque alios omnes omnia narrasse, sed tantùm quæ ad faciendã auditoribus fidem erant necessaria. *Nam si omnia*, inquit, *scriberentur, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Vnde constat non ambitionis, sed tantùm vtilitatis gratiâ scripsisse, siquidem qui plura omiserunt, quomodo ad ambitionem scripserunt? Sed cur non omnia percurrerunt? Maximè propter rerum multitudinem: præterea & illud considerarunt, quòd qui his non crediderit, neque pluribus credet: qui verò hæc acceperit, non indigebit pluribus ad fidem assequendam. Mihi autem hoc in loco de signis post resurrectionem dicere videtur, ideo inquit, *In conspectu discipulorum suorum.* Sicut enim ante resurrectionem multa fieri oportuit, vt Dei Filium esse crederent: ita post resurrectionem, vt resurrexisse crederetur: ideo addidit; *In conspectu discipulorum.* Nam cum his solis post resurrectionem versatus est, propterea dicebat: *Mundus me iam non videt.* Inde vt cognoscas, quòd non discipulorum duntaxat gratiâ hæc fierent, adiecit: *Et vt credentes vitam æternam habeatis in nomine eius;* generaliter ad humanum genus sermonem dirigens: ostendens se non in illius cui creditur, sed in nostri ipsorum gratiam præcipuè loqui. *In nomine eius.* Hoc est, per eum: ipse namque vita est.

V. 30.

Non omnia Christi scripta, sed quæ satis erant ad faciendam fidem.

Signa post resurrectionem coram solis discipulis facta.

Ioan. 14. v. 29.

Negat addidi, quæ malè desiderabatur.

Ioan. 14. v. 6.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
in superius Euang.

HOMIL. I.

Ex Tractat. 121. in Ioan. 20. v. 19.

CVm esset ergo sero die illâ vnâ sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Claui enim manus fixerant, lancea latus eius aperuerat: vbi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia. Moli autem corporis vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit.

Vulnera cur in Christi corpore seruata.

V. 20.

Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Iteratio confirmatio

eſt, ipſe quippe dat per Prophetam promiſſam pacem ſuper pacem.

V. 21. *Sicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos.* Æqualem Patri Filium nouimus, ſed hîc verba mediatoris agnoſcimus. Medium quippe ſe oſtendit dicendo: *Ille me, & ego vos.*

V. 22. *Hæc autem cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum.* Inſufflando ſignificauit Spiritum ſanctum non Patris ſolius eſſe Spiritum, ſed & ſuum.

V. 23. 4. ſent. di. 18. cap. Nec ideo. Rom. 5. v. 5. *Quorum remiſeritis peccata*, inquit, *remittuntur eis. & quorũ retinueritis, retenta ſunt.* Eccleſiæ charitas, *quæ per Spiritum ſanctũ diffunditur in cordibus noſtris*, participum ſuorum peccata dimittit: eorum autem, qui non ſunt eius participes, tenet. Ideo poſteaquam dixit: B *Accipite Spiritum ſanctum:* hoc continuò de peccatorum remiſſione ac detentione ſubiecit.

V. 28. Confitebatur Thomas Deum, quem non videbat. *Reſpondit Thomas & dixit: Dominus meus, & Deus meus.* Videbat tangebátque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat. Sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud iam remotâ dubitatione credebat.

Dicit ei Ieſus, Quia vidiſti me, credidiſti. Non ait tetigiſti me, ſed, *vidiſti me:* quoniam generalis quodammodò ſenſus eſt viſus. Nam & per alios quatuor ſenſus nominari ſolet: velut cùm dicimus. Audi & vide quàm benè ſonet, olfac & vide quàm benè oleat, guſta & vide quàm benè C ſapiat, tange & vide quàm benè caleat. Vbique ſonuit vide, cùm viſus propriè non negetur ad oculos pertinere. Vnde & hîc ipſe Dominus: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas:* quid aliud ait, quàm tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo ſiue intuendo, ſiue etiam tangendo, *Quia vidiſti me*, inquit, *credidiſti.* Quamuis dici poſſit non auſum fuiſſe diſcipulum tangere, cùm ſe offerret ille tangendum: non enim ſcriptum eſt, Et tetigit Thomas: ſed ſiue aſpiciendo tantùm, ſiue etiam tangendo viderit & crediderit, illud quod ſequitur, magis Gentium fidem prædicat atque D commendat, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Præteriti temporis vſus eſt verbis, tanquam ille qui quod erat futurum, in ſuâ nouerat prædeſtinatione iam factum. Sed iam ſermo iſte à prolixitate cohibendus eſt. Donabit Dominus, vt de his quæ reſtant, aliàs diſputemus.

Viſus quodammodò generalis ſenſus.

Non liquet Thomam tetigiſſe.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. II.

Ex Tractat. 122. in Ioa. 20. POſt narrationem rei geſtæ, in quâ Thomas oblatis ſibi tangendis in Chriſti carne vulne- E rum locis, vidit quod credere nolebat, & credidit: interponit hæc Euangeliſta Ioannes, & dicit.

V. 31. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hoc capitulum velut libri huius indicat finem: ſed narratur hîc deinde quemadmodum ſe manifeſtauerit Dominus ad mare Tiberiadis, & in capturâ piſcium commendauerit Eccleſiæ ſacramentum, qualis futura eſt in vltimâ reſurrectione mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quòd tanquam finis interpoſitus eſt libri, quod eſſet etiam ſecuturæ narrationis quaſi pro- A œmium, quod ei quodammodò faceret eminentiorem locum. Al. qui.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. III.

Sermo 159. de temp. in append. 55. Frigidiora hæc, quàm pro Auguſtini verâ.

LEctio Euangelica, fratres chariſſimi, quæ nuper auribus noſtris inſonuit, continet magnum miraculum. Quamuis vbique ſit Dominus, ipſius miraculum continet beneficium, in quo acceperunt diſcipuli Spiritum ſanctum. Miraculum eſt, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus in carne verâ intrauerit ad diſcipulos per oſtia clauſa. Requiris à me forſitan rationem, & B argumentum requiris. Si vera, inquies, caro fuerat quæ reſurrexit, quomodò ipſa clauſis ianuis ad diſcipulos introiuit? Itáne verò, inquies, cuiuſpiam capit auditus, quod non obſeruat opus, & intrare quiſquam limen in corpore potuit? Redde mihi, inquit, rationem.

Auguſt. verba contra Felicianum c. 8. Matth. 14. v. 25. O homo ſi rationem à me poſcis, non erit mirabile. Exemplum quæritur, non erit ſingulare. Credis nempe Dominum Chriſtum ſuper aquas maris firmis greſſibus ambulaſſe? Credis vtique. Dicis igitur mihi, Si per oſtia clauſa Chriſtus intrauit, vbi eſt corporis [modus? Reſpondeo. Si ſuper aquas maris Chriſtus ambulauit vbi eſt cor- C poris] pondus? Recedant paulisper modus & pondus. Ille hæc fecit cui nihil impoſſibile eſt. Chriſtus qui carnem ſuam potuit de ſepulchro producere, non potuit clauſis ianuis ad diſcipulos introire? Quando audis miraculum, ſerua fidem, non inquirat animus rationem. Hinc eſt quòd & Thomas diſcipulus titubauit, nec credidit: ſed enim Dominus poſtea confirmauit. Dixerant enim ei condiſcipuli eius, *Vidimus Dominum.* Ille autem: *Niſi videro*, inquit, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in latus eius, non credam.* Sciebat enim clauis in cruce confixum, ſciebat lanceâ latus D percuſſum. Hæc ſigna quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & latus: & dum curioſus exiſtit in vulnere, mortem incurrerat in fide. O beate Apoſtole, ante oculos tuos Chriſtus Lazarum potuit ſuſcitare, & ipſe non poterat de ſepulchro ſurgere? Quæris loca clauorum, & oblitus es miracula tanta ſignorum? Nónne ante oculos tuos cæcos illuminauit, paralyticos ſanauit, leproſos mundauit? Sic perdidiſti in triduo memoriam Magiſtri, vt potentiæ non crederes Chriſti? Mors Chriſti in carne, vita tua debet eſſe in fide. Vidiſti quidem percutientem lanceâ, ſed diuinam non penetrauit potentiam.

Miraculorum non eſt quærenda ratio, ſed fides. Ioan. 20. v. 25.

Thomas mortuus in fide. Ioan. 11. v. 44.

Mors Chriſti in carne, vita noſtra in fide.

V. 26. E Ecce iterum venit Dominus, ne periret diſcipulus, & dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* O pietas Saluatoris, quæ non dedignatur locum oſtendere cicatricis. *Reſpondit*

V. 28. *Thomas, & dixit: Dominus meus & Deus meus.* Modò eſt Dominus & Deus tuus quia voluit vt videres, ne incredulitate animam perderes. Meritò ad eum Dominus ſic loquitur, *Quia vidi-*

V. 29. *ſti me, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ecce diſcipulus trepidauit, ecce Eccleſia quod non vidit credidit. Beatum meritum noſtrum, fratres, ſi in Eccleſiâ catholicâ teneatur acceptum. Hîc accipitur merces, vbi vera tenetur & cognoſcitur fides. Hanc igitur Eccleſiam

Christus suâ resurrectione constituit, in hac æterna præmia collocauit. Credite, fratres, ille speret requiem, qui non discesserit à radice: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN IDEM

HOMILIA IV.

Serm 160. de temp. Cap. 1. Ioan. 20. v. 19.

AVdiuit charitas vestra, cum sanctum Euangelium legeretur, Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum post resurrectionem suam clausis ostijs introisse ad discipulos suos. Magnum miraculum: sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostijs clausis intrauit. Respondeo tibi, vt scias quia vera caro fuerat, cicatrices tangendas monstrauit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis per ianuam clausam intrare, sic non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intrauit per clausa ostia, responde mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas maris, da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit. Qui quod voluit, dedit; quod proprium erat, sibi seruauit. Ille enim viuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit. Ergo, fratres, admirati credamus, credentes obaudiamus, obaudientes speremus promissa, si facimus iussa: quia vt faciamus iussa, ipse adiuuat à quo speramus promissa.

Magnum miraculum intrasse ianuis clausis.

Math. 14. v. 25.

Luc. 2.

Cap. 2. Octauæ infantium.

Hodiæ octauæ dicuntur infantium, reuelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Habet enim libertatem ista spiritalis natiuitas: propriæ autem carnis natiuitas seruitutem. Duæ sunt vtique hominis natiuitates, nasci & renasci. Nascimur ad laborem, renascimur ad quietem. Nascimur ad miserias, renascimur ad æternam felicitatem. Nam illi pueri, infantes, paruuli lactentes, maternis vberibus inhærentes, & quantum in eos gratiæ referatur nescientes, vt ipsi videtis, quia infantes vocantur, & ipsi habent octauas hodie. Et isti senes, iuuenes, adolescentuli, omnes infantes. Vna quippe illorum infantia pertinet ad vetustatem, altera ad nouitatem. Nam quos videtis recentes à partu, veteres nascuntur. Vetus homo noster dictus est Adam, ex quo nascimur: nouus homo Christus, per quem renascimur. Isti ergo & noui sunt, & renati sunt ad aliam vitam, & est in illis, si dici potest, quando nascuntur, noua vetustas. Ecce miscentur hodie fidelibus infantes nostri, & tanquam de nido volant. Necesse est ergo, vt parturientes eos alloquamur. Sicut enim recolitis, fratres mei, hirundinum vel domesticorum passerum pullos quando volare de nido cœperint, matres cum strepitu circumuolant, & vocibus pijs testantur pericula filiorum.

Natiuitas spiritalis, & carnis.

Omnes Christiani, infantes.

Vetus homo & nouus.

Cap. 3. In Ecclesiâ mali & boni.

Scimus ergo multos, qui appellantur fideles, malè viuere, & gratiæ quam acceperunt, moribus suis non conuenire: laudare Deum linguâ, blasphemare vitâ. Scimus autem alios inter istos multos, tanquam inter multam & abundantem paleam, velut grana gementes in triturâ, sed spe horrei se collocantes. Duo ista genera hominum scimus esse in Ecclesiâ. Aream Dominicam Ecclesiam nouimus, ventilationem in die iudicij speramus, massam frumenti in resurrectione de-

A sideramus, horreum in vitâ æternâ sumere cupimus. Ibi nulla palea erit, sicut in gehennâ nullum granum erit. Nunc ergo, fratres mei, cùm sciamus duo ista genera hominum esse in Ecclesiâ, piorum & impiorum, bonorum & malorum, timentium & contemnentium, quibus coniungantur isti, nescimus. Quid autem velimus, & ipsi sciunt: verum de illis vota nostra compleantur, humana ignorantia solicitudine fatigatur, aliquando & falsis suspicionibus agitatur. Ex his discitur in hac terrâ, vbi sine tentatione non viuitur. Admoneo ergo vos sancta germina, admoneo vos nouellæ in agro Dominico plantæ, ne de vobis dicatur quod de vineâ domus B Israël dictum est, *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem spinas*. Botrum in vobis inueniat, qui botrus pro vobis calcatus est. Vuam ferte, benè viuite. *Fructus* enim *Spiritus est*, sicut dicit Apostolus, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas*. Quando ad nos venerit agricola noster, cuius nos operarij sumus, ille qui intus dat incrementum: nam nos forinsecus plantare nouimus & rigare: sed ait Apostolus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui incrementum dat*, qui modò videt quomodò audiatis, qui modò inspicit quomodò timeatis, aut iam continere incipiatis, cùm ad vos ille agricola venerit, inueniat in vobis quod dixit Aposto- C lus, *Gaudium meum & corona mea*, omnes qui statis in Domino.

Bona opera commendatur.

Isai 5. v. 4.

Gal. 5. v. 22.

Christus noster agricola.

1. Cor. 3. v. 7.

Al. timere.

Phil. 4. v. 1.

Cap. 4. Malorum in Christianis exempla.

Fratres, filij dulcissimi, filij charissimi, imitamini bonos, cauete malos. Scio enim quia venturi sunt ad vos homines mali, & persuasuri vobis vinolentiam, & dicturi sunt vobis, Quare? Nónne & nos sumus fidelissimi? Scio, inde doleo, inde timeo. Iam tu si dixeris constanter: Frater, nec te vellem facere quod facis, sed si te non possum ducere in bonum meum, vel noli me trahere ad malum tuum. Hominibus istis, vt fieri solet, caput dolebit. Dicturus est tibi vicinus tuus, aut vicina, Est hîc incantator, est hîc remediator, & nescio vbi mathematicus. Tu D dicis, Christianus sum, non licet mihi. Et si ille dixerit tibi, Quare? Nónne ego Christianus sum? Tu dicturus es, Sed ego fidelis sum. Et ille tibi, Et ego baptizatus sum. Fiunt angeli diaboli, membra Christi. Quia ipsum possidet inimicus, trahere quærit & alium. Inueniat vos paratos, qui ista vobis præparauit. Ideo loquor, ideo contestor, ideo non taceo, ideo vestimenta mea excutio, ideo in tribunali Dei mei excusatum me habeo. Dicam Deo meo, Domine, non tacui; Domine, talentum quod mihi dedisti non abscondi, sed erogaui. Hoc poterat mihi dicere, Serue nequam, tu dares, ego exigerem. Ecce Domine dedi, tu exige. Et si fortè vos vetus titillauerit consuetudo, habetis quem inter- E pelletis. Maior est adiutor quàm oppugnator. Ideo gemitis, ideo oratis, ideo dicitis, *Ne nos inferas in tentationem*. Obseruate illud etiam, fratres mei, quod supra dicitis, *Dimitte nobis debita nostra*: vt faciatis quod sequitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Eleemosynam facis, eleemosynam accipis. Ignoscis, ignoscetur tibi. Erogas, erogabitur tibi. Deum audi dicentem, *Dimitte, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis*. In mente habete pauperes. Omnibus dico, Facite eleemosynas, fratres mei, facite, & non perdetis. Deum credite. Non so-

Augustini pia solicitudo erudienda plebe suâ.

Math. 25. v. 20.

Math 6. v. 13.

Dimittendæ iniuriæ.

Luc. 6. v. 37

Eleemosynæ erogandæ.

lùm dico vobis, non perditis quod facitis cum pauperibus: sed planè dico vobis, hoc solùm non perditis, cætera perditis. Ecce videamus si exhilaratis pauperes hodie, borrea ipsorum vos estis, vt det vobis Deus vnde detis, & dimittat quòd fortè peccatis. *Includite eleemosynam in cordibus pauperum, & ipsa pro vobis exorabit Dominum*, cui est honor & gloria in sæcula: &c.

Hoc solùm non perdimos, quod damus pauperibus.
Eccl. 29. v. 15.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. V.

Serm. 161. de temp. in append. 56.

Thomæ infidelitas omnium confirmat fidem.

RETinet sanctitas vestra, fratres, superiorem tractatum, in quo scripsimus sanctum Thomam Apostolum ad confirmandam fidem omnium, post resurrectionem Dominici corporis membra palpasse, & ad repellendam ambiguitatem vniuersorum, vulnerum eius cicatrices scrutati voluisse. Non enim propter se tantùm hoc operatus est beatus Apostolus: sed quod sibi gessit, cunctis proficit. Cùm suam enim exercuit solicitudinem, fidem omnium confirmauit. Quis enim ex hoc dubitet redisse à mortuis Saluatorem, cuius post inferos præsentiam agnoscat oculus, attrectet manus, digitus perscrutetur? Quamuis igitur modicæ fidei homo, quamuis imbecillis ingenij Christianus, nunquam solicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset. Nunquam enim post agnitionem ac conuersationem loquelâ ausus esset petere, vt etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo, & in ipso bomine quem cerneret, hominis corpus inquireret, & resurrectionem eius non tam mirabilium gloriâ crederet, quàm passionis iniuriâ comprobaret. Thomas ergo cùm esset sanctus, fidelis, & iustus, hæc omnia solicitè requisiuit: non quòd ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam vidisse quem nouerat, sed nobis operatus est, vt tangeret quem videbat: vt si fortè diceremus delusos esse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari.

Aliena hæc à vero August. nec sacro textui consona, quo Thomas incredulitatis notatur.

Constat enim veritatis ipsius testimonio redisse ab inferis Saluatorem. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidem suam ponat in Domino, vt dum illum credit ab inferis, ipse resurgat à mortuis? Dicit beatus Apostolus, *Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur & mortui: quia resurrexit Dominus, & seruuli reuiniscent. *Ipse enim est*, sicut ait Apostolus, *primogenitus ex mortuis*. Sicut enim est apud superos idem primogenitus in multis fratribus, ita & ab inferis est primogenitus ex defunctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quòd secuturis alijs primus gignitur. Primogenitus ergo Christus vocatur ex mortuis, quòd primum illum ex inferni tenebris in lucem resurrectionis partus ediderit. Partus enim dicendus est, vbi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, vt rediuiuo corporis vsui renascatur. Natiuitas enim resurrectionis apud superos, mors quædam inferorum est. Vnde ipsa mors mortem quodammodò patitur, dum ei inuitæ defunctorum multitudo subtrahitur. Nam sic beatus Apostolus dicit, *Nouissima autem inimica destruetur mors.* Et iterum: *Absorpta est mors in victoriâ.* Cùm ergo absumitur mors in victoriâ, defectionis quadam suæ interitione destruitur. Defectionem autem patitur, cùm potestas eius cunctis resurgentibus vacuatur.

1. Cor. 15. v. 16.

Col. 1. v. 10.
Christus primogenitus ex mortuis.

Resurrectio, natiuitas quædam.

1. Cor. 15. v. 26. & 55.

Videamus autem quid sit quod ait, Mortem in victoriâ esse consumptam. Consumpta est planè mors in victoriâ suâ, dum Christum inferni legibus subijciens, ipsa se, cùm eum vincit, obruit. In eo enim, in quo illum quem se superasse credebat possedit, ab eo victa est, cùm resurrexit. Totam ergo fidem nostram in resurrectionis gloriâ collocare debemus, & in futurâ magis vitâ sperare de Domino. Sic enim ait sanctus Apostolus, *Si in hac vitâ tantùm in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Miser ergo est, qui in hac tantùm vitâ sperat in Domino. Miser planè est, quia citò spes eius subducitur, dum citò hæc breuis vita finitur. Nam spes illius caduca efficitur, dum temporali transitu dulcedinis eius voluptas elabitur. De tali enim spe dicit Apostolus: *Spes autem quæ videtur, non est spes.* In futurâ igitur vitâ speremus in Domino, quæ solida est, atque perpetua, vt non miserabiliores cunctis hominibus, sed meliores esse possimus.

Mors vi absorpta in victoriâ.

1. Cor. 15. v. 19.
Miser est qui in hac tantum vitâ sperat.

Rom. 8. v. 24.

EIVSDEM IN IDEM
Festum.

HOMIL. VI.

Ex lib. 50. Homiliarum Hom. 20.
Cap. 1.

OMnium quidem aures & mentes quos cura nostra complectitur, soliciti pastoris sermo compellat. Veruntamen ad vos propriè nunc dirigitur, quorum recens infantia spiritalis generationis, sacramentorum cunabulis insignitur. Vobis enim maximè per Apostolum Petrum sic diuinum blanditur eloquium. *Depositâ ergo*, inquit, *omni malitiâ, & omni dolo & adulatione & inuidiâ & detractione, tanquam modo nati infantes rationabile, & innocens lac concupiscite: vt in illo crescatis in salutem, si gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Proinde quia gustatis, nos testes sumus: Nos vobis hanc suauitatem nutricis officio ministrauimus. Agite itaque ad sanctæ instar admoniti infantiæ, deponite malitiam, dolum, adulationem & inuidiam & detractionem: hanc innocentiam sic tenere debetis, vt eam crescendo non amittatis. Quid est malitia, nisi nocendi amor? Quid est dolus, nisi aliud agere, & aliud simulare? Quid est adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid est inuidia, nisi odium felicitatis alienæ? Quid est detractio, nisi mordacior quàm veracior reprehẽsio? Malitia malo delectatur alieno: Inuidentia bono cruciatur alieno: Dolus duplicat cor: Adulatio duplicat linguam: Detractio vulnerat famam.

1. Petr. 2. v. 1.

Malitia, dolus, adulatio, inuidia, detractio, ac horum effectus.

Huius autem vestræ innocentiæ sanctitatis, quoniam filia est charitatis, *non gaudet super iniquitate, congaudet autem bonitati. Simplex vt columba, & sic astuta vt serpens*, non studio nocendi, sed nocentem cauendi. Ad hanc vos exhortor. *Talium est enim regnum cælorum*, humilium scilicet: hoc est, spiritaliter paruulorum. Non contemnatis, non abhorreatis. Magnorum est enim ista pusillitas: superbia verò fallax infirmorum est magnitudo: quæ vbi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando euacuat, disten-

Cap. 2.
1. Cor. 13. v. 6.
Matth. 10. v. 16.
Matt. 19. v. 14.

Humilitas, & superbia.

dendo dissipat. Humilis esse non potest nocens, superbus esse non potest innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraciter cogitat, quò non suis viribus, sed alienis ad vitam perueniat. Hæc malum cuiusquam velle non potest, quo nequaquam bonum eius augetur. Porrò autem superbia continuò parit inuidiam. Quis verò sit inuidus, qui non ei malum velit, cuius bono cruciatur? Ergo & inuidia parit consequenter malitiam, vnde procedit & dolus, & adulatio, & detractio, & omne opus malum, quod pati nolis ab alio. Piâ itaque humilitate seruatâ, quæ in Scripturis sanctis sancta probatur infantia, securi eritis de immortalitate beatorum. *Talium est enim regnum cælorum.* Porrò qui superbus in homines non est, multò maxime aduersus Deum contumax esse non debet: quoniam si non est alicui faciendum quod quisque ab alio pati non vult, & nullus hominum vult inobedientem pati eum qui suo iuri subditus fuerit: quantò magis cauendum est, ne in Deum quisquam talis existat, qualem in se existere hominem non vult.

Humilitas, malum cuiusquã velle non debet.

B

Matth. 19. v. 14.

Non superbus in homines, nec in Deum contumax esse potest.

Cap. 3.

Fallunt proinde animas suas, qui sufficere existimant si quod sibi fieri nolunt, nulli hominum faciant, seséque vitâ luxuriosâ ita corrumpunt, vt Deo facere conentur, quod sibi fieri ab homine nolunt. Neque enim volunt à quoquo peruerti domum suam, qui in seipsis domum Dei miserabili cæcitate peruertunt, surdi aduersus Apostolum clamantem, *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Nemo se fallat. Quid ergo se putant seruare circa alios homines innocentiam suam, cùm sibi ita noceant, vt Deo careant habitatore, & puniantur vltore? Hinc etiam fit vt per noxias voluptates lapsi & effusi, non solùm templa Dei esse desinant, verumetiam ruinæ fiant, in quibus habitant mala dæmonia, quibus supplicare & quæ colere incipiant: Fiantque illis, vt dictum est, *posteriora deteriora prioribus.* Vnde vos semine immortali regeneratos, sicut superiùs propter malitiosas nocendi cupiditates, quibus fit hominibus quod oderunt: ita postea propter turpes & illicitas carnis delectationes & nefaria sacrilegia, quibus homines nocere hominibus non videntur non eis faciendo quod nolunt, sed Deo non obediendo cui cuncta sunt subdita, ipsi dominorum Domino faciunt, quod sibi à seruulis suis fieri nolunt: idem ipse Apostolus Petrus loquitur dicens, *Christo ergo passo per carnem, & vos eadem cogitatione armamini.*

C

1. Cor. 3. v. 16.

Peccator Dei peruertit domum.

Fit ruinæ in quibus dæmonia habitent.

D

Luc. 11. v. 27.

1. Petr. 4. v. 1.

Cap. 4.

Qui iam mortuus est carne, desinat peccare, vt iam non hominum desideriis, sed voluntate Dei reliquum in carne viuat. Sufficit enim præteritum tempus voluntates Gentium consũmasse in libidinibus, & voluptatibus, & comessationibus, potatione & nefandis idolorum seruitutibus. Sufficit enim præteritum tempus luteis operibus peccatorum, tanquam Ægyptiorum dominationi seruiuisse. Iam Mare rubrum baptisma scilicet Christi sanguine consecratum vos traiecit, Ægyptios interemit; nihil de peccatis præteritis tanquam de insequentibus à tergo hostibus formidetis. De cætero cogitate vitæ huius eremum permeare, & ad terram promissionis supernam Hierusalem, terram viuentium peruenire: ne

E

Exod. 14.

Cauenda mala mundi Ægyptum egressis per baptismum.

A verbi Dei contemptu tanquam mannæ fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant: ne cibos concupiscentes Ægyptios, de alimentis cœlestibus murmuretis: *ne fornicemini, sicut quidam illorum fornicati sunt: & ne tentetis Christum, sicut quidam illorum tentauerunt.* Si vobis fidem Gentilium sitientibus, amaritudo aliqua resistentium velut aquarum illarum, quas Israel non potuit bibere occurrerit, imitatâ Domini patientiâ velut iniecto crucis ligno dulcescant. Si tentatio serpentina momorderit, conspectâ illius exaltatione serpentis, tanquam mortis in carne Domini victæ atque triumphatæ, eodem crucis medicamento sanetur. Si aduersarius Amalechita iter intercludere, atque impedire conabitur, pro reuerentissimâ extensione brachiorum eiusdem crucis indicio superetur. Veri & germani estote Christiani: nolite imitari nomine Christianos, opere vanos. Iterum dico; & sæpe dicendum est: Sufficit præteritum tempus voluptates Gentium consũmasse. Detestamini & auersamini canes conuersos ad vomitum suum: detestamini & auersamini mundatam & vacantem domum, quò nequiores alij septem spiritus adducuntur, vt sint nouissima hominis peiora, quàm erant prima: vos vestrum mundatorem tenete habitatorem. Præcipientes enim *rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Sufficit præteritum tempus voluntates Gentium consummasse. Audite & Apostolum Paulum, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra deseruire immunditia, & iniquitati ad iniustitiam, sic nunc exhibete membra vestra deseruire iustitia in sanctificationem.*

1. Cor. 10. v. 8.

Exod. 15. v. 23.

Num. 21. v. 8.

Exod. 17. v. 11.

2. Petr. 2. v. 22.

Luc. 11. v. 27.

2. Cor. 6. v. 1.

Rom. 6. v. 19.

EIVSDEM, DOMINICA *in Albis.*

SERMO.

Ex Codice Bibliothecæ Regiæ, & altero S. Victoris.

HOdiernus dies magno Sacramento perpetuæ felicitatis est nobis. Non enim sicut iste dies transitutus est, sic transitura est & vita, quam dies iste significat. Itaque, fratres, exhortamur & obsecramus vos in nomine Domini nostri Iesu Christi, per quem nobis peccata dimissa sunt, qui voluit pretium nostrum esse sanguinem suum; qui nos indignos, qui vel serui eius diceremur, fratres facere dignatus est, vt omnis intentio vestra, quare Christiani estis, & nomen eius in fronte & corde gestatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura: vbi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors. Quam vitam nosse non possunt, nisi qui experiuntur: experiri autem non poterunt, nisi qui credunt. Si enim exigatis, vt quod nobis promittit Deus demonstremus vobis, non possumus. Sed audistis quomodo conclusit Euangelium Ioannis, *Beati qui non vident, & credunt.* Et videre vultis; & ego. Pariter credamus, & simul videbimus. Non simus duri aduersus verbum Dei. Nunquid enim dignum est, vt Christus descendat modò de cœlo, & cicatrices suas nobis ostendat? Ideo illi incredulo ostendere dignatus est, vt obiurgaret dubios, & instrueret credituros.

Ex nouis P. Sirm. 19.

E

Futuræ beatitudinis colenda fides.

Ioan. 20. v. 29.

Fictitium istud in terrâ Christi regnum extra cœlestẽ beatitudinẽ post iudicium.

Octauus ergo iste dies in fine sæculi nouam A vitam significat: Septimus quietem futuram sanctorum in hac terrâ. Regnabit enim Dominus cum Sanctis suis, sicut dicunt Scripturæ: & habebit hîc Ecclesiam, quò nullus malus intrabit, separatam atque purgatam ab omni contagione nequitiæ: quam significant centum quinquaginta tres pisces; de quibus iam, quantum memini, aliquando tractauimus. Nam Ecclesia hîc primò apparebit in magnâ claritate & dignitate iustitiæ. Non ibi licebit decipere, non mentiri, non sub ouis pelle lupum latere.

1. Cor. 4. v. 5.

Veniet enim Dominus, sicut scriptum est, *& illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Iniqui ergo non ibi erunt. Iam enim separabuntur. Tunc tanquam massa purgata apparebit, veluti in areâ, multitudo Sanctorum; & sic mittetur in horreum cœleste immortalitatis. Sicut enim frumentum priùs vbi trituratur ibi purgatur; & locus vbi frumenta pertulerunt tritutam, vt à paleâ mundarentur, decoratur dignitate massæ purgatæ. Videmus quippe in areâ post ventilationem, aceruum palearum ex vnâ parte, & aceruum frumenti ex aliâ: quò autem palea destinata sit, nouimus; & quemadmodum agricolis faciant frumenta lætitiam. Quomodò ergo apparet in areâ priùs frumentum à paleâ separatum: & cùm gaudium fecerit post tantos labores inspecta illa C congeries, quæ latebat in paleâ, quæ non videbatur quando triturabatur; deinde in horreum mittitur, atque in secreto seruatur. Sic in isto sæculo, videtis quomodò trituratur hæc area; sed palea frumento ita permixta est, vt difficilè discernatur, quia nondum ventilata est. Sic ergo post ventilationem diei iudicij apparebit massa Sanctorum, fulgens dignitate, & præpotens meritis, & misericordiam liberatoris sui præ se gerens. Et ipse erit septimus dies. Quasi primus dies sit ab Adam vsque ad Noë, & secundus à Noë vsque

Matth. 1.

ad Abraham; & quomodò iam diuidit Euange- D lium Matthæi, tertius ab Abraham vsque ad Dauid; quartus à Dauid vsque ad transmigrationem in Babylonem; quintus à transmigratione vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi. Ab aduentu ergo sextus agitur: in sexto die sumus. Et ideo quomodò formatus est homo in Genesi sexto die ad imaginem Dei, sic & in isto tempore, quasi sexto die totius sæculi, renouamur in baptismo, vt recipiamus imaginem conditoris nostri. Sextus autem dies iste cùm transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sabbatizabunt Sancti & Iusti Dei. Post septimum autem, cùm apparuerit in areâ dignitas messis, ful- E gor meritumque Sanctorum, ibimus in illam vi-

1. Cor. 2. v. 9.

tam, & in illam requiem, de quâ dictum, *Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Tunc velut ad caput reditur. Quomodò enim cùm peracti fuerint isti septem dies, octauus ipse est quasi primus: sic post terminatas & peractas ætates septem, sæculi transeuntis, ad illam immortalitatem beatitudinemque redierimus, de quâ lapsus est homo.

Hinc & ipse septenarius numerus septies multiplicatus facit quadraginta nouem; & addito vno tanquam reditur ad caput, & fiunt quinquaginta: qui numerus à nobis vsque ad Pentecostem in mysterio celebratur. Qui etiam secundum illam diuisionem quadragesimi numeri, cui accedit tanquam merces denarius, diuersâ ratione idem rursus apparet. Ambæ quippe rationes ad eundem quinquagenarium numerum redeunt. Qui ter multiplicatus propter mysterium Trinitatis, facit centum quinquaginta. Addito quippe ipso ternario, tanquam teste indice triplicationis & Trinitatis, intelligimus Ecclesiam in illis piscibus centum quinquaginta tribus. Sed interim modò donec veniamus ad illam requiẽ, isto tempore laboramus; in nocte sumus, quandiu non videmus quod speramus; & in eremo iter agimus, donec ad Hierusalem cœlestem, veluti ad terram promissionis fluentem lac & mel ve- B niamus.

Fort. mendosum, aut mutilum.

Nunc ergo cùm tentationes non cessant, benè operemur. Medicina, quod absit, veluti prope quotidianis adhibenda vulneribus. Est autem medicina in bonis operibus misericordiæ. Si enim vis impetrare misericordiam Dei, esto misericors.

Misericordia, vita huius medicina.

Si tu negas homini, cùm homo sis, humanitatem, negabit tibi Deus & diuinitatem; hoc est, in corruptionem immortalitatis, quâ nos facit deos. Non enim te quicquam indiget Deus: tu autem indiges Deo. Nihil à te ille petit, vt beatus sit: tu autem, nisi ab illo accipias, beatus esse non poteris. Quid ad illo accipis? Nescio si audeas conqueri, si ab illo qui omnia condidit, acceperis id, C quod non excellentissimum condidit. At ille, non aliquid ex iis quæ condidit, sed seipsum tibi dat ad fruendum, seipsum omnium conditorem. Quid enim ex iis quæ facta sunt ab illo, pulchrius & melius potest esse, eo, qui fecit? Et quando tibi dedit, an quasi meritis tuis? Si quæris quid merueris, attende peccata; audi sententiam Dei in transgressorem hominem latam, *Terra es, & in terram ibis*: quoniam comminatio præcessit, cùm præceptũ daretur, *Quâ die tetigeritis, morte moriemini.* Si peccatorum meritum quæris, quid occurrit nisi supplicium? Obliuiscere igitur merita tua, ne tibi faciant in corde terrorem: aut D noli obliuisci potiùs, ne per superbiam repellas misericordiam.

Gen. 3. v. 19.

Gen. 2. v. 18.

Amiseris exhibenda misero.

Cõmendemus nos, fratres, Deo operibus misericordiæ. *Confitemini Domino quoniã bonus, quoniam in sæculu misericordia eius.* Confitere quoniã habet Deus misericordiã, & vult peccata donare cõfessis. Sed affer illi sacrificiũ Miserere hominũ homo, & tui miserebitur Deus. Tu homo, & alter homo; duo miseri. Deus autem non miser, sed misericors. Si autẽ miser non miserearis misero, quomodò exigit misericordiã ab illo, qui nunquam erit miser? Videte quid dicam, fratres. Quicunque est contra naufragum crudelis, verbi E gratiâ, tandiu crudelis est, donec contingat illi naufragium. Si autem contigerit, recordatur in pristinam vitam. Quando viderit naufragum, percutit illum similis aliquando miseria: & quem non poterat ad misericordiam flectere societas humanitatis, flectit consortium calamitatis. Seruo quàm citò miseretur, qui aliquando seruiunt. Mercenarium mercede fraudatum quàm citò dolet, qui mercenarius fuit. Homini filium suum plangenti amarissimè compatitur, qui aliquando tale aliquid planxit. Ergo quantamuis duritiam cordis humani soluit similitudo miseriæ. Si ergo tu, qui aut miser fuisti, aut times ne miser sis (quandiu enim hîc viuis, & timere debes quod non fuisti, & meminisse quod fueris, & cogitare quid sis.) Positus ergo & in memoriâ præteritarum miseriarum, & in timore futurarum, & af-

flictione præſentium, noo miſereris calamitoſi A huminis, & egentis ope tuâ, & expectas vt miſereatur tibi ille, quem nunquam tangit miſeria? Et tu das ex eo quod à Deo accepiſti: & vis vt det tibi Deus ex eo quod à te non accepit?

Via vnica, quâ ad Deũ perueniamus.

Miſericordiam, fratres mei, omoes qui ituri eſtis ad domos veſtras, & ex boc vix nos vidcbimus, niſi per aliquam ſolennitatem, miſericordiam operamini, quia abundant peccata. Alia requies, alia via non eſt, quâ perueniamus ad Deum, quâ reintegremur, quâ reconciliemus ei, quem periculoſiſſimè offendimus. Venturi ſumus in conſpectu eius. Loquantur ibi pro nobis opera noſtra: & ita loquantur, vt ſuperent offenſiones noſtras. Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad pœnam, ſi peccata meruerint, vel ad B requiem, ſi opera bona. Miſericordia autem gemina eſt io Eccleſiâ. Vna in eo titulo, quo nemo impendit pecuniam, nemo etiam vel laborem: altera quæ de nobis exigit, aut officium operis, aut impendia pecuniæ. Illa quæ à nobis exigit nihil erogationis, vel laboris, in animo conſtituta eſt, vt ignoſcas ei qui in te peccauit. Ad hanc eleemoſynam impendendam theſaurus tuus in corde tuo eſt. Ibi te explicas coram Deo. Non tibi dicitur, Profer ſacculum, aperi arcam, reſigna borreum: neque hoc tibi dicitur, Veni, ambula, curre, feſtina, intercede, loquere, viſita, labora. Stans vno loco proiecisti de pectore tuo C quod tenes cõtra fratrem tuum, feciſti miſericordiam oullo ſumptu, oullo labore, ſolâ bonitate, ſolâ miſericordiæ cogitatione. Nam ſi dicamus, Erogate res veſtras pauperibus, duri videbimur. Certè vel nunc leues, & faciles ſumus, quando dicimus, Impendite vnde nihil minuetis, dimittite vt dimittatur vobis.

Miſericordia duplex, vt ignoſcas ei qui peccat in te, & vt officij aliquid aut pecuniæ impendas.

Dicamus tameo etiam iſtud, *Date, & dabitur vobis*. Cooiunxit bæc Dominus in præcepto, & iſta duo miſericordiæ genera expreſſit. *Dimittite, & dimittetur vobis*, miſericordia eſt ignoſcentis. *Date, & dabitur vobis*, miſericordia erogantis. Vide ſi non amplius Deus dat noſtris. Tu D ignoſcis homini, in quo te læſit homo hominem: ignoſcit tibi Deus, in quo offendiſti homo Deum. Nunquid enim hoc eſt hominem lædere, quod eſt Deum offendere? Ergo plus tibi dedit. Quia tu hoc dimiſiſti, in qno homo læſus eſt: hoc ille dimittit, in quo Deus offenſus eſt. Attendite aliam miſericordiam diſpenſationis. Tu das panem, ille dat ſalutem: tu das ſitienti poculum liquoris alicuius, ille tibi dat poculum ſapientiæ ſuæ. Nunquid iſta vel comparanda ſunt, quod das, & quod accipis? Ecce quomodò fœnerandum eſt. Si quis vult eſſe fœoerator, omninò non prohibemus. Sed illum fœneretur, qui non ſit pauper plura & maiora reddendo, & cuius eſt etiam boc ipſum E qualecumque, quod ei das, vt amplius meliúſque recipias. Illud etiam moneo ſanctitatem veſtram, vt ſciaos eum duplam miſericordiam facere, qui pauperibus ſic dat aliquid, vt ipſe eroget. Non enim debet eſſe ſola benignitas largientis, ſed & humilitas miniſtrantis. Neſcio quomodò, fratres mei, animus eius qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis io manum indigentis. Quamuis ille det, ille accipiat, coniunguntur miniſter, & cui miniſtratur. Non enim iungit nos calamitas, ſed humilitas. Abundantia veſtra erit vobis, ſi Domino placet, & filiis veſtris. Sed de iſtâ terrenâ abundantiâ nulla mentio eſt, quam

Luc. 6. v. 17.

Maiora Deus noſtris dat.

Vt quis fœneratur non prohibeatur.

Dupla miſericordia, vt tu ipſe pauperi eroges.

videtis obnoxiam tantis caſibus. Iacet in domo theſaurus quietus: dominum quietum eſſe non ſinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur ſeruus infidelis: timetur vicinus malus & potens. Quantò plus tenetur, tantò plus timetur. Si autem erogas Deo in pauperes, non perdis, & ſecurus efficeris: quia ipſe Deus cuſtodit tibi in cœlo, qui & tibi neceſſaria dat ſuper terram. An fortè times, ne perdat Chriſtus quod illi commendaueris? Nonne diſpenſatorem vnuſquiſque eligit de familiâ ſuâ fidelem, cui committat pecuniam ſuam? Qui etſi habet in poteſtate non auferre, non tamen habet in poteſtate non perdere. Quid fide Chriſti prolixius? quid omnipotentiâ diuitius? Nec auferre tibi aliquid poteſt, quia ipſe dedit antè quod illi dares: nec aliquid perdere, quia vniuerſa omnipotens tenet. Reficitis viſcera, quando agapes facitis. Quia videmur nos miniſtrare, & noſtra dantur, & per nos dantur, & tameo ea daotur, quæ nobis Deus dedit.

Erogatæ pecuniæ tutò repoſitæ.

Bonum eſt, fratres, etiam manu veſtrâ diſpenſetis: valde gratum eſt Deo. Ipſe accipit, & dabit tibi, qui antè tibi quàm deberet, quod dares dedit. Debet erogationis officio coniungi miniſtrationis officium. Cùm tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis vnam? Sed quiſquis minus idoneus es omnibus dare, da pauperibus pro viribus cum hilaritate. *Hilarem autem datorem diligit Deus*. Omni pretio comparandum propoſitum eſt regnum cœlorum. Non eſt vt dicat aliquis habens duos denarios, idoneum ſe non eſſe ad comparandum: tanto illa Euangelica vidua comparauit. Peracti ſunt dies feriati: ſuccedent iam illi cooventionum, exactiooum, litigiorum. Videte quomodò in his viuatis, fratres mei. De vacatione dierum iſtorum manſuetudinem debetis concipere, non iurgiorum conſilia meditari. Snot enim homines, qui propterea vacauerunt per dies iſtos, vt cogitarent malitias, quas exercerent poſt dies feſtos. Petimus vos, vt ita viuatis, tanquam qui Deo rationem reddituros vos ſciatis de totâ vitâ, noo de ſolis iſtis quindecim diebus. Deinde Scripturarum quæſtiones, quas heſternâ die propoſui, & anguſtiâ temporis impediente non ſolui, fateor me debere. Sed certè, quia dies qui ſequuntur iam exactiones etiam pecuniæ permittunt iure forenſi & publico, hoc à me potiùs vos exigite iure Chriſtiano. Modò enim ſolemnitatis gratiâ veniunt: poſt iſtos dies, amor legis adducat à me exigi quod promiſi. Qui enim dat per me dat vobis, ipſe vtrque dat omnibus oobis. Noui quippe Apoſtolum dicentem, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*. Sola dilectio eſt ſemper reddenda. Nemo à tali debito alienus eſt. Quod enim debeo, fratres, in nomine Domini redditurus ſum: ſed fateor vobis, non officio ſegnibus, ſed exigentibus reddo.

1. Cor. 9. v. 7.

Omni pretio comparatur regnũ. Luc. 21. v. 2.

Paſchatis dies quindecim feriati.

Rom. 13 v. 7.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euangelij eiuſdem expoſitio.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

CVm ergo ſerò eſſet die illo, vnâ Sabbatorum, &c. Ipſâ illâ die quâ viſus eſt Mariæ, eamque allocutus eſt, etiam ipſis ſanctis diſcipulis

Ioan. 20. v. 19.

Discipulorum prudés cautela. illuxit, cùm ij sceleſtiſſimorum Iudæorum intolerabiles inſultuus metuentes, ac ſibi cauentes, in vnam ſe domum collegiſſent. Non enim par eſt vt decenti eos deſtitutos ratione vnquam existimemus, viros ſcilicet ſic eruditos, ac quibus ſæpius præceptum eſſet, vt eorum ſerò deuitarent furorem, à quibus ad necem quærebantur. Apparet verò illis nouo, ac inſolito modo. Quippe clauſis ianuis, vt facer textus ait, inopinatò in medio ſtetit Chriſtus; nimirum ineffabili quadam virtute, atque diuinâ, rerum ipsâ ſerie ſuperior factus, atque iis quæ geruntur conuenientem tum rationem, tum modum potiori nulmine prætergreſſus. Ne quis enim dicat, Quomodò enim in craſſo corpore cùm eſſet Dominus, nullo tameo negotio clauſis ianuis penetrauit? ſed apud ſe cogitet potiùs, diuinum Euangeliſtam non de aliquo vulgi homine hæc locutum, ſed de eo potiùs qui pari cum Deo ac Patre ſublimis throno ſedet, ac cuncta expeditè quæcunque velit, facit. Par enim certè erat, vt qui per naturam, ac verus Deus eſſet, nequaquam rerum ordini ſubiaceret, vti ſanè ipſæ res ab eo creatæ, quinimmò ipſius quoque neceſſitatis, decentiſque agendorum rationis pleno iure arbiter eſſet. Alioqui enim quo pacto mare pedibus ſuis ſubiiceret, fluctuſque haud ſecus ac aridam ſicco pede tranaret, tametſi humidum elementum noſtris corporibus ſubſterni ad iter renuit? Aut quomodò alia miracula virtute quæ Deum deceat, ederet? Nam inquies, illa rationem excedunt. Illis ergo iſtud quoque adnumera, nec ſicut aliquibus placuit, quibus animi leuitas fraudem fecit, idcirco existimes non eſſe Dominum cum hoc corpore ſuſcitatum, ſed carne nudum, nec prorſus templo quod aſſumptum fuerat, copulatum. Nam ſi arcanæ vim naturæ capere non potes, quidni potiùs aduerſus humanam infirmitatem inueheris? Nam & iſtud ſapientius duco. Tum perſcriptum tibi modum à Creatore ſilentio colis, veluti que excuſsâ ſobriâ ratione, magnum reſurrectionis myſterium, ex quo omnis ſpes noſtra pendet, violas? Memineris enim Pauli clamantis, *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, & eſtis adhuc in peccatis veſtris.* Tum rurſus, *Inuenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt.* Quid enim prorſus ſuſcitatum dicitur, niſi quod cecidit? aut quid reſurrexit, niſi quod procliue morti conceſſit? Quomodò verò nos reſurrectionem expectabimus, niſi templum ſuum excitauit Chriſtus, primitiæ dormientium, ac primogenitus ex mortuis ipſe pro nobis factus? Aut quomodò corruptibile hoc induet incorruptionem, ſi, quemadmodum nonnulli putant, prorſus interibit? Quomodò enim id et non eueniet, cùm reſurgendi ſpem nullam habeat? Caue igitur ne rei mirabiliter geſtæ prodigio rectæ fidei iacturam facias, ſed hoc quoque aliis miraculis ſobriè adiungito. Vide enim quo pacto ianuis clauſis mirabiliter penetrando, Deum ſe rurſus per naturam eſſe oſtenderit, nec alium ab illo qui vnâ cum eis antea verſabatur: denudando verò latus ipſum corporis, & clauorum fixuras oſtendendo, apertè declarauit, ipſum quod in cruce pependerat, & quod geſtauerat corpus, à ſe excitatum, deſtructâ nimirum carnis morte, quippe cùm Deus per naturam, ac vita eſſet. Nam quid opus erat alioquin manus ac latus oſtendere, ſi, vt ſtultè nonnulli ſentiunt, omninò non ſurrexit cum ſuâ carne? Nam ſi quid aliud de ſe ſentire diſcipulos voluiſſet, quidni potiùs in aliâ ei forma appareret, ac carnis contemptâ ſpecie ad alias eos cogitationes vocaret? Nunc verò aſſerendæ reſurrectionis carnis tanta eum cura inceſſiſſe conſpicitur, vt vel iam, cùm tempus eſſet vt corpus ſuum in arcanam quandam ac eximiam claritatem transferret, apparere ipſum rurſus quod erat indulgentiâ propenſiore voluerit, ne aliud ab eo corpus habere putaretur, in quo & mortem in cruce pertulerat. Quod enim oculi noſtri ſancti corporis claritatem, ſi eam Chriſtus explicare voluiſſet, antequam etiam aſcendiſſet ad Patrem, ferre non potuiſſent, facilè intelliges, ſi in mentem reuocaueris Transformationem, quæ in monte olim ſanctis diſcipulis exhibita eſt. Scribit enim beatus Matthæus Euangeliſta, Chriſtum quondam aſſumptis ſecum Petro & Iacobo & Ioanne in montem aſcendiſſe, & transfiguratum eſſe coram eis; & reſplenduiſſe faciem eius ſicut fulgur, & veſtimenta eius facta fuiſſe alba inſtar niuis; eos autem, cùm viſionem ferre non poſſent, in faciem ſuam cecidiſſe. Singulari itaque conſilio Dominus noſter Ieſus Chriſtus nondum ad gloriam ſibi debitam, ac conuenientem tranſmutato ſuo templo, in priori adhuc figurâ apparebat; nolens reſurrectionis fidem in aliam formam ac corpus transferri, quàm illud, quod ex ſanctâ Virgine ſumpſerat; in quo etiam ſecundum Scripturas crucis ſupplicio mortuus fuerat, mortis vi in ſolâ deſæuiente carnem, ex quâ & depulſa eſt. Nam ſi mortuum eius corpus non reſurrexit, quænam victa mors eſt? aut vbi labefactatum corruptionis imperium, cùm nulla creaturarum rationalium morte extincta ſit; non anima, non Angelus, nedum etiam ipſum Dei Verbum? Cum igitur mors in illud tantùm poteſtate vigeat, cui à naturâ comparatum eſt, vt intereat & corrumpatur, erga illud ipſum vtique reſurrectionis quoque vis iure merito verſari cenſebitur, vt tyrannica eius poteſtas euertatur. Quòd autem ianuis clauſis Dominus ingreſſus eſt, inter alia eius miracula numerabit, quicunque ſanæ mentis eſt. Salutat verò ſanctos diſcipulos his verbis, *Pax vobis*, ipſum ſe pacem eſſe dicens. Quibus enim Chriſtus adeſt, ſequitur omnino vt tranquillo ac ſedato ſint ſpiritu. Quod ſanè & Paulus à Deo precabatur eius fidelibus, dicens, *Pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras*; pacem Chriſti quæ omnem exuperet ſenſum non aliam eſſe dicens, quàm eius Spiritum; cuius ſi quis ſit particeps, omni bono replebitur.

Gauiſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino. Vera eſſe verba Saluatoris hic rurſus beatus Euangeliſta confirmat, dum diſcipulos gaudio ac lætitiâ repletos ait, Ieſu is conſpecto. Meminimus enim quòd cùm obſcurius de venerabili cruce ac reſurrectione ex mortuis ſermonem contexeret, *Modicum*, aiebat, *& iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me. Et gaudebit cor veſtrum; & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Gaudebant enim ſummâ dementiâ pleni Iudæi, cùm Ieſum cruci affixum cernerent; in-

Dominus abſolutus à legibus naturæ.

Matth 14. v. 25.

ἀτρεπτῶς non benè emendatum Borbon. ἀτρέπτως. Incarnationis pro reſurrectionis, neſcio vt illi exciderit.

1. Cor. 15. v. 13.

Declarata Chriſti diuinitas & humanitas ingreſſu ſuo ianuis clauſis.

Matth. 17. v. 1.

Perperam editum, ac Borbor. redditum, ἡ ἄνεν pro οὐ ἔτι, quo ſenſu clarè Cyrilli rationem repræſento, nullam niſi corporis reſurrectionē eſſe, cum corpus ſolū moriatur, non anima, Angelus, aut Deus.

Phil. 4. v. 7.

Ioan. 16. v. 16.

genti verò & intolerabili dolore sanctorum Discipulorum cor premebatur. Sed cùm Vita sit per naturam, destructo mortis imperio reuixit: & Iudæorum quidem extinctum est gaudium, sanctis autem Apostolis versus est luctus in gaudium, perpetuaque ac prorsus inuiolabilis iucunditas, iis germinauit. Non enim amplius Christus morietur, qui *semel mortuus sit*, sicut scri-
Hebr. 9. v. 26. ptum est, *ad destructionem peccati*. Nam cùm viuat semper atque existat, vtique immortale his, qui in se credunt, gaudium incolume præstabit. Porrò salutabat discipulos consuetis vocibus; nempe dicendo, *Pax vobis*; quamdam inde velut legem statuens Ecclesiæ filiis. Quo fit vt in
Ritus imprecandæ pacis in Missâ à Christo deriuatus. sanctis potissimùm conuentibus, seu collectis, circa rei sacræ peragendæ initia, hoc nos etiam alii aliis dicamus. Quòd enim tum inter nos inuicem, tum cum Deo pacem colamus, ceu fons quidam, ac origo omnis boni intelligatur. Quamobrem etiam Paulus omnium optima his, qui
Rom. 1. v. 17. vocari essent, precatus, *Gratia vobis & pax*, inquit, *à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Rursus verò ad pacem cum Deo ineundam,
2. Cor. 5. v. 20. eos qui nondum crediderant, exhortans, *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Nec minus nos excitat E-
Isai. 27. v. 5. saias Propheta, clamans: *Faciamus pacem illi, faciamus pacem venientes.* Vis ergo sententiæ, pacis largitori conuenit, id est, Christo. *Ipse*
Eph. 2. v. 14. namque *est pax nostra*, vt produnt Scripturæ.

V. 21. *Dixit ergo eis Iesus iterum, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ordinauit qui-
Creati discipuli orbis duces ac doctores. dem his verbis Dominus noster Iesus Christus orbis duces atque Doctores, diuinorumque suorum mysteriorum dispensatores, quos etiam instar luminarium lucere iam, ac illustrare iubet, non Iudæorum duntaxat regionem, ad modum
2. Par. 3. v. 1. præcepti legalis, quod à Dan ad vsque Bersabee pertingeret, vti scriptum est, sed potius omnem sub sole orbem, ac cunctos circunquaque sparsos, atque mortales colonos. Verax igitur est Pau-
Hebr. 5. v. 4. lus, cum ait, Neminem sibi sumere honorem, sed qui à Deo vocatus sit. Vocauit enim Dominus noster Iesus Christus præ cunctis aliis suos discipulos ad Apostolatum, totámque terram propemodum nutantem ac collabentem stabiliuit, eius sustentacula, quâ diuinâ pollebat potestate, designans. Ideo etiam Psalmistæ vocibus
Psal. 74. v. 4. dictum de terrâ, ac Apostolis, *Ego confirmaui columnas eius.* Velut enim columnæ, ac firma-
Columnæ & firmamentum veritatis. mentum veritatis extitere beati discipuli; quos vtique sic etiam se mittere ait, sicut ipsum mise-
Apostolorũ missio Christi missioni affinis. rat Pater: simul quidem Apostolatus dignitatem ostendens, eisque traditæ potestatis incomparabilem claritatem; simulque vt videtur, Apostolici instituti viam, ac scopum subindicans, siquidem enim sic suos sibi ipse discipulus mittendos putauit, vti eum Pater miserat, quomodò non ii necessariè exploratè intelligant (siquidem patri fulgere imitatione velint) quidnam etiam vt præstaret Pater Filium miserit? Quare Apostolatus sui, ac missionis modos nobis multifariam
Math. 9. v. 13. exponens, modò quidem aiebat, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et
Marc. 2. v. 17. rursus, *Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent.* Ad hæc, *Descendi de cœlo,*
Ioan. 6. v. 38 *non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Quandoque autem rur-
Ioan. 3. v. 17. sus, *Non enim misit Deus Filium suum in mun-*
A *dum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Paucis itaque verbis Apostola- Apostolorũ institutum.
rus institutum complexus, sic se eos mittere ait, vti Pater misit ipsum: vt hinc sibi incumbere scirent vocandos peccatores ad pœnitentiam; male habentes corpore pariter ac spiritu curandos; gerendis rebus non suam prorsus voluntatem, sed ipsius qui misit, quærendam; ac quoad liceat, doctrinis suis mundo salutem asserendam. Quibus omnibus quantopere diuini discipuli clarere studuerint, comperiemus; nec difficilis assentiatur, si quis librum qui Acta inscribitur, V. 22.
ac Pauli scripta perlegerit.

Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis,
B *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Postquam Apostolici eos culminis dignitate claros fecerat, diuinorúmque altarium, vti modò dicebam, dispensatores ac sacerdotes constituerat; confestim sanctitate impartit, suum eis Spiritum conspicuâ insufflatione largiens, vt & nos conuenienter credamus, non esse alienum Spiritum sanctum à Filio, sed ei consubstantialem; ac per ipsum illum ex Patre procedere. Ostendit verò necessario sequi, vt qui per eum ad diuini Apostolatus munus deliguntur, Spiritu donentur. Necessarius Spiritus delectis ad munus Apostolicum.
Quid ita? Nempe quòd nihil gratum Deo facere, nec se virili conatu à peccati laqueis possint expedire, nisi virtute ex alto prius induti, in aliud
C quiddam, ac quod erant, transformentur. Ideóque ad quendam veterum dictum est, *Insiliet super te Spiritus Domini, & verteris in virum alterum.* Mutaturos autem fortitudinem qui sustinent Dominum, etiam Esaias nobis Propheta pollicitus est. Paulus verò sapientissimus, plus se aliis nonnullis Apostolicâ functione laborasse 1. Reg. 10. v. 6. Isai 40. v. 31.
dum ait, statim subiunxit, *Non ego, sed gratia Dei quæ mihi adest.* Ad ea verò quæ dicta sunt 1. Cor 15. v. 10.
etiam addimus, nunquam prorsus intellecturos Christi mysterium, nec perfectos doctores euasuros, nisi Spiritus illustratione ad eorum quæ mentem ac orationem excedunt manifestationem, ascenderint. Ait enim, *Nemo potest dicere* 1. Cor. 12. v. 3.
D *Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.* Qui ergo dicturi erant Dominum Iesum; hoc est, Deum ipsum prædicaturi & Dominum, necessariò iam Apostolatus dignitati annexam Spiritus gratiam suscipiunt; dante illum Christo, nec certè alterius eam in rem ambitioso ministerio utente, sed à seipso rem implente. Nec enim aliter à Patre in nos traiiciat, quàm per Filium. Dicere Dominum Iesum, Deum prædicare.

Vetus itaque lex ac in literis posita, vmbras habens veterum atque figuras, corporum rationi affiniùs, crassiùsque res sacras promulgari iubebat. Etenim beatus Moses, Deo rursus id iubente, tum Aaronem ipsum, tum Leuitas aquis ablui præcepit. Deinde consecrationis Hebr. 10. v. 1 Exod. 40. v. 12. Leu. 8. v. 23.
E immolato ariete, cruore eius vnxit auriculæ dexteræ partem infimam, vti scriptum est: tum dextræ manus ac pedis dextri extrema liniuit, Christi mysterij figuram velut simulacro reddens. Vbi enim aquâ ac sanguine complectatur sanctificatio, quomodò, vel vnde dubitari potest, quin veritatis decor in obscurioribus adhuc typis formaretur? Dominus autem noster Iesus Christus, in veritatis vim translatâ legis figurâ, diuinorum altarium Sacerdotes per seipsum consecrat. Est enim ipse aries consecrationis. Consecrat autem per veram sanctificationem, suæ consortes naturæ per Spiritus communicationem efficiens, hominisque naturam Veterum Sacerdotum consecratio, ac nouorũ.
in

in virtutem ac claritatem homine præstantio- A nem quodammodo tecudens ac fabricans. Atque hæc quidem vera esse nemo dubitabit, opinor. Verùm non desit forsitan qui dicat, ac discendi studio propensiùs quærat. Vbinam quæso, ac quando Saluatoris nostri discipuli Spititus gratiam acceperunt? Num cùm eis in domo statim à resurrectione Saluatot apparuit, & insufflauit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum?* an in diebus sanctæ Pentecostes, cùm iis rursum in vnum congregatis, *factus est repente de cœlo sonus, tanquam flatus vehementis: & apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et cœperunt loqui varys linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis.* Vel enim, inquit, duplicem eis gratiam datam putabimus, aut certè tempus nos B latebit, quo verè Spititu sancto impartiti sint, dum etiam verum dederimus Saluatoris nostri setmonem, quodque in libto qui *Acta* inscribitur de sanctis discipulis habetur conscriptum. At dubitandi non leuis causa est, cùm præcipuè etiam ipse Christus quodam loco dixerit, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Instabit enim forsan aliquis, ac dicet, Mentiri nescit Veritas, id est, Christus. Cùm ergo manifestè dixerit, non venturum ad nos Paracletum, nisi assumptus ipse fuerit ad Patrem, tunc verò se missurum, atque id congruè, cùm in C cœlos ad Patrem ascenderit, quomodò dare eum Spiritum comperiemus, cùm needum reuersus sit? Verùm licet perobscurum sit quod quæritur, ac difficilis sermo, vnde meritò quis turbari possit; habet tamen solutionem valde consentaneam, modò ne crediderimus Christum vnum aliquem vulgi esse, ac communem hominem, sed Deum potiùs tanquam ex Deo, eorumque arbitrum quæ loquatur, ob conuenientissimam rebus dispensationem atque ordinem. Promiserat quippe missurum se nobis de cœlo Paracletum, postquam apud Deum & Patrem sursum ipse constitisset, quod certè & fecit ad Patrem profectus, atque his qui vellent D accipere Spiritum largissimè effudit. Eundem verò ipsum quis, per fidem scilicet in Christum, ac sanctum baptisma acceperit. Tunc verò implebatur, quod per Prophetæ vocem dictum erat, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; verùm necesse erat, vt Filius vnà cum Patre Spiritus subministrator, ac dator ostenderetur; necesse vt fideles esse illum Patris Virtutem intelligerent, quæ rerum hanc vniuersitatem condiderit, atque hominem vt esset, ex nihilo produxerit. Deus enim ac Pater per suum Verbum, vti scriptum est, sumpto è terrâ initiò puluere, atque animali for- E mato (nempe homine) & animâ illi inditâ, quâ nouit ratione, suique Spiritus impartitione nobilitato (*insufflauit enim in faciem eius spiraculum vita*, vt diuinis proditum oraculis est) postquam ille ex inobedientiâ in mortem deciderat, ac homo antiquum illum honorem amiserat, eum rursus Deus ac Pater secundâ velut molitione creauit, ac in nouitatem vitæ per Filium reuocauit, sicut initiò. Reuocauit verò etiam Filius, qui sanctæ carnis suæ morte mortem extinxerit, & ad incorruptionem humanum genus instaurarit. Chri-

Quando discipulis datus Spiritus.
Ioan. 20. v. 22.
Act. 2. v. 2.
Ioan. 16. v. 7.
Ioel 2. v. 26.
Mysterium assumpti in cœlos Christi vt Spiritus daretur.
Gen. 2. v. 7.
Primæ & secūdę creationis parallela.

stus enim pro nobis resurrexit. Vt ergo ipsum illum esse discetemus, qui ab initio nostræ naturæ Creator extitit, & sancto nos Spititu signauit, rursus nobis Saluator velut in primitijs renouatæ naturæ, sanctis discipulis palam insufflando, Spiritum largitur. Scribit enim Moses de vetere hominis opificio, insufflasse Deum in eo spiraculum vitæ. Quemadmodum ergo ab initio creatus & factus est, ita etiam renouatur: & quemadmodum tunc ad Creatoris formatus est imaginem, ita & nunc impartitione Spiritus ad similitudinem sui Creatoris reformatur. Quòd enim Saluatoris formam suscipientium animis Spiritus imprimat, dubitandi locum non relinquit Paulus, his, qui per ignauiam in legalem obseruationem prolapsi erant, ita scribens, *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Non enim aliter formatum iri Christum in eis dicit, quàm perceptione Spiritus, ac vitæ Euangelico ritu institutione.

Itaque vt in primitiis creaturæ ad incorruptionem, & claritatem ac diuinam imaginem renouandæ, in suis rursus Christus discipulis Spiritum suum constituit. Planè enim ad alia id insuper nosse operæpretium erat, esse eum qui Spiritum subministret, atque tribuat. Itaque etiam dicebat, *Omnia qua habet Pater, mea sunt.* Habet autem Pater ex se, ac in se Spiritum suum: hunc quoque in se Filius habet, siquidem est illi consubstantialis, atque ex eo substantialiter effulsit, omnia quæ sunt Genitoris propria in se naturaliter habens. Quòd verò multa sæpe, eáque congruo tempore facturum se pollicitus, ea tamen fecerit etiam ante præstitutum tempus, ad persuasionem scilicet nostram, vt certò euentura quæ ab eo dicta erant crederemus, hinc ostendemus. Promisit se mortuos excitaturum, atque in puluere humique depositos ad vitam denuo reuocaturum. *Venit enim hora*, inquit, *in quâ mortui audient vocem Fily Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vita, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicy.* Cùm autem istud facilè se quoque facturum ostendere vellet, docebat eos his verbis, *Ego sum resurrectio, & vita.* Sed quia rei magnitudo fidem excedebat, tempus resurrectionis commodè præuenit, editque miraculum excitatis Lazaro, filio viduæ, ac Iairi filiâ. Quid verò præterea? Cùm diceret claritate magnificam fore Sanctorum resurrectionem; *Tunc enim*, inquit, *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, vt vera loqui crederetur, discipulis suis huius etiam rei spectaculum ante tempus indulgenter concessit. *Assumptis enim Petro, & Iacobo, & Ioanne, ascendit in montem, & transfiguratus est coram eis. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius alba facta sunt sicut nix.* Quemadmodum ergo licet temporibus suis hæc se facturum polliceretur, ceu quosdam arrhabones rei generaliter fore expectatæ, particularia miracula edidit, ante etiam debitum tempus, vt & absque vllâ hæsitatione crederetur: ita cùm missurum se ad nos Paracletum dixisset, cùm ad Patrem abijsset, atque illud tempus generali gratiæ assignasset, primitias velut quasdam promissionis in discipulis exhibuit, ob multas iustas ac necessarias causas, quas antea diximus.

Gal. 4. v. 19.
Ioan. 16. v. 15.
Sua Christus promissa haud rarò occupat.
Ioan. 5. v. 28.
Ioan. 11. v. 25. & 43.
Luc. 7. v. 41.
Marc. 5. v. 4.
Matth. 13. v. 43.
Matth. 17. v. 2.

A Paschate. X

Impartiti discipuli Spiritu sancto, Christo ii' insufflante.

Quapropter impartiuntur ij quidem Spiritu sancto, quando etiam illis insufflauit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*. Nec enim qui loqueretur mentiri poterat, Christus; neque diceret, *Accipite*, nisi traderet. In diebus autem sanctæ Pentecostes, tùm expressiorem gratiæ publicationem, ac inhabitantis in eis Spiritus sancti declarationem Deus esse veller, apparuerunt linguæ tanquam ignis, non quæ doni in eis inchoatiunem significarent, sed quæ potius sermonis, ac prædicationis exordium inferrent. Denique Scriptum est, *Cœperunt loqui diuersis linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis.* Audis quo pacto loqui cœperint, non ad sanctitatem initiati; ac quomodò linguarum distributio illis illapsa sit, hoc ipsum operante, atque afflante Spiritu, qui in eis erat? Quemadmodum enim è cœlo vocem emisit Pater testimonium perhibens Filio suo, ac dicens, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; idque ad certiorem auditorum fidem egit: sic & in sanctis Apostolis illustrem gratiæ manifestationem edetit, in specie ignis linguas eis immittens, sonúmque irrumpentis vehementis flatus, descensus Spiritus simulacrum quoddam efficiens. Istud autem ipsum instar signi quoque Iudæis datum esse, facilè intelliges, cùm audies vniuersorum Deum per vocem Prophetæ dicentem, *In alijs linguis, & in labijs alijs loquar populo huic, & non credent.* Vt igitur crederemus beatos discipulos verè Spiritu sancto esse impartitos, ac Christi iam è cœlo gratiâ coronatos, atque ad veritatem docendam idoneos, suique Apostolatus spectabilem claritatem habere dono illo cœlesti probatos, in ignearum specie linguarum descendit. Abundè itaque dicta hæc à nobis esse arbitror ad propositæ quæstionis accuratam demonstrationem. Sed cùm omni modo euitandum nobis sit, ne nonnullorum malignitate aliquid fratribus offendiculi creetur; agedum hoc insuper, his, quæ sunt dicta, addamus, vt effrænatam quorumdam loquacitatem retundamus.

Act. 2. v. 4.

Inchoatus in Pentecoste sermo, seu prædicatio, non sanctitas in discipulis.

Matth. 17. v. 5.

Datæ linguæ in signum Iudæis.

Isai. 28. v. 11. 1. Cor. 14. v. 21. Non bene ἑτέροις pro quo Vulg. Pauli ἑτέραις.

Itaque paulò pòst scriptum inueniemus, quòd *Thomas, qui dicitur Didymus, non erat cum discipulis, quando venit Iesus.* Quomodò ergo, nec immeritò quæret aliquis, cùm reipsâ abesset, Spiritu sancto impartitus est, cùm Saluator discipulis apparuit, ac iis insufflauit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum?* Respondemus itaque Spiritus vim in omnes qui acciperent gratiam permanasse, ac scopum largientis implesse. Dedit autem Christus non aliquibus seorsim, sed vniuersis discipulis. Quapropter eam accipiunt; ac licet quidam non aderant, non tamen dantis liberalitas ad solos præsentes contracta est, sed in omnem permeauit sanctorum Apostolorum chorum. Quod autem nihil hîc per vim detortum sentiamus, neque nimium audacter id dicamus, ex ipsis sacris literis rem astruam, desumptis quibus ea probanda sit ex libris Mosaïcis, testimonijs. Igitur Dominus Deus sapientissimo Mosi iusserat olim viros seniores ex Iudæorum congregatione eligere numero septuaginta, palàm professus, ablaturum se de spiritu qui in illo erat, & in eis positurum. Ac sanè collegit eos Moses, ac diuinum mandatum impleuit. Duo tamen duntaxat de septuaginta

V. 24. Thomas absens Spiritu donatus.

Num. 11. v. 25.

A seniorum numero desiderati (Eldad scilicet, & Modad) in congregatione remanserunt. Cùm verò Deus spiritum diuinum, iuxta promissionem iam datam, omnibus indidisset, prophetabant quidem statim acceptâ gratiâ qui Mosen secuti erant: nec minus prophetabant etiam illi duo qui in congregatione remanserant, in eos quoque permeante diuinâ gratiâ. Et quidem Iesus qui Naue dicebatur, ac Mosi vsquequaque assiduus erat, vimque mysterii non intelligebat, ratus etiam eos exemplo Dathan & Abiron Prophetis à Mose assumptis aduersos prophetare, dixit ad eum, *Eldad & Modad prophetant in castris: domine mi Moses prohibe eos.* B Quid verò ad hæc ille verè sapiens ac magnus, qui datæ eis gratiæ afflatum, ac Spiritus virtutem, ceu sapiens, intelligeret, *Ne æmuleris tu mihi*, inquit. *Quis enim dederit populo Domini Prophetas, cùm dederit Dominus spiritum suum super eos?* Vides vt Iosue verba reprehendat, qui mysterium non intelligeret? Vtinam enim, vtinam, inquit, datus esset vniuerso populo spiritus; sed erit aliquando cùm eis vniuersorum Dominus, nempe Christus, suum eis tribuet Spiritum, qui tanquam in primitiis eorum, qui essent accepturi sanctis Apostolis insufflauerit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum.* Ergo licet C Thomas abfuerit, non tamen munere frustratus est; cùm Spiritus in omnes qui accepturi erant, ac spectabant ad numerum, permearit.

V. 27.

V. 29.

Porrò Christus dans Spiritum, *Quorum remiseritis peccata*, inquit, *remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*; quamuis eius duntaxat sit, qui est Deus per naturam, quique potestatem habet, ac auctoritatem reos exoluendi peccatis. Cui enim diuinæ legis præuaricatione reos soluere conuenit, præterquam legi ipsius auctori? Ex iis verò quæ humano vsu fiunt, eius quod dicimus, si iuuat, vim obseruato. Quis per auctoritatem terrenorum Regum decreta violare, eorúmque D sententias ac placita rescindere præsumat, nisi quis forsitan regio honore ac maiestate præpolleat? In his enim locum non habent violatæ legis crimina. Quapropter etiam ait, quis Sapiens, *Impius est qui dicit Regi, Iniquè agis.* Quonam igitur modo, aut quâ ratione, Saluator, dignationem eiusmodi, quæ solam deceat diuinam naturam, discipulis suis tribuit? Absit verò, vt quod est in Patre Verbum, à decoro errauerit; quin potiùs id quoque pulchrè admodum, ac ritè fecit. Existimauit enim operæpretium, vt qui iam diuinum, atque Dominum in se Spiritum haberent, etiam dimittendi aliis peccata arbitri essent, ac quorum vellent retinendi, E Spiritu sancto in iis habitante suo nutu scilicet tum remittente, tum retinente, quanquam res foriè gereretur per homines. Remittunt porrò peccata, siue retinent afflati Spiritu homines duobus modis, vt quidem existimo. Vel enim dignos ad Baptismum vocant, homines scilicet vitæ iam honestate fulgentes, ac fidei constantiâ probatos; vel quosdam prohibent, ac à diuinâ arcent gratiâ qui necdum digni enituere. Siue etiam alio modo peccata tum remittunt, tumque retinent, cùm Ecclesiæ filios delinquentes pœnis addicunt, iisdemque pœnitentibus indulgent; vti sanè & Paulus incestum Corinthium in interitum carnis tradiderat, vt spiritus saluus fie-

Deitatis Christi ac Spiritus argumentum, facultas peccata remittendi.

Iob. 34. v. 18.

Duplex modus remittendi peccata.

ἐπιτιμῶντες Non satis pressit Borbon. increpantes. est multare Ecclesiastico

more, quod vocant censuris corripere.

1. Cor. 5. v. 5. & 2. v. 7.

ret; eumdemque denuò recepit, ne abundantiore tristitiâ absorberetur, vti in Epistolâ ipse testatus est. Cùm ergo Spiritus in nobis existens ea impleat quæ vni Deo conueniunt, qui non erit Deus secundum naturam, qui naturæ diuinæ illustri dignitate naturâ præditus est, ac in sacras leges auctoritate pollet?

V. 24.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus, &c. Eximia ac stupenda miracula comitem fere habent incredulitatem; nec facilè auditores admittunt, quod conuenientis rationem excedit: vixque ipse aspectus, velut necessitate coactos, tractósque ad consensum adegerit. Tale quid sapientissimo Thomæ in Dominicâ resurrectione euenit. Non facilè aliorum discipulorum verum testimonium admittit, quanquam Mosis lege sanciente, vt in ore duorum, aut trium testium statet omne verbum. Videtur tamen ille mihi discipulus non tam dictis fidem derogasse, quàm summo tactus dolore, quòd non & ipse Dominum videre meruisset. Existimauit enim forsan eius se penitus aspectu cariturum. Sciebat quippe Dominum Vitam esse per naturam; mortique adeò effugiendæ, ac corruptionis destruendo imperio, haud imparem esse. Nam qui ab alijs mortem abegerat, quomodò non potiùs à suâ carne illam repulisset? Præ ingenti tamen gaudio incredulitati proximè, vixque non æstiùs, maioresque tollens spiritus gestiebat, iam eum coram videre percupiens, ac perfectè certior fieri, illum, sicut pollicitus erat, reuixisse. Filioli enim, aiebat Saluator, *Modicùm & iam non videbitis me: & iterum modicùm, & videbitis me. Et gaudebit cor vestrum.* Porrò existimo singulari admodum prouidentiâ exiguæ fidei vitio discipulum ad tempus laborasse, vt illo certiore facto, nos quoque posteri citra omnem dubitationem crederemus, ipsam quæ in ligno pependisset, ac mortem pertulisset, à Patre per Filium carnem viuificatam esse.

Deut. 17. v. 6.

Excusata Thomæ incredulitas, seu mitiùs explicata.

Ioan. 16. v. 17.

Rom. 10. v. 9.

Ideo & Paulus ait, *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Quòd enim carnis hæc natura vitæ reparandæ auctor non fuerit, sed virtute potiùs diuinæ, atque arcanæ naturæ res peracta sit; cui etiam naturâ inest vt cuncta viuificare possit, ideo & Pater per Filium potenti egit virtute erga diuinum illud templum: non quasi imbecilliore Verbo, quàm vt suum corpus excitare posset, sed quòd quæcunque facit Pater, per Filium vtique faciat. (Est enim ille eius virtus) ac quodcunque Filius fecerit, id omninò à Patre sit. Docemur itaque tantisper incredulo beato Thomâ, mysterium resurrectionis in nostro hoc terreno peragi corpore, ac ceu in primitijs generis, in Christo: ac neque spectrum, aut vmbram fuisse; vt nonnulli existimant, quæ humanam præferret formam, nostrique corporis notas mentiretur; neque, vt alijs stultè placuit, corpus spiritale (subtile scilicet & aërium, atque à carne diuersum) sic enim nonnullis visum spiritale concipere, eaque sumere notione. Quia verò tota nostræ spei ratio, ac vis inculpatæ fidei post sanctæ & consubstantialis Trinitatis confessionem ad carnis mysterium

Christi vera, & humanâ in carne resurrectio.

A Paschate.

spectat, percommodè istud quoque ipsum in sequentibus capitulis beatus Euangelista posuit. Vide enim quo pacto non simpliciter Thomas Dominum cernere cupiat, sed vestigia quærat clauorum, id est, in carne facta vulnera. Ita quippe se crediturum planè affirmat, atque alijs assensurum, verè Christum suscitatum: nimirum carnis ratione. Quod enim mortuum est, iurè ad vitam redire censeatur; ac in quo mors contingit, in eo planè & resurrectio peragatur.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis, &c. Nouo rursus ac insolito modo suis Christus discipulis illuxit. Non enim nostro more aperiri sibi fores, vt intrò inuaderet, iussit; sed quæ rem decebat, exque eius erat indole, velut spretâ ratione intrà receptus, mediâ ipsâ in domo inopinatò compareт; parem, vt par est, miraculi modum ipsi quoque beato Thomæ largitus. Planè enim cum primis in fide laboranti, ac qui angustioris fidei esset, remedio opus erat. Verbis autem compellat familiaribus, ac cuiusmodi sæpius in ore habebat, pacisque bonum venerabilis ritus salutationem nostri exemplo, sancit, vti à nobis dictum superiùs est. Iurè autem exactam propositi textus rationem mirabere. Tantâ enim diligentiâ ac cautione libri scriptor vsus est, vt non quouis modo Christum se sanctis vtique discipulis manifestasse dixerit, sed, *post dies octo*, atque id cùm essent congregati. Nam quid aliud sibi vult, quòd omnes vnam in domum conuenerant? Nempe propter exactam illam, ac summâ dignam admiratione obseruationem, dicimus Christum nobis etiam suorum conuentuum, seu collectarum tempus manifestum fecisse. Planè enim aduenit, ac conuescitur, moraturque cum ijs qui in eius gratiam congregati sunt, maximè ad octauum diem, hoc est, Dominicum. Cogitemus enim, si placet, quandóque quidem visum esse alijs Apostolis, quandóque verò rursus iisdem apparere, cùm Thomas esset cum illis.

V. 26.

τῶν ἐφ' ἑαυτῶ. qui eius nomine atque vt ille colatur, peraguntur; quorū maximè tempus dies Dominicus.

Scriptum est igitur paulò superius, *Cum ergo serò esset die illo, vnâ sabbatorum, & fores essent clausæ, stetit in medio.* Aduerte itaque vt vnâ sabbatorum, id est, Dominicâ, congregatis apparuerit discipulis; ac nihilo secius octauâ sequenti appareat. Non enim ex eo quòd dixit, *Post dies octo*, nonum diem ipsum significare suspicabimur: sed ipsum hunc octauum, quo apparuit, numero complecti. Iustissimis itaque de causis sanctos conuentus per diem octauum in Ecclesijs agimus: ac si quid etiam abstrusioris sensus loquendum sit, ob ineuitabilem spiritalium intellectuum necessitatem, fores claudimus, aduenitque atque apparet Christus omnibus, tum inaspectabili ratione, tum aspectabili; inaspectabili quidem, vt Deus; aspectabili verò rursus, in corpore; iubétque ac sanctam carnem suam tangendam porrigit. Accedimus enim Dei munere ad sumendam mysticam Eulogiam, Christum in manus suscipientes, vt & nos certò credamus, ipsum verè templum suum excitasse. Quòd enim communio mysticæ Eulogiæ confessio quædam sit resurrectionis Christi, facilè patebit ex ijs quæ ipse dixit, cùm per se ipse mysterij

V. 19.

Dominicæ apparitiones, primâ & alterâ Dominicâ.

Christi apparitiones in collectis nostris.

Ritus sumendæ Eucharistiæ.

X ij

1. Cor. 11. v. 24. ritum perageret. *Fregit enim panem*, sicut scriptum est, & distribuebat, dicens, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.* Sanctorum itaque Mysteriorum perceptio, vera confessio est, ac commemoratio, Dominum nostrum propter nos passum esse, ac in nostri gratiam resurrexisse; excepto etiam quòd & diuinâ hinc benedictione impleamur. Incredulitatem igitur, ceu rem quandam exitiosam fugiamus, vel postquam Christum tetigerimus; quin eximiâ fide, ac sensu firmiore eniteamus.

Rursus autem meminerit studiosus Lector, Mariam quidem Magdalenam à Christo vetitam ne se tangeret, his clarè verbis, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*; Thomæ verò indictum, vt tum latus contrectaret, tum clauorum vestigia digitis rimaretur. Quam autem ob causam, iam quidem clarè dictum est; repetam tamen etsi sermonis prolixitate amputarâ. Illi quidem nondum per tempus licebat tangere, quòd necdum Spiritus gratiâ sanctificata erat. Nam cùm adhuc nobiscum Christus versaretur, neque dum ad Patrem qui in cœlis est, ascendisset, Paracleti ad homines descensum peractum videre non licebat. Thomam verò iam & istud decebat, quippe qui vnà cum reliquis Spiritum consecutus esset. Non enim, vt superiùs dicebam, quòd à communi conuentu absuerit, idcirco Spiritu impartitus non est. Nam & ad eum se largitoris munificentia extendit, cùm toti sanctorum discipulorum cœtui donum impenderetur.

Atqui tetigere & mulieres apud Matthæum; quam bene Augustinus rationem urget.

Porrò inuestigandum illud quoque arbitror. Palpauit Thomas Saluatoris latus, ac lanceâ militari facta vulnera rimatus est; clauorum vestigia conspexit. At quomodò, inquiet forsan aliquis, in corpore incorruptibili, corruptionis signa extabant? Corporeæ namque corruptionis indicia sunt manuum & lateris relicta foramina, & vulnerum cicatrices: Atqui corpore ad incorruptionem reformato, omninò sequi debeat, vt quæ ex illâ sunt, omnia pariter abiiciantur. Nunquid enim si fortè claudicet aliquis, denuo resurget pede aut crure claudus? Quòd si quis oculis in hac vitâ fuerit orbatus, nunquid cæcus resurget? Quomodò ergo, inquies, corruptionem abiecerimus, si quæ ex eâ labes sunt, conseruatæ, in nostris corporibus vigeant? Ego hæc quidem non abs te quæri autumo. Dicimus tamen propositæ dubitationi quanta nostra facultas est adstipulari studentes, tempore resurrectionis nihil in nobis relictum iri ascititiæ corruptionis, sed quemadmodum sapientissimus Paulus de hoc corpore ait, *Seminatur in infirmitate, surget in virtute; & seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ.* Quid autem est in virtute & gloriâ futuram præstolari huius corporis resurrectionem, nisi quòd omni corruptionis atque morborum infirmitate ac ignobilitate depulsâ, ad ipsum quo conditum est, statum reuertetur. Conditum enim est, non ad mortem, ac corruptionem. Iam verò quòd ad certiorem fidem istud quoque Thomas peteerat, idcirco Dominus noster Iesus Christus, vt nihil incredulitati nostræ causandum reliqueret, quem in modum ille videre optaue-

Cur cicatrices in Domini corpore relictæ.

Integra ac sine vitio nostra futura corpora.

1. Cor. 15. v. 43.

Sap 1. v. 13.

A rat, sic & se conspiciendum præbet. Quin & in cœlum ipsum ascendens, supernisque Virtutibus, atque Principatibus ac Potestatibus, nec non Angelicorum ordinum Præfectis mysterii sui vim declarans, eadem ipsâ rursus formâ apparuit, quò vtique verè etiam nostri causâ factum hominem, quod ex Patre, ac in Patre est, Verbum crederent, ac quanta creaturas curâ prosequatur, etiam gustatâ illi morte, vt nobis vitam præstaret, intelligerent.

Etiam Angelis cum totis passionis oblatus Dominus.

Quod vt clariùs pateat, Esaiæ hoc ipso argumento verba proferam. *Quis est iste*, in- Isai 63 v. 1.

B quit, *qui venit de Edom, rubor vestium de Bosor?* At qui hæc clamant, ac dicunt; nempe, *Quis est iste qui venit de Edom*; id est, è terrâ, Angeli sunt ac Virtutes intelligentes. Ascendentem enim in cœlos mirantur Dominum: ac tantum non suo tinctum cruore videntes, cùm mysterium necdum intelligerent, ad ipsum dicunt, *Quare rubra sunt vestimenta tua, sicut de calcato torculari?* Vino quippe nouo ac recens calcato rutilum sanguinis colorem comparant. Quid verò ad eos Christus? Primùm quidem vt intelligerent esse se Deum naturâ, *Ego*, inquit, *qui loquor iustitiam*; id est, doceo. Qui autem iustitiam

C docet, quomodò non planè intelligatur Legis auctor? Quod si Legis auctor, quomodò non etiam Deus? Tum ad eum Angeli, Christo iis etiam clauorum vestigia exhibente, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Ad Zach 13. v. 6. quos Dominus, *Quibus percussus sum in domo meâ dilectâ.* Domus enim reuerà dilecta cùm esset Israël, clauis tamen & lanceâ Dominum vulnerauit. Militum quippe audacia, atque facinus Iudæorum meritò capitibus adscribatur. Ipsi quippe cruciatibus Dominum obtulerunt. Cùm igitur Christus ipsos quoque sanctos Angelos certiores volens verè se homi-

D nem factum esse, ac pro nobis crucem sustinuisse, atque à mortuis excitatum esse, non solis contentus verbis fuerit, sed & passionis signa exhibuerit; quid mirum, atque adhorrens videatur, quòd & beatum Thomam incredulitatis morbo leuatum, vestigia ei clauorum ostenderit, ac se aliter ac rei visus poscebat, omnium vtilitatis causâ, conspiciendum dederit; vt nempe citra omnem dubitationem peractum resurrectionis mysterium crederemus, non alio corpore, quàm quod morte functum erat, ad vitam reuocato?

E *Respondit ei Thomas, & dicit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Velox ad confes- V. 28. sionem, qui modò ad fidem tardus; breuique admodum tempore sanatus est. Octo quippe dies tantùm effluxere, ac quæ fidei obstaculo erant, Christo sublata, ostensis tum vestigijs clauorum, tum lateris vulnere. Verùm ad hoc forsan dicet aliquis, Cur verò sanctorum discipulorum animus tum subtili & accuratâ vtitur indagine; Nunquid enim non satis erant, ad excitati reuerâ atque agniti Domini fidem, corporis aspectus, vultus lineamenta, ac staturæ modus? Quid hîc dicturi sumus? Nempe non erant dubitatione soluti beati discipuli, tametsi Dominum conspexerant. Existimabant enim non illum esse reuerâ qui olim cum ipsis versabatur, etar-

erátque. ijs contubernalis, ac qui in ligno pe- A
penderat; sed spiritum potiùs ad Saluatoris
scitè simulacrum effictum, ac eius quam no-
ucrant summæ, vestigia mentientem. Nec ve-
rò nullâ certâ ex causâ, ac temere omninò
eò sententiæ delati erant; sed postquam clau-
sis foribus mirabiliter penetrasset, cùm terre-
num & crassum corpus conuenientem sibi quæ-
rat aditum, tantúmque sibi ad ingrediendum
spatij deposcat, quantum fert cuiusqoe mo-
les. Quapropter percommodè Dominus no-
ster Iesus Christus latus suum Thomæ deoudauit,
ac quæ in carue erant, vulnera propalauit, per
illum reliquos certiores faciens. Vnius quidem
v. 25. Thomæ habetur sermo, *Nisi misero manus meas,* B
Alij disci- & videro vestigia clauorum, & misero manum
puli perin- in latus eius, non credam, at omnibus quodam-
de ac Tho- modò commune crimen infidelitatis erat: oec
mas incre- planè aliorum discipulorum mentem scrupulo
duli. caruisse comperiemus, quamuis & ipsi sancto
Thomæ dicereot, *Vidimus Dominum.* Quod à
vero quidem non abhorrere, baud difficile ex iis
ostendatur, quæ nobis Lucas scripta reliquit.
Luc. 24. *Dum autem hæc loquuntur,* inquit, *stetit in me-*
v. 35. *dio eorum* (ipse nimirum Christus) *& dixit eis,*
Pax vobis. Conturbati verò & conterriti, exi-
stimabant se spiritum videre. Et dixit eis, Quid
turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda
vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia
ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus C
carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.
Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.
Adhuc autem illis non credentibus, & miranti-
bus præ gaudio, dixit, Habetis hîc aliquid quod
manducetur? At illi obtuleruntei, inquit, *partem*
piscis assi, & fauum mellis. Et accipiens, in con-
spectu illorum comedit. Vides vt incredulitatis
cogitatio non in beato Thomâ solummodò in-
sideat, sed & eodem morbo aliorum discipulo-
rum animus laboret? Ecce enim exhibitis quas io
cruce acceperat plagis, cùm adhuc eos diffide-
re cerneret, aliâ re ad fidem impellendos puta-
uit, quæ nullo quidem modo spiritui conuenie-
bat, sed terrenis propria corporibus esset, ac na- D
turæ carnis. Manducauit enim oblatum illum
piscem, sioe illius partem. Virúmque verò qua-
dam factum necessitate dabimus. Nam cùm
semel suscitatâ maximè sanctâ carne, nullus cor-
ruptioni locus relictos sit, quòd ille ad incorru-
ptionem resurrexerit, neque vsitato cibo indi-
gere credatur sicuti priùs; vestigia clauorum
ostendit, nec cibum sumere renuit, vt magnum
resurrectionis fundaret mysterium, & huius fi-
dem omnium nostrûm animis insereret. Facit
verò quæ abs spiritûs naturâ prorsus aliena sunt.
Vestigia quippe clauorum, & vulnerum cicatri-
ces, cibique corporei sumptio, vnde oam, aut
quomodò in nudum spiritum cadant, ac qui car-
oi coniunctus non sit, cui suapte naturâ conue- E
niat, vt in his extiterit? Itaque ne sibi persua-
dereot spiritum surrexisse, neue corpus impal-
pabile, vmbratile, atque aërium (quod nonnul-
1. Cor. 15. li solent nominare spiritale) sed ipsum illud
v. 42. corpus quod seminatum est in corruptione, iux-
ta Pauli vocem, excitatum crederetur, quæ so-
lido crassoque corpori conueniunt hæc egit,
prodiditque.

Haud porrò à rectâ ratione abhorreat, quod
iam ioinò diximus; nempe beatum discipulum
non tam animi debilitate nutantem non credi-

A Paschate.

A disse, quàm præ vehementi gaudio id illi con- *Thomæ in-*
tigisse. Audiuimus enim sic quoque de reli- *credulitas*
quis omnibus perhibentem Lucam, *Non cre- ex abundã-*
dentibus illis, & mirantibus præ gaudio. Igitur *tiori gau-*
admiratio, ac stupor tardiores præstandâ fide *dio.* *v. 41.*
discipulos reddebat. Quia verò nihil iam excu-
sabilis coram cernentibus incredulitas erat, ioe-
ritò beatus Thomas rectissimè eum confessus
est, dicens, *Dominus meus, & Deus meus.*
Coosentancum enim est, vt qui per naturam
Dominus sit, ac vniuersorum imperio polleat,
is quoque Deus existat; vti planè & à naturâ
Deo inesse videtur, vt vniuersis imperet, ac do-
mioationis maiestate præfulgeat. Obseruao-
dum aotem est singulariter, ac articuli adiectio- B
ne dixisse Thomam, *Dominus hic meus, ac Deus*
meus, non simpliciter, Dominus meus & Deus
meus, ne quis existimaret, nostro fere more,
seu sanctorum Angelorum, eum Dominum ac
Deum illi dictum esse. Multi quippe sunt in *1. Cor. 8.*
cœlo & in terrâ domini ac dij, sicuti nos sa- *v. 5.*
pieotissimus Paulus docuit. Enimuerò vnum
eum Dominum singulariter ac Deum, taoquam
ex Domino ac Deo per naturam natum qui sci-
ret, *Dominus hic meus,* ait, *ac Deus meus.* *Thomæ cõ-*
Quodque ad astruendam veritatem maius quid *fessio Do-*
momenti habeat; suum Christum discipulum *mino pro-*
istud dicentem, sicque sentientem atque creden- *bata, atque*
tem, quòd nimirum verè Dominus ac Deus ip- *laudata.*
C se existeret, audiuit, nec quicquam reprehen-
dendum putauit. Ergo eum qui credidisset,
laudauit; atque id rectè admodum. Atque ita
se rem verè habere, ex eo facilè noueris, quòd
ad eum qui sic credidisset, ac ita sentiret, sub
finem Euangelij dicit, *Euntes, docete omnes* *Math. 28.*
Gentes. Quòd si eum qui ita seotiat omnes *v. 19.*
Gentes docere iubet, ac orbis doctorem eom
constituit, non aliam vult nos habere fidem.
Dominus enim reuerâ & Deus est per naturam,
tum quoque cùm factus homo est. Cogita ve-
rò discipulum, cùm eius manus ac pedes, &
latus palpauit, confessionem ei detulisse, non
ita vt in duos filios secaret Emmanuelem, sed
D vt vnum atque eundem cum carne agnosceret.
Vnus enim Dominus Iesus Christus, secundum
Scripturas.

Dicit ei Iesus, Quia vidisti me, Thoma, *V. 29.*
credidisti: &c. Propensioris plena consilij
Saluatoris oratio, ac quæ maximam vtilitatem
creare possit. Nam hic quoque haud medio-
criter nostris ille animabus consuluit, eo quòd
bonus sit, ac, iuxta quòd scriptum est, om- *1. Tim. 2.*
nes homines saluos fieri, & ad agnitionem veri- *v. 4.*
taos venire velit. Admiratione verò dignum illud
est. Equidem par erat Thomam patienter ferre,
istud dicentem, sed & reliquos pariter discipu-
los, qui eum spiritum ac spectrum esse existi-
marent, atque ad orbis struendam fidem cla-
E uorum vestigia, ac perforatum latus spectanda
monstrare; insuetè item, ac nollâ necessitate
cibum sumere, vt nulla prorsus incredulitatis
causa ijs reliqua esset, qui horum sibi com-
pendium oppidò vellent prodesse. Verùm ne-
cesse erat vt & nobis seriò admodum cautum is
vellet, ac prospiceret. Ad hæc, inquam, opor-
tebat, vt & aliud prouideret, ne scilicet posteros
ad incredulitatem occasionis aliquid deuios tra-
heret. Verisimile enim erat, fore, qui cùm rectâ
relictâ viâ, ac spuriâ stultè pietate susceptâ, fi-
dem repudiarent, nec resurrectionem mortuo-

tum admitterent, in medium increduli illius dis- A cipuli more procedentes, dicerent, *Nisi videro in manibus eius vestigia clauorum, & misero manum meam in latus eius, non credam.* Nam quis eius rei demonstrandæ modus esset, non ampliùs in terris corporaliter constituto Christo, sed in cœlos reuerso? aut quomodò non aliquando suspicarentur hæc se rectè loqui, cùm Saluatoris discipulum æmulari viderentur, ac tanquam eximium quiddam sibi ascriberent non temere, & inconsideratè credere, sed ad certiorem fidem, quæ sanctis discipulis fuerant exhibita, hæc exigere? Hanc itaque ruinam & lapsum quorundam inhibet. Nouerat enim, qui verè Deus esset, diaboli malignam voluntatem, ac fraudis ar- B tificem: idcirco beatos eos prædicat, qui cùm non viderint, credunt tamen. Ac sanè verè ij digni admiratione. Quid ita? Quòd his quidem, quæ oculis vsurpamus indubitata debeatur fides; nec enim ab aspectu vllus ambigendi locus. Qui autem quod non vidit, suscipit, ac quod doctor in aures infuderit, verum esse credit, is eum qui prædicatur eximiâ fide colit. Ad eos igitur omnes spectabit ea laudatio, qui per sanctorum Apostolorum vocem crediderint, qui & ipsi viderunt, ac spectatores operum fuerunt, atque sermonis ministri, vti Lucas ait: quibus etiam operæpretium ipsi attendamus, si vitæ æternæ desi- C derio tenemur, atque supernas sedes ac mansiones vt teneamus, magni ducimus.

Commendato Christo nostra fides, ex auditu solo.

Luc. 1. v. 2.

V. 30.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c. Quam scripsit Euangelicam narrationem velut summâ Ioannes colligit, eiusque scopum palam auditoribus facit. *Vt enim credatis*, inquit, *& credentes vitam* æternam *habeatis*, hæc à me scripta sunt. Multa verò signa & opera esse dicit, nec ea tantùm quæ sibi sint perspecta, sed quæ alijs quoque Euangelistis cognita, quorum optimè recordari queant, si velint. Non enim omnia scripta sunt in libro hoc, inquit, sed ea duntaxat à me posita sunt, quibus abundè persuadendos putaui auditores, vt Iesum esse Christum Filium Dei credant. Hæc diuinus Euangelista. Ego verò illud rursus haud incommodè dicendum operæ- D pretium putauerim; nempe, si tota Scripturarum vis tantam nobis inserit fidem, ac præclarè admodum persuadet, vt illum qui natus est ex sanctâ Virgine, quique Angeli voce Iesus nominatus est, illum ipsum esse qui per Scripturam diuinam Christus prædicatur, sentiamus; illum ipsum, inquam, nec alium; nec simpliciter ac vulgari modo, sed Dei singulariter ac propriè Filium; quid facient demum, quidue loquentur ac quale iudicium magnæ illius diei tempore habebunt, qui per inscitiam de fide ambigunt; neque id modò, sed qui & duos Christos, vt existiment, alijs persuadere nituntur? Diuidunt enim in hominem seorsim, inque Deum Ver- E bum item seorsim, post etiam vnionem, atque arcanam omnique prorsus cogitatu superiorem cum carne coniunctionem. Errauerunt itaque ac procul abducti à veritate, quo sunt redempti, Dominum negauerunt. Nam naturæ quidem rationem si spectemus, cùm de Christo aliquid cogitamus, diuersam esse carnem ab eo qui ex Patre ac in Patre est, Deo Verbo comperiemus: sin autem vnionis cùm ipso vim consideremus, ac quoad eius est, eximium istud vimque omnem mentis superans mysterium exploramus, ceu vnum quid cum suâ carne Verbum intelligi- A mus: non quidem in carnem mutatum (non enim hoc dicimus, immutabilis enim est, nec prorsus vllius capax conuersionis, ac vicissitudinis Verbi natura) sed quòd ex diuino Templo, quod totâ fulciatur humanitatis essentiâ, ac ratione, exque viuente Verbo, vti sacris atque diuinis proditum literis est, vnus iam Iesus ac Christus existat, atque Filius. Quod in nobis quidem ipsis verum esse, atque ita se habere naturâ intelliges. Componimur enim in vnum hominem, qui animâ constet ac corpore, ita vt aliud sit corpus, alia quæ in corpore est anima, si vtriusque ratio spectetur: veruntamen ad vnum animal efficiendum concurrunt, nec diuidi B quidem à se patiuntur, postquam inter se vnita sunt.

Constra Nestorium.

Simile ab vnione animæ ad corpus, quo passim Athanasius, August. & alij vsi.

S. PETRI CHRYSOLOGI, *in superius Euangelium, de quintâ Christi manifestatione factâ discipulis cum abesset Thomas, déque sextâ cùm adesset.*

SERMO.

C Diebus quadraginta, quibus post resurrectionem suam Dominus diuerso modo refertur, & creditur suis apparuisse discipulis, haud immerito sermone ipsis lectionibus, ipsis deseruit & nititur sacramentis, vt Dominicæ passionis mœrorem multiplici resurrectionis indicio perfectum vestræ charitatis conuertat in gaudium: & qui antè per virtutem suam nostro resurrexit in corpore, nunc etiam per fidem nostris resurgat in cordibus.

Serm. 84.

Et cùm esset serò die illâ vnâ sabbatorum, &c. *Cùm esset serò*; serò erat plus mœrore, quàm tempore: serò est mœroris, & tristitiæ nubilo mentibus obscuratis. *Serò erat.* Quia & si crepusculum dederat aliquod resurrectionis indicium, necdum tamen eis Dominus refulserat plenâ sui luminis claritate. *Vbi erant discipuli congregati* D *propter metum Iudaeorum.* Magnitudo terroris & facinoris tanto turbine discipulorum domum simul & corda concluserat: & ita totum luminis abdicarat ingressum, vt magis magísque mœrore sensibus occupatis, cæca noctis augeretur offusio. Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris & formidinis comparantur: quia nullo possunt aut consolationis, aut consilij lumine temperari. Audi Prophetam: *Timor, & tremor venerunt super me, & operuerunt me tenebra.*

Ioan. 20. v. 19.

Serò Christus apparet.

Et cùm fores essent clausa, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus, & stetit in medio eorum. Rogo, cur dubitatur clausi corporis arcanum, & obseratum totâ inte- E gritate domicilium virginale absoluta diuinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur & egreditur clausis: talique indicio se totius creaturæ demonstrat auctorem, cui non obsistit, cui defertur ad omnia, creatura? Sed si conceptum, partúmque virginitas excusare suo nescit creatori: si ingressum, egressúmque clausa ianua creatori suo non potest denegare: quemadmodum lapis monumenti quamuis magnus, quamuis Iudaicâ malitiâ signatus, resurgenti poterat obsistere Saluatori? Sed sicut virginitas, & ianua claustris suis fidem faciunt deitatis: ita reuolutus

Psal. 54. v. 6.

Ingressus ianuis clausis.

lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nondum reuolutus Domino suo præparauit egressum, sed nostræ fidei præstat, & admittit ingressum.

Venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis. Discipulorum corda fidei & dubitationis, desperationis & spei, defectus & magnanimitatis, continui conflictus prœlia sustinebant: talium ergo cogitationum bella inspector præuidens secretorum, pacem primitùs se videntibus reddit: vt qui taliter ablatus materiam reliquerat confligendi, redditus oculis eorum causam totam certaminis amputaret. *Gauisi sunt*, inquit, *discipuli viso Domino.* Gauisi sunt; quantùm post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantùm est acceptius gaudium post mœrorem.

Pacem statim visis discipulis impertit. *V.* 20.

B *Dicit eis iterum, Pax vobis.* Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem quam sensibus indixerat singulorum, vult inter eos etiam repetitæ pacis donatione seruari, quos vtique non modica habituros esse nouerat in posterum de suâ cunctatione certamina: dum vnus se in fide perstitisse iactaret, dubitasse alter mœreret. Vt ergo & arrogantis iactantiam, tumoremque resecaret, & eius qui infirmatus fuerat sanaret, & excluderet passiones, causæ non discipulis quicquid acciderat pius mderator ascribens, imperio pacis suæ bella nascitura compressit: ne alter alteri improperaret, quod ipse, cui totum debebatur, donauerat in futuro. Petrus negat, Ioannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt: quibus nisi pacem suam Christus dedisset; & Petrus qui primus erat omnium, putaretur inferior, & sequens indebitè forsitan tolleretur aduersus primum.

V. 21.

Pacis iterata indictio.

Donata discipulis omnia in passione commissa. *Matth.* 26. *v.* 70. *Marc.* 14. *v.* 51. *Ioan.* 20. *v.* 21.

Sicut misit me Pater, sic & ego mitto vos. Missi sermo non minorat Filium, sed declarat: quia non mittentis potestatem hîc, sed missi voluit intelligi charitatem, cùm dicit: *Sicut misit me Pater.* Non Dominus, sed Pater. *Sic & ego mitto vos.* Non auctoritate adhuc iubentis, sed toto diligentis affectu: mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum: quæ omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas.

Missio non minorat Filium missum.

Missi discipuli ad tolleranda mala.

D

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione suâ infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissorem. *Hæc cùm dixisset, insufflauit eis, dicens: Accipite Spiritum sanctum, &c.* Vbi sunt, qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt? qui semel diabolicâ impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negántque medicinam? qui peccatoribus remittendi & redeundi desperatione impiâ resultant? Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus Sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem: qui post negationem, nisi pœnitentiam repetisset, Apostolatus gloriam, & vitam pariter perdidisset. Et si Petrus per pœnitentiam rediit, quis sine pœnitentiâ subsistit?

V. 23.

In Ecclesiâ est potestas remittendorum peccatorum.

Pœnitentiæ necessitas.

Thomas autem cùm audisset à condiscipulis suis quòd vidissent Dominum, respondit: Nisi videro figuram clauorum, &c. Cur Thomas vestigia fidei sic requirit? cur tam piè patientem, tam du-

V. 24.

A Paschate.

A rè discutit resurgentem? cur ea vulnera quæ manus infixit impia, deuota dextera sic resulcat? cur latus quod impij militis lancea patefecit, resodere manus nititur obsequentis? cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renouat immitis? cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœlestem medicum probaturus de vulnere discipulus sic requirit? Cecidit potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino sunt euulsa monumenta, & resurgente Domino tota mortis est mutata conditio: ab ipso Domini sacratissimo sepulchro lapis reuolutus est, linteamina resoluta sunt, & resurgentis ad gloriam mors fugit, vita rediit, caro amplius casum nescitura, surrexit: & cur tibi solus, Thoma, sola vulnera præsentari ad indicium fidei nimis callidus explorator expostulas? quid si ista cum alijs abolita fuissent, quod periculum fidei tuæ curiositas ista peperisset? Nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ resurrectionis inueniri æstimas potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcares Iudaicâ crudelitate exarata sic viscera?

Oratoria amplificatio: non enim Christus post resurrectionem dolores vllos sensit.

C Quæsiuit, fratres, pietas ista, exegit ista deuotio, vt resurrexisse Dominum nec ipsa in posterum dubitaret impietas: sed Thomas non solùm cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in Gentibus, quemadmodum tantæ fidei astrueret sacramentum, executor strenuus perquirebat. Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium resurrectionis suæ seruata sola vulnera prophetali spiritu cognouisset? Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardiùs implorat. *Venit*, inquit, *Iesus, & stetit in medio, & ostendit eis manus & latus.* Nam qui ingressus fuerat clausis ostijs, & meritò à discipulis spiritus esse putabatur: non aliter ipsum se, nisi ipsâ corporis passione, ipsis vulnerum notis, taliter dubitantibus, poterant approbare. *Denique venit, & dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, &c.* Vt effundant toto orbe iterum te aperiente, hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, sanguinem in omnium pretium iam fuderunt.

Nimis indulgens excusatio, cùm Scriptura Thomam notet incredulitatis.

V. 19.

V. 27.

Respondit Thomas & dixit; Dominus meus, & Deus meus. Veniant, & audiant hæretici: & sicut dixit Dominus, non sint increduli, sed fideles. Ecce non solùm corpus humanum, sed & pœnalis corporis passiones, Deum & Dominum esse Christum, Thomâ vociferante manifestant. Et verè Deus est, qui viuit ex morte, resurgit ex vulnere: qui talia & tanta cùm susceperit, viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum; Amen.

V. 28.

E

S. HILARII EPISCOPI ARElatensis, *in die Octauâ Paschæ.*

HOMIL. I.

Dignè, charissimi, pijs studijs exultemus in Christo sub præsenti solennitate, in quâ nobis inferorum diues spolijs tertia dies reddita est, excelsitudo de profundis, lux de tenebris, vita de mortuis: Ecce quantum pro salute ouium perditarum benigna pij Pastoris solicitudo discurrit. Sub vno eodémque tempore & hominem vsque ad paradisum reuocare dignatur, & mor-

Habetur & inter August. serm. de temp. 156. in append. 54.

Deſcenſus Chriſti ad inferos, ad mortem in ſuo regno triumphandam.

tem vſque ad inferna perſequitur, glorioſiùs captiuandam in regno ſuo, & magnificentiùs in ſuis ſedibus triumphandam. Ad deſcenſum itaque cœleſtis Domini profundum inferi panditur, peregrinum ſibi lumen inferri nox æterna miratur. Expauit ergo nox ſubitò non ſuum mortuum, imò expauit mortem ſuam. Aderat enim ille, qui dudum per Prophetam ſuum dixerat,

Oſee 13. v. 14.

O mors, ero mors tua; ero morſus tuus, inferne: & ideo non ſolùm in eo inuenire non potuit quid teneret, ſed etiam quos antea retinebat, reuocari ad ſuperos ſe nolente conſpexit: & quem debitorem ſuum putabat, exactorem potiùs experta eſt; & quem quaſi captiuum inferni vinculis adſtringendum eſſe credebat, quaſi liberatorem cum receptâ captiuitate redire mirata eſt: B ac ſic quem deſcenſione hominem iudicauerat, & Deum regreſſione cognouit.

Poterat quidem Dominus noſter, chariſſimi, hoſtem humani generis ſolâ maieſtate proſternere ſine incarnationis humilitate, ſine certamine paſſionis. Sed homo, qui proprio tranſgreſſionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpam ſuam incurrerat ſeruitutem, non violentiâ liberandus fuit, ſed miſericordiâ: & quia Deus æquitas & iuſtitia eſt, ipſe ſibi lex eſt: & quia homo iudicij & iuris ſui, ac liberi arbitrij præditus voluntate erat, qui voluntarius ceciderat, iniuſtum erat vt erigeretur inuitus. C Æquius & ſalubrius fuit, vt qui per ſuperbiam à diabolo perſuaſus fuerat ad mortem, à Deo per humilitatem ſuſcitaretur ad vitam. Iuſto ergo ordine qui per calliditatem maleuoli ſerpentis non impulſus, ſed ſeductus fuerat ad perditionem, rurſum per ſapientiam beneuoli Redemptoris non compellatur, ſed ducatur ad ſalutem: & qui cum ſuâ voluntate corruiſſe videbatur, cùm ſuâ rurſus voluntate repararetur, vt eſſet virtuti, ac remunerationi locus. Non ergo eum præcipit per violentiam, ſed potiùs per iuſtam beneuolentiam ſollicitat, & erudit in vitam, quia benignitas prouocantis, etiam meritum deſiderat adquieſcentis, & dignatiſſimi medici ſtudium, infirmi ſui requirit adſenſum. Cuius ineffabilem ad erudiendos nos dignationem, etiam præſens Euangelij lectio declarauit. Ait enim, ſicut audiſtis.

Homo qui voluntate ceciderat, voluntate erigendus erat.

Præmium iuſtis redditur non tantùm ex gratiâ, ſed ex merito.

Ioan. 20. v. 19.

Cùm eſſet ſerò die illo vnâ ſabbatorum, venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum. Quid mirum ſi Dominus ad diſcipulos glorificatum corpus clauſtris ſtupentibus intromiſit, qui illæſo materni pudoris ſignaculo, ianuam mundi huius intrauit, cuius ortum natura neſciuit? Non dubites ſi potentiam exercere videas triumphantem, quem tam ſtupenda perſpicis egiſſe naſcentem. E Quid hîc reſpondebunt Iudæi, ſepulto Domino diſcedentes, & ſignantes lapidem eum cuſtodibus? Quæ cùm ita ſint, quomodò eum repellere potuit obiectus repaguli, quem non coërcuerat pondus ſepulchri? Imò quomodo eum obſerata domus excludere potuit, quem includere mortis porta non potuit? Quid mirum ſi ſubſtantiam corporis noſtri per clauſa oſtia tranſmiſit, cui etiam penetralia ſupernorum, & ſolis Angelis familiare ſecretum patêre conſueuit?

Ingreſſus Dominus ad diſcipulos clauſis ianuis.

V. 25.

Cùm ergo dixiſſent alij diſcipuli, *Vidimus Dominum:* reſpondit Thomas, & dixit eis: *Niſi videro*, inquit, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manus meas in latus eius, non* A *credam.* Quàm bona infidelitas, quæ ſæculorum fidei militauit! *Niſi ego*, inquit, *videro in manibus fixuram clauorum:* vox iſta inquirentis eſt, non negantis: dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari deſiderauit. Et ideo ad eum Dominus ita ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Dum benignum præbet veritas moderata reſponſum, in Apoſtolo ſuo non dubitationis vitium, ſed ſollicitudinis inſtruxit affectum. Quia ergo illo tempore tanti myſterij nouitas verſabatur, meritò curioſæ perſcrutationis non eſt excluſa ſedulitas. Accedit quod in his Apoſtoli verbis mundi vtilitas agitur. Oſtendit ergo manus & latus. Neceſſarium enim erat vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obduxerat veritatem; & agnitionem quodammodò claritas obſcurauerat.

Pia Thomæ excuſatio. V. 27.

Viſis ergo cicatricibus, *reſpondit Thomas, dicens: Dominus meus, & Deus meus.* Nouo genere veſtigia vulnerum diuinitati præbent teſtimonium: quia templum Dei, indumentum corporis vulnerati. Duas hoc loco in Chriſto miratur ſubſtantias: Fixuram perſpicit corporis, & Deum prædicat maieſtatis. Vbi ſunt, qui dicunt animas nouis, in quibus antè non vixerint, corporibus induendas? Ecce in reſurrectionis auctore hoc ipſum video reſurrexiſſe, quod cecidit: & C ideo *mortuus nõ adijciet, vt reſurgat?* Quare mortem ſomno adſimulauit? quia in vno eodémque homine nunquid alter eſt qui in ſomno reſoluitur, alter verò qui ab eiuſdem ſomni ſtupore ad vigilandi officia ſuſcitatur? non vtique, ſed ipſa abſque dubio membra euigilaſſe credenda ſunt, quæ dormitionis ſtupore laxata ſunt: ita mors, corpus quod in puluere confectum ſuſceperit, idem ipſum diſcuſſa reſtituit: nec rude, ſed rediuiuum ius cognitus ſpiritus recognoſcit: & propterea myſterium reſurrectionis etiam de minimis exponens ita Apoſtolus loquitur, reſurre- D ctionem grano tritici comparans: *Etenim quod tu ſeminas, non viuificatur, niſi priùs moriatur.* Si quando, vt mos eſt, fruges putribus ſulcis agricolâ fœnerante creduntur, nunquid aliud eſt quod ſepelitur in ſemina, aliud quod vireſcit in germina? Sed ſingula quæque corpora non de nihilo, ſed de ſui origine producuntur, & recentia de veteribus innouantur. Cùm autem de reſurrectione loqueretur Apoſtolus, dicens: *Quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur: & vnicuique*, inquit, *ſeminum proprium corpus*, non vtique genere ſuo alienum, ſed naturâ ſuâ proprium, & de materiæ ſuæ qualitate reparatum. E Reuocabitur ergo in contubernium priſtinum animæ, & corporis vnitas, ſed nullis vnquam ſæculis diſcutienda germanitas. Noſtrum eſt gratiâ auctoris & redemptoris inniti, vt ad illorum numerum pertinere videamur, de quibus Apoſtolus dicit: *Simul rapiemur obuiam Chriſto in aëra, & in nubibus, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Dignum enim eſſe iudicauit, vt germani corporis animæque ſubſtantiâ, cum Chriſto ſimul regnent in cœlis, qui Chriſto ſeruierunt in terris.

Eodem corpore reſurrecturos probat ſuſcitatio Chriſti corporis. Pſal. 40. v. 9.

1. Cor. 15. v. 36.

1. Theſ. 4. v. 16.

EIVSDEM IN EODEM
HOMIL. II.

RESurrectio Domini nostri, charissimi, cum quâ vniuersa generis humani conditio resurrexit, sicut ingentia beneficia, ita magna in se continet sacramenta: quæ quidem aperta miraculis, & operta mysterijs, credulitatem nostram sicut adimpleuit in præteritum, ita corroborat in futurom: vt ea quæ similiter sunt prædicta, id est, sicut specialem, ita generalem omnium resurrectionem, ita iudicium credamus & regnum. Qui ergo euidenter quæ dio sunt expectata suscepimus, fiducialiter necesse est quæ sunt expectanda credamus. Si fortis fuit fides quæ experimenta præcessit, fortior debet esse quæ iam manifesta subsequitur.

Ioan. 20. v. 19. Ingressus Dominus clausis ianuis.

Audiuimus Euangelicæ lectionis oraculum: *Cùm esset serò*, inquit, *die illo, vnâ sabbatorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati, venit Iesus, & stetit in medio.* Per obserata itaque ostia sacrum Dominici hominis corpus inlapsum, & expositâ terrenâ consuetudinis fragilitate, clausis ianuis influxit defæcata, & glorificata substantia. Nihil nouum est in virtutibus Christi. Hic est ille, qui inter ipsa adorandæ natiuitatis sacra primordia, ad nos inuiolato maternæ integritatis signaculo, oaturâ stupeore processit: nec mirum si innuptæ sinus matris non resoluerat natus, quos magis probatur sanctificasse conceptus. Hic est ille, qui ex inferis remeans, carcerem noctis æternæ nullo aperiente transgressus, consequenter de monumento, hoc est, de corruptionis loco, incorruptum corpus eduxit, & ad superna remeauit. Ait itaque sermo diuious: *Venit Iesus ianuis clausis, & dixit, Pax vobis.* Quid miramur, si pacis annuntiat gratiam, post recentem de mundi hoste victoriam? Tale primitùs Regi deferre decuit præmium, post triumphum. *Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Præfert pijssimus liberator per vulnerum signa, celebranda redemptionis insignia. Præfert clauorum confixione corpus inserium, & lanceæ illisione confossum. Quid hoc est? Expoliata est fragilitas, exinanita mortalitas, sola in cicatricibus permanent recoerendæ testimonia passionis. Nimirum illud solùm resurrectio vnde erat credenda non abstulit. *Ostendit* ergo *manus & latus*, ne subitò non eadem caro crederetur resurrexisse, quæ passa est: ne causam ipsam gloriæ obscuraret fortasse lux gloriæ, ne splendor resurrectionis fidem obduceret veritatis. *Ostendit eis manus & latus*, vt qui paulò antè in tuo Deum corpore inspexeras, nunc in Dei lumine tuum corpus agnosceres: vt tantum de spe caperes gaudium, quantum de nouitate miraculum. Tangi itaque se, agnoscique voluit, vt sacra illa caro & vera appareret; & propria.

Egressus ex vtero, inuiolato signaculo maternæ integritatis.

Cicatrices seruatæ ad fidé resurrectionis.

Resurreximus in proprijs corporibus.

Vbi sunt qui per infidelitatis mortiferum errorem delapsi dicere audét, animas defunctorum in noua, & in aliena corpora reuersuras? qui dicere audent, animas in vasa extranea refundendas, & in tabernacula peregrina redituras? Excitet hoc loco fidem nostram sanctus Apostolus Thomas. Nobis enim ille & interrogauit, & credidit: nos illius erat eruditura dubitatio, nos illius roboratura confessio. Exploremus cum eo Do- A mini cicatrices cordis nostri manu, inspiciamus sensu, tangamus affectu, vtrum in ipso corpore quod mortuum est sit resurgendum. Interrogemus vitę nostrę corpus notis euictę mortis inscriptum. Interrogemus ipsum Domini tumulum, triduano honore vacuatum. O quicunque ille es, quid collatum substantiæ meæ beneficium, in corpus transcribis extraneum? Ecce illud ipsum video inferri cœlo, quod iacuit in sepulchro. Quid tibi inter hæc iniquitas dolenda mentiris? Si te non de tuo puluere, non de tuis ossibus æstimas reparandum, sine causâ dicis in symbolo: *Credo carnis resurrectionem*: Quomodò potes de carne dicere, quòd resurgat, si non est ipsa quæ cecidit? Nam sermo io se diuinus dum absolutè pronuntiat quòd resurgat, ipsam B ostendit fuisse quæ iacuit. Si corporis, quæ antè non vixit, innouandam putas esse oaturam, institutam dicere poteris, non poteris restitutam. Si nouâ nescio quâ homines sunt carne formandi, tollitur & ratio & appellatio resurgendi. Cùm hæc ita sint, nihil erit pretiosus ille Martyrum sanguis, si non ipsa caro honoratur præmijs, quæ est probata supplicijs: si non ipsa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphauit: quæ ideo tolerabiliter doluit se afflictam, quia fideliter credidit reformandam.

Secundum hæc, si non in eâ quâ vixisti carne iudicandus es, non est quòd timeas quicunque ille es vas criminum: aperi campum flagitijs, di- C mitte fræna peccatis, irrue securus ad culpam miles quisque vitiorum: non est quòd timeas, alius pro te supponetur ad pœnam: non expauescas vetusta malitia, noua nescio quæ pro te natura damnatur. Si ita est, quantum video, nocentibus morte succurritur, cruciatus innocentibus præparatur. Patietur hoc illa cœlestis sapientiæ plenitudo, vt exhibeatur ad ordinatum iustissimi cognitoris examen irrationabili & inordinato modo vnus duorum corporum spiritus, & antiquo interiori, nouus iungatur exterior? Expectabunt vnam sententiam in ipso eodémque homine, vnus reus, alter innoxius? Caro proprio in puluere suo dormiens, vltra non sentiet delictum proprium: & quæ antè non fuerat, D subitò nascetur ad crimen alienum? Sed non ita est, nam de nostris loquitur Apostolica doctrina corporibus. Audi quomodò magister Gentium Paulus digito substantiam corporis nostri, beati Thomæ more contingit, & dicit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam*: hoc est dicere, mortale nostrum in quo nati sumus, ipsum de fauillis ita reparandum est, ne vltra possit morte dissului. Ipsâ itaque sumus exterioris nostri veste specialiter induendi, quâ fueramus exuti: vt anima ad pristinum reuersura collegium, aut de recognitione indigni commilitionis erubescat, aut de consortij honorabilis socie- E tate congaudeat.

1. Corin. 15. v. 53.

Quæ cùm ita sint, audiamus Prophetam resurrectionis præsentiam ante tot sæcula velut sub oculis depingentem. *Hæc dicit Dominus Deus: Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego mitto in vos spiritum, & viuetis. Et accesserunt*, inquit, *ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.* Hoc Propheta ante annorum millia faciendum loquitur, quod surrectione Christi factum Euangelista testatur, dicens: *Et multa*, inquit, *sanctorum corpora resurrexerunt, & visa sunt sanctâ in ciuitate.* Cùm hæc

Ezech. 37. v. 4.

Matth. 27. v. 52.

A ita ſint, quæ iubebamur quondam ſecuturis temporibus impleoda fiducialiter expectare, nefas eſt ea cùm iam ſint impleta, noo credere. Ait ergo: *Oſſa arida audite verbum Domini. Immittam in vos ſpiritum, & viuetis.* Vitam promittit: non ergo ſolùm conditor, ſed reparator eius materiæ eſſe cognoſcitur: qui cineribus pollicetur & in conſequenti: *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.* Aduerte quod non aliquid recens ex nihilo facit, qui vitam aridis oſſibus repromittit: aduerte quòd viuificationem ſuam non nouis tribuit, ſed vetuſtis, cui vita ſeruit in tumulis.

Reparandum itaque me in corpore meo, & circundandum me pelle meâ, credo quidem ſermonibus annuntiantis, ſed plus credo cicatrici- B bus reſurgentis: quas quidem in reſurrectione Domini ad confirmandam vniuerſitatis fidem ſpeciales fuiſſe manifeſtum eſt: vt per teſtes crucifixi corporis plagas definitiſſimè nouerimus, omnes ſub reparationis die animas ad corpus proprium reuerſuras: in noſtrâ verò reſurrectione nulla alicuius remanebunt indicia læſuræ, nulla penitus apparebunt veſtigia vlceris, aut debilitatis in carne, vtinam non inueniantur in corde. Elaborandum itaque eſt, ne ſub illo tremendæ recognitionis examine multæ aliæ cicatrices manifeſtentur, ac reuelentur in medium vulnera flagitiorum: ne plagæ conſcientiarum, ne horrendæ homicidiorum maculæ, ne obſcœnæ fœda ſigna luxuriæ, in illâ die deficientibus præ do- C lore oculis ingerantur: & ideo cuſtodiamus totis viribus regenerationis dona, redemptionis munera, ſacræ imaginis ornamenta: vt quandoque in conſpectu iudicis noſtri, non diaboli vlcera, ſed Chriſti ſtigmata reparato in corpore præferamus: neque hoſtis noſter aliquid ſuum in membris noſtris, ſed ſua in nobis Redemptor noſter membra agnoſcat.

Nulla erunt in corporibus reſuſcitatis indicia læſuræ.

V. 29.

Quòd autem dixit, *Quia vidiſti me, & credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Si beatitudo eſt credere quod annuntiatur, quantò maioris beatitudinis erit videre quod D creditur? Ideo autem dixit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt:* vt promiſſa cœleſtia non intelligendo ſeu diſcutiendo adquirenda tibi noueris, ſed credendo promerenda; vtique ea, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Quantum erit illic in rei præſentiâ iocunditatis, tantum nunc eſt in fidei credulitate mercedis. Nulla autem virtus animi eſt ea credere, quæ videntur: & ideo dicit beatus Apoſtolus: *Nam quod videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.* Magnus itaque ante Deum fructus eſt repromiſſa ſua, quæ nondum poſſis E vultu cernere, iam nunc ſpe proſpicere atque animo poſſidere. Deſideria præ oculis habere, & quæ inſinuata ſunt ſenſibus, tanquam aſpectibus ſubiecta diligere, & quaſi iam reuelatâ munerum facie, ita Deo fideiuſſore gaudere, & per fidem minimè dubitare honore teſtimonium promittentis. Ac ſic pro inquirentis ſtudio, pro credentis affectu creſcit futuræ dulcedinis magnitudo; & pro eo quòd interim præmium ſperantis abſconditur, deſiderium nutritur, & meritum dilatatur, & ideo dixit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Deus, quam abſcondiſti timentibus te, & perfeciſti ſperantibus in te?* quia beatitudo cœleſtium promiſſorum, ſicut illic in rei

Dei promiſſa, non diſcutienda, ſed credendo promerenda.

1. Cor. 2. v. 9.

Nulla virtus credere quod vides.

Rom. 8. v. 24.

Pſal. 30. v. 20.

A poſſeſſione donatur, ita iam nunc in ſpei expectatione perficitur: tantóque ditior erit beneuolentia in remunerante vel gratia, quantò ampliùs fuerit in ſupplicante fiducia, illuminante & accendente ſenſus noſtros Deo noſtro, in ſæcula ſæculorum: Amen.

S. FVLGENTII EPISCOPI
Ruſpenſis, de ianuis clauſis.

Et ſermo 40. inter nouos; ſapit magis Auguſtinum.

SERMO I.

RESurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm veritatem quatuor Euangeliſtarum heſterno die videmus eſſe completam. Pri- B mo enim die lecta eſt Reſurrectio ſecundum Matthæum, altero die ſecundum Lucam, tertio ſecundum Marcum, quarto, id eſt, heſterno ſecundum Ioannem. Sed quoniam Lucas & Ioannes de ipſâ reſurrectione, & quæ contigerunt poſt reſurrectionem plura ſcripſerunt, quæ non poſſunt vnâ lectione recitari, & heri audiuimus aliquid ſecundum Ioannem, & hodie adhuc aliæ lectiones reſtant. Hodie ergo quid audiuimus? Quia ipſo die quo ſurrexit, id eſt, Dominico die, cùm ſerò factum eſſet, & eſſent diſcipuli in vno loco, & oſtia clauſa eſſent propter metum Iudæorum, apparuit Dominus in medio eorum.

Ioan. 20. v. 19.

Ipſo ergo die, ſicut Euangeliſta Ioannes teſtis eſt, bis apparuit diſcipulis, manè & ſerò. Ex eo C quod mane apparuit, etiam ipſa lectio recitata eſt. Quod verò eodem die ſerò rurſus apparuerit, modò cùm recitaretur audiuimus. Non opus erat vt à me iſta commemorarentur, ſed vt à vobis aduerterentur, vt ſciatis non ſolùm qui audiſtis, ſed etiam de quâ Scripturâ vobis legitur, quod audiſtis. Videamus ergo quod nobis ad loquendum hodiernâ lectione proponitur. Ipſa quippe lectio admonet nos, & quodammodò loquitur nobis, vt aliquid dicamus, quemadmodum Dominus, qui in eâ ſoliditate reſurrexit; vt non ſolùm videretur à diſcipulis, ſed etiam tangeretur; potuerit illis apparere oſtijs clauſis. D Nonnulli enim hac de re ita mouentur, vt penè periclitentur, afferentes contra miracula diuina iudicia ratiocinationum ſuarum. Sic enim diſputant. Si corpus erat, ſi caro & oſſa erat, ſi hoc reſurrexit de ſepulchro, quod pependit in ligno: quomodò per clauſa oſtia intrare potuit? Si non potuit, dicunt, non eſt factum. Si potuit, quomodò potuit? Si comprehendis modum, non eſt miraculum. Et ſi miraculum tibi non videtur, propinquas vt neges, quia de ſepulchro reſurrexit.

Difficile intelligitur Dominici corporis ianuis clauſis ingreſſus.

Reſpice ab initio miracula Domini tui, & red- E de mihi de ſingulis rationem. Vir non acceſſit, & virgo concepit. Redde rationem, quomodò ſine maſculo virgo conceperit? Vbi defecerit ratio, ibi eſt fidei ædificatio. Ecce habes in vno Deo concepto miraculum, audi & in partu. Virgo peperit, virgo permanſit, iam tunc Dominus antequam reſurgeret per clauſa oſtia natus eſt. Quæris à me, & dicis, ſi per clauſa oſtia intrauit, vbi eſt corporis modus. Et ego reſpondeo. Si per mare ambulauit, vbi eſt corporis pondus. Sed fecit illud Dominus tanquam Dominus. Numquid ergo quia reſurrexit, deſijt eſſe Dominus, qui & Petrum fecit ſuper mare ambulare. Quod in illo potuit diuinitas, in iſto fides impleuit. Sed quia Chriſtus potuit, Petrus quia

Dei miraculorum ratio reddi nequit.

Natus Dominus per clauſa oſtia.

Matth. 14. v. 29.

Christus adiuuit. Si ergo cœperis humano sensu miraculorum discutere rationem; timeo ne perdas fidem. Nescis nihil impossibile esse Deo? Quicunque ergo tibi dixerit, Si intrauit per ostia clausa, non erat corpus: responde illi & tu è contrario, Imo si tactus est, corpus erat: si manducauit, corpus erat, & fecit illud miraculo, illud naturâ.

[Ipsæ naturæ rerum miraculis plenæ.]

Nonne admirandus est quotidianus cursus? Ipsæ naturæ omnibus miraculis plenæ sunt, sed assiduitate viluerunt. De consuetis & solitis interrogo. Redde mihi rationem, quare tam magnæ arboris fici semen tam modicum est, vt videri possit vix; & humilis cucurbita tam grande semen parit? In illo tamen grano seminis exiguo vix visibili consideres animo, non oculo. In illâ exiguitate & radix latet & robur, & folia futura occulta sunt, & fructus qui apparebit in arbore iam est promissus in semine. Non opus est multa percurrere: de quotidianis rebus nemo reddet rationem, & exigis à me de miraculis rationem? Euangelium lege, & crede facta quæ mira sunt.

[Mûdi creatio ex nihilo maximum opus.]

Plus est quod fecit Deus, & nô miramur quod excedit omnia opera. Nihil erat, & mundus est. Sed non potuit, inquis, corporis moles intrare per ostia clausa. Quanta fuit illa moles corporis? Nunquid qualis cameli? Et tamen Dominus volens ostendere difficultatem diuitis intrantis in regnum cœlorum, & considerantea hoc discipuli fieri non posse contristati sunt, nullum diuitem posse saluari. Respondit Dominus. *Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt.* Potest Deus & camelum per foramen acus traijcere, & diuitem introducere in regnum cœlorum. Quid mihi de ostijs clausis calumniaris? Ostia clausa habebant vel rimam. Compara rimam ostiorum foramini acus, compara molem carnis humanæ magnitudini camelorum, & noli calumniari diuinitati miraculorum.

[*Matth. 19. v. 26.*]

EIVSDEM DE IISDEM *ianuis clausis.*

[Sermo 42. inter nouos]

SERMO II.

TVta est ianua vbi ingreditur pater familias: ipse enim est ostium, & ianua. Sic ingreditur directus, subtilis, vt edoceat, non commoueat: vt lætificet inspirando, non strepitum faciat visitando. Descendit de cœlo Deus, audit surdus, loquitur mutus, credit cor diffidentis, & nullus est strepitus Saluatoris intrantis, quia nouit intrare per ostia clausa. Intrat cor hominis antea non credentis, & omne quod bonum est blasphemantis: cùm cœperit credere, incipit admirari. [Expauescit ad credentem, & Christum in cor eius miserantis intrantem.] Nunquid aperitur compago membrorum? Nunquid crans corporis sibi connexa à suis separantur articulis, vel necessarijs ligaturis? Sic ostia clausa vbi erant Apostoli conclusi veritate ingressus est corporis, non tantùm præsentiâ maiestatis. Sic consueuit intrare; vt antè promittat gaudium, quàm faciat strepitum. Ingressus est vterum Virginis, Spiritus sanctus superuenit in illam, & virtus Altissimi obumbrauit eam. Generatur, & porta illa clausa est, quam nemo ingreditur, nisi Princeps solus, *& clausa*, inquit, *erit in sempiternum.*

[*Isai. 35. v. 5.*]
[Ingressus Domini clausis ianuis.]
[Vitiosa litera: fortè: *ad viuentē Christum, in cor eius miserantem.*]
[*Ioan. 20. v. 19.*]
[*Luc. 1. v. 35.*]
[*Ezech. 44. v. 2.*]

Ecce igitur modò qui surrexit de monumenti custodiâ, ingreditur ad Apostolos ianuâ clausâ, & de sepulcro *Angelus* (sicut legimus) *reuoluit lapidem, & sedit super eum.* Nunquid si Angelus non descenderet, Christus de sepulcro non resurgeret? aut impediebat lapis Dominum, nisi esset remotus ab Angelo? Imò resurrexit Dominus, vt non esset Angelus necessarius. Obsequio aderat, non auxilio. Resurgens de sepulcro, & Mariam agnoscens in horto, interrogat Mariam. *Quid ploras?* Et illa, *Rabboni*, quod est, Domine. Ipse ergo intrat modò ad Apostolus ianuis obseratis. Dic Euangelista quomodò intrauit? Vnde venit? potenter intrauit, gehennam aperuit, spolia cepit. Ianuas intrauit, & Apostolos salutauit. Non dixit, patefactæ sunt rimulæ ianuarum, nec compago ianuarum soluta est. Quomodò, inquit hæreticus, verum (vt dicitis) corpus per ligni tabulas clausas intrauit? Rectè hoc diceret, si ante passionem causaretur: quando adhuc mortale corpus gerebat passioni subdendum, inimicis tenendum, clauis figendum, lanceâ compungendum, sepulturæ mandandum. Iam enim omnis crassitudo illa assumpti corporis, in diuinitate fuerant absorpta, & immutata, nec tamen exinanita.

[*Matth. 28. v. 2.*]
[*V. 15.*]

O magnum mysterium! Intrat ianuis clausis, & cicatrices monstrat apertas. Ipsi nihil obstabat intranti. Thomæ præpediebat incredulitas dubitanti. Quid dicis Thoma? *Nisi videro foramina clauorum eius, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Fidele testimonium quærentis & demonstrantis, palpantis & offerentis. Nunquid Dominus dixit, Frustra requiris vulnera mea? Libenter accepit quod dubitator præsumpsit. *Infer manum tuam in latus meum*, & non fallatur tactus tuus: & si dubitator non palpauit, sed Saluator obtulit quod ille quæsiuit. Spiritus, nec palpari, nec tractari potest, sed quia verum corpus erat; & verum corpus ianuis clausis intrauit, ipse dixit: Thoma, *infer manum tuam in latus meum.* Quid est Thoma? Inde Dominum recognoscis, si palpes vulnera passionis? Et ille: Hoc mihi sufficit ad credendum Dominum meum, si eius medelam tetigero cicatricum. Ibi est enim potestas. Illic est omnis pietas. Melius te Domine cognosco de passione tuâ, melius tango in cruce tuâ, quia exaltatus es pro salute meâ. *Exaltare Domine in virtute tuâ, cantabimus & psallemus virtutes tuas* Quomodò cantabimus? *Dominus meus, & Deus meus.* Aperuit ianuas diuinitatis, qui ingressus est ianuis clausis, & donauit omnibus pacem de sui corporis veritate.

[*V. 25.*]
[Incertum habet Augustinus an tetigerit.]
[*Psal. 20. v. 14.*]

EIVSDEM VNDE SVPRA.

[Sermo 42. inter nouos]

SERMO III.

IMperator terrenus non visitat in timore constitutos alumnos, quomodò Dominus Christus metuentes visitauit Apostolos. Nam si propter salutem terreni Regis comites concluduntur obsidionibus tyrannorum, non dignatur Imperator ipse venire ad conclusionem timentium famulorum: potest exercitum mittere ab subueniendum, proprium autem non humiliat principatum. Dominus autem noster est Rex cœlorum, Dominus Angelorum, suscitator mortuorum, salus desperatorum. Non Angelos direxit ad Apostolos metuentes, qui timebant Iudæos

[Domini in suos metu conclusos pietas, vt suâ præsentiâ recreet.]

Domini crucifixores, sed ipse venit asceodens à mortuis, introiuit ianuis clausis: vt qui pro illis fuderat sanguinem, daret illis de sui præsentiâ securitatem. Intrat autem cœlestis Imperator, mortis extinctor, humani generis liberator, non per vela purpurea, non cortinis transitur auratis, sed ipse præcedentibus in Spiritu angelicis legionibus ingreditur perpetuus Imperator. Nullus leuat velum, nemo aperit ostium. Sic ingressus est per ianuam clausam, qui aperuit mortis gehennam, qui nostram soluit catenam, qui cœlos aperuit & descendit, & cum corpore iterum cœlos ascendit, penetrans interiora velaminis, quod opponitur oculis nostris. Ipse enim potuit per ianuam clausam Deus verus & homo verus intrare, librum cum septem sigillis reserare, & thesauros sapientiæ occultos intrare. Bonus eius introitus, quem pacis comitatur nuntius, & securitatis effectus

Apoc. 5. v. 5.

Quid dicit timentibus se? *Pax vobis.* Pax salutat in pace, quia iam poterant discipuli formidare, & tamen ausi sunt de eius vulneribus retractare. Dicit eis qui subuenit eis, Ego dixi, Pax vobis, & infidelitas fixa est in vobis? Ego suscepi vulnera vestra, & vos facitis de meâ passione certamina? *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Thomas absens erat de grege, periclitari cœpit in fide, quia necdum viderat Saluatorem. Dicunt ei discipuli, *Vidimus Dominum.* Et ille dicit eis: Vidistis Dominum crucifixum? magnum miraculum. *Nisi videro fixuram clauorum eius, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Thomas dubitat, & Christus intrabat. Introiuit pax, & recessit incredulitas. Thoma quid desideras? Palpa si palpas. Palpa vulnera mea vt non palpites in fide tuâ. Manum vis in latus meum mittere? Vtinam velis totus intrare. Patent foramina mea, vt ad cœlos tibi pateat ianua mea. Audiuit dulcissimam vocem, & recepit integram fidem. De vulneribus medici accepit auditum, & ægrotus bibit antidotum. *Tu es*, inquit, *Dominus meus, & Deus meus.* Intrauit in foramina Christi, & aperta est ianua regni cœlestis Semper ipsa nos curent, & reficiant vulnera nostra, quæ tribuerunt sæculo medicinam, vt semper cantemus Alleluia.

Ioan. 20. v. 19.

Luc. 24. v. 38.

Ioan. 20. v. 25.

V. 28.

BEATI GREGORII PAPÆ
in superius Euang.

HOMILIA.

Ex hom 29. in Euang.

Diuina operacomprehendi, nequeunt humanâ ratione.

PRima lectionis huius Euangelicæ quæstio animum pulsat, quomodò post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est, quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex aliâ eius operatione pensanda sunt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora Illud enim corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exiit vtero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis vtero exiuit? Sed quia ad illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinùs manus & latus: palpandam carnem præbuit, quam clausis ianuis introduxit. Quâ in re duo mira, & iuxta humanam rationem sibi valdè contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum & incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrumpi necesse est, quod palpatur: & palpari non potest, quod non corrumpitur. Sed miro modo, atque inæstimabili Redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, vt monstrando incorruptibile, inuitaret ad præmium: præbendo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo, & palpabilem demonstrauit, vt profectò esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ.

Christi corpus post resurrectionem & incorruptibile, & palpabile; vt idē ipsum, & alterius gloriæ.

Dicit eis, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit, sed tamen amauit Filium, quem ad passionem misit. Electos verò Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & Filius amatur à Patre & tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli amantur à Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundo. Itaque rectè dicitur: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: id est, eâ charitate vos diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. Quamuis mitti etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi: eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur. Nam sanctum quoque Spiritum, qui cùm sit coæqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet, dicens: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Si enim mitti solummodò incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubiò Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est: sed eius missio, ipsa processio est, quâ de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.

Ioan. 20. v. 21

Missus à Patre Filius ad labores, & ab eo discipuli.

Mitti à Patre Filium, ipsum hoc quod ex eo nasci.

Ioan. 15. v. 26.

Missio Spiritus S. eius à Patre Filioque processio, connotato tamen temporali effectu.

Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quærendum nobis est, quid est, quòd Spiritum sanctum Dominus noster & semel dedit in terrâ consistens, & semel cœlo præsidens. Neque enim in alio loco datus Spiritus sanctus apertè monstratur, nisi nunc cùm per insufflationem percipitur, & postmodùm cùm de cœlo veniens, in linguis varijs demonstratur. Cur ergo priùs in terrâ discipulis datur, postmodum de cœlo mittitur: nisi quòd duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei & proximi? In terrâ datur Spiritus, vt diligatur proximus: è cœlo datur Spiritus, vt diligatur Deus. Sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus Spiritus & duo data: prius à consistente Domino in terrâ, postmodum è cœlo: quia in proximi amore discitur, qualiter perueniri debeat ad amorem Dei. Vnde & idem Ioannes dicit, *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodò potest diligere?* Et ante quidem discipulorum mentibus idem Spiritus sanctus inerat per fidem,

V. 22.

Spiritus sanctus è terrâ primùm, tum è cœlo cur datus.

1. Idem 4. v. 20.

sed

Manifestâ datione datus solùm post resur. *Ioan. 7. v. 39.* *Deut. 32. v. 13.*

A sed tamen manifestâ datione non nisi post resurrectionem datus est. Vnde & scriptum est, *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Vnde etiam per Mosen dicitur, *Suxerunt mel de petrâ, & oleum de firmâ petrâ.* Neque enim quicquam tale iuxta historiam legitur, si tota testamenti veteris series recenseatur: nusquam de petrâ mel, nusquam oleum ille populus suxit. Sed quia iuxta Pauli vocem, *Petra erat Christus*, mel de petrâ suxerunt, qui eiusdem Redemptoris nostri facta, & miracula viderunt. Oleum verò de firmâ petrâ suxerunt, quia effusione sancti Spiritus post resurrectionem eius vngi meruerunt. Quasi ergo infirma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum suorum dulcedinem discipulis B ostendit: sed firma petra oleum fudit, quia post resurrectionem suam factus iam impassibilis, per afflationem Spiritus donum sanctæ vnctionis emanauit. De hoc oleo per Prophetam dicitur: *Computrescet iugum à facie olei.* Sub iugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed vncti sumus oleo Spiritus sancti: Et quia nos gratia libertatis vnxit, dæmoniacæ dominationis iugum putruit, Paulo attestante qui ait: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.*

1. Cor. 10. v. 4.

Suxerunt discipuli mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo.

Isai. 10. v. 27.

Oleum Spiritus sancti, computrescere facit iugum diaboli.

2. Cor. 3. v. 17.

Sciendum verò est, quòd ij qui Spiritum sanctum priùs habuerunt, vt & ipsi innocenter viuerent, & in prædicatione quibusdam prodes- C sent: idcircò hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, vt prodesse non paucis, sed pluribus possent. Vnde & in hac ipsâ datione Spiritus dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Libet intueri, discipuli illi ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solùm de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt: principatum superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic, sic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo D consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesiâ Episcopi locum tenent: ligandi atque soluendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ. Et plerunque contingit, vt hîc iudicij locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat: ac proinde sæpè agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Sæpè E in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipsâ hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum mentibus exercet. Sæpè fit, vt erga quemlibet proximum odio, vel gratiâ moueatur pastor. Iudicare autem de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per Prophetam dicitur: *Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur.

Datus patenter Spiritus, vt discipuli multis prodesse possent.

V. 23.

Ad quantam dignitatem elati, vt Dei vice peccata remittant, aut retineant.

Episcopi successores Apostolorum.

Eius honoris graue pondus.

Quia nimirũ Deo ratum non est, quod claue errãte à Sacerdote præsumptum est.

Ezech. 13. v. 19.

A Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda: Videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur iudicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat quia priùs mortuum Dominus vocauit & viuificauit, dicens: *Lazare, veni foras:* & postmodùm is qui viuens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: *Cùmque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, Soluite eum, & sinite abire.* B Ecce illum discipuli iam venientem soluunt, quem Magister suscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent quàm virtutem. Ex quâ consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsâ iam cognoscitur confessione peccati. Vnde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuisce: sed, *Veni foras.* Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam ab- C scondit, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas spontè confitetur. Lazaro ergo dicitur, *Veni foras:* ac si apertè cuilibet mortuo in culpâ diceretur, Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breuiter dixerim, vt sub D magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrùm iustè an iniustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is qui subest, & cùm iniustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex aliâ culpâ mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat: ne & si iniustè ligatus est, ex ipsâ tumidæ reprehensionis superbiâ, culpa quæ non erat, fiat. Sed quia hæc breuiter per excessum diximus, ad expositionis ordinem reuer- E tamur.

Ligãdi potestas, atque soluendi vt exercenda.

Ioan. 11. v. 44.

Confessio peccatorũ.

Pastoris sententia etiam iniusta timenda.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Iste vnus discipulus defuit, reuersus quod gestum est audiuit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, & non credenti discipulo latus palpandum præbuit, manus ostendit, & ostensâ suorum cicatrice vulnerum, infidelitatis illius vulnus sanauit. Quid fratres charissimi, quid inter hæc animaduertitis? Nunquid casu gestum creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, pòst autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuinâ dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera

V. 24.

Domini dispensatio circa Thomam nobis vtilis.

palparet carnis, in nobis vuloeta sanatet infidelitatis: plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ, in fide solidatur. Sic quippe discipulum post resurre-

Ioseph sanctæ Mariæ sponsus, & eius custos virginitatis.

ctionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus est discipulus dubitans & palpans testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis.

V. 28.

Palpauit autem, & exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, credidisti.* Cùm Paulus Apostolus dicat: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, profectò liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur, *Quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & Deum confessus est, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Videndo igitur credidit; qui considerando verum hominum, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamauit. Lætificat valdè qood sequitur: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* In quâ nimirùm senteotiâ nos specialiter sigoati sumus, qui cum quem in carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim verè credit, qui exercet operando quod credit. Quo cootrà de his qui fidem nomioe tenus retinent, Paulus dicit, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Iacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ad B. Iob de antiquo hoste generis humani Dominus dicit: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & fiduciam habet quòd influat Iordanis in os eius.* Quid etenim per fluuium designatur, oisi humani generis fluxus? Quod videlicet genos ab ortu ad finem defluit, & quasi aquæ more, vsque ad competentem terminum ex carnis liqoore percutrit. Quid per Iordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim in Iordanis flumine ipse auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui intra sacramentum baptismatis continentur. Antiquus ergo hostis generis humani fluuium absorbuit, quia à mundi origine vsque ad Redemptoris aduentum, vix paucis electis euadentibus, in ventrem suæ malitiæ genos humanum traxit. De quo rectè dicitur, *Absorbebit fluuium, & non mirabitur:* quia pro magno non habet cùm infideles rapit. Sed graoe est valdè quod subditur: *Et habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius:* quia postquam infideles quosque à mundi origine rapuit, adhoc se posse decipere etiam fideles præsumit. Namore pestiferæ persuasionis eos qootidiè deuorat, in quibus à confessione fidei reproba vita discordat.

Hebr. 11. v. 1.

Thomas videns hominem, Deum confitetur.

Nostra laudata fides, qui non vidimus & credimus.

Tit. 1. v. 16.

Iacob 1. v. 17.

Iob 40. v. 18

Insidiatur diabolus etiam baptizatis, quos Iordanis nomine Scriptura designauit.

Moralis exhortatio.

Hoc ergo, fratres charissimi, totâ intentione pertimescite, hoc apod vos solicitâ mente cogitate. Ecce Paschalia solennia agimus: sed ita viuendum est oobis, vt peroenire ad æter-

A na festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiua celebrantur. Curate qui his solennitatibus ioterestis, ne ab æternâ solennitate separamini. Quid prodest interesse festis homioum, si deesse contingat festis Angelorum? Vmbra venturæ solennitatis est soleonitas præsens. Idcircò haoc annuè agimus, vt ad illam quæ non est annoa, sed continua, perducamur. Cùm hæc staturo tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat & ferueat: vt ex veritate lætitiæ perfruator in patriâ,

Paschalis hic solennitas, vmbra venturæ solennitatis.

B quod de vmbrâ gaudij meditatur in viâ. Vitam igitur vestram, fratres, moresque componite. Is qui mitis resurrexit ex morte, quàm districtus in iudicio veoiet, præuidete. Certè in die tremendi examinis sui cùm Angelis, cum Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus apparebit, cœlis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite, honc venturum timete, vt hunc cùm venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram à prauitate compescat. Mi-

Timendus Christus iudex, vt in iudicio non timeatur.

C hi, fratres, credite, quia tanto tunc erimus securi de eius præsentiâ, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpâ. Certè si aliquis vestrum cùm suo aduersario caosam dicturus, in meo iudicio die crastinâ esset exhibendus, totam fortasse noctem insomnem duceret; quid sibi dici posset, quid obiectionibus respundere, secum solicitâ & æstuanti mente versaret: ne me inueniret asperum, vehementer metueret: ne apud me appareret noxius, formidaret. Et quis ego, aut quid ego? Nimirum non longè post futurus post hominem vermis, atque post vermen puluis. Si ergo tantâ curâ pertimescitur iudicium pulueris, quâ inten-

Exemplum à timore humani iudicij.

D tiooe cogitandum est, quâ formidine prouidendum tantæ iudicium maiestatis? Sed quia sunt nonnulli, qui de resurrectione carnis incerti sunt, & hanc tùnc rectiùs docemus, si etiam cordium vestrorum quæstionibus occultis occurrimus: pauca nobis de ipsâ resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim de resurrectione dubitantes, sicut & nos aliquando fuimus, dum carnem in potredinem, ossaque in pulоerem redigi per sepulchra conspiciunt, reparari ex puluere carnem, & ossa diffidunt. Sicque apud se quasi ratiocinantes dicunt, Quando ex puluere homo reducitur? quando agitur vt ci-

E nis animetur? Quibus breuiter respōdemus, Quia longè minus est Deo reparare quod fuit, quàm creasse quod noo fuit. Aut quid mirum si hominem ex puluere reficit, qui simul omnia ex nihilo creauit? Mirabilios namque est cœlum & terram ex nullis existentibus condidisse, quàm ipsum hominem ex terrâ reparari. Sed cinis attenditor, & in carnem redire posse desperatur: & diuinæ operationis virtus comprehēdi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcirco in suis cogitatioo-bus dicunt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in vno grano paruissimi seminis latet tota quæ nascitura est arboris moles. Constituamus namque ante oculos cuiuslibet arboris miram magnitudinē. Cogitemus

August. tract. 14. in Ioan.

vnde oriendo cœpit, quæ ad tantam molem cres- cendo peruenit. Inuenimu proculdubio eius ori- ginem, paruissimum semen. Consideremus nunc vbi in illo paruo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis odorisque magni- tudo, vbertas fructuum, viriditas foliurum. Con- trectatum namque seminis granum non est vali- dum. Vnde ergo processit ligni duritia? Non est asperum, vnde asperitas corticis erupit? Noo est saporum, vnde sapor in fructibus? Oblatum ni- hil redolet, vnde odor in fructibus fragrat? Nihil in se viride ostendit, vnde foliorum viriditas exi- uit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt. Ex se- mine quippe producitur radix: ex radice pro- cedit virgultum: ex virgulto oritur fructus: ex fructu etiam producitur semen. Addamus er- go quia & semen latet in semine. Quid igitur mitum, si ossa, neruos, carnem, capillosque re- ducat ex puluere, qui lignum, fructus, folia, in A magnâ mole arboris ex paruo quotidie semine restaurat?

Cùm ergo dubitans animus de resurrectionis poreotiâ rationem quærit, earum rerum ei quæ- stiones inferendæ sunt, quæ & incessanter fiunt, & tamen ratione comprehendi nequaquam pos- sunt: vt dum non valet ex visiune rei penetrare quod conspicit, de promissione diuinæ poten- tiæ credat, quod audit. Illa ergo vobiscum, fratres, promissa cogitate, quæ permanent: quæ B verò cum tempore transeunt, velut iam dimissa despicite. Ad huius resurrectionis gloriam quam in se Veritas ostendit, totâ intentione festinare. Terrena desideria, quæ ab auctore separant, fu- gire: quia tantò altiùs ad conspectum Dei om- nipotentis pertingiris, quantò Mediatorem Dei & hominum singulariùs amantis. Qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

DOMINICA II. POST PASCHA.

IOAN. X.



N illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum [a] pastor [b] bonus. Bonus pastor [c] animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est [d] pastor, [e] cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit. Et lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de oui- bus. Ego sum pastor bonus, & [f] cognosco meas, & [g] cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias [h] oues habeo, quæ non sunt ex hoc [i] ouili, & illas oportet me [k] adducere, & [l] vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.

a Sicut ostium.
b Ad differentiam furis vel mercenarii. ¶ Exprimit quid sit proprium boni pastoris.
c Vitam.
d Etsi videatur, quia veritatem prædicat vt pastor.
e Quia non amore earum, sed pro suâ mercede.
f Id est, diligo.
g Diligunt & obsequuntur.
h De Gentibus.
i De populo Israel.
k Per Apostolos.
l Non illorum.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.



Ioan. 10. v. 12. Mercenarius quis? Ercenarius autem, &c. Merce- narius est qui quærit quæ sua sunt, non quæ Christi: qui ser- uit Deo, non propter Deum, sed pro aliquâ mercede: qui culpa- bilis est, & non est filius, sed ta- men necessarius & tolerandus. Fur verò semper est cauendus. Præpositi verò, qui filij sunt, & pastores: & tamen vnus est Pastor: quia illi om- B nes sunt membra illius, cuius sunt oues propriæ.

Et lupus rapit. Lupus est vel violentus qui cor- poraliter vastat, vel diabolus qui spiritualiter dissipat: cui, qui non animas ouium, sed sua quærit, non occurrit resistendo, vel mala arguen- do, quod est fugere: quia timor est fuga animi: Fugit, ne perdat quod diligit. Vnde reddens Pastorum probata fuga. causam fugæ subdit, *Quia mercenarius est*, & non amat oues, sed sua. Pastores autem non di- A cuntur fugere si cedunt persecutioni, & seruant se ouium vtilitati: quibus etiam corpore absen- tes, sunt spiritu præsentes.

Ego sum Pastor. Post culpam ficti, iterum for- mam veri pastoris opponit, *Ego sum Pastor bonus, & animam pono pro ouibus:* Quod non ipse vnus fecit, nisi quòd omnes sui, & ipse vnus sunt: quia ipse sine illis hoc potuit, illi non sine eo si- ne quo nihil possunt. *Et ego.* Filius per se agnos- cit Patrem, nos per illum, sicut alibi, *Deum ne- mo vidit vnquam, nisi Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Item *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.* v. 14. Forma veri Pastoris Christus. Ioan. 1. v. 18. Math. 11. v. 27.

Et animam. Hoc est probatio dilectionis ad Patrem, & ad oues. Sic & Petrus tertiò confi- tens amorem, iubetur pascere oues, & pro eis mori. *Pro ouibus.* Pro ouibus domus Israël quæ perierant, ad quas corporaliter missus: à quibus non sunt dissimiles illæ, quæ sunt de Gentibus. Vnde dicit, *Oportet me.* Quamuis per suos, quia Ioan. 21. v. 15.

in illis ipse. *Et vocem*. Noo dicit meorum, quia in ipsis ille loquitur.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Ioan. 10. v. 0 *Tract. 46. in Ioan.* AVGVST. Aperuit Dominus duas res, quas quodammodò clausas proposuetat. Primò quidem scimus quia ostium ipse est: nunc autem ostendit quia pastot est, dicens, *Ego sum pastor bonus*. *Tract. 47.* Suprà autem dixerat pastorem intrare per ostium; Si ergo ipse est ostium, quomodò per seipsum iotrat? Sicut ergu ipse per seipsum nouit Patrem, nos autem per illum: sic intrat in ouile per seipsum, nos autem per ipsum: Nos, quia Christum prædicamus, per ostium intramus: Christus autem seipsum prædicat; lumen enim & alia demonstrat, & seipsum. Si autem præpositi Ecclesiæ qui filij sunt, pastores sunt, quomodò vnus pastot est, nisi quia sunt illi omnes vnius membra pastoris? Et quidem quòd pastor est, dedit membris suis: nam & Petrus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & omnes boni Episcopi. Ostium verò nemo oostrum se dicit: hoc sibi ipse pоpriè tenuit. Noo autem adderet, *Bonus*, oisi essent & pastores mali: ipsi sunt futes & latrones, aut certè vt multum mercenarij.

Hom. 14 in Euang. GREG. in hom. Atque eius bonitatis formam quam nos imitemur adiungit, dicens, *Bonus pastor, &c.* Fecit quod monuit, ostendit quod iussit: pro ooibus suis animam suam posuit, vt in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimeoto satiaret: Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur; apposita forma, cui imprimamur: Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere: postremum verò, si necesse sit, etiam io morte animam oostram pro ijsdem ouibus ministrare. Qui autem non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?

Tract. 47. in Ioan. AVG. Non autem solus Christus hoc fecit: Et tameo si illi qui fecerunt membra eius suot, idem ipse vnus hoc fecit: Ipse enim potuit facere sine illis, illi sioe ipso non poterant.

De Ver. Do. ser. 50. AVG. Omnes tamen pastores boni fuerunt, non solùm quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt: Non enim fuderunt elatione, sed charitate. Nam & apud hæreticos qui propter ioiquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrij se iactant; vt hoc pallio dealbati, faciliùs furentur, quia lupi sunt. *Pseudomartyres hæreticorum.* Non autem omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed potiùs contra oues, dicit enim Apostulus, *Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* *1. Cor. 13. v. 3.* Quomodò autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem? quam Dominus commendans noluit multos appellare pastores, sed pastorem vnum, dicens, *Ego sum pastor bonus?*

Hom. 59. in Ioan. CHRYS. Sic igitur de cætero Dominus de passiooe suâ disputabat, ostendens quoniam pro salute fieret muodi, & non inuitus in hanc venit. Deinde rursus ostendit signa pastoris & mercenarij, cùm dicit: *Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.*

GREG. Sunt enim oonnulli qui dum plus terrenam substantiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perduot. *Hom. 14. in Euang.* Noo enim pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui pastoris locum tenet, sed lucrum animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, bonore prælatiunis gaudet.

AVGV. de ver. Do. Aliud ergo quærit in Ecclesiâ, non Deum quærit: *Ser. 49. à medio illius.* Si Deum quæreret, castus esset, quia legitimum maritũ anima Deum habet: Quisquis à Deo præter Deum aliquid quærit, oon castè Deum quærit.

GREG. in ho. Vtrum verò pastor sit merceoarius, eogooscі veraciter non potest si occasio oecessitatis deest: *Hom. 14. in Euang.* Tranquillitatis enim tempore plerũque ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat; sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat.

AVG. de ver. Dom. Lupus autem diabolus est, *Ser. 49.* & qui illum sequuntur. Nam dictum est qoòd induti quidam pellibus ouium intus sunt lopi rapaces,

AVG. su. Io. Ecce lupus ouis guttor apprehendit, diabolus fidei adulterium persuasit, excommunicandus est; *Tract. 46. in Ioan.* sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cùm potuerit: vnde taces, noo increpas: lupum venientem vidisti, & fugisti: corpore stetisti, animo fugisti. Affectiones enim nostræ, motus animorum sunt: lætitia animi, diffusio est, tristitia autem contractio, cupiditas animi progressio, timor animi fuga est.

GREG. in hom. Lopus etiam super oues venit, cùm quilibet iniustus & raptor, fideles quosque atque humiles opprimit. *Hom. 14. in Euang.* Sed is qui pastot esse videbatur & non erat, relinquit oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit: Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Sed contra hæc mercenarius oullo zelo accenditur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur: vnde subditur, *Mercenarius autem fugit, &c.* Sola ergo causa est vt merceoarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si dicat: Stare in periculo ouium oon potest, qui in eo quòd ouibus præest, ooo oues diligit, sed lucrum terrenum quærit: & ideo opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.

AVG. Si autem Apostoli pastores fueruot non mercenarij, quare fugiebant qoando persecutionem patiebantur? *Tract. 46. in Ioan.* & hoc Domino dicente, *Si vos persecuti fuerint, fugite:* *Matth. 10. v. 23.* pulsemus, aderit qui aperiat.

AVG. ad Honor. Fugioot ergo omnino de ciuitate io ciuitatem serui Christi, ministri verbi & sacramenti eius, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia. *Epist. 180. Fuga vt ministris concessa, vel non concessa.* Cùm autem omnium (id est, Episcoporum & clericorum & laïcorum) est commune periculum, hi qui alijs indigent, non deserantur ab his quibus indigent: Aut igitur ad loca munita omoes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, noo relinquantur ab eis, per quos eorum Ecclesiastica est implenda necessitas. Tuoc ergo de locis in quibus sumus premente persecutione,

fugiendum est Christi ministris: quando ibi aut A plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi. Cùm autem plebs manet & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ouibus?

Tract. 46. in Ioan. AVG. super Ioan. In bonis ergo nominantur ostium, ostiatius, pastor, & oues: in malis fures & latrones, mercenarij, lupus.

Ser. 49. AVG. de ver. Do. Diligendus est pastor, cauendus latro, tolerandus mercenarius. Tamdiu enim est vtilis mercenarius, quandiu non videt lupum, furem vel latronem; cùm autem viderit, fugit.

Tract. 46. in Ioan. AVG. super Ioan. Nec enim mercenarius diceretur, nisi acciperet à conducente mercedem. Filij æternam hæreditatem Patris patienter expectant, mercenarius temporalem mercedem conducti festinanter exoptat; & tamen per linguas vtrorumque diuina Christi gloria diffamatur. Inde ergo lædit, vnde mala facit, non vnde bona dicit: Botrum carpe, spinam caue; quia botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in spinis: Multi quippe in Ecclesiâ commoda terrena sectantes Christum prædicant, & per eos vox Christi auditur; & sequuntur oues non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. C

V. 14. Hom. 59. in Ioan. *Ego sum pastor bonus & cognosco oues meas*, &c. CHRYS. Duos superiùs malos præmisit Dominus, vnum qui furatur & mactat & rapit, alterum qui non prohibet: per illum seditiosos insinuans, per hunc Iudæorum magistros confundens, & non procurantes creditas oues. Sed ab vtrisque seipsum Christus distinxit: ab illis quidem qui ad lædendum venerunt in hoc quod dixit, *Veni vt vitam habeant*: ab his qui contemnunt luporum rapinas, ex eo quòd pro ouibus animam ponit: & ideo quasi concludens subdit, *Ego sum Pastor bonus*. Sed quia superiùs dixerat, quòd oues pastoris vocem audiunt, & sequuntur eum: ne quis dicat, Quid ergo dicis de his qui tibi non credunt? consequenter subdit, *Et cognosco oues meas*, &c. Quod D
Rom. 11. v. 2. & Paulus ostendit, dicens, *Non repulit Dominus plebem suam, quam præscivit*.

Hom. 14. in Euan. GREGOR. in hom. Ac si apertè dicat, Diligo oues meas, & ipsæ me diligentes obsequuntur: Qui enim veritatem non diligit, adhuc minimè cognouit.

In hoc loco. THEOPH. Hinc autem differentiam mercenarij & pastoris elicies. Nam mercenarius ignorat oues, quia rarò visitat eas, pastor verò cognoscit oues proprias tanquam erga eas solicitus.

Hom. 59. in Ioan. CHRYS. Deinde vt non æstimes parem mensuram cognitionis Christi & ouium, consequenter subdit, *Sicut nouit me Pater, & ego cognosco* E *Patrem*. Quasi dicat, Ita certissimè ipsum scio, sicut ipse me. Hîc ergo est par cognitio, ibi non: nam sequitur, *Et animam meam pono pro ouibus meis*.

Hom. 14. in Euang. GREG. in hom. Ac si apertè dicat: In hoc constat, quia cognosco Patrem, & cognoscor à Patre, quia *animam meam pono pro ouibus meis*; id est, eâ charitate quâ pro ouibus meis morior, quantum Patrem diligam ostendo.

Hom. 59. in Ioan. CHRYS. Hoc etiam dicit, ostendens quòd non est impostor; quia & Apostolus, quando seipsum voluit ostendere verum esse magistrum, contra A pseudoapostolos induxit rationem ex periculis & mortibus.

THEOPH. Seductores enim non exposuerunt animam suam pro ouibus, sed sicut mercenarij deserunt illos qui eos sequebantur: Dominus autem vt non caperentur, dixit, *Sinite hos abire*. In hoc loco. Ioan. 18. v. 8.

GREG. Quia verò non solùm Iudæam, sed etiam Gentilitatem redimere venerat, adiungit: *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili*. Hom. 14 in Euang.

AVG. de verb. Dom. Loquebatur enim primò ouili de genere carnis Israël: Erant autem alij de genere fidei ipsius Israël. Extrà erant, adhuc in Gentibus: erant prædestinati, nondum congregati. Non ergo sunt de hoc ouili, quia non sunt B de genere carnis Israël, sed erunt de hoc ouili: nam sequitur, *Et illas oportet me adducere*, &c. Ser. 59.

CHRYS. Ostendit vtrosque dispersos, & pastores non habentes. Sequitur, *Et vocem meam audient*. Ac si dicat: Quid miramini si hi sunt me secuturi & vocem meam audituri, quando alios videbitis me sequentes, & vocem meam audientes? Deinde & futuram eorum prænuntiat vnionem: Vnde subdit, *Et fiet vnum ouile*, &c. Hom. 59. in Ioan.

GREG. in hom. Quasi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudaicum & Gentilem populum in suâ fide coniungit. Hom. 14. in Euang.

THEOPH. Idem namque omnibus est baptismi signaculum: vnus pastor Verbum Dei. Attendant ergo Manichæi, quoniam vnum ouile, & vnus pastor est noui & veteris Testamenti. In hoc loco.

AVGV. Quid ergo est, *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël*, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israël? ad Gentes autem non perrexit ipse, sed misit. Tract. 47. in Ioan. Matth. 15. v. 24.

CHRVS. Hoc autem verbum *oportet* (quod hic positum est) non necessitatis est demonstratiuum, sed eius quòd omninò fiet. Hom. 59. in Ioan.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
Episcopi Constant. in superius Euang.

HOMIL. I.

EGo sum pastor bonus. Hîc iam passionem insinuat, quòd pro mundi salute moriturus est, neque inuitus. Inde iterum ad pastoris, & mercenarij parabolam venit. *Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus*, &c. Hic suam Paternæ æquiparat potestati. Siquidem pastor ipse est, & cuius propriæ sunt oues. Intueris altiorem in parabolis sensum, vbi obscuriùs loquitur, neque auditoribus causam calumniandi præbet? Quid ergo hic facit mercenarius? *Videt lupum venientem, & dimittit oues, & lupus venit, & rapit eas*. Hoc illi faciebant, ipse contrà. Etenim cùm comprehensus est, inquit: *Sinite hos abire, vt impleretur sermo, quia nemo ex ipsis periit*. Hoc in loco potest & spiritalis lupus intelligi, quem non sinit vt oues auferat. Hic non modò lupus, sed & leo est. *Nam aduersarius vester diabolus*, inquit, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: hic idem & serpens & draco: *Ambulabitis enim super serpentes & scorpiones*. Ex Homil. 58. in Ioan. 10, v. 1. Christus Patri æqualis, cuius sint oues propriæ. V. 12. Mercenarius fugit; Dominus in se solus periculum recepit. Ioan. 18. v. 8. Diabolus Spiritalis lupus, & leo, & draco. 1. Petr. 5. v. 8. Luc. 10. v. 19.

Quare vos hortor, dilectissimi, sub pastoris nostri custodiâ in pascuis maneamus. Manebimus autem, si vocem eius audierimus, si ei nos parebimus, si alienum non sequemur. Eius quæ-

Matth. 5. v. 3. Vox Pastoris.

nam vox est? *Beati pauperes, beati mundo corde, beati misericordes.* Hoc pacto sub pastore manebimus, & lupus ingredi non poterit: & si ingrediatur, detrimentum accipiet: pastorem namque adeò nos amantem habemus, vt animam suam pro nobis traderet. Cùm enim & possit & amet, quid impedit ne liberemur? Nihil sanè, nisi nosmetipsi deficiamus, quod quomodo accidat, audi ipsum dicentem, *Non potestis duobus dominis seruire, Deo & mammona:* cui si seruiemus, grauissimæ subijciemur tyrannidi. Omni enim tyranno grauior est pecuniarum cupiditas. Nullam enim voluptatem habet, sed curas, inuidiam, insidias, odia, calumnias, & innumera virtutis impedimenta: desidiam, luxuriam, auaritiam, ebrietatem, quæ liberos penitus in seruitutem redigũt, & seruis emptitijs peiores efficiunt: & non hominum tantùm, sed grauissimorum affectuum & morborum animæ seruos. Hic multa audet, quæ neque Deo neque hominibus placent, veritus ne quis hanc sibi auferat seruitutem. O amarum seruitium! ô diabolicam potestatem! Hoc enim omnium longè molestissimum est, cùm tantis malis deuincti gaudemus, & catenas libenter amplectimur, & tenebrarum carcerem habitantes, in lucem prodire nolumus: sed malis inhæremus, malis oblectamur. Quare de nobis minimè sperandum est, vt resipiscamus, qui peiori quàm qui metalla effodiunt, conditione sumus. Miserè enim sine vllâ mercedis spe laboramus. Et quod grauius est, si quis nos amarâ hac captiuitate liberare velit, non patimur, sed ægrè ferimus & indignamur: hac ratione nihil meliùs affecti, quàm qui insaniâ sunt correpti: imò illis omnibus tantò miseriores, quòd nolumus ab insaniâ liberari.

Matth. 6. v. 24. Auaritia tyrannus grauissimus.

Ad maiora creatus homo, quàm vt terrenis addici debeat.

Nunquid propterea in hunc mundum venisti? num propterea homo factus es, vt æs & aurum accumules? Non ideo te ad suam finxit Deus imaginem, sed vt placeas, vt futura bona consequaris, vt cum Angelis psallas. Quid hanc reijcis cognationem? Quid te in extremam & degenerem deijcis infamiam? Qui eodem quo tu partu natus est (partu dico spiritali) fame tabescit, tu copiâ rumperis: frater nudo corpore oberrat, tu vestes vestibus addis, quæ à tineis consumuntur: & quantò satius foret, vt his egenorum corpora tegerentur? quæ si hoc pacto consumerentur, illâ te curâ absoluerent, & futuram tibi vitam largirentur. Nam si non placet vt à tineis consumantur, confer in pauperes: sunt enim hi qui vestes illas rectè norunt excutere: etenim Christi corpus, quauis arcâ honorabilius est & securius, quippe quod non tantùm illas custodit & incorruptas conseruat, sed etiam pulchriores efficit. Arca nonnunquam cum vestibus direpta, magno te afficit damno: quæ pauperibus damus custodienda, neque morte amittentur, neque seris aut vectibus indigent, non seruorum vigiliâ, nullâ huiusmodi cautione omnibus insidijs libera sunt, & custodita reponuntur, vt par est reponi ea quæ commendantur in cœlis. Nulli enim malitiæ locus ille peruius est.

Vestium probi excussores, pauperes.

His nos à monitionibus nunquam cessamus, neque vos vnquam paretis, causâ quòd pusilli sumus animi, & terrenis inhiamus, & deorsum trahimur: immò absit, vt vos omnes damnem, tanquam vniuersi incurabiliter ægrotetis. Nam si diuinis ebrij his admonitionibus aures obstruũt, pauperes saltem attendere poterunt. Et quid hæc ad pauperes, inquies? neque enim aurum habent, neque tot vestimenta: sed panem saltem habent, & aquam frigidam; sed & duos obolos, & pedes vt visitare possint infirmos: linguam etiam, vt sermone consolentur vulneratum; domum præterea vel tegetem, vt hospitem accipiant, habent. Non enim tot tãtaque talenta à pauperibus, sed diuitibus exigimus. Quòd si ad pauperum ostium Dominus noster venerit, obolum ab eo accipere hoc modo non pudebit, sed maiora quàm à multa dantibus accepisse profitebitur. Quot hîc adstantium illo tempore fuisse optarent, quo Christus in carne terram peragrauit, vt cum eo versati essent, & conuixissent? Ecce nunc hoc nobis magis licet; vocare eum ad prandium possumus, & cum eo viuere, & magis proficere. Eorum, namque qui cum eo viuebant, nonnulli perierunt, vt Iudas & huiusmodi: eorum autem qui eum in domum suam euocant, & domum & mensam communicant, vnusquisque maximè laudabitur, & gratiæ his habebuntur. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei: possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: peregrinus eram, & suscepistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Quamobrem, vt audire hoc mereamur, vestiamus nudum, colligamus hospitem, cibum demus esurienti, sitienti potum, infirmos & carcere deuinctos visitemus: vt spe bonâ veniam consequamur peccatorum, & illorum bonorum, quæ omnem sensum excedunt, efficiamur participes: quæ vtinam omnes consequamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium, in sæcula sæculorum: Amen.

Sermo de eleemosynâ, nec à pauperibus alienus est. Act. 1. v. 12.

Vtilius versari nobis licet cum Christo, quàm his qui eius in carne consuetudine vsi fuerunt. Matth. 25. v. 34.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

Ex hom. 59. in Ioan. 10. v. 14. Prælatio, maximam exigit virtutem.

EGo sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &c. Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiæ prælatio, quodque illâ Philosophiâ ac fortitudine egeat, quam Christus proposuit, vt animam pro ouibus ponamus, vt nunquam oues deseramus, vt lupo generosè resistamus. Hæc enim inter pastorem est & mercenarium differentia. Alter propriæ, contemptis ouibus; alter suâ contemptâ, ouium semper saluti inuigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato, deceptores duos meminit, furem mactantem & rapientem oues, & mercenarium permittentem, neque defendentem commissas. Per illum Theudam & eius assertores, per hunc Iudæorum magistros signat, qui nullam curam commissis ouibus adhibebant, quod superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est: *Væ pastoribus Israël, nónne pascebant semetipsos? nónne greges pascuntur à pastoribus?* sed illi contrarium faciebant, quod maximum mali genus est, & causa omnium aliorum: idcirco enim inquit: *Neque quod abiectum erat, reducebant; neque quod perierat, quærebant; neque confractum alligabant; neque infirmum consolidabant:* quoniam se, non gregem pascebant. Idem & Paulus alio verbo rursum significat. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Christi Iesu.* Et iterum: *Nemo quod suum est, quærat, sed quod est proximi vnusquisque.* Verùm ab vtroque se diffidere

Fur, & mercenarius, pastori vero oppositi. Ezech. 34. v. 2.

Ibid. v. 4.

Phil. 2. v. 21. 1. Cor. 10. v. 24.

ostendit Cbristus: ab illis qoidem qui in perniciem veniunt, dicendo se propterca venisse, vt vitam habetent, & abuodantiùs haberent: ab his autem qui oues à lupis tapi negligebant, dicendo se non deserere, sed propterea animam poocre, oe oues perireut. Nam quòd Iudæi ipsom intetimere vellent, non propterea destitit à doctrinâ, neque credeores tradidit, sed perstitit & pertulit mortem: ideo frequentet ioquit; *Ego sum pastor bonus.*

Inde cùm nullo bæc testimonio niti viderentur, quòd enim poneret animam suam, noo multum pòst te moostrarum est: quòd autem vitam haberent, & abundantiùs haberent, post huius vitæ migtationem futurum erat, alterum ab altero confirmat. Hoc est, quia dat animam, quòd det eriam vitam: quòd & Paulus & dicebat: *Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Fily eius: multò magis reconciliati, salui erimus.* Et iterum: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Sed quâ gratiâ nunc quoque eum non accusant, vt supetiùs: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Quoniam sæpenumerò eos silere coegetat, & à signis maiorem de se opinionem concitarat.

QuodChristus animã suam dedit, argumento daturum nobis vitã.

B

Rom. 5. v. 10.

Ibid. 8. v. 32.

Ioan. 8. v. 13.

Inde ne quis ad illam particulam; *Et oues vocem eius audiunt, & sequuntur eum*, diceret, Quid ergo quod attinet ad noo credentes? audi quid addit: *Et cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Quòd & Paulus his verbis significauit: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Et Moses: *Cognouit Dominus qui sunt eius:* hoc est, quos præsciuit. Ne autem parem esse cognitionum modom existimes, animaduerte quomodò istud corrigit per hoc quod subiungit: *Cognosco meas*, inquit, *& cognoscor à meis*: sed noo est æqualis cognitio. Vbinam verò est æqualis cognitio? In Patre & me. Illic enim, *Sicut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem.* Quod nisi sensisset, cur id addidisset? Cùm enim nonnúquam multitudini se connumerasset, vt non more homini cognoscere putaretur, inquit; *Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrē.* Tam certò ipsum scio, vt ipse me. Propterea inquit: *Nemo cognoscit Filium nisi Pater: & Patrem nisi Filius*; discretam quandam cognitionem indicans, qualem nemo alius habet.

C

Rom. 11. v. 2.

2. Tim. 2. v. 19.

Æqualis in Patre Filióque cognitio.

V. 15.

D

Luc. 10. v. 22.

Ego pono animam meam. Hoc frequeoter dicit, vt omnis deceptionis tollatur suspicio. Nam & Apostolus, cùm se verum magistrum ostenderet, & falsos confundere apostolos vellet, pericula & mortes adduxit in medium, *In plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Dicendo eoim, *Lux sum, & vita*, superbiæ apud stultos crimen incurreret: velle autem mori, nullum inuidiæ, nollum liuoris colorem babebat. Propterea hoc in loco, noo dicunt eum de se testimooium perhibere, & verum non esse testimonium. Hoc namque verbo multam cutam atque diligentiam indicat, siquidem pro lapidantibus vellet seipsum tradere. Propterea etiam de Gentibus opportunè sermonem inducit. Etenim *alias oues habeo*, ioquit, *quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Ecce iterum hoc verbum *oportet*, non necessitatis esse, sed futuri omninò sigoificatiuum; quasi dicat, Qoid admiramini, si me oues hæ secuturæ, & vocem meam auditutæ sunt? cùm & alias me sequi, &

2. Cor. 11. v. 23.

Ioan. 8. v. 12. & 14. v. 6.

Indicium veri pastoris animam pro ouibus ponere.

E

V. 16.

A Paschate.

A vocem meam audire videritis, tunc maiorem in modum admirabimini. Neque te perturber quod dicit: *Quæ non sunt ex hoc ouili.* Differentia enim in lege duntaxat, vt inquit Paulus: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. Et illas oportet me adducere.* Vtrosque dispersos ostendit & mixtos, neque habeotes pastorem, hos videlicet atque illos, cùm necdum bonus ille Pastor aduenisset. Inde futuram eorum cognationem prædicit: *Et erit vnum ouile.* Quod iterum Paolus his verbis significauit: *Vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem.*

Gal. 5. v. 6.

Ex Iudæis & Gentibus vna Ecclesia.

Eph. 2. v. 15.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hipponensis in superius Euang.

HOMIL. I.

LOqoens Dominus Iesus ouibus suis, & præseotibus & futuris quæ tunc aderant, quia erant ibi iam oues eius, erantqoe quæ futuræ etant eius oues: Item præsentibus & futuris & illis & nobis, & quotquot etiam post nos fuerint oues eius, quis ad eas missus esset, osteodit. Omnes ergo audiunt vocem pastoris sui dicentis: *Ego sum pastor bonus.* Non adderet bonus, nisi essent pastores mali. Sed pastores mali ipsi sunt fures & latrones: aut certè vt multum mercenarij. Omnes enim hic personas quas posuit, requirere, distinguere, oosse debemus: aperuit enim iam duas res Dominus, quas qoodammodo clausas proposuerat. Iam scimus quia ostium ipse est, scimus quia pastor ipse est: fures & latrones qui sint, in hesternâ lectione patefactum est. Hodie autem audiuimus mercenarium, audioimus & lupom: heri nominatus est & ostiarius. In bonis ergo ostium est & ostiarius, pastor & ouis: in malis fures & latrones, mercenarij & lupus. Ostium Dominum Christum accipimus, ipsum pastorem. Ostiarium quem? Hæc enim duo ipse exposuit, ostiarium nobis reliquit qoærendum. Et quid ait de ostiario? *Huic*, inquit, *ostiarius aperit*: cui aperit? Pastori. Quid aperit pastori? Ostium. Et quis est ipsum ostium? Ipse pastor. Nunquid si Dominus Christus non exposuisset, non ipse dixisse, *Ego sum Pastor, & ego sum ostium*: auderet quisquam nostrum dicere, quòd ipse Christus sit & pastor & ostium? Si enim diceret, *Ego sum pastor*, & non diceret, *ego sum ostium*: quæsituri eramus quid esset ostium, & fortè aliud putantes ante ostium remansuri. Gratia illius & misericordia nobis exposuit pastorem, seipsum dixit: exposuit ostium, seipsum dixit: ostiarium quærendum nobis reliquit. Quem nos dicturi somus ostiarium? Quemlibet inueneritimus, cauendom est ne maior existimetur qoàm ipsum ostium: quia ostiarius in domibus hominum maior est ostio. Ostiarius enim ostio, non ostium præponitur ostiario, quia ostiarius ostium, noo ostium custodit ostiarium. Non audeo dicere aliquem ostio maiorem: audiui enim iam quid sit ostium: non me latet, noo sum dimissus coniecturæ meæ, non mihi humana est relaxata suspicio. Deus dixit, veritas dixit, mutari non potest qood immorabilis dixit. Dicam ergo in huius profunditate quæstionis quid mihi videator: eligat vnusquisque quod placet, piè tamen sentiat, sicut scriptum est: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Ostiarium fortè ipsum Dominum debemus ac-

Tract. 46. in Ioan. 10. v. 11.

Al. mercenarius.

V. 3.

Christus ipse ostium & pastor.

Sap. 1. v. 1.

Ostiarius.

cipere: Multò sunt enim inter se diuersa io rebus humanis, pastor & ostium, quàm ostiarius & ostium: & tamen Dominus & pastorem se dixit, & ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum & ostiarium? Si enim consideremus proprietates, Duminus Cbristus nec pastor est, sicut consueuimus nosse & videre pastores, nec ostium est; noo enim eum faber fecit: si autem secundum aliquam similitudinem & ostium & pastor est, audeo dicere & ouis est: ouis nempe sub pastore est, tameo ille & pastor est & ouis. Vbi est pastor? Ecce hîc habes, lege Euangelium: *Ego sum pastor bonus.* Vbi est ouis? Interroga Prophetam: *Sicut ouis ad immolandum ductus est.* Vbi est agnus? Interroga amicum sponsi: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Adhuc aliquid secundum istas similitudines mirabilius sum dicturus: & agnus enim & ouis & pastor, inter se amica sunt: contra leones autem à pastoribus oues custodiri solent, & tamen de Christo cùm sit ouis & pastor, legimus dictum, *Vicit leo de tribu Iuda.* Hæc omnia, fratres, secundum similitudines accipite, non secundum proprietates. Solemus videre pastores sedere supra petram, & inde commissa sibi pecora custodire. Vtique melior pastor quàm petra, super quam sedet pastor, & tamen Christus & pastor, & petra. Totum hoc secundum similitudinem: proprietatem autem si quæras à me, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si quæras à me proprietatem, Filius vnicus de Patre in æternum ab æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta sunt omnia, cum Patre incommutabilis, & acceptâ formâ hominis non mutatus, ex incarnatione homo, filius hominis & Filius Dei.

Ouis. *Isai.53.v.7.* *Ioan. 1. v.29.* *Apoc.5.v.5.* Leo. Petra: omnia hæc secundum similitudinē. *1.Cor.10. v.4.* *Ioan.1 v.1.* Secundum proprietatē Verbum.

Hoc totum quod dixi, non similitodo, sed res est. Non ergo pigeat nos fratres, secundum quasdam similitudines ipsum accipere ostium, ipsom ostiariom. Quid est enim ostium? Quo intramus. Quis est ostiarius? Qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? Ecce Dominus dixerat ostium, non intellexeramus: quando non intelleximus, clausum erat; qui aperuit ipse est ostiarius. Nulla est ergo necessitas aliquid aliud quærere, nulla necessitas, sed fortasse est voluntas. Si est voluntas, noli exorbitare, noli à Trinitate discedere. Si personam aliquam quæris ostiarij, Spiritus sanctus occurrat: non enim dedignabitur ostiarius esse Spiritus sanctus, quaodo ipsum ostium esse digoatus est Filius: Vide ostiarium, fortè Spiritum sanctum. Ipse Dominus discipulis suis de Spiritu sancto dicit, *Ipse vos docebit omnem veritatem.* Ostium quid est? Christus. Quid est Christus? Veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem?

Spiritus sanctus ostiarius. *Ioan. 16. v.13.*

De mercenario autem quid dicimus? Non in bonis hic commemoratus est. *Pastor bonus*, ait, *animam suam dat pro ouibus suis: Mercenarius,* E *& qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues.* Non hîc bonam personam mercenarius gerit, & tamen in aliquo vtilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet à conducente mercedem. Quis est ergo iste mercenarius, & culpabilis & necessarius? Hîc verò fratres luceat nobis ipse Dominus, vt & mercenarios iotelligamus, & mercenarij non simus. Quis est ergo iste mercenarius? Sunt quidam Ecclesiæ præpositi, de quibus Paulus Apo-

V.11. & 12. Mercenarius & culpabilis & necessarius. Al. *in Ecclesiâ.*

A stolus dicit: *Sua quærentes, non quæ Iesu Christi.* Quid est *sua quærentes?* Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda spectantes, lucris inhiantes, hooores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præposito, & propter hæc seruitur Deo, quisqois est talis, mercenarius est, inter filios se noo computet. De talibus enim & Dominus dicit: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Audi de Timotheo sancto quid dicat Apostolus Paulus: *Spero autem in Domino Iesu, Timotheum citò me mittere vobis, vt & ego bono animo sim, cùm cognouero quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam vnanimem, qui* B *germanè de vobis solicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* Inter mercenarios pastor ingemuit: quæsiuit aliquem qui sinceriter diligeret gregem Christi, & circa se io eis qui eum illo eo tempore fuerant, non inuenit: Non enim io Ecclesiâ Christi tunc præter Paulum Apostolum & Timotheum nemo erat, qui germanè de grege solicitus esset: sed contigerat, vt eo tempore quo Timotheum misit, circa se alium de filiis non haberet, sed soli mercenarij cum illo essent, sua quærentes, non quæ Iesu Christi. Et tamen ipse germanè de grege solicitus, maluit filium mittere, & inter mercenarios remanere.

Phil.2.v.21. Mercenarius, qui non gratis Christum diligit. *Matth.6. v.2.* *Phil.2.v.19.* Rari non mercenarij, cùm nec Paulus alios circa se inuenerit præter Timotheum.

Inuenimus & mercenarios, noo eos discutit C nisi Dominus. Qui cor inspicit, ipse discutit; tamen aliquando intelliguntur à nobis: noo enim frustra dixit ipse Dominus etiam de lupis, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Multos interrogant tentationes, & tunc apparent cogitationes: multi autem latent. Habet ouile Domini præpositos, & filios, & mercenarios. Præpositi autem qui filij sunt, pastores sunt. Si pastores sunt, quomodò vnus pastor: nisi quia sunt isti omnes vnius membra pastoris, cuius sunt oues propriæ? Nam & ipsi membra sunt ipsios vnius ouis, qui *sicut ouis ad immolandum ductus est.* Audite autem, quia & merceoarij necessarij sunt. Multi quippe io Ecclesiâ commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur: D & sequuntur oues non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenatium. Audite merceoarios ab ipso Domino demonstratos: *Scribæ*, inquit, *& Pharisæi cathedram Mosi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim cathedram Mosi, legem Dei docent; ergo per illos Deus docet. Sua verò illi si velint docere, nolite audire, nolite facere: certè enim tales sua quæruot, non quæ Iesu Christi. Nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi, Tua quære, non quæ Iesu Christi. Quod enim malè facit, non prædicat de cathedrâ Christi: inde lædit vnde malè facit, oon vnde bona dicit. Botrum carpe, spinam caue. Benè, quia intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc idem planiùs: Quomodò dixi, Botrum carpe, spinam caue: cùm Dominus dicat, *Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus?* Verum est omninò, & tamen etiam verum ego dixi, Botrum carpe, spinam caue: quia botrus aliqoando de radice vitis exortus, pendet in sepe: crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære

Mercenarios discutit Christus. *Matth. 7. v.16.* Vnus pastor, cùm multi pastores sint. *Isai 53.v.7.* Mercenarij necessarij, & per eos loquitur pastor. *Matth.23. v.2.* Mercenarius etiam bona docet. Al. *malo.* *Matth.7. v.16.*

radicem spinæ, extra inuenies à vite: quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice.

Cathedra ergo Mosi vitis erat, Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe. Botrum inter spinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Quæ dicunt facite*, legite vuas: *quæ autem faciunt, facere nolite*, cauete spinas. Etiam per mercenarios vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarij, cùm sitis membra pastoris. Ipse autem Paulus Apostolus [sanctus] qui dixit: *Neminem habeo, qui germanè de vobis sollicitus sit, omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi*: alio loco inter mercenarios, filiósque distinguens, videte quid dixerit: *Quidam per inuidiam & contentionem, quidam verò & per bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex charitate, scientes quia in defensione Euangelij positus sum. Quidam verò & per contentionem Christum annuntiant, non castè: existimantes tribulationem suscitari vinculis meis.* Isti mercenarij erant, Paulo Apostolo inuidebant. Quare inuidebant, nisi quia temporalia requirebant? Sed quid adiungat, attendite: *Quidenim, dum omni modo, siue occasione, siue veritate Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Veritas est Christus. Veritas à mercenariis occasione annuntietur: veritas à filijs veritate annuntietur. Filij æternam hæreditatem Patris patienter expectant: mercenarij temporalem mercedem conducentis festinanter exoptant. Mihi humana gloria, cui mercenarios inuidere video, minuatur: & tamen per linguas mercenariorum & filiorum diuina Christi gloria diffametur, cùm siue occasione, siue veritate Christus annuntietur.

Malì pastores nō imitandi.

Matth. 23. v. 3.

Phil. 2. v. 20.

Phil. 1. v. 15.

Mercenarij occasione Christū annuntiant, veritate filij.

Vidimus qui sit etiam mercenarius. Quis est lupus, nisi diabolus? Et quid dictum est de mercenario? *Cùm viderit lupum venientem, fugit: quia non sunt eius oues propriæ, nec ei cura est de ouibus.* Nunquid talis erat Apostolus Paulus? Absit. Nunquid talis Petrus? Absit. Nunquid tales cæteri Apostoli, excepto Iudâ filio perditionis? Absit. Pastores ergo illi? Planè pastores. Et vnde vnus pastor? Iam dixi, pastores, quia membra pastoris. Illo capite gaudebant, sub illo rapite concordabant, vno spiritu in vnius corporis compage viuebant: ac per hoc omnes ad vnum pastorem pertinebant. Si ergo pastores, non mercenarij, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? Expone nobis, ô Domine. Vidi in Epistolâ fugientem Paulum: per murum in sportâ submissus est, vt manus persequentis euaderet. Non ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit planè, sed eas pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat: se autem vtilitati earum fugiendo seruabat, sicut quodam loco ait: *Manere in carne necessarium duxi propter vos.* Ab ipso namque pastore omnes audierant, *Si vos persecuti fuerint in vnâ ciuitate, fugite in aliam.*

Diabolus, lupus.

Apostoli pastores.

Vt illis fugere liceret.

2. Cor. 11. v. 33.

Phil. 1. v. 24.

Matth. 10. v. 23.

Hanc nobis quæstionem Dominus dignetur exponere. Domine tu dixisti eis quos fideles pastores esse vtique volebas, quos tua membra esse formabas, *Si vos persecuti fuerint, fugite.* Iniuriam ergo illis facis quando reprehendis mercenarios, qui vident lupum venientem, & fugiunt. Rogamus indices nobis, quid habeat altitudo quæstionis: pulsemus, aderit qui aperiet se, ostiarius ostij quod est ipse. Quis est mercenarius? Qui videt lupum venientem, & fugit, qui sua quærit, non quæ Iesu Christi. Peccantem non libere audet redarguere. Ecce nescio quis peccauit, grauiter peccauit, increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cùm potuerit. Iam ille qui sua quærit, non quæ Iesu Christi, ne perdat quod sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit. Ecce lupus ouis guttur apprehendit. Diabolus fideli adulterium persuasit, tu taces, non increpas: ô mercenarie, lupum venientem vidisti, & fugisti. Respondet fortè & dicit, Ecce hic sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga animi, timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti: quod ille non faciebat, qui dicebat, *Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum.* Quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores literis arguebat? Affectiones nostræ motus animorum sunt. Lætitia, animi diffusio: tristitia, animi contractio: cupiditas, animi progressio: timor, animi fuga est. Diffunderis enim animo, cùm delectaris: contraheris animo, cùm molestaris: progrederis animo, cùm appetis: fugis animo, cùm metuis. Ecce vnde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? *Quia non est ei cura de ouibus.* Quare non est ei cura de ouibus? *Quia mercenarius est.* Quid est, mercenarius est? Temporalem mercedem quærit, & in domo in æternum non manebit. Sunt hîc adhuc quærenda, & discutienda vobiscum, sed onerare vos non est consilij. Dominica enim cibaria conseruis ministramus: in pascuis Dominicis oues pascimus, & simul pascimur. Sicut non est negandum quod necessarium est, sic non est cor infirmum pabuli multitudine prægrauandum. Non sit ergo molestum charitati vestræ, quia omnia quæ hîc adhuc discutienda arbitror, hodie non discutio: sed iterum vobis in nomine Domini diebus reddendi sermonis, eadem lectio recitabitur, & diligentius illo adiuuante tractabitur.

Phil. 2. v. 21.

1. Tim. 5. v. 20.

Mercenarius, vt fugiat videns lupum venientem.

Fuga animi, timor.

Col. 2. v. 5.

Affectiones nostræ motus sunt animorum.

Pastores Ecclesiastici pascunt, & pascuntur.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

QVi sermonem Domini Dei nostri non solum libenter, sed etiam diligenter audistis, promissionis nostræ proculdubio meministis. Ipsa quippe lectio Euangelica & hodie lecta est, quæ lecta fuerat proximo Dominico die: propterea quoniam in quibusdam necessitatibus immorati, non potuimus omnia discutere, quæ vestris sensibus debebamus. Proinde quæ iam dicta, atque tractata sunt, hodie non quærimus: ne adhuc eadem repetendo, ad illa quæ nondum dicta sunt, peruenire minimè permittamur. Nostis iam in nomine Domini qui sit bonus pastor, & quemadmodum pastores boni membra sint eius, & ideo pastor sit vnus. Nostis quis sit mercenarius ferendus, quis lupus, & fures & latrones cauendi: quæ sint oues, quod sit ostium, quo & oues ingrediuntur & pastor, quomodo sit intelligendus ostiarius: nostis etiam quoniam quisquis non per ostium intrauerit, fur est & latro, nec venit nisi vt furetur, & occidat, & perdat. Hæc omnia dicta, sufficienter quan-

Ex Tract. 46. in Ioā. 10. v. 11.

A

tum existimo pertractata sunt. Hodie debemus dicere, quantum adiuuat Dominus (quoniam ipse Iesus Cstristus Saluator noster, & Pastorem se esse dixit, & ostium, & pasturem booum dixit intrare per ostium) quomodò ipse per seipsum

Ipse Christus bonus pastor intrat per se ostium.

intrat? Si enim nemo pastor bonus est, nisi qui per ostinm intrat, & ipse est præcipuè pastor bonus, & ipse est ostium: intelligere non possum nisi & ipsum per seipsum ad oues suas intrare, & vocem suam illis dare vt sequantur eum, eásque intrantes & exeuntes pascua inuenire, quod est vita æterna.

Cito ergo dico, ego quærens intrare ad vos, id est, ad cor vestrum, Christum prædico: si aliud prædicem, per aliam partem conabor ascendere.

Per Christum intrat Pastor ad corda ouiū.

Christus itaque mihi ianua est ad vos: per Christum intro, non ad parietes vestros, sed ad corda vestra. Quid est per Christum intro? Christum in me libenter audistis. Quare Christum in me libenter audistis? Quia oues Christi estis, sanguine Christi comparati estis. Agnoscitis pretium vestium, quod non à me datur, sed

Christi sāguis pretiosus, & per eum sāguis Sanctorum.

per me prædicatur. Ille quippe emit, qui pretiosum sanguinem fudit: pretiosus sanguis est illius sine peccato. Fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium: nam si suorum sanguinem non faceret pretiosum, non diceretur, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

Psal. 115. v. 15.

C

Itaque etiam quod ait, *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus*, non ipse vnus fecit. & tamen si illi qui fecerunt, membra eius sunt; idem ipse vnus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis, ipsi sine illo vnde potuerunt, cùm ipse dixerit: *Sine me nihil potestis facere?*

Ioan. 15. v. 5.

Hinc autem osteodimus quod & alij fecerunt, quia ipse Apostolus Ioannes, qui hoc quod audistis Euangelium prædicauit, io Epistolâ suâ dixit, *Sicut pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.*

1. *Ioan.* 3. v. 16.

Debemus Christi exemplo, & ipsi ponere animas pro fratribus.

Debemus dixit. Debitores nos fecit, qui primus exhibuit. Ideo quodam loco scriptum est, *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet præparare.*

D

Pro. 23. v. 1.

Eucharistia quid admoneat.

Mensa potentis quæ sit nostis, vbi est corpus & sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam, præparet talia. Et quid est, præparet talia: Quomodò ipse pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad asserendam fidem, animas pro fratribus ponere. Ideo Petro quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait, *Petre amas me? Pasce oues meas.*

Ioan. 21. v. 17.

Amor Christi mēbris eius necessarius pastori.

E

Huc semel, hoc iterum, hoc tertiò, vsque ad eius tristitiam: & cùm tantùm interrogasset Dominus quantum interrogandum esse iudicauit, vt ter confiteretur qui ter negauerat, & ei suas oues pascendas tertiò commendasset, ait illi: *Cum iunior esses, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Et exposuit Euangelista quid Dominus dixerit: *Hoc autem*, inquit, *dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* Ad hoc ergo pertinet, *Pasce oues meas*, vt ponas animam tuam pro ouibus meis.

V. 15.

Iam illud quod ait, *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Quis nescit? Ipse enim agnoscit Patrem per se, nos per illum. Quia ipse per se cognoscit, nouimus: quia & nos per illum, etiam hoc nouimus, quia & hoc per illum nouimus. Ipse enim dixit, *Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ergo & nos per ipsum, quibus enarrauit.

Ioan. 1. v. 18.

Item alibi ait: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrē quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

Matth. 11. v. 27.

Sicut ergo ipse per se nouit Patrē, oos autem per illum nouimus Patrem: sic intrat in ouile per semetipsum, & nos per ipsum. Ostium dicebamus per Christum nos habere ad vos. Quare? Quia Christum prædicamus. Nos Christum prædicamus, & ideo intramus per ostium. Christus autem Christum prædicat, quia seipsum prædicat, & ideo pastor per seipsum intrat.

Christus sibi ipse, & aliis ostiū.

B

Simile.

Lumen cùm alia monstrat quæ videntur in lumine, nunquid aliquo alio indiget vt monstretur? Lumen ergo & alia demonstrat & seipsum. Quæcunque intelligimus, intellectu intelligimus: & ipsum iotellectum, vnde nisi intellectu intelligimus? Nunquid sic oculo carnis & alia vides & ipsum? Quamuis enim videant homines oculis suis, non tamen vident oculos suos. Oculus carnis alia videt, se non potest: intellectus autem & alia intelligit, & seipsum. Quomodò intellectus videt se, sic & Christus prædicat se. Si prædicat se, & prædicando intrat ad te, per se intrat ad te. Et ad Patrem ipse est ostium: quia non est quà veniatur ad Patrem, nisi per ipsum. *Vnus enim Deus & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

1. *Tim.* 2. v. 5.

C

Verbo multa dicuntur. Hæc ipsa quæ dixi, vtique verbo dixi: si velim dicere & ipsum verbum, vnde dico nisi verbo? Ac per hoc per verbum & alia dicuntur, quæ non sunt quod verbum, & ipsum verbum dici non potest, nisi per verbum. Adiuuante Domino exemplis abundauimus.

Tenete ergo quomodò Dominus Iesus Christus, & ostium sit, & pastor: ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem fratres, quòd pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & boni Episcopi pastores.

Apostoli & Episcopi pastores; ostium solus Christus.

D

Ostium verò nemo nostrum se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit, quà intrant oues. Denique Paulus boni pastoris implebat officium, quando Christum prædicabat, quia per ostiom intrabat. At vbi oues indisciplinatæ cœperunt facere schismata, & alia ostia sibi ponere, non quà intrarent, vt congregarentur, sed quà errarent vt diuiderentur, dicentes: Alij, Ego sum Pauli: alij, ego sum Cephæ: alij, ego Apollo: alij, ego Christi; expauescens ad eos qui dixerunt, Ego sum Pauli, tanquam clamans ad oues, miseræ quà itis? non sum ostinm. *Nunquid Paulus*, inquit, *pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

1. *Cor.* 1. v. 12.

E

Qui verò dicebant, *Ego sum Christi*, inuenerunt ostium. De vno autem ouili & vno pastore, iam quidem assiduè soletis audire: multum enim commendauimus vnum ouile prædicantes vnitatem, vt per Christum omnes oues ingrederentur, & Donatum nulla sequeretur.

Verontamen vnde hoc propriè dixerit Dominus ad ipsos, satis apparet. Loquebatur enim apud Iudæos, missus autem fuerat ad ipsos Iudæos, non propter quosdam immani odio pertinaces & perseuerantes in tenebris, sed propter quosdam in ipsâ gente quas dicit oues suas, de quibus dicit: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.*

Al. *quos.*

Matth. 15. v. 24.

Nouerat etiam eas in turbâ furentium, & præuidebat in pace credentium. Quid est ergo, *Non sum missus nisi ad oues, quæ*

Missus Christus ad solos Iudæos, vt ipse eis prædicaret.

perierunt domus Israël, nisi quia præsentiam A suam corporalem non exhibuit nisi populo Israël? Ad Gentes non pertexit ipse, sed misit. Ad populum verò Israël & misit & venit ipse, vt qui contemnebant, maius iudicium sumerent, quia & præsentia est illis exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia eius, modò adorantur vbi nouissimè steti, vnde ascendit ad cœlum: ad Gentes autem misit.

Locutus & Gentibus per discipulos suos. 2. Cor. 13. v. 3.

Sed fortè aliqui arbitrantur, quoniam non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem eorum quos misit. Absit. Pellatur ista cogitatio de cordibus vestris, & in his quos misit ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit: ad Gentes enim præcipuè Paulum misit Apostolum, & ait ipse Paulus terrens non B de se, sed de illo: *An vultis accipere experimentum eius, qui in me loquitur, Christus?* Audite & ipsum Dominum. *Et alias oues habeo*, id est, in Gentibus. *Quæ non sunt de hoc ouili*: Id est, de populo Israël: *Oportet me & illas adducere*. Ergo & per suos, non alter adducit. Adhuc audi, *Et vocem meam audient*. Ecce & per suos ipse loquitur, & per suos quos mittit, vox eius auditur: *Vt sit vnum ouile, & vnus pastor*. Duobus

Eph. 2. v. 20

istis gregibus tanquam duobus parietibus factus est lapis angularis. Ergo & ostium est, & lapis angularis: omnia per similitudinem, nihil horum propriè. Iam enim dixi & commendaui vehementer, & qui capiunt sapiunt, immò qui sapiunt C capiunt; & qui nondum intellectu sapiunt, fide teneant, quod intelligere nondum possunt. Per similitudinem Christus multa est, quæ per pro-

Multa Christus per similitudinẽ.

prietatem non est. Per similitudinem & petra est Christus, & ostium est Christus, & lapis angularis est Christus, & pastor est Christus, & agnus est Christus, & leo est Christus. Quàm multa per similitudines & alia, quæ commemorare longum est. Si autem proprietates discutias rerum, quas videre consueuisti; nec petra est, quia durus & sine sensu non est: nec ostium, quia faber eum non fecit: nec lapis angularis est, quia non est ab structore compositus: nec pastor est, quia custos ouium quadrupedum non est: nec D leo est, qui fera non est: nec agnus est, quia pecus non est. Omnia ergo ista per similitudinem.

Ioan. 1. v. 1. & 14.
Propria Verbum, & caro.

Quid ergo propriè? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quid de homine qui apparuit? *Et Verbum caro factum, & habitauit in nobis.*

EIVSDEM, DE PASTORE, *& mercenario, & fure.*

HOMIL. III.

Eadem inscriptio est in Indiculo Possidij Et hinc Beda E multa citat ad Corinth. & ad Philippens.

Serm. 49. de verb. Domini in Euang. Ioã. Cap. 1.
Christus caput Ecclesiæ, Ecclesia eius corpus.

NOn ignorat fides vestra, charissimi, & ita vos didicisse nouimus, docente Magistro de cœlo, in quo spem vestram posuistis: quia Dominus noster Iesus Christus, qui iam pro nobis passus est, & resurrexit, caput est Ecclesiæ, & est corpus eius Ecclesia, & in eius corpore vnitas membrorum, & compago charitatis tanquam sanitatis existit. Quicunque autem in charitate frigoerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille qui iam exaltauit caput nostrum, A etiam infirma membra sanare; dum tamen non nimiâ impietate præcidantur, sed hæreant corpori donec sanẽtur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est. Quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Cùm ergo ille sit caput Ecclesiæ, & sit corpus eius Ecclesia, totus Christus caput & corpus est. Resurrexit iam ille. Capur ergo habemus in cœlo. Caput nostrum interpellat pro nobis. Caput nostrum sine peccato & sine morte, iam propiciat pro peccatis nostris Deum, vt & nos in fine resurgentes & immutati in gloriam cœlestem, sequamur caput nostrum. Quò enim est caput, & cætera membra. Sed dum hîc sumus, membra sumus, ne desperemus, quia secuturi sumus caput nostrum.

Ecclesia cũ suo capite, totus Christus.

Membra debent sequi caput.

Cap. 2.

B Videte enim, fratres, dilectionem ipsius capitis nostri. Iam in cœlo est, & hîc laborat, quandiu hîc laborat Ecclesia. Hîc Christus esurit, hîc sitit, nudus est, hospes est, infirmatur, in carcere est. Quicquid enim hîc patitur corpus eius, se dixit pati: & in fine segregans ipsum corpus suum ad dexteram, & reliquos à quibus modò conculcatur segregans ad sinistram, dicturus est his qui sunt ad dexteram, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quibus meritis? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Sic exequitur tanquam ipse accepisset: vsque adeò vt illi non intelligentes, respondeant & dicant, *Domine, C quando te vidimus esurientem, hospitem, & in carcere? Et dicit eis, Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sic etiam in nostro corpore caput sursum est, pedes in terrâ sunt: tamen in aliquâ constipatione & coarctatione hominum, quando tibi aliquis pedem calcat, nonne dicit caput, Calcas me? nec caput tuum, nec linguam tuam quisquam calcauit: Sursum est, in tuto est, nihil ei mali contigit, & tamen quia per connexionem charitatis vnitas est à capite vsque ad pedes, non se inde lingua separauit, sed dixit, Calcas me. cùm eam nemo contigerit. Quomodò ergo lingua, quam nemo contigit, dicit, Calcas me: sic Christus caput quod nemo calcat, dixit, *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Et illis qui D hoc non fecerunt, dixit, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Et quomodò conclusit? Sic, *Ibunt illi in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam,*

Sibi Christus caput quicquid est membrorũ deputat.

Matth. 25. v. 34.

Exemplum.

Cap. 3.
Ioan. 10. v. 7. & 11.

Cùm ergo nunc loqueretur, dixit se esse pastorem, dixit se esse ianuam. Vtrunque ibi habes, &, *Ego sum ianua*, &, *Ego sum pastor.* Ianua est in capite, pastor est in corpore. Dicit enim Petro, in quo vno format Ecclesiam, *Petre amas me?* Respondit, *Domine, amo. Pasce oues meas.* Et tertiò, *Petre amas me? Contristatus est Petrus, quòd eum tertiò interrogaret*: quasi ille qui videbat conscientiam negatoris, non videbat fidem E confitentis. Nouerat illum semper, nouerat illum & quando se Petrus ipse, non nouerat. Tunc enim se non nouerat, quando dixit, *Tecum ero vsque ad mortem*: & quàm esset infirmus, nesciebat. Quomodò plerunque reuerâ & infirmis contingit, vt ægrotus nesciat quid cum illo agatur, medicus autem sciat: cùm ille ægritudinem illam patiatur, medicus non patiatur. Magis dicit medicus quid agatur in altero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in seipso. Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus. Iste dicebat se habere vires, quas non habebat. Ille autem

Ioan. 21. v. 15.
In Petro firmat Christus Ecclesiam.

Luc 22. v. 33.

tangens venam cordis eius, dicebat quòd ter eum esset negaturus. Et ita factum est quomodò prædixit medicus, non quomodo præsumpsit ægrotus. Ergo post resurrectionem suam Dominus interrogauit eum, non nesciens quo ille animo confiteretur amorem Christi, sed vt trinâ confessione amoris, deleret trinam negationem timoris.

Trinâ Petrus amoris confessione, trinam delet negationem timoris.

Cap. 4.

Amoris symbolo exigit ab eo Christus, vt oues eius pascat.

Ergo hoc Dominus exigit à Petro, *Petre, amas me?* Quasi, quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstaturus Petrus resurgenti Domino, & eunti in cœlum, atque sedenti ad dexteram Patris? Quasi diceret, Hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, vt pascas oues meas. Per ianuam intres, non per aliam partem ascendas. Audistis enim cùm Euangelium legeretur: *Qui intrat per ianuam, pastor est; qui autem ex alia parte ascendit, fur est & latro:* Et dissipare quærit, & spargere, & tollere. Quis est qui intrat per ianuam? Qui intrat per Christum. Quis est iste? Qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi: vt cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim Deus vult videri, cùm sit homo, non imitatur illum qui cùm Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dicitur, Esto aliquid minus quàm es, sed cognosce quid es. Cognosce te infirmum, cognosce te hominem, cognosce te peccatorem: cognosce te, quia ille iustificat; cognosce te, quia maculosus es. Appareat in confessione tuâ macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi: quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum, quomodò in ægritudine qui dicit, Sanus sum, non quærit medicum. Nunquid non ad templum ascenderat Pharisæus ille & Publicanus? Ille de suâ sanitate gloriabatur, iste vulnera sua medico ostendebat. Dicebat enim ille, *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut Publicanus iste:* Gloriabatur super alterum. Ergo si Publicanus ille sanus esset, inuideret illi Pharisæus: quia non haberet super quem extolleretur. Quomodò ergo venerat, qui sic inuidebat? Non erat vtique sanus. Et cùm se sanum diceret, non descendit curatus. Ille autem *ad terram oculos deyciens, & non audens in cœlum attollere, percutiebat pectus suum, dicens, Propitius esto mihi peccatori.* Et quid dicit Dominus? *Amen dico vobis, quia descendit iustificatus de templo Publicanus magis quàm Pharisæus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Qui ergo se exaltant, per alteram partem volunt ascendere ad ouile. Qui autem se humiliant, per ianuam intrant ad ouile. Ideo de illo dicit, *Intrat*, de illo, *Ascendit*. Qui ascendit, videtis quia alta petit; non intrat, sed cadit. Ille autem qui se submittit vt per ianuam intret, non cadit, sed pastor est.

B

Ioan. 10. v. 1.

Intrat per ianuam, qui se agnoscens hominem Christum imitetur.

C

Luc. 18. v. 10.

Pharisæi & Publicani parabola.

D

Qui se humiliat, intrat per ostium, qui se exaltat, ascendit aliunde.

E

Cap. 5.

Sed tres personas dixit Dominus, & debemus illas inuestigare in Euangelio, pastoris, mercenarij, & furis. Cùm legeretur, puto quòd animaduertistis; designauit pastorē, designauit mercenarium, designauit furem. Pastorem dixit animā suā ponere pro ouibus suis, & intrare per ianuam. Furem dixit ascendere per aliam partem. Mercenarium dixit, lupum vel furem si videat fugere, quia non est illi cura de ouibus. Mercenarius est enim, non pastor. Ille intrat per ianuam, quia pastor est. Ille ascendit per aliam partem, quia fur est. Ille videns eos qui volunt tol-

Pastor.

Fur.

Mercenarius.

A

lere oues, timet & fugit, *quia mercenarius est, quia non est illi cura de ouibus: Mercenarius est enim.* Si inuenerimus tres istas personas, inuenit sanctitas vestra & quos diligatis, & quos toleretis, & quos caueatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro. Sunt homines in Ecclesiâ, de quibus dicit Apostolus, Qui ex occasione euangelizant, quærentes ab hominibus commoda sua, siue pecuniaria, siue honorum vel laudis humanæ. Quomodolibet volentes accipere munera euangelizant, & non tam salutem eius quærunt cui annuntiant, quàm commodum suum. Ille autem qui audit salutem ab eo qui non habet salutem, si ei crediderit quem ille annuntiat, neque in illo spem posuerit, per quem illi annuntiatur salus: qui annuntiat habebit detrimentum; cui annuntiatur, habebit lucrum.

Diligendus est pastor, mercenarius tolerandus, fur cauendus.

Phil. 1. v. 17.

Habes Dominum dicentem de Pharisæis, *Cathedram Mosi sedent.* Non eos solos significabat Dominus: quasi verò eos qui crederent in Christum ad Iudæorum scholam mitteret, vt ibi discerent quemadmodum iter sit ad regnum cœlorum? Nónne ideo Dominus venit vt instrueret Ecclesiam, ipsósque Iudæos benè credentes, & benè sperantes, & benè diligentes segregaret tanquam frumenta à paleis, & faceret vnum parietem circumcisionis, cui coniungeretur alius paries ex præputio Gentium, quibus duobus parietibus de diuerso venientibus esset ipse lapis angularis? Nonne ergo idem Dominus de duabus istis plebibus in vno futuris dixit, *Habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili?* Loquebatur autem Iudæis: *Oportet me*, inquit, *& eas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor.* Ideo duæ naues erant, vnde vocauerat discipulos, (Duas personas plebis significabant) quando miserunt retia, & leuauerunt tantam vim & tantum numerum piscium, ita vt penè retia rumperentur: *Et onerauerunt*, inquit, *duas naues.* Duæ naues significabant vnam Ecclesiam, sed de duabus plebibus factam, coniunctam in Christo, quamuis de diuerso venientem. Hoc significant etiam duæ vxores habentes vnum virum Iacob, Lia & Rachel. Has duas significant etiam duo cæci, qui sedebant iuxta viam quos Dominus illuminauit. Et si aduertatis Scripturas, in multis locis inuenietis significari duas Ecclesias, quæ non sunt duæ, sed vna. Ad hoc enim valet lapis angularis, vt ex duabus faciat vnam. Ad hoc valet ille pastor, vt de duobus gregibus faciat vnum. Ergo Dominus docturus Ecclesiam, & habiturus scholam suam præter Iudæos, sicut videmus modò, nunquid credentes in se ad Iudæos missurus erat vt discerent? Sed nomine Pharisæorum & Scribarum significauit quosdam in Ecclesiâ suâ futuros, qui dicerent, & non facerent: se autem figurauerat in personâ Moysi. Etenim personam eius gerebat Moyses, & velum ante se ideo ponebat, quando loquebatur populo: quia quandiu illi in lege carnalibus gaudiis & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamen positum erat contra faciem eorum, ne viderent Christum in Scripturis. Ablato enim velamine, postquam passus est Dominus, visa sunt secreta templi. Ideo cùm in cruce penderet, *scissum est velum templi à summo vsque deorsum:* & apertè dicit Apostolus Paulus, *Cum autem transierit ad Christum, auferetur velamen.* Qui autem non transierit ad Christum,

Cap. 6.

Matth. 23. v. 2.

Al. instituere.

Eph. 2. v. 14.

V. 16.

Al. Duas ipsas plebes.

Ecclesia ex Iudæis & Gentibus.

Gen 29. v. 23.

Matth. 20. v. 30.

Duæ Ecclesiæ, vna.

Pharisæi, & Scribæ in Ecclesiâ, qui dicunt, & non faciūt.

Personam Christi figurabat Moses.

Matth. 27. v. 51.

2. Cor 3. v. 16.

quamuis

quamuis legat Moysem, velamen positom est super cor eius, sicut dicit Apostolus. Cùm ergo præfiguraret qoosdam tales futuros Dominus in Ecclesiâ suâ, quid ait? *Scribæ & Pharisæi cathedram Moysi sedent, Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.*

Cap. 7.

Quando illud audiunt clerici mali; quod in ipsos dicitur, volunt peruertere. Nam audiui quosdam peruertere velle istam sententiam. Nunquid non si illis liceret, delerent illam de Euangelio? Quia verò delere illam non possunt, peruertere illam quærunt. Sed adest Domini gratia & misericordia, nec finit eos facere, quia circunsepsit veritate suâ omnes sententias suas, & liberauit: vt quisquis inde aliquid præcidere voluerit, aot inducere malè legendo vel interpretando, ille qui cor habet, quod præcisum est iungat Scripturæ, & legat superiora vel inferiora, & inueniet sensum quem volebat ille malè interpretari. Quid ergo putatis istos dicere de quibus dicitur, *Quæ dicunt, facite?* Quia renerà à sanis laicis dicitur. Laicus enim qui vult benè viuere, cùm attenderit clericum malum, quid sibi dicit? Dominus dixit, *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite.* Ambulabo viam Domini, non sequar istius mores. Audiam ab illo, non verba ipsius, sed Dei. Sequar Deum, sequatur ille cupiditatem suam. Quia si voluero apud Deum sic me defendere, vt dicam, Domine vidi malè viuentem illum clericum tuum, & ideo malè vixi: nónne mihi dicturus est, Serue nequam non à me audieras, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite?* Malus autem laicus, infidelis, non pertineos ad gregem Christi, non pertinens ad frumentum Christi, qui tanquam palea in areâ toleratur, quid sibi dicit quando cœperit illum arguere verbum Dei? Exi; Quid mihi loqueris? Ipsi Episcopi, ipsi clerici non illud faciunt, & me cogis vt faciam? Quærit sibi non patronum ad causam malam, sed comitem ad pœnam. Nam nunquam eum ille defensurus est in die iudicij, qnencunque malum voluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnetur: sic omnes qoi sequuntur malos, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regna cœlorum. Quomodò ergo peruertunt isti hanc sententiam, quando illis dicitur malè viuentibus, Meritò dictum est à Domino, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite?* Rectè dictum est, inquiunt. Dictum est enim vobis, vt quæ dicimus, faciatis, quæ aotem nos facimus, vos non faciatis. Nos enim offerimus sacrificium, vobis non licet.

Boni laici non imitãtur malos clericos.

Mali dum imitantur, & excusant, comites sibi ad gehennã quærunt.

Peruersa expositio sententiæ Dominicæ.

Cap. 8.

Videte versutias hominum. Quid dicam? mercenariorum? Nam si pastores essent, ista non dicerent. Ideo Dominns vt os illis clauderet, secutus est, & dixit: *Cathedram Moysi sedent, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt.* Quid est ergo, fratres? Si de sacrificio diceret offerendo, diceret, Dicunt, & non faciunt? Faciunt enim sacrificium, Deo offerunt. Quid est qood dicunt, & non faciuot? audi quid sequatur: *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt ea super ceruices hominum, quæ ipsi vno digito nolunt attingere.* Apertè exprobrauit, descripsit & ostẽdit, Sed illi quando sic volunt peruertere sententiam, ostendunt quia nihil quærunt in Ecclesiâ nisi commoda sua, nec Euangelium legerunt.

Matth. 23. v. 2.

Vetus sensus; pronũtiasse Dominum in malos doctores, qui dicunt, & non faciũt.

A Si enim nossent ipsam paginam, & totum legissent, nuoquam hoc dicere auderent. Sed apertiùs attendite, qoia habet tales Ecclesia. Ne quis dicat nobis, Prorsos de Pharisæis dixit, de Scribis, de Iudæis dixit. Nam tales oon habet Ecclesia. Qui sunt ergo illi, de quibus Dominus dicit, *Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum?* Et addidit, *Multi dicent mihi in illâ die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & in nomine tuo manducauimus & bibimus?* Nunquid in nomine Christi Iudæi faciunt ista? Certum est, manifestum est, quia de his dicit qui nomen Christi habent.

Matth. 7. v. 21.

B Sed quid sequitur? *Tunc dicam illis, Nunquam vos cognoui. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Audi Apostolum gementem de talibus. Dicit alios annuntiare Euangelinm per charitatem, alios per occasionem: de quibus dicit, *Annuntiant Euangelium non rectè.* Rem rectam, sed ipsi non recti. Quod annuntiant rectum est, sed qui annuntiat non sunt recti. Quare non est rectus? Quia aliud quærit in Ecclesiâ, nõ Deum quærit. Si Deum quæreret, castus esset; quia legitimum maritum anima Deum habet. Quisquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non castè Deum quærit. Videte fratres, si vxor amet maritum qoia diues est, non est casta. Noo

Phil. 1. v. 17.

Nõ rectus, qui præter Deum aliquid in Ecclesiâ quærit.

C enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, pauperem amat, Si enim propterea amat, quia diues est, quid si (quomodò suot casus humani) proscribatur, subitò egens remaneat? Renuntiat illi fortè; qoia quod amabat non maritus erat, sed res eius. Si autem verè maritum amet, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordiâ amat.

Vxor casta.

Et tamen, fratres, Deus noster nonqoam pauper esse potest. Diues est, ipse fecit omnia, cœlum & terram, mare & Angelos. Quicquid videmus, quicquid non videmus in cœlo, ipse fecit. Sed tamen non diuitias amare debemus, sed eum qui fecit illas: Non enim tibi promisit nisi se. Inueni aliquid pretiosius, & hoc dabit.

Cap. 9.

Deus diues, nunquam pauper; etsi amandus quod est, nõ quod diues.

D Pulchra est terra, cœlum & Angeli: sed pulchrior est qui fecit hæc. Qui ergo annuntiant Deum, amantes Deum, qui anountiant Deum propter Deum, pascunt oues, & non sunt mercenarij. Ipsam castitatem exigebat ab animâ Dominos noster Iesus Christus, quando dicebat Petro, *Petre amas me?* Quid est, Amas me? Castus es? Non est cor tuum adulterum? Non tua quæris in Ecclesiâ, sed mea? Si ergo talis es, & amas me, *pasce oues meas.* Non enim eris mercenarius, sed eris pastor. Illi autem non castè annuntiabant, de quibus gemit Apostolus. Sed quid dicit? *Quid enim? Dum omni modo siue occasione, siue veritate Christus annuntietur:* permisit ergo esse mercenarios.

Ioan. 21. v. 15.

Phil. 1. v. 18.

E Pastor veritate Christum annuotiat, mercenarios occasione Christum annuntiat, aliud quærens. Tamen & ille Christum annuntiat, & ille Christum: audi vocem pastoris Pauli, *Siue occasione, siue veritate Christus annuntietur.* Ipse pastor voluit habere mercenarium. Faciunt enim vbi possont, vtiles suot quantum possunt. Quando autem ad alios vsus, quærebat Apostolus cuius vias imitarentur infirmi: *Misi vobis*, inquit, *Timotheum, qui vos commonefaciat vias meas.* Et quid ait? Misi pastorem, qui vos commoneret vias meas: id est, quia *quomodò ego ambulo, & ipse ambulat.* Et mittens pastorem,

Mercenarius non inutilis.

1. Cor. 4. v. 17.

A Paschate. Z

Phil. 2. v. 20.

quid ait? *Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincerâ affectione pro vobis sollicitus sit.* Nonne cum illo erant multi? Sed quid sequitur? *Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi Iesu:* id est, ego vobis pastorem mittere volui, nam multi mercenarij sunt: sed non oportuerat vt mercenarius mitteretur. Ad alias res & negotia peragenda mittitur mercenarius: ad illas autem quas tunc volebat, pastor erat necessarius. Et vix inuenit vnum pastorem inter multos mercenarios: quia pauci pastores, multi mercenarij.

Pastores pauci, multi mercenarij.

Sed quid dicitur de mercenarijs? *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* De pastore autem quid ait Apostolus? *Quisquis autem mundauerit se ab huiusmodi, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum semper.* Non ad quasdam res paratum, & ad quasdam non paratum, sed *ad omne opus [bonum] paratum.* Hæc de pastoribus dixi.

Matth. 6. v. 2.
2. Tim. 2. v. 21.

B

Cap. 10. v. 12.

De mercenariis autem iam diximus. *Mercenarius quando videt lupum insidiantem ouibus, fugit.* Hoc Dominus dixit. Quare? *Quia non est ei cura de ouibus.* Tandiu est ergo vtilis mercenarius, quandiu non videt lupum, quandiu non videt furem & latronem. Cùm autem viderit, fugit. Et quis est de mercenariis qui non fugit de Ecclesiâ, quando videt lupum aut latronem? Abundant lupi, abundant latrones. Ipsi sunt qui ascendunt: per alteram partem ascendunt. Qui sunt isti qui ascendunt? Qui de parte Donati volunt deprædari oues Christi. Ipsi per alteram partem ascendunt. Non per Christum intrant: quia non sunt humiles. Quia superbi sunt, ascendunt. Quid est ascendunt? Extolluntur. Vnde ascendunt? Per alteram partem. Vnde de parte dici volunt. Qui in vnitate non sunt, de alterâ parte sunt, & de ipsâ parte ascendunt; id est, extolluntur, & volunt tollere oues. Quomodò ascendunt, videte. Nos, inquiunt, sanctificamus, nos iustificamus, nos facimus iustos. Ecce quò ascenderunt: Sed *qui se exaltat, humiliabitur.* Potens est Dominus Deus noster humiliare eos. Lupus autem diabolus est, insidiatur vt decipiat, & qui illum sequuntur: nam dictum est, quòd sint *induti quidem pellibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Si viderit mercenarius aliquem peccare, aut sentire secundum perniciem animæ suæ, aut aliquid facere sceleratum & obscœnum, & tamen tacet quia videtur habere alicuius momenti personam in Ecclesiâ, vnde sibi sperat commoda, non reprehendit, mercenarius est. Et cùm videt hominem perire in peccato, videt illum sequi lupum, videt illius guttur trahi morsu ad supplicium: non illi dicit, Peccas, non illum obiurgat, ne perdat commoda sua. Hoc est ergo, cùm viderit lupum, fugit: non illi dicit, Sceleratè facis. Non corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo, cùm videt peccatorem, & non dicit illi, Peccas, cùm etiam consiliũ cum illo habet.

Mercenarius vtilis quandiu nõ videt lupũ.

Lupi, latrones Donatistæ, qui ascendunt aliunde.

C

Luc. 14. v. 11.

D

Matth. 7. v. 15.

Fugit mercenarius, qui peccantem non corripit.

Cap. 11.

Fratres mei, nunquid non ascendunt aliquando aut Presbyter aut Episcopus: & non dicit aliud de superiori loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur? Non possunt dicere aliud, quia *cathedram Moysi sedent,* & ipsa loquitur de illis, nõ ipsi. Quid est ergo, *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Et, *Omnis arbor ex fructu cognoscitur.* Pharisæus potest bona loqui: Pharisæus spina est. Quomodò

Matth. 7. v. 16.

A de spinâ lego vuas? Quia tu Domine dixisti, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* De spinis me iubes vuam decerpere, cùm dixeris, *Nunquid colligunt de spinis vuam?* Respondet tibi Deus, Non iussi te de spinis vuam legere: sed vide & attende benè, ne fortè, vt fieri solet, vitis cùm circungyrat per terram, inuoluta sit in spinis. Nam aliquando inuenimus illud fratres mei, vitem positam super caricem, quia ibi habet sepem spinosam, extendit palmites suos, & inserit in sepem: extendit in spinas botros, & qui videt botrum carpit, non tam de spinis quàm de vite, quæ circumplexa est spinis. Sic ergo illi spinosi sunt, sed sedendo in cathedrâ Moysi, inuoluit eos vitis, & pendent ad eos botri, id est, verba bona, & bona præcepta. Tu lege vuam, non te pungit spina, quando legis, *Quæ dicunt, facite; sed quæ faciunt, facere nolite.* Pungit autem te spina, si quod faciunt, facis. Vt ergo legas vuam, & non inhæreas spinis, quæ dicunt, facere debetis: sed quæ faciunt, nolite facere. Facta ipsorum spinæ sunt, verba ipsorum vua est: sed de vite, id est, de cathedrâ Moysi. Fugiunt ergo isti, quando vident lupum, quando vident latronem. Hoc autem inceperam dicere, quia de loco superiore non possunt dicere isti, nisi bene facite. Nolite periurare, nolite fraudare, nolite aliquem circumuenire. Aliquando autem sic viuunt, vt de tollendâ villâ alienâ cum Episcopo consilium habeatur, & petatur ab illo tale consilium. Aliquando nobis contigit, experti dicimus, nam non crederemus. Multi à nobis consilia mala petunt, consilia mentiendi, circumueniendi: putantes quia placeant talia nobis. Sed in nomine Christi, si Domino placet quod dicimus, nullus talis non tentauit, & inuenit quod volebat in nobis. Quia si vult ipse qui nos vocauit, pastores sumus, non mercenarij. Sed quid ait Apostolus? *Mihi minimum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque ego memetipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est.* Non ideo bona est conscientia mea, quia vos illam laudatis. Quid enim laudatis, quod non videtis? Ille laudet qui videt. Ille etiam corrigat, si quid ibi videt quod eius oculos offendit: quia & nos non dicimus perfectè nos sanos, sed tundimus pectus nostrum, & dicimus Deo, Propitius esto, ne peccem. Tamen puto, coram illo enim loquor, nihil aliud à vobis quærens nisi salutem vestram. Et gemimus plerumque in peccatis fratrum nostrorum, & vim patimur, & torquemur animo, & aliquando corripimus illos: imò nunquam non corripimus. Testes sunt omnes qui recordantur quod dico, quoties sunt à nobis correpti fratres peccantes, & vehementer correpti.

De spinis vt legatur vua.

Al. *circuierit.*

Facta malorũ Presbyterorum spinæ sunt, dicta verò ipsorum sunt vuæ.

1. Cor. 4. v. 3.

Augustini humilitas, & cura pastoralis.

Al. *imò nũquam nos, sed Deus corripit.*

Cap. 12.

E

Modo consilium nostrum tracto cum sanctitate vestrâ. In nomine Christi plebs Dei estis, plebs catholica estis, membra Christi estis. Non estis diuisi ab vnitate. Communicatis membris Apostolorum, communicatis memoriis sanctorum Martyrum, diffusorum per orbem terrarum, & pertinetis ad curam nostram, vt rationem bonam de vobis reddamus. Tota autem ratio nostra quæ est, scitis. Domine scis quia dixi, scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia fleui tibi, cùm dicerem, & non audiret. Ipsa puto, quòd integra ratio nostra est. Securos enim nos fecit Spiritus sanctus per Ezechielem Prophetam. Nostis enim ipsam lectionem de speculatore,

Prælati ratio, vt subditorũ vitia arguat.

Ezech. 33. v. 6. *Fili*, ait, *hominis, speculatorem posui te domui Israël. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non dixeris*: hoc est, ego enim tibi dico vt dicas; *si non annuntiaueris, veneritque gladius, & tulerit eum*: id est, quod minatus sum peccatori: *ille quidem impius in impietate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*. Quare? Quia non dixit. *Si autem speculator viderit gladium venientem, & cecinerit tubâ vt fugiat, & non se obseruauerit*; id est, non se correxerit, vt non eum inueniat in supplicio quod minatur Deus: *veneritque gladius, & tulerit aliquem, ille quidem impius in iniquitate suâ mortuus est, tu autem*, inquit, *animam tuam liberasti*. Et in illo loco Euangelij
Matth. 25. v. 24. Luc. 19. v. 22. quid aliud dicit seruo, cùm diceret: *Domine, B sciebam te molestum sive durum hominem, quia metis vbi non seminasti, & colligis vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terrâ, ecce habes quod tuum est*. Et ille, *Serue*, inquit, *nequam & piger, magis quia me sciebas molestum & durum esse, metere vbi non seminaui, & colligere vbi non sparsi*, ipsa auaritia mea debuit te docere, quia lucrum quæro de pecuniâ meâ. *Oportuit te ergo vt dares pecuniam meam nummularijs, & ego veniens cum vsuris exegissem meum*. Nunquid dixit, Dates vt exigetes? Nos
Prædicatores dant, Deus verò exigit ratione dati. ergo fratres, damus; veniet ille qui exigat. Orate vt paratos suos inueniat.

EIVSDEM IN IDEM

HOMILIA IV.

Serm. 50. de ver. Dñi. Cap. 1. Boni, pastores, & tamen vnus est pastor bonus. Ioan. 10. v. 11

AVdiamus Dominum Iesum commendantem nobis boni pastoris officium: in quâ commendatione admonuit nos vtique, vt intelligi datur, honos esse pastores. Et tamen ne intelligeretur peruerso modo multitudo pastorum: *Ego sum*, inquit, *pastor bonus*. Et vnde sit pastor bonus, consequenter ostendit: *Pastor*, inquit, *bonus animam suam ponit pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit, quia non est ei cura de ouibus: mercenarius enim est*. Pastor ergo bo-
Episcopi pastores boni. nus Christus. Quid Petrus? Nônne bonus pastor? Nônne & ipse animam suam pro ouibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati Episcopi martyres? Quid etiam iste sanctus Cyprianus? Nônne omnes pastores boni, non mercenarij, de qui-
Matth. 6. v. 2. bus dicitur, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*? Omnes ergo isti pastores boni, non solùm quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt. Non enim fuderunt, elatione, sed charitate.

Cap. 2. Innuit Donatistas, qui à Catholicis principibus puniti fuerant. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrij se iactant: vt hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire in quo numero habendi sunt, pastorem bonum Paulum Apostolum audite:
Sine charitate non est martyrium. 1. Cor. 13. v. 1. Quoniam non omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus traduut, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed potiùs contra oues. *Si linguis*, inquit, *hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, & cymbalum tinniens. Si sciero omnia sacramenta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transfe-*

A Paschate.

A *ram, charitatem autem non habeam, nihil sum*. Magna ergo res est, postremò fides montes transferens. Illa quidem magna sunt: sed si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non illa, sed ego nihil sum. Sed adhuc istos non tetigit, qui falso martyrij nomine in passionibus gloriantur. Audite vt eos tangat, imò vt transfodiat. *Si distribuero*, inquit, *omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ita vt ardeam*: Iam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur: *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Ecce venimus ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis effusionem, venitur & ad corporum incensionem: & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: Detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. Ibid. v. 3. Nulla prosunt sine illâ.

Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quid securius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt: *Domine, in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus*. Nec respondebit ille, Non fecistis. Non enim in conspectu tanti iudicis audebunt mentiri, aut iactare quæ non fecerunt: sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis, *Non noui vos*. Quomodò autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat C vnitatem? Hanc Dominus vnitatem commendans pastoribus bonis, non commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores. Neque enim, vt dixi, iam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli cæteri, posteriores sancti Episcopi, beatúsque Cyprianus. Omnes hi pastores boni: & tamen ille pastoribus bonis non commendauit pastores bonos, sed Pastorem bonum. *Ego sum*, inquit, *Pastor bonus*. Cap. 3. Matth. 7. v. 22. Ioan. 10. v. 11.

Interrogemus Dominum qualicunque sensu, & humillimâ disceptatione cum tanto patrefamilias colloquamur. Quid dicis Domine bone pastor? Tu enim bonus pastor qui bonus agnus, idem D pastor & pascua, idem agnus & leo. Quid dicis? Audiamus, & adiuua vt intelligamus. *Ego sum*, inquit, *bonus pastor*. Quid Petrus? Aut non pastor, aut malus? Videamus si non pastor. *Amas me?* Tu ei dixisti Domine, *Amas me*: & respondit, *Amo*. Et tu ei, *Pasce oues meas*. Tu Domine interrogatione tuâ, firmamento oris tui, amatorem fecisti pastorem. Pastor est ergo, cui pascendas oues credidisti. Ipse commendasti, pastor est. Videamus iam vtrum non bonus. Ipsâ id interrogatione & respõsione eius inuenimus. Quæsisti, vtrum amet te; Respondit, Amo. Vidisti cor, quia verum respondit. Non est ergo bonus, qui amat tantum bonum? Vnde illa responsio ex in-E timis prolata visceribus, vnde ille Petrus testes oculos tuos habens in corde suo, cõtristatus quòd eum non solum semel, sed iterum & tertiò interrogasti; vt trioâ confessione amoris, deleret trinæ peccatũ negationis? Vnde ergo contristatus, quòd sæpe interrogatus esset ab eo qui sciret quod interrogabat, & donauerat quod audiebet? Vnde contristatus, talia verba retulit, *Domine, tu scis omnia, ipse nosti quoniam te amo*. Itáne ille talia confitens, imò profitens mentiretur? Veraciter ergo respondit amorem tuum, & de intimo corde protulit amantis vocem. Tu autem dixisti, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*. Ergo & pastor, & bonus pastor, nihil quidem ad potestatem ac bonitatem Pastoris Cap. 4. Ioan. 21. v. 15. Petrus pastor, & pastor bonus. Trinâ confessione amoris, deletum peccatum trinæ negationis. Matth. 12. v. 35. Luc. 6. v. 45

pastorum, sed tamen etiam ipse & pastor & bonus, & cæteri tales pastores boni.

Cap. 5.

Quid est ergo quòd pastoribus bonis commendas vnum pastorē, nisi quia in vno pastore doces vnitatem? Et exponit apertiùs ipse Dominus per ministerium nostrum, ex ipso Euangelio commemorans charitatem vestrā, & dicens: Audite quid commēdaui. *Ego sum pastor bonus*, dixi: quia omnes cæteri, omnes pastores boni mēbra mea sunt. Vnūm caput, vnum corpus, vnus spiritus. Ergo & Pastor ipse est pastorum: & pastores multi sunt vnius pastoris, & oues cum pastoribus sunt sub pastore. Quid sunt hæc nisi quod dicit Apostolus? *Sicut enim corpus vnum est & membra habet multa: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus; sic & Christus.* Ergo si sic & Christus, meritò Christus in se habens omnes pastores bonos, vnum commendat, dicens, *Ego sum Pastor bonus*. Ego sum, vnus sum, mecum in vnitate omnes vnum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit: *Qui mecum non colligit, spargit.* Ergo audire ipsam vnitatem vehementiùs commendatam, *Habeo*, inquit, *alias oues, quæ non sunt de hoc ouili.* Loquebatur enim primo ouili de genere carnis Israël. Erant autem alij de genere fidei ipsius Israël, & extra adhuc erant in Gentibus. Erant prædestinati, nondum congregati. Hos nouerat qui prædestinauerat, nouerat qui redimere sanguine suo fuso venerat. Videbat eos, nōdum videntes eum: nouerat eos, nondum credentes in eum. *Habeo*, inquit, *alias oues, quæ non sunt de hoc ouili*, quia non sunt de genere carnis Israël: sed tamen non erunt extra hoc ouile, *quia oportet me adducere eas, vt sit vnus grex, & vnus pastor.*

Vnus pastor bonus, quia boni omnes vnius membra pastoris.

1. Cor. 12. v. 12.

Matth. 12. v. 30.

Ioan. 10. v. 16.

Cap. 6.

Meritò huic Pastori pastorum, amara eius, sponsa eius, pulchra eius, sed ab ipso pulchra facta, priùs peccatis fœda, post indulgentiam & gratiam formosa, loquitur amans, & ardens in eum, & dicit ei: *Vbi pascis?* Et videte quemadmodum quo affectu hic erigatur amor spiritalis. Meliùs isto multò affectu delectantur, qui aliquid ex huius amoris dulcedine gustauerunt. Illi hoc benè audiunt, qui amant Christum. In ipsis enim hoc, & de ipsis cantat Ecclesia in Canticis canticorum. Qui amant Christum, quasi fœdum & solum formosum, *Vidimus enim eum*, inquit, *& non habebat speciem neque decorem.* Talis in cruce apparuit, talem se spinis coronatus exhibuit, fœdum & sine decore, quasi amissâ potentiâ, quasi non Filium Dei. Talis visus est cæcis. Ex personâ quippe Iudæorum hoc dixit Esaias, *Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem*: quando dicebatur, *Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios saluos fecit, seipsum non potest. Et percutientes calamo in caput, dicebant: Prophetiza nobis, Christe, quis te percussit?* Quia non habebat speciem neque decorem. Talem Iudæi videbatis, Quia *cæcitas ex parte Israël facta est, donec plenitudo Gentium intraret*, donec aliæ oues venirent. Quia ergo cæcitas facta est, ideo decorum sine decore vidistis. *Si enim cognouissetis, nunquam Dominum gloriæ crucifixissetis.* Fecistis autem, quia non cognouistis. Et tamen ille qui vos quasi fœdus tolerauit, pro vobis formosus orauit: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Si enim sine decore, quid est quod amat ista, quæ dicit, *Annuntia mihi quem dilexit anima mea?* Quid est quod amat, quid est quod ardet, quid est quod tantum ne ab illo aberret, timet? Quid est quod tantum delectatur in ipso, cui sola pœna est esse sine ipso? Quid esset vnde amaretur, nisi formosus esset? Verùm quomodò illa sic amaret, si ille illi sic appareret, quomodò cæcis persequentibus, & quid faciant nescientibus? Qualem ergo illa amauit? Speciosum formâ præ filijs hominum. *Speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.* Ergo de ipsis labijs tuis *annuntia mihi, quem dilexit anima mea. Annuntia*, inquit, *mihi, ô quem dilexit*, non caro mea, sed *anima mea. Annuntia mihi vbi pascis, vbi cubas in meridie: ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.*

Cant. 1. v. 6.

Isai 53. v. 2.

Christus in passione fœdus & sine decore.

Marc. 15. v. 32.

Matth. 27. v. 40. & 26. v. 68.

Rom. 11. v. 25.

1. Cor 2. v. 8.

Idē nihilominus in eâ decorus.

Luc 23. v. 34.

Cant 1. v. 6.

Psal. 44. v. 3.

Cant. 1. v. 6.

Cap. 7.

Obscurum videtur, obscurum est: quia thalami sacri mysterium. Ipsa enim dixit, *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Talis cubiculi hoc secretum est. Sed vos qui ab isto cubiculo profani non estis, audite quod estis, & dicite cum illâ, si amatis cum illâ. Amatis autem cum illâ, si estis in illâ. Dicite, dicite omnes, & tamen vna dicat: quia vnitas dicit, *Annuntia mihi quem dilexit anima mea. Erat enim illis in Deum vna anima, & cor vnū. Annuntia mihi vbi pascis, vbi cubas in meridie.* Quid significat meridies? Magnum feruorem, magnúmque splendorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui, spiritu feruentes, doctrinâ fulgentes. *Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientiâ.* Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis socier, cum ipsis te fruar. Dic mihi ergo, *annuntia mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*, ne incurram in eos qui alia de te dicunt: Aliud de te sentiunt: alia de te credunt, alia de te prædicant. Et greges suos habent, & sodales tui sunt: quia de tuâ mensâ viuunt, & mensæ tuæ sacramenta pertractant. Sodales enim dicti sunt quòd simul edant, quasi simul edales. Tales exprobrantur in Psalmo: *Si enim inimicus super me magna locutus fuisset, abscondissem me vtique ab eo. Et sic hic qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderem me vtique ab eo: tu verò vnanimis meus, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Quare contra domum Domini modò cum dissensu, nisi quia *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis?* Ideo ô tu quem dilexit anima mea, ne in tales incidam sodales tuos, sed quales fuerunt sodales Sampson, non seruantes amico fidem, volentes eius corrumpere vxorem. Ergo ne in tales incurram, *ne fiam super eos*, id est, incidam in eos, *velut operta*, velut latens & obscura, non velut in monte constituta. *Annuntia* ergo *mihi, ô quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie*; qui sint sapientes & fideles in quibus maximè requiescis, ne fortè sicut latens incurram in greges non tuos, sed sodalium tuorum. Nam tu Petro non dixisti, Pasce oues tuas, sed, *Pasce oues meas.*

Cant. 1. v. 3.

Aduersus Donatistas malè Ecclesiam intra Affricam cogentes.

Act. 4. v. 32.

Christus in meridie; in feruore & splendore.

Psal. 89. v. 12.

Sodales quasi simul edales.

Psal. 54. v. 13.

1. Ioan. 2. v. 19.

Cant. 1. v. 6.

In sapientibus & fidelibus requiescit Christus.

Ioan. 21. v. 17.

Cap. 8.

Respondeat ergo amatæ huic *pastor bonus, & speciosus formâ præ filijs hominum*: respondeat ei quam formosam fecit ex filiis hominum. Audite quid respondeat, intelligite, cauete quod terret, amate quod monet. Quid ergo respondit? quam non blandè, sed blanditiis seueritatem reddit. Corripit vt constringat, vt seruet. *Nisi cognoueris temetipsam*, inquit, *ô pulchra inter mulieres*: quantumlibet enim sint aliæ pulchræ donis viri tui, hæreses sunt, ornatu

Cant. 1. v. 7.

Pulchritudo Ecclesiæ intrinseca.

non visceribus pulchræ sunt furis, extrinsecus nitent, nomine iustitiæ se dealbant: *Omnis autem pulchritudo filiæ regis intrinsecus.* Nisi ergo cognoueris temetipsam, quia vna es, quia per gentes es, quia casta es, quia colloquia peruerso malorum sodalium corrumpi non debes. *Nisi cognoueris temetipsam*, quia rectè te mihi desponsauit ille *virginem castam exhibere Christo*, rectéque mihi teipsam exhibeas, ne malis colloquiis, *sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, sic & tui sensus corrumpantur* à castitate meâ. Nisi ergo talem cognoueris temetipsam, *exi*. Tu *exi*. Aliis enim dicturus sum: *Intra in gaudium Domini tui.* Tibi non dicam, Intra, sed *Exi*: vt sis inter eos qui ex nobis exierunt, *exi tu*. Sed *nisi cognoueris temetipsam, tunc exi*. Si autem cognoueris temetipsam, intra. B *Si autem non cognoueris, exi tu in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. Exi in vestigiis* non gregis, sed *gregum*: & pasce non sicut Petrus oues meas, sed *hædos tuos in tabernaculis*, non pastoris, sed pastorum: non vnitatis sed dissensionis. Non ibi posita vbi est vnus grex & vnus pastor. Confirmata est, ædificata est, amata fortior est facta, parata mori pro viro, & viuere cum viro.

Psal. 44. v. 14.

Qualem se debeat cognoscere Ecclesia.

2. Cor. 11. v. 2.

Matth. 25. v. 21.

Heretici nō habent vnitatem, sed dissensionē.

Cap. 9.

Hæc verba quæ commemorauimus de sanctis Canticis canticorum, de sponsi & sponsæ epithalamio quodam: spiritales enim nuptiæ sunt, in quibus nobis magnâ castitate viuendum est, quia Ecclesiæ concessit Christus in spiritu, quod mater eius habuit in corpore, vt & mater & virgo sit. Hæc verò verba Donatistæ accipiunt ad sensum suum peruersum multò aliter. Et quemadmodum, non tacebo: & quid eis respondeatis, adiuuante Domino, quantum potero, breuiter admonebo. Cùm eos vrgere cœperimus luce vnitatis Ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarum, & poposcerimus vt ostendant ipsi de Scripturis aliquod testimonium vbi Deus prædixit in Africâ futuram Ecclesiam, quasi perditis cæteris gentibus, hoc solent testimonium in ore habere, & dicere, Africa in meridie est. Interrogans ergo, inquiunt, Ecclesia Dominum vbi pascat, vbi cubet; respondet ille, *In meridie*: vt quasi vox interrogantis sit, *Annuntia mihi quem dilexit, anima mea; Vbi pascis? Vbi cubas?* Et vox quasi respondentis, *In meridie*: hoc est, in Africâ. Si ergo quæ interrogat, Ecclesia est, & Dominus vbi pascat, respondet in Africâ, quia in Africâ erat, Ecclesia quæ interrogat non erat in Africâ. *Annuntia*, inquit, *mihi quem dilexit anima mea. vbi pascis, vbi cubas*; & respondit ille cuidam Ecclesiæ præter Africam, *In meridie*, in Africâ cubo, in Africâ pasco, quasi te non pasco. Porrò si quæ interrogat, Ecclesia est, quod nullus ambigit, quod nec ipsi contradicunt, & audiunt nescio quid de Africâ, hæc ergo quæ interrogat præter Africam, & quia Ecclesia est, est præter Africam Ecclesia. Ecce accipio in meridie esse Africam, quanquam magis in meridie sub sole medij diei Ægyptus quàm Africâ.

Ecclesia mater, & virgo spiritu, quod Maria corpore.

Donatistarum peruersa expositio loci ex Canticis.

Cant. 1. v. 6.

Ægyptus potius in Meridie quam Africa.

Cap. 10.

Illic autem in Ægypto quomodò pastor estiste, qui norunt agnoscunt: qui non norunt, requirant quàm magnum illic gregem colligat, quantam numerositatem sanctorum atque sanctarum habeat contemnentium penitus mundum. Grex ille tantum creuit, vt etiam inde superstitiones expulerit. Vt ergo omittam quomodò inde omnem idolorum superstitionem, quæ illic valida

A Paschate.

A fuerat, * credendo fugauerit; accipio quod dicitis, ò sodales mali; accipio prorsus, assentio Africam in meridie esse, & Africam significatam in eo quod dictum est, *Vbi pascis, vbi cubas in meridie.* Sed & vos æquitatem attendite, adhuc ista verba sponsæ esse, nondum sponsi. Adhuc sponsa dicit, *Annuntia mihi quem dilexit anima mea vbi pascis, vbi cubas in meridie, ne fortè sicut operta fiam.* Surde, cæce, si in meridie vides Africam, quare inopertam non intelligis fœminam? *Annuntia mihi*, dicit, *quem dilexit anima mea.* Vtique virum alloquitur, cùm dicit, *Quem dilexit*: quomodò si diceret, Annuntia mihi quam dilexit anima mea, intelligeremus sponsum hæc loqui ad sponsam. Sic cùm audis, *Annuntia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas*, illuc adde: ad hæc huius verba pertinent, & quæ sequuntur, *In meridie.* Quæro *vbi pascas in meridie, ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum.* Audio prorsus, accipio de Africâ quod intelligis, in meridie ipsa significata est. Sed Ecclesia Christi, sicut intelligis, transmarina alloquitur sponsum suum, timens errorem incidere Africanum. O *quem dilexit anima mea, annuntia mihi*: doce me. Audio enim in meridie, id est, in Africâ duas esse partes, immò multas concisiones. Annuntia ergo mihi vbi pascis, quæ oues ad te pertinent, quod ouile illic me C iubes amare, cui me debeo sociare, *ne forte fiam velut operta.* Illudunt enim quasi latenti, insultant quasi perditæ, quasi nusquam alibi existenti. Ne ergo *quasi operta*, quasi latens *fiam super greges sodalium tuorum* Donatistarum, Maximinianistarum, Rogatistarum, cæterarúmque pestium extra colligentium, & ideo spargentium, rogo te, annuntia mihi, si illic pastorem meum requiram, vt non in gurgitem rebaptizationis incurram. Hortor vos, obsecro vos per sanctitatem talium nuptiarum, amate hanc Ecclesiam, estote de tali Ecclesiâ, estote talis Ecclesia, amate pastorem bonum, virum pulchrum, neminem fallentem, neminem perire cupientem. Orate & pro dispersis ouibus, veniant & D ipsi, cognoscant & ipsi, ament & ipsi, vt sit vnus grex, & vnus pastor.

*Al. crescendo.

Heretici, pestes.

Orandum pro illis vt conuertantur.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI

Alexandrini, Euangelij eiusdem expositio.

EGo sum Pastor bonus. Cùm antea clarè admodum ostendisset quantam veteribus perniciem falsorum Prophetarum aut falsorum doctorum hypocrisis attulerit, & aduentus sui præclaras vtilitates manifestas fecisset, & ex ipsâ E omnium comparatione palmam reportasset, ac veritatis calculo donatus esset, iure inclamat illud, *Ego sum pastor bonus.* Frustra igitur est, inquit, vestra illa contra me molitio, qui cum commodis omnium detrahere me vel minimùm quid arguere non possitis, me tamen eorum numero qui istud faciunt habere non grauamini: & quod vere bonum est, malum esse dicitis, & rectum ex legislatoris præscripto de vnaquaque referre iudicium, hominis nimium sui amantis esse dicitis, Itaque magistratus, vt iniustos carpit, vt Mosaicorum mandatorum contemptores, vt consilium aduentus eius ignorantes, adeò vt

Ioan. 10. v. 11.

Iudæorum nequitia in Dominum, vt bonum pastorem vel malis posthabeant.

verè de ipsis Esaias Prophera dicere comperiatur, *Isai. 5. v. 20.* *Va qui dicunt malum bonum, & bonum malum: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem.* Nunquid enim id facere competierint, qui veram lucem, huc est Dominum nostrum Iesum Christum ponunt in tenebras, dum bonum pastorem nostrum in falsorum pastorum numero collocare non verentur, atque, si diis placet, inferiorem facere. Nam qui tum temporis populis præctant, magno in honore habebant eos qui diuinam doctrinam sibi assumerent, & prophetiæ nomine simpliciorum animos deprædari conarentur, & à viâ veritatis auertere, eosque suis placitis magis quàm Deo adhærere cogerent. Et certè Sameas Ælamites *Ier. 29. v. 24.* diuinis sermonibus sua mendacia opponens, ausus est in Hieremiæ gloriam insurgere. Hic enim in vinculis est habitus, ille à Sedeciâ honorem, mendacij præmium retulit. Sed infelices Pharisæi nunc illorum impietatem longè superantes, maiorique audaciâ præditi, ne Christo quidem quod falsis doctoribus relinquunt. Quid enim de ipso dicunt ad eos qui sermonem eius libenter audiebant? *Ioan. 10. v. 20.* *Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?* Ideircò etiam ipse per Prophetam Oseam de iis infit, *Os. 7. v. 13.* *Va eis, quoniam resilierunt à me: meticulosi sunt, quoniam impiè egerunt in me. Ego verò redemi eos:* *Ibid. v. 16.* *ipsi loquuti sunt contra me mendacia.* Item: *Cadent in gladio principes eorum propter imperitiam lingua eorum.* Quomodò enim non quauis pœnâ digni sunt, qui linguam tam procacem in Christum acuunt, vt in illum dicere audeant, quæ sui similes tantùm deceat vel in aures admittere, vel temerè deblaterare. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues, videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum cura de ouibus.*

Postquàm opposuit singulari artificio quorumdam blaterationibus suorum operum splendorem, & latrones aliunde in ouium caulam irrumpentes, se verò pastorem omninò bonum ostendit, iam ad ipsos Iudæorum Principes transit, ac Pharisæorum principatu suum potiorem esse demonstrat. Quam demonstrationem rursus comparatione magnopere illustrat. Opponit enim tanquam borum ignauiæ vigilantiam, & charitatem suam: ac eos quidem redarguit, vt sui gregis omninò securos, sibi verò curam pro illis eò vsque progredi ait, vt vitam quæ omnibus charissima est, negligat. Definit verò quonam ferè modo bonum pastorem probari oporteat, ac ipsam quidem animam prodigere debere pro salute ouium pugnantem docet: quod quidem per Christum factum est. *Bonus pastor quis esse debeat.* Homo enim à charitate & affectu erga Deum discessit, in peccatum lapsus, ideóque sacrâ ac diuinâ aulâ; paradiso, inquam, exturbatus est: cúmque eâ calamitate premeretur, diabolo ad peccatum illicienti & morti ex peccato germinanti, acerbis reuerâ & truculentis lupis in prædam cessit. Posteaquam verò pastor bonus super omnes Christus exhibitus est, animam suam pro nobis posuit, pugnans aduersus par & bigam illam ferarum immanium: crucem sustinuit propter nos, vt morte mortem perimeret; condemnatus autem est propter nos, vt vniuersos criminis ac peccati damnatos eximeret, abolitâ per fidem peccati tyrannide, & affixo suæ cruci quod contra nos erat chirographo, quemadmodum scriptum est. *Col. 2. v. 14.* Igitur parens peccati velut oues in inferno posuit, morti nos pascendos tradens, sicut in Psalmis scriptum est. *Psal. 48. v. 15.* Mortuus autem est propter nos verè bonus, ac verè pastor, vt obscuro mortis specu exemptos, cœlestibus cœtibus atque choris aggregaret, & pro stabulis in voragines abyssi & profunda maris subsidentibus, superas & apud Patrem mansiones nobis compararet. Proindéque alicubi nos compellat his verbis: *Luc. 12. v. 32.* *Nolito timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et hactenus quidem quæ ad Christum spectant: videamus deinceps quinam illi sint.

Mercenarij, Iudæorum Sacerdotes; fugientes inuadente regnum tyranno tanquam lupo.

Nihil aliud esse quidem emunctæ naris homini videantur, quàm mercenarij, & falsi pastores, ignaui, proditores, ac pigri, & nusquam de ouium salute soliciti: sed quod cuiquam suaue, & iucundum videatur vndecunque captantes. Verè siquidem mercenarij erant, iuxta Seruatoris vocem. Nec enim eorum oues erant propriæ, sed Christi, qui ab initio conduxerat, atque ad honores supremos elegerat præfectos Iudæorum populis Sacerdotes, qui nullâ habitâ gregis & stabuli curâ oues lupo prodiderunt, atque id quo pacto, paucis dicemus. Nam priscis quidem temporibus multiplex Iudæorum populus solum sibi Deum Regem ascribebat, didrachmum in sacrificium pendebat, ac tributum veluti quoddam, legitimam vitæ formam, ac rationem offerebat. Verùm irruit in eum ferus quidam lupus, homo alienigena, seruitutis nomen & rem imponens, regnique humani iugum iniiciens, ac per vim eos in dissolutam atque insolentem vitam traducens, tributa exigens, regnoque Dei expolians. Quippe necesse erat eò miseriæ redactis, vt potentioris legibus obtemperarent. Venit alienigena principatu qui ea Deo est, hoc est tribu sacerdotium sortitâ, cui iudicandi munus à Deo mandatum erat, exturbans, omniáque violenter è suo loco mouens, suámque in nummis imaginem cudi faciens, nullumque non tyrannidis & crudelitatis genus inuehens. Ad tam intolerandas libidines ac iniurias non expergefacti sunt pastores. Viderunt lupum venientem, & relicto grege diffugerunt: nec enim ad eos oues pertinebant, nec inuocauerunt eum qui propugnare ac repellere posset, qui è Babyloniorum manibus seruasset, qui Assyrium euertisset, qui per manum Angeli centum & octoginta quinque millia alienigenarum confecisset. *4. Reg. 19. v. 45.* Quòd verò non mediocre detrimentum Israëli importatum sit accepto externo, nempe sub alienigenis, principatu, res ipsa etiamnum tibi ostendet. Etenim cùm aliquando Pilatus Iudæis suam incredibilem audaciam exprobaret, quòd Dominum crucifigi ab eo flagitarent, apertéque diceret, *Ioan. 19. v. 15.* *Regem vestrum crucifigam?* tunc certè excussâ Dei seruitute, & veteris dominij vinculis diruptis, nouo tanquam iugo ceruices subiecerunt, impudenter vociferati, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Quæ omnia cùm fierent & clamarentur, Principibus rectè se habere visa sunt, quibus ideò omnium malorum causæ ascribendæ sunt. Damnantur enim iuremerito tanquam gregis sui proditores, ignaui, & imbelles prorsus, ac pu-

gnare pro subditis gregibus detrectantes. Ideóque Deus ipsos arguit, dicens: *Pastores stultè egerunt, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexit omnis grex, & dispersi sunt.* Ex ipsis itaque rebus ostensum est Christum reuerà esse bonum pastorem ouium, illos verò esse corruptores potiùs & pestes quàm bonos, & à verâ laude longè alienos. *Ego sum pastor bonus.*

Hier. 10. v. 20.

V. 14.

Exultauit rursus, tanquam causâ superior & Iudaici principatus calculum adeptus, non aliquorum testimonijs, sed ipsarum iam rerum documentis euidentibus delatum. Quemadmodum enim postquam opposuit facta sua falsorum Prophetarum maleficijs, suáque ipsius opera & præclaros effectus eorum mendacijs potiores ostendit: Siquidem illos venisse duntaxat vt furentur, vt mactent, & perdant, ac præterea vt mentiantur, & quæ dictu sint nefas, se verò non modò vt vitam ouibus, sed vt & aliquid amplius daret, exclamauit illud, *Ego sum pastor bonus:* ita & hoc loco vbi definiuit bonum verè pastorem, qui mori vult pro ouibus, & animam suam libenter ponat pro illis, mercenarium verò & extraneum præfectum fugacem esse ac timidum, & quiduis tale, quoniam norat se eum esse qui animam pro ouibus esset positurus, rursus meritò exclamat illud, *Ego sum pastor bonus.* Oportebat enim eum omnes vincere, qui in omnibus primas obtinebat, vt & verè dixisse Psalmista videatur ad ipsum alicubi dicens his verbis: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Iam verò præter supradicta illud expendendum est. Puto enim Dominum proponentem vtilia Iudæis non suis tantùm verbis, sed & ex Prophetarum oraculis monere eos, vt quæ rationi consentanea sunt, sentiant, & apertè nouerint, ipsum esse bonum & egregium pastorem, istos verò nequaquam. Probabilis enim coniectura erat, fore, vt si non eius verbis fidem haberent, attamen vel inuiti Prophetarum vaticinijs assentirentur. Ait ergo, *Ego sum pastor bonus*, reuocans in memoriam Iudæis quæ per Iezechiel dicta sunt. Sic enim de Christo, & de ijs quibus obtigerat præesse gregi Iudæorum ait: *Hæc dicit Dominus. O pastores Israël, nunquid pastores pascunt semetipsos. Nonne oues pascunt ipsi pastores? Ecce lac comedistis, & lanis operiebamini, & quod crassum est occidistis, & oues meas non pascitis: quod infirmum fuit non confortastis, & quod ægrotum non sanastis, & quod contritum non alligastis, & quod errabat non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, & quod forte erat afflixistis labore. Et dispersa sunt oues meæ, propterea quòd non sunt pastores, & factæ sunt in deuorationem omnibus bestijs campi, & dispersæ sunt oues meæ in omni monte, & super omnem collem excelsum, & super faciem vniuersæ terræ, & non erat qui requireret, neque qui reduceret.* Vnus enim Iudæorum præpositis scopus erat, lucri nempe studium, & subditorum oblationibus ditari, ac tributa exigere, & edicta supra Legem facere: eius autem quod prodesse populis sibi subditis, aut eos seruare posset, nullam planè curam habere. Idcircò de ipsis rursus ait pastor ille verè bonus his verbis: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego super pastores, & requiram oues meas de manibus eorum, & amouebo eos ne pascant oues meas, & non pascent amplius pastores eas, & separabo oues meas de manibus eorum, & ex ore eorum, & non erunt eis vltra in deuorationem.*

Psal. 50. v. 6.

Ezech. 34. v. 2. & seq. Aduersus malos Pastores & Prælatos.

Iudæorum præpositi ac Sacerdotes soli lucro inhiantes.

Ezech. 34. v. 10.

A Paschate.

A Et paulò post: *Et suscitabo super eos pastorem vnum, & pascet eos, seruum meum Dauid. Et erit eorum pastor: & ego Dominus ero eis in Deum, & Dauid Princeps in medio. Ego Dominus locutus sum, & disponam Dauid testamentum pacis, & delebo bestias pessimas de terrâ, & habitabunt in deserto, & somnum capient in saltibus montis. Et dabo eos in circuitu mei: & dabo pluuiam meam, pluuiam benedictionis, & ligna quæ in campo dabunt fructum suum, & terra dabit fructum suum.* Per hæc ergo Deus manifestissimè declarat futurum vt à Iudæorum principatu Pharisæorum impius cœtus amoueatur, & post illos rationali credentium gregi præsit è semine Dauid secundùm carnem Christus. B Fœdus enim pacis per eum pepigit, Euangelicam nimirum, & diuinam prædicationem, quæ nobis amicitiam cum Deo, & regnum conciliat. Per ipsum itidem rursus benedictionis pluuia, id est primitiæ Spiritus, quæ animum in quo extiterit ceu agrum quendam fœcundum efficit. Quia verò Pharisæi suis ouibus non mediocrem perniciem inferunt multis modis eas deformari sinentes, nedum eas pascentes, Christus autem eas seruat, ac supernæ benedictionis largitor eis est atque paratus, idcirco iurè profitetur id quod est, dum ait, *Ego sum pastor bonus.* Nemo porrò scandalizetur, quòd Deus ac Pater eum seruum appellauerit, qui ex semine Dauidis C homo factus est, quamuis secundum naturam Deus verus sit ac Filius, sed cogitet potiùs ipsum se humiliasse formâ serui sumptâ. Quare conuenienter formæ illi serui assumptæ à Deo & Patre seruus nuncupatus est. *Et cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.*

Ibid. v. 23.

V. 14.

Christus vt homo, Dei seruus.

Phil. 2. v. 7.

Nihil aliud hîc innuere velle Dominum quispiam simpliciter dixerit, nisi se suis manifestum fore, séque credentibus in eum largiturum esse siue labore sui cognitionem, & se suos agniturum esse; non inutile vtique cognosci, quibus id fortè obtigerit, insinuans. Quid enim melius D dicemus quàm innotescere Deo? Sed cùm id quod dictum est subtiliorem requirat indaginē, maximè quia additum est, *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem:* age verborum istorum sensum expendamus. Neque enim, opinor, quisquam dicere ausit, posse quenquam talem de Christo percipere notitiam, qualis fortè sit in Deo & Patre de eo: solus enim Pater nouit suam genituram, & cognoscitur à solâ genitura. *Nemo enim nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius*, secundùm ipsius Seruatoris vocem. Quòd enim & Deus sit Pater, & Filius similiter verus Deus, scimus atque credimus: quid verò sit secundùm substantiam ineffabilis illa natura, prorsus supra nostrum & aliarum intellectualium creaturarum captum est. E Quomodò igitur sciemus eodem modo quo Pater Filium? Dispiciendum enim quomodò cogniturum ipse nos affirmet, cognitum verò iri à nobis, sicut ipse Patrem nouit, & Pater ipsum. Exactiùs itaque inquirendum quo pacto nos à proposito non alienam explicationem huic dicto accommodemus. Ego quidem quod in mentem venit non reticebo, quod tamen liberum sit volentibus accipere. Puto enim hîc cognitionem dicere, non duntaxat scientiam, sed necessitudinem & coniunctionem, siue eam quæ secundùm genus est & naturalem, siue eam quæ tanquam

V. 15.

Matth. 11. v. 27.

Exponitur illud, *Nemo nouit Filium nisi Pater.*

Notitia pro necessitudi-

ne & coniunctione.

in participatione est honoris & gratiæ. Notos A igitur Græci vocare solent, non tantum genere propinquos, sed & fratres consanguineos. Quod autem Scriptura sacra cognitionem pro necessitudine & coniunctione accipiat, hinc intelligemus. Ait enim alicubi Christus de ijs qui minimè ipsi coniuncti sunt: *Multi dicent mihi in illa die*, iudicij nimirum, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, & dæmonia eiecimus? Tunc confitebor eis, Amen dico vobis, nunquam noui vos.* Atqui si notitia nobis solam significaret scientiam, quomodò ignoraret aliquos, qui omnia habet nuda & aperta in oculis suis, quemadmodum scriptum est, quique *omnia nouit antequam fiant?* Ergo non solùm absurdum, sed etiamnum impium est suspi- B cari Dominum ignorare aliquos: quinimmò potius existimandum est eum dicere nullam secum prorsus similitudinem ac relationem habere. Non enim, inquit, noui eos amantes virtutis, non verbi mei cultores ac retinentes, sed neque bonarum actionum coniunctione mihi deuinctos. Eodem modo & ad sapientissimum Mosem dictum est: *Scio te præ omnibus, & gratiam inuenisti apud me*, pro eo quod est, præ omnibus mihi conciliatus es, & magnam nactus es gratiam. Quæ quidem dico non quòd infitias ire velim notitiam etiam significatione scientiæ accipi, sed vt modum quàm maximè fieri potest conuenientem conceptibus excogitem.

Matth. 7. v. 22.

Heb. 4. v. 13.

Dan. 13. v. 42.

Exod. 33. v. 12.

Ioan. 10. v. 14.

C Igitur, *cognosco*, inquit, *meas, & cognoscunt me meæ: sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*, hoc est, familiaris sum meis ouibus, & mihi oues meæ coniungentur, eo modo quo mihi coniunctus est Pater, & ego vicissim coniunctus sum Patri. Quo enim modo nouit Deus & Pater suum ingenitum ac germanum fœtum, habens proprium Filium ac fructū substantiæ suæ, & rursùs nouit Filius Patrem, Deum reuerà Patrem habens, tanquam qui ex eo genitus est: eodem modo & nos familiares ei facti, genus eius audiuimus & vocamur, quemadmodum ab illo dictum est, *Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Deus.* D Verum autem genus sumus Filij ac dicimur, ac propter eum, Patris, quandoquidem existens ex Deo Deus Vnigenitus, homo factus est, eâdem nobiscum naturâ assumptâ, citra tamen omne peccatum. Siquidem quomodò genus sumus Dei, aut quâ ratione diuinæ naturæ participes? Nec enim in eo solo quòd voluerit Christus nos in affinitatem accipere, gloriatum is modum habemus, sed vis ipsa rei verè nobis competit. Diuina quippe natura Dei Verbum etiam cum carne, nos verò genus eius, quamuis sit secundùm naturam Deus, quòd eandem nobiscum carnem assumpserit. Itaque similis est coniunctionis E modus. Vt enim coniunctus est ipse Patri, & coniunctus est per identitatem naturæ Pater ipsi, sic & nos ei, in quantum homo factus est, & ipse nobis. Per eum autem tanquam per mediatorem Patri conciliamur. Quippe Christus est veluti quoddam diuinitatis & humanitatis interstitium in vno eodemque existens vtraque, & veluti comprehendens in seipso ea quæ tantopere sunt dissita: & coniungitur quidem tanquàm naturâ Deus Deo & Patri: rursùs & hominibus, tanquam secundùm veritatem homo.

Nos Christi genus, eique deuincti, sicut ipse Patri.

Isai. 8. v. 18.

Act. 17. v. 29.

2. Petr. 1. v. 4.

Diuinæ consortes naturæ facti Christi incarnatione.

Rom. 5. v. 10.

Colos. 1. v. 20.

Christus Diuinitatis & humanitatis interstitium.

Sed dicet forsan aliquis; Nonne vides quodnam te demum in periculum conijcias? Si enim quatenus homo factus est ipsum suas agnoscere putabimus, hoc est in familiaritatem ouium suarum venire, quisnam extra gregem manet? Erunt vniuersi familiares, quatenus homines, sicut ipse. Quid ergo eximij est quòd ait, *meas?* aut quid vltra cæteras est eius ouibus? Nam si omnes coniuncti propter causam antè dictam, quid non plus habituri sunt? Ad hoc respondemus, communem quidem esse omnibus tum qui nouerint ipsum, tum qui ignorauerint, coniunctionis modum. Factus est enim homo, non gratificatus priuatim quibusdam, alijs non item, sed vniuersam naturam lapsam miseratus. Sed nihil profuturus est ille coniunctionis modus, contumaciâ & rebellione in eum peccantibus: contrà diligentibus eum tanquàm præmium aliquod singulare attribuetur. Quo enim modo resurre- B ctionis ratio pertinet quidem ad omnes propter resurrectionem Seruatoris, qui secum totam naturam humanam suscitat, nec tamen id quicquam proderit peccati amantibus, quippe qui ad inferos ibunt præcipites, vitâ in hoc duntaxat, vt puniantur, recuperatâ: magno contrà vsui erit ijs qui vitam virtuti consentaneam exercuerint, quia ad participationem bonorum captum mentis superantium resurrectionem accipient: eodem modo opinor coniunctionis rationem ad omnes bonos ac malos pertinere, sed non æqualiter omnibus inesse, sed ijs qui credunt in eum veræ cognationis & prærogatiuæ omnis ei debitæ causam, secus facientibus ingratitudinis ac impieta- C tis grauissimum crimen castere. Et de his quidem nos ista, quibus meliora excogitare cuiuis liberum esto.

Malis non profectura illa cum Christo necessitudo naturam.

Cæterum animaduertendum est quomodò sermo verus simul ac certâ dispositione sibi constans sit, in suo & conuenienti ordine rebus positus. Non enim dicit, Cognoscunt me meæ, & cognosco meas; sed seipsum priorem infert cognoscentem suas oues, deinde sic seipsum cognitum iri ab eis ait. Sumptâ vero cognitione pro scientiâ, sicut principio diximus, hoc fermè modo intelliges. Non nos ipsum cognouimus primi, cognouit nos verò primus ipse. Paulus quippe D scribens ijs qui ex Gentibus erant, tale quid ait: *Propter quod memores estote vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab eâ quæ dicitur circumcisio in carne manufacta: quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo* IESV *vos; qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Ex immensâ enim benignitate seipsum Gentibus Christus obtulit, & præcognouit potiùs quàm cognitus est à nobis. At verò acceptâ cognitione pro coniun- E ctione & affinitate, rursus illud dicimus, non nos recepimus, sed qui ex Deo Deus Vnigenitus est: nec enim nos apprehendimus deitatem quæ supra naturam est, sed ipse qui naturâ Deus est *semen Abrahæ apprehendit*, quemadmodum Paulus ait, & factus est homo, vt *fratribus assimilatus per omnia*, in coniunctionem accipiat eum, qui non habet eam à seipso, nempe hominem. Itaque necessariò nos ipse priùs nosse ait, deinde & nos ipsum. *Et animam meam pono pro ouibus.*

Deus prior nos nouit.

Prius est vt nos Deus cognoscat, tumque nos ipsum.

Ephes. 2. v. 11. & seq.

Heb. 2. v. 16.

Ibid. v. 17.

V. 15.

Spondet deinceps se paratum esse omni modo propugnare, & periclitari tanquàm pro suis proprijs ac cognatis, simulque hac resumptione adstruens se verè bonum esse pastorem. Qui enim

lupis suas relinquunt oues, meritò timidi, & A mercenarij nuncupati sunt: qui verò ita paratus est ad eas defendendas, vt ne mortem quidem detrectet, iurè bonus pastor censeatur. Cùm autem ait: *Pono animam meam pro ouibus*, quia pastor bonus sum, Pharisæos increpat, & indicat illos eò temulentiæ ac furoris venturos, vt eum morte afficiant, quem minimè id pati oportuit, laude verò & admiratione dignum haberi, & eorum quæ fecit operum, summæque in pascendo industriæ, ac scientiæ gratiam accipere. Et quidem notandum est mortem pro nobis non inuitum sustinuisse Christum, immò vltrò et volens se offerre conspicitur, quamuis si nollet pati, nullo negotio passionem posset euitare. Igitur B in eo quòd volens & sponte pro nobis passus sit, eius erga nos dilectionem & bonitatis magnitudinem magis ac magis suspiciemus.

Christus sponte pro nobis passus.

V. 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Multis modis Pharisæos insolentes confundit. Eos quippe præfecturâ ouium iamiam deturbatum iri, se verò eis præfuturum multis verbis innuit. Significat verò quòd gratioribus ex Israël, greges è Gentibus admiscens, non Iudæis tantùm præerit, sed in vniuersam terram suæ gloriæ lumen diffundet, & vocabit ad Dei cognitio- C nem omnes vndequaque populos, nolens in Iudæâ solâ cognosci sicut ab initio: sed omnibus potiùs qui sub cœlo sunt, ad perfruendam veram Dei cognitionem, scientiam proponens. Quòd verò Pædagogus Gentibus institutus fuerit Christus, nullo negotio videre est. Plenæ quippe sunt literæ diuinæ de eo testimonijs, quæ prætermittere non abs re ducimus, relictâ studiosioribus eorum indagine. Veruntamen duobus Prophetarum aut tribus locis allatis, pergam deinceps ad reliqua. Ait igitur alicubi Deus ac

Isai. 55. v. 4 Pater de ipso, *Ecce testimonium Gentibus dedi eum, Principem & præcipientem Gentibus.* Contestatus enim est ac denuntiauit Christus Gentibus disciplinam salutarem, & ea per quæ saluandæ essent protulit. Psaltes verò ille diuinus tan- D quam ad vnam celebritatem effusos vndequàque populos inuitans, & ad cœleste festum congre-

Psal. 46. v. 2. gari terram vniuersam præcipiens: *Omnes Gentes*, inquit, *plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Sed sicui libuerit huius adeò claræ & illustris festiuitatis causam perscrutari,

Ibid. v. 8. inueniet clarè dicentem. *Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter: Regnauit Deus super omnes Gentes.* Et ipsum induxit alicubi Dominum vniuersis simul Gentibus Euangelicam annuntiantem prædicationem. In octauo quippe & quadragesimo Psalmo ait: *Audite omnes*

Psal. 48. v. 2 *Gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem: quique terrigenæ, & filij hominum, in v-* E *num diues & pauper. Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei intelligentiam.* Quibus verbis doctrinam Christi innui comperimus. Itaque vt ad institutum sermonem reuertar: Gentium multitudinem congregatum iri vnà cum ijs qui ex Ierusalem conuerterentur, apertè denuntiat. Sed fortè dixerit aliquis huius loci sensum subtiliùs indagans, Ergóne Seruator alloquens principes Iudæorum, & ad homines quibus cor odio & inuidiâ æstuabat verba faciens, reuelat mysteria. Quid enim quæso tales necesse fuit scire imperaturum Gentibus, & oues quæ extra Iu- A dæam sunt in suas caulas impositurum? Quid igitur ad hoc dicemus, aut respondebimus? Non quòd tanquam amicis mysteria communicet, neque tamen vanam de his expositionem faciat: verùm quia sciebat se profuturum quantum in seipso, id enim propositum erat, licet audientibus animus durus esset & intractabilis: quoniam autem sciebat eos libros Mosis & sanctorum Prophetarum prædictiones tenere, & prolixum esse apud Prophetas sermonem, fore vt Christus Gentes ad Dei cognitionem velut irretiret, ideò rem illis velut signo & documento ponens, quòd is ipse manifestò esset olim prædictus & prænuntiatus, palam asseuerauit se oues quæ non essent B ex Iudæorum stabulo vocaturum, vt deinceps eum ipsum vere esse crederent, quem Sanctorum virorum oracula & vaticinia prædixissent.

Quorsum Iudæis reuelata Gentium futura conuersio.

SANCTI BASILII SELEVCIÆ *Episcopi, in illud*, Ego sum Pastor bonus.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

PEriucunda quædam res pastor in montibus pascens ouium greges, ac fistulæ sono pecus ad pascua exciens: qui se calami modulatu oble- C ctans, contra etiam bestiarum insultus paratus, baculo armisque instructus sit. Talis magnus hic Christi gregis Pastor. Nam cùm pijs carminibus gregé nutriat, quæ sint euertendæ impietati nusquam arma neglexit. Immò verò spiritalia modulās, aduersus etiam lupos arma capessit. Cōspecto namque gregis augmento iucundatur, attenditque seriò necubi lupus hæreticus, alienâ à fide narratione labem consciscens, ouem rapiat, deuoretque; quam gregi impendit curam, cœlesti munus Pastori offerens. Sic Abel primus pastor, ouium conditori in admirationem venit, pastorisque libens Deus victimam accepit, munere præstantius munus voluntatem ducens, ac cultum, honoris acceptatione vicissim offerentem colens, rependit. Iacobum item Labani pas- D centem oues Scriptura deprædicat, vt quæ sudatos pro grege labores recensens, dicat, *Eram*, inquit, *dies excussus æstu, ac gelu noctis.* Noctis, inquit, algoribus, solisque infractus ardoribus nobilitabat: ac quasi in acie depugnans, oues tutas præstabat. Hisce laboribus viro sic strenuo, earum quas pauerat ouium Deus coloribus, remunerationibus tabellam addixit. Pascebat & Moyses in montibus Madian, ac Ægypti regno posthabito Lothoris ouibus curam impendebat, *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Quam Deus voluntatem probans, sententiæ animi mercedem sui visionem ostendit; interceditque spectaculum inter ac spectantem ignis, rubo ac floribus E innocuè insideos: nec spectaculo functus, ab ouium pascendarum munere destitit: quin virgam tenens elementis imperabat, voxque lata conserui. Pascebat & Dauid puer Spiritûs lyricen, ouium pastor aduersus lupos instructus, ac cedebat ouiculæ leonis rictus, pastorisque solertia ex belluæ faucibus prædam rapiebat. Neque verò grex throno inhibuit, aut oues ad regiam et dignitatem aditum occlusere: sed virga sceptro mutata est, pastorisque muneri diadema successit: vnxitque Samuel, ac comes gratia fuit; vnáque cum oleo gratiæ Spiritus circunliqua-

Dicta coram Episcopo hæc oratio, cuius defuncti obiter memoriam celebrat, Orat. in quinque millia hominum, &c.
Gen. 4. v. 4.
Viri magni pastores, ac Deo charissimi.
Gen. 31. v. 40.
Gen. 30. v. 41.
Exod. 3. v. 1.
Hebr. 11. v. 25.
1. Reg. 17. v. 37.
[illegible] Somnia ac nugas
[illegible] Dauisq.
1. Reg. 16. v. 13.

batur: pastoriis ijs denique lapidibus sublatus Goliath interijt. Vnà enim com illo gratia lapidem iecit, ac ictum Spiritus adiuuit. Ouium pastor Spiritus miles euaserat, ac ouiculæ ritu è Goliath faucibus Israël extractus est. Quibus enim fetas (Deus hominum pastor.) sterochat Daoid, ijs Goliathum imperijt. Neque mireris quòd & pastores aliquo apud Deum in numero sint. Nam neque Deum piget hominum pastorem agere. Ait namque, (Psal. 22. v. 2.) *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Et iterum, (Psal. 79. v. 2.) *Qui pascis Israël intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* Haud enim cunctatur Deus quio pascat homines: nec verò quos condidit, erubescit. At non eiusmodi Pharisæi pastores, qui pastorum loco positi greges iugulabant. Quare in eos Deus Prophetarum linguas acuebar, eorum ipse ore resonans, ac dicens; *Fili hominis, Propheta, &* (Ezech. 34. v. 2.) *dices, Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Ecce lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis; & quod ægrotum non sanastis. Quod confractum erat non alligastis: & quod malè habens, non visitastis; & quod validum labore confecistis.* At illi quidem eiusmodi sunt lupinis moribus, luporum deuoti supplicijs. Nos autem ad Pastorem nostrum Christum attendamus. Videamus eius plenas humanitatis artes, ac cuius placiditate superetur ouium lenitas. De ijs gaudet quas apud se habet, ac errantem quærit. Montes ac syluas obire non recusat; loca prærupta obit, cumque deerrante in partem deerrationis veoit. Morbidam si inuenerit, ooo genij prauitate odit, sed mali miseratione mouetur; subiectisque humeris suo ipse labore ouis laborem lenit; gaudetqoe fessus, laborum leuamen (Luc. 15. v. 4.) existimans quòd oues inuenerit. *Quis enim,* inquit, *qui habet centum oues; & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad eam, quæ perierat, donec inueniat eam?* Venturam ex aliarum salute lætitiam vnius exitiom extinguit; & concepta de vnâ tristitia, quod esse poterat de toto grege gaudium, accidit. Dunique obit, insanabile desiderium publicans, sese in lacrymas effundit. Vbi, inquit, ouis mihi vnicè chara? vbi gregis decus? non vsque adeò lætor præsentibus, vt ob vnios absentiam maceror. Quâ ratione eios erroribus finem statuam? Tantùm se reddat meis oculis, ac humeros inscendat. (V. 5.) *Cùm enim eam inuenerit, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis, Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Primulùm suborta miseratio, ingeosque de inuentâ lætitia mœrorem sanauit.

Qui ijs moribus Christus Pastor existat, meritò clamabat, (Ioan. 10. v. 11.) *Ego sum Pastor bonus.* Ego enim sum, qui, quod infirmum est, consolido; quod ægrotum, sano; quod confractum, alligo; quod errans, reduco; quod perijt, quæro. Vidi Israëliticum gregem morbis deuinctum, vidi in dæmonum cedere stabulum; vidi laniari à dæmonibus haud secus, quàm à lupis: ac quæ vidi, non despexi. Inde manum arefactam, tanquam (Luc. 6. v. 8. Matth. 9. v. 20. & 8. v. 15. Luc. 8. v. 43. & 4. v. 39. Ioan. 5. v. 5.) lupi faucibus hærentem, sic morbo addictam, abstraxi: inde ventrem velut fluctibus inundante sanguine naufragantem, seruaui: inde febri illigatum, exsolni; inde anoosum viri membris dissoloti carcerem disieci; iode captum oculis ex A vtero, illo effusum, videre docui: inde quatriduannm Lazarum, (& 9. v. 1. & 11. v. 44.) quo tenebatur sepulchro, extraxi. Alius cùm esset dæmonum domicilium, (Marc. 5. v. 2.) mortuis contubernalis erat: vtrisque tamen liberum feci, vt neque sepulchra habitaret, nec dæmonibus habitaculum præstaret. *Ego enim sum Pastor bonus;* non qui ouibus inuident Pharisæi; noo qui collata in gregem munera sua ducunt supplicia; non qui liberationem à malis lugent, ac extinctas ægritudines quæruli eiulant. Surrexit mortuos, & luget Pharisæus: membris solutus sanatus est, & Scribæ lamentabantur; cæco redditi oculi, & concilium indignabatur; leprosus liberatus, & Sacerdotes criminabantur. O pastores qui gregis labe, ac miserijs nutriantur, ac quibus illius clades deliciarom loco habeatur! B

Ego sum Pastor bonus. Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Pilatus Pastorem cognouit; cognouere Iudæi, qui gregis causâ in crucem ageretur. Nouerant hæc & Prophetarum cœtus, quæ passionis erant narrantes cùm necdum passionis tempus appeteret. (Isai. 53. v. 7.) *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & velut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Pastor pro ouibus io ouis morem iugulum præbet: non mortem recusat, non iudicium extrahit, non carnifices morte occupat. Neque enim necessitatis erat passio: sed voluntate mortem pro ouibus admisit. (Ioan. 10. v. 18.) *Potestatem habeo ponendi* C *animam meam, & potestatem iterum sumendi eam.* Affectum affectu soluit, morte morti medicatus est, clauis inferni fundamenta subruit. Tandiu mors imperium tenuit, dum Christus mortem excepisset: taodiu graues tumuli, & carcer insolubilis, dum Pastor descendens detentis iam ouiculis liberationis ountium attulisset. Apparuit inferis, datâ regressionis tesserâ. Apparuit illic constitutis, vitæ ab inferis reuocationem initians. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Hac ille viâ ouium sibi amicitiam parat adiungere. Amat autem Christum quis, cùm eius voces haud defunctoriè, ac neglectim accipit. Nouit pastor hœdos ab ouibus separare. (Matth. 25. v. 32.) *Congregabuntur enim,* ioquit, *ante* D *eum omnes gentes, & separabit eas ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* (V. 34.) *Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt, Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Cuius præmium hæc vocatio? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me.* Quæ enim meis subministras, hæc mihi impêdis, horumque à me fructuum recipis. Eorum causâ & nudus, & hospes, & vagus, & pauper sum. Dati ratio, ad illos spectat; mea aotem gratia est. Vnà cum illis supplicationem of- E fero. Ante iudicium iudicem donis occupa. Da illi ansam exercendæ humanitatis: suggere ignoscendi materiam. Ne aduersantes illius voces expectauerimus. (V. 41.) *Tunc dicet his, qui à sinistris, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Quæ igitur nos facinora cum diabolo condemnant? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collexistis me: nudus, & non operuistis me.* Quis Pastorem suum esurientem despicit? quis futurum postmodum iudicem nudum spernit? quis

orbis iudicem siti addicit? Nouit Christus pauperum manibus, corrumpentia munera sumere: nouit exiguo munere prolixa aboleri supplicia. Misericordiâ ignem extinguamus; mutuâ humanitate, quibus obnoxij sumus, sententias inhibeamus. Simus alij in alios misericordes, donantes nobismetipsis, sicut Deus in Christo: ipsi gloria & imperium, in sæcula sæculorum: Amen.

Col. 3. v. 31.

S. PETRI CHRYSOLOGI
in superius Euang. de bono Pastore.

SERMO.

Sermo 40. Officium Pastoris.

VBi vernalis auræ tempus annuos ouium cœperit partus aperire, vbi per campos, prata, vias cœperit fœcundi gregis germina copiosa dispergere: pastor bonus seponit cantus, & discursu anxio teneros quærit, legit, colligit fœtus, atque eus collo, humeris, vlnis, lætus vector imponit, vt saluos omnes perferat, & totos perducat ad caulas. Sic nos fratres, vbi Quadragesimæ arridente verno Ecclesiasticum gregem videmus fundere vberes partus, tractatus nostri cantus, & consueti sermonis epulas seponentes, totam curam in colligendo, & comportando cœlesti germine anxij grauissimo labore dependimus. Sed quia agnos redditos gregi, & totos intra Christi videmus esse iam septa, diuinos lætissimi reuocamur ad cantus, Dominici vobis cibi exultatione totâ vitales copias apponentes, vt quos socios sensimus in labore, participes in gaudijs habere possimus. Et quia præfatio hæc nostra pastoris boni fecit, & intulit mentionem: de ipso qui solus bonus, solus Pastor, solus pastorum Pastor est, tota sermonis nostri & tractatus repleatur & habeatur intentio.

Quadragesimæ tempus fœturæ spiritalium agnorum.

Ioan. 10. v. 11.

Pastor, inquit, *bonus, animam suam ponit pro ouibus suis.* Fortem facit vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale, computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem præualent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet: si amor est, vincit omnia. Sed quæramus, vtrum sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oues, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic charum gregem ferinis morsibus derelinquit, direptioni dat, & exponit morti: sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Ex quo namque posuit ipse animam suam pro ouibus suis, seque Iudaico furore permisit occidi, oues eius Gentilium velut prædonum diripiuntur incursu: mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur antris, à persecutoribus quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniantur, ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur. Hoc Apostolorum peremptus probat chorus: hoc Martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis: hoc Christianorum membra data bestijs, consumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant: quod vtique totum sicut mors intulit, ita vita potuit prohibere pastoris. Ideo pro te pastor amorem morte probat, quia cùm videat ouibus imminere discrimen, cùm gregem defensare non possit, mauult mori, antequam mali de suis ouibus quid videat. Sed quid facimus, quia vita mori non poterat nisi voluisset? datori animæ animam quis tollere potuisset nolenti? dicente ipso, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me.* Ergo mori voluit, qui se cùm mori non posset, permisit occidi.

Amor vincit omnia.

Num mors pastoris gregi vtilis.

Infra v. 18.

Quæramus ergo huius quæ vis, quæ ratio sit amoris, quæ huius causa mortis, quæ huius sit vtilitas passionis. Est planè vis certa, vera ratio, causa lucens, vtilitas tanti sanguinis perapetta: namque pastoris vnâ ex morte virtus emicuit singularis. Pastor pro ouibus morti quæ ouibus imminebat occurrit, vt auctorem mortis diabolum, nouo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, & ouibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret. Nam & diabolus, dum in hominem tendit, prosiliuit in Deum: dum in reum sæuit, incurrit in iudicem: inuenit supplicium, dum ingerit pœnam: ipse accipit, dum dat sententiam: & viuens mortalium pastu mors moritur, dum deuorat vitam: absorbens reos mors, absorbetur, innocentiæ dum deglutit auctorem: & perit mors ipsa quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem.

Morte Christi diabolus captus ac victus.

Absorpta mors.

Ergo tali formâ præcessit oues pastor, pastor ab ouibus non recessit: nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donauit suos elidere sic prædones, vt occisæ viuerent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ fulgerent regali purpurâ, niueo vellere perlucerent: sic bonus pastor pro ouibus cùm posuit animam, non amisit, & oues taliter tenuit, non reliquit, nec destituit oues taliter, sed inuitauit: quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocauit & perduxit ad pascua. Sed dicet aliquis, Quando hæc erunt? Ecce interim oues, id est, Apostoli, Prophetæ, Martyres, & Confessores iacent sepulti: & discerpti toto sparguntur in orbe, inuoluti sanguine terris clauduntur sepulchris. Et quis dubitat quòd resurgant, viuant, regnent occisi Martyres, quando Christus illis resurrexit, viuit, & regnat occisus? Audi vocem pastoris huius: *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Necesse, vt, quæ sunt ad mortem secutæ, sequantur ad vitam; quæ ad contumeliam comitatæ sunt, comitentur ad honorem: & sint participes gloriæ, quæ passionis participes extiterunt. *Vbi sum*, inquit, *ego, ibi erit & minister meus.* Vbi? vtique super cœlos, *vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.* Homo non te turbet fides, spes te longior non fatiget: quia certa tibi res est, quæ in ipso tibi rerum seruatur auctore. *Mortui*, inquit, *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloriâ.* Laborans messor quod in semine non videt, videbit in messe, & quod in sulco deflet, gaudebit in fructu.

Christi mortis beneficia.

Resurgent oues, perinde ac pastor resurrexit

V. 27.

Ioan. 12. v. 26.

Col. 3. v. 1.

Ibid. v. 3.

BEATI GREGORII PAPÆ
in superius Euang.

HOMILIA.

AVdistis, fratres charissimi, ex lectione Euangelicâ eruditionem vestram: audistis ex lectione Euangelicâ periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit, *Ego sum pastor bonus:* atque eiusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens: *Bonus pastor, animam suam ponit pro ouibus suis.* Fecit quod monuit,

Est Hom. 14 in Euang.

Ioan. 10. v. 11.

In Sacraméto Christus nos suâ carne pascit.

ostendit quod iussit. Bonus pastor pro ouibus suis A animam suam posuit: vt in sacraméto nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur, apposita est forma, cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus eius impendere. Postremum verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenitur ad postremum maius. Sed cùm incomparabiliter longè sit melior anima quâ viuimus, quàm terrena substantia quam exterius possidemus: qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? Et sunt nonulli, qui dum plus terrenam substan- B tiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt, de quibus protinùs subditur.

Primùm exteriora, tum vitam pastor pro ouibus impendat.

V. 12. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensâ sibi ab hominibus reuerentiâ lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarii, vt pro C eo ipso quòd in regimine laborat, hîc quod quærit inueniat, & ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. Vtrum verò pastor sit, an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore plerunque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oues venit, cùm quilibet iniustus, & raptor, fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is, qui pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, D resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem, non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus benè per Prophetam dicitur: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.* Ex aduerso quippe ascendere, est quibuslibet potestatibus prauè agentibus rationis liberâ voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cùm venientem lupum vide- E rit, fugit.

Mercenarius, quis.

Lupus veniens, mercenarium à pastore distinguit. Mercenarij fuga, non obsistere potestatibus.

Ezech. 13. v. 5.

Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidiè non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circumit, & mortes animarum quærit, de quo lupo mox subditur, *Et lupus rapit, & dispergit oues.* Lupus venit, & mercenarius fugit: quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum pastoris tenet, curam solicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit & dispergit oues, cùm alium ad luxuriam pertrahit, alium in auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit: hunc inuidiâ stimulat, illum fallaciâ supplantat.

Item non obuiat maligno spiritui, inuigilando animabus.

Quando lupus rapiat, & dispergat oues

Quasi ergo gregem lupus dissipat, cùm fidelium populos diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur: *Mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Sola ergo causa est vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si apertè diceretur: Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Sed quia Redemptor noster culpas ficti pastoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi ostendit, dicens; *Ego sum Pastor bonus.* Atque subiungit: *Et cognosco meas*, hoc est, diligo: *& cognoscunt me meæ.* Ac si patenter dicat; diligentes obsequuntur. Qui enim veritatem non diligit, adhuc minimè cognouit. V. 13.

Mercenarius fugit, quia mercenarius est.

V. 14.

Oues cognoscit Christus, hoc est, diligit.

Quia ergo audistis fratres charissimi, periculum nostrum, pensate in verbis Dominicis etiam periculum vestrum. Videte si oues eius estis, videte si eum cognoscitis, videte si lumen veritatis scitis. Scitis autem dico, non per fidem, sed per amorem. Scitis dico, non ex credulitate, sed ex operatione. Nam idem ipse qui hæc loquitur, Ioannes Euangelista testatur, dicens: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Vnde & in hoc loco protinùs Dominus subdit: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.* Ac si apertè dicat, In hoc constat quia & cognosco Patrem, & cognoscor à Patre, quia animam meam pono pro ouibus meis: id est, eâ charitate quâ pro ouibus morior, quantum Patrem diligam, ostendo. Quia verò non solùm Iudæam, sed etiam Gentilitatem redimere venerat, adiungit, dicens.

Ouium nota, vt & ipsæ per amorem pastorem cognoscant.

1. Ioan. 2. v. 4.

V. 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Redemptionem nostram, qui ex Gentili populo venimus, Dominus aspexerat, cùm se adducere & alias oues dicebat. Hoc quotidie aspicitis, fratres, fieri, hoc reconciliatis Gentibus factum hodie videtis. Quasi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudaicum & Gentilem populum in suâ fide coniungit, Paulo attestante, qui ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Dum enim ad æternam vitam ex vtraque natione simplices eligit, ad ouile proprium oues deducit. De quibus profectò ouibus rursus ait, *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis.* De quibus & paulò superiùs dixit: *Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Ingredietur quippe ad fidem, egredietur verò à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem: pascua autem inueniet in æternâ refectione. Oues ergo eius pascua inueniunt, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? Pascua namque electorum sunt vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis sa-

Ex Iudæis & Gentibus vnum fit ouile Christi.

Eph. 2. v. 14

Infrà v. 27.

Supra v. 9.

Ouium spiritualium pascua, paradisi gaudia.

ticitate

rietate lætati sunt; qui iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium: ibi prouidi Prophetarum chori, ibi iudex Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, tantò illic lætior, quantò hic duriùs afflictus: ibi Confessorum constantia præmij sui perceptione consolata. Ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sæculi emollire non potuit. Ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo & sexum vicerunt. Ibi pueri, qui hîc annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes, quos hîc & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit.

Quæramus ergo fratres, hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Certè sicubi populus nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem denuntiatâ solennitate concurreret, festinaremus omnes simul inueniri, interesse vnusquisque satageret; graui se damno afflictum crederet, si solennitatem communis læ-

Ecclesiarũ dedicatio olim celebris.

A titiæ non videret. Ecce in cœlestibus electorum ciuium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conuentu gratulantur: & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solennitati non quærimus: priuamur gaudijs, & læti sumus. Accendamus ergo animum, fratres, recalescat fides in id quod credidit, inardescat ad superna desideria: & sic amare, iam ire est. Ab internæ solennitatis gaudio nulla nos aduersitas reuocet, quia & si quis ad locum propositum ire desiderat, eius desiderium quælibet viæ asperitas non immutat. Nulla B nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciés, obliuiscitur ire, quò tédebat. Toto ergo desiderio ad supernã patriam animus anhelet, nihil in hoc mundo appetat, quod constat quia citiùs relinquat: vt si cœlestis Pastoris veraciter oues sumus, quia in viæ delectatione non figimur, æternis pascuis in peruentione satiemur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Amare, est iam ire.

DOMINICA III. POST PASCHA.

IOAN. XVI.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, [a] Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. [b] Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod nobis dicit, modicum? Nescimus quid loquitur. [c] Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. [d] Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in [e] gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit [f] hora eius. Cùm autem peperit [g] puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in [h] mundum. [i] Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. [k] Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & [l] gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

a Id est, nunquam videbitis me mortalem.
b Quia obscurè dixit.
c In hoc ostendit se Deum, cùm sine verbis eorum intellexit dubitationem.
d Exponit quod dixerat, scilicet se moriturum & resuscitandum.
e In resurrectione & ascensione.
f Pariendi vel parturiendi.
g Non fœminam, sed masculum, quia ad fructum æternæ contemplationis cunctæ actiones referuntur, non ad mollitiem huius sæculi.
h Id est, in vitam æternam.
i Adaptat similitudinem.
k Post tristitiam victo impugnatore remunerabo.
l Quia gaudium ipsorum Christus est, qui iam non moritur.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

Ioan. 16. v. 16. Ioan. 14. v. 28.



ODICVM: Dixerat suprà sine modicum, *Ad Patrem vado & iam non videbitis me*: vbi visus est apertè loqui, nec quidquam quæsierunt. Nunc autem determinans quando iturus sit, id est, paulò pòst, & quomodo, scilicet per passio- A nem, dicit, *Modicum*, quod antequam impleretur penitus fuit obscurum. *Modicum*, Id est, paruum tempus restat vsque ad hoc quòd patiar, & claudar sepulcro: & iterum paruum tempus vsquequo me videatis resuscitatum. Vel paruum tempus est, id est, triduum quo clausus non videbor. Et iterum paruum, id est, quadraginta dies, quo resuscitatus videbor. *Quia vado.* Hoc est, quia tempus est vt depositâ mortalitate humanam naturam cœlis inferam. Vel spiritualiter illis qui-

bus loquebatur dicit: *Modicum & non.* Et ad hoc refertur: *Quia vado, &c.* non ad illud: *Iterum modicum, &c.* quod vniuersæ promittit Ecclesiæ. Dicit ergo, *Modicum*: non quia mortuus ab eis non erat videndus, donec surgeret: sed quia eundo ad Patrem, facturus erat, vt non eum vlterius mortalem viderent: quod fecit postquam surrexit, & ascendit in cœlum. Omnibus autem communiter dicit, *Iterum modicum*: id est, totum tempus vsque ad finem sæculi, *& videbitis me*: æternâ visione.

Quia plorabitis. Me occiso, de quo inimici gaudebunt. Similiter plorant omnes boni in ærumnis huius sæculi: sed mundi amatores gaudent. Boni autem comparantur parienti, quæ genuit in partu, sed lætatur de fructu: & plus gaudet de aduentu futuræ prolis, quàm tristis est de præsenti dolore.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Ioan. 16. v. 10. Hom. 70. in Ioan.

CHRYSOST. Postquam Dominus discipulos releuauit per ea quæ de Spiritu sancto promisit, rursus eorum oppressit sensum dicens, *Modicum, & iam non videbitis me.* Hoc autem facit, vt assuefaciat eos per tristium auditionem, benè ferre suam separationem: Eam enim quæ dolet, animam, & à tristitiâ multâ detinetur, nihil ita consueuit quietare, vt quæ tristitiam pariunt verba reuoluta continuè.

κατ' ἑαυτὸν, *agitare*.

Hom. in Dominicâ Iubilate.

BEDA. Dicit enim, *Modicum, & iam non videbitis me.* Quia tentus est nocte illâ à Iudæis, & in mane crucifixus est, sepultus ab humanis est seclusus obtutibus.

Hom. 75. in Ioan.

CHRYSOST. Si verò quis diligenter scrutabitur, hoc consolationis est dicere, *Quoniam ad Patrem vado.* Hoc enim est ostendere quòd non periit, sed mors eius translatio sit: Et aliam consolationem eis imposuit, cùm adiecit, *Et iterum modicum, & videbitis me*: ostendens quoniam & redibit, & in pauco erit separatio, & continua quæ cum eis coëxistentia.

Tract. 101. in Ioan.

AVGV. Hæc autem verba Domini obscura erant discipulis, antequam id quod dicit esset impletum. Vnde sequitur, *Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem, Quid est hoc quòd dicit nobis, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.*

Hom. 70. in Ioan.

CHRYS. Hoc autem non intelligebant, aut propter tristitiam quæ amouebat à mente eorum ea quæ dicebantur, aut propter immanifestationem eorum quæ dicebantur: idcirco videbatur ais duo contraria ponere non existentia contraria. Si enim videbimus te aiunt, quomodò vadis? si verò vadis, qualiter te videbimus? Propterea dicunt, *Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum? nescimus quid loquitur.*

Tract. 101. in Ioan.

AVG. Nam in præcedentibus quia non dixerat, *Modicum*, sed dixerat, *Ad Patrem vado*, apertè illis visus est loqui. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit & mox manifestatum est, iam nobis vtique manifestum est. Post paululum enim passus est, & non viderunt eum: rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Dicit autem, *Et iam non videbitis me*, quia scilicet mortalem Christum vlteriùs non viderent.

Beda in hom. in Dom. Iubilate.

ALCV. Vel aliter: Modicum tempus est futurum, quo non videbitis me, id est, illud triduum quo in sepulchro quieuit: & iterum est modicum futurum tempus quo videbitis me, id est, illi quadraginta dies, in quibus eis sæpius post passionem suam vsque ad tempus ascensionis suæ apparuit: Et ideo illo modico tempore videbitis me, *Quia vado ad Patrem*, quia non semper in terrâ corporaliter sum mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi ascensurus in cœlum. Sequitur, *Cognouit autem* IESVS *quia volebant eum interrogare, & dixit eis. De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis, Modicum, & non videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.* Ignorantiam ipsorum pius magister intelligens, secundum illorum dubitationem respondit, quasi expositurus quid esset quod dixit.

v. 19.

Tract. 101. in Ioan.

AVG. Quod sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, & confestim de resurrectione lætati. Mundus autem (quo nomine significati sunt inimici à quibus Christus occisus est) tunc vtique lætatus est occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Vnde sequitur, *Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Beda hom. 10 Dom. Iubilate. Per lacrymas ad gaudia peruenitur.

ALCVI. Sed & cunctis fidelibus conuenit hic sermo Domini, qui per lacrymas pressurasque præsentes, ad gaudia æterna contendunt. Flentibus autem iustis mundus gaudet, quia in præsenti delectantur, alterius vitæ nulla gaudia sperantes.

Hom. 70. in Ioan. Ex sæculi vsu petitum

CHRYS. Deinde ostendens quoniam tristitia parit gaudium; & quoniam tristitia breuis, lætitia verò infinita est, ad exemplum venit mundanum, dicens, *Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum.*

Tract. 101. in Ioan.

AVG. Ista similitudo ad intelligendum non videtur esse difficilis, quoniam comparatio eius in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Nam sequitur. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc magis esse consueuit quando non puella, sed puer nascitur. Quod verò subdit, *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, quia gaudium ipsorum ipse Iesus, significat quod ait Apostolus, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.*

Rom. 6. v. 9.

Hom. 78. in Ioan.

CHRYS. Significat etiam prædicto exemplo, quoniam soluit ipse mortis pressuras, & nouum hominem regeneratum esse fecit. Et non dixit, Quoniam non erit ei tribulatio, sed neque meminit eius: tantum est quod succedit gaudium: ita & Sanctis. Et non dixit, Quoniam natus est puer, sed, *quoniam homo*: occultè suam resurrectionem insinuans.

Tract. 101. in Ioan.

AVG. Vel de futuris visione & gaudio (quæ superiùs dicta sunt) melius existimo intelligi, *Modicum, & iam non videbitis me.* Modicum enim est hoc totum spatium, quo præsens peruolat sæculum. Ideo namque addidit, *Quia vado ad Patrem.* Quod ad superiorem sententiam referendum est, vbi ait, *Modicum, & iam non videbitis me.* Non ad posteriorem, vbi ait, *Modicum, & videbitis me.* Eundo quippe ad Patrem facturus erat vt eum non viderent. Illis ergo ait, *Modicum & iam non vi-*

debitis me, qui eum tunc corporaliter videbant, quia iturus erat ad Patrem, & eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cùm ista loquebatur videbant. Quod verò addidit, *Et iterum modicum & videbitis me*, vniuersæ promisit Ecclesiæ. Hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur. Cùm finitum fuerit, tunc sentiemus quàm modicum fuerit.

Beda hom. in Dom. Iubilate.

ALCVI. Mulier autem sancta Ecclesia est, propter fœcunditatem bonorum operum, & quia spirituales Deo filios generat. Hæc mulier dum parit, id est, dum in mundo virtutum profectibus insistit, dum vndique tentatur & affligitur, tristitiam habet de hoc, quia venit hora eius vt patiatur, quia *nemo carnem suam odio habuit*.

Tract. 101. in Ioan. — Rom. 12. v. 12.

AVGVST. Nec tamen in huius gaudij parturitione sine gaudio tristes sumus, sed sicut Apostolus ait, *Spe gaudentes*; quia & ipsa mulier parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futurâ prole, quàm tristis est de præsenti dolore.

Beda hom. in Dom. Iubilate.

ALCVI. *Sed cùm peperit*, id est, cùm deuicto laborum certamine ad palmam peruenerit; *iam non meminit pressuræ* præcedentis *propter gaudium* perceptæ retributionis, *quia natus est homo in mundum*. Sicut enim mulier nato in hoc mundo homine lætatur, ita Ecclesia nato in vitam æternam fidelium populo, exultatione repletur.

In hom. in Dom. Iubilate, quæ hactenus citata est nomine Alcuini.

BEDA. Nec nouum debet videri si natus dicatur qui ex hac vitâ migrauerit. Sicut enim consuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens in hanc lucem ingreditur; ita potest natus appellari qui solutus à vinculis carnis, ad lucem æternam sublimatur. Vnde Sanctorum solennia, non funebria, sed Natalitia vocantur.

ALCV. Quod autem dicit, *Iterum videbo vos*, id est, assumam vos ad meipsum. Vel, *iterum videbo vos*, id est, iterum videndus apparebo, *& gaudebit cor vestrum*.

Tract. 101. in Ioan.

AVGVST. Hunc enim totius laboris sui fructum Ecclesia nunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo. Et ideo masculum, quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis: Solus enim liber est qui propter se appetitur, non refertur ad aliud: huic seruit actio. Ad hoc enim refertur quicquid benè agitur: ibi est finis qui sufficit nobis: æternus igitur erit. Neque enim finis nobis sufficit, nisi cuius nullus est finis. De hoc igitur quod sufficit nobis, rectissimè audiuimus, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*.

Finis nostri nullus est finis.

ADDITIO AD CATENAM *Auream*.

Ex Cat. Cord. Ioan. 16. v. 16.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

MOdicum, *& non videbitis me*. AMMONII. Ne discipulis mœrorem injceret, non dixit, Moriar, sed, *Non videbitis me*.

Hom. 3. in Cant.

ORIGENIS. Nunc præsens est sponsus & docet, nunc absens dicitur & desideratur: & vtrunque vel Ecclesiæ, vel animæ quæ virtutem colit, conueniet. Cùm enim pati persecutiones permittitur Ecclesia, absens ei videtur: Et rursum cùm in pace proficit, & in fide & bonis operibus floret, præsens ei esse intelligitur. Alia iterum est visitatio, in quâ anima visi atur paululum & iterum deseritur, vt probetur: ac rursus requiritur vt caput eius sustentetur, & vt tota complectatur; ne fortè aut in fide titubet, aut corpus eius tentationum pondere prægrauetur.

v. 17. *Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum*, &c. APOLINARII. Dum suam in cœlos assumptionem reliquis obscurè significat; necdum quibusdam quod dicebatur satis manifestum erat. Veruntamen non audent interrogare: Vnde secum ipsi considerant, ac tacitè loquuntur. Nec verò illi verbis opus erat, qui & antequam interrogarent, quid corde quærerent exploratū habebat. (Christus enim cogitationes audit, antequam in labijs verba formentur) Et quasi interrogantibus (eâ ratione diuinitatem prodens ad confirmandam fidem) De eo, inquit, quæritis, quod ex me audistis, ac quo significaui, fore, vt breuì pòst recedam, ac iterum breuì pòst reuertar. Id eo sensu à me dictum est, quòd necesse sit, vt per tristitiam gaudium vobis affulgeat. Ac quidem gaudebit tantisper iniquitas tanquam victrix, dum ego mortem subiero: vos autem contristabimini, vt quos iam Saluator deficiat. Verùm res breuì mutandæ; atque futurum, vt ex mortis luctu, resurrectionis vos gaudium referatis.

AMMONII. Præ mœstitiâ non intelligebant. Et quidem fore vt abiret, nouerant: quonam autem modo esset reuersurus, ignorabant. Neque enim de resurrectione, nisi postquam illa euenerat, quicquam sciebant.

v. 20. *Plorabitis, & flebitis vos*. APOLINARII. Tristis, ac mœsta discipulis futura discessio, sed læta resurrectio: quod vtrunque breui spatio complendum erat.

v. 21. *Mulier cùm parit*. APOLINARII. Simile quid mulierum doloribus istud videbitur. Quemadmodum enim mulier priusquam pariat doloribus tenetur, ac ijs succedit partus; ceditque labor in iucunditatem, quæ & ipsam doloris extinguit memoriam; ita vobis, in nouo hoc ac mirabili partu, continget. Reuerâ enim homo nunc ex insuetis istis doloribus in mundum nascitur: ac quidem qui in passione erunt dolores, tristitiam vobis afferent; quæ verò ab eâ erit resurrectio, gaudium nulli deinceps mutationi obnoxium, aut ab hominibus, vllaue re aliâ auferendum: quando nimirum noui hominis resurrectione noui effecti, diuinum fauorem nanciscemini. Gaudebitis profectò, cùm nouum mundo natum puerum, eumque immortalem, ac corruptionis expertem videbitis: quem vtique dicit seipsum.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euangel.

HOMILIA.

Ex Homil. 78. in Ioan. 16. v. 10. — Ioan. 14. v. 30. — Læta tristia miscet Christus.

MOdicum, *& non videbitis me, &c.* Dolentem ac tristitiâ multâ affectum animum, nihil adeò deijcere solet, atque anxij sermones eum frequenter angentes. Quid ergo Christus cùm dixerit: *Vado*, &, *Iam non loquar vobiscum*, eadem repetit: *Modicum, & iam non videbitis me*, &, *Vado ad eum qui me misit?* Cùm eos per ea quæ de Spiritu locutus est animæquiores fecisset, tunc iterum eos percellit, ne efferantur. Cur hoc facit? Eorum animum experitur, & probatiorem reddit, atque audiendo tristia vt æquo animo discessum suum & ge-

netosè perferant, assuefacit. Qui enim audiendo id animo volutabant, rem ipsam postmodum facilè laturos credibile erat. Quòd si quis diligentiùs inuestigaret, hoc ipsum consolatio est, quòd dicit se ad Patrem ire. Erat enim argumentum quòd non periret, sed mors eius migratio esset. Et aliam intulit consolationem: non enim tantùm dixit: *Modicum, & non videbitis me*, sed prosecutus est: *Modicum, & videbitis me*: se rediturum, & post breuem separationem perpetuò affuturum significans: tametsi hoc non intellexerunt. Vnde & non immeritò quispiam admirari posset, quomodò sæpenumero idem audientes, adhuc perinde ac si nihil audissent, dubitant. Quare ergo non intellexerunt? Aut propter tristitiam, vt arbitror (ipsa enim in omnium quæ audierant obliuionem adducebat) vel propter verborum obscuritatem; adeò vt contraria locutum arbitrarentur. Si videbimus te, inquiunt, quomodò vadis? si vadis, quomodò videbimus? Ideo dixerunt, se quid loqueretur, ignorare. Quòd enim abiturus esset, norant: ignorabant autem paulò pòst rediturum: propterea eos arguit, quòd non intelligerent.

Discipulos consolatur de morte suâ, quod migratio sit, & ad breue tempus.

V. 18.

V. 20.

Nam cùm vellet de morte doctrinam eis inculcare, inquit: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.* Quod mortem, & crucem significabat. *Mundus autem gaudebit.* Cùm enim quòd eum mori nolebant, facilè ad credendum adducerentur, quòd non moreretur, ac dubitarent nescientes quid tandem esset illud *Modicum; plorabitis*, inquit, *& flebitis vos: sed tristitia vestra conuertetur in gaudium.* Et vt ostenderet post tristitiam gaudium secuturum, quódque tristitia gaudium pariat, & quòd illa breuis sit, hoc verò perpetuum, naturale adducit exemplum: *Mulier cùm parit, tristitiam habet.* Quâ parabolâ in calamitatibus Prophetæ vsi sunt: quasi dicat: Dolores vos apprehendent, sed quales partus, qui lætitiæ causa sunt. Simul & resurrectionem confirmat, indicans quòd ex mundo abeat, perinde esse ac si ex vtero matris in splendidam lucem prodeat: quasi dicat, Nolite admirari si per hanc tristitiam ad optima vos ducam: nam & mater, vt fiat mater, sic per tristitiam transit. Significat autem hîc & mysterium quoddam, quòd mortis dolores soluerit, & nouum hominem regenerari fecerit. Neque dixit tantùm tristitiam transituram, sed magnitudine lætitiæ succedente, ne memoriam quidem eius remansuram: ita erit & Sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quòd filium ipsa peperit. Nam, si id esset, nihil prohiberet quin quæ non pariunt, alijs parientibus gauderent. Quâ ergo gratiâ sic inquit? Quia ad hoc solùm adduxit exemplum, vt breuem tristitiam perpetuum gaudium secuturum, & se ad vitam transferri, & magnum malorum lucrum ostenderet. Et non dixit, Peperit filium: sed, *Quia venit homo in mundum.* Vbi suam significat resurrectionem, & quòd non mori illi patienti, sed regno esset nasciturus. Ideo non dixit, quia natus est filius, sed homo.

Discipulorum breuis tristitia, gaudium perpetuum.

V. 21.

V. 22.

Et vos nunc quidem tristitiam habebitis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Inde quòd non amplius morietur, inquit: *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

S. AVGVSTINI EPISCOPI

Hipponensis in superius Euang.

HOMILIA.

HÆc Domini verba vbi ait, *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem*, ita obscura erant discipulis, antequam id quod dicit impletum esset: vt quærentes inter se quid esset quod diceret, omninò se faterentur nescire. Sequitur enim Euangelium: *Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur.* Hoc enim est quod eos mouebat, quia dixit, *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Nam in præcedentibus quia non dixerat, modicum, sed dixerat, *ad Patrem vado, & iam non videbitis me*: tanquam apertè illis visus est loquutus, nec inter se de hoc aliquid quæsierunt. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, & mox manifestatum est, iam nobis vtique manifestum est: post paululum enim passus est, & non viderunt eum; rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Illud autem quod ait, *Iam non videbitis me*, quia isto verbo, id est, *iam* intelligi voluit, quòd eum vlterius non viderint: ibi exposuimus quomodo accipiendum sit, vbi dixit: *De iustitiâ arguet mundum Spiritus sanctus, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*, quia scilicet mortalem Christum vlteriùs non viderent.

Tract. 101. in Ioan. 16. v. 16.

Verba Christi discipulis obscura, ante rei euentum.

Supra tracta. 95.

Cognouit autem Iesus, sicut in sequenti Euangelista dicit, *quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicũ & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, & confestim de resurrectione lætati: mundus autem, quo nomine significati sunt inimici, à quibus Christus occisus est, tunc vtique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati: Mundi quippe nomine, malitia potest mundi huius intelligi: id est, hominum mundi huius amicorum. Vnde Iacobus Apostolus in Epistolâ suâ dicit: *Quicunque voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur*: quibus inimicitijs Dei factum est, vt nec eius Vnigenito parceretur. Deinde subiungit, & dicit.

V. 19.

Al. in gaudium erit.

Flent discipuli in passione, gaudentque inimici Iudæi, & hoc Modicum, &c.

Al. crucifixum.

Al. amatorum.

Iacob 4. v. 4.

Mulier cùm parturit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, &c. Nec ista similitudo ad intelligendum videtur esse difficilis: quoniam comparatio eius in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc maius esse consueuit, quando non puella sed puer nascitur. Quod verò ait, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, quia gaudium ipsorum est ipse Iesus: significatum est quod ait Apostolus: *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur.* Hucusque in isto Euangelij capitulo, vnde hodie disputamus, velut facilia intellectu omnia cucurrerunt: acrior necessariò est in his quæ sequuntur intentio. Quid est enim quod ait.

V. 21.

Al. parit.

Gaudium discipulorum ipse Iesus.

Rom. 6. v. 9.

V. 23. Rogare pro interrogare, vt & in textu Græco

Et in illo die me non rogabitis quicquam. Hoc verbum quod est rogare non solùm petere, verùm etiam interrogare significat: & Græcum Euangelium vnde hoc translatum est, tale habet verbum quod vtrunque possit intelligi, vt hæc ambiguitas nec inde soluatur: quanquam etsi solueretur, non ideo nulla quæstio remaneret. Dominum etenim Christum postquam resurrexit, & interrogatum legimus, & rogatum. Nam interrogatus est à discipulis ascensurus in cœlum, quando præsentaretur, & quando regnum esset Israël: cùm verò iam esset in cœlo, rogatus est à sancto Stephano, vt spiritum eius acciperet. Et quis audeat vel cogitare vel dicere, in cœlo sedentem Christum rogandum non esse, & in terrâ manentem rogatum fuisse? Rogandum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem? Immò, charissimi, rogemus eum, vt nodum quæstionis huius ipse dissoluat, lucendo in cordibus nostris ad videnda quæ dicit: Puto enim quod ait, *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis,* non ad illud tempus esse referendum quo resurrexit, eisque suam carnem cernendam tangendámque monstrauit: sed potius ad illud vnde iam dixerat: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi.* Iam quippe resurrexerat, iam se illis in carne monstrauerat. Iam sedebat ad dexteram Patris: quando dicebat idem ipse Apostolus Ioannes, cuius est hoc Euangelium, in Epistolâ suâ: *Dilectissimi, nunc filij Dei sumus & nondum manifestum est quid erimus: scimus quia cùm manifestum fuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ista visio non vitæ huius est, sed futuræ: non temporalis, sed æternæ. *Hæc est autem vita æterna,* dicente ipsâ Vitâ, *vt cognoscant te,* inquit, *vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* De hac visione & cognitione dicit Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Nunc totius laboris sui fructum Ecclesia parturit gemendo, tunc paritura lætando: nunc parturit desiderando, tunc paritura cernendo: nunc parturit orando, tunc paritura laudando. Et ideo masculum, quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus est enim liber, quoniam propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic seruit actio. Ad hunc enim refertur quicquid benè agitur, quia propter hunc agitur: ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur & habetur. Ibi enim finis qui sufficit nobis: æternus igitur erit: neque enim nobis sufficit finis, nisi cuius nullus est finis. Hoc inspiratum erat Philippo, quando dicebat: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* In quâ ostensione se promisit & Filius dicens, *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* De hoc itaque quod sufficit nobis, rectissimè audimus, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Act. 1. v. 6.

Act. 7. v. 58.

Luc. 24. v. 38.

Ioan. 20. v. 27.

Ioan. 14. v. 21.

Non rogabitur Christus vel interrogabitur in vitâ futurâ, vbi nec necessitas erit, nec ignorantia.

1. Ioan. 3. v. 2.

Ioan. 17. v. 3

Dei visio, vita æterna, & merces nostra.

1. Cor. 13. v. 12.

Masculus quem hic parturimus Al. contemplationis finem.

Finis æternus, alioqui non sufficiens.

Ioan. 14. v. 8.

De hoc etiam quæ superiùs dicta sunt, meliùs existimo intelligi, *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Modicum est enim hoc totum spatium, quod præsens peruolat sæculum: vnde dicit idem ipse Euangelista in Epistolâ suâ, *Nouissima hora est:* ideo namque addidit, *quia vado ad Patrem:* quod ad priorem sententiam referendum est, vbi ait, *modicum & iam non videbitis me:* non ad posteriorem vbi ait, *& iterum modicum & videbitis me.* Eundo quippe ad Patrem, facturus erat vt eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, & donec resurgeret, ab eorum conspectibus recessurus: sed quòd esset iturus ad Patrem, quod fecit posteaquam resurrexit, & cum eis per quadraginta dies conuersatus ascendit in cœlum. Illis ergo ait, *Modicum, & iam non videbitis me,* qui eum corporaliter tunc videbant, quia iturus erat ad Patrem, & eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cùm ista loqueretur videbant. Quod verò addidit, *& iterum modicum & videbitis me,* vniuersæ promisit Ecclesiæ: sicut vniuersæ promisit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Non tardat Dominus promissum. Modicum & videbimus eum, vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus: quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cùm finitum fuerit, tum sentiemus quàm modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, *mundus autem gaudebit:* nec tamen in huius desiderij parturitione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes,* quia & ipsa parturiens cui comparati sumus, plus gaudet de mox futurâ prole, quàm tristis est de præsenti labore. Sed huius sermonis iste sit finis: habent enim quæstionem molestissimam, quæ sequuntur, nec breuitate coarctanda sunt, vt possint commodiùs, si Dominus voluerit, explicari.

Præsens sæculum modicum appellatum.

1. Ioan. 2. v. 18.

A Paschate.

Act. 1. v. 3.

Matth. 28. v. 20.

Al. interrogandum.

Rom. 12. v. 12.

S. CYRILLI ARCHIEPIS. ALExandrini, *Euangelij eiusdem expositio.*

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Cùm antea dixisset se reuelaturum eis omnia per suum Spiritum quæcunque necessaria sunt & vtilia, passionem quoque enarrat, quam exceptura erat statim assumptio in cœlum, quam illapsus per Spiritum necessariò sequeretur: sursum enim ad Patrem reuersus non ampliùs in carne cum sanctis Apostolis versari poterat. Compendio autem verborum vtitur, tollens hac ratione doloris acerbitatem. Sciebat enim Discipulos non mediocri metu rursùs affectos, & acerbissimo quidem dolore tactum iri, grauia & intoleranda mala sibi impendere formidantes, eo quòd Seruatore ad Patrem ascendente se solos relinquendos intelligerent. Hanc opinor ob causam non dicit apertè se moriturum, Iudæorum furore eò prorumpente: sed festiuè admodùm & eleganter passionis dolores exceptum iri resurrectionis lætitiâ ostendit, dicens: *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Instabat quippe tempus mortis, quo Dominus è Discipulorum conspectu tantisper excessurus erat, donec spoliatis inferis, & tenebrarum portâ illic degentibus apertâ, templum suum rursus excitaret. Quo facto Discipulis suis rursus apparuit, & vnà cum eis se futurum omnibus diebus sæculi promisit, vt scriptum est. Tametsi enim carne abest postquam se Patri pro nobis exhibuit, & sedit à dextris Genitoris, in dignis tamen habitat per Spiritum, &

Obscurius mitiusque mortem suam Dominus prædicit, ac breui secuturam resurrectionem.

Matth. 28. v. 20.

Ioan. 14. v. 18. A voà cum Sanctis semper est: promisit enim nequaquam se relicturum nos orphanos. Paruo itaque interiecto iam ad passionem tempore, *Modicum*, inquit, *& non videbitis me:* morte enim quodammodò parumper erat occultandus. *Et iterum*, inquit, *modicum, & videbitis me.* Post triduum enim reuixit, prædicans 1. Petr. 3. v. 19. etiam ijs qui in carcere erant spiritibus. Perfectissimum enim istud est suæ misericordiæ argumentum, quòd non solùm degentes adhuc in terrâ seruarit, sed & vitâ iam functis, & in Isai. 49. v. 9. abyssi penetralibus sedentibus in tenebris, vt scriptum est, libertatem proclamarit. Aduerte porrò quomodò de passione quidem dixerit & resurrectione, *Modicum, & non videbitis me. Et iterum modicum, & videbitis me:* ad- B dens autem, *quia vado ad Patrem*, silentio tegit quod superest. Nec enim quanto ibi tempore permansurus sit, aut quandonam reuersurus, significauit, & quam ob causam. Nempe nostrum non est *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, iuxta ipsius Seruatoris vocem. Act. 1. v. 7.

V. 17. & 18. *Dixerunt ergo ex Discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: &, Quia vado ad Patrem? &c.* Cùm dictum nondum intelligerent diuini Discipuli, colloquuntur inter se, & quid sibi vellet illud V. 16. *modicum, & iterum modicum*, addubitant, & C illud, *Non videbitis me.* Præuenit tamen Christus sciscitari auentes, oportunè rursùs ostendens se cùm Deus sit, corda nosse, & quodcunque mente volutatur adhuc, & in profundo cordis infossum est, non secùs ac linguâ demum expressum agnoscere. Quid enim quæso latere possit eum cui nuda sunt omnia? Idcóque ad Heb. 4. v. 13. Job 42. v. 3. Sanctorum quendam ait, *Quis est iste qui me consilium celat, & in corde verba continet, ac me putat celare?* Quocirca omni ex parte eis prodest, & occasionem quæ se obtulit certæ & indubitatæ fidei fouendæ adhibet.

V. 19. & 20. *Cognouit autem* IESVS *quia volebant eum in-* D *terrogare: & dixit eis, &c.* Sciscitantibus & curiosiùs inquirentibus quid sibi vellent verba Seruatoris, passionem declarat apertiùs, & quanta ipsi laturi essent, prænuntiat, idque percommodè: non enim vt præmaturum eis terrorem inijceret, ista prædicebat, sed vt eorum cognitione præmuniti aduersus terroris ingruentem impetum fortiores euaderent. Quod enim Prædicit mala ventura vt præsentia leuius ferant. futurum expectatur, molliorem habet, quàm quod nullo modo speratur, impetum. Cùm ergo vos, ô sinceri atque charissimi Discipuli, vestrum ducem ac Magistrum Iudaïci furoris nefarios ausus, iniuriasque & plagas pati videbitis, E tunc sanè *plorabitis, & lugebitis; mundus autem gaudebit*, hoc est, qui sapere nequeunt quæ Deo placent, sed mundi voluptatibus quodammodò sunt affixi. Rursus verò significat vilem & abiectam illam Iudæorum multitudinem, & principum cateruam Deo exosam & impiam, Scribas nimirum & Pharisæos, qui Seruatoris tentationes subsannantes multa in suum caput Matth. 27. v. 40. deblaterabant, modò quidem aientes; *Si Filius Dei es, descende nunc de cruce, & credemus tibi*, modo verò, *Qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, salua temetipsum.* Ista quippe Iudæi nefariâ suâ linguâ despumabant. Sed mundanis, inquit, hæc facientibus atque vociferantibus, vos quidem contristabimini; sed non longo tempore id perferetis: *tristitia enim vertetur in gaudium:* resurgam quippe, & doloris causam penitus delebo; inhibebo lacrymas, & ad perpetuam animi lætitiam reuocabo. Perpetuum quippe est Sanctorum gaudium: viuit enim Christus in æternum, & mors omnium soluta est per ipsum. Sed consentaneum est animaduertere, mundanos homines vicissim perpetuò in luctu futuros. Si enim eò quòd Christus mortuus est secundùm carnem, tristitiâ quidem affecti sunt eius Discipuli, sed ex illius ærumnis gauisus est mundus, omninò destructâ morte & corruptione, & Seruatore nostro à mortuis excitato, mutatus est Sanctis luctus in gaudium, sed mundanis in luctum vertetur lætitia.

Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: &c. V. 21. & 22. Consolandi occasionem amplificat, varijsque sermonibus acerbissimi doloris amoliendi rationem eis tribuit. Vide enim vt perspicuâ similitudine ad fortiter se gerendum eos excitet, & ad labores aut ærumnas strenuè suscipiendas, quòd in gaudium prorsus verti debeant. Fructus enim acerbi partus puer est, inquit, & matribus non sine grauissimis laboribus obtingit gaudium liberorum. At si partus dolores initio recusassent, nec vterum gerere voluissent, repudiatis nuptijs ne matres quidem fuissent vnquam, multum optabili & gratissimâ re ob ignauiam orbatæ. Eâdem itaque ratione vobis quoque ipsis dolor mercede non carebit. Gaudebitis enim, cùm videbitis mirabilem puerum mundo editum, incorruptibilem ac interitus expertem: seipsum nimirùm innuit. Perpetuum autem & indelebile gaudium de seipso fore ait. Iuxta Pauli vocem etenim, immò secundùm ipsam veritatem; Semel mortuus, vltra non moritur. Rom. 6. v. 10. Stabile igitur & perpetuum est gaudium de illo, iurè id quidem. Nam si Christi mors mœstitiam nobis attulit, quis gaudium tollet à nobis, qui scimus eum viuere, & iugiter manere, spiritalium nobis bonorum datorem atque largitorem? A Sanctis igitur nemo tollit gaudium iuxta Seruatoris vocem, sed ab ijs ablatum est statim qui eum crucifixerunt. Solutâ quippe passione mœror ijs velut ineuitabili necessitate inde contiget, vnde maximè gaudendum putabant.

BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI IN EUANGELIUM *superius.*

HOMILIA.

LÆta Domini & Saluatoris nostri promissa, Læta Christi promissa læto animo percipienda. fratres charissimi, læto cordis auditu percipere debemus, seduláque intentione persistere, quatenus ad hæc pertingere mereamur. Quid est enim quod meritò lætiùs audiatur, quàm peruenire posse ad gaudium quod nunquam possit auferri? Notandum autem quòd tota lectionis huius Euangelicæ series illis conuenit, qui eam præsentes audierunt à Domino: pars autem illius etiam nobis, qui post passionem & resurre- Tota Euangelica lectio ad solos spectat discipulos, pars & ad alios. ctionem Dominicam ad fidem venimus, aptissimè congruit. Quod ergo ait. *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem;* ad illos specialiter pertinet, qui eius discipulatum prædicantis in

Modicum quo nõ visuri discipuli Dominum, passionis tempus, modicum quo visuri, tempus resurrectionis.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
Ioan. 18.
Act. 1. v. 3.

carne adhærere, & post tristitiam passionis visâ resurrectione & ascensione eius lætificari meruerunt. Nam quia hæc illâ quâ tradebatur nocte locutus est, modicum erat, id est, eiusdem noctis & diei sequentis tempus, vsque ad horam quâ illum non videre inciperent. Tentus enim nocte illâ à Iudæis, & in crastinum crucifixus, cùm serò factum esset depositus est de cruce, & intra septa sepulchri ab humanis seclusus obtutibus. Et iterum modicum erat, vsque dum illum viderent: resurrexit enim à mortuis die tertiâ, & apparuit eis in multis argumentis per dies quadraginta. Quare autem modicum esset vt non viderent eum, & iterum modicum vt viderent, annectit causam, dicens: *Quia vado ad Patrem.* Ac si apertè dicat: Ideo post modicum à vestris aspectibus in monumenti claustris abscondor, & iterum post modicum destructo mortis imperio vobis intuendus appareo, quia tempus est vt expletâ dispensatione assumptæ mortalitatis, cum resurrectionis triumpho iam reuertar ad Patrem.

Tempus itẽ depositionis in sepulchro, & tempus quo illis post resurrectionẽ apparuit.

Potest & aliter intelligi quod ait, *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Modicum quippe tempus futurum erat quo eum non viderent, illud scilicet triduum, quo erat quieturus in monumento. Et iterum modicum erat futurum quo viderent eum, illi videlicet dies quadraginta, in quibus eis post passionem suam sæpius vsque ad tempus ascensionis apparuit. Quod autem subiunxit, *Quia vado ad Patrem*, iuxta hunc sensum, ad illud specialiter respicit quod præmisit, *Et iterum modicum & videbitis me.* Ac si apertè diceret: Propterea me resuscitatum à mortuis modico tempore videbitis, quia non semper in terrâ corporaliter mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi, iam sum ascensurus in cœlum.

Hæc quidem verba Domini, vt diximus, illis specialiter qui eius resurrectionem videre potuerunt conueniunt. Quod verò illis quærentibus exponendo subiungit, *Amen, amen dico vobis,*
V. 20.
quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium; & ipsorum, & totius Ecclesiæ statui congruit. Plorabant quippe & flebant amatores Christi, cùm illum comprehendi ab hostibus, ligari, ad concilium duci, damnari, flagellari, derisui haberi, ad vltimum crucifigi, lanceari, & sepeliri viderent. Gaudebant mundi amatores, quos ob infimas cogitationes mundum vocat Dominus, cùm morte turpissimâ condemnarent illum, qui grauis erat eis etiam ad videndum. Contristabantur discipuli posito in morte Domino, sed agnitâ eius resurrectione, tristitia illorum versa est in gaudium. Visâ ascensionis potentiâ, iam maiori gaudio subleuati laudabant & benedicebant Dominum, vt Lucas Euangelista testatur. Sed & cunctis fidelibus hic sermo Domini conuenit, qui per lacrymas pressurásque præsentes, ad gaudia æterna peruenire contendunt. Qui meritò in præsenti plorant, flent, & tristes sunt, quia necdum valent videre quem diligunt. Quia quandiu sunt in corpore, peregrinari se à suâ patriâ & regno cognoscunt: quia per labores & certamina ad coronam sibi perueniendum esse non dubitant. Quorum tristitia vertetur in gaudium, cùm finito agone vitæ huius brauium vitæ perennis accipient, de quo dicitur in Psalmo, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Flentibus autem & contristatis

Commune Christi fidelibus ac ipsis vt mũdo gaudente illi tristentur, ac tristitia eorum vertatur in gaudium.
Sap. 2. v. 15.
Luc. 24. v. 52.
2. Cor. 5. v. 6.
Psal. 125. v. 5.

A Paschate.

A fidelibus mundus gaudet, quia iurè in præsentibus qualecunque gaudium habent, qui alterius vitæ vel nulla esse gaudia sperant, vel se ad hæc pertingere posse desperant. Quod tamen specialiter de persecutoribus fidei Christianæ potest intelligi, quia cruciatis occisísque Martyribus, ad tempus se præualuisse gaudebant. Sed non post multum illis in occulto coronatis, ipsi pœnas perfidiæ suæ simul & homicidij subibant æternas. Quibus diuinâ increpatione rectè dicitur per Prophetam: *Ecce serui mei lætabuntur, vos autem cõfundemini. Ecce serui mei exultabunt in lætitiâ, vos autem clamabitis præ dolore cordis vestri, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Sequitur.

Mũdi gaudium.
Gaudium tyrannorũ.
Isai. 65. v. 13.

B *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Mulierem dicit sanctam Ecclesiam, videlicet propter fœcunditatem bonorum operum, & quia spiritales Deo filios gignere nunquam desinit. De quâ & alibi dicitur: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Mulier quippe fermentum accepit, cùm Ecclesia vim supernæ dilectionis & fidei Domino largiente consecuta est. Abscondit hoc in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum, cùm Asiæ, Europæ, & Africæ partibus verbum vitæ ministrauit, donec omnes terrarum termini regni cœlestis amore flagrarent. Ad huius mu-
C liens membra se pertinere signabat, qui recedentibus quibusdam à castitate fidei, tristis aiebat: *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Ad huius se membra pertinere testantur, qui cœlestibus desiderijs accensi, in conditoris sui laude proclamabant: *A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum.* Hæc *mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Quia nimirum sancta Ecclesia quandiu in mundo spiritalium virtutum profectibus insistit, nunquam mundi tentationibus exerceri desistit: at cùm de-
D uicto laborum certamine ad palmam peruenerit, iam non meminit pressuræ præcedentis, propter gaudium perceptæ retributionis. *Non sunt enim condigna passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

V. 21.
Ecclesia, mulier appellata.
Matth. 13. v. 33.
Luc. 13. v. 21.
Farinæ sata tria, tres orbis partes: dicta hæc quadã accommodatione.
Gal. 4. v. 19.
Isai. 26. v. 17.
Parturitionis tempus, Ecclesia sẽper hîc tentationibus obnoxia.
Rom. 8. v. 18.

Non meminit, inquit, *pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia nato in vitam futuram fidelium populo, dignâ exultatione repletur: pro quâ eius natiuitate multum laborans & gemens, in præsenti quasi parturiens dolet. Nec nouum debet cuiquam videri si natus dicatur, qui ex hac vitâ migrauerit. Quomodò enim consuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens
E in hanc lucem egreditur, ita etiam rectissimè potest natus appellari, qui solutis à vinculis carnis ad lucem sublimatur æternam. Vnde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum Martyrum siue Confessorum Christi, quibus de sæculo transierunt, Natales vocitemus, eorumque solennia non funebria, sed Natalitia dicantur. Sequitur Dominus exponens ipse paradigma quod de muliere proposuit,

Nascuntur Sancti dum ex hac vitâ migrant.
Martyrum & Confessorum Natales dies, quibus de sæculo trãsierunt.

V. 22.
Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Gaudium discipulorum ab eis non ablatú.

Ioan. 20. v. 20.

Quod de ipsis quidem discipulis facilè intelligitur, quia tristitiam habuerunt passo ac sepulto Domino: sed peractâ resurrectionis gloriâ, *gauisi sunt viso Domino.* Et gaudium eorum oemo tollit ab eis, quia & si postmodum persecutiones pro Christi nomine ac tormenta passi sunt, spe tamen resurrectionis & visionis illius accensi, libenter quæque aduersa ferebant. Imò *omne gaudium existimabant cùm in tentationes varias inciderent.* Denique cæsi à principibus Sacerdotum, vt scriptum est, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Gaudium eorum nemo tollit ab eis, quia talia patiendo pro Christo meruerunt regnare sine fine cum Christo. Sed & omnis Ecclesia per huius vitæ labores & angustias, ad æterna cœlestium tendit præmia gaudiorum, attestante Apostolo, *Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Iacob. 1. v. 2.

Act. 5 v. 40.

Act. 14. v. 21.

Iterum videbo vos.

Quod autem ait, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Videbo vos dixit, eripiam vos ab aduersarijs, coronabo vos victores, me vos decertantes semper vidisse probabo. Quando enim non videret suos maximè pressuris circumuentos, cum quibus se ipse omnibus diebus sæculi manere promisit? Sed morientibus inter tormenta fidelibus, arbitrabantur eos tortores diuino carere præsidio, dicentes: *Vbi est Deus eorum?* Vnde quidam ex his circunseptus ærumnis aiebar, *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Quod est aperte dicere, Quoniam inimicus insequens ceruicem superbiæ contra tuos humiles attollit, tuo nos auxilio conditor omnipotens subleua; te victis ac repulsis hostibus nostros semper agones vidisse, tibi hos placuisse comproba. Videt itaque electos post tristitiam Dominus, cùm eorum patientiam damnato impugnatore remunerat. Potest & ita intelligi quod ait, *Iterum autem videbo vos,* quasi diceret, iterum vobis videntibus apparebo, quomodò dixit Abrahæ: *Nunc cognoui quòd timeas dominum,* pro eo vt diceret: nunc cognoscere homines feci quòd timeas Deum, qui hactenus nesciebant, quod apud me semper habui certum.

Matth. 28. v. 20.

Psal. 78. v. 10.

Thren. 1. v. 9.

Gen. 22. v. 12

Rom. 12. v. 12.

Si ergo, charissimi, salubri tristitiâ nunc afficimur, si iuxta hortamenta Apostoli, *spe gaudentes, in tribulatione* existimus *patientes,* si nostra errata, si miserias proximorum debitâ lamentatione deflemus, videbit nos iterum Dominus, id est, videndum se nobis ostendet in futuro, qui quondam nos videre, fidei suæ nobis agnitionem largiendo dignatus est. Videbit vt coronet, qui quondam vidit vt vocaret. Videbit, & gaudebit cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis; quia hæc est vera & vnica merces eorum qui secundum Deum contristantur, de perpetuâ eius visione gaudere. Quam profecto mercedem promisit ipse subliminter cùm ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quam desiderabat ardenter Propheta cùm dicebat, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quam se Apostolus cum suis similibus acceptutú esse gratulatur, qui certaminum suorum conscius, confidenter protestatur dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* quam nos quoque & fideliter quærere, & veraciter apprehendere debemus, donec ipse certantium auxiliator, & vincentium remunerator videatur, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Vera & vnica merces tristitiæ secundú Deú, gaudiú de eius perpetuâ visione.

Matth. 5. v. 8.

Psal. 41. v. 3.

1. Cor. 13. v. 12.

S. BERNARDI ABBATIS, *de eodem verbo Dominico,* Modicum, &c.

SERMO 74. in Canticum.

FOrtè ideo subtraxit se, quò auidiùs reuocaretur, teoeretur fortiùs. Nam & aliquando simulabat se longiùs ire, noo quia hoc volebat, sed volebat audire, *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.* Et rursum aliâ vice super mare ambulans cùm Apostoli nauigarent, & laborareot in remigando, quasi volens præterire eos; nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, & elicere precem. Denique sicut ait Euangelista, *Turbati sunt, & clamauerunt, dicentes phantasma esse.* Ergo istiusmodi piam simulationé, imò salutarem dispensationem quamtúc corporaliter Verbum corpus interdum exhiboit, non cessat identidem. Verbum spiritus modo suo spirituali cum deuotâ sibi animâ sedulò actitare. Prætetiens teneri vult, abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile Verbum. It & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculò, & subitò probans. Et ire quidem illi quodammodò dispensatorium: redire verò semper voluntarium est: vtrunque autem plenum iudicij. At penes ipsum horum ratio.

Luc. 24. v. 28.

Sponsus abire simulans, vt feruentius vocetur.

Matth. 14. v. 26.

Nunc verò constat in animâ fieri huiusmodi vicissitudines euntis & redeuntis Verbi, sicut ait, *Vado, & venio ad vos.* Item, *Modicum, & non videbitis me.* O modicum, & modicum! O modicum longum! Pie Domine modicum dicis quòd non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis. Verumtamen vtrunque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrunque in Prophetâ, *Si moram fecerit,* inquit, *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quomodò non tardabit, si moram fecerit, nisi quod ad meritum satis est, sed noo satis ad votum? Porrò anima amans votis fertur, trahitur desiderijs, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, & fiducialiter agens in eo. Intrepida denique & inuerecunda reuocat Verbum, & cum fiduciâ repetit delicias suas, solitâ libertate vocans eum non Dominum, sed Dilectum. *Reuertere dilecte mi.* Et addit, *Similis esto capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* At istud postea.

Ioan. 14. v. 28.

Ioan. 16. v. 10.

Absentia sponsi, molesta ac grauis.

Habac. 2. v. 3.

Cant. 2. v. 17.

Nunc verò sustinete modicum quid insipientiæ meæ. Volo dicere, nam & hoc pactus sum, quomodo mecum agitur in eiusmodi. Non expedit quidem. Sed prodar sanè vt prosim; & si profeceritis vos, meam insipientiam consolabor. Si non, meam insipientiam confitebor. Fateor & mihi aduentasse Verbum; in insipientiâ dico, & pluries. Cúmque sæpius intrauerit ad me, non sensi aliquoties cùm intrauit. Adesse sensi, affuisse recordor; interdum & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam vnde in animam meam venerit, quóue abierit denuo eam dimittens: sed & quò vel introierit, vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud, *Nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Nec mirum tamen, quia ipse est cui dictum est, *Et vestigia tua non cognoscen-*

2. Cor. 11. v. 1.

Obscurus sponsi ingressus & egressus Bernardi vtriusque experimenta.

Ioan. 3. v. 8.

Psal. 76. v. 20.

tur. Sanè per oculos non intrauit, quia non est A coloratum. Sed neque per aures, quia non sonuit. Sed neque per nares, quia non aëri miscetur, sed menti; nec infecit aerem, sed fecit. Neque verò per fauces, quia non est mensura vel haustum. Nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quà igitur introiuit? An fortè nec introiuit quidem, quia non deforis venit? Neque enim est vnum aliquid ex ijs, quæ foris sunt. Porrò nec de intra me venit, quoniam bonum est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominus in- B fra inuentum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse. Si intus, & ipsum interius erat. Et cognoui verum quidem esse quod legeram, Quia *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*: sed ille beatus est, in quo est ipsum cui ille viuit, qui eo mouetur.

Act. 17. v. 28.

Quæris igitur cùm ita sint omninò inuestigabiles viæ eius, vnde adesse norim? Viuum & efficax est, moxque vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, mouit & molliuit & vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideúmque erat, & malè sanum. Cœpit quoque euellere & destruere, ædificare & plantare, ri- C gare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, necnon & mittere praua in directa, & aspera in vias planas; ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsus, nullis vnquam introitum suum indicijs innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis; tantùm ex motu cordis (sicut præfatus sum) intellexi præsentiam eius, & ex fugâ vitiorum, carnaliumque compressione affectuum aduerti potentiam virtutis eius: & ex discussione siue redargutione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ eius; & ex quantulacunque emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius: & ex renouatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id est, interioris hominis mei, percepi vtcunque speciem decoris eius: & ex contuitu horum omnium simul, expaui multitudinem magnitudinis eius.

Heb. 4. v. 12.

Indicia præsentiæ sponsi.

Verùm quia hæc omnia vbi abscesserit Verbũ, perinde ac si ollæ bullienti substraxeris ignem, quodam illico languore torpentia & frigida iacere incipiunt, atque hoc mihi signum abscessionis eius, tristis sit necesse est anima mea, donec iterum reuertatur, & subitò recalescat cor meum intra me, idque sit reuersionis indicium. Tale sanè experimentum de Verbo habens, quid mirum si & ego vsurpo mihi vocem sponsæ in reuocando illud cum se absentauerit; qui etsi non pari, similitamen vel ex parte desiderio feror? Familiare mihi erit quoad vixero pro Verbi reuocationis verbum, quod vtique *reuertere* est. Et quoties elabetur, toties repetetur à me; nec cessabo clamitare quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio cordis vt redeat: & reddat mihi lætitiam salutaris sui; reddat mihi seipsum,

Abeunte frigescũt omnia.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

IOAN. XVI.



a Et ideo opus est prædicare de illo.
IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis, [a] Vado ad eum qui
b Iturum à vobis. c A nobis. d Id est, me iturum à vobis.
me misit: & nemo ex vobis interrogat [b] me, [c] quò vadis. [d] Sed
e Cùm nondum consolationem Spiritus intus habeatis, quã melius me intus visuri estis, doletis me corporalibus oculis subtrahi.
quia hæc loquutus sum vobis, [e] tristitia implebit cor vestrum.
f Vt spiritualiter iam me noscatis, & carnaliter iam me nosse desistatis, ne Verbo carne facto quasi lacte contenti sitis.
Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt [f] ego vadam.
g Si carni quasi carnales carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis.
Si [g] enim non abiero, Paraclerus non veniet ad vos. Si autem
h Per hos qui modò timidi. i Quod habet mundus.
abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, [h] arguet mundum de [i] peccato, &
k Quam non imitatur. l Quod non timet. m Exponit quod dixerat. n Arguet. o Hoc specialiter ponit, quia hoc manente cætera manent: hoc discedente cætera remittuntur.
de [k] iustitiâ, & de [l] iudicio. De [m] peccato [n] quidem, quia non [o] crediderunt in me.
p Iam talem non videbitis, & Paulus enim & Stephanus postea viderunt eum, sed iam alium. q Futuro.
De iustitiâ verò, quia ad Patrem vado, & iam non [p] videbitis me, de [q] iudicio autem, quia princeps huius mundi iam [r] iudicatus est. Adhuc multa [s] habeo vobis di-
r Foras missus, iudicio ignis reseruatus. s Quæ nemo habet determinare.
t Quia nondum venit Spiritus.
cere, sed non [t] potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis,
u Intus sine sono, sic fit & aliis sanctis: alias: deducet in omnem veritatem, vt dedu. in. d. in v. a. x Saluti necessariam.
[u] docebit vos omnem [x] veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcun-
y Non solum quæ futura in tempore, sed magis æterna, quorum amore inflammat.
que audiet [y] loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit:
z Patre à quo ego.
quia de [z] meo accipiet, & annuntiabit vobis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

[Ioan. 16. v. 5. — Act. 1. v. 9.]


ADO ad eum. Ita palam, vt nemo interroget quod visu corporali cernat. Videtunt eum in oube ascendentem certi de gloriâ, qui priùs prædictâ passione quæsietant, *Domine quo vadis?*

[Ioan. 13. v. 36. — V. 7.]

Si enim non abiero. Non quòd positus in tertâ non posset dare, sed quia illi non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse. *Si autem abiero.* Mentibus vestris sic rapris ad cœlestia, aderit Spiritus, simulque Pater & Filius. Spirituales enim ex carnalibus facti, capaciùs fuerant Trinitatem habituti, sicut promissum erat, *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Et, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Nunquam enim intelligenda est sepatatio, & si sigillatim loquatur Scriptura de petsonis. Opus enim etat sic Ttinitatem insinuari.

[Matth. 28. v. 20. — Ioan. 14. v. 23.]

[V. 8. — Spiritus sãctus vt arguat.]

Ille arguet mundum. Non quòd Filius non arguat, sed quia Spiritus dabit eis charitatem & pellet timorem, vt sit eis libertas arguendi. AVG. Arguitur de peccato, qui in Chuistum non eredit. Arguitur & de iustitiâ, eorum qui credunt. [C] Ipsa enim fidelium comparatio, infidelium est vitupetatio. Credant igitur homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis quo omnia tenentur. Transcant in numeros fidelium, ne arguantur de iustitiâ eorum, quos iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicatum imitantur. *Et iustitiâ.* Non de suâ, sed de credentium iustitiâ mundus arguitur, quorum comparatione damnatur. Vnde non ait: Non videbit me mundus: sed, *non videbitis me*, vos Apostoli. Contta infideles, qui dicunt, Quomodò credemus quod non videmus? Est vera iustitia credere quod non videtur: vt qui viderunt [D] hominem, crediderunt Deum. Et cùm per ascensionem forma hominis subttacta est visibus, tunc ex omni parte impletum est, *Iustus ex fide viuit. Et iam non videbitis me.* Id est, nunquam videbitis me talem vt modò, id est, mortalem iudicandum, sed glorificatum iudicem. Et hoc est iustitia fidei, de quâ Apostolus, *Et si nouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*: quam quia mundus ab istis non vult accipere, arguitur, *De iudicio*: Quia si damnatum illum sequuntur, cum eo damnantur: & ne sibi eredant parci, terrentur supplicio illius superbi. [E]

[Vera iustitia credere quod non vides.]

[Abac. 2. v. 5. — Rom. 1. v. 17]

[Iustitia fidei. — 2. Cor. 5. v. 16.]

[V. 13.]

Omnem veritatem. Promittit quòd totum facturus est Spiritus, non quòd in hac vitâ totum compleatur. *A semetipso.* AVG. Quia non est à seipso, quia solus Pater de alio non est. Nam & Filius de Patre natus est, & Spiritus de Patre procedit: & tamen & Filius, & Spiritus æqualis Patri est. *Sed quæcunque audiet, loquetur*: Audiet ab eo, à quo procedit. Audire illius scire est. idem est & esse. A quo illi ergo est essentia, ab illo audientia, id est, scientia, quæ non est aliud quàm essentia, &c. De sempiternâte, propriè dicatur Est: secundùm nos bene dicitur, Fuit, Erit. Fuit, quia nunquam defuit. Erit, quia nunquam deerit. Est, quia semper est. Non præterit, quasi qui non maneat. Non oritur, quasi qui non erat. Cùm ergo nostra loquutio per tempora varietur, de eo [A] verè dicũtur verba cuiuslibet temporis, quia nullo tempore defuit, deest vel deerit. Et ideo non mirum si *audiet*, dixit de eo, qui audiuit & audit, id est, semper sciuit, scit & sciet. *Ille me clarificabit.* Quia spirituales faciendo vos, declarabit, quomodo Patri Filius est æqualis; quem secũdum carnem vt hominem nouerant: vel timorem tollendo faciet vos gloriam meam annuntiare toti mundo: quæ non mihi, sed hominibus prosit. *De meo.* Non quòd Spiritus sit minor Filio. Cur autem hoc dixit, explanat: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, Quia de meo accipiet.* Ergo de Patre accipit Spiritus, vnde accipit [B] Filius quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius; de Patre procedit Spititus. Qui autem de nullo natus est, de nullo procedit, Pater est solus.

[De Deo propriè Est: quod nos etiam Fuit, & Erit.]

[V. 14.]

CATENA AVREA,
in idem Euang.

[Ioan. 16. v. 5. — Hom. 77. in Ioan.]

ET *nũc vado ad eum qui misit me, &c.* CHRYS. Quia discipulos nondum perfectos tristitia impugnabat, eos Dominus increpãdo dirigit, dicens: *Et nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?* Audientes enim quoniam *qui interficiet vos, opinabitur se obsequium præstare Deo*, ita conciderunt vt nihil ei loquerentur. Et ideo subditur, *Sed quia hæc locutus sum vobis, &c.* Non parua autem est hæc mitigatio, scire eos quoniam sciuerat Dominus tristitiæ eorum superabundantiam, & propter desertionem eius, & propter mala quæ didicerant se passuros, & nesciebant si possent viriliter ferre.

[Tract. 94. in Ioan.]

AVG. Vel quia superiùs interrogauerunt eum quò esset iturus, & responderat eis se iturum quò ipsi tunc venire non possuot; nunc ita se promittit iturum, vt nullus eorum quò vadat interroget. Et hoc est quod dicit, *Et nemo ex vobis, &c.* Euntem enim in cœlum non verbis quæsierunt, sed oculis [D] deduxerunt. Videbat autem Dominus quid sua verba in eorũ cordibus agerent: spiritualem quippe nondum interiùs habentes consolationem, quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exteriùs in Christo videbant, amittere metuebant: & quia se amissuros esse illo verè denuntiante dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus: vnde sequitur, *Sed quia hæc locutus sum vobis, &c.* Nouerat autem ille quid eis potiùs expediret; quia visus interior ipse est melior, quo eos consolaturus erat Spiritus sanctus: vnde subdit: *Sed ego veritatem, &c.*

[Hom. 77. in Ioan.]

CHRYS. Quasi dicat: Et si millies contristemini, oportet vos audire, quia me recedere vobis [E] confert. Quid autem conferat, ostendit subdens, *Si enim non abiero, &c.*

[1. de Trin. v. 9.]

AVG. 1. de Trin. Hæc autem dixit non propter inæqualitatem Verbi Dei, & Spiritus sancti: sed tanquam impedimento esset præsentia Filij apud eos, quo minùs veniret ille qui minor non esset; quia non semetipsum exinaniuit sicut Filius formam serui accipiens. Oportebat ergo vt auferretur ab eorum oculis forma serui, quam intuentes hoc solùm Christum esse putabant, quod videbant: vnde sequitur, *Si autem abiero, &c.*

[Tract. 94. in Ioan.]

AVG. Nunquid autem hic positus eum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse? imò verò à quo scimus eum nunquam separabilem fuisse. Quid est ergo, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad*

A *vos?* nisi non potestis capere Spiritum, quandiu secundum carnem nosse persistitis Christum. Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius illis affuit spiritualiter.

8. Mor. c. 11. in no. exp. 17. in vet. GREG. 8. Mor. Ac si apertè diceret, Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos inuisibilem per consolatorium Spiritum non perduco.

Ser. 60. A V G. de ver. Do. Hanc autem habitudinem Spiritus Paracletus attulit, vt ab oculis carnis formâ serui remotâ, quam de Virginis vtero accepit, in ipsâ Dei formâ, in quâ Patri æqualis, etiam cùm in carne dignatus est apparere, permansit, purgatâ mentis facie ostenderetur.

Hom. 77. in Ioan. C H R V S. Quid autem hic dicunt, qui non conuenientem de Spiritu sancto habent opinio- B nem? Nunquid expedit dominatorem abire, & seruum accedere? Quæ autem sit vtilitas aduenientis Spiritus, ostendit cùm subditur, *Et cùm venerit ille, arguet, &c.*

Tract. 95. in Ioan. A V G. Nunquid autem Christus non arguit mundum? an fortè quia Christus in Iudæorum tantùm gente locutus est, mundum non videtur arguisse. Spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusis, non vnam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. Sed quis audeat dicere quòd per discipulos Christi arguat mundum Spiritus sancta, & non arguat Christus, cùm clamet Apostolus, *An experimentum quæritis eius,* (2. Cor. 13. v. 3.) *qui in me loquitur, Christus?* Quos itaque arguit C Spiritus sanctus, vtique & Christus. Sed dixit, *Ille arguet mundum*, quasi dicat, Ille diffundet in cordibus vestris charitatem. Sic enim timore depulso arguendi habebitis libertatem. Exponit deinde quod dixerit, dicens, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Hoc enim peccatum quasi solum præ cæteris posuit, quia hoc manente cætera detinentur: & hoc discedente, cætera dimittuntur.

Ser. 61. A V G. de ver. Do. Sed multum interest, vtrum quisque credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum: nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt. Ille vero credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. D

Tract. 95. in Ioan. A V G. super Ioan. Arguitur ergo mundus de peccato, quia in Christum non credit: & arguitur de iustitiâ eorum, qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. *De iustitiâ verò, quia ad Patrem vado.* Et quoniam ista vox infidelium esse consueuit, Quomodò credimus quod non videmus? Ideo credentium iustitiam sic oportuit diffiniri, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Beati enim qui non vident & credunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est, filium E hominis: sed quia credebant quod non videbant, id est, Filium Dei. Cùm verò & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectibus, tunc ex omni parte impletum est, *Iustus ex fide viuit.* (Habac. 2. v. 5. Rom. 1. v. 17.) Erit itaque vestra iustitia de quâ mundus arguitur, quoniam in me quem non videbitis, credetis. Et quando me videbitis, quoniam tunc sicut ero, videbitis me: non quod sum vobiscum modò, id est, non videbitis mortalem, sed sempiternum. Dicendo etiam, *Iam non videbitis me*: velut nunquam eos de cætero visuros Christum prænuntiauit.

A A V G. de ver. Do. Vel aliter. Illi non crediderunt: ipse ad Patrem vadit: Illorum ergo peccatũ, ipsius autem iustitia. (Ser. 61.) Quòd enim à Patre ad nos venit, misericordia est: iustitia verò, quòd ad Patrẽ vadit, secundum illud Apostoli, *Propter quod & Deus exaltauit illum.* (Phil. 2. v. 9.) Sed si solus vadit ad Patrẽ, quid nobis prodest? An ideo solus, quia Christus vnus est cum omnibus membris suis, tanquam caput cum corpore suo? Arguitur ergo mundus de peccato, in eis qui non credunt in Christum. Et de iustitiâ, in eis qui resurgunt in membris Christi. Sequitur, *De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est*, id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in huc mundo, quem diligunt. Hoc autem ipso quòd foras missus est, iudicatus est: & de hoc iudi- B cio mundus arguitur, quia frustra de diabolo quæritur, qui nun vult credere in Christum: quem iudicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, non solùm viri, sed etiam mulieres & pueri & puellæ martyrio vicerunt. (Diabolus foras missus.)

Tract. 95. in Ioan. A V G. super Ioan. Vel iudicatus est, quoniam iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur: quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbum atque impium imitatur. Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitiâ eo- C rum, quòd iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicatum imitantur.

Hom. 77. in Ioan. C H R Y S. Vel aliter, *Arguet mundum de peccato*, id est, omnem eorum excusationem abscindet, & ostendet eos peccasse non credentes in me: dum videbunt Spiritus sancti donationem ineffabilem inuocato me fieri.

Quæst. 89. Incipit hic Liber, Deus certè perfectus t. 4. nõ est Aug. A V G. de quæst. no. & ve. te. Hoc etiam modo Spiritus sanctus de peccato arguit mundum, quia in nomine Saluatoris, qui reprobatus est à mundo, virtutes operatus est. Saluator autem reformatâ iustitiâ, non trepidauit reuerti ad eum qui se miserat: & per id quod regressus est, probauit se inde venisse. Vnde sequitur, *Et de iustitiâ, quia* D *ad Patrem vado.*

Hom. 77. in Ioan. C H R Y S. Id est, ire ad Patrem erit argumentum quòd irreprehensibilem agebam vitam, vt non possint adhuc dicere, *Quoniam hic homo peccator est, & non est ex Deo.* Rursus quoniam expugnaui aduersarium (nequaquam autem peccator existens expugnassem) non possunt dicere quòd dæmonium habeo, & quòd seductor sum. Quoniam autem condemnatus est propter me, scient quòd conculcabunt eum postea, & quòd resurrectionem meam manifestè scient: non enim me valuit detinere.

E Cap. 89 à med. t. 4. A V G. de quæst. vete & no. testa. Videntes etiam dæmones animas de inferis ire ad cœlos, cognouerunt iudicatum esse principem huius mundi, vt reus factus in causâ Saluatoris quæ tenebat amitteret. Hæc quidem ascendente Saluatore visa sunt, sed superueniente in discipulis Spiritu sancto, palam apertéque manifestata sunt.

v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, &c.* (In hoc loco.) T H E O P H. Quia supra dixerat Dominus, *Expedit vobis vt ego vadam*, iam hoc amplificat, dicens, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.*

Tract. 97. in Ioan.

AVGV. Omnes hæretici audacias figmentorum suorum (quas maximè exhorret sensus humanus) hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea edocuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare spiritus erubescit immundus: Sed alia sunt mala quæ portare non potest qualiscunque pudor humanus; & alia sunt bona, quæ portare non potest paruus sensus humanus. Ista sunt in corporibus impudicis, illa remota sunt à corporibus vniuersis. Quis autem nostrûm audeat eorum se dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? ac per hoc nec à me expetenda sunt vt dicantur. Sed dicet aliquis, Sic multi possunt quod tunc non poterat Petrus, sicut multi possunt martyrio coronari, quod tunc non poterat Petrus: præsertim iam misso Spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus. Sed nunquid ideo scimus quæ sunt, quæ dicere voluit? Absurdissimè enim mihi videtur dici tunc non potuisse portare discipulos, quæ de altissimis rebus inuenimus in Apostolicis literis, quæ postmodum scripta sunt, nec ea Dominum dixisse narratur. Peruersarum quidem sectarum homines ferre non possunt, quod in Scripturis sanctis de fide catholicâ reperitur, sicut nos ferre non possumus sacrilegas eorum vanitates. Quid enim est ferre non posse, nisi æquo animo non habere? Quid autem fidelis vel etiam catechumenus antequam Spiritum sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit, etiam si non intelligit ea quæ post ascensionem Domini scripta sunt?

Tract. 98. in Ioan.

Dicet autem aliquis: Nihilne spirituales viri habent in doctrinâ, quod carnalibus taceant, & spiritualibus eloquantur? Nulla quidem necessitas est, vt aliqua secreta doctrinæ taceantur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus: sed spiritales spiritualia carnalibus non taceant propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est: nec tamen sic edisserant, vt volentes ea perducere ad intelligentiam non capacium, faciliùs fastidire faciant in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem.

Catholica fides omnibus prædicanda.

Non ergo in his Domini verbis nescio quæ secreta suscipimus, quæ cùm dici à docente possint, portari à discente non possint. Sed ea ipsa quæ in doctrinâ religionis in quorumlibet hominum notitiâ dicimus, si vellet nobis Christus dicere, sicut ea dicit Angelis suis, quinam homines portare possent, etiamsi essent spiritales, quales adhuc Apostoli non erant? Nam vtique quicquid de creaturâ sciri potest, minus est ipso creatore: Et quis eum tacet? Vbi non ab omnibus nominatur? Et cùm enim nemo taceat, quis est qui eum sicut intelligendus est, capiat? Quis autem viuens in hoc corpore posset omnem cognoscere veritatem, cùm dicat Apostolus, *Ex parte scimus*. Sed quia per Spiritum sanctum fit, vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de quâ idem dicit Apostolus, *Tunc autem facie ad faciem*. Non quod est in hac tantum vitâ, sed quod vsque ad illam perfectionem futurum est, Dominus nobis promisit, dicens, *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; vel *deducet vos in omnem veritatem*. Quo verbo intelligimus eius nobis plenitudinem in vitâ aliâ reseruari. Ipse autem Spiritus sanctus & nunc docet fideles, quanta quisque potest capere spiritalia, & in eorum cordibus desiderium maius accendit.

Lib. 2. inter opera Hieronimi tom. 9.

DIDY. Vel hoc dicit quòd auditores verborum eius nondum fuerant omnia consecuti, quæ postea pro nomine eius sufferre poterant, sed aliqua tradens eis, illa quæ maiora erant in posterū distulit, quę tunc portare non poterant nisi primitùs in capite nostro magisterium & forma crucis præiret. Adhuc etiam typo legis & vmbræ & imaginibus seruientes, non poterant veritatem, cuius vmbram lex portabat, inspicere. *Cùm autem venerit Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem*. Suâ doctrinâ & institutione vos transferens à morte literæ ad Spiritum viuificantem, in quo solo omnis Scripturæ veritas posita est.

Discipuli ante passionem Christi imperfecti.

Hom. 77. in Ioan.

CHRYS. Quia ergo dixerat, *Nunc non potestis portare, tunc autem poteritis*. Et, *Quoniam Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem*, ne hoc audientes maiorem Spiritum sanctum existiment, subiungit, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur*.

Tract. 99. in Ioan.

AVG. Simile est hoc ei quod de seipso dixit, *Non possum à meipso facere quicquam, sed sicut audio, iudico*: sed illud secundum hominem posse accipi dicimus. Cùm igitur Spiritus sanctus nullâ susceptione cuiusquam creaturæ creatura sit factus, quomodò de illo hoc intelligendum est? Sic itaque debemus accipere, vt intelligamus non eum esse à seipso. Nam Filius de Patre natus est, & Spiritus sanctus de Patre procedit. Quid autem illic intersit inter procedere, & nasci: & longum est differere, & temerarium diffinire. Audire autem illi scire est, scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ab illo ergo audiuit, audit, & audiet, à quo est.

Lib. 2. de Spiritu sancto, apud Hieron. t. 9.

DIDY. Ait ergo: *Non loquetur à semetipso*, hoc est, non sine me, & sine meo & Patris arbitrio, quia non ex se est, sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum quòd subsistit & loquitur, à Patre & à me illi est. *Ego veritatem loquor*, id est, inspiro quæ loquitur, siquidem Spiritus veritatis est. Dicere autem & loqui in Trinitate non secundum consuetudinem nostram accipiendum est, sed iuxta formam incorporalium naturarum, & maximè Trinitatis, quæ voluntatem suam inserit cordibus credentium, & eorum qui audire eam sunt digni. Loqui ergo Patrem & audire Filium, eiusdem naturæ in Patre & Filio consensúsque significatio est. Spiritus verò sanctus qui est Spiritus veritatis, Spiritúsque sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit, cùm hoc ipsum sit quod profertur à Filio, id est, procedens veritas à veritate, consolator manans à consolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens. Denique ne quis illum à Patris & Filii voluntate, & societate discerneret, scriptum est, *Sed quæ audiet, loquetur*.

Spiritus sanctus à Patre & Filio.

Spiritus sanctus est veritas à veritate procedens, & Deus de Deo.

Lib. 2. de Trinitate c. 3.

AVGV. 2. de Trin. Non autem hinc efficitur vt minor sit Spiritus sanctus: secundum hoc enim dictum est, quod de Patre procedit.

Tract. 99. in Ioan.

AVG. super Ioan. Nec moueat quòd verbum futuri temporis positum est. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine cuiuslibet temporis verbum ponatur, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat Fuit & Erit, sed tantùm Est: non tamen mendaciter dicimus Fuit, & Est,

& Est, & Erit: Fuit, quia nunquam defuit: Erit, A quia nunquam deerit: Est, quia semper Est.

Vbi suprà. DIDYM. Per Spiritum etiam veritatis, futurorum sanctis viris scientia certa conceditur. Vnde & Prophetæ hoc eodem repleti Spiritu prænuntiabant, & quasi præsentia intuebantur, quæ erant deinceps secutura. Vnde sequitur, *Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.*

Hom. in Dom. Cantate. t. 7. BEDA. Constat quia multi Spiritus sancti gratiâ repleti, quæ ventura erant, agnouerunt. Sed quia multi variis coruscant virtutibus, nec tamen quæ ventura sunt, agnoscunt, potest hic sermo sic accipi: *Quæ ventura sunt, vobis annuntiabit*, id est, gaudia vobis cœlestis patriæ ad memoriam reducet. Ventura verò Apostolis nuntiauit mala, scilicet quæ pro confessione Christi erant passuri: & bona quæ pro eisdem malis B erant percepturi.

Hom. 77. in Ioan. CHRYS. Eleuauit igitur per hoc eorum mentem, cùm ad nihil ita auidum sit humanum genus, vt ad sciendum futura. Ab hac igitur eos eruit solicitudine, ostendens quoniam futura eis pericula prædicet, vt non incidant in ea non obseruantes. Deinde ostendens quam dixerit omnem veritatem, in quam Spiritus sanctus adducet, subiungit, *Ille me clarificabit.*

Tract. 100. in Ioan. AVG. Quia scilicet diffundendo in credentium cordibus charitatem, spiritualesque faciendo, declarauit eis qualiter Patri Filius esset æqualis, quem secundum carnem priùs tantummodò nouerant, & hominem sicut homines cogitabant. C Vel certè, quia per ipsam charitatem fiduciâ repleti & timore depulso, annuntiauerunt hominibus Christum, ac sic fama eius diffusa est toto orbe terrarum. Quod enim facturi erant in Spiritu sancto, hoc eundem Spiritum dixit esse facturum.

Hom. 77. in Ioan. CHRYS. Et quia Dominus dixerat, *Magister vester vnus est Christus*, vt & Spiritus sanctus suscipiatur ab eis, subiunxit, *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Vbi suprà. DIDYM. Accipere hîc, vt diuinæ naturæ conuenit, intelligendum est. Quomodò enim Filius dans non priuatur his quæ tribuit, neque cum damno suo impartitur aliis, sic & Spiritus sanctus

Spiritus sanctus non accipit quod ante nõ habuit.

non accipit quod antè non habuit. Si enim priùs D quod non habebat accepit, translato in alium munere vacuus largitor effectus est. Sic igitur Spiritum sanctum à Filio accipere id quod suæ naturæ fuerat, cognoscendum est: & non aliam dantem & accipientem, sed vnam significare substantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre suscipere dicitur, in quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius exceptis his, quæ ei dantur à Patre, neque alia est Spiritus sancti substantia præter id, quod datur à Filio.

Tract. 100. in Ioan. AVG. Non autem propterea sicut quidam hæretici putauerunt, minor est Filio Spiritus sanctus, E quia Filius accipiat à Patre, Spiritus sanctus à Filio, quasi quibusdam gradibus naturarum. Vnde ipse quæstionem soluens, cur hoc dixerit, explanat, dicens, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

L. 2 de Spiritu sancto. Omnia quę sunt Patris Filij quoq; sunt; nec tamen Pater est Filius.

DIDYM. Quasi dicat: Licet à Patre procedat Spiritus veritatis, tamen quia omnia quæ habet Pater mea sunt, & ipse Patris Spiritus meus est, & de meo accipiet. Caue autem ne cùm ista dicuntur, putes rem esse aliquam & possessionem, quæ à Patre habeatur ac à Filio: verùm quæ habet Pater iuxta substantiam, id est, æternitatem, immutabilitatem, bonitatem, hæc eadem habet & Filius. Procul hinc absint dialecticorum tendiculæ, dicunt enim, Ergo & Pater est Filius. Si autem dixisset, Omnia quæcunque habet Deus mea sunt, haberet occasionem impietas consurgendi: cùm verò dixerit, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, Patris nomine se Filium declarauit; paternitatem, qui Filius erat, non vsurpauit, quamuis & ipse per adoptionis gratiam multorum Sanctorum sit pater.

Libr. 8. ante med. HILA. 8. de Tri. Non ergo in incerto Dominus reliquit vtrum ex Patre an ex Filio Spiritus paracletus esse putetur: A Filio enim accepit quòd ab illo mittitur; & à Patre procedit. Et interrogo vtrum idipsum sit à Filio accipere quod à Pa- B tre procedere? Certè idipsum atque vnum esse existimabitur à Filio accipere, quòd si acciperet à Patre. Cùm enim ait, Omnia quæcunque habet Pater sua esse, & idcircò dixisse de suo accipiendum esse, docet etiam à Patre accipienda, à se tamen accipi, quia omnia quæ Patris sunt sua sunt. Non habet hæc vnitas diuersitatem, nec differt à quo acceptum sit, quòd datum à Patre datum referatur à Filio.

Vnitas Trinitatis in Deo non habet diuersitatem.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

C ET *cùm venerit ille, arguet mundum.* THEOD. Heracleot. Veniente enim illo ad euertendum, quo mundus tenebatur, peccatum; cunctisque ipsius placidè aduentum suscipientibus, propitiationem præbente, qui in incredulitate permanserunt, inauferibile ac velut obsignatum peccatum habuerunt.

Ex Cat. Cord. in Ioan. *Ioan. 16, v. 8.*

APOLINARII. Arguet mundum, velut incredulitatis labe sub peccato damnatum. Fides namque peccatum soluit, quod incredulitas nexuit. Ac, qui in fidelibus Spiritus elucebat, infidelium condemnatio erat. Palam quippe erat, carere illos dono, quod fidelibus inerat: eáque res vasa eos impura, ac Spiritu nusquam idonea, D ostendit.

THEOD. MOPSVEST. Sic tremendus, inquit, Spiritus sancti descensus, vt eius aduentu propalandum sit eorum peccatum, qui mihi insidias struxerunt.

AMMONII. Tanta vis erit descensus Spiritus sancti, vt tunc manifestandum sit eorum peccatum, qui in me deliquerunt. Quicunque verò posteaquam Spiritus descendit, in Christum non crediderunt, in peccatis suis permanserunt. Tanquam igitur peccator condemnatur, qui in ipsum non crediderit, qui ab omni immunis peccato E existit: tanquam iniquus, qui in iustum non credidit, qui suæ iustitiæ merito in cœlos assumptus est, ac humanis sublatus obtutibus: tanquam socors & piger, qui contrito satanâ, ne sic quidem eius victor esse ambiuit.

Cùm venerit ille Spiritus veritatis. AMMONII. Cùm vos Spiritus erudierit, tunc ab vmbris ac figuris abcedere, cultumque Deo in spiritu ac veritate licebit adhibere. *v. 13.*

Non enim loquetur à semetipso. INCERTI AVCTORIS. Spiritus, inquit, non est maior Filio: propterea nihil à se loquetur, sed quæ audit. Eadem enim quæ ego, & ipse di-

A Paschate.

cet. Nec quòd non dicar imbecillitas in causâ est, sed sanctæ Trinitatis summa consensio.

V. 14. Spiritus à Filio, vt, & à Patre origo, ac processio.

Ille me clarificabit. Apol. Vis Spiritus, atque doctrina in meato cedent gloriam, quòd à me Spiritus oriundus sit. Dicendo autem *à me*, etiam à Patre significo: mea enim paterna sunt. Illud igitur, *De meo accipiet*, eodem rursus modo intelliges, non velut cognitio aliqua Spiritui accedat, idque ipso quod agitur tempore. Graue enim sit vel suspicari, Spiritum tum disciplinam accipere, cùm eam in homines allaturus sit. Quio & graue sit, aliquem omninò illi præceptorem constitui. Non enim homines inhabitare, omnémque eis sapientiam infundere credatur, nisi naturâ suâ sapientia sit, sed ipse debeat doceri. Pro eo itaque quòd diceret, totum à se Spiritum promanare, ait, *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sunt enim exiliores voces, vt clariùs pro humanæ facultate mentis intelligantur; maior verò Spiritus gloria atque maiestas, pro necessitudine ipsâ deitatis. Porrò etiam Deus audire dicitur hominis verba, cùm planè liqueat, nihil in tempore, quo cognitione augeatur, illi accedere: sed & ante verba nostra vniuersum hoc à principio mente condidisse, futurosque adeò rerum abs se conditarum motus pernoscere. Et tamen dictum est, *Exaudi Domine*; itemque, *Audiuit Dominus.* Deo scilicet congruâ ratione; nec inde in mentem venit, vt eiusmodi aliquid temporaneum accipiam, aut tanquam mutatio aliqua Deum afficiat, eique humanis ex precibus cognitio accedat. Verùm, vt dixi, modi similes loquendi humani sunt, qui tamen eâ quæ Deo congruat ratione piis intelligantur; nec quòd sic homines loquentes audiamus, diuinæ maiestati omni labe superiori, ac immutabili, nostros sensus aspergemus. Sic sanè nec quòd Spiritus audiat, scientiæ vllam accessionem, aut mutationem in eius substantiam omni item labe superiorem, ac immutabilem, inducemus.

Psal. 16. v. 1. Psal. 29. v. 11.

Ammonii. Docebit Spiritus homines Filij deitatem & maiestatem, ac cum Patre æqualitatem: pro eo ac dicat, eadem ac ego, mihique consona loquetur. Nec enim Spiritus aliquo indiget. Cùm enim per se existat, tanquam eiusdem ac Pater Filiúsque substantiæ, cuncta nouit, ac potest ex se facere.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euangel.

HOMILIA.

Hom. 77. in Ioan. 16. v. 5. Tristitia vtilis, de nostris aut proximi peccatis.

Hæc autem ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram, &c. Magna tristitiæ vis, & multâ nobis opus est fortitudine, vt ei affectui generosè resistamus, & vtilitatẽ inde, superfluis abiectis consequamur. Habet enim etiã eius aliquid. Cùm enim vel nos, vel proximi peccant, tunc tristandum est: cùm autem in humanos casus incidimus, inutilis tunc tristitia. Quæ cùm etiam discipulos, qui nondum perfecti essent, oppugnaret, cõsidera quomodò eos perterrendo arguit Christus. Cùm enim multi de hoc priùs interrogassent (nam & Petrus dixit: *Quò vadis?* Thomas: *Nescimus quò vadis, & quomodò poterimus viam scire?* Et Philippus: *Ostende nobis Patrem*) nunc

Ioan. 13. v. 36. Ioan. 14. v. 5. & 8.

audientes: *Extra synagogam vos facient, & odio habebunt vos*: &: *Qui interficit vos, arbitrabitur obsequium se præstare Deo*: ita animo defecerunt, vt ne loqui quidem possent: quod exprobiãs eis Iesus, inquit, *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Cuius nimietas grauis est; grauis, inquam, & ad mortem viam parat: ideo Paulus dicebat, *Nequando abundantiori tristitiâ absorbeatur talis.*

Supr. v. 2. Nimia tristitia viam ad mortem parat. 2. Cor. 2. v. 7.

Hæc ab initio vobis non dixi, inquit. Quare ab initio non dixit? Ne quis diceret, ab iis quæ sæpenumero contigissent, coniectantem dixisse. Et quid rem tam difficilem aggrederis? Sciebam, inquit, ab initio, & non quòd ignorarem tacui, sed quia vobiscum eram. Et hoc hominis iterum more: quasi dicat. Quia in tuto eratis, & licitum erat interrogare cùm volebatis, & in me totum bellum vertebatur, & superfluum erat hæc à principio dicere. Hoc ergo tunc non dixit. Ergone istud non dixit? Nonne duodecim aduocans, ait: *Ad principes & reges ducemini, & flagellabunt vos in synagogis?* Quomodò ergo inquit, ab initio non dixisse? Quoniam verbera & expulsiones prædixerat, non tamen quòd mors eorum adeò videretur expetenda, vt Dei obsequium ac eius supremus cultus existimaretur: hoc enim præ omnibus eos perterrere poterat, siquidem tanquam impij, & perditi homines erant iudicandi. Præterea illud dicendum est, quòd tunc quidem quæ à Gentibus passuri erant, dixit; nunc verò quæ à Iudæis, & per excessum maximè, addidit, & quòd prope essent admonuit.

Matth. 10. v. 17. Non nisi sub passionis tempus prædictũ discipulis, fore iudicandos tãquã impios.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Non parua hæc consolatio, cùm ipsi intelligerent, quòd sciret quanta tristitiâ afficerentur. Nam præ angustiâ multâ tum ob illius discessum, tum ob mala ipsis euentura (nesciebant enim an satis constanter illa ferre possent) attoniti erant. Quare autem postea non dixit, cùm acceperunt Spiritum sanctum. Vt iam præclarè admodum virtute instructos discas. Nam si nondum accepto Spiritu tanto metu superati non resilierunt, considera quales futuri essent gratiâ repleti? Quòd si tunc audientes cõstanter perseuerassent, totum Spiritui adscriptum esset: nunc verò ipsorum voluntatis existit integer fructus, & manifestum eorum in Christum amoris augmentum, nudam adhuc gratiâ animam perstitisse.

V. 6. Sanè intellige de Spiritu sancto plenius se exerente, ac velut totum agente: nã alioqui sine ipso ac eius dono nihil eiusmodi poterant discipuli præstare.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vt ego vadam. Ecce quomodò iterum eos consolatur. Non ego ad gratiam loquor, inquit, sed licet maiorem in modum contristemini, quod expedit audiendum est. Vos vt adessem velletis, vsus aliud postulat. Diligentis autem est, vt notis minimè parcat cùm vtilitatem cognoscit, neque ab eâ abducat. *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Quid hic dicunt, qui de Spiritu non rectè sentiunt? Expedit Dominum abire, & venire seruum? Vides quanta sit Spiritus dignitas? *Si abiero, mittam eum ad vos.* Et quid hoc vtilitatis?

V. 7. Perstringit Macedonianos.

Cùm venerit, arguet mundum: hoc est, non impunè hæc facient, si ille venerit. Satis quidem erant, & iam facta vt os illis obstruerent: cùm autem per illum etiam hæc fient, & doctrina perfectior & signa maiora subsequentur, multò magis damnabuntur, cùm tanta viderint in nomine meo fieri: ex quo est resurrectionis probatio clarior. Siquidem nunc possunt dicere me fabri filium esse, cuius patrem & matrem cognoscant: at cùm me mortem soluere, malitiam

V. 8. Arguet mũdum de peccato.

expellere, vitia naturæ emendare, dæmones fu- A gare, immensam Spiritus plenitudinem mitti, & hæc omnia nominis mei inuocatione fieri intuebuntur, quid dicent? Testimonium perhibuit de me Pater, perhibebit & Spiritus: & quamuis à principio testificatus sit, tamen & nunc testificabitur. Illud autem verbum; *Arguet de peccato:* hoc est, omnem aufert excusationem, & sine veniâ peccasse demonstrabit.

De iustitiâ. *Et de iustitiâ, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me:* hoc est, quia irreprehensibiliter vixi, cuius signum est, quòd vado ad Patrem. Nam cùm frequenter Iudæi Christum accusa- B rent quòd à Deo non esset, & propterea peccatorem & legis transgressorem dicerent, & hanc inquit ille calumniam amouebit. Nam si opinio quòd à Deo non sim, me transgressorem ostendit, cùm Spiritus me illuc abeuntem, neque ad horam, sed permanentem ostenderit (hoc enim per eam particulam, *Iam non videbitis me*, significatur) quidnam dicent? Animaduerte his duobus omnem malam suspicionem auferri. Neque enim peccator miracula facere, neque esse apud Deum perpetuò potest, quare non possunt me amplius peccatorem, & à Deo non esse, dicere.

De iudicio. *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Iterum hoc in loco de iustitiâ C verba facit, quia aduersarium superauit. Neque enim peccatori possibile esset, quod nemo iustorum hominum valuit: quòd autem propter me iudicatus est, scient, qui eum in posterum pessundabunt, & resurrectionem meam manifestè videbunt, quòd est ille condemnatus: neque enim valuit me superare. Nam cùm dicant, quòd dæmoniũ habeo, quòd deceptor sum, omnia hæc falsa deprehendentur. Non enim illum vicissem, si peccato essem obnoxius: nunc & iudicatus est, & eiectus.

V. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Expedit ergo vt vadam. Si- D quidem tunc portabitis, cùm abiero. Et quid? Maiorne te Spiritus est, cùm nunc quidem non portemus, ille autem facturus sit vt portemus? Num maior illius, & perfectior efficacia est? Mi-
V. 13. nimè: mea etenim dicet, ideo inquit: *Non enim loquetur à semetipso. sed quæcunque audiet, loquetur, &c.* Cùm enim dixisset, fore vt ille doceret & suggereret omnia, & in tribulationibus eos consolaretur, quod ipse non fecit: ac expedire ipsum abire illumque venire, nec posse eos modò portare, tunc autem futurum vt possint, ac docturum eos omnem veritatem, ne his auditis maiorem illum arbitrarentur, & in vltimam E impietatem inciderent, propterea à se accepturum dicit: hoc est, Quæ ego dixi, & ipse dicet. Illa verò particula; *Nihil à seipso loquetur*; nihil contrarium, nihil aliud quàm se locuturum significat. Quemadmodum enim de se locutus inquit, *A*
Ioan. 14. v. 10. *me ipso non loquor:* id est, nihil præter Patris voluntatem, ita & de Spiritu; *De meo accipiet*: hoc est, quæ ego & scio & cognosco; vna enim mea & Spiritus scientia. *Et quæ ventura sunt, an-*
Innata homini curiositas noscẽdi futura. *nuntiabit vobis.* Hoc eorum animos excitauit. Ad nullam enim rem tam cupidum est humanum genus, quàm ad futura cognoscenda. Ideo frequenter interrogabant, quò iret, quæ esset via: quàm solicitudinem tullit, cùm annuntiaturum omnia Spiritum pollicetur, ne incauti errarent.

v. 14. *Ille me clarificabit.* Quomodò? In nomine meo

A Paschate.

operari dabit. Cùm enim adueniente Spiritu maiora signa essent ostensuri, ideo iterum æqualitatem indicat, inquiens: *Ille me clarificabit.* Spiritus vt clarificet Filium. Quam dicit omnem veritatem? etenim hoc ipsum testificatur, fore *vt ille doceat omnem veritatem.* V. 13. Ipse enim Iesus, & quia carnem indutus erat, & ne de seipso dicere videretur, & quia illi nondum manifestè resurrectionem norant, cùm imbecilliores essent, & propter Iudæos, ne tanquàm legis transgressorem punire viderentur, neque continuè magnum aliquid de se loquebatur, neque apertè à lege dissensit: vbi autem discipuli ab illis recessissent, iamque illi foris essẽt, ac multi credituri essent, & peccatorum veniam adepturi, & alii essẽt de ipso dicturi, iam meritò ipse de se magna loqui abstinuit. Quocirca non meæ inscitiæ, inquit, sed audientium imbecillitati adscribendum, quòd non loquar quæ loqui operæpretium erat. Ideo cùm dixisset; *Docebit vos omnem veritatem:* subdidit; *Non loquetur à semetipso.* Quòd enim Spiritus doctrinâ non indigeat, audi Paulum in hæc verba dicentem: *Quæ Dei sunt nemo nouit* 1. Cor. 2. v. 11. *nisi Spiritus Dei.* Et quemadmodũ spiritus hominis non ab alio discit, ita & Spiritus sanctus. *De meo accipiet*, hoc est, in nullo à me dissentiet.

Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. Cùm V. 15. ergo mea sint illa, & ille à Patre dicet, de meo dicet. Sed cur non venit Spiritus ante Christi discessum? Quia nondum maledicto sublato, neque soluto peccato, sed omnibus adhuc pœnæ obnoxiis, non venisset. Oportet, inquit, inimicitias prius dissolui, & reconciliari vos Deo, inde tunc donum illud accipere. Sed cur, inquit, *mittam eum?* hoc est, ad eius vos acceptionem præparabo. Quomodò enim qui vbique est mittitur? Præterea & personarum distinctione ostendit, cùm duas ponit: & cùm ita inseparabiliter se habeant, vt Spiritum complectantur & colant, suadet. Poterat enim & ipse hæc facere, sed propterea Spiritum miraculis clarere permisit, vt eius intelligerent dignitatem. Sicut enim Pater ea quæ sunt producere potuit, Filius autem ea facere dicitur, vt eius potentiam intelligamus: ita & hoc. Et ideo ipse carnem accepit, Spiritui operationem reseruans, sicque his silentium imponens, qui inenarrabilis benignitatis materiam in impietatis argumentum accipiunt. Cùm enim dicant, propterea Filium incarnatum, quoniam inferior erat Patre: dicemus ad illos: Quid de Spiritu dicetis? Non accepit carnem, neque propterea Filio maiorem asseretis. Ideo in baptismate Trinitas accipitur. Etenim Pater totum facere potest, & Filius, & Spiritus sanctus: sed cùm nemo de Patre, sed de Filio & Spiritu dubitaret, in initiatione accipitur, vt in communicatione societatis illorum arcanorum bonorum, & dignitatis communicationem intelligamus.

Non venit Spiritus sanctus ante Christi discessum, nõdum reconciliatis Deo hominibus.

Trinitas personarũ assumpta in baptismo, vt ex operationis communicatione intelligatur dignitatis communicatio.

Nam quòd Filius per seipsum possit, quæ in baptismate cum Patre potest, atque etiam Spiritus sanctus, manifestè illinc patet. Iudæis enim dicebat: *Vt sciatis, quia potestatem habet Filius ho-* Marc. 2. v. 10. *minis in terrâ dimittendi peccata.* Et iterum: *Vt filij lucis sitis:* Et; *Ego vitam æternam do eis.* Et Ioan. 12. v. 36. postmodum: *Vt vitam habeant, & abundan-* Ioan 10. v. 28 & 10. *tius habeant.* Videamus & Spiritum hoc idem facere. Vbinam? *Vnicuique autem manifesta-* 1. Cor. 12. v. 7. *tio Spiritus datur ad vtilitatem.* Qui ergo hæc exhibet, etiam magis peccata dimittit. Et ite- 2. Cor. 3. v. 6. rum: *Spiritus est qui viuificat.* Et, *Viuificabit per* Rom. 8. v. 11. *inhabitantem Spiritum suum in vobis:* Et, *Spiritus* Gal. 5. v. 18.

Rom. 8. v. 15.

vitæ per iustitiam. Et iterũ: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis.* Et tunc quicquid faciebant, cùm Spiritus aduenisset, mirabiliter peragebant. Et ad

1. Cor. 6. v. 11.

Corinthios scribens Paulus inquit: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Cùm ergo de Patre multa audissent, & Filium multum operatum viderent, nihil autem manifestè de Spiritu scirent, ipse miracula facit, & perfectam inducit cognitionem. Sed ne propterea maior existimaretur, ideo vt iam dixi, inquit: *Quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit.* Nam nisi hoc esset, quomodò

B non absurdum sit, si tunc esset auditurus, & propter discipulos? Neque enim tunc debebat secundum vos scire, nisi propter audituros. Et quid hoc dicto absurdius? Præterea quid erat auditurus; núnne hæc omnia dixerat per Prophetas? Siue enim de solutione legis docendus erat, dictum est: siue de Christo, & eius diuinitate, & de eius incarnatione, etiam dicta erant. Quid enim post hæc apertiùs dicturus erat? *Et quæ ventura sunt, annuntiabit?* Hîc maximè eius

Dei proprium futura prædicere.

dignitatem ostendit, cùm Deo maximè proprium sit futura prædicere. Quòd si ab aliis intelligeret, in nullo Prophetas excederet: sed hîc certam ad Deum cognationem ostendit, quòd nil aliud loqui possit. Quod autem dicit, *De meo*

C *accipiet*: siue de gratiâ quæ in meam carnem aduenit, siue de eadem quam ego habeo cognitione, non tanquam indigeat: neque quòd ab alio discat, sed quòd vna & eadem cognitio est. Et quare non aliter dixit? Quoniam nondum de Spiritu audierant. Quare vnum tantùm admititur, vt credatur & accipiatur ab eis, & non scan-

Matth. 23. v. 8.

dalizentur. Nam cùm dixisset: *Vnus est magister vester Christus:* ne putarent se Christum offensuros si illi crederent: vna est, inquit, & mea, & illius doctrina; quæ ego docturus eram, ipse dicet. Nolite aliam illius doctrinam arbitrari: etenim illa mea sunt, & meam gloriam augent.

D Vna est Patris, & Filij, & Spiritus sancti voluntas: ita & nos esse vult, inquiens: *Vt sint vnum, sicut ego & tu vnum sumus.* Nihil

Ioan. 17. v. 11. Morale. Concordiæ virtus.

enim concordiæ, & mutuæ voluntati æquiparandum. Vnus enim eâ multiplex est. Si enim concordes sint duo, vel decem, non amplius erit vnus, sed eorum vnusquisque fit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem. Et si inimicum habeant, qui vnum aggreditur, tan-

Plures vnũ facit.

quam decem aggrederetur, ita superatur. Non enim ab vno tantùm, sed à decem impetitur. Indiget vnus, sed non est in egestate: maiore enim ex parte, hoc est, nouem abundat: & pars quæ indiget, vtpura minor maiore exuperante obtegitur. Singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti; & totidem pedes. Non enim

E suis tantùm oculis videt, non suis pedibus sustentatur, non suis operatur manibus, sed & amicorum. Decem animis spirat: non enim ipse sibi tantùm curæ est, sed & illis: quòd si centum essent, idem contingeret, & virtus augeretur. Ecce dilectionis excellentia, quo pacto vnum insuperabilem & multiplicem reddat, & vnus in multis simul locis, & in Perside, & Romæ esse possit: & quòd natura non potest, dilectio potest: & pars eius hîc, pars illic est, vel potiùs totus vtrobique. Et si quis mille, vel duo millia

A amicorum haberet, considera in quantam ille potestatem ascenderet. Animaduerte quantum capiat augmentum dilectio: hoc enim mirum est, vt mille vnus efficiatur. Cur ergo tantas nobis vires, tantam securitatem non comparamus? Hoc diuitiis omnibus, hoc bonæ valetudini, hoc ipsi vitæ præstat, hoc æquanimitatis materia. Quousque vno & duobus dilectionem circunscribemus?

Amici necessitas. Eccl. 20. v. 17.

Considera è contrariò; Sit qui nullum amicum habeat: quod vltimæ est amentiæ (*Fatuus enim dicet, Non est mihi amicus*) huiusmodi vir quam vitam viuet? Quamuis enim ditissimus sit, quamuis omni copiâ & delitiis abundet,

B quamuis innumera bona possideat, omnibus caret. Sed non in amicis ita vsu venit, sed & pau-

Pauper amicos habens diuitibus ditior est, regibus tutior.

per diuitibus ditior est: & quæ ipse pro se dicere non audebit, amicus dicet: & quæ sibi præstare non poterit, alius & id, & longè maiora præstabit: hoc pacto & voluptatis & securitatis materiam inueniet. Neque enim fieri potest vt quid mali illi accidat, qui tot satellitibus custoditur: neque regij corporis custodes tam diligentes sunt suo muneri obeundo, vt amici amico. Illi namque necessitate & metu custodiunt, hi beneuolentiâ & dilectione, quæ metu longè potentior est: & ille custodes suos metuit, hic illis magis quàm sibiipsi fidit, & idcirco nullius timet insidias.

C Has ergo merces nobis comparemus: pauper, vt paupertatis eas solatium habeat: diues, vt diuitias tueatur: princeps, vt securè dominetur: subditus, vt benigniùs sibi principes conciliet. Hoc mansuetudinis fundamentum: nam & feræ

Asperiores feræ quæ non gregatim viuunt.

illæ asperiores sunt, & sæuiores, quæ non gregatim viuunt. Propterea ciuitates habitamus, fora habemus, vt inuicem conuersemur: quod Paulus iubet, inquiens: *Non derelinquentes congregationem nostram.* Nihil enim peius solitudine, & locis inaccessis.

Hebr. 10. v. 25.

Neque ipsi in solitudine Monachi sine amicis.

At inquies; Quid Monachi montium cacumina habitantes? Neque illi sine amicis sunt, sed multitudinis tumultus refugiunt: amicos autem,

D & certo amoris vinculo sibi deuinctos habent; & vt hoc assequantur, secedunt. Nam cùm rerum ac negotiorum contentio plurimas faciat lites: ideo è medio secedentes, quàm diligentissimè dilectionem colunt. Et quid, si quis solus sit, inquit? Ille nihilominus innumeros habet amicos. Equidem si fieri posset, velim vt etiam simul versari liceret; interim autem firma maneant amicitiæ iura. Neque enim locus amicos facit. Multos itaque habent laudatores, qui non laudarent, nisi amarent. Et ipsi rursum pro vniuerso mundo orant: quod maximæ dilectionis est argumentum. Ideo etiam in mysteriis inuicem osculamur,

Pacis osculum in mysterijs, & communes pro omnibus preces.

vt multi vnum efficiamur: & communes etiam pro non initiatis preces effundimus, & pro in-

E firmis, & terræ, & maris, & vniuersi orbis fructibus oramus. Vides dilectionis vim in orationibus, in mysteriis, in admonitionibus? hoc omnium bonorum causa est. Si hoc diligenter complectemur, & præsentia rectè disponemus, & regnum consequemur: gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hipponensis in superius Euang.

HOMIL. I.

Ex Tract. 94. in Ioan. 16. v. 5.

NVnc autem vado ad eum qui me misit: & *nemo*, inquit, *ex vobis interrogat me, Quò vadis?* Significat Dominus Iesus sic se iturum, vt nullus interrogaret, quod palam fieri visu corporis cernerent: nam superiùs interrogauerunt eum discipuli, quò esset iturus, & responderat eis se iturum, quò ipsi tunc venire non possent. Nunc verò ita se promittit iturum, vt nullus eorum quò vadit interroget. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis: & euntem in cœlum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt.

Ioan. 13. v. 36.
Iturus Christus, vt nemo quò iret esset interrogaturus.
Act. 1. v. 9.

B

V. 6. *Sed quia hæc locutus sum vobis*, inquit, *tristitia impleuit cor vestrum.* Videbat vtique quid illa sua verba in eorum cordibus agerent: spiritalem quippe nondum interiùs habentes consolationem, quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exteriùs in Christo videbant, amittere metuebant. Et quia se amissuros esse illum vera denuntiantem dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Nouerat autem ille quid eis potius expediret, quia visus interior ipse est vtique melior, quo eos consolaturus fuerat Spiritus sanctus: non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusurus. Denique adiungit.

Discipuli tristes de subtrahendâ Domini corporali præsentiâ.
Al. *illo verò denuntiante.*
Interior visus melior.

C

V. 7. *Sed ergo veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Tanquam diceret: Expedit vobis vt hæc forma serui auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis: sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis. *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Si alimenta tenera quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis: si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis. Nam quid est, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos?* Nunquid hic positus, eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim vbi ille erat, iste inde recesserat: & sic venerat à Patre, vt non maneret in Patre. Postremò quomodò eum etiam hic constitutus non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse: imò verò à quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? Quid est ergo, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*: nisi non potestis capere Spiritum, quandiu secundum carnem persistitis nosse Christum? Vnde ille, qui iam acceperat Spiritum, *Et si noueramus*, inquit, *secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Etiam ipsam quippe carnem Christi non secundum carnem nouit, qui Verbum carnem factum spiritualiter nouit. Hoc nimirum significare voluit Magister bonus dicendo, *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius illis affuit spiritaliter. Nam si ab eis sic abesset Christus, vt pro illo non cum illo in eis esset Spiritus sanctus, vbi est eius promissio dicentis, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad*

Christus non semper carnaliter diligendus.
Al. *si carnaliter esurietis*
D
Matth. 3. v. 16.
Non potest accipere Spiritum, qui adhuc secundum carnem cognoscit Christum.
2. Cor. 5. v. 16.
E
Matth. 28. v. 20.

A Paschate.

A *consummationem sæculi*: &, *Veniemus ad eum ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus*: cùm & Spiritum sanctum ita se promiserit esse missurum, vt cum eis esset in æternum? Ac per hoc cùm ex carnalibus vel animalibus essent spiritales futuri, profectò & Patrem & Filium & Spiritum sanctum capaciùs fuerant habituri. In nullo ergo credendus est esse Pater sine Filio & Spiritu sancto, aut Pater & Filius sine Spiritu sancto, aut Filius sine Patre & Spiritu sancto, aut sine Patre & Filio Spiritus sanctus, aut Pater & Spiritus sanctus sine Filio: sed vbi eorum quilibet vnus, ibi Trinitas Deus vnus. Oportebat autem ita insinuari Trinitatem, vt, quamuis nulla esset diuersitas substantiarum, sigillatim tamen commendaretur distinctio personarum: vbi eis qui rectè intelligunt, nunquam videri potest separatio naturarum. Quod autem sequitur.

Ioan. 14. v. 23.
Personæ vbiq. simul.

B

V. 8. *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio. De peccato quidem, &c.* Tanquam solum sit peccatum non credere in Christum, & tanquam ipsa sit iustitia non videre Christum, & tanquam ipsum sit iudicium, quòd princeps huius mundi, hoc est, diabolus, iudicatus est: valde latebrosum est, nec isto sermone coarctandum, ne fiat obscurius breuitate, sed alio potius, quantum Dominus adiuuerit, explicandum.

C

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

Tract. 95. in Ioan. 16. v. 8.

PRomittens Dominus missurum se Spiritum sanctum: *Cum venerit*, inquit, *ille arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio.* Quid est hoc? Nunquid nam Dominus Christus non arguit mundum de peccato, cùm ait, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo?* Sed ne quis fortè dicat hoc ad Iudæos propriè pertinere, non ad mundum, nónne alio loco inquit *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret?* Nunquid non arguit de iustitiâ, vbi ait, *Pater iuste, mundus te non cognouit?* Nunquid non arguit de iudicio, vbi se ait sinistris esse dicturum, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius?* Et multa alia reperiuntur in sancto Euangelio, vbi de his Christus arguit mundum. Quid est ergo quod tanquam propriè tribuit hoc Spiritui sancto? An fortè quia Christus in Iudæorum gente tantùm locutus est, mundum non videtur arguisse, vt ille intelligatur argui qui audit arguentem? Spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusis, non vnam gentem intelligitur arguisse, sed mundum: nam hic illis ait ascensurus in cœlum, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate, sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in totâ Iudæâ, & in Samariâ, & vsque ad fines terræ.* Hoc est arguere mundum. Sed quis audeat dicere quòd per discipulos Christi arguit mundum Spiritus sanctus, & non arguat ipse Christus, cùm clamet Apostolus, *An vultis experimentum accipere eius, qui in me loquitur Christus?* Quos itaque arguit Spiritus sanctus, arguit vtique & Christus. Sed quantum mihi videtur, quia per Spiritum sanctum diffundenda

Ioan. 15. v. 22.
D
Ioan. 15. v. 19.
Ioan. 17. v. 25.
Matth. 25. v. 41.
Vt peculiare Spiritui sancto arguere mundum.
E
Act. 1. v. 7.
2. Cor. 13. v. 3.
Rom. 5. v. 5.

1. Ioan. 4. v. 18. Arguit per discipulos infundendo in eorum cordibus charitatem, vi cuius illi arguant.

erat charitas in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, quo impediri possent, ne arguere mundum qui persecutionibus fremebat, auderent: propterea dixit, *ille arguet mundum*. Tanquam diceret: Ille diffundet in cordibus vestris charitatem: sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Sæpe autem diximus inseparabilia opera esse Trinitatis, sed sigillatim commendandas fuisse personas, vt non solùm sine separatione, verum etiam sine confusione & Vnitas intelligatur, & Trinitas.

v. 9. Infidelitas peccatum, vi quà remanente nullum peccatum remittitur.

Exponit deinde quid dixerit de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me*. Hoc enim peccatum quasi solum sit, præ cæteris posuit: quia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur.

v. 10. Etiã iustus arguitur de peccato.

De iustitiâ verò, inquit, *quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*. Hic primò videndum est, si rectè quisque arguitur de peccato, vtrum rectè arguatur & de iustitiâ. Nunquid enim si arguendus est peccator propterea quia peccator est: arguendum putabit quisquam & iustum propterea quia iustus est? Absit. Nam etsi aliquando iustus arguitur, ideo rectè arguitur, quia scriptum est, *Non est iustus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*. Quocirca etiam cùm iustus arguitur, de peccato arguitur, non de iustitiâ: Quoniam & in illo quod legimus diuinitùs dictum, *Noli effici iustus multùm*: non est notata iustitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo fit multum iustus, ipso nimio fit iniustus. Multum enim se facit iustum, qui dicit se non habere peccatum, aut qui se putat non gratiâ Dei, sed suâ voluntate sufficiente effici iustum: nec rectè viuendo iustus est, sed potiùs inflatus, potando se esse quod non est.

Eccl. 7. v. 21. 3. Reg. 8. v. 46.

Eccles. 7. v. 17.

Arguitur mundus de iustitiâ, id est, comparatione ad iustitiam & fidem credentium.

Quo pacto igitur mundus arguendus est de iustitiâ, nisi de iustitiâ credentium? Arguitur itaque da peccato, quia in Christum non credit, & arguitur de iustitiâ eorum qui credunt: ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Hoc & ipsa expositio satis indicat. Volens enim aperire quid dixerit, *De iustitiâ verò*, inquit, *quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*: Non ait, & iam non videbunt me: de quibus dixerat, quia non credunt in me. Sed peccatum qoid vocaret exponens de illis locutus est, dicens, *quia non credunt in me*. Exponens autem quam dixerit iustitiam, de quâ [dixit] mundus arguitur, ad ipsos quibus loquebatur, se conuertit atque ait, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*. Quapropter mundus de peccato quidem suo, de iustitiâ verò arguitur alienâ, sicut arguuntur de lumine tenebræ: *Omnia enim, quæ arguuntur, à lumine manifestantur*, ait Apostolus. Quantum enim malum sit eorum, qui non credunt, non solùm per seipsum, verumetiam ex bono potest eorum apparere, qui credunt. Et quoniam ista vox infidelium esse consueuit, Quomodò credimus quod non videmus? Ideo credentium iustitiam sic oportuit definiri, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: beati* enim *qui non vident, & credunt*. Nam & qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est, filium hominis: sed quia credebant quod non videbant, id est Filium Dei. Cùm verò & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectibus, tunc verò ex omni parte impletum est, *Iustus ex fide viuit: Est enim fides*,

Eph. 5. v. 13.

Ioan. 20. V. 29.

Fides de nõ visis etiam in illis qui viderunt. Abac. 2.

A sicut in Epistolâ quæ ad Hebræos est definitur, *sperandarum substantia, & conuictio rerum, quæ non videntur*.

v. 4. Rom. 1. v. 17. Hebr. 11. v. 1. * Al. *sperandarum*.

Sed quid est, *iam non videbitis me*? Non enim ait, ad Patrem vado, & non videbitis me, vt temporis interuallum quo non videbitur significasse intelligeretur, siue breue, siue longum, tamen vtique terminatum: sed dicendo, *iam non videbitis me*, velut nũquam de cætero visurus eos Christum veritas prænuntiauit? Hæccine iustitia est, nunquam Christum videre, & in eum tamen credere: cùm propterea laudetur fides ex quâ iustus viuit, quoniam credit quem modò nõ videt Christum, se aliquando esse visurum? Postremò secundum hanc iustitiam, nunquid dicturi sumus Paulum Apostolum non fuisse iustum, confitentem se Christum vidisse post ascensionem eius in cœlũ, de quo vtique iam tempore dixerat, *iam non videbitis me*? Nunquid secundum hanc iustitiam iustus nõ erat gloriosissimus Stephanus, qui cùm lapidaretur, ait: *Ecce video cælum apertum, & Filium hominis stantem ad dexteram Dei*? Quid ergo est: *Ad Patrem vado, & iam non videbitis me*: nisi quomodò sum, cùm vobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat atque sitire, fatigari atque dormire. Hunc ergo Christum, id est, talem Christum, cùm transisset de hoc mundo ad Patrem, non erant iam visuri: & ipsa est iustitia fidei, de quâ dicit Apostolus: *Etsi noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus*. Erit itaque, inquit vestra iustitia quâ mundus arguetur, *quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me*: quoniam in eum quem non videbitis, credetis in me. Et quando me videbitis quod tunc ero, non videbitis me, quod sum vobiscum modò. Non videbitis me humilem, sed excelsum: non videbitis mortalem, sed sempiternum: non videbitis iudicandum, sed iudicaturum: & de hac fide vestrâ, id est, iustitiâ vestrâ, arguet Spiritus sanctus incredulum mundum.

Vnon videri discipulis Christum; carne scilicet ad huc mortali.

B

Paulus vidit Christum post ascensionem. 1. Cor. 15. v. 8. Actor. 7. v. 55. Vidit & Stephanus.

C

Iustitia fidei, vt iam nõ cognoscatur Christus secundum carnẽ. 2. Cor. 5. V. 16.

Al. *iudicaturum*.

D *Arguet etiam de iudicio, quia princeps huius mundi iudicatus est*. Quis est iste, nisi de quo ait alio loco, *Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inueniet*: id est, nihil iuris sui, nihil quod ad eum pertineat, nullum scilicet omninò peccatum? Per hoc enim est diabolus princeps mundi. Non enim cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt, est diabolus Princeps, quâ significatione intelligitur mundus, vbi dictum est, *Et mundus per eum factus est*: sed mundi est diabolus princeps, de quo mundo ibi continuò subiungit atque ait, *Et mundus eum non cognouit*, hoc est, homines infideles, quibus toto orbe terrarum mundus est plenus: inter quos gemit fidelis mundus, quem de mundo elegit, per quem factus

v. 11. Ioan. 14. v. 30. Diabolus mũdi princeps, id est, malorum in mundo. Ioan. 1. v. 10.

Mundus fidelis & infidelis.

E est mundus, de quo ipse dicit, *Non venit Filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Mundus eo iudicante damnatur, mundus eo subueniente saluatur: quoniam sicut arbor foliis & pomis, sicut area paleis & frumentis, ita infidelibus & fidelibus plenus est mundus. Princeps est ergo mundi huius, hoc est, princeps tenebrarum harum, hoc est, infidelium: de quibus eruitur mundus quibus dicitur, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Princeps mundi huius de quo alibi dicit, *Nunc princeps mundi huius missus est foras*: vtique iudicatus est: quoniam iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est. Et de hoc itaque

Ioan. 3. V. 17.

Simile.

Eph. 6. v. 12.

Eph. 5. v. 8.

Ioan. 12. V. 31.

Arguendus mundus de iudicio, quo est iudicatus diabolus; quē vtique is imitatur.
2. Petr. 2. v. 4.

iudicio quo princeps iudicatus est mundi, arguitur à Spiritu sancto mundus, quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbum atque impium imitatur. *Si enim Deus*, sicut dicit Apostolus Petrus, *peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos seruari*, quomodò non à Spiritu sancto de hoc iudicio mundus arguitur, quando in Spiritu sancto hæc loquitur Apostolus? Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitiâ eorum, quos iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cum mundi principe damnentur, quem iudicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. III.

Tract. 96. in Ioan. 16. v. 12.

IN isto sancti Euangelij capitulo, vbi Dominus ait discipulis suis, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: priùs quærendum illud occurrit, quomodò superiùs dixerit, *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*: & hîc dicat, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*. Verùm illud quomodo dixerit, quod nondum fecerat tanquam fecerit, sicut ea quæ futura sunt Deum fecisse Propheta testatur dicens, Qui fecit quæ futura sunt: iam cùm ipsa verba tractaremus, vt potuimus, exposuimus. Nunc ergo quæ ista sint quæ Apostoli tunc portare non poterant, vultis fortasse scire. Sed quis nostrum audeat eorum se dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec à me expectanda sunt vt dicantur, quæ fortè non caperem, si mihi ab alio dicerentur: nec vos ea portare possetis, etiam si ego tantus essem, vt à me ista quæ vobis alnota sunt auditetis. Et fieri quidem potest, vt sint in vobis aliqui ad ea capienda iam idonei, quæ alij capere nondum valent: & si non omnia de quibus magister ille Deus dicebat, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, tamen eorum fortasse nonnulla: Sed quænam sint ista quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere & dicere: nam & mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli quibus dicebat, *Non potestis me sequi modò*. Vnde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumpserat, aliud expertus est quàm putabat: & tamen postea & viri & mulieres, pueri & puellæ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus innumerabiles martyrio coronati sunt, & posse inuentæ sunt oues, quod tunc quando ista Dominus loquebatur, nondum poterant portare pastores. Nunquid ergo debuit illis ouibus dici in illo tentationis articulo, quo certare vsque ad mortem pro veritate oportebat, & pro Christi nomine vel doctrinâ sanguinem fundere: nunquid, inquam, debuit eis dici, Quis vestrum audeat idoneum martyrio se putare, cui Petrus idoneus nondum fuerat, quando eum os ad os ipse Dominus instruebat? Sic itaque dixerit aliquis, non debere dici populis Christianis audire cupientibus, quæ sint de quibus Dominus tunc dicebat; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: Si Apostoli nondum pote-

Ioan. 15. v. 15.

Quæ futura sunt Deus iam fecisse dicitur.

Difficile explicatu, quænam illa adhuc discipuli non poterant portare.

Ioan. 14. v. 36.

A Paschate.

A rant, multò minus vos potestis: quia fortè sic multi possunt audire, quod tunc nondum poterat Petrus, sicut multi possunt martyrio coronari, quod tunc nondum poterat Petrus: præsertim iam misso Spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus, de quo continuò subiungit atque ait, *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Sic vtique demonstrans illos v. 13.
ideo quæ habebat dicere portare non posse, quia nondum ad eos venerat Spiritus sanctus.

Ecce concedamus vt ita sit multos ea modò portare posse iam misso Spiritu sancto, quæ tunc eo nondum misso non poterant portare discipuli.
B Nunquid ideo scimus quæ sint quæ dicere noluit, quæ tunc sciremus si ab eo dicta legeremus vel audissemus? Aliud est enim scire, vtrum à nobis vel à vobis portari possint: aliud autem scire quæ sint, siue portari possint, siue non possint. Quæ cùm ipse tacuerit, quis nostrum dicat, ista vel illa sunt? Aut si dicere audeat, vnde probat? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cùm dixerit etiam vera quibus voluerit, quæ voluerit, sine vllo testimonio diuino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciat, & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica nec Apostolica excellit auctoritas? Nam profectò si eorum aliquid legissemus in libris canonicâ aucto-
C ritate firmatis, qui post ascensionem Domini scripti sunt, parum fuerat hoc legisse: nisi illic id etiam legeretur hoc ex eis esse, quæ tunc Dominus noluit discipulis suis dicere, quia non poterant illa portare. Tanquam si verbi gratiâ, ego dicerem, illud quod legimus in huius Euangelij capite, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum*, & alia quæ sequuntur quoniam postea scripta sunt, nec ea Dominum Iesum dixisse narratum est cùm hîc esset in carne, sed hæc vnus ex Apostolis eius ipso ac Spiritu eius sibi reuelante conscripsit: ex his esse quæ noluit tunc Dominus dicere, quia ea discipuli
D portare non poterant, quis me audiat tam temerè ista dicentem? Si autem vbi hoc legimus, ibi hoc etiam legeremus, quis non tanto Apostolo crederet?

Ioan. 1. v. 1.

Sed id quoque mihi videtur absurdissimè dici, ea tunc non potuisse portare discipulos, quæ de inuisibilibus & altissimis rebus inuenimus in Apostolicis literis, quæ postmodum scriptæ sunt: nec ea Dominum quando cum illis visibiliter erat, dixisse narratur. Cur enim ea tunc ferre non poterant, quæ nunc in eorum libris quis non legat, quis non ferat, etiam si non intelligat? Nonnulla quidem homines infideles in Scri-
E pturis sanctis & non intelligunt cùm legunt vel audiunt, & lecta vel audita ferre non possunt: sicut Pagani, quòd per eum qui crucifixus est, factus est mundus: sicut Iudæi, quòd Filius Dei sit, qui eo modo quo ipsi celebrant sabbatū soluit: sicut Sabelliani, quia Trinitas est Pater & Filius & Spiritus sanctus: sicut Arriani, quia æqualis est Patri Filius, & Patri ac Filio Spiritus sanctus: sicut Photiniani, quia non homo tantùm similis nobis, sed etiam Deus Deo Patri ęqualis est Christus: sicut Manichæi, quòd Christus Iesus per quem liberati sumus, nasci in carne & de carne dignatus est: & cæteri omnes peruersarum, ac diuersarum sectarum homines, vtique ferre non possunt, in Scripturis sanctis & in fide catholicâ

Potest fidelis quisque portare quicquid in Scripturis sacris est.

Non possūt infideles, quæ eorum aduersa sūt erroribus; vt nec illi, horum errores.

A reperitur, quod contra eorum proferatur errores: sicut nos ferre nos possumus sacrilegas eorum vanitates & insanias mendaces. Quid est enim ferre non posse, nisi æquo animo non habere? Sed omnia, quæ post ascensionem Domini canonicâ veritate atque auctoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam catechumenus, antequam Spiritum sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit, etiamsi nondum sicut oportet intelligit? Quomodò ergo aliquid eorum quæ post ascensionem Domini scripta sunt, non possent ferre discipuli, etiam nondum sibi misso Spiritu sancto, cùm omnia nunc ferunt cathecumeni nondum accepto Spiritu sancto: Quia etsi non eis fidelium sacramenta produntur, non ideo fit quòd ea ferre non possunt: B sed vt ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò eis honorabiliùs occultantur.

Fetre non posse, est æquo animo non habere.

Non produntur Catechumenis Sacramenta fidelium, vt ab illis ardentiùs cõcupiscãtur.

Quapropter charissimi, non à nobis expectetis audire, quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare: sed potiùs in charitate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis: vt spiritu feruentes & spiritalia diligentes, spiritalem lucem spiritalémque vocem, quam carnales & animales homines ferre nõ possunt, nõ aliquo signo corporalibus oculis apparẽte, nec aliquo sono corporalibus auribus isstrepẽte, sed interiore cõspectu & auditu nosse possitis. C Non enim diligitur quod penitùs ignoratur. Sed cùm diligitur quod ex quantulacunque parte cognoscitur, ipsâ efficitur dilectione, vt meliùs & pleniùs cognoscatur. Si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus sanctus, *docebit vos omnem veritatem*: vel, sicut alij codices habent, *deducet vos in omni veritate*. Vnde dictum est, *Deduc me Domine in viâ tuâ, & ambulabo in veritate tuâ.* Sic fiet vt non à doctoribus exterioribus illa discatis, quæ noluit Dominus tunc dicere, sed *fitis omnes docibiles Deo*: vt ea ipsa quæ per lectiones atque sermones extrinsecus adhibitos didicistis & credidistis de naturâ Dei non corporeâ, nec loco aliquo inclusâ, nec per finita spatia locorum quasi mole distentâ, sed vbique totâ & perfectâ & infinitâ, sine nitoribus colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis literarum, sine serie syllabarum, ipsâ mente conspicere [ac percipere] valeatis. Ecce dixi aliquid quod fortè inde sit, & tamen accepistis: & non solùm ferre potuistis, verumetiam libenter audistis. Sed si ille Magister interior, qui cùm adhuc discipulis exterius loqueretur, ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, vellet nobis id quod de incorporeâ Dei naturâ dixi, intrinsecus ita dicere, E sicut sanctis Angelis dicit, qui *semper vident faciem Patris*: nondum ea portare possemus: Proinde quod ait, *Docebit vos omnem veritatem*; vel, *deducet vos in omni veritate*: non arbitror in hac vitâ in cuiusquam mente posse compleri. Quis enim viuens in hoc corpore *quod corrumpitur & aggrauat animam*, possit omnem cognoscere veritatem, cùm dicat Apostolus, *Ex parte scimus*. Sed quia per Spiritum sanctum fit, vnde nunc pignus accepimus, vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de quâ idem dicit Apostolus, *Tunc autem facie ad faciem*: &, *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*: non quod in hac tantum vitâ, sed totum quod vsque ad illam perfectionem fu-

Rom. 5. v. 5.

Ex dilectione pleniùs res cognoscitur.

Psal. 85. v. 11.

Isai. 54. v. 13. Ioan. 6. v. 45.

Al. infinitâ.

Matth. 18. v. 10.

Christi promissio, vt doceat Spiritus omnem veritatem, in alterâ vitâ complendo.

Sap. 9. v. 15.

1. Cor. 13. v. 12.

2. Cor. 1. v. 22.

1. Cor. 13. v. 12.

turum est, nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus dicens, *Docebit vos omnem veritatem*: vel, *deducet vos in omni veritate*.

Al. Numquid in hac vitâ se totâ scire dicit, quod vsque ad illã perfectionem futurũ nobis Dominus promisit?

Quæ cùm ita sint dilectissimi, moneo vos in charitate Christi, vt seductores caueatis impuros, & obscœnæ turpitudinis sectas, de quibus ait Apostolus, *Quæ autem occultè fiunt ab istis, turpe est & dicere*: ne cùm horrendas immunditias docere cœperint, quas humanæ aures qualescunque sint, portare non possunt, dicant ipsa esse quæ Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: & per Spiritum sanctum asserant fieri, vt possint illa immunda & nefanda portari. Alia sunt mala, quæ portare non potest qualiscunque pudor humanus: & alia sunt bona, quæ portare non potest paruus sensus humanus. Ista fiunt in corporibus impudicis, illa remota sunt à corporibus vniuersis. Hoc impurâ carne committitur, illud purâ mente vix cernitur. *Renouamini ergo spiritu mentis vestræ, & intelligite quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum est: vt in charitate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo, & profundum: cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Isto enim modo vos docebit Spiritus sanctus omnem veritatem, cùm magis magísque diffundet in cordibus vestris charitatem.

Eph. 5. v. 12.

Impuræ sectæ sua turpia in Spiritum sanctum conãtur referre, vt qui det illa portare.

Eph. 4. v. 23.

Rom. 12. v. 2.

Eph. 3. v. 17.

EIVSDEM IN EODEM

HOMIL. IV.

Spiritus sanctus quem promisit Dominus se discipulis suis esse missurum, qui eos doceret omnem veritatem, quam tunc quando cum eis loquebatur portare non poterant: de quo Spiritu sancto, sicut dicit Apostolus, *nunc pignus accepimus*: quo verbo intelligeremus eius plenitudinem nobis in vitâ aliâ reseruari. Ipse ergo Spi- D ritus sanctus & nunc docet fideles, quanta quisque potest capere spiritalia, & eorum pectora desiderio maiore succendit, si quisque in eâ charitate proficiat, quâ & diligat cognita, & cognoscenda desideret: ita vt ea quoque ipsa quæ nunc quomodocunque cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt in eâ vitâ, quam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Quo sciendi modo, si nunc ea vellet interior Magister dicere, id est, nostræ menti aperire atque monstrare, humana infirmitas portare non posset. Vnde me vestra dilectio meminit iam locutum, cùm sancti Euangelij verba tra- E ctaremus, vbi Dominus ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*. Non vt in his Domini verbis nescio quæ secreta nimis abdita suspicemur, quæ cùm dici à docente possint, portari à discente non possint: sed ea ipsa quæ in doctrinâ religionis in quorumlibet hominum notitiâ legimus & scribimus, audimus & dicimus, si vellet eo modo nobis Christus dicere, sicut ea dicit Angelis sanctis in seipso vnigenito Patris Verbo, Patrique coæterno: quinam portare homines possent, etiam si iam essent spiritales, quales adhuc Apostoli non fuerunt, quando ista eis Dominus dixit, qualésque postea veniente sancto Spiritu facti sunt? Nam vtique quicquid de creaturâ sciri potest, minus est ipso

Tract. 97. in Ioan. 16.

2. Cor. 1. v. 22.

Datus nunc pignus Spiritus, reseruatâ plenitudine in aliam vitã.

Isai. 64. v. 4

1. Cor. 2. v. 9.

Humana infirmitas in hac vitâ non potest portare vt videat, sicut visuri sumus in cœlo.

V. 12.

A creatore, qui summus & verus & immutabilis est Deus. Et quis eum tacet? Vbi non à legentibus, disputantibus, quærentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, quoquo modo sermocinantibus, postremò ab ipsis etiam blasphemantibus nominatur? Et cùm eum nemo taceat; quis est qui eum sicut intelligendus est capiat, cùm de oribus & auribus hominum non recedat? Quis est cuius acies ad eum mentis accedat? Quis est qui eum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset? Et quis hominum iam istam sileat Trinitatem? Et tamen quis hominum sicut Angeli sapiat Trinitatem?

Deum quē omnia loquuntur, nemo sicut est intelligis, nec vt Angeli in cœlo.

Ea ipsa ergo quæ de Dei æternitate, veritate, sanctitate in promptu & palam sine cessatione dicuntur, ab alijs bene, ab alijs malè intelliguntur: B imò ab alijs intelliguntur, ab alijs non intelliguntur. Qui enim malè intelligit, non intelligit. Ab eis ipsis autem à quibus benè intelliguntur, ab alijs minùs, ab alijs ampliùs mentis viuacitate cernuntur, & à nullo hominum sicut ab Angelis capiuntur. In ipsâ ergo mente, hoc est, in interiore homine quodammodo crescitur, non solùm vt ad cibum à lacte transeatur, verumetiam vt ampliùs cibus ipse sumatur. Non autem crescitur spatiosâ mole, sed intelligentiâ luminosâ, quia & ipse cibus intelligibilis lux est. Vt ergo crescatis, eúmque capiatis, & quantò magis crescitis, tantò magis magisque capiatis: non ab eo doctore, qui vestris auribus sonat, hoc est, forinsecus operando plantat & rigat, sed ab eo qui dat C incrementum, petere ac sperare debetis.

Cibus intelligibilis lux est.
1. Cor. 3. v. 6.

Proinde sicut præterito sermone commonui, cauete, maximè qui paruuli estis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis ac deceptoribus, quia Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, autem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cùm mentes inualidas habeatis ad vera & falsa diiudicanda: maximè propter obscœnissimas turpitudines, quas docuit satanas animas instabiles atque carnales, ad hoc Deo sinente vt eius vbique sint tremẽda iudicia, D & in comparatione impuræ nequitiæ dulcescat purissima disciplina: atque vt illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in illa mala vel illo regente non cecidit, vel illo inde leuante surrexit. Cauete timendo & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, vbi mulier insipiens & audax, inops panis effecta, conuocat prætereuntes, dicens: *Panes occultos libenter attingite, & aqua furtiua dulcedinem.* Hæc enim mulier vanitas est impiorum, cùm sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium, sicut de istâ muliere dictum est, inops panis efficitur. E Quæ cùm sit inops panis, promittit panes: id est, cùm sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, & aquæ furtiuæ dulcedinem: vt ea scilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agantur, quæ palam in Ecclesiâ dici credique prohibentur. Ipsâ quippe occultatione condiunt quodammodò nefarij doctores sua venena curiosis: vt ideo se existiment aliquid discere magnum, quia merentur habere secretum, & suauius hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cuius prohibitam quodammodò furantur audientiam. Hinc & nefarios ritus suis hominibus sacrilegâ curiositate deceptis vel decipiendis; magicarum artium doctrina commendat. Hinc il-

Cauet iterū simplicibus ab hæreticorum impuris mysterijs.

Salomonis ænigma, mulieris insipientis &c.
Pro. 9. v. 17.

Al. effecta.

Hæretici, & nefarij doctores occultatione condiunt sua venena.

A læ illicitæ diuinationes, inspectis pecudum visceribus occisorum, aut vocibus & volatibus auium, aut signis multiformibus dæmoniorum insusurrant auribus hominum perituorum * per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda secreta, mulier illa non solùm insipiens, verum audax etiam nuncupatur. Sed hæc non solùm à re ipsâ, verùm & à nomine nostræ religionis aliena sunt.

Al. occisarum.
* Al. imperitorum.

Quid quod mulier hæc insipiens & audax sub Christiano vocabulo tot scelestas hæreses condidit, tot nefandas fabulas finxit? Vtinam tales quales in theatris siue cantantur, siue saltantur, siue mimicâ scurrilitate ridentur: & non quasdam tales, quales aduersus Deum fingere potuisse, sic B illam doleamus insipientiam, vt miremur audaciam. Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palàm docere atque prædicare, quantalibet feratur audaciâ, spiritus erubescit immundus. Hos Apostolus in Spiritu sancto præuidens, ait: *Erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed secundum desideria sua magistros sibi coacernabunt prurientes auribus. Et à veri-* C *tate quidem auditum suum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Illa enim secreti furtíque commemoratio quâ dicitur, *Panes occultos libenter attingite, & aqua furtiua dulcedinem*: pruritum facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia præuidentem, & ea vitanda salubriter admonentem. *Prophanas*, inquit, *verborum nouitates deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit.* Et non ait verborum nouita- D tes: sed addit, *prophanas*: sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen Christianorum quandu dici cœperit, scriptum est. In Antiochiâ enim primùm post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum: & xenodochia & monasteria postea sunt appellata nouis nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quâ etiam contra improbos defenduntur. Aduersus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum nouum nomen Patres Homousion condiderunt: sed non rem nouam tali E nomine signauerunt: hoc enim vocatur Homousion, quod est, *Ego & Pater vnum sumus*, vnius videlicet eiusdémque substantiæ. Nam si omnis nouitas prophana esset, nec à Domino diceretur, *Mandatum nouum do vobis*: nec testamentum appellaretur nouum, nec cantaretur in vniuersa terrâ canticum nouum. Sed prophanæ sunt verborum nouitates, vbi dicit mulier insipiens & audax, *Panes occultos libenter attingite, & aqua furtiua dulcedinem.* Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus, vbi dicit, *O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Nihil enim

Audaces hæretici confingendis eorum mōstris, vt in Spiritum sanctum referant, quo doctore possint portari.

2. Tim. 4. v. 3.

1. Tim. 2. v. 16.

Non omnes verborum nouitates reprehendæ, sed solum prophanæ.
Act. 11. v. 26.
Voces nouæ in Ecclesiâ laudabiliter receptæ.

Ioan. 10. v. 30.

Ioan 13. v. 34.

Pro. 9. v. 17.

1. Tim. 6. v. 20.

sic amant isti quàm scientiam promittere, & fidem rerum verarum quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.

Dicit aliquis, Nihilne spiritales viri habent in doctrinâ, quod carnalibus taceant, & spiritalibus eloquantur? Si respondero, Non habent, continuò mihi dicetur ex Epistolâ ad Corinthios Apostoli Pauli, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis: adhuc enim estis carnales.* Et illud, *Sapientiam loquimur inter perfectos:* & illud, *Spiritalibus spiritalia comparantes: Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi.* Hoc totum quale sit, ne rursus propter hæc verba Apostoli prophanis vocum nouitatibus secreta quærantur, & ea quæ debet castorum spiritus corpusque vitare, dicatur carnalis sustinere non posse, sermone alio si Dominus donauerit, disputandum est, vt iam istum aliquando claudamus.

1. Cor. 3. v. 1.
1. Cor. 2. v. 6.
Ibid. v. 13.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. V.

Ex verbis Domini nostri vbi dicit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò,* exortam difficilem quæstionem me recolo distulisse, vt inde opportuniùs tractaretur, quia illum modus competens compellebat finire sermonem. Nunc ergo quoniam tempus est promissa reddendi, pertractetur vt Dominus ipse donauerit, qui cordi nostro vt proponeretur ingessit. Hæc est autem quæstio, vtrum spiritales homines habeant aliquid in doctrinâ, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicant. Quia si dixerimus, non habent: respondebitur nobis, Quid est ergo quod dicebat Apostolus scribens ad Corinthios, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales?* Si autem dixerimus, habent: timendum & cauendum est, ne sub hac occasione in occultis nefaria doceantur, & spiritalium nomine velut ea quæ carnales capere non possunt, non solùm excusatione dealbanda, verumetiam prædicatione laudanda videantur.

Tract. 98. in Ioan. 16. v. 12.

Num quædam sint in doctrinâ tacenda carnalibus, & spiritalibus aperienda.

1. Cor. 3. v. 1.

Primùm ergo scire debet charitas vestra, quòd ipse Christus crucifixus, quo velut lacte paruulos aluisse se dicit Apostolus: ipsa vera caro eius, in quâ facta est vera mors eius, & vulnera vera confixi, sanguinisque excussi, non eo modo à carnalibus, quo ab spiritalibus cogitatur: & illis est lac, istis cibus est, quia & si non audiunt ampliùs, intelligunt ampliùs. Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtrisque recipitur. Ita fit vt prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, & Iudæis esset scandalum, & Gentibus stultitia, & ipsis vocatis Iudæis & Græcis Dei virtus & Dei sapientia: sed carnalibus paruulis id tantùm credendo tenentibus, spiritalibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus, istis tanquam solidus cibus, non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerunt: sed quod eodem modo vtrique cùm palàm diceretur audiebant, pro suo modo quique capiebant. Cùm enim Christus propterea sit crucifixus, vt in remissionem peccatorum sanguinem funderet, quâ eius Vnigeniti passione diuina gratia commendatur, vt nemo in homine glorietur: quomodò intelligebant Christum crucifixum qui adhuc dicebant, *Ego sum Pauli?* Nunquid quomodò ipse Paulus qui dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi?* De ipso itaque Christo crucifixo, & ipse cibum pro suâ capacitate sumebat, & illos lacte pro eorum infirmitate nutriebat. Denique illa quæ scripsit ad Corinthios, aliter vtique ab ipsis paruulis, aliter à capacioribus posse intelligi sciens, ait: *Si quis est inter vos Propheta aut spiritalis, agnoscat quæ scribo vobis, quia Domini est mandatum: Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Solidam profectò voluit esse scientiam spiritalium, vbi non sola fides accommodaretur, sed certa cognitio teneretur: ac per hoc illi ea ipsa credebant, quæ spiritales insuper agnoscebant. *Ignorabitur* autem, ait, *qui ignorat:* quia nondum ei reuelatum est, vt quod credit sciat. Quod cùm fit in hominis mente, ipse dicitur cognosci à Deo, quia Deus illum cognoscentem facit, sicut alibi ait, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti à Deo:* neque enim tunc cognouerat eos Deus, præcognitos & electos ante mundi constitutionem: sed tunc eos seipsum cognoscere fecerat.

Idem Christus crucifixus & lac & cibus, vt à paruulis & perfectis cognoscitur.

1. Cor. 1. v. 23.

1. Cor. 1. v. 12.
Galat. 6. v. 14.
1. Cor. 14. v. 37.
Al. solùm.
Cognosci dicitur à Deo, quem Deus se cognoscere facit.
Gal. 4. v. 9.
Eph. 1. v. 4.

Hoc igitur primitùs cognito, quòd ea ipsa quæ simul audiunt spiritales atque carnales, pro suo modulo quique capiunt, illi vt paruuli, isti vt maiores, illi vt lactis alimentum, isti vt cibi solidamentum: nulla videtur esse necessitas, vt aliqua secreta doctrinæ taceantur, & abscondantur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus, hoc est, intelligentioribus: & hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Hoc ipsum enim quòd non iudicauit se scire in eis nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quia id sicut spiritales capere non valebant. Quicunque autem spiritales inter eos erant, idem quod illi tanquam carnales audiebant, spiritali ipsi intellectu capiebant. vt sic intelligatur quod ait, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus:* ac si diceret, Non potuistis quasi spiritales, sed quasi carnales capere quod loquebar. *Animalis enim homo,* id est, qui secundum hominem sapit, animalis dictus ab animâ, carnalis à carne, quia ex animâ & carne constat totus homo: *non percipit quæ sunt Spiritus Dei,* id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi: & putat hoc illâ cruce actum esse tantummodò, vt nobis vsque ad mortem pro veritate certantibus imitandum præberetur exemplum. Nam si scirent huiusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum *Christus crucifixus factus sit nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur:* proculdubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ:* sed spiritualiter, *Ego sum Christi.*

Nulla secreta doctrinæ maioribus solis detegenda.
1. Cor. 3. v. 1.
1. Cor. 2. v. 2.
1. Cor. 3. v. 1.
1. Cor. 2. v. 14.
Carnalis & animalis quid intelligat in Christo crucifixo.
Quid spiritalis.
1. Cor. 1. v. 30.
Ier. 9. v. 23.
1. Cor. 1. v. 12.

Verùm illud adhuc quæstionem facit, quod in Epistolâ ad Hebræos legitur, *Cum iam deberetis tempore ipso esse doctores, iterum doctrinâ indigetis, quæ sint elementa sermonum Dei: & facti*

Hebr. 5. v. 12.

estis opus habentes lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactet, inexpertus est verborum iustitia: infans est enim. Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo. Hic enim videmus tanquam definitum esse, quem perfectorum dicit solidum cibum: & hoc esse illud quod ad Corinthios scriptum est, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quos autem perfectos voluerit hoc loco intelligi, subiecit, atque ait, *Qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo.* Hoc inualidâ & inexercitatâ mente non possunt, profectò nisi fidei quodam lacte teneantur, vt & inuisibilia quæ non vident, & intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant, facilè ad vanas & sacrilegas fabulas promissione scientiæ ducuntur: vt & bonum & malum non nisi corporalibus imaginibus cogitent, & ipsum Deum non nisi aliquod esse corpus existiment, & malum non nisi substantiam putare non possint, cùm sit potiùs ab immutabili substantiâ mutabilium substantiarum quidam defectus, quas fecit ex nihilo ipsa immutabilis & summa substantia, qui est Deus. Quod profectò quisquis non solùm credidit, verumetiam exercitatis interioribus animi sensibus intelligit, percipit, nouit: non est iam metuendum ne seducatur ab eis, qui malum putando esse substantiam quam non fecit Deus, mutabilem substantiam faciunt ipsum Deum, sicut Manichæi, vel si quæ aliæ pestes ita desipiunt. Sed mente adhuc paruulis, quos dicit Apostolus carnales lacte nutriendos, omnis de hac re sermo, quo agitur vt non solùm credatur, verumetiam intelligatur, sciatúrque quod dicitur: percipere talia non valentibus onerosus est, faciliúsque illos premit quàm pascit. Ex quo fit vt spiritales ista carnalibus non omninò taceant propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est: nec tamen sic disserant, vt volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, faciliùs fastidiri faciant in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem.

1. Cor. 2. v. 5.

Fidei quodam lacte tenendi qui sent paruuli, ne ad errores delabantur.

Malum defectus quidam &c.

Manichæis substantia Dei mutabilis.

Mente paruulis onerosus sermo sublimior rerum fidei, & vt ad earum intelligentiam nondum capaces perducantur.

Catholica fides omnibus prædicanda, sed cautâ sobrietate.

Propterea dicit scribens ad Colossenses, *Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinationem vestram, & id quod deest fidei vestræ in Christo.* Et ad Thessalonicenses, *Nocte ac die*, inquit, *abundantiùs orantes, vt videamus faciem vestram, & suppleamus quæ desunt fidei vestræ.* Intelligendi sunt vtique ita primùm catechizati, vt lacte alerentur, non solido cibo: cuius lactis ad Hebræos commemoratur vbertas eis, quos volebat cibi soliditate iam pascere. Propter quod ait, *Ideóque remittentes initij Christi verbum, in consummationem respiciamus: non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, lauacri doctrinæ & impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum, & iudicij æterni.* Hæc est lactis vbertas, sine quo non viuunt, qui iam quidem ratione vtuntur vt possint credere: sed bonum à malo non credendo tantùm, verumetiam intelligendo, quod pertinet ad solidum cibum, separare non possunt. Quod autem in lactis commemoratione posuit & doctrinam, ipsa est quæ per Symbolum traditur, & Orationem Dominicam. Sed huic lacti absit vt sit contrarius cibus rerum spiritalium firmâ intelligentiâ capiendus, qui Colossensibus & Thessalonicensibus defuit, & supplendus fuit. Quando enim

Col. 2. v. 5.
1. Thes. 3. v. 10.

Primò docenda fides, tum quæ spectant ad pleniorem intelligentiam.

Hebr. 6. v. 1.

Lac primæ institutionis, non contrarium cibo solido doctrinæ plenioris.

A suppletur quod defuit, non improbatur quod fuit. Nam & in ipsis quæ sumimus alimentis, vsque adeò non est lacti contrarius solidus cibus, vt ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis peruenit carnem: sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cùm sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodò lactescere paruulis, cùm *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Sed ipse homo Christus, qui verâ carne, verâ cruce, verâ morte, verâ resurrectione syncerum lac dicitur paruulorum, cùm benè ab spiritalibus capitur, inuenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic paruuli sunt lactandi, vt semper non intelligant Deum Christum: nec sic ablactandi, vt deserant hominem Christum. Quod alio mo- B do idipsum ita dici potest: Nec sic lactandi sunt, vt creatorem nunquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, vt mediatorem vnquam deserant Christum. In hoc quippe non conuenit huic rei similitudo materni lactis & solidi cibi, sed potiùs fundamenti: quia & puer quando ablactatur, vt ab alimentis infantiæ iam recedat, inter solidos cibos non reperit vbera quæ sugebat: Christus autem crucifixus, & lac sugentibus, & cibus est proficientibus. Fundamenti verò ideo est aptior similitudo, quia vt perficiatur quod struitur additur ædificium, non subtrahitur fundamentum

Christus Angelis solidus cibus, lac hominibus.
Ioan. 1. v. 14.

Christi hominis cognitio fundamento similior quàm lacti.

Quæ cùm ita sint, ô quicunque estis, qui sine C dubio multi estis paruuli in Christo: proficite ad solidum cibum mentis, non ventris. Proficite ad separandum bonum à malo, & magis magísque inhærete mediatori, per quem liberamini à malo: quod non est à vobis loco separandum, sed in vobis potius est sanandum. Quisquis autem vobis dixerit, Nolite credere verum hominem Christum, aut non à vero Deo corpus cuiuslibet hominis vel cuiuslibet animantis creatum, aut non à vero Deo vetus testamentum datum, & si quid huiusmodi: hæc enim vobis priùs ideo non dicebantur, quando lacte nutriebamini, quoniam ad vera capienda cor nondum habebatis idoneum: non vobis iste cibum præparauit, sed venenum. Propter quod beatus Apo- D stolus eos alloquens, qui sibi iam videbantur esse perfecti, cùm se imperfectum ipse dixisset: *Quotquot ergo*, inquit, *perfecti sumus, hoc sapiamus. Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.* Et ne fortè incurrerent in seductores, qui eos vellent à fide auertere, promittendo scientiam veritatis, & hoc putarent esse quod dixit Apostolus, *id quoque vobis Deus reuelabit*, continuò subiunxit, *Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Si quid ergo intellexeris quod non sit contra regulam catholicæ fidei, ad quam velut viam, quæ te ducat ad patriam, peruenisti, & sic intellexeris, vt inde dubitare E omninò non debeas: adde ædificium, noli tamen relinquere fundamentum. Sic debent maiores docere aliquid paruulos, vt omnium Dominum Christum, & seipsis longè maiores Prophetas & Apostolos, non dicant aliquid fuisse mentitos.

Paruulis in Christo proficiendum.

Phil. 3. v. 15.

Omnia ad regulam fidei examinanda.

Non autem solùm vaniloquos & mentis seductores fabulosa & falsa garrientes, & in eis vanitatibus velot altam scientiam promittentes contra regulam fidei, quam catholicam suscepistis, cauere debetis: verumetiam ipsos qui de ipsâ diuinæ immutabilitate naturæ, vel incorporeâ crea-

turâ siue creatore veraciter disputant, & quod dicunt, omninò documentis atque rationibus certissimis probant, & tamen ab vno Dei & hominum mediatore conantur auertere, tanquam pestem insidiosiorem cæteris fugite: Tales enim sunt de quibus dicit Apostolus, *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Quid enim prodest habere intelligentiam veram de immutabili bono, ei qui non tenet per quem liberetur à malo? Propterea admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat, *Si quis vobis euangelizauerit præter quàm quod accepistis, anathema sit.* Non ait plus quam accepistis: sed, *præter quàm quod accepistis.* Nam si illud diceret, sibiipsi præiudicaret: qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in viâ, sed recedit de viâ.

Fugiendi seductores, qui à Christo mediatore auertunt. Rom. 1. v. 21.

Al. Prorsus.

Gal. 1. v. 9.

Adijcere licet ijs quæ accepimus, non præter illa.

B

Quod itaque ait Dominus, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò:* adijcienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant euertenda: Et ille quidem, sicut in pristino sermone iam exposui, potuit hoc ita dicere, quia illa ipsa quæ docuerat, si vellet eis sic aperire, vt in illo concipiuntur ab Angelis: hoc infirmitas humana, in quâ adhuc erant, ferre non posset. Spiritalis autem homo quilibet potest alterum hominem docere quod nouit, si proficiendo capaciorem faciat Spiritus sanctus, in quo & ipse doctor aliquid amplius addiscere potuit, vt sint ambo docibiles Deo: quanquam & inter ipsos spiritales sunt vtique alijs alij capaciores atque meliores: ita vt quidam illorum ad ea perueniret, quæ nunc licet homini loqui. Quâ occasione vani quidam Apocalypsim Pauli quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam stultissimâ præsumptione finxerunt: dicentes hanc esse, vnde dixerat *raptum se fuisse in tertium cœlum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Vtcunque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui. Cùm verò dixerit, *quæ non licet homini loqui:* isti qui sunt, qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui? Sed iam istum sermonem hoc fine concludam, per quem vos esse cupio sapientes quidem in bono, integros autem à malo.

C

Spiritales alij alijs capaciores. 2. Cor. 12. v. 4.

Commentitia Pauli Apocalypsis.

D

Al. simplices autem in malo.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. VI.

Tract. 99 in Ioan. 16. v. 13.

QVid est quod Dominus ait de Spiritu sancto, cùm eum venturum esse promitteret, & docturum discipulos eius omnem veritatem, vel eos deducturum in omni veritate: *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur.* Simile est hoc ei quod de semetipso dixit, *Non possum à me ipso facere quicquam, sicut audio iudico.* Sed illud cùm exponeremus, secundum hominem posse accipi diximus: vt obedientiam suam quâ *factus est obediens vsque ad mortem crucis,* prænuntiasse Filius videretur & in iudicio futuram, quo viuos & mortuos iudicabit, quia hoc per id facturus est quod filius hominis est. Propter quod dixit, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio:* quia in iudicio non forma Dei quâ æqualis est Patri, nec

E

Ioan. 5. v. 19. Supra tract. 40.

Phil. 2. v. 8.

Christus homo iudicabit viuos & mortuos. Ioan. 5. v. 20

A ab impijs videri potest, sed forma hominis apparebit, quâ minoratus est etiam modico minus ab Angelis: quamuis iam in claritate, non in pristinâ sit humilitate venturus, conspicuus tamen futurus & bonis & malis. Hinc ait & illud, *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est.* In quibus verbis eius manifestatur non eam formam præsentandam esse iudicio, in quâ cùm esset, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* sed illam quam cùm semetipsum exinanisset, accepit. *Semetipsum enim exinaniuit formam serui accipiens:* in quâ videtur etiam ad faciendum iudicium obedientiam suam commendasse, cùm dixit: *Non possum facere à meipso quicquam, sicut audio iudico.* Adam namque per cuius *vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi,* non sicut audiuit iudicauit: quod audiuit præuaricatus est, & à semetipso fecit malum, quod fecit: quia non Dei voluntatem, sed suam fecit. Iste autem, *per* cuius *vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi,* non solùm obediens fuit vsque ad mortem crucis, in quâ est viuus iudicatus à mortuis: sed obedientem se futurum promittens in ipso quoque iudicio, quo est de viuis iudicaturus & mortuis, *Non possum,* inquit, *à meipso facere quicquam, sicut audio iudico.*

Venturus in claritate.

Phil. 2. v. 7.

In eâ formâ obedientiã suam in iudicio commendat. Ioan. 5. v. 19. Rom. 5. v. 19. Peccatum Adę inobedientia.

B

Al. quod. Ioan. 5. v. 19.

Sed nunquid de Spiritu sancto quod dictum est, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur,* secundum hominem vel secundum assumptionem cuiusquam creaturæ dictum esse audebimus opinari? Solus quippe in Trinitate Filius formam serui accepit, quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est, id est, vt Filius Dei & filius hominis vnus sit Iesus Christus: ne non Trinitas, sed quaternitas prædicetur, quod absit à nobis. Propter quam personam profectò vnam ex duabus substantijs diuinâ humanáque constantem, aliquando secundum id quod Deus est loquitur, vt est illud quod ait, *Ego & Pater vnum sumus:* aliquando secundum id quod homo est, sicuti est illud, *Quoniam Pater maior me est:* secundum quod accepimus esse ab eo dictum & hoc vnde nunc disputo, *Non possum à meipso facere quicquam, sicut audio iudico.* In personâ verò Spiritus sancti quomodò id accipiamus quod ait, *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur,* cùm in eâ non sit alia diuinitatis, alia humanitatis, vel alterius creaturæ cuiuscumque substantia, magna exoritur difficultas. Illud enim quod sicut columba Spiritus sanctus apparuit specie corporali, visio fuit ad horam facta atque transacta: sicut etiam quando super discipulos venit, visæ sunt illis linguæ diuisæ velut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum. Qui ergo dicit columbam ad vnitatem personæ Spiritui sancto fuisse coniunctam, vt ex illâ & Deo, quia Spiritus sanctus Deus est, vna Spiritus sancti persona constaret: & hoc etiam de illo igne compellitur dicere, vt intelligat nihil horum debere se dicere. Ista enim quæ de substantiâ Dei quoquo modo vt opus erat significandâ, corporeis hominum sensibus se intulerunt atque transierunt: ad horam diuinitùs facta sunt de creaturâ seruiente, non de ipsâ dominante naturâ, quæ in se manens quod vult mouet, & quod vult immutabilis mutat. Sicut etiam vox illa de nube aures viuique attigit corporales, eúmque sensum corporis qui vocatur auditus, nec tamen vllo modo credendum

C

Solus Filius factus homo.

Ioan. 10. v. 30. Ioan. 14. v. 28.

D

Quomodo Spiritus sãctus quæ audit loquatur.

Matth. 3. v. 16. Act. 2. v. 2. Apparitiones Spiritus sancti in columbâ & igne, absque assumptione naturæ corporeæ in vnitatem personæ.

E

deudum eſt Verbum Dei, quod eſt vnigenitus Filius, quoniam verbum dicitur, ſyllabis ſoniſque finiri: quia nec omnes ſimul ſonare poſſunt cùm ſermò fit, ſed tanquam naſcentes morientibus ordine ſuo ſoni quicunque ſuccedunt, vt totum quod loquimur nouiſſimâ ſyllabâ compleatur. Abſit vt ſic loquatur Pater ad Filium, hoc eſt, Deus ad Verbum ſuum Deum. Sed hoc eorum eſt capere, quantum ab homine capi poteſt: ad quos non lac pertinet, ſed ſolidus cibus. Cùm igitur Spiritus ſanctus nullâ ſusceptione hominis ſit homo factus, nullâ ſusceptione Angeli ſit Angelus factus, nullâ ſusceptione cuiuſquam creaturæ creatura ſit factus, quomodò de illo intelligendum eſt quod Dominus ait, *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur?* Ardua quæſtio, nimis ardua. Ipſe aſſit Spiritus, vt ſaltem ſicut eam cogitare poſſumus, ſic eloqui poſſimus: ac ſic ad intelligentiam veſtram pro mei moduli facultate perueniat.

Pater non loquitur ad Filium, ſicut nos loquimur.

Priùs itaque noſſe debetis qui intelligere poteſtis, credere autem qui intelligere nondum poteſtis, in eâ ſubſtantiâ quæ Deus eſt, non quaſi per corporis molem ſenſus locis proprijs diſtributos: ſicut in carne mortali quotunque animalium alibi eſt viſus, alibi auditus, alibi guſtus, alibi olfactus, per totum autem tactus. Abſit hoc credere in illâ incorporeâ immutabilique naturâ. Audire ergo ibi & videre, idipſum eſt. Dicitur & olfactus in Deo: vnde dicit Apoſtolus, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Et guſtus intelligi poteſt, ſecundum quem Deus & odit amaricantes, & nec frigidos nec calidos, ſed tepidos euomit ex ore ſuo: & Ieſus Chriſtus dicit, *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui me miſit.* Eſt etiam tactus ille diuinus, vnde dicit ſponſa de ſponſo, *Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius complectitur me.* Non ſunt hæc in Deo per diuerſa corporis loca. Cùm enim dicitur ſcire, ibi ſunt omnia & videre, & audire, & olfacere, & guſtare, & tangere: ſine vllâ eius mutatione ſubſtantiæ, ſiue vllâ mole, quæ in aliâ parte maior, in aliâ minor, etiam in ſenibus puerili pectore cogitatur, quando Deus ſic cogitatur. Nec mireris quòd ineffabilis Dei ſcientia, quâ nouit omnia, per varios humanæ locutionis modos, omnium iſtorum corporalium ſenſuum nominibus nuncupatur: cùm & ipſa mens noſtra, hoc eſt homo interior, cui vniformiter ſcienti per hos quinque veluti nuntios corporis diuerſa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, & lumen videt de quo dicitur, *Erat lumen verum:* & Verbum audit de quo dicitur, *In principio erat Verbum:* & odorem capit, de quo dicitur, *Poſt odorem vnguentorum tuorum currimus:* & fontem bibit, de quo dicitur, *Apud te eſt fons vitæ:* & tactu fruitur, de quo dicitur, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt:* nec aliud atque aliud, ſed vna intelligentia tot ſenſuum nominibus nuncupatur.

Omnes in Deo ſenſus, vnum eius ſcire.
Eph. 5. v. 2.
Gal. 2. v. 20.
Apoc 3. v. 16
Ioan. 4. v. 34.
Cant. 2. v. 6.
In ipsâ mente noſtrâ, ſenſus omnes vna Dei intelligentia.
Ioan. 1. v. 9. & 1.
Cant. 1. v. 4.
Pſal. 35. v. 10.
Pſal. 72. v 28.

Cùm ergo de Spiritu ſancto dicitur, *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur:* multò magis ibi ſimplex natura, vbi veriſſimè ſimplex eſt, vel intelligenda eſt vel credenda, quæ longè latéque naturam noſtræ mentis excedit. Mutabilis quippe eſt mens noſtra, quæ percipit diſcendo quod neſciebat, & amittit dediſcendo quod ſciebat: & veri ſimilitudine fallitur, vt pro vero approbet falſum, & obſcuritate ſuâ quaſi quibuſdam tenebris impeditur, ne perueniat ad verum. Et ideo non eſt iſta ſubſtantia veriſſimè ſimplex, cui non hoc eſt eſſe quod noſſe: poteſt enim eſſe nec noſſe. At illa diuina non poteſt, quia id quod habet eſt. Ac per hoc non ſic habet ſcientiam, vt aliud illi ſit ſcientia quâ ſcit, aliud eſſentia quâ eſt: ſed vtrunque vnum eſt. Nec vtrunque dicendum eſt, quod ſimpliciter vnum eſt. *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo*, nec aliud eſt ipſe quàm vita quæ in ipſo eſt, *& dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*, hoc eſt, genuit Filium qui & ipſe vita eſſet. Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu ſancto dictum eſt, *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur:* vt intelligamus non eum eſſe à ſemetipſo. Pater quippe ſolus de alio non eſt, nam & Filius de Patre natus eſt, & Spiritus ſanctus de Patre procedit. Pater autem nec natus eſt de alio, nec procedit. Nec ideò ſanè aliqua diſparilitas in ſummâ illâ Trinitate cogitationi occurrat humanæ: nam & Filius ei de quo natus eſt, & Spiritus ſanctus ei de quo procedit, æqualis eſt. Quid autem illic interſit inter procedere & naſci, & longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium cùm diſſerueris, definire: quia hoc & menti vtcunque comprehendere, & ſi quid fortè mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum eſt explicare quantuſlibet ſit doctor, quantuſlibet adſit auditor: *Non* ergo *loquetur à ſemetipſo*, quia non eſt à ſemetipſo, *ſed quæcunque audiet, loquetur.* Ab illo audiet à quo procedit. Audire illi ſcire eſt: ſcire verò eſſe, ſicut ſuperiùs diſputatum eſt. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quàm ſcientia. Nec moueat, quòd verbum futuri temporis poſitum eſt. Non enim dictum eſt, quæcunque audiuit, aut quæcunque audit, *ſed quæcunque audiet, loquetur:* illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna eſt ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cuiuſlibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, ſed tantùm eſt: ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt, & ideo illi tantùm conueniebat dicere, *Ego ſum qui ſum:* &, *Dices filijs Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos:* tamen propter mutabilitatem temporum in quibus verſatur noſtra mortalitas & noſtra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit & erit & eſt. Fuit in præteritis ſæculis, eſt in præſentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: eſt, quia ſemper eſt. Neque enim velut qui iam non ſit cum præteritis occidit, aut cum præſentibus velut qui non maneat labitur, aut cum futuris velut qui non fuerat orietur. Proinde cùm ſecundum volumina temporum locutio humana variatur, cui per nulla deeſſe potuit aut poteſt aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuſlibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus ſanctus, quia ſemper ſcit. Ergo & ſciuit, & ſcit, & ſciet: ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet: quia ſicut iam diximus, hoc eſt illi audire quod ſcire, & ſcire illi hoc eſt quod eſſe. Ab illo igitur audiuit, audit, & audiet à quo eſt: ab illo eſt, à quo procedit.

Dei ſola ſubſtantia veriſſimè ſimplex, quæ eſt quod habet, & cui ſcientia eſt natura.
Ioan. 5. v. 26
Spiritus ſanctus non loquitur à ſemetipſo, id eſt, non eſt à ſeipſo.
Quid interſit inter naſci, & procedere, temerarium eſt definire.
Temporis omnes differentiæ tribuuntur Deo.
Exod. 3. v. 14.

Hîc aliquis forsitan quærat, vtrum & à Filio procedat Spiritus sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, & Pater solius Filij est Pater: Spiritus autem sanctus non est vnius eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem,

Matth. 10. v. 20.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis: habes & Apostolum,

Gal. 4. v. 6.

Misit Deus, inquit, *Spiritum Filij sui in corda vestra*: Nunquid duo sunt, alius Patris, alius Filij? Absit:

Eph. 4. v. 4.

Vnum enim *corpus*, ait, cùm significaret Ecclesiam, móxque addidit, *& vnus Spiritus*. Et vide quomodò illic impleat Trinitatem.

Spiritus sanctus vnus & idem Patris & Filij Spiritus.

Sicut vocati estis, inquit, *in vnâ spe vocationis vestræ. Vnus Dominus*, hîc vtique Christum intelligi voluit. Restat vt etiam Patrem nominet. Sequitur ergo, *Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus* [*nobis*.]

B

Cùm ergo sicut vnus Pater, & vnus Dominus, id est, Filius, ita sit & vnus Spiritus: profectò amborum est, sicut ipse Christus Iesus dixit, *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: & dicit Apostolus,

Gal. 4 v. 6.

Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra. Habes & alio loco eundem Apostolum dicentem,

Rom. 8 v. 11

Si autem Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis. Hîc vtique Spiritum Patris intelligi voluit, de quo tamen alio loco dicit,

Rom. 8. v. 9

Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et multa alia sunt testimonia, quibus hoc euidenter ostenditur, & Patris & Filij ipsum esse Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus sanctus.

C

Nec ob aliud existimo ipsum vocari propriè Spiritum, cùm etiam si de singulis interrogemur, non possimus nisi Patrem, & Filium Spiritum dicere, quoniam

Tertia persona propriè Spiritus, cùm & Pater & Filius Spiritus.

Ioan. 4. v. 24.

Spiritus est Deus, id est, non corpus est Deus, sed spiritus: Quod ergo communiter vocatur & singuli, hoc propriè vocari oportuit eum qui non est vnus eorum, sed in quo communitas apparet amborum.

Spiritus sanctus etiam à Filio procedit.

Cur ergo non credamus quòd etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filij quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis insufflasset dicens,

Ioan. 20. v. 22.

Accipite Spiritum sanctum. Quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quòd procedat Spiritus sanctus & de ipso?

D

Ad hoc pertinet etiam illud quod de muliere, quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait:

Luc. 8. v. 46

Tetigit me aliquis: ego enim sensi de me virtutem exisse.

Spiritus sanctus virtus appellatus in Scripturis.

Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, & eo loco clarum est, vbi Angelus dicenti Mariæ,

Luc. 1. v. 34

Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco: respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ipse Dominus promittens eum discipulis ait,

Luc. 24. v. 49.

Vos sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto: Et iterum,

Act. 1. v. 8.

Accipietis, inquit, *virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes*.

E

De hac virtute credendus est dicere Euangelista,

Luc. 6 v. 19.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

A Patre procedere ait Dominus, ad eum referens & quod suum est

Si ergo & de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus: cur Filius dixit, *de Patre procedit*? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est? Vnde illud est quod ait,

Ioan 7. v. 16

Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si igitur intelligatur hîc eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quantò magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi

A

sic ait, de Patre procedit, vt non diceret, de me procedit? A quo autem habet Filius vt sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus vt etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.

Hîc vtcunque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus.

Spiritus cur procedere dicatur, non nasci.

Quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit autem, vt inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec filius hominum simul & ex patre & ex matre procedit:

Al. *hominis*.

B

sed cùm in matre procedit ex patre, non tunc procedit & ex matre: & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit: quamuis hoc Filio Pater dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.

Reprobatum hîc Augustino intellectum secuti sunt Græci iuniores schismatici.

Neque enim possumus dicere quòd non sit vita Spiritus sanctus, cùm vita sit Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut *Pater cùm habeat vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso*: sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de seipso. Sequuntur autem verba Domini dicentis: *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*.

C

Sed quia ista iam prolixa sunt, in alium sunt differenda sermonem.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. VII.

Tract. 100. in Ioan 16. v. 13.

CVm promitteret Dominus venturum Spiritum sanctum, *Docebit vos*, inquit, *omnem veritatem*: vel quod in nonnullis codicibus legitur, *deducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur*.

D

De quibus Euangelicis verbis iam quod donauit Dominus disputauimus: nunc ea quæ sequuntur attendite. *Et quæ ventura sunt*, inquit, *annuntiabit vobis*. Neque enim hîc, quoniam planum est, immorandum: nihil enim habet quæstionis, cuius à nobis expositio flagitetur. Sed quod adiungit.

V. 14.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, non negligenter est transeundum. Quod enim ait, *Ille me clarificabit*, potest intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium charitatem, spiritaléśque faciendo,

Clarificatus à Spiritu Filius in discipulorum cordibus.

E

declarauit eis quomodò Filius Patri esset æqualis: quem secundum carnem priùs tantummodò nouerant, & hominem sicut homines cogitabant. Vel certè quia per ipsam charitatem fiduciâ repleti, & timore depulso annuntiauerunt hominibus Christum: ac sic fama eius diffusa est in toto orbe terrarum.

Per eos in cordibus aliorum.

Vt sic dixerit, *Ille me clarificabit*, tanquam diceret, ille vobis auferet timorem, & dabit amorem: quo me ardentiùs prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu sancto, hoc eun-

dem Spiritum dixit esse facturum qoale est etiam illud, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Matth. 10. v. 20.

Verbum quippe Græcum quod est δοξάσει, alius clarificabit, alius glorificabit, Latini interpretes in suâ quisque translatione posuerunt: quoniam ipsa quæ Græcè dicitur δόξα, vnde dictum est verbum δοξάσει, & claritas interpretatur & gloria. Gloriâ namque fit quisque clarus, & claritate gloriosus: ac per hoc quod vtroque verbo significatur, idipsum est.

Claritas & gloria idé.

Sicut autem definierunt antiqui Latinæ linguæ clarissimi auctores, Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cùm est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credenda est magnum aliquid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare, non laudato, sed laudantibus prodest.

Definitio Gloriæ.

Est autem etiam falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, siue in rebus, siue in hominibus, siue in vtrisque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse quod malum est: in hominibus autem, quando putant eum bonum esse qui malus est. In vtrisque verò, quando & id quod est vitium, virtus putatur, & ipse qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur: siue sit bonus, siue sit malus.

Fallax gloria, in rebus, & personis, ac in vtrisque.

Donare quippe res suas histrionibus vitium est immane, non virtus. Et scitis de talibus quàm sit frequens fama cum laude: quia sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.* Hi laudatores non falluntur in hominibus, sed in rebus: malum est enim, quod bonum esse credunt. Illi autem qui hoc malo largitionis vitiosi sunt, tales vtique sunt, quales eos hi qui laudant non suspicantur esse, sed cernunt.

Exemplum in rebus.
Psal. 9. v. 3.

Porrò si se quisquam iustum fingat & non sit, sed totum quicquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc est propter veram iustitiam, sed solùm quærat & diligat ab hominibus gloriam: illi autem apud quos frequens est eius fama cum laude, non eum putent nisi propter Deum laudabiliter viuere, non falluntur in re, sed falluntur in homine. Quod enim bonum esse credunt, est bonum: sed quem bonum esse credunt, non est bonus.

In personis.

Quòd si putetur, verbi gratiâ, bonum artium peritia magicarum, & dum quisque patriam liberasse eisdem quas omninò nescit artibus creditur, ac frequentem cum laude famam, quæ gloria definita est, apud homines impios consequatur: errant in vtroque qui laudant, & in re scilicet, quia id quod malum est bonum putant: & in homine, quia non est quod putant. Quapropter falsa est in his tribus generibus gloria.

In vtrisque.

Cùm autem de aliquo per Deum & propter Deum iusto, hoc est, veraciter iusto, causâ ipsius iustitiæ frequens est fama cum laude: vera quidem gloria est, non tamen eâ credendum est beatificari iustum, sed laudantibus gratulandum est, quia rectè iudicant, & diligunt iustum.

Vera gloria laudantibus vtilis, non laudato.

Quantò magis ergo Dominus Christus, non sibi, sed eis profuit gloriâ suâ, quibus profuit morte suâ? Sed non est vera eius apud hæreticos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude. Non est hæc vera gloria, quia in vtroque falluntur: nam & bonum putant esse quod bonum non est, & Christum putant esse quod Christus non est.

Hæretici falsâ gloriâ Christum afficiunt.

Vnigenitum enim Filium æqualem non esse gignenti, non est bonum:

A Paschate.

vnigenitum Dei Filium hominem tantùm esse non Deum, non est bonum: veritatis carnem non esse veram carnem, non est bonum. Horum trium quæ dixi primum sentiunt Arriani, secundum Photiniani, tertium Manichæi.

Quid de illo Arriani sentiant, quid Photiniani, quid Manichæi.

Sed quia & eorum nihil est bonum, & Christus nihil est eorum, in vtroque falluntur: nec dant veram gloriam Christo, quamuis apud eos esse videatur cum laude frequens fama de Christo. Et omnes prorsus hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non rectè sentiunt, ideo errant, quia & de bonis rebus ac malis non verum sentiunt. Pagani etiam quoniam sunt Christi plurimi laudatores, & ipsi in vtroque falluntur: qui non secundum veritatem Dei, sed potiùs secundum suam suspicionem dicunt eum fuisse hominem magum. Christianos quippe velut imperitos vituperant, Christum autem velut magum laudant, ac sic produnt quod amant: Christum verò non amant, quoniam quod non erat Christus, hunc amant. Ideo in vtroque falluntur, quia & magum esse malum est: & magus non fuit Christus, quia bonus est.

Pagani Christum putabant magum, eoque nomine laudabant.

Quapropter de his nihil hoc loco dicendum est, qui Christum vituperant atque blasphemant: quia de gloria eius loquimur, quâ est glorificatus in mundo: non eum glorificauit Spiritus sanctus verâ gloriâ, nisi in Ecclesiâ sanctâ catholicâ: alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud quosdam Paganos, vera eius in terris gloria non potest esse, & vbi videtur esse frequens de illo fama cum laude.

In solâ Ecclesiâ Catholicâ verè glorificatur Christus.

Vera ergo eius gloria in Ecclesiâ catholicâ sic à Prophetâ cantatur: *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.*

Psal. 107. v. 6.

Quia itaque post eius exaltationem venturus erat Spiritus sanctus & eum glorificaturus: hoc sacer Psalmus, hoc ipse Vnigenitus promisit futurum, quod videmus impletum. Quod autem ait, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*, catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea sicut quidam hæretici putauerunt, minor est Filio Spiritus sanctus: quia Filius accipiat à Patre, & Spiritus sanctus à Filio, quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit à Christianis cordibus cogitare. Denique continuò soluit ipse quæstionem, & cur hoc dixerit, explanauit.

Spiritus sanctus non est minor Filio.

Omnia, inquit, *quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid vultis amplius? Ergo à Patre accipit Spiritus sanctus, vnde accipit Filius: quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedit, Pater solus est.

V. 15.

Quomodò autem dixerit Vnigenitus Filius, *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt* (quia vtique non sic quemadmodum dictum est illi filio non vnigenito, sed ex duobus maiori, *Tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt*) eo loco si Dominus voluerit diligenti consideratione tractabitur, vbi dicit Vnigenitus Patri, *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*; vt hîc iste sermo claudatur, quoniam quæ sequuntur, aliud poscunt, quo differantur, exordium.

Luc. 15. v. 31.
Ioan. 17. v. 10.
Al. *discernantur.*

EIVSDEM DE EO QVOD *scriptum est*, Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam, *&c.*

Sermo 60. de verb. Dom. *Ioan. 16. v. 7.*

Cap 1.

MEdicina animæ omnium vulnerum, & vna propitiatio pro delictis hominum est, credere in Christum. Nec omninò quisquam mundari potest, siue ab originali peccato, quod ex Adam traxit, in quo omnes peccauerunt, & filij iræ naturaliter facti sunt: siue à peccatis quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ, sed eam sequendo, eique seruiendo in flagitijs & facinoribus addiderunt, nisi per fidem coadunentur, B & compaginentur corpori eius, qui sine vllâ illecebrâ carnali & mortiferâ delectatione conceptus est: nec cum in delictis mater in vtero aluit, & peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. In eum quippe credentes, filij Dei fiunt: quia ex eo nascuntur per adoptionis gratiam, quæ est in fide Iesu Christi Domini nostri. Quapropter, charissimi, meritò idem Dominus & Saluator noster hoc vnum peccatum dicit, de quo arguit mundum Spiritus sanctus, quia non credit in eum. *Ego*, inquit, *veritatem dico, Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero,* C *mittam illum ad vos. Et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitiâ vero, quia ad Patrem vado; & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iudicatus est.*

Fides ab omni peccato remedium.

Psal. 50. v. 7
1. Petr. 2. v. 22.

Cap 2.

De hoc ergo vno peccato voluit mundum argui, quòd non credunt in eum: videlicet quia in eum credendo cuncta peccata soluuntur, hoc vnum imputari voluit, quo cætera colligantur. Et quia credendo nascuntur ex Deo, & filij Dei fiunt: *Dedit* enim, inquit, *illis potestatem filios Dei fieri credentibus in eum.* Qui ergo credit in D Filium Dei, inquantum adhæret illi, & fit etiam ipse per adoptionem filius & hæres Dei, cohæres autem Christi, intantum non peccat. Vnde dicit Ioannes, *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Et ideo peccatum vnde mundus arguitur, hoc est, quòd non credunt in eum: hoc est peccatum de quo itidem dicit, *Si non venissem, peccatum non haberent.* Nunquid enim alia innumerabilia peccata non habebant? Sed aduentu eius hoc vnum peccatum accessit non credentibus, quo cætera tenerentur. In credentibus autem quia hoc vnum defuit, factum est vt cuncta dimitterentur credentibus. Nec ob aliud Apostolus Paulus, *Omnes*, inquit, *peccauerunt, & egent* E *gloriâ Dei; vt qui crediderit in eum non confundatur:* sicut & Psalmus dicit, *Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non confundentur.* Qui ergo in se gloriatur, confundetur: non enim sine peccatis inuenietur. Ille itaque tantummodò non confunditur, qui in Domino gloriatur. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* Itaque Apostolus cùm de Iudæorum infidelitate loqueretur, non ait, Etenim si quidam illorum peccauerunt, nunquid peccatum eorum fidem Dei euacuauit? Quomodò enim diceret, Si quidam illorum peccauerunt, cùm ipse dixerit, *Omnes enim peccauerunt?* Sed ait, *Si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas il-*

Ioan. 1. v. 12.

1. Ioan. 3. v. 9.
Peccatum de quo arguit Spiritus sanctus, incredulitas.
Ioan. 15. v. 22.

Rom. 3. v. 23.
Rom. 10. v. 11.
Psal. 33. v. 6.

Rom. 3. v. 3.
Cõtra omnia alia

A *lorum fidem Dei euacuauit?* Vt hoc peccatum expressiùs demonstraret, quo vno clauditur aduersus cætera, ne per Dei gratiam relaxentur.

peccata claudit ne dimittantur.

Cap. 3.

De quo vno peccato per aduentum Spiritus sancti, hoc est, per donum ipsius gratiæ quod fidelibus datur, mundus arguitur, dicente Domino, *De peccato quidem, quia non credunt in me.* Non autem esset meritum grande credentium & beatitudo gloriosa, si semper Dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo sanctus hoc magnum munus attulit credituris, vt eum quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobriâ, & spiritualibus desiderijs ebriâ suspirarent. Vnde & ille discipulus, qui se dixerat non crediturum, nisi cicatrices eius manu tetigisset, cùm B contrectato corpore Domini quasi vigilans exclamasset, *Dominus meus & Deus meus; ait illi Dominus, Quia vidisti, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hanc beatitudinem Spiritus sanctus Paracletus attulit, vt ab oculis carnis serui formâ remotâ, quam de Virginis vtero accepit, in ipsam Dei formam, in quâ Patri æqualis, etiam cùm in carne apparere dignatus est, permansit, purgata mentis acies tenderetur: vt eodem Spiritu repletus Apostolus diceret, *Etsi noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* quia & carnem Christi C non secundum carnem, sed secundum spiritum nouit, qui virturem resurrectionis eius, non palpando curiosus, sed credendo certus agnoscit. Non dicens in corde suo, *Quis ascendit in cœlum, hoc est Christum deducere, aut, Quis descendit in abyssum, hoc est, Christum reducere: sed prope est*, inquit, *verbum in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & si credideris in corde tuo quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Hæc, fratres, Apostoli verba sunt, ipsius sancti Spiritus sanctâ ebrietate ructantis.

Spiritus sancti munus, vt in Christum credamus quem non videmus.

Ioan. 20. v. 28.

2. Cor. 5. v. 16.

Rom. 10. v. 6

D Cùm ergo hanc beatitudinem, quâ non videmus & credimus, nullo modo haberemus, nisi eam à Spiritu sancto acciperemus, meritò dictum est, *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam illum ad vos.* Semper quidem diuinitate nobiscum est: sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus: quâ fide iustificati & beatificati, idipsum Verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia, & quod caro factum est, vt habitaret in nobis, corde mundato contemplari mereremur: & sic non manu tangendo, sed, *corde crederur* E *ad iustitiam.* Rectè de iustitiâ nostrâ mundus arguitur, qui non vult credere, nisi quod videt. Vt autem nos haberemus iustitiam fidei, de quâ mundus argueretur incredulus, propterea Dominus ait, *De iustitiâ, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Tanquam si diceret, Hæc erit iustitia vestra, vt credatis in mediatorem, quem suscitatum ad Patrem isse certissimè habebitis, quamuis eum carnaliter non videatis, vt per ipsum reconciliati, Deum spiritaliter videre possitis. Vnde figuram Ecclesiæ gestanti mulieri, cùm ei post resurrectionem ad pedes caderet, *Noli me tangere*, inquit: *necdum enim ascendi ad Patrem meum.* Quod mysticè dictum intelligitur, Noli me per corporeum contactum

Cap. 4.
Ioan. 16. v. 7
Vtilitas discessus Christi à nobis secundum corpus.

Iustitia in nobis fidei.

Ioan. 20. v. 17.
Noli me tangere, cur dictum Mariæ,

carnaliter credere spiritualiter autem credis, id- est, fide spirituali me tangis, cùm ascendero ad Patrem: quia *beati qui non vident, & credunt.*

Cap. 1. Habac. 2. v. 5. Rom. 1. v. 17. Et hæc est iustitia fidei, quâ mundus carens, de nobis qui eâ non caremus, arguitur; quia *iustus ex fide viuit.* Siue ergo quia in illo resurgentes, & in illo ad Patrem venientes inuisibiliter & in iustificatione perficimur: siue quia non videntes & credentes ex fide viuimus, quoniam *iustus ex fide viuit*, propterea dixit, *De iustitiâ, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Nec inde se mundus excuset, quòd à diabolo impeditur, ne credat in Christum. Credentibus enim princeps mundi mittitur foras, vt iam non operetur in cordibus hominum, quos Christus per fidem cœperit possidere, sicut operatur in filijs diffidentiæ, quos ad tentandos & tribulandos iustos plerunque concitat. Quia enim missus est foras, qui intrinsecus dominabatur, extrinsecus præliatur. Etsi ergo per eius persecutiones Dominus dirigit mites in iudicio, tamen iam ipse hoc ipso quòd foras missus est, iudicatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem iudicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecus oppugnare permissum, non solùm viri, sed etiam mulieres & pueri, & puellæ Martyres vicerunt. Sed in quo vicerunt, nisi in illo in quem credidetunt, & quem non videntes dilexerunt, & quo dominante in cordibus suis pessimo dominatore caruerunt? Et hoc totum per gratiam, hoc est, per donum Spiritus sancti. Rectè itaque idem Spiritus arguit mundum, & de peccato, quia non credidit in Christum: & de iustitia, quia qui voluerunt crediderunt, quamuis in quem crederent non viderent, & per eius resurrectionem se quoque in resurrectione perfici sperauerunt: & de iudicio, quia & ipsi si vellent credere, à nullo impedirentur, quoniam princeps huius mundi iam iudicatus est.

(Margin: Missus foras diabolus, & iudicatus. — Pueris etiâ & puellis Martyribus victus.)

EIVSDEM DE EO QVOD *scriptum est in Euangelio Ioannis*, Ipse arguet mundum de peccato, de iustitiâ, & de iudicio.

Idem titulus est apud Possidium: & Beda citat Gal. 3.

Sermo 61. de verb. Dom. Ioan. 16. v. 8. Cap. 1.

CVm Dominus & Saluator noster Iesus Christus de aduentu Spiritus sancti, quem se missurum esse promisit, & misit, multa diceret: ait inter cætera, *Ipse arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio.* Neque hoc cùm dixisset sermonem traiecit ad aliud: sed ipsa aliquantò expressiùs insinuare dignatus est. *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me. De iustitiâ autem, quia ad Patrem vado. De iudicio verò, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Oboritur ergo nobis intelligendi desiderium, cur peccatum hominum quasi solum esset, non credere in Christum, ita de hoc solo dixit, quòd mundum Spiritus sanctus argueret. Si autem manifestum est, præter hanc infidelitatem alia multa hominum esse peccata, cur de hoc solùm mundum Spiritus sanctus arguat? An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur; propterea hoc vnum præ cæ-

A Pasthate.

teris imputat Deus, per quod fit vt cætera non soluantur, dum non credit in humilem Deum homo superbus? Sic enim scriptum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Gratia quippe Dei, donum Dei est. Donum autem maximum ipse Spiritus sanctus est; & ideo gratia Dei dicitur. Cùm enim omnes peccassent, & egerent gloriâ Dei, quia *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt*; ideo gratia, quia gratis datur. Ideo gratis datur, quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum, sed donum datur post delictorum veniam.

(Margin: Iac 4. v. 6. Spiritus sanctus donum maximum. Rom. 3. v. 23. Rom. 5. v. 12)

Cap. 2. De peccato igitur arguuntur infideles, id est, dilectores mundi: nam ipsi significantur mundi nomine. Cùm enim dicitur, *Arguet mundum de peccato*, non alio quàm quòd non crediderunt in Christum: hoc denique peccatum si non sit, nulla peccata remanebunt, quia iusto ex fide viuente cuncta soluuntur. Sed multum interest, vtrum quisque credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum, & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quodammodò vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas. Quid sibi vult etiam quod ait, *de iustitiâ, quia ad Patrem vado?* Et primò quærendum est, si de peccato mundus arguitur, cur & de iustitia? Quis enim de iustitiâ rectè argui possit? An de peccato quidem suo, de iustitiâ verò Christi mundus arguitur? Non video quid aliud possit intelligi: quandoquidem *de peccato*, inquit, *quia non crediderunt in me; de iustitiâ verò, quia ad Patrem vado.* Illi non crediderunt: ipse ad Patrem vadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem iustitia. Sed cur in eo solo voluit nominare iustitiam, quia vadit ad Patrem? Num non iustitia hoc est etiam, quòd huc venit à Patre? An illa potiùs misericordia est, quòd à Patre ad nos venit; iustitia verò quòd ad Patrem vadit?

(Margin: Credere in Christum, cùm spes & charitas accedunt fidei. — Arguendus mundus de peccato suo & de Christi iustitiâ. — Misericordia, quâ venit Christus.)

Cap. 3. Ita, fratres, expedire arbitror, vt in tantâ profunditate Scripturarum, in quibus fortè verbis absconditum aliquid latet, quod oportunè aperiendum sit, tanquam simul fideliter inquiramus, vt salubriter inuenire mereamur. Cur ergo hanc appellat iustitiam, quia vadit ad Patrem, & non etiam quia venit à Patre? An quia misericordia est quòd venit, ideo iustitia est quòd vadit: vt & in nobis discamus impleri non posse iustitiam, si pigri fuerimus prætergare misericordiam, non quæ nostra sunt quærentes, sed quæ aliorum? Quod cùm monuisset Apostolus, continuò de ipso Domino coniunxit exemplum: *Nihil*, inquit, *per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt vnusquisque intendentes, sed & quæ aliorum.* Deinde statim addidit. *Singuli quippe hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus*

(Margin: Et nobis prærogandamisericordia, vt sequatur iustitia. — Phil. 2. v. 3.)

& habitu inuentus vt homo, humiliauit se factus A *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc est misericordia, quâ venit à Patre. Quæ igitur est iustitia, quâ vadit ad Patrem? Sequitur, & dicit, *Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Hæc est iustitia quâ vadit ad Patrem.

Cap. 4. Beda ad Galat. 3. Sed si solus vadit ad Patrem, quid nobis prodest? Vt quid de hac iustitiâ mundus arguitur? Et tamen nisi solus iret ad Patrem, non alio loco Ioan. 3. v. 13 diceret. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo.* B Sed Phil. 3. v. 20. etiam Apostolus Paulus dicit, *Nostra enim conuersatio in cælis est.* Sed quare hoc? Quia idem Col. 3. v. 1. dixit, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quomodò ergo ille solus? An ideo solus, quia Christus vnus est cum omnibus membris suis, tanquam caput cum corpore suo? Quæ autem corpus eius, nisi Ecclesia? 1. Cor. 12. v. 27. Sicut dicit idem doctor, *Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte.* Cùm ergo nos ceciderimus, & propter nos ipse descenderit, quid C est, *Nemo ascendit, nisi qui descendit:* nisi, quia Al. vnus. nemo ascendit nisi vnum cum eo factus, & tanquam membrum compactus in eius corpore, qui Ioan. 15. v. 5. descendit? Sic & discipulis dicit, *Quia sine me nihil potestis facere.* Aliter enim est vnum cum Patre, & aliter vnum nobiscum. Vnum cum Patre est, quia vna substantia est Patris & Filij: Phil. 2. v. 6. Vnum com Patre est, *quia cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Vnus autem nobiscum factus est, quia *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Vnus nobiscum factus est, secundum semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes Gentes. Quod cùm Gal. 3. v. 16. commemorasset, ait Apostolus, *Non dicit in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in* D *vno, Et semini tuo, quod est Christus.* Et quia & nos ad id pertinemus quod est Christus, nobis simul incorporatis, & illi capiti cohærentibus, vnus est Christus. Et quia & nobis dicit, Gal. 3. v. 29. *Ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Si enim vnum est semen Abrahæ, & illud vnum semen non intelligitur nisi Christus; hoc autem semen Abrahæ etiam nos sumus: hoc ergo totum, id est, caput & corpus, vnus est Christus.

Cap. 5. Et ideo nos non debemus ab illâ iustitiâ separatos putare, quam Dominus ipse commemorat, dicens, *De iustitiâ, quia ad Patrem vado.* E Cum Christo enim & nos resurreximus, & nos cum capite nostro sumus, interim fide & spe. Complebitur autem spes nostra in vltimâ resurrectione mortuorum. Cùm autem complebitur spes nostra, tunc complebitur etiam iustificatio nostra. Quam completurus Dominus, quid sperare debeamus, ostendit in carne suâ, hoc est, in capite nostro, in quâ resurrexit & ascendit ad Patrem: quia sic scriptum est, *Tra-* Rom. 4. v. 25. *ditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Arguitur ergo mundus de peccato, in eis, qui non cre- A dunt ad Christum: & de iustitiâ, in eis qui resurgunt in membris Christi. Vnde dictum est, *Vt nos simus iustitia Dei in ipso.* Si enim 2. Cor. 5. v. 21. nos in ipso, nullo modo iustitia. Si autem in ipso, totus nobiscum vadit ad Patrem, & hæc in nobis implebitur perfecta iustitia. Propter hoc & de iudicio mundus arguitur, quia princeps huius mundi iam iudicatus est: id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in mundo, quem diligunt, & ideo mundus vocantur: sicut, *Nostra conuersatio in cælis est*, si resurreximus cum Christo. Ergo quemadmodum nobiscum, id est, cum corpore suo vnus est Christus: sic cum B omnibus impijs quibus caput est, cum quodam corpore suo vnus est diabolus. Quapropter sicut nos non separamur à iustitiâ, de quâ Dominus dixit, *Quia ad Patrem vado:* sic impij non separantur ab illo iudicio, de quo dixit, Quia *princeps huius mundi iam iudicatus est.*

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euangelij eiusdem expositio.*

HÆc *autem ab initio vobis non dixi, qui vobiscum eram. Et nunc vado* &c. Ioan. 16. v. 5. Aliud quid- C dam vtile, ac valde necessarium Christus prouidit. Dubium quippe non erat, quin eùm facti essent initio eius discipuli, & cum eo iugiter versati, multáque miracula experti fuissent, & incomparabilem eius potentiam perspexissent, omnem se tentationem superaturos, omniáque omninò pericula expugnaturos putarent. Quis enim ambigendi locus esset, eos qui tot tantáque pollentis bonitatem, experti essent, animum angustum in hoc præ se ferre? Sed quoniam Christus multa eis præter spem euentura mala prædixit, ne nimium turbarentur, apud se cogitantes ac dicentes, Ergo frustra sunt spes illæ quas initio concepimus, & nostro scopo tandem excidimus, (Suorum animos munit Christus, ab eis discessurus.) D qui nos ad omnia bona vocatos putantes, in calamitates adeò inexpertas incidimus, necessariò Dominus causam aperit, cur hæc initiò non prædixerat, & ait: *Hæc ab initio non dixi vobis, quia vobiscum eram.* Quandiu enim cum illis erat, sufficiebat ad eos ex omni tentatione eruendos, & aduersus omnes casus instruendos atque erigendos. Quia verò ad Patrem vadit, ea quæ euentura erant vtiliter & opportunè explicat. Nam si tempestiuè res gerere cum primis studemus, quomodò non id potiùs Deus fecerit? Silendi ergo tempus erat initio, nondum verò dicendi: sed cùm ad Patrem pergeret, eloquendi tempus subijt. Ergóne Seruator reuersus ad Pa- E trem à discipulis aberat, & tamen eis aderat Spiritus, efficaciâ & virtute & gratiâ? Quomodò verò? nec enim mentitur, dicens: *Ecce ego vo-* Matth. 28. v. 20. *biscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi:* veruntamen quoad carnem & carnis præsentiam id intelligendum esse, nullus ambigit. Cæterum nouit quidem Seruator naturæ humanæ valde necessarium fore carnis suæ in cœlos ascensum: sed non ignorauit, vt Deus, acerbissimo dolore discipulorum cor impletum fuisse. Vehementer enim eos discessus Christi pungebat, quia perpetuò cum eo morari cupiebant. Eum verò, vt qui iam istud facere decre-

uisset, non interrogant quam ob causam esset discessurus, aut quid eum ad cœlos ascendere impelleret. Ignoscit igitur istud ijs quoque ita affectis, & silentium intempestiuum vsurpantibus, quod ne discessus quidem causam eos discere patitur, licet eius cognitio multum in se vtilitatis habeat.

V.7. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Vehementissimus nempe vos dolor exedit, & acerbus labor turbauit, nec discessum meum expertem fore molestiæ rectè vtique vobis persuasistis. Incidetis enim profectò in eas, quas dixi, tentationes, & impiorum persecutorum crudelitatem perferetis. Vtile ergo iucundis semper anteponendum esse apud me reputans, veritatem vobis dicam: *Expedit vobis vt ego vadam.* Et nos quidem Seruatori Christo longè nos excedenti omnem intelligentiam submittemus, veruntamen non mediocriter hoc dicto posse turbari quendam paulò simpliciorem autumo. Illud enim apud se reputabit, nempe si melius est abire Christum, præsentiâ suâ nonnihil obfuisse videtur. Et si vtilis est nobis discessus eius, quomodò non ex eius morâ contrarium eueniet? Simpliciores forsan turbabit hæc quæstio: veruntamen qui diuinâ sapientiâ ad exactam horum cognitionem dirigitur, non vtique scandalizetur, sed dictis conuenientem potiùs sensum attenderit. Existimo itaque ante alia cuncta cogitandum esse, & apertè discendum, cuique rei, vt scriptum est, suum esse tempus, & omnia esse bona in tempore suo. Aderat ergo suo tempore vtiliter Dominus in hoc mundo cum carne: opportunò vero tempore, & singularum rerum ordini congruo vtiliter reuersus est ad Patrē. Neque verò ei obijci vllo modo potest, non fuisse valde vtile vt vnà cùm Discipulis versaretur, ex eo quod necessariò demum discedit: neque discessus vtilitas vllo modo arguetur propter vtilitatem præsentiæ. Vtrumque enim opportuno tempore factum est vtiliter. Vt autem sensum huius loci paululùm prætermeдcti manifestiùs fratribus exponamus, agedum Incarnationis Vnigeniti causam repetito sermone cursim attingamus, ac præterea discessus illius vtilitatem.

Præsentia Domini corporalis suo tempore vtilis, suóque itē tempore necessarius eius discessus.
Eccl.3.v.1.

Vt ergo & corruptione & morte solueret eum, qui vetere illo maledicto condemnatus erat, factus est homo, seipsum quodammodò nostræ immittens naturæ, qui vita est secundùm naturam. Sic enim deuictum est mortis imperium, & resoluta est vis corruptionis in nos inductæ: & quia natura diuina omni prorsus vacua est propensione ad peccatum, gestauit nos per suam carnem: (In eo quippe eramus omnes) in quantùm apparuit homo, vt membra terrena mortificaret, hoc est, carnis passiones, & peccati legem quæ in membris nostris tyrannicè dominabatur, abrogaret, nostramque præterea naturam sanctificaret, exemplumque nobis & dux itineris ad pietatem esset, & pura cognitio veritatis illius, quæ secundùm scientiam, atque inculpatæ conuersationis fieret. Hæc igitur omnia Christus homo factus exegit. Decebat ergo naturam hominis ad summum cuiusuis boni attollere, neque solùm peccato & morte eam liberare, sed in ipsos quoque cœlos euehere, hominemque Angelorum contubernalem & eiusdem chori consortem reddere. Et quemadmodum per suam re- A surrectionem corruptionem fugere posse nobis tribuit, sic nobis quoque ad cœlos aditum aperire, & in conspectu Patris sistere eum qui per præuaricationem in Adam procul amandatus fuerat. Quæ cùm ipse quoque diuinus Paulus intelligeret, aiebat, *Non enim in manufacta sancta Christus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt nūc appareat coram vultu Dei pro nobis.* Audis, vt cùm semper in conspectu & in naturâ sui Genitoris sit, propter identitatem substantiæ, nunc non propter seipsum, sed pro nobis manifestetur? Nam, vt quod priùs dixi repetam, nos sistit in conspectu Patris, cùm sit ipse primitiæ humanitatis, reuersus in cœlum. Quemadmodum enim B cùm Vita sit secundùm naturam, mori tamen & resurgere propter nos dicitur: sic etiam cùm semper suum Patrem videat, & videatur ipse vicissim à suo Patre, nunc apparere dicitur, id est, quando factus est homo, non propter seipsum, sed pro nobis, vt homo, & quatenùs deesse nostræ dispensationi videbatur, vt nos in ipsos quoque cœlos ascenderemus, tanquam in primitiis & primo Christo. Præcursor enim eò quoque tedijt, propter nos, vt & alicubi diuinus ipse Paulus ait. Et quatenus quidem homo, censetur Pontifex adhuc nostrarum animarum & consolator, & *propitiatio pro nostris peccatis.* Quatenùs verò Deus ac Dominus secundùm naturam, cum Patre C consider, sed nihilò seciùs hæc ad nos gloria pertinebit. Vnde & Paulus aiebat de Patre, *Quia & conresuscitauit, & consedere fecit nos in cœlestibus in Christo.* Cùm ergo omnia quæ in terris dispensanda erant consummasset, restabat vt quod deerat impleret, nempe vt ascenderet ad Patrem: quocirca ait, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

Ratio aduentus Christi in carne, vt peccatum mortemque destrueret.

Resurrexit & ascendit in cœlum, vt corruptione superiores ostenderet, & aditum ad cœlos aperiret.
Hebr. 9. v.24.
Heb. 6. v. 20.
1. Ioan. 2. v.2.
Eph.2.v.6.

Agedùm ergo aliam quandam obseruationem proferamus vtilem æquè ac veram. Peracta demum erant omnia quæ in terris dispensanda erāt, sicuti modò asserebamus, sed oportebat omninò fieri nos consortes & participes diuinæ Verbi D naturæ, seu nostrâ vitâ relictâ in aliam quandam transformari, & ad nouitatem piæ vitæ instaurari: quod aliter quàm participatione sancti Spiritus fieri non poterat. Tempus autem maximè opportunum missioni Spiritus, & eius in nos illapsui, illud erat, quod discessum Christi nostri Seruatoris excepit. Nam quandiu Christus cum fidelibus adhuc in carne versabatur, omnis, vt reor, boni largitor eis institutus erat: sed vbi ad cœlestem Patrem ascendendi tempus & necessitas adfuit, quomodò non oportebat eum culturibus suis per Spiritum inesse, & per fidem in nostris cordibus habitare, vt ipsum habentes in nobis, E cum fiduciâ clamaremus; *Abba, Pater*, & ad omnem virtutem facilè curreremus, ac præterea potentes, & inuicti aduersùs diaboli insidias & insultus hominum reperiremur, vt qui cuncti potentem Spiritum habeamus. Quòd enim in alium quendam habitum transformet eos in quibus fuerit, & inhabitarit Spiritus, eosque in nouitatem vitæ restauret, nonne facile est cuiuis, cùm ex veteris, tum nouæ Scripturæ testimoniis ostendere? Diuinus quippe Samuel cùm ad Saülem verba faceret, *Et insiliet*, inquit, *super te Spiritus Domini, & verteris in virum alium.* Beatus autem Paulus: *Nos verò omnes, reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem,*

2. Pet. 1. v. 4.
Missionis Spiritus tempus opportunum, post Iesum in cœlos receptum.
Gal.4.v.6.
1. Reg. 10. v.6.
2. Cor. 3. v. 18.

A Paschate.

tanquam à Domini Spiritu. Dominus autem A *Spiritus est.* Vides vt Spiritus transformet quodammodò in aliam imaginem eos, in quibus inhabitat? Transfert enim facilè à rerum terrenarum sensu, ad spectanda solùm ea quæ sunt in cœlis, & ex imbelli timiditate ad strenuam & generosissimam vim animi. Neque verò dubium est quin ita affectos reperiamus Discipulos, & sic per Spiritum confirmatos, vt persequentium incursus vincerent, & dilectioni in Christum mordicùs adhærerent. Verum igitur est quod ait Seruator, *Expedit vobis, vt ego ad cœlos reuertar.* Tempus enim illud erat descensuri Spiritus.

Ioan. 4. v. 24.

V. 8.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio, &c. Postquam ostendit opportunum descensus & missionis Spiritus tempus esse, si ad Patrem redierit, & postquam acerbissimum dolorem sanctorum Discipulorum per hoc abundè mitigauit, iam quid præstiturus sit Paracletus insuper ostendit. *Cùm* enim *venerit*, inquit, *arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio.* Et quidem quomodò futura sit de vnoquoque redargutio, accuratè docuit: quia tamen nonnulli non admodum facilè hæc assequi videri possunt, sigillatim explicandum arbitror, & quisnam singulorum sit sensus clariùs exponendum. Primo itaque loco ponitur redargutio de peccato: Qui verò mũdum arguet? Nempè cùm in diligentibus Christum, C ceu dignis ac fidelibus habitauerit, tunc certè, tunc mundum, hoc est impetitos, & infideles adhuc, & voluptatum studiis affixos ipsâ re arguet, condemnabitque vt peccatis obnoxios, suisque vitiis immorituros: nequaquam enim Deus personas respiciet, neque his hominibus sine iustâ causâ largietur Spiritum, aliis non item: sed in solis dignis inhabitare faciet Paracletum, qui per fidem sinceram vt Deum reuerà coluerint, & vniuersi opificem ac Dominum confessi fuerint. Quod ergo Seruator prius Iudæis dixit, *Si non credideritis quia ego sum, in peccatis vestris moriemini*, rebus ipsis verum id esse Paracletus ostendet, cùm venerit. Rursùs autem *arguet mundum*, inquit, *de iustitiâ, quia ad Patrem vado, nec ampliùs videbitis me.* Iure enim patrocinabitur iis qui in Christum, post ascensionem eius in cœlos crediderint, vt qui iustè iustificati sint. Susceperunt enim vt Deum verum quem non viderunt, & cum suo Patre considere crediderunt. Quòd enim Christus beatos vocaret eos qui sic crederent, facilè discet quisquis illorum meminerit quæ dixit Thomas, ac fecit. Nam cùm de resurrectione Filij adhuc dubitaret, *Nisi mittam*, inquit, *manum meam in latus eius, & videro fixuram clauorum, non credam.* Postquam autem credidit, Christo quod facere voluisset ei permittente, quosnam sermones audiit? *Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Iustè itaque iustificati sunt, qui etiam eo minimè conspecto crediderunt: mundus autem eâ re excidit, iustitiam quæ ex fide est non amplexus, sed in suis malis studiosè volutatus. Operæpretium autem est agnoscere duas illas reprehensiones, non aduersùs Iudæos tantùm, sed aduersùs quemlibet potiùs hominem durum atque præfractum per Paracletum futuras. Mundi quippe appellatio significat etiam eum, qui in voluptatibus perpetuò volutatur, & ab impietate diabolicâ non recedit, nec minus præterea significat eos qui per totum orbem terrarum sparsi sunt, & eum inhabitant. Generalis ergo est, & ad omnes pertinet duplex ista reprehensio. Christus enim non tantùm Iudæos, sicut principio, aut solùm semen Israël, sed vniuersum Adami genus, quod lapsum erat, vocauit ad salutem. Non enim gratia aliquâ parte tenus, sed in omnem terrarum orbem fidei bonum diffusum est.

Spiritus vt de peccato arguat mũdum.

Ioan. 8. v. 24.

Vt de iustitiâ.

Ioan. 20. v. 25.

Ibid. v. 29.

Mundi appellatione veniũt omnes mali.

Tertia reprehensio per Spiritum futura est, vt ait Seruator, iustissima principis huius mundi condemnatio. Quomodò autem, exponam demùm. Testimonium namque gloriæ Christi perhibebit, & ipsum ostendens esse vniuersi Dominum, mundum erroris arguet, vt qui relicto vero ac naturali Deo, non naturalem, id est, satanam adorarit. B Sufficit enim ad ostendendum ita se habere rei naturam, latum in eum iudicium: non enim alioqui condemnatus, & infirmatus fuisset, nec temerarij erga Deum ausus pœnas dedisset, in caliginem inferni detrusus, si naturâ Deus esset, cuius virtus & gloria concuti nequit. Nunc verò tantùm abest vt suum honorem tueri possit, vt pedibus virorum spiritualium aut fidelium potiùs subiectus sit, qui Christum etiam Deum esse confessi sunt. Eum enim conculcant siue tentet, siue oppugnet. Cùm ergo impurorum dæmonum agmen eorum oratione, & efficaciâ ac virtute Spiritus cohorrescere videas & expelli, quomodò non meritò condemnatum satanam esse dices? Condemnatus enim est, eò quòd non potest ampliùs illos imperio suo premere, qui sancto Spiritu signati sunt in iustitiam & sanctificationem per fidem in Christum. Alioqui, quomodo quæso vim eius omnem proculcassemus, iuxta id quod in Psalmis scriptum est ad omnem hominem *qui habitat in adiutorio Altissimi: Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem?* Cùm ergo Paracletus in sanctas animas cœlitus illabetur, & iustè eis propter sinceram & incorruptam fidem missus apparebit, tunc peccati reum mundum arguet, & D supernâ gratiâ orbatum, quia Redemptorem auersantur. Rursus autem ipsum arguet, tanquam qui iniquè peccati accusarit eos qui iam crediderunt. Meritò enim iustificati sunt, licet Christum ad Deum reuersum, & miracula patrantem non spectarint, ea fide prosequentes. Tale quid autem arbitror Apostolum in animum induxisse, cùm ait: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? Omnis enim iniquitas os suum oppilauit*, iuxta Psalmistæ vocem, nihil habens in quo reprehendat per fidem electos, & iustitiæ quæ ex fide est gloriâ redimitos. Arguet autem mundum vt seductum, & in eum qui sic condemnatus est E spes suas ponentem, vt omni quidem vetere gloriâ exciderit, ac pro nihilo sit à Dei cultoribus habendus. Principem verò sæculi huius vocauit Deus, non quasi verè istud sit, nec quasi essentialem habeat illam imperandi dignitatem, sed quia per fraudem & rapinam hanc sibi gloriam peperit, & quia in errantibus adhuc imperat, ac regnum suum exercet, propter nefarium eorum institutum, quo errori mente affixâ, ineluctabili captiuitatis vinculo obstricti sunt, quamuis eis fugere liceat, per fidem in Christum ad agnitionem veri Dei translatis. Adulterinum igitur est satanæ nomen istud, principatus, quod ei naturâ quidem haud inest, sed in errantium exectabili prauitate conseruatur.

Tertia reprehensio, quia condemnatus est mundi princeps.

Diabolus sanctorum pedibus cõculcatur.

Psal. 90. v. 1. 13.

Rom. 8. v. 33.

Psal. 106. v. 42.

Mundi ac sęculi princeps, prauitate maiorum.

V. 12.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, &c. Cùm eos ex iis quæ iam futura didicerant vehementi mœrore pressos animaduerteret, anxiéque admodum ferre quæ ventura expectabantur, (*impleuit*, enim, inquit, *tristitia corda eorum*) alterius oneris accessione insuper grauandos esse non putauit, sed opportuno veluti silentio premit, quæ non mediocriter eos percellere poterant: & reuelationi per Spiritum ac illustrationi congruo tempore futuræ, quod eis ad cognitionem deerat reseruauit. Fortè verò cùm adhuc imbecilliores ad comprehendendum mysterium videret, propterea quòd nondum illustrati erant per Spiritum, nec diuinæ adhuc erant consortes naturæ, (*nondum enim erat Spiritus sanctus*, vt ait sanctus Euangelista, *quia nondum Christus clarificatus erat*) idcircò hæc ait, significare volens scilicet altissima sibi adhuc superesse reuelanda, & captum hominum excedentia mysteria: sed nolle id nunc præstare, idque meritò, cùm eos nondum illis capiendis idoneos cerneret. Cùm enim vos alios à vobis, inquit, meus Spiritus effecerit, vestramque mentem reformauerit, vt legales demum figuras contemnere velitis ac possitis, & spiritalis cultus pulchritudinem amplecti vmbrisque veritatem anteponere, tunc, inquit, tunc perfacilè quæ de me scripta sunt intelligere poteritis. Plana enim & expedita demùm in vobis doctrina locum habitura est. Hæc itaque Dominum suis Discipulis dicere quispiam existimarit. Eundem verò sensum habet, quod rursùs per modum exempli dixit: *Nullus immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, neque vinum nouum mittunt in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur: sed vinum nouum in vtres nouos mittendum.* Qui nondùm enim ad nouitatem vitæ, & cogitationis reformati sunt per Spiritum, capere quodammodò nequeunt noua Euangelicæ prædicationis documenta, & de sanctâ Trinitate mysteria. Renouatione ergo illâ quæ per Spiritum futura est spiritaliter, altiorum rerum explicatio credentium in Christum menti commodè reseruatur, quæ non ampliùs legalis literæ vetustati inhærere patitur, sed nos potiùs reformat in cogitationum nouitatem, eáque sensa nobis indit, quibus veritatis pulcritudinem intueri liceat.

Importabilia discipulis audita, tristitia alia per Spiritū reuelanda. Maiora alia, quàm pro illorum tunc captu. Diuinæ naturæ consortiū, per infusionem Spiritus.

Ioan. 7. v. 39.

Matth. 9. v. 16.

Quòd autem ante Christi Seruatoris nostri resurrectionem, & priusquam essent Spiritus participes Discipuli Iudaïco more viuerent, ac Legali disciplinæ adhærerent, licet maius omninò sit Christi mysterium, quiuis animaduertere facilè potest. Et quidem beatus Petrus, licet sanctorum Discipulorum præpositus, enarranti aliquando Seruatori quam in cruce subiturus esset passionem, quantisque ludibriis ac probris à Iudaeis afficiendus esset, reclamabat dicens: *Absit à te, Domine: non erit tibi hoc*: quamuis palàm & apertè sancti Prophetæ prædicarint non passurum eum modò, sed & quanta passurus esset. Præterea obseruandum quod in Actibus Apostolorum scriptum legimus, Petrum esurisse aliquando, & gustare cibum voluisse: deinde conspicatum linteum cœlitùs in terram demitti, quatuor initiis alligatum, in quo apparebant omnis generis animalia terrestria, natatilia, & aëria, factáque de cœlo voce, *Surge Petre, occide & manduca*, respondit Petrus, *Absit Domine: quia nunquam manducaui omne commune aut immundum.* Ideóque iurè reprehensus est, denuò audiens, *Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris.* Atqui meminisse oportebat scilicet Seruatorem nostrum ad Iudæos sæpe dixisse, *Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Cernis itaque, quomodò iis opus esset illustratione Spiritus? vides vt ad meliorem & sapientiorem habitum, quàm qui in Iudæis erat, refingi eos opporteret? Quippe postquàm supernâ ac cœlesti gratiâ ditati, *mutauerunt*, vt scriptum est, *fortitudinem*, & potiori quàm priùs cognitione præditi fuerunt, tunc liberè & intrepidè eos dicentes audiuimus, *Nos autem sensum Christi habemus.* Mentem verò Seruatoris nihil aliud intelligunt, quàm sanctum, qui in eos illapsus est, Spiritum, congruâ eis ratione cuncta reuelantem, quæcunque nosse ac discere oportebat.

Discipuli ante aduentum Spiritus rudes mysteriorū Christi.

Matth. 16. v. 22.

Act. 10. v. 13.14.15.

Matth. 15. v. 11.

Isai. 40. v. 31.

1. Cor. 2. v. 16.

Christi mentem habere, id est, Spiritum sanctum.

V. 13.

Cùm ergo venerit ille, id est Paracletus, *Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Vide autem quanta ei sit in dicendo solertia. Nam cùm venturum ad eos Paracletum antea dixisset, Spiritum veritatis eum nominauit, id est suum: ipse enim est veritas. Nam vt scirent Discipuli non alienæ ac peregrinæ virtutis illapsum, sed semetipsum alio modo tradendum polliceri, Spiritum veritatis, id est suum, Paracletum appellat. Spiritus enim sanctus nullo modo ab Vnigeniti substantiâ alienus intelligitur, sed ex eâ naturaliter procedit, identitate naturæ aliud nihil ab ipso existens, licet in propriâ personâ subsistere intelligatur. Spiritus ergo veritatis, inquit, ad omnem veritatis cognitionem vos deducet. Cùm enim exactè cognoscat veritatem, cuius & Spiritus est, eam non ex parte suis cultoribus, sed integrè potiùs eius infundet mysterium. Tametsi enim *ex parte* modò *cognoscimus*, vt Paulus ait, integer tamen veritatis splendor in hac paruâ cognitione nobis infulsit. Vt ergo *nemo scit quæ sunt hominis*, vt scriptum est, *nisi hominis spiritus qui in ipso est*, ita & iuxta Pauli vocem, *quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei qui est in ipso.* Cùm ergo venerit, inquit, Paracletus, *nihil à semetipso loquetur*; pro eo quod est, instillabit quidem vobis, & veritatis reuelabit mysterium: nihil tamen loquetur prorsùs quod mihi non placeat, sed nec peregrinam vobis doctrinam tradet: nec enim suas vobis leges inferet, sed cùm Spiritus & mens quodammodò mea sit, omninò quæ in me sunt loquetur. Et hæc quidem Seruator ait, non vt ministri locum tenere Spiritum sanctum putemus, iuxta nonnullorum inscitiam: sed quia discipulos certiores potiùs facere voluerit, quòd cùm aliud à se non sit Spiritus suus, consubstantialitatis nempe ratione, hæc vtique loquetur, & operabitur, & volet. Idcirco enim addidit, *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*, propemodùm dicens: Signum hoc erit vobis, omninò ex meâ substantiâ Spiritum esse, & meam veluti mentem esse, quòd ventura prædicaturus sit, non secùs ac ego. Prædixi enim, licet omnia discere non possitis. Nec enim, vt ego, ventura prædixerit, nisi & in me sit, & per me procedat, & eiusdem sit mecum substantiæ.

Spiritus veritatis, id est, Filij.

Procedit à Filio.

1. Cor. 13. v. 9.

1. Cor. 2. v. 11.

Sic Anomæi ac similes hæretici.

V. 13.

Vide τῶν ἰὰ & διὰ vsum promiscuum, in materiâ de Spiritu sancto, verùm vt in aliis sic in eâ Græci obseruare Cyrillum.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quasi dignis reuelaturo sancto Spiritu Christi mysterium, & accuratè declaraturo quisnam naturâ, quantæque sit virtutis ac potentiæ, & quòd in omnes vnà cum Patre regnet, necessariò subiungit, *Ille me clarificabit.* Nostram quippe mentem supra Iudæorum

V. 14.

Spiritus vt clarificet Filium.

cogitationes euehit, nec tam abiectè de eo sentire nos sinit, vt hominem nudum ac simplicem eum esse putemus, aut paulò Prophetis maiorem, nedùm illorum gloriâ minorem. Talia quippe de eo sensisse comperiemus Iudæorum doctores ac duces, qui cùm pietatis ignorarent mysterium, crebris maledictis Christum prosequebantur, suumque furorem eius sermonibus opponentes, modò quidem aiebant, *Tu quis es? Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Quem teipsum facis?* modò verò generis ignobilitatem ac vilitatem ei exprobrantes, *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodò ergo dicit, Quia de cælo descendi?* Vides hîc miseras & putidas Iudæorum ratiocinationes. Cùm ergo eo animo multi essent, existimarentque reuerà Deum non esse Dominum, propter caducam hanc corporis figuram, & abiectissimam de eo opinionem concipere ausi essent, gloriam eius Sanctis manifestaturus Spiritus è cœlo delapsus est, neque verò sapientibus tantùm sermonibus, sed & rerum demonstratione certissimam vnicuique fidem facturus erat Deum verè, Deique ac Patris substantiæ fructum eum esse. Quænam ergo est illa demonstratio, aut quomodò clarificaturus Christum erat? Nempe cùm admirabilem ac Deo dignam in omnibus operandi vim habeat, & omnium rerum perfectissimam cognitionem Sanctis inserat, idcirco hinc ei gloriam conciliaturus erat. Soli quippe naturæ vniuersi Reginæ competit cuncta nosse, extra cuiusquam operam, eáque nuda & aperta in oculis habere, & quodcunque velit facilè perficere. Clarificat itaque Filium Paracletus, id est, proprius eius Spiritus, qui omnia potest, & omnia nouit. Quomodò verò clarificat? Nam quæ nouit ac potest Spiritus eius, quomodò ipse non nouerit, aut quomodò non possit? Quòd si, vt ipse ait, de suo Spiritus accipit, quamuis omnia possit, & faciat, quomodò ipse omnium rerum potestatem non habebit?

Ioan. 8. v. 52. — Ioan. 6. v. 42. — Christus, fructus Dei substantiæ. — Dei proprium nosse omnia, & posse. — Heb. 4. v. 13

Neque verò vllo modo suspicandum est Paracletum, id est Spiritum, naturali & insitâ sibi virtute esse destitutum, vt nisi forsan acceperit, ne satis quidem sibi futurus sit vt opera diuina perficere queat. Extremæ quippe impietatis eum iurè teneri necesse est, quicunque aliquid horum verum esse putauerit. Sed quoniam consubstantialis est Filio, & modo Deo congruenti per ipsum procedit, omnem eius perfectissimam in omnibus operandi vim atque efficacitatem habens, idcirco dicit, *Quia de meo accipiet.* Ipsum enim subsistere per se Spiritum credimus, & esse reuerà id quod est ac dicitur, inexistere tamen in substantiâ Dei, & ex eâ procedere, omnia quæ eius sunt in se habentem naturaliter: nec enim per participationem, neque per modum habitudinis, neque tanquam aliud quiddam sit ab eâ, quia proprius est eius. Quemadmodum enim qui ex odoriferis floribus existit odor, naturalem suam efficacitatem seu odoriferam qualitatem extrinsecus edit, corporis partibus odorandi vi præditis illabendo: & quidem quod ad concipiendi rationem attinet, videtur quid distinctum atque aliud esse à naturâ rei à quâ emittitur, si verò in seipso consideretur, nihil aliud à rebus ex quibus & in quibus existit habet: ita de Deo & Spiritu sancto intelliges, si tamen sublimiùs exempli vim acceperis. Citra culpam igitur & reprehensionem omnem dici potest ab Vnigenito quiddam accipere Spiritum eius. Nam cùm per ipsum procedat naturaliter, vtpote cùm sit eius proprius, vnà cum omnibus quæ perfectè habet, accipere dicitur, quæ eius sunt. Quòd si crassioribus verbis expositum sit, scandalizari tamen haud decet: quin potiùs linguæ nostræ inopiam causabimus, quæ diuina hæc pro eo ac decet efferre non potest. Quæ enim oratio ineffabili illâ naturâ & gloriâ minor non est? Annuntiabit igitur vobis, inquit, de meo accipiens Paracletus, hoc est, nihil aliud quàm quod mihi visum erit loquetur: & cùm sit meus Spiritus, eadem omninò mecum loquetur, & quæ meæ voluntatis sunt annuntiabit.

Accipit Spiritus à Filio, quia per ipsum procedit. — Simile à corporibus odoratis.

BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI in superius Euangelium.

HOMILIA.

Sicut ex lectione Euangelica, fratres charissimi, audiuimus, Dominus ac Redemptor noster imminente suæ passionis articulo discipulis & gloriam ascensionis, quâ ipse post mortem & resurrectionem erat clarificandus, & aduentum Spiritus sancti, quo illi erant illustrandi, patefecit: quatenus instante horâ passionis eiusdem, minùs pro illius morte dolerent, quem post mortem ad cœlos subleuandum non dubitarent; minùs de suâ desolatione trepidarent, quos abeunte licet Domino, Spiritus sancti gratiâ consolandos esse sperarent.

Vado, inquit, *ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?* Ac si apertè dicat: Reuertor ascendendo ad eum qui me incarnari constituit, & tanta tamque manifesta erit eiusdem ascensionis claritas, vt nemini vestrum opus sit interrogare quò vadam, videntibus cunctis quia ad cœlos pergam. Benè autem cùm de ascensione suâ dixisset, *Vado ad eum qui me misit*, addidit, *& nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?* Superiùs namque cùm de suâ passione protestaretur, dicens, *Quò ego vado, vos non potestis venire*, interrogauit eum Petrus, & ait: *Domine, Quò vadis?* Responsumque est ei: *Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea.* Quia nimirum passionis mortisque eius mysterium necdum intelligere, necdum poterant imitari: maiestatem verò ascensionis statim vt videre, cognouerunt, totisque animi votis vt sequi mererentur optabant.

Ioan. 16. v. 5. — Christi Ascensio manifesta, vt nullius esset interrogandi locus. — Ioan. 13. v. 36.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sciebat Dominus ipse quid hæc sua verba in discipulorum cordibus agerent, quia videlicet tristitiam magis de abscessu quo eos desereret, quàm de ascensu quo Patrem peteret, lætitiam generarent. Vnde benignè consolando subiunxit: *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Expedit vt forma serui vestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor diuinitatis arctiùs vestris infigatur in mentibus. Expedit vt notam vobis formam cœlo inferam, quatenus maiori per hoc desiderio illuc suspiretis, sicque suspensis ad superna cordibus vestris, ad accipienda iam Spiritus sancti dona capaces fiatis. *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

V. 6. — V. 7. Consolatur de suo discessu, eius vtilitate expositâ.

Non quia non poterat ipse in terrâ positus dare Spiritum discipulis, hæc loquitur, cùm apertè legatur, quia post resurrectionem apparens eis, insufflauit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum.* Sed quia ipso in terrâ posito, & corporaliter conuersante cum eis, non valebant illi erigere mentem ad sitienda munera gratiæ cœlestis: ascendente autem ipso ad cœlos, & illi pariter omne desiderium suum illò transferebant, iuxta hoc quod alibi audierunt: *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Ideoque capaces Spiritus iam facti erant, non vltra de morte eius contristati, sed de promissionis eius munere læti, Lucâ attestante qui ait: *Et factum est dum* B *benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Patet autem, nec laboriosâ expositione indiget, cur eundem Spiritum Paracletum, id est, consolatorem cognominet: quia nimirum corda discipulorum, quæ recessus ipsius mœsta reddidisset, huius consularetur & recrearet aduentus. Sed & singulis quibusque fidelium vel de peccati perpetratione mœrentibus, vel communi huius sæculi afflictione laborantibus, dum spem veniæ & misericordiæ cœlestis inspirat, profectò ab angore tristitiæ mentem illustrando subleuat. Quia verò Spiritus eidem menti, quam repler, non solùm vim C diuinæ charitatis infundit interiùs, verumetiam carnali timore depulso, ad increpandam prauitatem malorum suis fiduciam præstat, rectè subditur.

Ioan. 20. v. 22.
Præsentia eius corporalis vt impediret accipere Spiritum sanctum.
Matth. 6. v. 21.
Luc. 24. v. 51.
Spiritus sãctus, vnde appellatus Paracletus, id est, consolator.

V. 8. *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio.* Claret namque, quòd ipse Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, cum esset in mundo, arguebat mundum, id est, sectatores mundi, de peccato suæ incredulitatis: arguebat de iustitiâ, quia videlicet iustitiam fidelium nollent imitari: arguebat de iudicio, videlicet quare diabolum qui iam iudicatus ac condemnatus erat, sequerentur. Sed non sine causâ Spiritum cùm venerit hoc idem dicit acturum, quia profectò per huius inspirationem D corroborandus erat animus discipulorum, ne mundum qui contra se fremebat, arguere timerent. Exponens ergo sententiam suam Dominus, adiunxit.

Christus arguebat & ipse mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio.

V. 9. *De peccato quidem, quia non credit in me.* Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum est vitiorum in incredulitate persistere, Domino terribiliter attestante, qui dicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* At contrà *iustus ex fide viuit.*

Infidelitas, peccatum antonomastice.
Ioan. 3. v. 18.
Habac. 2. v. 4.

De iustitiâ verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. Iustitia discipulorum Christi confessio erat, quòd Dominum quem verum E hominem cernebant, verum quoque Dei Filium esse crediderunt: & quem sibi corporaliter ablatum nouerant, certo semper amore colebant. Iustitia cæterorum fidelium, id est, eorum qui Dominum in carne non viderunt, hæc est, quòd eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum & hominem verum corde credunt ac diligunt. De quâ profectò iustitiâ fidei arguuntur infideles cur ipsi videlicet cùm similiter verbum vitæ audierint, noluerunt credere ad iustitiam. Neque enim nequitia malorum ex suâ solùm tor- A titudine, verùm etiam ex comparatione rectorum quàm sit damnanda monstratur. Hinc etenim scriptum est: *Probata autem virtus corripit insipientes.* Arguit ergo mundum Spiritus sanctus de peccato suo, quia non crediderit in Christum: arguit & de iustitiâ credentium, quia exemplum eorum sequi noluerint, qui hunc ad Patrem ascendisse, neque vltra corporaliter in terris conuersaturum esse sciebant, nec tamen ab eius dilectione poterant vllâ ratione separari. Hoc est enim quod ait, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Non videbitis me postquam ascendero, qualem nunc videre soletis, carne mortali & corruptibili circundatum: sed in ma- B iestate ad iudicium venientem, & peracto iudicio in maiore gloriâ Sanctis apparentem. Sequitur.

Iustitia discipulorum.
Cæterorum fidelium.
Sap. 1. v. 3.
Spiritus sãctus vt de illâ mundũ arguat.

V. 11. *De iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est.* Principem mundi diabolum dicit, quia principatur eis, qui ordine peruerso mundum potiùs quàm mundi conditorem diligunt. Qui iudicatus est à Domino, qui ait: *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Iudicatus est ab eo, cùm & ipse dæmonia eiiceret, & discipulis daret potestatem calcandi super omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mundus de iudicio, quo diabolus est iudicatus, quando homines ne Dei voluntati resistere præsumant, exem- C plo damnari propter superbiam terrentur Archangeli. Arguit mundum Spiritus sanctus de iudicio quo princeps mundi iudicatus est, cùm loquens in Spiritu sancto Iudas Apostolus ad corrigendam hominum prauorum nequitiam, pœnam superbientium commemorat Angelorum, dicens: *Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Sequitur.

Diabolus appellatus princeps mundi huius.
Luc. 10. v. 18.
Mundus vt arguatur de iudicio.
Iudæ v. 6.

V. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Certum est quidem, quia veniente desuper Spiritu D Apostoli maiorẽ multò scientiam veritatis, quàm carnales catenus potuere, consecuti sunt: maiori desiderio certandi pro veritate succensi sunt. Non tamen putandum est in hac vitâ quempiam omnem veritatem posse comprehendere, cùm hæc fidei nostræ merces in aliâ sit vitâ promissa, ipsâ veritate dicente: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et alibi ad Iudæos: *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.* Vnde & Apostolus qui ad tertium cœlum raptus audiuit arcana verba, quæ non licebat homini loqui, *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Intelligendum est ergo quod ait de Spiritu, *Docebit vos omnem veritatem*, quasi diceret: Diffundet E in cordibus vestris charitatem, cuius magisterio intus edocti proficiatis de virtute in virtutem, dignique efficiamini peruenire ad vitam, in quâ vobis æterna claritas summæ veritatis, & veræ sublimitatis, id est, contemplatio vestri conditoris appareat.

Nemo in hac vitâ omnem cõprehendit veritatem.
Ioan. 17. v. 3.
Ioan. 8. v. 31.
2. Cor. 12. v. 2.
1. Cor. 13. v. 9.
Vt eam doctura dicatur Spiritus sanctus.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur. Non loquitur Spiritus à semetipso, id est, sine Patris & Filij communione, neque enim diuisus ac à se partitus est Spiritus: *sed quæcunque audiet, loquetur:* audiet videlicet per veritatem substantiæ, & proprietatem scien-

Vt ille audiat, nec loqui à semetipso.

tiæ. Non loquitur à semetipso, quia non est à semetipso. Pater quippe solus, de alio non est. Nam & Filius de Patre natus est, & Spiritus sanctus de Patre procedit. Ab ipso autem audiet Spiritus à quo procedit, quia non est à seipso, sed ab illo à quo procedit. A quo illi est essentia, ab illo vtique & scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quàm scientia. Quod verò adiunxit, *Et quæ futura sunt, annuntiabit vobis*. Constat innumeros fidelium per donum sancti Spiritus prænouisse ac prædixisse ventura. Sed quia sunt nonnulli qui Spiritus gratiâ pleni infirmos curant, mortuos suscitant, dæmonibus imperant, multis virtutibus coruscant, ipsi angelicam in terris vitam gerunt, nec tamen quæ sibi sint ventura Spiritus eiusdem reuelatione cognoscunt. Potest hic Domini sermo etiam sic accipi, quia Spiritus adueniens quæ ventura sunt nobis annuntiat, cùm gaudia nobis patriæ cœlestis ad memoriam reducit, cùm festa illa supernæ ciuitatis per donum nobis suæ aspirationis innotescit. Ventura nobis annuntiat, cùm nos à delectatione præsentium abstrahens, promissi in cœlis regni desideriis inflammat.

Quæ sunt ventura, id est, futuram beatitudinẽ vniuersam quibus aduenit, annuntiat.

V. 14. Quomodò Spiritus sãctus clarificauit Christum.

Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Spiritus clarificauit Christum, quia per eum tanta charitas in cordibus discipulorum accensa est, vt abiecto timore carnali effectum resurrectionis eius constantes prædicarent, à quo tempore passionis pauidi fugerunt. Vnde scriptum est: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiduciâ*. Spiritus clarificauit Christum, cùm impleti gratiâ spirituali doctores sancti, tot & tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem totum ad fidem Christi conuerterent: tot ac tanta pro Christi nomine passionum certamina pertulerunt, donec ipsa etiam superborum colla persecutorum suauissimo Christi iugo submitterent. Spiritus clarificat Christum, cùm sua nos inspiratione ad diligendam eius visionem accendit, cùm illum Patri in diuinitate æqualem esse credendum fidelium cordibus intimat.

Act. 4. v. 31

Quia de meo, inquit, *accipiet, & annuntiabit vobis*. De Patre accipit Spiritus sanctus, vnde accipit & Filius: quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, Pater est solus.

V. 15.

Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. De his dixit quæ ad ipsam Patris diuinitatem pertinent, in quibus illi est æqualis omnia quæ habet Pater habendo. Neque enim Spiritus sanctus de creaturâ quæ Patri est subiecta & Filio erat accepturus, quod ait, *de meo accipiet*, sed vtique de Patre de quo procedit Spiritus, de quo natus est Filius.

Vide hæc pleniùs exposita à B. Augustino. Moralis exhortatio.

Sed quia donante Domino, lectionem sancti Euangelij Patrum vestigia sequentes exponendo transcurrimus, restat vestram fraternitatem, charissimi, mecum pariter admonere, vt eius memoriam solicitâ semper [mente] in teoratione seruemus, & eius suauitatem deuoto pectore scrutemur, & casto sæpiùs ore ruminemus. Quid enim prodest ad audiendum Dei verbum conuenire, & expleto auditu ad inania mox & sæcularia colloquia vel acta conuerti? Recolamus ergo iuxta quod eadem admonet lectio, quia Dominus noster expletâ passione rediit ad Patrem à quo missus est, nec Patrem cùm ad nos veniret, nec nos deserens cùm rediret. Illuc eius vestigia toto mentis nisu sectemur, & vt illò peruenire, & illius regni ianuam mereamur intrare, perpendamus magnopere quibus actionum gressibus in terrâ degens incesserit. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare*. Certè ipse per agones passionum ad coronam peruenit gloriæ. Meritò ergo intimatur & nobis, *quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Vnde & Apostolus Petrus, obsessis feruore tentationum quibusdam fratribus, consolans aiebat: *Nolite pauere, quasi noui aliquid contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*.

Sequenda Christi vestigia, vt quo ille peruenia-mus.

1 Ioan. 2. v. 6.

Act. 14. v. 21.

1. Pet. 4. v. 12.

Reuocemus ad mentem quia gratiam Spiritus discipulis & se missurum esse promisit, & misit: & caueamus omni vigilantiâ ne cogitationibus illecebrosis *contristemus Spiritum sanctum Dei in quo signati sumus in diem redemptionis*. Sic enim scriptum est: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu*. Vnde prouide Psalmista cùm huius Spiritus accendi desiderio flagraret, priùs cordis mundi hospitium, in quo hunc recipere posset, & sic demum tanti hospitis ingressum quærebat. *Cor mundum*, inquit, *crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis*. Priùs quippe cor mundum in se creari, ac deinde Spiritum rectum in suis visceribus precabatur innouari: quia vtique sciebat Spiritum rectum in corde polluto sedem habere non posse.

Mundandũ cor, vt recipiat Spiritum sanctum.

Eph. 4. v. 30.

Sap. 1. v. 5.

Psal. 50. v. 20.

Retineamus sedulo corde, quia idem Spiritus arguit mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio. Caueamus ne ima quærendo ad mundum pertineamus, quia *mundus transibit, & concupiscentia eius*. Quæ sursum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapiamus, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens: conuersationem nostram cum Apostolo habeamus in cœlis; & ne de peccato incredulitatis arguamur, exerceamus operando quod credimus: fides enim sine operibus otiosa est. Ne ex comparatione iustorum, quos imitari noluerimus acriùs iudicemur, solerti animo memoremus quod de contemptoribus suæ gratiæ Dominus ait: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione istâ, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic*. Ne cum mundi principe damnemur, resistamus illi fortes in fide, & fugiet à nobis. Loquamur veritatem in corde nostro, nec faciamus dolum in linguâ nostrâ, vt Spiritus veritatis magis magisque diffundendo charitatem in cordibus nostris, ducat nos ad agnitionem omnis veritatis. Huius Spiritus gratiam in cunctis actibus nostris, charissimi, huius precemur auxilium: dicamus singuli Domino, dicamus omnes: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, sicque fiet, vt qui Apostolis superueniens ea quæ ventura erant annuntiauit, nostris quoque mentibus venturæ vitæ gaudia patefaciat, nos ad hæc inquirenda benignus incendat, cooperante ipso, qui hunc & polliceri suis fidelibus & dare consueuit, Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat cum Patre, in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. Ioan. 2. v. 17.

Col. 3. v. 1.

Phil. 3. v. 20.

Fides sine operibus vana.

Matth. 12. v. 42.

Iacob. 4. v. 7.

1. Petr. 2. v. 9.

Psal. 142. v. 10.

DOMINICA

DOMINICA V. POST PASCHA.

IOAN. XVI.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Amen, amen di-
a Quod sit aliquid, non nihil.
co vobis: [a] si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit
b Confisi meæ præsentiæ. c Quod aliquid sit comparatione rei permanentis. d Quod non cognouistis sicut cognoscendum est.
vobis. [b] Vsque modò non petistis [c] quidquam in [d] nomine
e Nunc autem petite vt gaudium vestrum sit plenum quod est in æternis, & verè accipietis.
meo. [e] Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.
Hæc in prouerbiis loquutus sum vobis. Venit hora, cùm iam
non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo
f Intus in corde, non aure. g Quia nihil tunc deerit, & si nunc rogo.
[f] annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, [g] quia
h Ideo ita exaltamini.
ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim [h] Pater amat vos, quia vos me amastis, &
i Carne sumptâ, non tamen deserui. k Autem. l Visibiliter. m Corporali discessione, non gubernatione præsentiæ.
credidistis, quia [i] à Deo. Exiui [k] à Patre, & [l] veni in mundum [m] Iterum relinquo
n Palam loqui existimant, cum dictorum eius nequeant comprehendere mysteria.
mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc [n] palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est
o Doceat, qui sponte omnia dicis, sciens quid quæsiturus velit: aliis opus est interrogare, quia aliter nesciret quid quæsitor scire vellet. p Quod scis omnia.
[o] tibi, vt quis te interroget. [p] In hoc credimus quia à Deo existi.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Ioan. 16. v. 23. 

Iquid. AVGVST. Ita sanè intelligendum est, quod ait: *Dabit vobis*; vt ea beneficia significata sciantur, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Exaudiuntur enim sancti pro seipsis, non autem pro omnibus aliis amicis, vel inimicis. *Dabit vobis.* In futuro non rogabitis, sed modò, *Petite, & dabitur vobis*, quod ad vos pertinet: & si non omnibus illis quibus petitis; & ideo dicitur, *vobis.*

V. 25. *Hæc in prouerbijs.* Quæ hucusque dixi, quasi in prouerbiis (quæ solent homines audire, sed non intelligere) dixi: quia animales estis. *Animalis autem, qui non percipit quæ sunt spiritus Dei*, quæcunque dicuntur de incorporeâ & immutabili substantiâ, habet quasi prouerbia. Sed venit hora, quâ dato Spiritu faciam vos spirituales: vt certissimâ intelligentiâ mentis (& si non vt in futuro) Deum videatis: & tunc palam de Patre nuntiabo, vt ipsum & me eiusdem substantiæ intelligatis. Et tunc *in nomine meo petetis*, quia tunc verè cognoscetis & scietis quòd si vt homo rogo Patrem, vt Deus exaudio cum Patre. Vnde dicit: *Et non dico vobis, quoniam ego rogabo Patrem.* Quomodo possunt petere plenum gaudium, subdit, quia de animalibus (quod sunt) faciet spirituales; vt ablatis omnibus imaginibus corporum, purâ facie mentis sincerè luci cohæreant.

1. Cor. 2. v. 14.

Spiritus sanctus facit homines spirituales.

V. 26.

V. 7. *Ipse enim Pater.* Amat nos Pater, quia amamus Filium, cum à Patre & Filio accepimus vt A amemus Patrem & Filium: datâ charitate per Spiritum, quem & ipsum amamus cum Patre & Filio: prior amans facit in nobis quòd ametur.

V. 28. *Iterum relinquo.* Reliquit mundum corporali præsentiâ. Vadit ad Patrem: quia humanitatem ad inuisibilia Paternæ maiestatis induxit. Reliquit mundum, quia ab aspectu amatorum mundi, quod videbant, abstulit. Redit ad Patriem, quia amatoribus suis se æqualem credendum docuit Patri.

V. 29. *Dicunt.* Cùm nondum venisset hora, quam promisit. *Ecce nunc palam loquitur.* Illa quæ Dominus scit non intelligentibus esse prouerbia, B illi vsque adeo non intelligunt, vt nec saltem se non intelligere intelligant. De quâ eorum infirmitate admonens, respondit, *Modò* V. 31. *creditis? Nunc scimus.* Apertè ostendunt, quia loquens de eis ad eos, maximè agebat quæ illos delectabat audire: & quæ ipsi interrogare volebant, hæc ipse præueniens vltrò proferebat: & ideo illum quia cogitationes nouerat, confitentur scire omnia quasi Deum & Dei Filium. *Et non opus est.* Cùm scias omnia, non est opus vt interroges aliquem à quo aliquid scias: Vel etiam interrogeris ab aliquo, præsciens quid ille velit. Si autem aliquando interrogauit vel interrogatus est, non eis, sed aliis opus fuit. C

A Paschate.

CATENA AVREA,
in idem Euang.

Ioan 16. v. 23. Hom. 78. in Ioan.

A*Men, amen dico vobis, &c.* CHRYS. Ostendit autem nominis virtutem, si non visus neque rogatus, sed nominatus solùm apud Patrem facit mirabilia. Non ergo ait, existimetis quia

de reliqun nnn ero vubiscum, vos derelictos esse: nnmen enim meum maiorem dabit vobis securitatem: vnde sequitur, *Vsque modò non &c.*

In hoc loco.
THAOPH. Alacritas enim vestra, tunc erit, integerrima, cùm ad vota vobis penta succedent.

Hom. 78. in Ioan.
CHRYS. Quia igitur obumbrata etant quæ dicta suot, subiunxit, *Hæc in prouerbis loquntus sum vobis, &c.* Id est, erit tempus quandn scietis nmnia manifestè (dicit autem resurrectionis tempus) *sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.* Etenim quadraginta dicbus disputauit cum eis cungregatis, loquens de tegno Dei. Et nunc, inquit, in timore existentes non attenditis his quæ dicuntur: tunc autem resuscitatum videnics, poteritis palam omnia discete.

In hoc loco.
THEOPH. Adhuc præbet illis fiduciam, quoniam recipient in tentatinnibus auxilium desuper, cùm subdit, *In illo die in nomine meo petetis*, adcò assero vobis Patrem fauere, quòd neque interuentu meo vlterius indigebitis: vnde subdit: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem, &c.* Porrò ne resiliant à Domino, velut eo vlterius noo egentes, subiungit: *Quia vos me amastis*: quasi dicat, Ob hoc diligit vos Pater, quia vos me dilexistis: cùm itaque exciderî tis ab amote meo, cnnfestim & à Paterno decidetis.

Tract. 102. in Ioan.
AVG. Scd nunquid idcò amat ille, quia nns amamus? an potiùs quia ille amat, ideo nos amamus? Hnc ipse Euangelista in Epistolâ suâ dicit, *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* (1. Ioan. 4. v. 10.) Amat ergn nos Pater, quia nos amamus Filium: cùm à Patre & Filio accepimus, vt & Patrem amemus & Filium. Amauit ipse quod fecit, scd non in nnbis facetet qund amatet, nisi antequam id faceret nos amaret.

Lib. 6. aliquant. à med.
HILAR. 6. de Tri. Caret etiam apud Patrem intetcessinnis necessitate perfecta de Filio fides, quæ quòd à Deo exierit, credit atqua amat: & per seipsum iam & audiri meretur & amari, natnm ex Den Filium missumque cousessa; vnde sequitur, *Et credistis quia à Deo exiui.* (Fides perfecta de Filio.) Natiuitas itaque eius, & aduentus ostenditur, cùm subdit, *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Alterum in dispensatione, alterum in naturâ est. A Patre enim venisse & à Deo exisse, non est significatinnis eiusdem, cùm aliud sit à Dco in substantiam natiuitatis exisse, aliud à Patre in hunc muudum ad cnnsummanda salutis nostræ sacramenta venisse. Cùm autem exire à Deo sit ex natiuitate subsistere, quid aliud quàm Dcus esse posset?

Hom. 78. in Ioan.
CHRYS. Quia verò resurrectinnis sermn non modicum eos mitigabat, & cum hoc audire quòd à Den exiuit, & illuc vadit, cnntinuè ea circonnluit. Vnde sequitur, *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Nam hoc quidem certificabat quoniam rectè in ipsum credebant, hnc verò quoniaio sub munitione eius futuri arant.

Tract. 102. in Ioan.
AVG. Exiit enim à Patre, quia de Patre est: in mundum venit, quia mundn suum corpus nstendit. Mundum reliquit corporali discessinne, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione: quia sic in mundum venit exiens à Patre, vt non desereret Patrem Sed Dominum nustrum Iesum Christum posteà quàm resurrexit, & interrogatum legimus, & rogatum: nam interrogatus est à discipulis ascensurus in cœlum, quan-

A do regnum restitueret Israël. Rogatus est à Stephano cùm esset in cœlo, vt spiritum eius susciperet. Et quis audeat dicere rogandum non esse immnrtalem, rngari debuisse mortalem? Puto ergo quod dicit, *In illâ die me non rogabitis quicquam*, non ad illud tempus referendum esse quo resurrexit, sed ad illud quando videbimus eum sicuti est: quia visio non temporalis vitæ est, sed æternæ, vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus: quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.

ALCVI. Sic ergo dicit, In futuro *me non rogabitis quicquam*, sed interim dum in peregrinatione eius miseriæ cnnuersamini, *si petieritis Patrem, dabit vobis*: Vnde subdit, B *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Tract. 102. in Ioan.
AVG. Hoc quod ait, *Si quid*, nnn quodlibet intelligitur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ comparatinne sit nihil: nnn autem petitur in nomine Saluatnris quicquid petitur contra rationem salutis: non enim sonum literarum aut syllabarum, sed quod sono rectè ac veraciter intelligitur hîc accipiendum est, cùm dicit, *In nomine meo.* Vnde qui hoc sentit de Christo, quod nnn est de vnico Filio Dei sentiendum, non petit in eius nomine. Qui verò qund est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non cnntra suam salutem sempiter- C nam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim nnn negantur, sed vt congruo dentur tempnre differuntur. Ita sanè intelligendum est qund ait, *Dabit vobis*: vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proptiè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus: quia non vtcunque dictum est dabit, sed, *dabit vobis.* Quòd autem sequitur: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo*, dunbus mndis intelligi potest. Vel quia in nnmine meo non petistis, quod nomen, nnn sicut cognoscendum est, cugnouistis: vel nnn petistis quicquam, quoniam in comparatinne rei quam petere debuistis, D prn nihilo habendum est quod petistis. Vt igitur in nomine eius non nihil, sed gaudium plenum petant, subdit, *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Hoc quòd dicit, *Gaudium plenum*, non carnale, sed spiritale gaudium est: & quandn tantum erit vt aliquid ei iam nnn sit addendum, tooc erit plenum.

Lib. 1. c. 2.
AVG. de Tri. Hnc est autem plenum gaudium nostrum qun amplius nnn est, frui Den Trinitate, ad cuius imaginem facti sumus.

Tract. 102. in Ioan.
AVG. su. Io. Quicquid ergo petitur, quod pertinet ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum. Isto enim bono in pe- E tendo perseuerantes Sanctos suos, nequaquam misericordia diuina fraudabit. quicquid autem aliud petitur, nihil petitur: nnn quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatinne, quicquid aliud concupiscitur, nihil est. Sequitur: *Hæc in prouerbys locutus sum vobis, venit hora cùm iam non in prouerbys, &c.* (V. 25.) Possem dicere hanc, de quâ loquitur horam, futurum sæculum intelligi, vbi videbimus palam, quod Apostolus dicit, *facie ad faciem*: vt quod ait, *Hæc in prouerbys locutus sum vobis*, hoc sit quod ab Apostolo dictum est, *Videmus nunc per speculum in ænigmate. Annuntiabo autem vobis*, quia per Filiú Pater videbitur. (1 Cor. 13. v. 12.)

Neque enim Patrem quis cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Lib.30.c.5. in no. exp. 8. in antiq.

GREG. 30. Mo. Palam quippè de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc maiestatis suæ speciem, & quomodò ipse gignenti non impar oriatur, & quomodò vtrorumque Spiritus vtrique coæternus procedat, ostendet.

Tract. 102. in Ioan.

AVG. Sed istum sensum videtur impedire, quod sequitur, *In illo die in nomine meo petetis.* In futuro enim sæculo quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Petitio namque alicuius est indigentiæ. Relinquitur itaque vt intelligatur Iesus discipulos suos de carnalibus, vel animalibus se spiritales esse facturum. Homo autem animalis sic audit quæcunque audit de Dei naturâ, vt aliud quàm corpus cogitare non possit. Ideo prouerbia illi sunt quæcunque dicta sapientiæ de incorporeâ immutabilique substantiâ: non quòd tanquam prouerbia deputet, sed quia sic cogitat, quomodò qui prouerbia solent audire, neque intelligere. Cùm verò spiritalis cœperit omnia diiudicare, etiam si in hac vitâ velut per speculum & ex parte, perspicit tamen nullo corporis sensu, nullâ imaginariâ cogitatione, sed mentis certissimâ intelligentiâ capit Deum non corpus esse, sed spiritum. Ita palàm de Patre annuntiante Filio, vt eiusdem substantiæ conspiciatur & ipse qui tunc annuntiat: nunc in eius nomine petunt qui petunt, quia in sono eius nominis non aliud quàm res ipsa est, quæ hoc nomine vocatur, intelligunt. Hi possunt cogitare Dominum nostrum Iesum Christum, inquantum homo est, pro nobis interpellare Patrem, inquantum Deus est nos exaudire cum Patre, quod eum significasse arbitror, vbi ait; *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis.* Ad hoc quippe intuendum quomodò non rogat Patrem Filius, sed simul exaudiant rogantes Pater & Filius, non nisi spiritalis oculus mentis ascendit.

V.26.

V.29. Hom.78. in Ioan.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc palam loqueris, &c. CHRYS. Quia discipulos hoc maximè respirare fecit, quòd erant Patris amici, propterea dicunt se cognoscere quòd omnia nosset. Vnde sequitur,

Tract.103. in Ioan.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. AVG. Cùm adhuc promittatur futura illa hora in quâ sine prouerbiis locuturus est, cur isti hoc dicunt, nisi quia illa quæ scit ipsis non intelligentibus esse prouerbia, vsque adeò non intelligunt, vt nec saltem se non intelligere intelligant?

Hom. 78. in Ioan.

CHRYS. Quoniam autem ad id quod in eorum mente erat respondit, subdunt: *Nunc scimus quoniam scis omnia.* Vides qualiter imperfectè se habeant, qui post tot & tanta demonstrata dicunt, *Nunc scimus*: & hoc dicunt tanquam ei quandam gratiam tribuentes. *Et non est opus tibi vt quis te interroget*, hoc est, antequam audias nosti ea quæ scandalizant nos, & quiescere nos fecisti dicens, *Quoniam Pater vos amat.*

Tract. 103. in Ioan.

AVG. Quid ergo vult sibi, quòd ei quem sciebant nosse omnia, cùm dicere debuisse videantur. Non est opus tibi vt quicquam interroges, dicendum potiùs putauerunt, *Non est opus tibi vt quis te interroget?* Quod vtrunque legimus factum, & interrogasse scilicet Dominum, & interrogatum fuisse. Sed hoc citò soluitur, quia hoc non ei, sed illis potiùs opus erat, quos interrogat, vel à quibus interrogabatur. Neque enim aliquos ille interrogabat, vt ab eis aliquid disceret, sed eos potiùs vt doceret: & qui interrogabant eum volentes ab eo aliquid discere, illis profectò id opus erat, vt scirent ab eo aliqua qui nouerat omnia. Ille autem non opus habebat vt quod ab eo scire quisque vellet, per ipsius cognosceret interrogationem; quia priusquam interrogaretur, interrogatorum nouerat voluntatem. Præuidere autem cogitationes hominum, magnum Domino non erat, sed magnum paruulis erat, qui subdunt, *In hoc credimus, quia à Deo existi.*

Lib.6 post med.

HILA. 6. de Trin. Per id enim credunt quòd à Deo exiit: quia ea quæ Dei sunt, agit. Nam cùm Dominus vtrunque dixisset, *à Deo exiui, & à Patre veni in hunc mundum*, nihil admirationis in eo habuerunt, quod frequenter audierunt. Vnde non addunt: A Patre venisti in hunc mundum. Sciebant enim à Deo missum, exisse tamen à Deo nesciebant. Inenarrabilem verò illam Filij natiuitatem per virtutem dicti istius intelligentes, tunc primùm cœperunt aduertere, cùm illum sine prouerbiis profiterentur esse locutum. Non enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, cuius à Deo exitio potiùs quàm partus est. Est enim vnus ex vno, non est portio, non est defectio, non est diminutio, non est deriuatio, non est protentio, non passio, sed viuentis naturæ ex viuente natiuitas est: Deus ex Deo exiens est: non creatura in Dei nomen electa, non vt esset cœpit ex nihilo, sed exiit à manente, & exiisse significationem habet natiuitatis, non inchoationis.

Natiuitas Christi ex Patre.

Tract. 103. in Ioan.

AVG. Denique de ipsâ eorum ætate adhuc secundum interiorem hominem paruâ, & infirmâ eos admonet.

ADDITIO AD CATENAM *Aureum*.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 16. v.26. Ioan. 14. v.16.

ET *non dico vobis, quia ego rogabo Patrem.* THEOD. Mopsuest. Superiùs dicit, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*; hîc verò, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Atqui videntur hæc esse contraria. Verùm ibi de ascensu in cœlos loquebatur, quem excepturus erat descensus Spiritus sancti: id verò dispensationi congruebat. Hîc verò, Diuinitatis meæ, inquit, dignitatem clarè cognoscetis: asseritque se non rogaturum, declarans, haud sibi opus fore vt pro ijs petat, qui & ipse pariter dare possit. Ne autem id apertiùs dicendo, insolescendi ansam discipulis præberet, qui adhuc imbecilliores essent, Cùm enim, inquit, Pater amet vos, eò quod vos me amastis, cuncta vobis dabit.

Spectabat ad rationem assumpti hominis.

V. 28.

Exiui à Patre. AMMONIUS. Exiui, inquit, ex substantiâ Patris, qui in Patre sim indiuisè, ac in me Patrem, in propriâ existens personâ, habeam. Nam neque cùm factus est homo, quasi Patrem deseruisset, in hunc mundum dicitur venisse: neque cùm assumptus cum carne est, mundum dereliquit. Deus enim est, qui implet omnia.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euangel.

HOMILIA.

Ex Hom. 77. in Ioan. 16. v. 24.

VSque modò non petistis quicquam : &c. Hic iterum ostendit expedire vt abeat, siquidem vsque tunc nihil petierunt, iamque accepturi sunt omnia, quæcunque petierint. Neque enim cùm iam vobiscum non ero, arbitremini quòd vos reliquerim. Nomen enim meum maiorem vobis fiduciam exhibebit. Cùm ergo obscuriora essent, inquit.

V. 25.

Post resurrectionem palam Dominus discipulis locutus, non in prouerbijs.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam in prouerbijs non loquar vobis. Tempus erit cùm omnia apertè intelligetis, hoc est, resurrectionis tempus : tunc *palam de Patre annuntiabo vobis.* Etenim quadraginta dies & versatus, & locutus est cum eis, annuntians & exponens arcana regni Dei. Nunc enim cùm timeatis, verbis meis non attenditis : cùm verò & me resurrexisse videritis & cognoueritis, omnia palam intelligere poteritis : quoniam *ipse Pater vos amabit*, cùm vestra in me fides confirmata fuerit. *Et non rogabo Patrem* : Vestra in me dilectio abundati vobis præsidio erit.

V. 27. & 28.

Quia vos me amastis, & credidistis &c. Cùm enim resurrectionis sermo non parum eos consolatus esset, & inde etiam consolatio augeretur, cùm se à Deo venisse, & ad Deum ire diceret, frequenter id repetit : alterum enim quod rectè in ipsum crederent, pollicebatur, alterum quòd certi esse deberent. Nam cùm di-

Supra v. 16.

xit : *Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me* : non immeritò quid diceret, ignorabant. Nunc non itidem. Quid

V. 23. Ioan. 14. v. 8. Ioan. 13. v. 7.

autem significat, *Me non rogabitis quicquam?* Non dicetis, *Ostende nobis Patrem tuum* : Et, *Quò vadis?* Quoniam certam habebitis cognitionem, & afficietur vobis Pater, sicut & ego. Hoc maximè bonam eis spem dedit, quòd Patri futuros amicos polliceretur. Quamobrem dicunt.

V. 30.

Nunc scimus quia nosti omnia. Ecce quomodò voluntati eorum respondet. *Et non est opus, vt quis te interroget.* Hoc est priusquam audires quid nos perturbaret, intellexisti, & recreasti nos dicendo, *Pater vos amat, quia vos me amastis.* Post tot & tanta nunc tandem se scire asserunt. Vides quàm imperfectè se habebant.

EIVSDEM, DE PRECATIONE.

ORATIO I.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Habet Duc. t. 1. Pomponio Brunello Interprete; ægrè tamen adducor vt existimem Chrysostomi, à quo mirum quantum abhorret stylus. Si quid dandum coniecturæ, ambas istas de Oratione, ambabus de Ieiunio Basilij ita deprehendo geminas, vt vix diuersos vtriusque parentes possim ascribere. Tu, Lector, iudica, vtilissimoque monumento interim fruere.

AMborum causâ, Viri Dei cultores beati dicendi, ac admirandi; quòd salutis spem in sanctis precibus collocantes, laudumque cantica ac precandi formulas quas gaudio ac timore Deo offerebant, scripto consignantes, suum ad nos thesaurum transmiserunt; quò scilicet posteros omnes ad se imitandos allicere possent. Par enim est doctorum mores ad eos transire, qui ipsis dant operam; conuenitque vt Prophetarum discipuli, eorum iustitiæ imitatores euadant; quò nimirum precibus, & Dei culto, ac meditatione tempus omnem tradocentes; eâ in re vitam, valetudinem ac diuitias, finemque bonorum positum esse censeamus, vt Deum puro, ac incorrupto animo deprecemur. Vti enim corpori sol, sic precatio animo, lux existit. Siquidem igitur in iacturæ partem cæco habetur, quòd solem non videat, Christiano quæso ia-

Hominis præstantia ab oratione.

ctura quanta, quòd precibus haud assiduus, nec Christi lumen earum compendio animo infert. Etsi quis Dei in nos benignitatem, ac clementiam non stupeat, atque miretur, dum tanto homines honore auget, vt & precantes admittat, suáque consuetudine dignetur? Reuerà enim quo tempore precationi impendimur, cum Deo loquimur; eiusque vi tum Angelis copulamur, tum quàm procul à brutorum, mutarumque animantium communione abiungimur. Angelorum opus precatio; quin eiusmodi, vt eorum etiam dignitatem excedat: quippe cum Deo loqui præstantius est quàm pro Angelorum ipsâ dignitate.

Oratio res Angelis superior.

Esse verò eius functionis eam præstantiam, ipsi nos docent, qui multo timore preces offerant; eóque doceant, operæpretium nobis esse vt cùm ad Deum accedimus, id gaudio ac timore præstemus. Timore quidem, hoc veriti ne indigni quorum admittantur preces videamur; plenis autem gaudio, præ honoris magnitudine, quòd tali ac tantâ prouidentiâ mortalium genus honestetur, vt & Dei colloquio assiduè fruatur; cuius ratione ipsum hoc, vt mortales ac temporanei simus, excedimus; qui naturâ quidem existamus mortalea, at qui Deo consuescentes, ipsumque alloquentes, ad immortalem vitam transeamus. Necesse enim est, vt qui Dei colloquio donatur, tum morte, tumque omni corruptione superior efficiatur. Ac sicut omninò necesse est, vt qui Solis radiis potitur, tenebrarum caliginem euadat; sic planè nequeat fieri vt qui Dei consuetudine fruitur, mortalis existat; ipsa quippe honoris magnitudo nos ad immortalitatem traducit. Nam, si qui Regi familiariùs loquuntur, ac apud eum dignitatis locum obtinent, fieri non potest vt inopiâ laborent; longè magis à possibilis ratione abest, vt qui Deo preces offerunt, ac eius fruuntur colloquio, animos mortales nanciscantur. Animi enim mors, impietas est, ac improbitas: igitur & animi vita, Dei cultus & religio, ac quod illi vitæ genus congruat. Vitæ porrò sanctimoniam, ac decorem eiusmodi qui Dei cultum, religionémque addeceat, preces colligunt, miráque ratione nostris thesaurum animis inferunt. Siue enim quispiam virginitatem adamauerit, siue nuptialem castitatem coluerit, siue iram continere ac lenitate viuere, siue inuidentiâ vacare, siue aliud quid eorum quæ officij sint, præstare contenderit, precatione duce, ac vitæ eiusmodi viam complanante, facilem expeditamque pietatis cursum habebit. Nec enim vllo modo fiat, vt qui à Deo castitatem, iustitiam mansuetudinem, benignitatem petant, non voti compotes fiant. *Petite* enim, inquit, Luc. 11. v. 9.

Gaudio ac timore orandus Deus.

Immortalis animus ab oratione, eiusque immortalitas.

Cunctis viâ virtutibus præstruit.

& dabitur vobis; quæritis, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti, aperietur. Et alibi rursus, *Quis est*, inquit, *ex vobis, à quo si petierit eius filius panem, nunquid lapidem dabit ei? aut si piscem petierit, nunquid porriget scorpionem? Si vos igitur, cùm mali sitis, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus se?* Atque his quidem verbis, eaque spe ad precationis studium nos cohortatus est vniuersorum Dominus: nos verò operæpretium faciamus, vt Deo morem gerentes, vitam omnem in canticis, atque precibus agamus; Deique cultui, quàm nostro ipsorum animo, arctiùs hæreamus: sic enim fiat vt pro hominis dignitate perpetuò viuamus. Qui enim Deo precari non studet, nec diuinâ iugiter frui consuetudine desiderat, mortuus ac inanimis est, sensúque animi vacat. Est enim hoc dementis animi, ac stuporis signum maximum, si honoris magnitudinem nescias, haud ames precationem; adorando Deo abstinere, animi mortem non existimes. Vt enim corpus hoc nostrum, opinor, cùm abest anima, mortuum est, ac fœtet: sic nisi animus ipse se ad precandum moueat, atque incitet, mortuus, miserabilis, putidus est.

V. 11.

Enimuero morte omni acerbius habendum precatione priuari, præclarè nos magnus ille Propheta Daniel erudit; quippe qui mori maluerit, quàm à precandi studio triduum duntaxat retardari. Nec enim Persarum Rex impietatem, atque numinum cultum illi præceperat, sed tres solùm dies inuenire studens.....Nisi enim diuino fauore, ac nutu nihil boni in nostros animos venerit. Dei verò fauor, nostros iuuat labores, ac præclarè leuat, dum precandi studiosos, ac Deum assiduè orantes, cunctáque inde bona in nos deriuanda expectantes, aduerterit. Vbi igitur aliquem non amantem preces, nec eis feruore, actúsque in pensum videro, iam planè nihil eum quod strenuum sit, ac magnificum obtinere, exploratum habeo: sin autem videam, qui Deo colendo insatiabilis hæreat, ac qui non precari assiduè maximam iacturam ducat, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deique templum esse, certè conijcio. Quod si *viri amictus, incessus pedum, ac dentium risus de eo annuntiant*, (sapientis Salomonis sententia est) potiori longè ratione precatio, ac Dei cultus iustitiæ omnis signum est; nempe spiritalis diuinúsque amictus, plurimam animis nostris venustatem affundens atque gratiam; cuiusque vitam componens, nullum menti vitium, absurdum nihil, dominari sinens; Deum reuereri, ac qui ab ipso honor est, suadens; nequissimi præstigias omnes ac fallacias procul amandare docens, turpes atque absonas cogitationes depellens, cuiusque animum prauæ voluptatis, ac libidinis despicientiâ imbuens. Vna enim hæc superbia Christi cultores decet, vt nulli turpitudini seruiant, animique ingenuitatem, ac vitæ munditiam inuiolabilem teneant.

Dan. 3. v. 7.
Vbi tamen, *dies triginta non tres*, vel hic. Hic planè hiatus, etiam si D... cas suppressit editio.

Eccl. 19. v. 27.

Oratio, spiritalis amictus, &c.

Superbia bona Christiani.

Quod itaque omninò fieri nequeat, vt nisi precum suffragio vitam quis studiosè agat, ac virtutis stadium decurrat, perspicuum omnibus esse existimo. Quâ enim ratione virtutem colat, qui eius præbitorem, atque datorem non adeat, nec ei assiduè supplex prouoluatur?

A Paschate.

Quomodò quis castus, ac iustus esse cupiat, qui non iucundè illi consuescat, qui hæc à nobis, hisque plura exigat? Volo autem paucis ostendere, vel si peccatis obrutos precandi ardor inuenerit, fore vt citò mundos efficiat. Quid verò eo maius, aut diuinius, cùm medicinam ægritudinum expultricem esse liqueat, ijs, qui animi morbis conflictantur? Primùm itaque Niniuitas, multa quibus Deo obstricti tenebantur, dissoluisse peccata, precandi ambitu notum est. Mox enim ac eos ille incessit, tum iustos fecit, tum vrbem impudicitiæ, nequitiæ, sceleri, atque nefandis deditam, statim emendauit; veteri fortior consuetudine existens, cœlestibus eam implens legibus, castitatem, benignitatem, mansuetudinem, pauperum curam vnà sibi comites ducens. Neque enim si hæc illam pompa defecerit, in animo versari sustinebit. Verùm in quamcúnque mentem commigrarit, omni eam iustitiâ cumulat, informat ad virtutem, vitiorum labem eliminat. Ac sanè tunc quoque, si quis Niniuem ingressus esset, tametsi priùs diligenter pernouerat, haud eam agnouisset; ita repente à nequiore vitâ ad pietatem transilierat. Vt enim fœminam inopem, pannosam, aureis postea vestimentis præfulgentem si quis aspexerit, haud mulierculam agnoscat; sic qui ciuitatem antea egentem, ac spiritualibus thesauris destitutam vidisset, planè nesciuisset, quænam illa esset, quam ita precatio commutare, eiusque tum mores, tum vitam ad virtutem traducere potuisset. Et verò mulier quæ impudico ac meretricio quæstu totum vitæ tempus perfuncta erat, simul atque se ad Christi pedes abiecit, salutem adepta est.

Niniuitarũ precatione depulsa peccata, virtutum ornamenta reddita.

Luc 7. v. 48.

Non solùm autem criminum culpas, atque maculas delet, sed magna etiam pericula repellit. Rex sanè ille simul ac vates admirabilis Dauid plura, atque grauia bella precatione profligauit, his duntaxat armis exercitum muniens, suísque militibus silentiò tutóque fruendam victoriam præbens. Nam alij quidem Reges in ducum peritiâ, artéque bellandi ac sagittarijs, pedestri, equestri acie, spem salutis habebant: magnus autem Dauid sanctis precibus exercitum communiebat; non ducum, centurionum, tribunorum supercilium spectans; non pecunias colligens, non arma fabricans, sed diuinam è cœlo arcessens atque corrogans armaturam. Planè enim cœlestis armatura diuina precatio, quæ vna tuendis fortiter ijs, qui se Deo dediderunt, sufficiat. Nam peditum sæpe robur atque peritiam, sagittariorumque longis periculis quæsitam solertiam, tum sæpe proditio inanem faciat, tum hostium aspectus, aduersariorumque ardor animi, aliáque prætereà: at precatio armatura est insuperabilis, tutumque præsidium, pari euentu militem vnum, ac pluses myriades profligans. Nam & admirabilis Dauid Goliadem illum, haud secus ac metuendum quendam dæmonem irruentem, non armis, non gladio, sed precatione deiecit. Ita tum Regibus in prælijs acerrimum telum deprecatio est, tum nobis ad dæmonum impetum propulsandum. Ita etiam Rex Ezechias victor è Persarum bello discessit, non acie instructâ, sed solâ precatione hostium copijs oppositâ. Eadem ipsâ ratione mortem vitauit, congruâ pietate Deum veneratus; vnáque precatio Regi vitam restituit.

Rex Dauid precibus victor.

1. Reg. 17. v. 45.

4. Reg. 19. v. 20.
Isai. 38. v. 2.

Luc. 18. v. 14.
Math. 8. v. 2.

Sanè verò animam peccatorum sordibus inquinatam facilè precandi ambitu emundari, docet nos Publicanus, qui cùm à Deo veniam precatus esset, voti compos discessit: testis Leprosus qui simul atque ad Dei se pedes abiecit, illicò mundatus est. Quòd si à corpore Deus vitiato, atque corrupto morbum celerrimè depulit, multò magis animo vitijs infecto curationem humaniter adhibebit. Nam quò præstantior est animus corpore, eò par est maius à Deo in illo studium collocari. Ac sanè sexcenta quispiam cùm vetera, tum noua exempla proferre possit, si cunctos quibus salutem preces contulerunt, percensere velit.

Matth. 7. v. 21.

Nulla virtus sola sufficit.

Oratio, radix virtutum, ac fundamentum.

Col. 4. v. 2.

1. Thes. 5. v. 16.

Eph. 6. v. 18.

Paulus ἡγεμὼν τῶν ἀποστόλων.

At fortasse quispiam è segnioribus, ac ijs qui sedulò ac diligenter precari nolint, his aduersa dicta hæc Deo suaserint, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Ego verò si in vnâ precatione ad nostram salutem satis esse virium putarem, meritò hæc obijci dicerem. Cùm autem bonorum omnium caput precationem esse statuam, vitæque honestæ ac laudabiliter institutæ fundamentum, atque radicem, nemo ijs verbis abutatur ad socordiæ excusationem. Neque enim castitas sola ab alijs bonis constare potest, neque pauperum cura, neque lenitas, nec aliud quicquam, eorum, quæ sunt cum honestate coniuncta: sed necesse est, concurrant omnia in nostris animis: precatio verò tanquam radix, ac fundamentum ijs substrata sit. Ac sicut nauigium, domusque inferioribus partibus firmatur, ac constat; ita precibus vitæ nostræ ratio continetur, sine quibus nihil nobis boni, nihil salutare contingat. Idcirco vrget Paulus, assiduè iubens, ac dicens, *Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione.* Alio quoque loco, *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agentes: hæc est enim voluntas Dei.* Atque alibi rursus, *Orate omni tempore in spiritu, in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.* Sic multis diuinisque vocibus ad preces iugiter inuitabat Apostolorum dux, ac Antesignanus. Qui itaque eius doctrinâ instituamur, debemus in precibus vitam traducere, ijsque assiduè mentem irrigare. Nihil enim minùs ac arbores aquarum irriguo, his omnes indigemus. Nam neque illæ fructus dare possunt, quin radicibus humorem ebibant, neque nos pretiosissimas virtutum fruges fundere nisi precibus irrigemur.

Orationis vbique assiduitas.

Quamobrem & cùm lectulo surgimus, antevertere solem Dei cultu debemus, & cùm mensæ accumbimus, & cùm membra quieti daturi sumus: immò verò singulis horis adhibenda ad Deum precatio est, & in eâ diei cursus absoluendus. Hiberno verò tempore plurimam noctis partem in precibus traducamus, positisque genibus magno cum tremore precationi animum attendamus, nos ipsos beatos ducentes, qui Dei cultu defungamur. Age verò quomodò solem aspicies, eo non adorato qui oculis tuis destinat iucundissimam lucem? Mensâ perfrueris, non antè veneratus tantorum bonorum fontem, atque auctorem? Quâ spe inibis noctis tempora? Quæ tibi visa secundum quietem obtentum iri suspicaris, si nullis precibus præmunitus, nullo præsidio fretus quieti te tradas? Despicabilis, ac qui facillimè vincaris nequissimis dæmonibus eris. Ij verò circa nos oberrant assiduè occasionem captantes, vt si quem precum præsidio nudum offenderint, confestim diripiant. Siquidem verò precibus septos viderint, continuò ceu latrones, scelestique resiliunt, qui militis gladium capiti imminentem conspiciant: sin autem esse aliquem precibus destitutum contigerit, is dæmonum procliui insultu abripitur, ac in scelera, ærumnas, mala propellitur. Cuncta hæc metuentes, precibus ac canticis nosipsos oportet muniamus, vt omnium Deus misertus, cælorum regno dignos efficiat. Per vnigenitum Filium suum, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM DE PRECATIONE.

ORATIO II.

EODEM Interprete.

QVanquam video neminem ignorare, cùm bonorum omnium caput ac fontem, tum salutis vitæque immortalis conciliatricem esse precationem; de eâ tamen, quæ nostra fert facultas, dicenda sint: vt & qui mente totâ, omnique animi studio in eam incumbere consueuerunt, vehementiùs inflammentur: ac qui desidiore animo, ac precibus vacuo vitam traduxerunt, præteriti temporis iacturam agnoscant, salutemque suam reliquo vitæ tempore minimè afflictam, atque desertam esse patiantur. Principio igitur illud in primis de precatione dicere possumus, cum, qui precatur, cum Deo loqui. Quantum verò sit, hominem in Dei colloquium venire, nemo est, qui nesciat. Verùm rei dignitatem, quis verbis assequi queat? Etenim ea, Angelorum ipsam amplitudinem facilè superat. Id quod illi cùm probè intelligant, omnes ferè apud Prophetas, cùm Domino laudum cantica, ac cultum adhibent, summo rem terrore præstant, dum ora, ac pedes præ veneratione tegunt: dum volatu, motuque assiduo, summam religionis trepidationem præ se ferunt. Quinetiam nos, vt opinor, monent, vt inter precandum humanæ naturæ obliti, feruoreque ac timore compressi, eorum, quæ in oculos incurrunt, nihil videamus, sed in medio Angelorum choro nos esse, & eundem, atque illi, cultum Deo nos persoluere arbitremur. Etenim cætera illorum omnia, & nostra, vt natura, victus, sapientia, intelligentia, ac quicquid dixerit quispiam, longo interuallo inter se distant: precationis autem officium commune pariter Angelis & hominibus est: nec quicquam eius muneris ratione inter ambas naturas refert. Hac segregaris à mutis animantibus; hac Angelis copularis. Hac breui sanè ad illorum ciuitatem, vitam, victus rationem, dignitatem, nobilitatem, sapientiam, intelligentiam commigrabit, qui omnem sibi vitam in precibus, ac Dei cultu ponendam existimabit. Quid enim sanctius ijs fiat, qui Dei cõsuetudine fruantur? quid verò iustitijs? quid ornatus? quid sapientius? Nam si ij, qui viris sapientibus familiariùs vtuntur, ex assiduâ consuetudine, simili citò illis prudentiâ imbuuntur; quid de ijs dicendum, qui Deo colloquuntur, ac precibus ad eum defunguntur? Quantâ eos sapientiâ, virtute, prudentiâ, probitate, castitate, morum lenitate precatio, ac orato replet? Itaque non sanè is aberret, qui omnis virtutis, iustitiæque parentem precationem affirmet: neque posse rerum

Orantis præstantia, quòd Deo colloquatur.

Isai 6. &c. Angelorum reuerentia, & tremor.

Orandi munere homines Angelis pares.

aliquid, quæ ad pietatem conducunt, in animum precationis ambitu nudum, penetrare. Verùm vt vrbs haud cincta mœnibus in hostium facilè potestatem venerit; quòd ita nemo illos propulsare possit; sic non communitum precationis præsidio animum, in suam facilè diabolus redigit potestatem, facilèque omnium flagitiorum turpitudine inficit. Primùm enim vbi animum precibus communitum viderit, quod ex precibus illi succurrit robur, ventus (quarum animis alendis vis maior, quàm frumenti alendis corporibus) non audet propiùs accedere: deinde, qui diligenti animi curâ preces adhibent, non patiuntur aliquid precibus indignum in se admittere: sed Deum verùm, qui cum modò locuti sunt, omnes citò improbi hostis conatus repellant; cùm secum ipsi cogitent, quanti sceleris sit, eum, qui & Dei nuper colloquio fruebatur, & pro castitate ac sanctimoniâ impetrandâ illum obsecrabat ad diabolum repente transfugere, atque turpes animo voluptates recipere, inque mentem, quam Deus nuper inuisit, diabolo pandere aditum, ac tandem dæmones in animum, quem Spiritus sancti gratia summâ benignitate, ac curâ decorauerit, admittere. Id verò quâ ratione fiat, accipe.

Spiritus operatio ac afflatus orationi aptans.

Fieri nullo modo potest, vt homo absque diuino Spiritus operatione, atque afflatu, diuinam ferat consuetudinem. Verùm necesse vt hac præsente, atque sanctos conatus prosequente, rem aggrediamur, genua flectamus, obsecrationes, preces submittamus. Cùm enim diuinus congressus res humanas longè superet, ingratiâ in nos Spiritus gratiâ, confirmemur, corroboremur, honoris magnitudinem doceamur, necesse est. Cùm itaque te & Deo colloqui, & Spiritus operationem illi te colloquio aptantem suscepisse intellexeris, omnes diabolo aditus in animum iam diuino Spiritu expiatû, intercluseris. Quemadmodum enim qui cum Rege colloquuti, plena lenitatis, atque honoris verba ex illo acceperunt, cum mendicis abiectisque hominibus sermonem miscere dedignantur; ita qui Dei colloquio dignus est habitus ac precandi functus munere, haud facilè nequissimi, atque impij dæmonis verba, consuetudinemque admiserit. Etenim qui se voluptatibus dedit, is reuerâ dæmonibus consuescit, eorumque æmulatur insaniam: vt contrà is, qui temperantiam ac iustitiam colit, Angelis familiaris efficitur, & ad eorum amplitudinem contendit. Quòd si quis animi nervos preces appellauerit, planè putem dicere, quod verum sit. Vt enim corpus neruorum beneficio continetur, currit, stat, viuit, constringitur; iisque incisis, corporis omnes partes dissoluuntur: sic animi sanctarum precum munere aptantur, constantque, ac pietatis cursum facilem, atque secundum nanciscuntur. Quòd si tibi ipse precationem ademeris, perinde facis, ac si piscem ex aquâ extraxeris. Vti enim ille aquâ, sic tu precibus viuis. Per eam, ceu per aquam euolare, cœlos transcendere, ad Deum propiùs licet accedere.

Oratio, neriui animæ.

Id ipsum illi, quod pisci aqua.

Possint verò hæc dicta abundè esse, vt sanctæ precationis vis, roburque ostendatur: præstabit tamen fortasse, vt ad sacra volumina accedentes, ex Christi sententijs, verbisque, quantas precatio diuitias cumulet, ijs, qui omnem arem in eâ ponere velint, discamus. *Dicebat autem*, inquit, *& parabolam ad illos, vt semper*

Luc.18.v.1.

A Paschate.

A *precandum esse ostenderet. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem erat in ciuitate illâ, & veniebat ad illum, dicens, Vindica me de aduersario meo. Et nolebat ad tempus. Post hæc autem dixit intra se; Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autem Dominus, Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam Electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Nos, fratres, abditam in sermonibus

B Spiritus sapientiam addiscamus, & pro facultate nostrâ inuestigemus, non quantum in ipsâ sit, sed quantum nobis assequi licet. Atque illi quidem qui vitam in mari degunt, imum ipsum pelagus penetrantes, gemmas afferunt his qui sunt in terrâ: nos verò diuinarum literarum pelagus lustrantes, ad ipsum profundum spiritalis scientiæ, quanta nostra facultas est, decurramus, vt præstantissimum vobis thesaurum, qui animos melius ornet, quàm pretiosissimis gemmis intersinctæ coronæ Regum capita, afferamus. Harum namque decor, vitæ huius cancellis definitur: qui verò sermonibus Spiritus coronat animum, is & modò securus tempus permeat, ac vi-

C tâ functus fidenti animo ad Christi tribunal accedit, refertus virtutibus, & ab omni labe integerrimus. Ergo quem tandem thesaurum è sacrorum voluminum profundo vobis afferimus, non ipsum sapientiæ profundum attingentes, sed tantùm eo immersi, quantùm per facultatem licet?

Ad precationem Christus homines cùm vellet allicere, ac quanta eius vtilitas sit nostris animis repræsentare, iudicem inducit quendam improbum, sæuum, qui pudorem omnem ab oculis abiecisset, Deique timorem animo expulisset. Atqui satis fuit iusti cuiuspiam ac clementis personam inducere, eiusque cum Dei clementissimâ bonitate componentem iustitiam, vim precationis ostendere. Etenim si vir bonus, & mitis ad se

Iniqui iudicis cur assumpta persona.

D supplices humaniter accipit; quantò magis Deus cuius benignitatis magnitudo, non modò mentem nostram, sed & ipsos Angelos fugit? Satis igitur fuit, vti modò dicebam, iusti iudicis personam proponere: iam verò iudicem crudelem, impium, inhumanum inducit; in alios quidem immitem, in obsecrantes certè benignum & facilem; vt intelligas, eam vim esse orationis, vt vel improbam, ac nequissimam indolem ad miserationem clementiamque traducat. Quorsum igitur Christus id fecit? vt nemo omnium esset, qui vim precationis nesciret. Idcirco cùm iudici omnium nequissimo viduam adhibuisset, ipsumque inuitâ indole humanum ostendisset, à scelestissimo iudice ad Patrem suum orationem tra-

E ducit, optimum illum, mansuetum, mitem, clementissimum, scelera superantem, peccata illa multa condonantem, qui quotidie maledictis appetitus ferat; in dæmones honorem, in se iniurias, in Filium maledicta, fanda nefanda mala innumera iactari videns, sustineat; tumque sic habitus, eam exhibens lenitatem, si nos debito animote sibi propositos aspiciat, nonne statim eum nostri miseratio capiat? *Audite*, inquit, *quid iudex iniquitatis dicat. Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo eam.* Quid dicis? quod non-

potuit timor, id obsecratio potuit? Non minus, A non supplicij timor hominem ad æquitatem adduxere: at vidua vbi supplex accessit, ex aggresti atque immani, hominem mitem ac mansuetum reddidit. Quid igitur de Deo clementissimo censendum, cùm vidua ferum hominem ac ferreum se ei abijcieos lenierit, ac mitigauerit? Quantam benignitatem, quantam clementiam in nos Deus exhibebit, ex cuius procliui voluntate fit, vt semper misereatur, nunquam puniERit? qui ob eximiam humanitatem supplicia comminetur, magnosque habeat paratos honores, vt tum timore, tum honoris spe capiat, atque alterâ quidem ad virtutem excitet; alterâ verò à scelerum nos immanitate deterreat. Haud quaquam iudice iniquitatis animum auocare, dum in illius B præter naturam atque indolê mansuetudine, infinitam Dei humanitatem, ac clementiam contemplor. Si enim is, qui nihil vnquam mitius, benigniusque vt exhiberet, in animum induxerat, confestim mutatus, rogantis misertus est; quantam nobis è cœlo precum ambitus Dei afferet curam?

Sanctarum porrò precum vim, roburque facilè quiuis intelligat, qui quantâ bonorum copiâ nullis non diebus, hotisque potiantur, qui in eis Deo semper prouoluti sunt, dispexerit animo, ac consideraueerit. Quis enim solis, lunæ, stellarum lucem; cœli temperationem, varia ciborum genera, diuitias, vitam, bona innumera cunctis hominibus iustis pariter, ac impijs æquè à Deo dari, atque præstari (quæ eius in genus humanum ingens benignitas est) non videat? Quòd si eos qui nec rogant, aut petunt sic quotidiè miseratur, ac reficit; quanta par est bona consequantur, qui in precibus, ac orationibus ætatem omnem agunt?

Age verò, quantis iustis obtigerit, vt precum suffragio, tum nationes, tum vrbes, ipsumque orbem vniuersum seruauerint, vobis aperiamus. Et quidem de precatione cùm agitur, primùm de Paulo operæpretium agatur: de Paulo, inquam, qui Dei cultu, atque precibus insatiabilis erat; Paulo seruorum Christi parente, ac proauo. Ille igitur vniuersi terrarum orbis custos, precibus ac assiduâ supplicatione omnes gentes tutatus est, sic semper ad nos dicens, *Propterea flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terrâ nominatur; vt det vobis secundum diuitias gratia sua, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Vides quantum virium, atque neruorum precatio & obsecratio habeat? Templa Christi homines efficit. Atque vt aurum, præstantissimi lapides, marmora ædes regias con- E flant, sic precatio Christi templa. *Vt inhabitet,* inquit, *Christus in cordibus vestris.* Quæ maior precationis laus esse queat, quàm quod Dei templa efficiat? Quem cœli non capiunt, in animum subit, qui in precibus ducat vitam. *Cœlum mihi sedes est,* inquit, *terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus: aut quis locus commorationis meæ?* Quam Paulus sanctorum precum ambitu ædificat. *Flecto,* inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Atqui hinc quoque sanctarum precum vis quanta sit, quisque cognouerit, quòd Paulus cùm omnem terrarum orbem

Eph. 3. v. 14.

Oratio, nos Christi templa facit.

Isai 66. v. 1.

volucris instar peruolaret, in carcere constitutus, verberibus mancipatus, catenis onustus esset; in cædibus, in periculis viueret, dæmones eijceret, defunctos ad vitam reuocaret, morbos curaret, nulli horum fisus sit vt hominibus salutem afferret, sed precibus terram communierit, postque patrata miracula; ac vitam mortuis redditam, ad preces recurreret, haud secus ac athleta ad palæstram partâ victoriâ. Etenim quòd mortuis vita testituatur, cunctaque alia precatio vna suppeditat. Quam enim in arboribus, ac plantis vim aquæ habent, eam in Sanctorum vitâ precatio. Hac Paulus animum noctu irrigans cuncta facilè mala perferebat, inque statuæ modum dorsum verberibus præbebat. Sic in Macedoniâ carcerem concussit; sic leonis in morem vincula disrupit; sic Custodem carceris errore liberauit; sic dæmonum tyrannidem dissoluit ac profligauit. At neque illa latent, quæ ad omnes scribit, *Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis; vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, ad loquendum mysterium Euangelij.* Quid dicis? tantam nobis preces fiduciam tribuunt, vt Deo pro Paulo supplicare audeamus? Quis miles Regem pro summo duce audeat obsecrare? Atqui nullus ita summus dux, ac Prætor Regi charus, vt Paulus: attamen tantam nobis preces conferunt dignitatem, vt pro Paulo supplicare Deum audeamus. Sic & magnus Petrus, cœlo ille splendidior, carcerem effugit; maximè quidem ob suam ipse virtutem, ac communem hominum salutem; deinde tamen etiam Ecclesiæ fusa precatio clausas citiùs carceris fores recludit. Non enim frustra Lucas adiecit, *Oratio autem erat prolixa ac liberatis omnis Ecclesiæ pro Petro;* sed vt intelligeremus quantâ vi preces polleant in cœlo, vt à periculis Paulum Petrumque liberent, nempe Ecclesiæ columnas, Apostolorum Principes, in cœlo celebertimos, orbis terrarum mœnia, commune totius terræ marisque propugnaculum.

Age verò Israelem Moses quâ ratione in bello seruauit? Nonne arma quidem, & exercitum discipulo tradidit; ipse verò hostium multitudini precationem opposuit? quippe, vt docetet, multò maiorem in precibus iustorum, quàm in armis, equitatu, opibus, copijs vim inesse. Propterea vniuersus etiam exercitus, multaque illa hominum millia in Prophetæ precibus spem salutis habebant. Nam precante Mose, Iudæi victoriam reportabant; illo à precibus desistente, hostibus concedebant. Nos quoque si versemur in precibus, facilè diabolum superabimus: at si segniores simus, in nos ipsi nequissimum illum instruimus. Quin & populum à transgressione solâ Moses precatione liberauit; diuinumque aspectum, ac bona innumera illâ duntaxat auspice, atque auctore promeruit. Nam hæc ipsa vitam illi cœli ciuibus quàm affinem reddidit. Precatio ignis vim superauit, leones excurauit; quorum alterum in Daniele, alterum in tribus pueris euenit. Ex quibus, puto, palam fecit, quosecunque illa in periculis constitutos excepetit, ab impedimentis facilè malis liberari. Precatio, salutis occasio, immortalitatis animorum causa, Ecclesiæ murus firmissimus, propugnaculum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, nobis autem fidelibus salutare. Hæc sanctum vatem genuit Samuelem: nam cùm naturæ matri aduersaretur, exorta precatio naturæ

Pauli fiducia salutis hominum in precibus posita.

Act. 16. v. 26

Col. 4. v. 2.
Eph. 6. v. 19.

Fidelium preces pro primis Apostolis.

Act. 12. v. 5.

Exod. 17. v. 11.

Dan. 3. v. 24 & 6. v. 22.

1. Reg. 1. v. 11. & 20.

mox labem emendauit. Talis ex precatione fructus extitit, talem precatio Vatem procreauit. Quamobrem Samuel gloriâ clarus in cœlis euasit, qui maior quàm pro humanâ conditione, Angelorum æmulator effulserit. Decebat enim, vt existimo, talem enitere precationis spicam, vt probitate, atque virtutibus, ac morum honestate; reliquis anteiret, tantumque superiores Sanctos superaret, quantum in segetibus eminent spicæ vberrimæ. Hac Dauid tot, tantaque bella profligauit, non armorum strepitu, non hastarum conflictu, non strictorum gladiorum micatu, sed precium præsidio communitas. Huc Ezechias Persarum multitudinem celeriter in fugam vertit. Et illi quidem ad euertenda mœnia machinas adhibebant; ipse verò precibus muros communiebat. Itaque extinctum est bellum precatione, non armis, non tubæ clangore; conquiescente exercitu, immotis armis, terrâ non cruentatâ, solâ hostibus precatione contritis. Precatio, etiam Niniuitas incolumes seruauit, iramque è cœlo irruentem confestim depulit. Tantis enim illa viribus pollet, vt cùm turpissimam, ac flagitiosissimam vitam Niniuitæ duxissent, ea tamen ciuitatem ingressa, cuncta citò mutauerit, ac vnà secum castitatem, iustitiam, amicitiam, concordiam, pauperum curam, bonaque omnia inuexerit. Quemadmodum enim Augustâ quadam vrbem ingrediente, omnes in eam pariter diuitiæ confluant necesse est; sic vbi precatio in animam semel inuaserit, omnes vnà virtutes ingrediuntur. Quod enim est in domus ædificio fundamentum, hoc in animo existit precatio. Itaque nos omnes hac primùm tanquam basi ac fundamento in animo collocatâ, etiam castitatem, mansuetudinem, iustitiam, pauperum curam superædificemus necesse est; ac omnes Christi leges; per quem, & cum quo Patri, sanctoque Spiritui, gloria & imperium, in sæcula sæculorum: Amen.

4. Reg 18.

Ion. 3. v. 5.

EIVSDEM, ORATIONEM Pœnitentiæ viam esse.

Ex hom. 9. de pœn. t.

HAbes & aliam viam pœnitentiæ rursus facillimam, quâ te à peccatis vindicare poteris. Ora per singulas horas, nec orando deficias; caue autem, vt Dei clementiam negligenter implores, nec repellet perseuerantem, sed condonabit delicta, ac petita concedet. Si orando fueris exauditus, mane gratias agens in oratione: sin autem exauditus non fueris insistens mane vt exaudiaris. Neque dixeris, Multum oraui, nec fui exauditus. Nam & hoc ipsum sæpe tibi commodo cedit. Nouit enim quòd piger es, ac supinus; quódque voti compos effectus, sperâ deinceps oratione sis recessurus; idcirco necessitatis occasione differt te, vt Deum crebrius alloquaris, ac orationi vaces. Si enim cùm tantâ in necessitate verseris, atque egêas, pigritaris, nec orationi insistis; quid te fieret, si nullo tibi horum opus esset? Itaque is quoque, quod sit commodum rem facit, qui te velit non deficere ab oratione. Mane ergo & ora; neque segnis esto. Multa enim, dilecte, efficere valet oratio; nec sic adeas velut rem, quæ minoris sit.

Quòd autem oratio peccatum dimittat, ex diuinis Euangelijs edocere. Quid enim aiunt? Simile est regnum cœlorum homini, qui clausâ ianuâ suâ, cum filijs se cubili dedit. Venit autem

Luc. 11. v. 5.

A quidam vespere, vt ab eo panes acciperet, pulsans, Aperi mihi, quia panibus indigeo. Ad quem ille, Non possum dare tibi: lecto enim recubuimus tum nos, tum pueri nostri. Ille autem, etsi hæc audierat, perseuerabat pulsans, nec antè discedens, quàm dixerit pater familias, Surgite, date ei, & finite abire. Docet ergo te orare, nec obtorpescere; ac, si minùs acceperis, donec accipias perseuerare.

S. AVGVSTINI EPISCOPI *Hipponensis in superius Euang.*

HOMIL. I.

B DOmini verba nunc ista tractanda sunt: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Iam dictum est in superioribus huius Dominici sermonibus partibus, propter eos qui nonnulla petunt à Patre in Christi nomine, nec accipiunt: non peti in nomine Saluatoris quicquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum literarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quòd eo sono rectè ac veraciter intelligitur: hoc accipiendus est dicere cùm dicit, *in nomine meo.* Vnde qui hoc sentit de Christo quod non est de vnico Dei Filio sentiendum, non petit in eius C nomine, etiam si non taceat in eo literis ac syllabis Christum: quoniam in eius nomine petit, quem cogitat cùm petit. Qui verò quod est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit: & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere: quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur. Ita sanè intelligendum est quod ait, *dabit vobis:* vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, D vel quibuslibet alijs: quia non vtcunque dictum est, dabit, sed, *dabit vobis.*

Tract. 102. in Ioan. 16. v. 23.

Supra tract. 73. per totum & 81.

Petit in nomine Christi, qui conducentia ad salutem verâ fide petit.

Qui sic petit, accipit; si modò pro se petit.

Vsque modò, inquit, *non petistis quicquam in nomine meo: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Hoc quod dicit *gaudium plenum*, profectò non carnale, sed spiritale gaudium est: & quando tantum erit, vt aliquid ei iam non sit addendum, proculdubio tunc erit plenum. Quicquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum: si diuinam intelligimus gratiam, si verè beatam poscimus vitã. Quicquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omninò res est, sed quia in tantæ rei comparatione E quicquid aliud concupiscitur, nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus: *Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit.* In comparatione quippe spiritalis hominis, qui scit gratiâ Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit, nihil est. Sic ergo etiam rectè intelligi potest. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* vt hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ comparatione nihil sit. Et quod sequitur, *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest. Vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognouistis: vel, *non petistis quicquam*, quoniam in

v. 24.

Gaudium plenum.

Nihil petitur, quicquid non ad illud spectans petitur.

Gal. 6. v. 3.

A comparatione tei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Vt igitur in eius nomine noo nihil, sed gaudium plenum petant, qnoniam si aliquid aliud perunt, idem aliquid nihil est, exhortatur dicens: *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Id est, hoc in nomine meo petite, vt gaudium vestrum sit plenum & accipietis. In isto enim bono in petendo perseuerantes, Sanctos suos nequaquam misericordia diuina fraudabit.

V. 25.

Hac, inquit, *in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo vobis.*

Prima expositio, vt sermo sit de statu futuræ beatitudinis.

Possem dicere hanc de quâ loquitur horam, futurum oportere sæculum intelligi, vbi videbimus palàm, quod beatus Paulus dicit, *facie ad faciem*: vt quod ait, *Hac in prouerbijs locutus sum vobis*, huc sit, quod ab eodem Apostolo dictum est, *Videmus nunc per speculum in ænigmate. Annuntiabo* autem *vobis*, quia per Filium Pater videbitur, iuxta illud quod alibi ait, *Neque Patrem quis cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Sed istum sensum videtur impedire quod sequitur, *Illo die in nomine meo petetis.* In futuro enim sæculo cùm peruenerimus ad regnum, vbi *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*: quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Vnde & in alio Psalmo legitur; *Satiabor cùm manifestabitur gloria tua.* Petitio namque alicuius est indigentiæ, quæ ibi nulla erit, vbi hæc satietas erit.

1. Cor. 13. v. 12.
Matth. 11. v. 27.
V. 26.
1. Ioan. 3. v. 2
Psal. 16. v. 15.

Secunda, vt de huius temporis vitâ spiritaliori.

C Relinquitur itaque quantum sapere valeo, vt intelligatur Iesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spiritales promisisse facturum, quamuis nondum tales quales erimus, quando spiritale etiam corpus habebimus: sed qualis erat qui dicebat, *Sapientiam loquimur inter perfectos*: Et, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus.* Et, *Non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in sapientiæ humanæ doctis verbis, sed doctis Spiritu spiritalibus spiritalia comparantes: animalis autem homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei.* D Non itaque percipiens quæ sunt Spiritus Dei homo animalis, sic audit quæcunque audit de Dei naturâ, vt aliud quàm corpus cogitare non possit, quamlibet amplissimum vel immensum, quamlibet lucidum ac speciosum, corpus tamen: ideo prouerbia illi sunt quæcunque dicta sapientiæ de incorporeâ immutabilique substantiâ, noo quòd ea tanquam prouerbia deputat, sed quia sic cogitat, quomodo qui prouerbia solent audire, neque intelligere. Cùm verò spiritalis cœperit omnia diiudicare, ipse autem à nemine diiudicari, etiam si in hac vitâ adhuc velut per speculum ex parte perspicit: tamen non vllo corporis sensu, non vllâ imaginariâ cogitatione, quæ capit aut fingit qualiumcunque similitudines corporum, sed mentis certissimâ intelligentiâ Deum intelligit non corpus esse, sed spiritum: ita palam de Patre annuntiante Filio, vt eiusdem substantiæ conspiciatur & ipse qui annuntiat: tunc in eius nomine petunt qui petunt, quando in sono eius nominis non aliud quàm res ipsa est, quæ hoc nomine vocatur, intelligunt: nec animi vanitate vel infirmitate confingunt tanquam in alio loco Patrem, in alio Filium ante Patrem stantem, & pro nobis rogantem, spatia sua quæque amborum occupantibus molibus, & Verbum ad eum cuius est Verbum, facere verba pro nobis, interuallo interposito inter os loquentis & auriculas audientis, & alia talia quæ sibi animales, ijdémque carnales in cordibus fabricant. Quicquid enim tale spiritalibus de Deo cogitantibus ex corporum consuetudine occurrit, negando atque respuendo tanquam importunas muscas, ab interioribus oculis abigunt: & sinceritati eius lucis acquiescunt, quâ teste ac indice has ipsas imagines corporum suis internis aspectibus irruentes, falsas omninò esse conuincunt.

1. Cor. 2. v. 6
1. Cor. 3. v. 1.
1. Cor. 2. v. 12
Carnalis homo Deũ cogitare nõ potest nisi vt corpus.
1. Cor. 2. v. 15
1. Cor. 13. v. 12.
Spiritalis eundem intelligit vt Spiritum.
Hic petit in Christi nomine.

Hi possunt vtcunque cogitare Dominum nostrum Iesum Christum inquantum homo est, pro nobis interpellare Patrem: inquantum autem Deus est, & nos exaudire cum Patre. Quod B eum significasse arbitror vbi ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Ad hoc quippe intuendum quomodò non rogat Patrem Filius, sed simul exaudiunt rogantes Pater & Filius, noo nisi spiritalis oculus mentis ascendit.

Christus vt homo rogat Patrẽ, vt Deus exaudit cũ Patre.
V. 26.

Ipse enim Pater, inquit, *amat vos, quia vos me amastis.* Ideo amat ille, quia nos amamus? an potiùs quia ille amat, ideo oos amamus? Ex Epistolâ suâ Euangelista idem ipse respondeat: *Nos diligimus*, inquit, *quia prior ipse dilexit nos.* Hinc ergo factum est vt diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum Dei est diligere Deum, quoniam ipse vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, vt esset in nobis vnde placeremus: non enim amaremus Filium, nisi amaremus & Patrem. Amat nos Pater, quia nos amamus Filium: cùm à Patre & Filio acceperimus, vt & Patrem & Filium amemus: diffundit enim charitatem in cordibus nostris amborum Spiritus, & quem Spiritum & Patrem amamus & Filium, & quem Spiritum amamus cum Patre & Filio. Amorem itaque nostrum pium quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est: ideo quippe amauit ipse quod fecit. Sed in nobis oon faceret quod amaret, nisi antequam id faceret nos amaret. *Et credidistis*, inquit, *quia à Deo exiui.*

V. 27.
1. Ioan. 4. v. 10.
Prior Deus amat nos, qui & dat vt amemus.
Rom. 5. v. 5.

Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Planè credidimus. Neque enim propterea debet incredibile videri, quia sic ad mundum veniens exijt à Patre, vt non desereret Patrem: & sic vadit ad Patrem relicto mundo, vt non deserat mundum. Exijt enim à Patre, quia de Patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione.

V. 28.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

E QVales erant discipuli Christi quando cum eis ante passionem loquebatur magna cum paruis, sed sicut oportebat vt magna dicerentur & paruis, quia nondum accepto Spiritu sancto, quemadmodum eum post eius resurrectionem vel ipso insufflante, vel desuper venientem acceperunt, humana magis quàm diuina sapiebant, multis indicijs per totum Euangeliũ declaratur: vnde & hoc est quod in istâ lectione dixerunt. Ait enim Euangelista, *Dicunt ei discipuli eius*,

Tract. 103. in Ioan 16. v. 29.

V. 30.

Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia nosti omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi. Ipse Dominus paulò antè dixerat.

Supra v. 25.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis; venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis. Quomodò ergo isti dicunt, *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis?* Nunquid hora iam venerat, quâ non iam in prouerbijs se promiserat locuturum? Prorsus quòd nundum illa hora venisset, continuatio verborum eius ostendit, quæ ita sese habet: *Hæc*, inquit, *in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis: illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse* B *enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Cùm per hæc omnia verba adhuc illam promittat horam, quâ non iam in prouerbijs loquetur, sed palam de Patre annuntiabit eis: in quâ hora dicit eos in suo nomine petituros, nec se Patrem de illis rogaturum, eo quòd ipse Pater amat eos, quia & ipsi amauerunt Christum, & crediderũt quòd à Patre exierit, & venerit in mundum, iterum relicturus mũdum, & iturus ad Patrem: Cùm ergo adhuc promittatur hora illa, in quâ sine prouerbijs locuturus est, cur isti dicunt, *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis,* nisi quia illa, quæ scit ipse non C intelligentibus esse prouerbia, illi vsque adeò non intelligunt, vt nec saltem non se intelligere intelligant? Paruuli enim erant, & nondum spiritaliter diiudicabant, quæ de rebus non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant.

Rudes adeò discipuli, vt nec se non intelligere intelligerent, quæ non intelligebant.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euangelij eiusdem expositio.*

Ioan. 16. v. 23. Luc. 24. v. 49.

A*Men, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.* Meliores & sapientiores fore sanctos discipulos ait, eùm virtute indui ex alto, vt scriptum est, & D Spiritus lumine illustrari, omnia demum intelligere poterunt, licet eum præsentem nequaquam interrogent. Non enim quia illustratione suâ non ampliùs opus habituri sint; hæc Seruator ait, sed quia accepto suo Spiritu, eumque in cordibus suis habitantem habentes, omnis boni & perfectissimæ cognitionis plenam mentem habituri sunt. Perfectam verò cognitionem esse dicimus, rectam illam & inconcussam, ac nihil absurdi sentire aut dicere sustinentem, sed rectè opinantem de sanctâ & consubstantiali Trinitate sententiam. Nam etsi videamus modò per speculum & in ænigmate, & cognoscamus ex E parte, iuxta Pauli vocem; tamen veritati dogmatum inhærentes, & scopum sanctæ ac diuinitùs inspiratæ Scripturæ sequentes, cognitionem habemus non imperfectam, quam aliter consequi nemo potest quàm illustrante sancto Spiritu. Ideòque cùm discipulos ad postulanda spiritalia dona hortaretur, simulque eorum fruendorum, si petierint, fiduciam traderet, addito *Amen* ad fidem confirmat, acceptutos à Patre, si quid ab eo supplices petierint; se nimirum mediante, & vnâ cum Patre largiente, id enim significat, *In* A *nomine meo.* Nec enim aliter ad Deum Patrem accedimus, quàm per Filium. *Per ipsum* quippe *accessum habemus in vno Spiritu ad Patrem*, vti scriptum est: proindeque ait: *Ego sum ostium: Ego sum via. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quatenus enim est Filius ac Deus, vnà cum Patre Sanctis bona largitur, & benedictionem cum eo nobis impertit. Et quidem Paulus ille diuinus manifestissimam nobis huius rei fidem faciebat, ita scribens: *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Quatenus verò mediator & Pontifex & aduocatus appellatur, offert Patri supplicationes pro nobis. Ipse enim est omnium nostrûm fiducia apud Patrem. In nomine ergo Christi Seruatoris nostri orandum est. Sic enim facillimè Pater annuet, ac petentibus B bona largietur, vt ijs acceptis lætemur. Repleti quippe donis spiritalibus, eiusque cognitione ditati *per inhabitantem in nobis Spiritum*, quamlibet impuram ac nefariam voluptatem facilè expugnabimus: atque ita benè agentes, & ad omnis virtutis desiderium euecti, ac retributionis spe ad omnem rem quæ ad sanctificationem conducat confirmati, vehementer gaudemus, & improbæ conscientiæ mœrore depulso Christi lætitiâ mentem nostram saginamus. Quod veteribus quidem vsitatum non fuit: nec enim istum precandi modum vsurparunt, præ ignorantiâ: nunc autem per Christum statuitur, idque iure merito, cùm tempus correctionis affulserit, & C cuiusuis boni perfectio per eũ inducta sit. Quemadmodum enim *Lex nihil ad perfectum adduxit*, sed imperfecta erat iustitia quæ secundùm eam exercebatur, sic & precandi modus.

Eph. 2. v. 18. Ioan. 10. v. 7. Ioan. 14. v. 6.

1. Cor. 1. v 3.

Rom. 8. v. 11

Orandum in Christi nomine.

Perfecta cognitio, quâ Trinitas consubstantialis noscitur. *1. Cor. 13. v. 12.*

Ante Christi Incarnationem imperfectus erat precandi modus, cùm Christi nomen non interponeretur. *Heb. 7. v. 19.*

V. 25.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Prouerbium vocat sermonem obscurum nec admodùm manifestum, sed obscuritatibus adeò subtilibus adumbratum, vt eum auditores facilè capere nequeãt: eiusmodi quippe forma est eorum quæ per prouerbia dicuntur. Quæ ergo dixi, inquit, tanquam in prouerbijs & ænigmatis locutus sum, opportuno tempore, & iamiam affuturo, certissimam eorum reuelationem allaturo. Veniet enim, veniet, inquit, hora, id est tempus, quo apertè vo- D bis enarrabo quæ ad gloriam Patris pertinent, & cognitionem captum mentis humanæ excedentem vobis inseram. Quodnam autem sit huius rei tempus, non admodum clarè indicauit, sed eum illud tempus dicere putabimus, quo ex Christi munere post resurrectionem à mortuis cognitionem per Spiritum accepimus: vel illud fortasse, quod post huius mundi contractionem futurum est, quando clarè & apertè gloriam Dei videbimus, manifestissimam nobis de se cognitionem immittentis. Ideòque Paulus prophetiam quidem euacuatum iri ait, & cessaturam scien- E tiam, eam scilicet dicens, non aliam quàm nunc possidemus. *Videmus enim per speculum, & cognoscimus ex parte*, sicuti mox dicebamus. *Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*: quo pacto verò, si iuuat denuò repetam. Quemadmodum enim obscurâ nocte astrorum decus elucet, vnoquoque lumen suum emittente: sed simul ac Solis iubar refulsit, splendor ille singulorum euanescit, & Solis radijs cedit: sic opinor cognitio illa quâ præditi nunc sumus, tunc temporis cessabit, & desinet quod est ex parte, perfectâ luce subeunte, & perfectissi-

Annuntiaturum se palam de Patre ait, siue post resurrectionem, siue post huius sæculi finē.

Euacuanda scientia quæ ex parte est & imperfecta. *1. Cor. 13. v. 8.*

mum nobis dioinæ cognitionis fulgorem infundente. Tunc quæ de suo Patre scire conueoit Christus annuotiabit, cùm ea iam tutò capere poterimus. Nunc enim per vmbram & exempla, variasque ex ipsis rebus imagines ac figuras à nobis desumptas vix ad aliquam obscuram cognitionem deducimor, propter animi nostri iofirmitatem. Tunc verò sine vllâ prorsùs figurâ, sine ænigmate aut parabolâ, nudâ, vt ita dicam, facie, & expeditâ mente diuinæ Dei ac Patris naturæ decus intelligemus, gloriam eius qui ex ipso effulsit contemplantes. 1. Ioan. 3. v. 2. *Videbimus enim eum sicuti est*, iuxta Ioannis vocem. Nunc eoim videmus, nun in eâ quidem prorsùs quæ Deo conuenit gloriâ, propter humanitatem: sed elapso dispensationis tempore, perfectóque mysterio B quod propter nos, & pro nobis, in suâ demum & Patris gloriâ conspicietur. Deus enim cùm sit secundùm naturam, proindeque Genitori consubstaotialis, æqualibus omninò dignitatibus præditus erit, & io gloriâ propriâ Deóque conuenienti refulgebit.

V. 26. *In illo die in nomine meo petetis: &c.* Nibil omninò per orationem & supplicationem petere permittit, nisi in nomine suo. Patrem verò ocyùs daturum eis pollicetur quæ postulauerint, non vtique Filij solùm impulsu, qui aduocatus & Mediator est, sed vltrò quodammodò eò munificentiæ delatum, & quasi quoddam debitum C soluat Christum diligeotibus, summam nempe benignitatem. Neque verò quisquam putauerit, aut stultè asseruerit Discipulis aut Sanctis quibuslibet, io rebus suis, mediatiuoe Filij nullatenùs opus fore. Omnia quippe per ipsum à Patre sunt in Spiritu, quoniam aduocatus est, teste Ioanoe, 1. Ioan. 2. v. 2. *non pro nostris peccatis solùm, sed etiam pro totius mundi.* Cæterum isthæc ait vt hîc rursùs vtiliter ostenderet longè gratissimum esse Patri honorari ac diligi Filium suum. Quod cùm miseri Iudæi non intelligerent, intolerabilibus conuitijs non verebaotur eum lacessere, & Ioan. 5. v. 18 *quærebant eum interficere*, vt scriptum est, propterea quod animos credentium ex legali & cras- D su mandato ad Euangelicæ conuersationis subtilitatem reformabat. Aiebant enim miseri, & ignari, impiam in eum linguam acuentes: Ioan. 9. v. 16 *Si esset à Deo hic homo, Sabbatum vtique non solueret.* Ocyùs itaque à Deo Patre benignitatem eis datum iri dicit indubitatè credentibus, & rectissimè seotientibus ipsum à Deo & Patre exisse. Præueniet enim quodammodò, & occupabit forsan inquit, Mediatoris petitionem, ac spiritalibus benedictionibus mentes eorum perfundet qui rectè de me sentiunt, neque sicut ij qui literam colunt.

V. 28. Illud autem, *Exiui à Deo*, hîc rursùs significare putabimus, aut Natus sum, & ex eius sub- E stantiâ effulsi, ita tamen, vt sim & iotelligar in propriâ personâ, quamuis non omninò seiunctus à Patre: Est eoim in Filio Pater, & in Patre rursùs secundum naturam Filius. Aut illud, *Exiui*, pro eo quod est, Factus sum homo vestri similis, indurâ vestrâ formâ & oaturâ. Locus enim cuiusque rei quodammodò est propria cuiusque natura, à quâ exit, cùm in aliud quiddam transit, & factum est quod non erat. Neque verò dicimus, quòd cùm homo sicuti nos apparuerit, & factus sit Vnigenitus, Deus esse desinat: Heb. 13. v. 8. *Heri enim & hodie, idem est ipse & in sæcula*: sed assumpto potiùs quod oon erat suoque seruato,

Exiui à Patre, vel natus sum, vel homo factus.

Rei cuiusque locus, eius natura.

A exisse quodammodò censeri, secundùm istum nostrum scilicet accipiendi modum. Qnin & alio modo *exiui à Patre*, si iuuat, accipies. Putabant eoim ignari Pharisæi, sicuti iam antè dixi, Dominum instar falsi cuiusdam Prophetæ in medium prodire, nequáquam à Deo missum, sed suâ sponte, vt illi solebant, Legi aduersa venientibus ad se proponere. Idcirco enim simulabant ei se non credere, dicentes mandatorum obseruationem Deo ac Patri gratissimam, eius doctrinâ violari. Quapropter Christum depellebant tanquam Dei hostem, & promulgatis per Mosem diuinis legibus repugnantem, alienumque idcircò eum esse à Deo putabant. Sed non ita beati Discipoli. Ipsum quippe amarunt, sanjori B quàm Iudæi mente prædit, ac verè crediderunt eum exisse à Deo, ijs qui mox allati sunt modis: quam ob causam vicissim dilecti sunt à Patre, mutuam quodammodò reportantes gratiam. Quòd si amicissimi quidem sunt Deo ac Patri, & longè gratissimi sunt qui ex Deo credunt procedere Filium, exosi videlicet, ac inuisi Deo verè sunt, qui contrariâ his opinione laborant. Et si diligeotes Filium, citò exaudit Deus, eorum qui non diligunt orationes non suscipiet. Quod per vocem quidem Esaiæ ad eos dictum est his verbis: Isai 1. v. 15. *Cùm extenderitis manus vestras ad me, auertam oculos meos à vobis: Et* C *si multiplicetis orationem, non exaudiam vos, manus enim vestra sanguine plena sunt.*

Exiui à Patre, ab eo missus veni.

V. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Manifestum & indubitatum argumentum est, Dominum non esse vnum ex falsis prophetis, neque portò ad nos venisse, vt præter Patris voluntatem ex suâ sententiâ loqueretur, sicuti Iudæi stultè & nefariè suspicantur, quòd ad Patrem reuertitur, eóque cum potestate redit, vnde se oouit exisse. Etenim verè dicet aliquis, Iudæorum væcordiam non ferens, non erat forsan verax Christus, ex vestrâ quidem sententiâ, Iudæi, sed nec Patre comprobante Euangelicæ conuersationis D doctrinam inuexit, cùm irritum & inutile demùm ad perfectionem pietatis legale mandatum ostenderet. Eum quippe violati Sabbati accusatis, & si quod apud vos miraculum ediderit, Luc. 11. v. 15 in Beelzebub principe dæmoniorum illud facere solitum summâ cum impietate dicitis. Quomodò ergo in cœlum ascendit? aut quomodò in eodem Throno Pater eum excepit, Angelis ei Psal. 23. v. 7. supernas portas aperientibus, si, vt vultis, eius decretis repugnet, & quam summus vniuersorum Rex non probet doctrinam inuehat? Nunquid enim clam assumptus est? nonne turba multa erat ad quam diuinus ac cœlestis Angelus E dixit, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Act. 1. v. 11. Iam vero quid ais, Iudæe? Nunquid saltem Angeli voci credes? an non testes accipies, eosque multos rei ipsius spectatores, cùm Lex manifestè dicat, Deut. 19. v. 15. *In ore duorum aut trium testium stare omne verbum?* Ei ergo qui cum potestate ad Patrem qui io cœlis est reuertitur, quomodò pseodophetiæ notam meritò affinges, ac non potiùs velut ex rei clarâ demonstratione sequetur eum ex Deo Patre nimirùm esse, non tameo ab illo diuersum, quem ipsa Lex & Prophetæ prædixerunt? Venisse verò in hunc mundum ait, & rursus ex hoc mundo ad

do ad Patrem redire, nec à Patre remotum, cùm A factus est homo, oec ab hominibus, cùm in carne ad Patrem redijt: Deus enim est verus, qui ineffabili virtute cuncta replet, nec ab vllo eorum quæ sunt, abest.

V. 29. & 30.

Dicunt ei Discipuli eius: Ecce, nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis, &c. Euidentissimam rei probarioοem inspiciunt, ac mirantur. Illos enim absque circuitione verborum alloquitur. Gaudent igitur acceptâ demonstratione rei manifestissimâ, nihilque ardui in illo sermone esse fatentur; tamque euidentem demonstrationem esse concedunt, vt ne leuis quidem prouerbij scintilla appareat. Illud insuper adduot, Cùm occultas cogitationes agnoscas, & interrogationem, quam ipsi facturi eramus B præueneris, te exisse à Deo credidimus. Mentis enim penetralia, & cordis arcana perspecta habere, solius Dei est. Cùm autem ipse omnia noris, quis dubitet te ex Deo qui omnia nouit effulsisse? Diuinum ergo illud & admirabile signum certissimæ inter alia fidei Discipulis fomes extitit, vt de ijs verè dici possit, *Da sapienti occasionem, & sapientior erit: notifica iusto, & addet ad recipiendum.* Aiunt verò, *Nunc credimus*, non quòd credere tum primùm cœpisse dicant Dominum cuncta nosse, cùm hæc verba audierunt, aut miraculum viderunt: sed quòd fidei initiò susceptæ radices in suis animis altiùs agere incipiant, ac firmiter credere Deum esse, & ex Deo secundùm naturam, ac vero. Intelligemus C ergo illud, *Nunc credimus*, non de credendi initio, sed de stabili io fide & sententiâ iam susceptâ, perseuerantiâ.

Ex cognitis cordium cogitationibus agnoscunt discipuli Christum Deum.

Pro 9. v. 9.

V. 30.

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in *Euangelium superius.*

HOMILIA.

POtest monere infirmos auditores, quomodò in capite lectionis huius Euangelicæ discipulis Saluator promittat, *Si quid*, inquiens, *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, cùm D non solùm nostri similes multa quæ Patrem in Christi nomine videntur petere non accipiant, verùm etiam ipse Apostolus Paulus tertiò Dominum rogauerit, vt à se angelus satanæ à quo tribulabatur, abscederet, nec impetrare potuerit. Sed huius motio quæstioois antiquâ iam Patrum explanatione reserata est, qui veraciter intellexerunt, illos solùm in nomine Saluatoris petere, qui ea quæ ad salutem perpetuam pertinent petunt: ideóque Apostolum non in nomine Saluatoris petisse vt tentatione careret, quam ob custodiam humilitatis acceperat: quia si hac caruisset, saluus esse non posset, ipso affirmante cùm ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ* E *qui me colaphizet.* Quotiescunque ergo petentes non exaudimur, ideo fit, quia vel contra auxilium nostræ salutis petimus, ac proptcrea à misericorde Patre beneficij gratiâ nobis quod ineptè petimus negatur, quod eidem Apostolo Paulo contigisse probatur, cui ter petenti responsum est: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur:* Vel vtilia quidem & quæ ad veram salutem respiciunt petimus, sed ipsi malè viuendo auditum à nobis iusti iudicis auertimus, incidentes in illud Salomonis: *Qui auer-*

Ioan. 16. v. 23.

2. Cor. 12. v. 8.

Vt dentur omnia quæ in Christi nomine petimus.

Cur aliqui quandoque non exaudiantur.

Ibid. v. 7.

Ibid. v. 9.

Pro. 28. v. 9.

A *tit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis:* Vel dum pro peccantibus quibusdam vt resipiscant oramus, & si salubriter petimus, atque ex nostro merito digni sumus auditu, ipsorum tamen peruersitas ne impetremus obsistit. Fit etiam aliquando vt salutaria prorsus & precibus solicitis, & deuotis quæramus actionibus, nec tamen statim obtineamus quæ petimus, sed in futurum petitionis oostræ differatur effectus, sicut cùm genibus flexis quotidie rogamus Patrem, dicentes: *Adueniat regnum tuum*, idem tamen regnum non mox oratione finitâ, sed tempore congruo sumus accepturi. Quod piâ prouisione nostri conditoris constat actitari, vt videlicet desideria nostræ deuotionis B dilatione crescant, & incremento quotidiano magis magisque prouecta, tandem perfectiùs capiant gaudia quæ requirunt. Inter quæ notandum, quia cùm pro peccantibus oramus, & si eorum saluationem impetrare nequimus, nequaquam tamen fructu precis nostræ priuamur: quia & si illi digni non sunt saluari, nos tamen amoris quem illis impendimus, mercede donabimur, sicque in tali petitione implebitur nobis illa Domini promissio, quâ ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Intuendum enim quia non ait simpliciter dabit, sed *dabit*, inquit, *vobis*: quia & si non eis pro quibus petimus, dabit, nobis tamen cùm pro aliorum erratibus misericorditer interuenimus, præmium C nostræ benignitatis restituet. Sequitur.

Differtur effectus, vt crescat deuotionis affectus.

Matth. 6. v. 10.

Non caret fructu iustorum oratio, cùm illi pro peccatoribus orantes nō exaudiuntur.

V. 24.

Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Non petierunt catenus in nomine Saluatoris, quia dum ipsum Saluatorem visibili præsentiâ complecterentur, minus ad inuisibilia salutis dona mentis intuitum erexerant. Sed & nostra fragilitas Patrem petens non in nomine Iesu, id est, Saluatoris petit, dum contra rationem suæ petit salutis: non vt Apostolorum simplicitas corporali visu sui Saluatoris ab æternæ salutis petitione sit retardata, sed obstaculo propriæ cupiditatis ab intuitu Dominicæ voluntatis impedita. Quid autem principaliter petendum, ac sine D vllâ dubietate eis qui fideliter in petendo perstiterunt, sit patandum à Patre, & Dominus subdendo manifestat, dicens: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Ordo quippe sensus est: Petite vt gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Plenum ergo gaudium beatitudinem perpetuæ pacis appellat. Nam vt taceamus de gaudio reproborum quo sibi luctum mercantur æternum, habent Sancti etiam in præsenti gaudium de spe cœlestium bonorum, cùm pro Domino terrenis exercentur aduersis: habent gaudium cùm amore fraternitatis suadente, discunt *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Sed non est plenum gaudium, quod fletu E variante miscetur. Plenum quippe gaudium fit, vbi nemine flente, cum solis datur gaudere gaudentibus. Ait itaque, *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Ac si patenter dicat: Non fluxa sæculi gaudia, quæ & mœrore semper mixta, & certo sunt fine obnoxia: sed illud singulare gaudium à Patre petite, cuius plenitudo nullo cuiuslibet inquietudinis attactu minuitur, æternitas nullo vnquam termino dissoluitur. Si enim perstiteritis in petendò, & procul dubio quæ petitis accipietis. De huius plenitudine gaudij Petrus fidelibus scribit, dicens: *Credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili &*

Petere in Iesu nomine, est petere quæ sunt è ratione salutis.

Petendum à Deo plenum gaudium, quod est æterna beatitudo.

Rom. 12. v. 15

1. Pet. 1. v. 8.

Petendum non verbis tantùm, sed & dignâ operatione pro illo certandum.

A *glorificatâ, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Petere autem huiusmodi gaudium est, non verbis tantummodò patriæ cœlestis introitum flagitare, sed & dignâ operatione pro eius perceptione certare. Neque enim quippiam vtilitatis adfert benè orando superna quærere, qui non desistit peruersè viuendo infimis implicari.

V. 25.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Illam nimirum horam significat, quâ eis peractâ suâ passione ac resurrectione Spiritus sancti erat gratiam daturus. Tunc etenim spiritaliter intus instructi, spiritali dilectione succensi, quò perfectiùs omnia quæ de agnitione diuinitatis mortalibus erant capienda, ceperant, eò ardentiùs sola, quæ ad eius visionem promerendam iuuarent, petere ac desiderare curarunt. Hoc est enim quod subiunxit:

Palam de Patre annuntiauit Dominus cùm misit Spiritum sanctum.

V. 26.

Illo die in nomine meo petetis. Possumus horam quam pollicetur in futurâ vitâ intelligere, in quâ palàm de Patre annuntiat, id est, palàm Patrem ostendet electis, quando sicut Apostolus ait, *videbimus eum facie ad faciem.* De quâ annuntiatione dicit & Ioannes: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quia cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est.* Vbi veraciter in nomine Iesu petunt electi, dum pro nostrâ fragilitate intercedunt, quatenus ad suæ saluationis sortem pertingamus, à quâ adhuc inter insidias hostium peregrinamur in terris: quam Sanctorum petitionem aptissimè in die futurâ promisit, *Illo,* inquiens, *die in nomine meo petetis.* In die etenim petunt, quia non inter tenebras pressurarum vt nostra in præsenti, sed in luce sempiternæ pacis, & gloriâ beatorum Spirituum pro nobis intercessio funditur. Possunt autem ijdem Spiritus electorum in illâ cœlesti ciuitate positi, etiam pro seipsis in nomine Saluatoris petere intelligi, quia videlicet tempus vniuersalis iudicij & resurrectionis corporum, in quibus pro Domino certauere, venire desiderant. Vnde & Ioannes ait:

Annuntiat eùm in futurâ vitâ ostendet Patrem.
1. Cor. 13. v. 12.
1. Ioan. 3. v. 2.
Sanctorum post mortē preces pro viuis.

B

C

Item pro seipsis.

Apoc. 6. v. 9.

Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magnâ, dicentes: Vsquequo domine sanctus & verus non iudicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terrâ? Vbi continuò subinfertur: *Et data sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec implerentur conserui eorum, & fratres eorum.* Singulas quippe stolas albas nunc habent animæ, cùm solâ suâ felicitate fruuntur: binas tunc accipiunt, cùm impleto in fine numero fratrum, corporum quoque immortalium receptione lætantur.

D

Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Quia enim Dominus noster Iesus Christus & Deus & homo est, modò summa deitatis, modò humanitatis humilia loquendo designat. Quod enim dicit non rogaturum se Patrem de discipulis, propter consubstantialem Patri diuinitatis suæ potentiam dicit, in quâ non Patrem ipse rogare, sed rogata cum Patre consueuit dare. Quod verò Petro ait, *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et de illo Ioannes, *Aduocatum,* inquit, *habemus apud Patrem Iesum Christum iustum,* propter dispensationem dictum est assumptæ humanitatis, cuius cùm triumphum Patris ostendit oculis, pro nostrâ infirmitate propitius interuenit. Potest & ita non inconuenienter accipi quod ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis,* quia non de præsenti rogo, sed de futuro tempore posuit *rogabo,* quod Sanctis in æterna pace receptis non opus sit iam aliquid rogari de illis: quia nimirum tantâ beatitudine donati sunt, quæ amplior esse non potest.

Christus non erat vt Deus, sed vt homo.
Luc. 22. v. 32.
1. Ioan. 2. v. 1.

Christi oratio in cœlis, triumphu assumptæ humanitatis ostensio oculis Patris.
Non est quòd vltrà oretur Sanctis in æternâ pace receptis.

V. 27.
Prior est gratia, quàm meritum.
Rom. 11. v. 35

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Non ita intelligendum est, quasi amor & credulitas discipulorum præcesserit amorem quo illos Pater amaret, meritúmque humanum prius sit muneribus gratiæ cœlestis, cùm apertissimè dicat Apostolus, *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia:* sed ita potiùs, quia Pater illos gratuito amore præuenerit, atque ad amandum credendúmque Filium amando sustulerit, & quia ipsi agnitam Filij dilectionem ac fidem pio & solicito corde seruauerint, maioribus eos donis Paternæ dilectionis esse remuneratos. Non autem arbitrandum quia Pater sine Filio & Spiritu sancto amare, vel amoris possit munera dare. Nec rursus æstimandum, quia Filius sine Patre & Spiritu sancto valeat amari, vel credi. Quod ergo ait, *Ipse enim Pater amat vos,* intelligendum est vnà cum Filio & Spiritu sancto amare, quos amore dignos iudicat. Et quod adiunxit, *quia vos me amastis,* eadem ratione sentiendum est: quia quicunque Filium rectè amat, hunc cum Patre & amborum Spiritu amet: quia quorum inseparabilis est natura diuinitatis, horum vna eadémque sunt dona virtutis.

Trinitas personarū simul amat, & amatur.

Dona Dei à tribus personis procedunt.

V. 28.
Exire à Patre, & venire in mundum.

Exiui à Patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Exiuit à Patre & venit in mundum, quia mundo visibilis apparuit in humanitate, qui erat inuisibilis apud Patrem in diuinitate. *Exiuit à Patre,* quia non in eâ formâ quâ æqualis est Patri, sed in assumptâ creaturâ minor apparuit. Et venit in mundum, quia in formâ serui quam accepit, etiam mundi huius amatoribus se videndum præbuit. Iterum reliquit mundum, & redijt ad Patrem, quia ab aspectu amatorum mundi quod videbant abstulit, & se amatoribus suis æqualem Patri esse credendum docuit. Reliquit mundum, & redijt ad Patrem, quia humanitatem quam induit, per ascensionem ad inuisibilia perduxit. Hæc quidem verba Domini mystica, & sicut ipse testatur in prouerbijs sunt dicta: sed discipuli quibus dicebantur adeò carnales adhuc erant, vt eorum profunditatem minimè caperent, & non solùm arcana dictorum, sed nec ipsam ignorantiam suam intelligerent, putantes simpliciter & dilucidè prolata, quæ non intelligentibus prouerbia erant. Vnde continuò responderunt.

Mundum relinquere, & redire ad Patrem.

V. 29.

E *Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Palàm igitur eum loqui autumabant, cuius mysteria dictorum necdum comprehendere valebant. Quòd autem adiungitur: *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo existi,* apertè ostendunt, quia loquens ad eos Dominus de his maximè disputabat, quæ illos delectabat audire, & quæ illi interrogare volebant, hæc ipse præueniens eos vltrò proferebat. Vnde meritò illum scire omnia quasi Deum, & quasi Dei Filium à Deo venisse credunt & confitentur. Apertum namque diuinitatis in-

Dei proprium est scire cogitationes cordium. 3. *Reg.* 8. v. 39. *Ier.* 11. v. 20.

dicium est, cogitationum nosse secreta: Salomone affirmante qui Deo supplicans ait: *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum.* Vnde etiam Hieremias ait: *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes & corda.*

Moralis exhortatio.

Neque hæc transeunter, aut negligenter commemoranda, sed solerter inuigilandum est, fratres mei, vt non verba tantùm & opera nostra, sed & ipsa quoque cordium secreta diuinis aspectibus digna reddamus. Non in templo nostri pectoris odiorum flamma, non inuidiæ rubigo resideat: non inde turpis vel contumeliosi sermonis radix oriatur, non ibi meditatio facti nocentis innascatur. Memores simus Dominicæ comminationis, quâ dicitur: *Ego enim opera & cogitationes eorum venio vt congregem.* Et expulsis vitiorum ruderibus, talem cordis nostri paremus mansionem, cuius ipse tenetur inesse mansor, qui eius ineuitabilis inspector & iudex est. Sciendum autem quia triplex est modus cogitationum nequam, vnus earum quæ deliberatione & proposito peccandi mentem cōtamināt: alius earum quæ delectatione quidem peccati mentem perturbant, nec tamen hanc ad peccandi consensum pertrahunt: tertius earum quæ naturali motu mentem percurrentes, non tam hanc ad perpetranda vitia illiciunt, quàm à bonis quæ cogitare debuit impediunt: veluti est cùm phantasmata rerum, quæ aliquando superuacuè gesta vel dicta nouimus, ad memoriam reducimus: quarum crebra retractatio quasi importuna muscarum improbitas cordis oculos circumuolare, ac spiritalem eius aciem inquietare magis, quàm excæcare consueuit. A cunctis autem his cogitationum nequam generibus castigari, monuit Salomon cùm dicit: *Omni custodiâ serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Cuius monita sequentes agamus solliciti, vt si quid consensu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, citâ hoc confessione & dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus. Si delectatione peccandi nos tentari senserimus, noxiam delectationem crebris precibus ac lacrymis, crebrâ amaritudinis perpetuæ recordatione pellamus. Et si nos solos ad hanc propulsandam sufficere non posse viderimus, fratrum quæramus auxilia: vt quod nostris viribus nequiuimus, illorum consilio & intercessione sumamus. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua*, & sicut idem præmisit, *oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quia superuacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus, has in quantum possumus, immissione bonarum cogitationum, & maximè frequenti Scripturarum meditatione fugemus, iuxta exemplum Psalmistæ qui dicit: *Quomodò dilexi legem tuam Domine! totâ die meditatio mea est.* Petamus supernam clementiam, quod est verè in nomine Saluatoris petere, vt & cordis munditiam, & boni operis præstet efficaciam: & ante omnia illam sedulâ mente recolamus horam, illam citiùs venire optemus, in quâ non iam per Scripturas loquatur nobis Dominus, sed palam de Patre annuntiet nobis, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cordium secreta diuinis aspectibus digna reddenda.

Isai 66. v. 18

Triplex modus cogitationum nequam.
1.
2.
3.

Pro. 4. v. 23.

Confessio & opera satisfactoria pro peccatis delendis.

Aliorum orationes postulandæ.

Iacob. 5. v. 16.

Superuacuis cogitationibus carere omninò non possumus.

Psal. 118. v. 97.

A Paschate.

SANCTI BRVNONIS EPISCOPI *Signiensis, superioris Euangelij expositio.*

SI consideramus quibus hæc verba specialiter, propriéque dicantur, facilis est solutio. Apostolis enim loquebatur Dominus, quos in nomine Christi Iesu cæcos illuminasse, paralyticos curasse, mortuos suscitasse, & alia multa miracula fecisse legimus. Nihílque Patrem in nomine Filij eos petijsse audiuimus, quod non acceperint. Vnde & quosdam malè petentes Iacobus Apostolus redarguens, ait: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Itémque: *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Apparet igitur his verbis Apostolum quoque ideo exauditum non esse, eò quòd non in nomine Iesu, & non benè petisset. Simul tamen exauditum dicamus, qui quasi meliùs exauditus, se quod petebat non accepisse, lætatur. Noluit enim exaudiri, postquam se malè petisse cognouit. Atque in eo exauditus meliùs est, quòd de his, quæ petebat, exauditus non est. Est enim exauditus non de his, quæ petebat, sed de his, quæ volebat. Nemo autem sic exauditur, sicut ille, qui vtiliter accipit, quod vult. Sequitur.

Quòd malè petamus, non accipimus.

Iacob 4. v. 3. & 1. v. 5.

Exauditus Paulus, etiā cùm id quod oratione petebat non accepit.

Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Quid est hoc? Legimus enim Christi discipulos priùs etiam quàm hæc eis Dominus diceret, in nomine Iesu Christi infirmos multos sanasse, & dæmonia eiecisse. Vnde & ad eum reuersi, vt Lucas ait, cum gaudio, dicebant: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Legimus etiam eos increpasse quendam, qui eos non sequebatur, eò quòd in nomine Iesu dæmonia eiecisset. Quid est igitur, quod ait: *Vsque modò nō petistis quicquam in nomine meo*, cùm manifestum sit, eos in nomine Iesu tam multa petisse? Dicis fortasse eos non petisse in nomine Iesu, id est, non petisse ea, quæ pertinent ad salutem: sic enim hoc quidam intelligere volunt. Sed non est verum. Quid igitur dicemus? Dicunt discipuli, *Etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo:* dicit Magister, *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* Tene igitur quod superiùs ait, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* deinde iunge quod sequitur. *Vsque modò non petistis quicquam* (subauditur à Patre) *in nomine meo.* Quia enim non Patrem, sed Filium videbant, ad Filium solummodò respiciebant. Sed postquam Filius cœlos ascendit, meliùs instructi, & à Spiritu veritatis edocti, & Patrem, & Filium rogare cœperunt. Vult igitur Filius, vt quod in nomine eius petitur, à Patre petatur, sempérque Pater in Filio honoretur. Sequitur adhuc de ipsâ petitione.

V. 24.

Vt verum illud: *Vsque modò non petistis &c.*

Luc. 10. v. 17

Sic Augustinus quē hîc auctor perstringit.

Non petistis à Patre in nomine meo.

Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Dixit vt peterent, & vt à Patre peterent, & in suo nomine peterent: nunc autem eos docet quid petere debeant. *Petite*, ait. Quid? Vultis audire quid? *Vt gaudium vestrum plenum sit.* Illud enim gaudium plenum est, quod perfectum & integrum est: quod nunquam finitur, & æternum est. Hoc igitur petendum est, vt ad tale gaudium perueniatur. Quæ verò ab isto gaudio hominem separant, ea petenda non sunt. Sic igitur temporalia quæramus, vt nostrum deside-

Petendum, vt plenum sit gaudiū.

rium ab æterno gaudio non separetur: sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Audiamus semper quod hîc dicitur, *Petite, vt gaudium vestrum plenum sit*, & accipietis vtique, sed non modò accipietis, sed non in hac vitâ. Hoc enim gaudium non accipitur, nisi post hanc vitam. *Quærite igitur primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Non accipitur hoc nisi post hanc vitâ. Matth. 6. v. 33.

V. 25. *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis.* Hoc B est enim quod alius Euangelista ait, *Quia in parabolis loquebatur Iesus, & sine parabolis non loquebatur eis.* In prouerbijs enim aliud auditur, & aliud intelligitur. Per illam autem horam, quâ non in prouerbijs, sed palam se locuturum de Patre dicit, ab eius resurrectione omne tempus futurum significatur, siue per se visibiliter, siue per Spiritum sanctum inuisibiliter eis loquatur. Adueniente namque Spiritu sancto, tunc palam, & manifestè nuntiatum, & reuelatum est eis, C quod priùs de Patre ignorabant. Neque fuit necessarium vt vlteriùs dicerent: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, videntes in Patre Filium, & in Filio Patrem, & in vtroque Spiritum sanctum.

Matth. 13. v. 34.

Palam de Patre locutus Dominus, post resurrectionem.

Ioan. 14. v. 8.

V. 26. *In illo die in nomine meo petetis. In illo*, inquit, *die petetis in nomine meo*, vt in virtutibus quæ per vos fient, glorificetur nomen meum, glorificetur & Pater quem vos petitis in nomine meo. Non enim dixit nomen meum, sed, *petetis in nomine meo*, vt ostenderet nobis à quo, & in quo petere debeamus. Superiùs dixerat, *In illo* A *die me non rogabitis quicquam*: nunc autem dicit, *In illo die in nomine meo petetis*, quod vtique contrarium esset, si de eodem die intelligeretur. Hic igitur dies huius sæculi est, ille verò alterius sæculi: hic ante iudicium, ille post iudicium.

Supra v. 23.

Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Postquam, inquit, cœlos ascendero, non dico me rogare Patrem de vobis, sed vos ipsi rogate in B nomine meo, & quod volueritis dabit vobis. Diligit enim vos, *quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.* V. 27.

Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. A Patre exiuit, quia à Patre genitus est. in mundum venit, quia per susceptam humanitatem mundo se visibilem præbuit. Quomodò exiuit nescitur, quia quomodò genitus est ignoratur. Mundum verò relinquit, & ad Patrem vadit, non secun- C dum diuinitatem, quâ vbique est, sed secundum humanitatem, quâ localis est. V. 28.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget. Volebamos, inquiunt, te interrogare, quia illa quæ dicebas minimè intelligebamus, sed sine omni nostrâ interrogatione tu ipse nobis ea exposuisti, de quibus te interrogare volebamus. Vnde pro certo *scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget. Et in hoc modò credimus quia à Deo existi.*

IN LITANIIS MAIORIBVS ATQVE MINORIBVS.

LVCÆ 11.



N illo tempore dixit Iesus discipulis suis. Et ait ad illos:
a Aliquis vel si quis.
[a] Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quod ponam an-
b Non debeo precibus tuis inquietari, quia.
te illum, Et ille de intus respondens dicat: [b] Noli mihi molestus esse: iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in
c Non pudore perterritus, sed necessitate coactus.
cubili: non possum surgere & dare tibi. Et ille si [c] perseuerauerit pulsans, dico vobis & si non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit, pro-
d Vel per se inspirando, vel doctorem mittendo. e Et si non quantum ille aliquando voluerit.
pter [d] improbitatem tamen eius surget, & dabit illi [e] quotquot habet necessarios. Et
f Orando. g Rectè viuendo. h Perseuerando.
ego vobis dico: [f] Petite, & dabitur vobis: [g] quærite, & inuenietis: [h] pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.
i Si quis. k Rigorem odiorum.
[i] Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid [k] lapidem dabit illi? Aut piscem:
l Infidelitatem quam serpens primo homini inspirauit. m Spem.
nunquid pro pisce [l] serpentem dabit illi? Aut si petierit [m] ouum, nunquid porriget
n Desperationem. o Quia non vestra datis.
illi [n] scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali nostis [o] bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

A

Luc. 11. v. 5. *VIS vestrum habet amicum.* Postquam formam orationis rogantibus proposuit, iostantiam etiam & frequentiam orandi illis iniungit: vt non solùm diebus, sed etiam noctibus oratio deseratur. Qui enim mediâ nocte panes ab amico petit, & in petendi intentione persistit, non fraudatur orans. Mysticè. Amicus ad quem nocte venitur Deus est, qui corpus suum tradidit pro nobis: Cui in nocte tribulationis supplicate, & tres panes, id est, intelligentiam sanctæ Triniratis, quâ in præsentis vitæ laboribus viuamus, efflagitare debemus. (Intelligentia SS. Trinitatis, tres panes.) Hos panes, si Dominum Deum tuum diligas, noo solùm tibi, sed etiã alijs poteris emereri. Amicus qui de viâ venit, ipse est noster animus, qui quoties ad temporalia petenda euagatur, toties à nobis recedit. Redit cùm superoa meditatur, & cœlesti alimoniâ refici desiderat. Cui quod proponat non habet, quia animæ post tenebras ad Deum suspiranti, nil præter ipsum cogitare vel loqui vel intueri libet: sed vt solum Trinitatis gaudium quod recognouit, amplius iotueri & ad hoc peruenire satagat.

B

C

V. 7. Col. 4. v. 3. Apoc. 4. v. 1. *Noli mihi molestus esse.* Non aufert spem impetrandi, sed vehementiùs accendit desiderium orandi, ostensâ difficultate consequendi. *Iam ostiũ clausum est.* Ostium quod Paulus sibi aperiri petit ad loquendum mysterium Christi, & quod Ioannes sibi apertum vidit. intelligentia est diuini sermonis, quod est clausum tempore famis verbi Dei, cùm intelligentia non datur. *Et pueri,* id est, illi qui euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terrarum prædicauerunt, iam cum Domino suot in æternâ quiete: & tamen orando efficitur, vt orans accipiat intellectum ab ipso Domino, etiam si homo desit per quem sapientia prædicetur.

D

Non possum surgere. AMBROS. Nemo timet ne excitet dormientem, quem scit semper esse vigilantem.

V. 8. *Propter improbitatem tamen eius, &c.* Multæ sunt insidiæ, & grauis corporis somnus: quia si dormire mens incipit, vigorem suæ virtutis amittit. Excita ergo somnum tuum, vt pulses Christi ostiom: vt cùm intraueris aperiantur tibi thesauri absconditi, & tenebrosi in Christo Iesu.

V. 9. *Petite & dabitur vobis.* Si amicus homo surgit, & dat non amicitiâ, sed tædio compulsus; quantò magis dat Deus, qui sioe tædio largissimè donat quod petitur? Ne ergo animus ab erroris vanitate conuersus spirituali inopiâ diutiùs tabescat, petamus epulas verbi, quæramus amicum qui det, pulsemus ostium vbi seruantur abscondita. Magnam enim spem tribuit, qui promittendo non decipit.

E

V. 10. *Omnis enim qui petit, accipit.* Opus est perseuerantiâ, vt consequamur. Quod si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur, cui ergo oon datur, & qui non inuenit, & coi non aperitur, apparet quòd non bene quæsierit, petierit & pulsauerit. *Quærite & inuenietis.* (Psal. 144. v. 18. & 19.) *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* Et, *Voluntatem timentium se faciet.* Alios qui non ita petunt, redarguit Iacobus dicens, (Iacob 4. v. 3.) *Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis:* quia perseueratis in peccatis.

A Paschate.

A

Quis autem ex vobis. BED. Mysticè, Panis signat charitatem, propter maiorem appetitum & necessarium vsum: qoia sicut sine pane mensa videtur ioops, ita sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, quæ in solâ charitate perficiuntur. (V. 11. Panis, piscis, ouum; ac his contraria.) Huic contraria duritia cordis, qoam lapidi comparauit. Piscis, fides est inuisibilium. Sicut enim piscis sob tegumento aquarum nascitur, viuit & alitur: sic fides, quæ in Deum est, inuisibiliter in corde gignitur, inuisibili gratiâ Spiritus per aqoam baptismi consecratur, inuisibili auxilio diuioæ protectioois ne deficiat nutritur, inuisibilium præmiorum iotuitu quæque valet bona operatur.

B

Vel etiam ideo fides pisci comparatur, quia sicut ille crebris fluctibus maris tunditur nec perimitur, ita fides aduersitatibus non frangitur: cui contrarius est serpens, pruptet venenum infidelitatis. Per ouum spei nostræ certitudo figuratur, quia in ouo nondum fœtus perfectus cernitur, sed fouendo speratur. Contra spem scorpionem ponit, cuius aculeus venenatus retro est timendus, sicut spei contrariuoi est retro respicere; cùm spes futurorum, in ea, quæ antea sunt, se extendat.

V. 13. Mali qui dicti. *Cùm sitis mali.* Malos vocat sæculi amatores, qui dant illa quæ secundum suum sensum iudicant bona: quæ etiam in suâ naturâ sunt bona, &

C

ad vsum infirmæ vitæ pertinentia. Vel, Apostoli, qui merito electionis bonitatem humani generis excesserant, intuitu supernæ bonitatis adhuc sunt mali, quia nondum immunes à delictis, maximè in verbis & in cogitatu: quæ quotidianis orationibus iubentur curari. Vel malos vocat, quia omnis creatura in conspectu diuinæ bonitatis est mala; quia *nemo bonus nisi Deus:* (Luc. 18. v. 19.) & tamen diuinæ bonitatis participatione rationalis creatura bona fieri potest, Dominu ita promittẽte, *Dabit Spiritum bonum petentibus se;* vt per participationem Spiritus fiant boni qui erant mali, dum per granam Spiritus, fidem, spem & cha-

D

ritatem, & cæteras virtutes consequentur. Vnde Matthæus non dixit, Dabit Spiritum bonum *petentibus se;* sed, *Dabit bona petentibus se.* (Matth. 7. v. 11.) Ostendens Spiritum sanctum plenitudinem esse omnium bonorum, quia per eum omnia bona ministrantur.

Quantò magis. Aperta comparatio. Si eoim homo peccator adhuc fragili carne grauatus, petentibus filijs temporalia dare non abnegat, multò magis Pater cœlestis filijs suo timore, & amore præditis, non deficientia bona largitur in cœlis.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Luc. 11. v. 5. In Cat. Græc. PP. ET *ait ad illos, Quis vestrum habebit amicum, &c.* CYRIL. Docuerat suprà Saluator ad petitioocm Apostolorum qualiter oporteret orare: poterat autem contingere eos, qui hoc salutare documentum receperant, effundere quidem preces iuxta traditam formam, sed negligenter & remissè hoc facere: deinde cùm non exaudirentur per primam vel secundam orationem, desistere ab orationibus. Itaque ne hoc pateremur, per modum parabolæ manifestat, quòd pusillanimitas in orationibus damnosa est. Vtilissimum verò est in eis patientiam habere: vnde dicitur, *Et ait ad illos, Quis vestrum habebit amicum?*

In hoc loco. THEOPH. Amicus iste Deus est, qui omnes amat, & omoes saluos vult fieri.

Libr. 7. in Luc.

AMBR. Quis etiam est nobis amicitior, quàm qui pro nobis corpus suum tradidit? Datur autem nobis hîc alius præcepti modus, vt omnibus momentis, non solùm diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Sequitur enim, *Et ibit ad illum mediâ nocte.* Sicut petijt Dauid quando dicebat, *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.*

Psal. 118. v. 62.

Neque enim timuit excitare dormientem, quem scit semper esse vigilantem. Nam si ille tam sanctus, & qui regni necessitatibus occupatus, septies in die laudem Domino dicebat, quid nos facere debemus? qui eò ampliùs rogare debemus, quò frequentiùs carnis ac mentis fragilitate deliquimus. Quòd si diligas Dominum Deum B tuum, non solum tibi, sed & alijs poteris emereri. Sequitur enim, *Et dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes, &c.*

Ser. 29. aliq. à princip.

AVG. de ver. Do. Quid autem sunt isti tres panes, nisi mysterij cœlestis alimentum? Fieri enim potest vt aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem, quod respondere non possit: & tunc se inuenit non habere, quando coactus est dare. Venit ergo tibi amicus de viâ, id est, vitâ huius sæculi, in quâ omnes velut peregrini transeunt: nec vllus quasi possessor manet, sed omni homini dicitur, *Transi, da venturo locũ*: aut fortè de viâ malâ, hoc est de vitâ malâ fatigatus nescio quis amicus tuus non inueniens veritatem, quâ auditâ & perceptâ beatus fiat, venit ad te tãquam ad Chri- C stianum, & dicit, Redde mihi rationem. Et interrogat quòd fortè tu per simplicitatẽ fidei nesciebas, & non est vnde reficias esurientem, & cõpelleris quærere in Dominicis libris. Fortassis enim quod ille interrogauit, in libro positũ est, sed obscurum est: ipsum Paulũ, aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non sinetis. Iam enim requiescit familia ista cum Domino isto suo, & sæculi huius ignorantia valida est; hoc est, nox media, & vrget amicus esuriens, cui simplex fides non sufficit. Nunquid deserendus est? Ergo ad ipsum Dominum cum quo familia requiescit, pulsa orando: de quo subditur, *Et ille deintus respondens dicat, Noli mihi molestus esse.* Qui differt D dare, vult vt ampliùs desideres dilatum, ne vilescat citò datum.

Eccl. 29. v. 33

Libri sacri consulendi.

Const. Monast. c. 1. circa finem.

BASI. Forsitan etiam ob hoc differt, quasi ingeminans tui assiduitatem, & frequentiam erga se; & vt cognoscas quid donum Dei sit, & in timore donata custodias. Quicquid enim aliquis multo labore acquirit, nititur custodire: ne cùm illud perdiderit, suum laborem amittat.

Ordinaria.

GLOS. Non ergo aufert impetrandi licentiam, sed vehementiùs accendit desiderium orandi, ostensâ difficultate consequendi. Sequitur enim, *Iam ostium clausum est.*

Vbi supra. Col. 4. v. 3.

AMB. Hoc est ostium quod aperiri sibi etiam Paulus exposcit; non solùm suis, sed etiam popu- E li orationibus obsecrans se iuuari, vt aperiatur sibi ostium ad loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostium quod apertum vidit Ioãnes, cui dictum est: *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri.*

Apoc. 4. v. 1.

Libr. 2. c. 21.

AVG. de quæ. Euang. Significatur ergo tempus famis verbi, cùm intelligentia clauditur: & illi qui Apostolicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terræ prædicauerunt, iam sunt in secretâ quiete cum Domino. Et hoc est quod subditur, *Et pueri mei mecum sunt in cubili.*

In Cantic.

GREG. NYS. Opportunè eos qui per arma iustitiæ impassibilitatem vendicauerunt sibi, pue- A ros appellat: docens quòd bonum, quod per studia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in naturâ repositum: Nam quando aliquis abrenuntians carni, per rationem exercitio vitæ virtuosæ passionem confutauit, tunc quasi puer insensibiliter se habet erga passiones. Cubile autem requiem intelligimus Saluatoris.

GLOS. Et propter præmissa subdit, *Non possum surgere, & dare tibi*, quod est ad difficultatem impetrandi referendum.

L. 2. c. 21.

AVG. de quæst. Euang. Vel aliter, Amicus ad quem venitur mediâ nocte, vt accommodet tres panes, vtique ad similitudinem ponitur, secundum quam quis rogat Deum in mediâ tribulatione constitutus, vt ei tribuat intelligentiam Trinitatis, quâ præsentis vitæ consoletur labores. Ipsa enim angustia media nox est, quâ cogitur vehementer instare. In tribus autem panibus etiam illud significatur, vnius substantiæ esse Trinitatem: Amicus autem veniens de viâ, intelligitur hominis appetitus, qui debet rationi seruire: seruiebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat propter omnia transeuntia. Conuerso autem homine ad Deum, etiam ille appetitus à consuetudine reuocatur. Sed si non consoletur interius gaudium de doctrinâ spiritali, quâ creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ sunt in homine, quem premit ærumna mortalis; cùm ex his quæ foris delectant præcipitur abstinentia, & intus non est refectio de lætitiâ doctrinæ spiritalis: & tamen orando efficitur, vt accipiat desiderans intellectum à Domino, etiam si homo desit per quem sapientia prædicetur. Sequitur enim, *Et ille si perseuerauerit, &c.* Comparatio est à minori: si enim amicus homo surgit de lecto, & dat non amicitiâ, sed tædio compulsus; quantò magis Deus dat, qui sine tædio largissimè donat quod petitur?

Gaudium interius necessarium conuersis.

Ser. 29. inter princip. & med.

AVG. de ver. Do. Cùm autem perueneris ad tres panes (hoc est, ad cibum & intelligentiam Trinitatis) habes & vnde viuas, & vnde pascas: Ne timeas ne finias: Non enim panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet: Disce, & doce: viue, & pasce.

In hoc loco.

THEOPH. Vel aliter. Media nox finis est vitæ, in quo multi ad Deum adueniunt. Amicus autem est Angelus qui accipit animam. Vel media nox est profundum tentationum, in quo constitutus petit à Deo tres panes, necessitatem scilicet corporis, animæ, & spiritus: per quem in tentationibus non periclitamur. Amicus autem qui de viâ venit, ipse Deus est, qui tentationibus nos probat, cui non habet quod apponat, qui in tentatione infirmatur. Quòd autem dicit, *Et clausa est ianua*, intelligendum est quòd decet nos ante tentationes præparatos esse. Postquam verò in eas incidimus, præparationis ianua clauditur: & imparati inuenti, nisi Deus adiuuet, periclitamur. *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis; quærite, &c.* V. 9.

Ser. 29. parùm à princip.

AVG. de verb. Domin. Positâ similitudine adiunxit exhortationem Dominus, & omnino stimulauit nos quærere, petere, pulsare, donec accipiamus quod petimus: vnde dicit, *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis.*

Dico vobis, vim habet iuramenti.

CYRILLVS. Quòd dicit, *Dico vobis*, vim habet iuramenti: Deus enim non mentitur. Quandocunque autem innuit audientibus aliquid cum iuramento, ostendit inexcusabilem nostræ fidei paruitatem.

Hom. 34. in Matth. à medio.

CHRYS. Per petitionem autem orationem ostendit; per ioquisitionem verò studium & solicitudinem, cùm subdit, *Quarite, & inuenietis:* Quæ enim quæruntur, plurimâ curâ indigent, quod maximè est in Deo. Pluta namque sunt quæ sensum nostrum impediunt: Sicut ergo aurum perditum quærimus, sic Deum solicitè perquiramus. Ostendit etiam quòd quamuis non aperiat illicò ianuam, tamen immorandum est: vnde subdit, *Pulsate, & aperietur vobis*; quia si quærens immoraberis, vtique recipies. Ob hoc reclusum est ostium, vt faciat te pulsare: ideo noo mox annuit, vt exposcas.

Seueri in Cat. Cord. & Card. Maz.

Petere, quærere, pulsare.

GRÆCVS. Vel per hoc quòd dicit, *Pulsate*, forsitan insinuat petere cum effectu: pulsat enim aliquis manu: boni aotem operis signum est manus: Vel hæc tria possunt aliter distingui; Virtotis enim initium est petere notam fieri viam veritatis. Secundus verò gradus est, quærere qualiter oporteat transire per viam. Tertius gradus est, vt cùm virtutes attigerit, pulset ad ostium, vt intret spatiosam cognitionem, quæ omnia orando aliquis acquirit. Vel petere quidem est orare: quærere verò, per booa opera agere quæ sunt orationi consentanea: pulsare autem est orationi immorari, nec desistere.

Ser. 29. art. med.

AVG. de vet. Do. Non autem nos tantùm hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere.

Lib. 7. in Luc.

AMBR. Qui aotem promittit aliquid, spem debet afferre promissi: vt mandatis obedientia deferat, promissis fides: & ideo subdit, *Omnis enim qui petit, accipit: &c.*

In Cat. Græcâ.

Petentes vt non semper exaudiantur.

ORIG. Quæret autem aliqois, qoaliter quidam orantes oon exaudiantur? Ad quod dicendum, quòd quicunque recto tramite ad quærendum accedit, nihil omittens ex his quæ conferunt ad petitotum obtentum, accipiet reuerâ quòd precatus est dari sibi. Si quis autem diuertens à proposito debitæ petitionis, cùm non petat vt decet, oon petit. Quo fit, vt cùm non recipiat, quod hîc dicitur non falsificetur. Nam & magistro dicente, Quicunque veniet ad me, assequetur disciplinarum peritiam: adire magistrum realiter accipimus, hoc est, vt feruenter & diligenter vacet documentis ipsius: Vnde & Iacobus dicit, *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis:* scilicet causâ voluptatum vanarum. Sed dicet aliquis, imò cùm aliqui rogant pro diuinâ notitiâ obtinendâ, & recuperatione virtutum, oon obtinent: cui dicendum, qoòd non propter se bona petiuerunt accipere, sed vt commendentur per ea.

Non petit, qoi non vt decet, petit.

Iacob. 4. v. 3.

Constit. Monast. c. 1.

BASIL. Si quis etiam per torporem exhibeat se desideriis, & traditor sui fiat in manus hostium, hunc Deus nec adiuuat, nec exaudit, eo quòd per peccatum alienum se fecit à Deo. Decet ergo offerre quidem quicquid interest suâ, clamare autem ad Deum vt adiuuet eum. Est autem diuinum subsidium implorandum oon remissè, nec mente huc illúcque vagante: eo quòd talis non solùm non impetrabit quod petit, sed magis Dominum irritabit. Nam si aliquis coram principe stans fixum habet intrinsecum & extrinsecum oculum, ne forsitan puniatur: quantò magis coram Deo attentum, ac tremebundum oportet assistere? Si verò debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcumque potes teipsum cohibeas, vt stando coram Deo ad eum dirigas intellectum:

Quanta orationis diligentia.

A & Deus ignoscit, eo qoòd non ex negligentiâ, sed ex fragilitate non potes, vt oportet assistere coram Deo. Si sic ergo teipsum compellis, ne discedas, donec accipias. Ideo ergo quandoque petis & noo accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter: vel leuiter, vel oon conferentia tibi, vel destitisti. Sæpiùs autem quidam obuiant dicentes: Quare oramus? an ignorat Deus quibus opus est nobis? Nouit quippe; & omnia spiritualia vberius dat nobis, & aotequam postulemus: sed opera virtutis, & regnum cœlorum oportet priùs optare; optantem verò quærere, ingerentem per fidem & patieotiam quicquid interest suâ, in nullo delicto redargutum à propriâ conscientiâ.

Lib. 7. in Luc.

AMBROS. Ergo præceptiuos locus frequenB ter orandi, spes est impetrandi: Ratio autem persuadendi priùs fuit in præcepto, postea fit in exemplo, quod osteodit subdeos, *Quis autem ex vobis, &c.*

In Cat. Græcâ.

CYRIL. In quo instruit nos Saluator quiddam necessarium: frequenter enim inconsultò (voluptatum impetu) irruimus ad perniciosa desideria. Cùm igitur aliquid talium à Deo petimus, nequaquam impetrabimos; ad quod ostendendum vtitur patenti exemplo ex his quæ penes nos sunt. Cùm enim filius tuus petit panem, gratanter propinas, quia cibum petit opportunum. Quando verò sensus penuriâ lapidem poscit vt comedat, non affers ei, sed potiùs prohibes eum C à nociuo desiderio, vt sit sensus: *Quis autem ex vobis patrem petit panem*, quem scilicet pater dat. *Nunquid lapidem dabit illi?* scilicet si petierit. Eadem quoque ratio est in serpeote & pisce, de quo subdit: *Aut piscem, num pro pisce serpentem dabit illi?* Et similiter in ouo & scorpione, de quo subdit: *Aut si petierit ouum, &c.*

Melius; *porrigit*, ἐπιτρέψει.

In Cat. Græcâ.

ORIG. Tu autem attende, si panis quidem est animæ cibus in cogitatione, sine quo non contingit saluari; puta perspicax ratio vitæ debitæ: piscis autem est amor disciplinæ; puta mundi constitutionem agnoscere, elemeotorum effectum, & quæcunque consequenter disserit sapientia. Itaque nec vice panis Deus propinat lapidem, quem volebat diabolus à Christo manD ducari: nec vice piscis serpeotem, quem comedunt Æthiopes, indigni pisces comedere: nec simpliciter dat vice nutrientis cibi noo comestibilia & nociua, quod refertur ad scorpionem & ouom.

Libr. 2. c. 22.

AVG. de quæ Euang. Vel potiùs intelligatur charitas propter maiorem appetitum, tam necessarium vt sine illo cætera nihil sint, sicut sine pane mensa inops: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparauit. Piscis autem intelligitur fides inuisibilium, vel propter aqoam baptismi, vel quia in inuisibilibus locis capitur. Quòd E etiam fides huius mundi fluctibus circumiactata non frangitur, rectè pisci comparatur: cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini malè suadeodo præseminauit. In ouo intelligitur spes. Ooom enim nondum est fœtus perfectus, sed fooendo speratur. Cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus veoenatus retrò timeodus est, sicut contrarium spei est retrò respicere: cùm spes futurorum in illa quæ antè sunt se extendat.

Ser. 29. à med.

AVGVST. de vet. Do. Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, vt retrò respicias? O muode immunde, quid strepis?

A Paschate.

quid aneitere conaris? Tenere vis petiens, quid A faceres si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?

In Cat. Græcâ.

CYRIL. Ex præmisso autem exemplo concludit, *Si ergo vos cùm sitis mali*, id est, cùm mentem susceptiuam prauitatis geratis, non autem vniformem & fixam in bono sicut Deus.

L. 3. in Luc. par arte finem.

BEDA. Vel malos vocat sæculi amatores, qui dant illa quæ secundum sensum suum iudicant bona, quæ etiam in suâ naturâ sunt bona, & ad vsum infirmæ vitæ pertinent. Vnde subdit, *Nostis bona data dare filijs vestris.* Apostoli etiam, qui merito electionis bonitatem humani generis excesserant, supernæ bonitatis respectu mali esse B dicuntur, quia nihil per semetipsum bonum nisi deitas sola. Quod verò subditur, *Quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Pro quo Matthæus posuit, *Dabit bona petentibus se*; ostendit Spiritum sanctum esse plenitudinem bonorum Dei: quia omnes vtilitates quæ ex donorum Dei gratiâ suscipiuntur, ex isto fonte emanant.

Dial. 1. de Trinit. Spiritus sanctus Deus.

ATHANA. Nisi autem Spiritus sanctus esset de substantiâ Dei, qui solus est bonus, nequaquam hîc appellaretur bonus, quando Dominus renuit dici bonus in eo quòd homo factus est.

Ser. 29.

AVGVST. de vet. Do. Ergo auare quid quæris? aut si aliud petas, quid tibi sufficiat, cui Deus C non sufficit?

ADDITIO AD CATENAM
Auream.

F. FRANCISCO COMAEFIS Interprete.

Ex Cat. Em. Card Maz. Luc. 11. v. 9. Orationis intentæ vis ad non peccandum.

PEtite, & dabitur vobis. TITI. Si quis iugiter cum Deo colloquatur, peccare non potest. Quónam id modo, accipe. Da te semper stare coram prætore qui sedeat pro tribunali, cúmque alloqui, siue illi respondere. Num quæso vacat aliud quid cogitare, aut liberiùs ridere, siue dissolui, aut sermonem cum alio miscere? Nonne intentos in prætorem oculos habes, vt ad eius vo- D luntatem etiam statum tuum aptes? Cùm igitur prætoris timor otium omne peccandi adimat, ac ridendi, siquidem ita steteris coram Deo, velut coram præside loquens dum oras, fidei oculis ipsum contuens, num peccandi tempus erit, turpísque aut desiderij, aut actionis? Minimè gentium. Ita semper utandum cum improbitate; hoc est, cum patientiâ, & assiduitate; pulsandúsque is qui ait, *Ego sum ostium*, ac quærendum vt inueniamus.

Ioan. 10. v. 7.

GREG. NYS. in Cant. Quidnam verò quærendum sit, docet prophetia, ita dicens: *Quærite Dominum, & confirmamini.* Et iterum: *Quærite Dominum, & dum inueneritis inuocate.* Et, *Lætetur cor quærentium Dominum.* E Cognoui itaque ex dictis quid sit quærendum. Porò inuenire, ipsum est semper quærere. Non enim aliud quid est quærere, aliúdque inuenire: sed quærendi fructus, ipsum quærere est. Quódnam verò tempus quærendi Dominum? Vitæ totum spatium. *Oculi* enim *mei*, inquit, *semper ad Dominum.*

Psal. 104. v. 4. Isai. 55. v. 6. Psal. 104. v. 3. Deú quærere, ipsum est inuenire.

Psal. 24. v. 15.

CHRYS. Hebr. Ethico 28. Quónam modo quærendus Dominus? Cogita quomodò multo labore inueniatur aurum. Sicut ergo rem amissam quærimus, sic quæramus Deum. Nostrûm aliquis amiserit filium: quid non facimus? quam terram, quod mare non circuimus? Nonne pecuniam domúmque, ac omnia alia præ eo vt inueniamus in secundis habemus? Atque vt inuenire contingat, detinemus, astringimus, non dimittimus: ac quæsituri, illic mentem versamus, exquirimus, proficiscimur, pecuniam pollicemur, omnia molimur, vt quem quærimus inueniamus; quantò magis id in Deo præstandum? Cæterùm quia infirmi sumus, eo saltem modo quo pecunias tuas, aut filium quæris, quære Deum. Quæ quærimus, multâ egent solicitudine, cùm maximè de Deo agitur. Multa enim sunt quæ sensum prohibeant. Si enim in prauorum nos desideriorum profundo, ac affectionum caligine rerúmque sæcularium tenebris defoderimus, vix emergemus, vix respiciemus.

SANCTI BASILII MAGNI,
de Oratione, Constitutionibus Monast. c. 1.

PEtenda igitur quæ sunt digna Deo; nec recedendum ab oratione donec impetraueris. Vt enim hoc Dominus innuat, propositum exemplum tradit, quò doceat acres esse, ac pertinaces in fide. Exemplum namque ab homine ad alium hominem assumit, vt nunquam spem abiiciendam esse docearis: vt cùm petieris, nec acceperis, non discedas donec impetrare cõtigerit: si tamen ea petas, quæ Deo placent. Neque dicas, Peccator sum, propterea non exaudior. Vt enim diffidentiæ ille tibi causam omnem præcideret; illud adiecit: *Etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, &c.* Cæterùm verò etsi mensis transierit, etsi annus, etsi triennium, etsi quadriennium, etsi anni plures, acriter perseuerato tamen, donec impetres: sed postula cum fide, neque interea rectè vnquam viuere intermiseris.

Luc. 11. v. 8. Perseuerantia petendo à Deo decentia.

Accidit enim plerunque vt pudicitiam quis, quandiu adolescens fuit, constanter retinuerit; tum latenter insinuante se voluptate naturales libidines excitantur, oratio languidior efficitur, iuuentuti vinum superinijcitur; actum est de pudicitiâ, factúsque est alius homo quàm erat. Hoc fere modo mutationes in humanis contingunt, nisi quis generoso animo vitiosis istiusmodi affectibus obstiterit. Debet itaque quæ in ipso sint præstare omnia, tumque ad Deum clamare, quò ille adiutor accedat. Nam si quis suâ se ignauiâ libidinibus dederit, ac semet ipse hostibus tradiderit, hunc Deus non adiuuat, neque exaudit: quippè cùm prior ipse peccato suo à Deo se alienauerit. Qui enim à Deo se exoptat adiuuari, is nunquam deserit quod se addecet, ac officij est: qui autem hoc facit, is diuino auxilio nunquam destituitur. Quapropter danda in eo opera est, ne vllâ in re conscientia nostra nos condemnet: tum vbi hoc fecerimus, implorandum diuinum auxilium; implorandum autem non lentè, non mente huc illucque temerè errante. Qui enim sic facit, is tantùm abest vt impetraturus sit, quod petit; perficiet potiùs vt sibi Dominus irascatur. Etenim si is, qui coram principe aliquo stat, & ipsum alloquitur, magno cum metu stat, & cùm corporis extrinsecùs, tum mentis etiam intrinsecùs attentos oculos tenet, periculi metu: quantò tandem maiore cum metu, & trepidatione censendum est oportere nos stare in conspectu Dei, totâ mente in illum vnum intentâ, nequaquam vsquam aliò? cùm ipse non exteriorem duntaxat

Noster adhibendus conatus.

Tepidæ orationis periculum.

hominem, sed & interiorem clarè perspiciat. Si A igitur sic, quemadmodum decet, steteris coram Deo, & quæ in te sunt, omnia pro viribus præstiteris, persta, donec tandem omninò impetres, quod petis. Sin conscientia tua te condemnat, tanquam qui negligentiùs rem tractes, & si in oratione aliud agens animo minùs attento stes, cùm possis omnem abs te repellere distractionem, ne præfidentior ausis consistere coram Deo, ne fiat tibi oratio tua in peccatum. Si verò propterea, quòd à peccato debilior factus, hoc à teipso impetrare non potes, quin interim dum oras, animo ac mente distrahatis, enitere quantum potes, & ipse tibi vim affer, & coram Deo stare persevera, mẽtemque tuam in illum defixam tene, ipsámque ad seipsam aduoca. Si ita feceris, B ignoscet tibi Deus, quoniam non ex contemptione, sed ex infirmitate, eo modo, quo conueniret, coram Deo stare non vales. Hoc modo si tibimetipsi vim feceris, téque ad omne opus bonum paraueris, ne destiteris prius, quàm illud impetres, quod rogas. Sed patienter eius fores pulsa, dum petis. *Omnis enim qui petit, accipit: &c.*

Cur oratio non exaudiatur.

At sæpe petiui, inquit, nec impetraui tamen. Prorsus, quia non rectè petiuisti; videlicet aut dubitabundus, aut aliud agens mentéque vagâ, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quòd si & quæ tibi erant vtilia sæpe petiisti, at non tamen perseuerantiam adhibuisti. Scriptum est enim, *In perseuerantiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Et, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Nouit Dominus cor eorum, qui orant. Quid est ergo, inquit, quamobrem Deus à nobis rogandus sit? An nescit fortasse ipse quibus rebus nobis opus sit? Quid ergo attinet illum rogare? Scit sine dubio Dominus, quibus rebus nobis opus sit: & omnia ad corpus pertinentia largiter nobis ad potundum suppeditat: & cùm singulari sit bonitate, pluit super iustos & iniustos; & solem suum oriri facit super bonos & malos, etiam priusquam à nobis rogatus sit. Fidem verò, & virtutis opera, & regnum cœleste, nisi cum labore, & perseuerantiâ forti admodum oraueris, nunquam impetrabis. Desiderandum enim est primùm: tum vbi desideraueris, ex animo quærendum, adiunctis fide, & perseuerantiâ; neque omninò quod præstare ipse possis, quicquam prætermittendum: neque patiendum, vt à tuâ ipsius conscientiâ condemneris, veluti qui negligenter, & cum socordiâ ores; & cùm hæc omnia seruaueris, tum demum compos voti efficiere, quando Dominus voluerit: quandoquidem quæ tibi expediant, meliùs ipse quàm tu intelligit; & eâ re fortè differt, quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatẽ prouocet, & vt intelligas esse donum Dei, ac datum cum metu custodias. Siquidem nititur vnusquisque quod magno labore inuenit, id maiore etiam quadam diligentiâ custodire, ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo suos multos amittat; néve neglecto Dei munere, æternâ vitâ indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni, citò sapientiæ munus inuenisse, quod postea erat amissurus? Proinde noli vnquam animum despondere, quòd non celeriter accipias quod petis. Si enim intellexisset Dominus te, si nimis celeriter impetrasses, id nequaquam esse amissurum, sine dubio, quæ eius est bonitas, vltrò ipse tibi ne quidem rogatus munus detulisset. Nunc autem tibi prospiciens hoc facit. Etenim si qui talentum, quod A acceperat, saluum custodierat, quòd nihil inde negotiando elucratus sit, condemnatus est; qui non verisimile est eum multò grauiùs mulctatum iri, qui ipsum amiserit? Hæc ergo cùm ita esse intelligamus, siue maturiùs aliquid, siue setius consequimur à Deo, hoc tenere constanter debemus, vt ipsi gratias agamus; quando Dominus, quæcunque facit, ea omnia saluti nostræ consulens facit: tantùm nos ne pusillitatis vitio à petitione constanti desistamus. Idcirco enim similitudinem attolit viduæ illius, quæ duritiam iudicis iniqui emolliuit assiduitate suâ, vt nos quoque assiduitate adhibitâ impetremus postulata. Ex hoc enim & fides nostra, & charitas erga Deum declaratur: cùm etsi quod petimus non celeriter referimus, gratias tamen illi agere non desistimus.

Spiritalia instanter petenda.

Luc. 21. v. 19. Matth. 10. v. 24.

Luc. 18. v. 1.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI, *eiusdem Euang. expositio.*

Luc. 11. v. 5. Diu noctúque orandum.

QVis vestrum habens amicum, *&c.* Alius præcepti locus est, vt omnibus momentis non solùm diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim quòd iste qui mediâ nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsâ petendi intentione persistens, non defraudetur orans. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterij cœlestis alimentum? Quia si diligas Dominum C Deum tuum; non solùm tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amicitior nobis, quàm qui pro nobis corpus suum tradidit? Petiit ab hoc mediâ nocte panes Dauid: petiit, & accepit. Petiit enim, quando dicebat; *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. Petiit cùm dicit; *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Neque enim timuit ne excitaret dormientem, quem scit semper vigilantem. Et ideo scripturum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem Domino dicebat, matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: D quid nos facere oportet, qui eò amplius rogare debemus, quò frequentiùs carnis ac mentis fragilitate delinquimus; vt de viâ lassis, & istius æui cursu, ac vitæ huius anfractu grauiter fatigatis, panis refectionis deesse non possit, qui hominis cor cõfirmet? Nec solum mediâ nocte Dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim & vespertinâ, & secundâ, & tertiâ vigiliâ, & pulsare consueuit. *Beati itaque serui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes.*

Tres panes ab amico petẽdi, alimentum cœlestis mysterij.

Psal. 118. v. 62.

Psal. 6. v. 7.

Dauidis oratio penè continua. Psal. 118. v. 164.

Vigilandũ omnibus penè momentis.

Luc 12. v. 38.

Si ergo desideras vt virtus Dei præcingat te, E & ministret tibi, vigilandum est semper. Multæ enim insidiæ sunt bonis, & grauis corporis somnus: eum si dormire mens cœperit, vigorem suæ virtutis amittet. Excita igitur somnum tuum, vt pulses ostium Christi. Quod aperire etiam sibi Paulus exposcit, non solùm suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se iuuari, vt aperiatur ostium sibi ad loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostium quod apertum vidit Ioannes. Vidit enim, & dixit, *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo: & vox prima quam audiui tanquam tubam loquentem mecum, & dicentem: Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri.* Apertum est igitur ostium Ioanni,

Grauis est corporis somnus.

Pulsandum est ostiũ Christi.

Col. 4. v. 3.

Apoc. 4. v. 1.

apertum est ostium Paulo, vt nobis panes, quos A edeturus, acciperet. Perseuerauit enim ostium pulsans opportunè, importunè, vt gentes mundani transitus labore vexatas alimoniæ cœlestis recrearet vbertate. Ergo præceptiuus locus frequenter orandi, spes impetrandi, ratio persuadendi, priùs in præcepto, pòst in exemplo. Qui enim promittit aliquid, spem debet afferre promissi, vt monitis obedientia deferatur, promissis fides, quæ humanæ contemplatione pietatis in maius æternæ spem pietatis acquirit: si tamen æqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio. Nec erubuit aliquid sæpius postulare, ne vel diffidere de Domini misericordiâ videretur, vel arroganter dolere, quòd non primâ prece aliquid impetrauerit. *Propter hoc*, inquit, *ter Dominum rogaui*: & ostendit quòd frequenter Deus B ideo non concedat oratus, quòd inutilia iudicet, quæ nos profutura credamus.

1. Tim. 4. v. 2.

Præcepta orandi, cum indoctum exemplum.

2. Cor. 12. v. 8.

S. GREGORII NAZIANZENI, *In plagam grandinis*,

ORATIO.

IACOBO BILLIO Interprete.

Oratio est tota compunctioni composita, occasione plagæ grandinis Gregorio dicta; hisce proinde supplicationum diebus, quibus similes piæ plebis sedulitas plagas deprecatur, accommoda.

QVid laudabilem ordinem soluitis? Quid linguæ, legi seruienti, vim affertis? Quid sermonem spiritui cedentem prouocatis? Quid retecto capite ad pedes accurritis? Quid Aaronem prætereuntes, Eleazarum producitis? Non patior fontem obstrui, & torrentem currere: Solem occultari, & stellam lucere: canitiem se subducere, & iuuenilem ætatem leges ferre: sapientiam silere, & imperitiam insolenter se iactare. Nam profectò nec maior pluuiæ vis minore vtilior est (quonam enim pactò, cùm illa ob vehe- D mentiam suam terram abstrahat, atque ipsâ etiam sorte agricolam mulctet: hæc autem sensim ac leniter labens, & ad ima vsque penetrans, agrum pinguem reddat, atque agricolam commodo afficiat, spicámque ad maturum fructum alat?) oce item in sermonibus, is, qui vberior ac copiosior est, sapientiore fructuosior & conducibilior est. Ille enim posteaquam exiguâ fortasse voluptate auditorem affecit, abscessit, simulque cum percusso aëre solutus est, nihil aliud supra hoc virium habens: ac per linguæ leporem auidis auribus tanquam præstigias quasdam offudit: hic autem in mentem penetrauit, ac dilatatum os Spiritu impleuit, ortuque suo longior exutit, E atque ingentem paucis syllabis segetem edidit.

Hæc Gregorius, Gregorij patris loco dicturus, eius adiutor esset pastoralis officij.

Simile.

Psal. 80. v. 11.

Nondum de verâ illâ & primâ sapientiâ loquor, cuius præclarus hic Pastor ac agricola principatum tenet. Prima autem sapientia est vita proba & honesta, Deoque perpurgata, vel certè se purgans; Deo, inquam, qui purissimus & splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium à nobis requirit, quod quidem cor contritum, & laudis sacrificium, & nouam in Christo creaturam, & nouum hominem, aliáque id genus, appellare Scriptura consueuit. Prima sapientia est, sapientiam in sermone ac dictionum strophis, atque adulterinis & superuacaneis disputationibus sitam, aspernari. Mihi autem vti-

Prima sapientia.

Psal. 50. v. 19. 49. & 23. 2. Cor. 5. v. 17. Eph. 2. v. 15.

nam potiùs quinque verba cum prudentiâ eloqui contingat, quàm sexenta in linguâ & voce tubæ obscurâ, militem meum ad spirituale bellum haudquaquam excitante. Hanc ergo sapientiam laudo, hanc complector, per quam ignobiles, gloriam consecuti sunt; & ad quam ij, qui nullo in pretio erant, cæteris prælati sunt: & cum quâ, Piscatores vniuersum orbem Euangelij vinculis, tanquam retibus implicuerunt, ac per consummatum & abbreuiatum verbum, sapientiam eam, quæ destruitur, superarunt. Nec enim qui in sermone sapiens est, hic mihi sapiens est: nec qui volubilem quidem linguam, imperitum autem animum habet, illis vtique sepulchris non absimilis, quæ, cùm foris pulchra & decora sint, intus tamen cadaueribus scatent, atque ingentem fœtorem tegunt: verùm is demum, qui pauca quidem de virtute verba facit, cæterum per ea, quæ agit, multa demonstrat, ac fidem & auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat. Præstantior meo quidem iudicio est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermone pingitur: & diuitiæ, quas manus tenent, quàm quas somnia effingunt: & sapientia, quæ per opera demonstratur, quàm quæ sermone nitet, ac splendescit. *Intellectus* enim *bonus*, inquit, *omnibus facientibus eum*; non autem prædicantibus. Huius porrò sapientiæ certissima probatio tempus C est; ac verè *gloriationis corona senectus*. Nam si, vt ego cum Salomone sentio, hominem ante mortem beatum prædicare non oportet, incertumque est, *quid superuentura dies paritura sit* (propterea quòd terrena nostra vita multas conuersiones habeat, atque humilitatis corpus sursum ac deorsum agitetur, ac subinde immutetur) quid afferri potest, quin is, qui magnam vitæ partem sine reprehensione confecit, & iam communis huius vitæ maris velut in portu est, tutiore, ac proinde beatiore sit statu, quàm is, cui longa adhuc nauigatio superest?

1. Cor. 14. v. 19.

Rom. 9. v. 28. Isai. 10. v. 23.

Verus sapiens.

Matth. 23. v. 27.

Eloquentia verè Christiana & vtilis.

Psal. 110. v. 10.

Annosa virtus, firmior.

Pro. 16. v. 31.

Eccl. 11. v. 30.

Pro. 27. v. 1.

Ne igitur linguam claudas, quæ multa rectè locuta est: quæ multos fructus, ac multos iustitiæ fœtus edidit, cuius quot filij, & quanti thesauri sunt, tolle per circuitum oculos, & vide: Totus hic populus, quem in Christo per Euangelium genuisti. Quocirca ne nobis, non tam paucos, quàm suaues sermones inuideas; ne impendentis detrimenti præludium iam des. Loquere quæso, etsi pauca, at mihi grata & plurima: etsi minùs exaudibilia, at quæ tamen per Spiritûs clamorem cognoscantur, per quem Deus tacentem quoque Mosen audit, ad eumque ait, *Quid ad me clamas?* cùm tamen solâ mente cum conueniret. Hunc populum mihi compone, hoc est, alumno disciplinæ tuæ, deinde Pastori, nunc autem Pastorum quoque Principi. De pascendi gregis ratione aliquid me doce; populum hunc de obedientiâ. De præsenti plagâ quidpiam philosophare, de iustis Dei iudicijs, siue nos ea comprehendamus, siue ingentem eorum abyssum ignoremus. Doce quomodò & misericordia ad libram expendatur, vt est apud Esaiam (nec enim bonitas iudicio ac delectu caret, vt cunque ijs aliter visum sit, qui primi in vineâ laborarunt: imparem illam videlicet in æquâ mercedis persolutione rationem haudquaquam intelligentibus) & ira peccatis proportione respondeat (id, quod calix in manu Domini appellatur, & calix ruinæ qui ebibitur) tametsi alioqui omnibus de meritæ pœnæ atrocitate aliquid de-

Gregorij, Gregorij patris in Episcopatu munera.

Exod. 14. v. 15. Clamor mentis.

Ἀρχιποιμήν. planè Christo. 1. Petr. 5. Nicetas in schol. non benè refert ad Gregorium.

Isai. 40. v. 2. Matth. 20. v. 15.

Psal. 74. v. 9. Isai. 51. v. 17.

Minor Dei pœna quàm pro reatu delictorum. *Isai. 26. v. 18. & 20.* Fæx iræ Domini obstinatis reseruata.

A trahat, atque iræ meta cum benignitate temperet: ita nimirum vt ex seueritate quidem ad lenitatem & gratiam ijs inclinet, qui metu erudiuntur, & ex patuâ calamitate motum correctionem concipiunt, ac parturiunt, perfectumque salutis spiritum salutis pariunt; fæcem autem, hoc est, id quod in irâ extremum est, asseruet, vt eam totam in illos effundat, qui benignitate atque clementiâ minimè sanantur; immò etiam obdurantur, quemadmodum ille cordis duritiâ laborans Pharao, & in operibus indicendis acerbus, ad diuinæ aduersus impios potentiæ specimen edendum reseruatus.

B Expone vnde huiusmodi plagæ & flagra oriantur, & quæ sit eorum ratio: Vtrum inordinatus quidam ac præposteros, experſque gubernationis Vniuersitatis motus, ac temeritas (tanquam videlicet nemo sit qui rebus moderandis præsit) & denique casus hæc ferat (vt hominibus stultè sapientibus placet, & ijs, qui à præcipiti & tenebroso spiritu feruntur) an potiùs vniuersa hæc rerum moles, vt ratione atque ordine primùm creata, atque concinnè & ornatè temperata, & colligata, & mota est, velut is solus nouit, qui motum attulit: sic etiam prouidentiæ fræno eam ducente, in diuersum moueatur, atque collocetur. Vnde sterilitatis, & à ventis illatæ labes, & grandines, præsens nostra plaga & admonitio? Vnde aëris corruptiones, & morbi, & æstuantis terræ tremores, & maris sese in altum attollentis impetus, & cœlitùs orti terrores? Et quonam pacto creatura, ad hominum vsum & commoditatem effecta, (communes, inquam, & æquales deliciæ) ad impiorum pœnam immutetur, vt, quibus ornati gratias non egimus, his etiam erudiamur; atque ex his quæ patimur, potentiam agnoscamus, quandoquidem ex acceptis beneficijs eam haudquaquam agnouimus? Quonam modo alijs de manu Domini duplicia peccata tribuuntur, ac vitij mensura per duplicitatem impletur, secundum quam etiam Israel castigatur: alijs rursus per septuplum in sinum redditum peccata exhauriuntur? Quænam etiam Amorrhæorum mensura nondum cumulata? Quonam pacto peccator, aut dimittitur, aut rursum supplicio afficitur: illud, quia fortasse ad alteram vitam reseruatur; hoc, vt eâ ratione ad sanitatem reuocetur? Quonam item pacto vir iustus, vel ærumnis premitur, vt fortasse teneretur, vel læta omnia habet, vt conseruetur: si quidem animo pauper sit, ac non supra ea, quæ in oculorum sensum cadunt, admodum euectus: & vt conscientia, hoc est, domesticum & verum tribunal, borum vtrumque docet.

Agg. 2. v. 18. ἀνεμοφθορίας. Vulg. *ventus vrens*. Eius specimen vidi in Prouinciâ Phocensi, cunctis intra paucas horas eo exustis segetibus. Interpres Syr. *corruptio aeris*. non satis aptè. *Isai. 40. v. 2.* Varia Dei prouidêtia. *Psal. 78. v. 2.* *Gen 15. v. 16.* *Eccl. 7.* *Ier. 1. v. 4.*

Diuina probatio, atq; vltio.

Quænam hæc plaga, & vnde? Vtrum vt virtus nostra exploretur, an vt improbitas vindicetur? quanquam præstat velut ob pœnam (etiamsi aliter res se habeat) animos demittere, ac sub potenti manu Dei humiliari, quàm velut ob probationem in altum efferri. Hæc doce, atque admone, ne ob præsentem cladem grauiùs discruciemur? aut, quod plerique faciunt, in profundum malorum prolapsi, contemnamus: verùm prudenter in hac castigatione nos geramus, ne ad eam obstupescentes, maiorem accersamus. Acerba res est terræ sterelitas, & fructuum pernicies (quidni enim?) iam spe oblectantium, atque horreis appropinquantium. Acerba res, præmatura messis, & agricolæ labores suos luctu prosequentes, ac germinibus, tanquam mortuis, as-

Tristis species percussarum frugum.

sidentes, quæ mitis imber aluit, ac ferus & immanis demessuit: quibus non impleuit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit, nec propter ipsa benedictionem eam, quam, qui prætereunt, agricolis impertire solent, consecutus est. Miserum spectaculum, terra contumeliâ affecta & detonsa, suoque ornatu spoliata: quod & beatus Ioel deplorat, terræ corruptionem, & famis cruciatum tragicè, vt si quis alius, exaggerans: & item alter Propheta loquens, pristinæ pulchritudini posteriorem deformitatem opponens: cùm videlicet de Domini terram conquassantis irâ verba faciens, in hunc modum loquitur, *Anteriora eius, hortus voluptatis: posteriora autem, campus exterminij.*

Psal. 128. v. 7. *Ioel. 1. v. 2.* *Ioel. 2. v. 3.*

Grauia quidem hæc sunt, ac plus quàm grauia, quandiu præsentia sola molestiam afferunt, nec atrocioris plagæ sensus mœrore adhuc animum pulsat: quandoquidem, non secus atque in morbis, calamitas ea, quæ præsenti doloris sensu afficit, molestior semper est, quàm ea, quæ presens non est. At his adhuc grauiora diuinæ iræ thesauri apud se continent, quæ vtinam nobis experiri minimè contingat: nec verò experiemini, modò ad Dei miserationes confugiatis; eumque qui vult misericordiam, lacrymis pertrahatis, ac per morum emendationem, quicquid deinceps iræ sequitur, auertatis. Adhuc lenitas, & benignitas hæc sunt, & blanda C castigatio, plagæque clementa, puerilem ætatem coërcentis: adhuc iræ fumus, tormentorum præludium: nondum autem ignis comburens, (hoc est, acerrima commotio) nec succensi carbones, id est, vltimæ partes supplicij, quod partim comminatus est, partim intentauit, partim vi compressit, partim etiam induxit: æquè nimirum, & per plagam, & per comminationem nos erudiens, ac pro incredibili quadam bonitatis magnitudine semitæ iræ suæ viam sternens: à minoribus quidem incipiens, ne asperioribus vti necesse habeat: cæterum per maiora etiam erudiens, si ad ea adigatur.

Futura mala præsentibus grauiora, cùm absentia eorum auferri sensus. *Deut 32. v. 19.* *Ose 6. v. 6.* *Matth. 9. v. 13.* *Psal. 17. v. 9. & 104. v. 32.* *Psal. 77. v. 5.*

D Scio refulgentem frameam, & gladium ebrium in cœlo, qui iugulare, in nihilum redigere, liberis orbare, ac ne carnibus quidem, & medullis atque ossibus parcere iubetur. Scio eum, qui perturbatione omni vacat, anxiæ vrsæ ac pardi more in Assyriorum viâ occurrere, non eorum tantùm qui tum erant, sed eorum etiam, qui vitæ improbitate Assyrium nunc referunt: nec iræ ipsius vim & celeritatem fugere cuiquam licere, cùm ad impia nostra facinora vigilauerit; ac zelus, qui aduersarios deuorare nouit, ipsius hostes persecutus fuerit. Scio concussionem & excussionem, & ebullitionem, cordisque con- E fractionem, ac genuum dissolutionem, atque eiusmodi supplicia, quibus impiorum scelera vindicantur. Mitto enim dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus huiusce vitæ indulgentia & impunitas eos tradit: ita vt satius sit nunc castigari & purgari, quàm ad cruciatum illum transmitti, cùm iam pœnæ tempus erit, non purgationis. Hîc enim Deus vitam & actionem; illic rerum gestarum censuram conclusit.

Psal. 7. v. *Isai. 34. v.* *Ose. 13. v. 8.* ἀπορουμένη. Moriens, *Indigens etho.* Vulg. *raptis catulis.* *Naum 2. v. 9.*

Quid faciemus in die inductionis (terret me quidam Prophetarum) hoc est, diuinæ ad nos expostulationis (siue in montibus & collibus, quemadmodum audiuimus, siue quæcunque tandem illa, & quocunque loco futura sit) cùm nos coarguet, atque ex aduerso stabit, peccata

Isai. 10. v. 3. Iudicij terror. *Mich. 6. v. 2.*

nostra, hoc est, acerbos & amarulentos accusatores nobis in faciem statuens: acceptáque beneficia cum iis, quæ iniquè admisimus, ex aduerso conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actiune actionem examinans; & imaginis, vitio contaminatæ atque confusæ, dignitatem à nobis exposcens, postremò nos abducet, à nobismetipsis condemnatos, hucque adductos, vt ne id quidem dicere queamus, nos iniquè supplicio affici: quod quidem hîc, apud eos, qui pœnas luunt, noonunquam hanc vim habet, vt eorum condemnationem & cruciatum leniat. Illic autem quis patronus? quæ caussificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quæ consilij solertia tribunal illud circunscribet, ac rectum iudicium eludet, quod omnia omnibus in staterâ collocat, actionem, sermonem, cogitationem; virtutémque cum vitijs ex aduerso expendit, vt, quod propendet, victoriam obtineat, atque ab ampliore parte sententiâ stet; post quam non iam prouocatio superest: noo sublimior iudex, non alia opera, [Matth. 25. v. 8.] per quæ quispiam pœoam deprecetur: non deficientibus lampadibus oleum, à prudentibus virginibus, aut à vendentibus acceptum; non diuitis illius pœniteotia, [Luc. 16. v. 24.] flammæ ardore liquescentis, ac propinquis suis correctionē requirentis: noo deoique præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus: sed & solum, & postremum ac formidabile illud tribuoal erit, magisque etiam iustum quàm formidabile; immò, vt rectiùs dicam, idcirco formidabilius, quia iustum. Quo quidem tempore throni proponentur, & Antiquus dierum sedebit, [Dan 7. v. 9.] & libri aperientur, & igneus fluuius voluetur, & lux à fronte, & paratæ tenebræ: [Ioan. 5. v. 29.] ac procedent qui bona fecerunt in resurrectiooem vitæ, nonc quidem in Christo absconditæ, [Col. 3. v. 3.] verùm postea simul cum ipso manifestandæ: qui autem mala egeruot, io resurrectionem iodicij: [Ioan. 3. v. 18.] quo etiam ij, qui non credunt, à Verbo eos iudicante, iam condemnati sunt: atque illus quidem lux omni sermone præstantior excipiet, & sanctæ regiæque Trinitatis, patiùs iam & clariùs illuminantis, totamque se cum totâ mente miscentis, contemplatio [Regnum cœlorum Trinitatis contemplatio.] (in quâ ego, vel solâ regnum cœlorum maximâ ex parte positum esse ceoseo) hos autem simul cum alijs, vel potius ante alia, istud excruciabit, quòd à Deo proiecti sint, atque inustam in conscientiâ sempiternæ ignominiæ notam geraut. Verùm hæc posteriùs.

Nunc autem quid faciemus, fratres contriti & humiliati, & ebrij, non à siccrâ, nec à vino, quod ad breue tempus animum agitat, [Isai. 51. v. 21.] eique tenebras offundit, sed à plagâ, quàm Dominus inoexit: ille, ioquam, qui dicit, Et tu cor, monere [Habac. 2. v. 16.] & t.tuba: quique mœroris & compunctionis spiritu contemptores potat, ad quos etiam dicitur, [Habac. 1. v. 5.] *Videte contemptores, & aspicite, & admiramini, & disperdimini.* [Act 13. v. 41.] Quonam modo eius expostulatiooes feremus? aut quid responsi dabimus, cùm præter beneficiorum multitudinem, [Etiam ipsæ plagæ exprobrandæ, non sanatis per eas.] quibus acceptis ingrati permansimus, plagas etiam insoper nobis probro vertet, & medicinæ genera, quibus sanati non sumus, recensebit; nósque prolem quidē, [Deut. 32. v. 5.] verùm improbam vocâs; & filios quidem, cæterum alienos, & à semitis nostris [Psal. 17. v. 46] ob summam viæ difficultatem & asperitatem claudicantes, sic alloquetur. Quonam modo, & quanam ratione, vos erudiri oportebat, quâ non erudierim? An per molliora medicamenta? At ea adhibui. Ægyptium sanguinem, [Exod. 7. v. 9.] qui ex fontibus & fluuiis, & ex omni aquarum collectione bibebatur, hoc est: primam plagam, præteriui. Ranas etiam, & cyniphes, & cynomyas, quæ deinceps sequebantur, prætermisi. A quintâ, id est, à iumentis & bobus & ouibus incœpi: ac ratione præditis adhuc parcens, in bruta solùm animaduerti. Vos eam calamitatem nihil curastis; verùm iis etiam, quæ percussa sunt, stolidiores atque à ratione alieniores vosipsos mihi præbuistis. Pluuiam à vobis suspendi: pars vna compluta est; pars autem ea, coi pluuiam negaui, exaruit, ac dixistis, Fortiter nos gerémus. Grandinem vobis immisi (contrariâ videlicet plagâ vos castigans) vineas vestras & germina demessui: nec tamen improbitatem vestram obtriui. Quin etiam ad me quoque, qui ne plagis quidem melior fio, fortasse his verbis vtetur: [Isai. 48. v. 4.] *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua. Qui spernebat, spernit; qui* [Isai. 21. v. 2.] *iniquè agebat, iniquè agit:* (nihil superna admonitio profuit, nihil flagra. [Ier. 6 v. 29.] *Defecit sufflatorium, defecit plumbum* (quod priùs quoque per Ieremiam vobis exprobraui) *incassum argentum conflat argentarius: scelera vestra non sunt liquefacta.* Num me iratum sustinebitis, dicit Dominus? An non manus mea alias quoque plagas inferre potest? Adhuc penes me vesicæ sunt, [Exod. 9. v. 9.] inferuescentes à camini fuligine, quam Moses, aut si quis illi similis iræ diuinæ minister, in cœlum spargens, Ægyptum per morbum castiget.

Adhuc locusta, & tenebræ palpabiles, & [Exod. 13. v. 15.] plaga illa, ordine quidem postrema, dolore autem ac potentiâ prima, nempe primogenitorum strages & internecio, quam vt effugiamus, & exterminatorem à nobis auertamus, animi postes, hoc est, contemplationem & actionem, magno illo & salutari signo, nimirum noui Testamenti sanguine, vnxisse satius fuerit, atque vnà cum Christo in crucem tolli, ac mortem obire, vt simul qooque cum eo, & ounc, & in postremâ ipsius apparitione, resurgamus, gloriáque afficiamur, noo autem perfringamur, & obteramur ac lugeamus, prauo illo intempestà nocte, & in caliginosâ hac vitâ nos percutiente, ac primogenitos, & Deo consecratos vuæ fœtus motúsque delente. Absit vt vnà cum alijs plagis, hæc quoque à Bono illo, ob meam obliquitatem in irâ obliquâ aduersum me gradiente, mihi exprobrentur. [Amos 4. v. 9.] *Percussi vos aurugine, & inflammatione, & sideratione:* nec quicquam profeci. Externè filijs vos orbauit gladius: nec sic tamen ad me conuersi estis, dicit Dominus. [Isai 5. v. 1.] Absit vt dilecti illius vinea sim, quæ posteaquam plantata fuit, & vallo munita, maceriáque & turri cæterisque rebus, quoad eius fieri potuit, firmata, vastitate postea horrescit, & spinas profert, ob eamque causam in eum contemptum venit, vt & turris deijciatur, & maceria diruatur, nec iam putetur atque fodiatur, sed fiat omnibus in direptionem, & communem contumeliam & conculcationem.

Hic meus timor est, hic sermo: sic ad hanc [Pulcherrima precatio.] plagam discrucior; atque hac precatione fungor, quam etiam, ad ea quæ à me dicta sunt, adiungam. Peccauimus, iniquè atque impiè egimus, quoniam obliti sumus mandatorum tuorum;

rum; post cogitationes nostras prauas ambulauimus: quoniam non vt vocatione & Christi tui Euangelio dignum erat, sanctisque ipsius cruciatibus, & eâ exinanitione, quàm nostrâ causâ subiit, vitæ nostræ rationes instituras habuimus: quoniam dilecto tuo probo ac decori extitimus: Sacerdos iuxtà populusque à te defecimus; omnes declinauimus, simul inutiles facti sumus: non est qui iudicium faciat, non est vsque ad vnum. Miserationes tuas, & clementiam tuam, & viscera misericordiæ Dei nostri, ob improbitatem nostram, & conseruorum nostrorum peruersitatem nobis præclusimus. Tu bonus, at nos iniquè egimus, Tu lenis, at nos verberibus digni. Bonitatem tuam agnoscimus, tametsi stoliditate laborantes. Paucis pro peccatorum nostrorum atrocitate flagris affecti sumus. Tu terribilis, & qui resistet tibi? A timore tuo montes contremiscent: & magnitudini brachij tui quis resistet? Si cataractas tuas solueris, quis cohibebit? Facile est in oculis tuis pauperem facere & ditare, mortificare & viuificare, percutere & sanare: tuáque voluntas, perfecta est actio. *Tu iratus es, & peccauimus*, ait è veteribus quidam, confitens. *Isai. 64. v. 1.* At iam tempus est, vt ego in contrarium dicam, Nos peccauimus, & tu iratus es. Idcirco vicinis nostris opprobrium facti sumus. Auertisti faciem tuam, & ignominiâ oppleti sumus. Verùm quiesce, Domine; remitte Domine, propitius esto Domine: ne nos propter iniquitates nostras in perpetuum tradas, nec alios per supplicia nostra erudias, cùm liceat nobis aliorum cruciatibus emendari. Quorum tandem? Gentium, quæ te non nouerunt, & regnorum, quæ imperio tuo minimè subiecta sunt. At nos populus tuus Domine, & virga hæreditatis tuæ. Proinde castiga nos, verùm in mansuetudine, ac non in ira tuâ, ne paucissimos nos facias, & contemptissimos omnium qui habitant terram.

His ego sermonibus misericordiam capto. Quòd si holocaustis etiam aut sacrificiis iram ipsius placare liceret, ne his quidem pepercissem. Vos verò ipsi quoque timidum Sacerdotem imitemini. Ita facite, dilecti filij; ita, inquam, vos facite, quos diuinæ increpationis & benignitatis socios & consortes habeo. In lacrymis animas vestras possidete: diuinam iram reprimite, vestra vitæ studia & instituta in melius commutate. *Sanctificate ieiunium, proclamate curationem*, quemadmodum vos mecum beatus Ioel cohortatur: *congregate seniores, infantes vbera sugentes*; ætatem miserabilem, ac Dei misericordiâ in primis dignam.

Ioel. 2. v. 14.

Ministrorũ partes, sedandâ Dei irâ.

Nec verò me fugit, quænam mihi quoque Domini ministro, & vobis, qui eundem honorem consecuti estis, præcipiat; nimirum, vt cum cilicijs templum ingrediamur, ac diu noctúque inter gradus & altare pectora tundamus, gestu ipso ac specie miserabiles, vocibus miserabiliores, tum nostrâ, tum populi causâ, intentè ac prolixè clamantes, non labori, non sermoni, non vllis alijs rebus parcentes, quibus Dei indignatio sedatur, dicentes, *Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium*, & quæ in eâ oratione postea sequuntur: tantóque maiorem partem afflictionis sentientes, quantò dignitate superiores sumus, nostro exemplo plebem ad compunctionem, improbæque vitæ correctionem, quam vtique Dei lenitas, virgæque suspensio comitatur, erudientes.

V. 13.

Ioel. 2. v. 17.

A Paschate.

Agedum igitur, fratres omnes, *adoremus, & procidamus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos*, pro ætatum, sexuumque ratione distincti: communem planctum instituamus; pro immisso ipsi clamore, hunc ad aures Domini Sabaoth euchamus, vt iratum, ita etiam mutatum & sedatum intueri velimus. *Quis scit*, inquit ille, *si conuertetur, & pœnitentiâ ducetur, & benedictionem relinquet?* Ego verò id planè scio: ego diuinæ misericordiæ sponsor. Nam certè missâ factâ irâ, quæ ipsius naturæ repugnat, ad misericordiam, quæ ipsius naturæ consentanea est, se conferet. Ad illud enim vi à nobis adigitur: ad hoc autem suapte naturâ fertur. Quòd si vi ad id adactus percutit, quid afferri potest, quin boni naturâ viens, indulgentem se nobis præbiturus sit? Tantùm nosipsos commiseremur, iustis Patris visceribus viam aperientes. In lacrymis seminemus, vt in exultatione metamus. Niniuitas imitemur, non Sodomitas. Improbitati medicinam adhibeamus, ne cum improbitate consumamur. Ionam concionantem audiamus, ne igne & sulphure obruamur. Quòd si ex Sodomis excesserimus, ad montem ascendamus, ad oppidum Segor confugiamus: ad Solis ortum illuc ingrediamur. Ne in vllâ vicinæ regionis parte pedem figamus; ne circunspiciamus, ne alioquin in salis columnam concrescamus; columnam, inquam, verè immortalem, animæque in vitium relabentis accusatricem.

Psal. 94. v. 6.

Gen. 18. v. 20.

Isai. 1 v. 7. Ioel. 2. v. 14

Deus inuitus punit, accogentibus peccatis: à natura sua benefacit.

Psal. 125. v. 5.

Gen. 19. v. 33.

V. 26.

Illud cognitum habeamus, quòd omni vitio carere, hominis modulum excedit, soliusque Dei est (nihil enim de Angelis dico, ne vitiosis affectionibus occasionem demus, atque improbis contentionibus fenestram aperiamus) perditè autem & incurabiliter ægrotare, prauæ illius & aduersariæ naturæ, atque eorum, qui ab eâ afflantur: at verò post peccatum ad meliorem mentem redire, humanum esse, verùm proborum, & qui ex eâ classe sint, quæ salutem consequitur. Nam etsi puluis hic improbitatis aliquid secum trahit, ac terrenum hoc tabernaculum mentem sursum tendentem, aut certè ad hoc creatam, vt sursum tendat, deprimit: at imago tamen limum repurget, ac coniugem carnem rationis pennis subleuatam, in sublimi collocet. Melius quidem nobiscum ageretur, si nec huiusmodi purgatione opus haberemus, aut quicquam purgari deberemus (integrâ videlicet atque incolumi nobis manente dignitate illâ, ad quam etiam per huiusce vitæ disciplinam properamus) nec per amarum peccati gustum à vitæ ligno excidissemus: at illud etiam melius ac præstantius est, vt cùm peccamus, in nos animaduertatur, quàm vt labentes minimè castigemur. *Quem enim amat Dominus, castigat*; paternæque beneuolentiæ argumentum est increpatio: contrà omnis anima quæ admonitionis & castigationis expers est, incurabilis manet.

μιᾶσιν libidinibus indicat, quod de Angelorũ amoribus Geneseos dictũ quidam exponant, nomine Filiorum Dei: non quod Nicetas de nobis ait.

Sap. 6 v. 15.

Pro. 3. v. 12. Hebr. 12. v. 6.

Quocirca non graue est plagis affici, sed plagâ meliorem non fieri, grauissimum & acerbissimum est. Atque eo nomine Propheta quidam de duro illo ac corde incircunciso Israële verba faciens, ita loquebatur, *Domine percussisti eos, & non doluerunt: corripuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Ac rursus, *Et populus non est conuersus, quoad percussus est.* Et alio loco, *Quare auersus est populus mens auersione prauâ*, ubi quam prorsus obtereretur, & ex-

Graue malum plagis non emendari.

Ier. 5. v. 3.

Isai. 9. v. 13.

Ier. 8. v. 5.

Hebr. 10. v. 31. tiogitetur? *Horrendum est*, fratres, *in Dei viuentis manus incidere. Horrendus vultus Do-*
Psal. 33. v. 17. *mini super facientes mala*, vitiumque fundittis
Gen. 4. v. 10. euertens & delens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horrendi pedes, improbitatem cursu assequentes. Horrenda vniuersi orbis completio, ita vt nemini vsquam Dei commotionem effugere li-
Psal. 138. v. 8. ceat, non si in cœlum auolauerit, non si in infernum se contulerit, non si ad Orientem profugerit, non si in profundos & extremos maris fi-
Naum 1. v. 1. & 9. nus sese abdiderit. Quin etiam ante me Naum ille Elcesæus Niniuitarum onus prædicans, zelotem Deum perhorrescit, atque cum furore aduersarios suos vlciscentem, tanquam seueritatis magnitudinem adhibentem, vt ne secundam quidem aduersus sceleratos vltionem sibi reliquam
Isai. 1. v. 5. faciat. Nam cùm Esaiam audio Sodomorum populo, ac Gomorrhæ Principibus minitantem, & dicentem, *Vt quid vltrà percutiemini, addentes prauaricationem?* minimum abest, quin toto corpore contremiscam, ac lacrymis confundar. Sceleris, inquit, accessioni nulla iam pœnæ accessio excogitari potest: Ita per omnia grassati estis, atque omne plagarum genus exhausistis, nouam subinde pœnam per improbitatem vestram accersentes. *Non est vulnus, non est liuor, non plaga tumens*. Toto corpore, inquit, fusa est plaga, prorsusque incurabilis. *Non enim malagma imponere est, non oleum, non alligaturam*. Ac, quæ deinceps in eâ comminatione sequuntur, prætereo, ne præsenti plagâ vobis acerbior existam. Sed tamen huius calamitatis causam agnoscamus.

Cur segetes exaruerunt, horrea confusa sunt, pascua ouium defecerunt, extenuata sunt speciosa terræ; campi non pinguedine, sed mœrore
Psal. 64. v. 14. & 25. v. 7. perfusi sunt; valles, non frumento abundarunt, sed deploratæ sunt: montes nobis, quemadmodum postea iustis viris, dulcedinem non stilla-
Amos 9. v. 13. runt, sed ornatum suum exuerunt, ignominiá-
2. Reg. 1. v. 21. que affecti sunt, ac montium Gelboë maledictionem contraxio modo acceperunt? Facta est vniuersa terra sicut à principio, cùm nondũ pulchritudine suâ exornata esset. *Visitasti terram, &*
Psal. 64. v. 10. *inebriasti eam*: Sed visitatione malâ, & pesti-
Ier. 11. v. 22. ferâ ebrietate. Proh triste spectaculum! In culmo fertilitas nobis est, & sementis ex paruis reliquiis cognoscitur, ac vix primitias Domino messis nostra edit; atque ex mensibus potius, quam ex manipulis percipitur. Tales impiorum diuitiæ sunt, tales malè seminantium messes: nimirum
Deut. 28. v. 30. iuxta veterem maledictionem, respicere ad multa, & pauca inferre: seminare, & non metere; plantare, & non exprimere: vbi decem iuga
Isai. 5. v. 10. boum operantur, laguncularn vnam facere; atque apud alios frugum vbertatem audire, cùm interim ipsi rerum penuriâ premantur. Vnde hæc tandem; & quæ nobis huiusce calamitatis causa est? Ne expectemus vt ab aliis coarguamur: ipsimet in nos inquiramus. Magna virij medicina
Magna virij medicina, confessio. est confessio, & peccati fuga. Primus ego, sicut populo meo denuntiaui, ac speculatoris munere functus sum (non enim venientem gladium celaui, vt & meam ipsius, & eorum, qui audiunt, animas eluerarer) sic nunc quoque populi mei inobedientiam exponam, peccata illius pro meis ducens. Sic enim futurum est, vt misericordiam aliquam, & ærumnæ leuationem consequar.

Scelera popularia. Alius nostrûm pauperem oppressit, ac terræ partem ipsi abstraxit; maléque vel per fraudem, vel per vim terminum transgressus est, & domum ad domum coniunxit, & agrum agro copulauit, vt proximo aliquid eriperet: ac vicinum nullum habere studuit, perinde ac solus habitaturus in terrâ. Alius vsuris & fœnoribus terram contaminauit, colligens vbi non seminarat, ac metens vbi non sparserat; nec ex terræ cultu, sed ex pauperum inopiâ & penuriâ commoda sua comparans. Alius areæ & torcularis primitijs Deum, qui omnia donauerat, fraudauit, simulque & ingratum & dementem se B præbuit; vt qui, nec pro iis, quæ habuit, gratias egerit, nec, si nihil aliud, futuro certè per probi & grati animi officium sibi ipsi procurauit. Alius nec viduam nec orphanum miseratus est; nec panem, & exiguum alimentum, pauperi, vel Christo potiùs, qui per illos etiam parcè nutritos alitur, impertiit: & quidem cùm multa fortasse habeat, ac præter spem (nam hoc demum iniquissimum est) atque in multis horreis angustiâ laboret, eâque partim impleat, partim euertat, vt ad futuros fructus condendos ampliora extruat, illud ignorans fore, vt priusquam spei suæ compos fiat, morte abripiatur, rationémque reddendam habeat, tum opum quibus hic abundauit, tum earum C rerum quas animo & cogitatione sibi finxit, vt qui aliena bona malè administrarit. Alius vtam humilium declinauit, & iustum in iustis rationibus transuersum egit. Alius corripientem in portis odio habuit, ac sanctum sermonem abominatus est. Alius rei suo multa colligenti immolauit, ac pauperis prædam domi habens, aut Dei memoriam ex animo eiecit, aut certè illius malè recordatus est, dicens, Benedictus Dominus, quoniam diuites facti sumus: opésque ipsius beneficio se consecutum iniquè existimauit, à quo pœnâ afficietur. *Ob hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*. Ob hæc, vel clauditur cœlum, vel malè aperitur: eóque magis, D si, ne percussi quidem, resipiscamus, atque ad eum, qui naturâ suâ ad nos appropinquat, appropinquamus.

vnde diuina accenditur ira.

Luc. 12. v. 18.

Isai. 29. v. 21.
Amos 5. v. 10.
Habac. 1. v. 16.

Eph. 5. v. 6.

Ier. 13. v. 23.

Quid ad hæc dicemus, qui frumentum emimus, & vendimus, ac temporum difficultates obseruamus, vt opes nobis comparemus; & in alienis calamitatibus delicias capiamus; atque non vt Ioseph Ægyptiorum facultates maioris dispensationis causâ; vtrumque enim notat, nimirum & rectè colligere, & rectè annonam tribuere, quemadmodum etiam, & famem prospicere, & eminus ei obsistere) sed, vt iniqui & conscelerati, populatium nostrorum opes acquiramus? Qui dicimus, *Quando transibit mensis, vt vendamus: & sabbatum, vt eraria recludamus?* Qui duplicibus mensuris & stateris iustitiam corrumpimus, ac plumbeam iniquitatis mensuram in nos ipsos E inclinamus. Quid ad hæc dicemus, qui nullum augendarum opum finem nouimus: qui aurum & argentum, non secus atque illi olim Baal & Astarten, & execrandum illum Chamos adoramus: qui lapidum luxus & splendores consectamur, vestésque molles & diffluentes, quæ à tineis absumuntur, & prædonibus, ac tyrannis, furibúsque reconduntur: qui ob seruorum & quadrupedum greges insolescimus: qui in campis & montibus dilatamur, atque alia iam habemus, alia adiungimus, alia iam

Gen. 41.

Amos 8. v. 5.

Zach. 5. v. 7.

Prou. 30. v. 15. iamque adepturi sumus, instar illius sanguisugæ, cuius meminit Salomon, quæ expleri nequit, quemadmodum nec infernus, nec terra, nec ignis, nec aqua; nouumque orbem, quem possideamus, quærimus, ac Dei terminis, vt insatiabili nostrâ cupiditate minoribus, succensemus.

Quid verò illi qui in sublimibus thronis sedent atque imperij scenam attollunt, ac supercilium theatris ipsis altius: nec Deum, qui super omnia est, nec inaccessibile illud veri regni fastigium considerant, vt subditis, tanquam conseruis imperent, qui eadem benignitate opus habent? Iam verò quoque spectes velim quos diuinus Amos pulchre perstringit, qui in eburneis (Amos. 6. v. 4.) lectis lasciuiunt, primæque bonitatis vnguentis perfunduntur, atque ad Musicorum instrumentorum sonos applaudunt, rebúsque fugientibus, vt firmis & stabilibus addicti sunt, non autem ob Ioseph contritionem dolorem ac molestiam concipiunt. Atqui oportebat, vt eos, qui priores in calamitatem inciderant, benignitate complecterentur, ac misericordiâ misericordiam sibi conciliarent: oportebat, inquam, abietem vlu- (Zach. 11. v. 2.) lare, quia cecidit cedrus; ac vicinorum plagâ eruditi, atque per aliena mala rebus suis probè consulere; vt qui hoc vtique nomine potiores essent, quàm ij, qui præcesserunt, quòd ipsi per alios salutem consecuti sunt, non autem alij per ipsos eruditi.

Hæc nobiscum philosophare, vir diuine & sacrosancte, qui longo temporis spatio ingentem (Ad Gregorium Patrē) rerum vsum, ex quo sapientia nascitur, collegisti. (Iob 12. v. 12.) His populum tuum instrue. Doce panem esu- (Isai. 58. v. 7.) rienti frangere, pauperes tecto carentes colligere, & nuditatem tegere, nec consanguineos despicere: ac tunc præsertim, vt bonum nostrum ex (Luc. 21. v. 4) penuriâ sit, non ex abundantiâ: quo munere Deus, magis quàm multis oblationibus, magnisque largitionibus, delectatur. Post hæc, immò ante hæc, esto mihi hodierno die Moses & (Psal. 105. v. 23. & 30.) Phinees. Sta pro nobis, & placa, & cesset quassatio: siue per spirituale sacrificium, siue per orationem ac rationalem intercessionem. (Nicetas, λειτουργίαν exponit, id est, Missam.) Domini iracundiam interuentu tuo reprime: plagas deinceps sequentes compesce. Patris canitie permoueri solet pro filiis obsecrantis. Pro præteritâ improbitate ora: meliora in posterum de nobis pollicere. Offer populum calamitate ac metu purgatum. Corpoream alimoniam pete: angelicam etiam è cœlo descendentem priùs pete. (ἐπιούσιον, idem.) Hoc si feceris, Deum nobis conciliabis, cœlum mitigabis, matutinam & serotinam pluuiam reddes. (Ioel. 2. v. 23. Psal. 84. v. 13.) *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*: hæc, inquam, inferior, quotidianum; carnis autem nostræ terra sempiternum, quem diuinis horreis per te, nos ac munera nostra offerentem, imponemus: in Christo Iesu Domino nostro, cui sit gloria in sæcula, Amen.

EIVSDEM, AD CIVES
Nazianzenos graui timore perculsos, & præfectum irascentem.

EIVSDEM Interpretatione interpolatâ.

Affine satis visum huius argumentum superioris argumento, nec omninò abhorrēs ab instituto. Quid enim refert siue Deus aëris inclemētiâ, siue principum austeritate terreat, atque puniat, emendationémque à nobis extorqueat? Insignis hîc locus mouendæ clementiæ, sedulò versandus, quòd eius frequens vsus, nec feliciùs, magisque ex Sacerdotij maiestate, quàm hac Gregorij methodo, expugnari principum animi iræque possint.

VEntrem meum, ventrem meum doleo, & sensus cordis mei incitantur; ait quodam (Ier. 4. v. 19.) sermonum suorum loco Hieremias, Prophetarum omnium miseratione propensissimus, contumacem Israëlem, atque à Dei extraneum benignitate, ac clementiâ deplorans. (In Græcis, quæ extāt, μαιμάσσει ἡ ψυχή μου.) Quo loco, Ventris quidem nomine suam ipsius animam intelligit. Hoc enim sensu persæpe hanc vocem in Scripturis acceptam reperio, vel quòd abdita sit, atque oculorum obtutum fugiat (id enim habet anima cum ventre commune) vel quòd sermonis, vt sic loquar, alimenta capiat, atque digerat. Quod enim corpori cibus est, hoc in animâ est sermo. Per sensus autem, fortasse impulsiones animæ, cogitationésque significat, easque potissimum, quæ à sensibus proficiscuntur: quibus vir iustus peruellitur, & incalescit, ac appetitu incitatur, nec iam spiritus æstus cohiberi potest. Hoc enim indicat verbum μαιμάσσειν, nempe promptitudinem quandam velut furore permixtam. Quòd si quis hæc ad ipsius etiam corporis sensus referat, haudquaquam absurdè id fecerit: quandoquidem oculi & aures, non modò tristibus spectaculis & auditionibus discruciantur, verùm etiam, miserandi quadam pronitate, Lætiora videre atque audire concupiscunt. Quocunque verò hæc sensu accipiantur, perspicuum est vtique Prophetam graui dolore affici, & incitari, atque Israëlis mala molestissimè ferre, siue corporea illa intelligas, eiusque quod corporeo modo cernitur; siue spiritalia, eiusque qui spiritali modo intelligitur. Nam & alio loco lacrymarum fontem idem Propheta requirit, ac (Ier. 9. v. 1.) extremum quendam recessum exoptat, solitudinemque amplectitur, vt magnam mœroris sui partem exhauriat, ac internâ quodammodo plagâ leuetur, secum ipse ac solitarius Israëlem lamentis, ac luctu prosecutus. Consimilem in modum diuinus etiam Dauid haud paulò antè calamitates suas acerbè ferens, *Quis*, inquit, *dabit mihi* (Psal. 54. v. 7.) *pennas, sicut columbæ: & volabo, & requiescam?* Columbæ pennas expetit, vel quòd leuiores ac perniciores sint (talis enim est, quisquis iustitiam colit) vel quòd Spiritum adumbrent, cuius (Pennæ columbæ Spiritus sancti figurâ.) vnius auxilio pericula fugimus: vt quàm longissimè se à præsentibus malis remoueat. Sequitur deinde spes, angustarum rerum medicina. *Expe-* (V. 9.) *ctabam*, inquit, *Dominum, qui saluum me fecit à pusillanimitate & tempestate.* Quod etiam alio loco facete perspicitur, vbi confestim dolori remedium adiungit, egregiúmque nobis & sermone & opere, magnitudinis animi aduersus res graues & periculosas documentum præbet. *Re-* (Psal. 76. v. 4) *nuit, inquit, consolari anima mea.* Audisne anxietatis, & desperationis verba? Num quis te Dauidis causâ timor inuasit, velut incurabili morbo laborantis? Quid vis? Non admittis exhortationem? negas tibi solatij spem vllam reli-

quam esse? Nihil ne tibi medebitur? non sermo, A non amicus, non propinquus, non monitor, non doloris socium se præbens, non res suas aduersas exponens, non præsentia cum illis componens, atque ostendens, quàm multi homines etiam ex atrocioribus malis euaserint? Siccine proiecta sunt, interierunt, concisa sunt omnia? Siccine spes omnis perijt? nec quicquam aliud superest, quàm vt iacentes ac supini finem expectemus?

Psal. 4. v. 2. Psal. 22. v. 4.

Hæc magnus ille Dauid, qui alioqui in tribulationibus dilatatur: qui, vel mortis vmbrâ circunfusus, Dei tamen ope subnixus, aduersus eam exurgit. Quidnam igitur me facere par est, me paruum & imbecillem, me terrenum, nec tantâ Spiritus facultate præditum? Dauid æstuat, nec quò se vertat habet: & quis saluus esse poterit? B Quæ res mihi laboranti, vel subsidio, vel solatio futura est? Ad quem in angustias redactus confugiam? Audi quid Dauid respondeat, magnus scilicet ille medicus, ac qui per Spiritum in ipso

1. Reg. 16. v. 23.

habitantem spiritûs malos incantet. Ad quem confugies, ex me scire cupis, nec per te ipse intelligis?

Isai. 35. v. 3. & 21. v. 16. Psal. 61. v. 6.

Quis est, qui languidas manus roboret, & genua dissoluta confirmet, ducetque per ignem, ac per aquam saluet? Nihil, inquit, instructâ acie opus est, non armis, non sagittarijs, non equitibus, non consultoribus, non amicis, non externo subsidio. Auxiliares copias in te ipso habes, quæ, & tibi, & mihi, & cuiuis in promptu sunt. Velle tantùm oportet, animique desi- C derium afferre. In propinquo est consolatio, in

Dei memoria præsens in angustiis solatium.

ore tuo, in corde tuo. *Memor fui Dei*, inquit, *& delectatus sum*. Quid memoriâ paratius? Memor ergo esto tu quoque, & delectaberis. O facilem & parabilem medicinam! O celerem curandi rationem! O ingentem beneficij magnitudinem! Non modò animi imbecillitatem molestiamque sedat Dei recordatio, sed & delectationem parit.

Isai. 30. v. 15. Malè citatũ Ezech. 18.

Vis alia insuper producam diuinæ erga humanum genus beneuolentiæ testimonia? *Si*, inquit, *conuersus ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris*. Videtis, quemadmodum salus cum gemitu

Isai. 58. v. 9. Psal. 34. v. 3.

coniuncta sit? *Et, Adhuc te loquente, dicet, Ecce adsum*. Et loquetur animæ tuæ, *Salus tua ego* D *sum*. Nihil intercedit inter petitionem, reique

Facilis Dei placatio, & vt tristia in læta conuertat.

petitæ consecutionem; non aurum, non argentum, non pellucidi pretiosique lapides, non cætera, quibus hominum mentes ad lenitatem & clementiam inflectuntur. Posteaquam iratus atque offensus Deus per Sophoniam sic locutus est,

Soph. 3. v. 6.

Desertas faciam vias eorum penitus, vt non sit qui transeat. Defecerunt ciuitates eorum, eo quod nemo esset, nullúsque habitaret: Postquam acerbissima minatus est, postquam summo mœrore animos consternauit, ac multarum caliginem offudit, spei melioris statim lumen inducit, meque huiusmodi oratione recreat, ac reficit.

V. 7.

Verumtamen dixi, Timete me, & suscipite disciplinam, & non disperdemini ab oculis eius. Aliquantóque vlteriùs progressus, lætioribus adhuc humanioribúsque

V. 16.

verbis vtitur. *In tempore illo dicet Dominus, Confide Sion: non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in te, qui te saluam facere potest: & adducet super te lætitiam, & innouabit te in dilectione sua, & contritos colliget, & expressos saluabit, & electos admittet*. Hæc sancti viri, hæc rationes volunt, hæc mea postulat oratio. Vos enimuerò

Pro. 1. v. 3. Pro. 18. v. 3.

prudentiæ sermones suscipite, vt est apud Salomonem, ne tandem in profundum malorum prolapsi, contemnatis, atque à mœstitiâ vestrâ potiùs quàm à molestiâ & difficultate, in quâ nunc estis, absorbeamini.

Lego cum Eliâ ἀθυμίας, nec placet ἀμαθίας quicquid Billius.

Res humanæ, velut orbe quodam voluuntur, fratres, ac Deus nos per contraria erudit. Vt sapienter omnia coagmentauit, ac quasi vinculis astrinxit, sic non minori sapientiâ (vt inaccessa sunt illius iudicia, miniméque humanâ mẽte peruestigari possunt) cùm vniuersam rerum machinam, tum res quoque mortalium regens & gubernans. Mouetur enim, vt sic dicam, ac fluctuat vniuersitas rerum circa immobilem, haud quidem

Ex Herodoto sumpta, vt notat Elias.

quantum ad rationem (nam ea ipsa inter omnia firma & immobilis stat, etiamsi nostram infirmitatem atque animorum hebetudinem effugiat) verùm quantum ad ea, quæ singulis diebus nobis occurrunt & eueniunt. Atque hoc vetus fixúmque Dei decretum est, tenebras, nostris vndique oculis offusas, ipsius esse latibulum: permultáque in eius gubernatione hanc rationem habere, vt à nobis nisi in obscuris ænigmatis ac velut spectris perspici nequeant: siue eâ ratione fastum nostrum & arrogantiam coërcere velit (vt intelligamus nos nihil esse, si cum primâ illâ & verâ sapientiâ conferamur, eámque ob rem ad ipsum vnum tendamus, nec quicquam aliud quæramus, quàm vt promanantibus inde radijs collustremur) siue per earum rerum, quæ oculis cernuntur, ac conuersioni subiectæ sunt, inconstantiam, ad ea, quæ stabilia & æterna sunt, reuocare.

ad decretũ.

Obscura nobis Dei prouidentia.

Psal. 17. v. 11.

Cæterum nihil à motu absolutum est, vt diximus, nihil planum & æquabile, atque in finem vsque sui simile, non hilaritas, non molestia, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, nõ humilitas, non potentia, non præsens tempus, non futurum, non res nostræ, non alienæ, non paruum, non maius, nec denique quicquid dicere quisquã possit. Atque hoc vnum æquale inæqualitas habet, nempe in omnibus rebus mutationem. Omnia enim facilè in vrbem feruntur, atque in diuersum migrant, aliáque alijs substituuntur, vt ventis tutiùs, ac literis in aquâ scriptis fides haberi posse videatur, quàm hominum felicitati. Ac liuor quidem res secundas, misericordia autem calamitatem sistit. Idque meo quidem iudicio sapienter miroque consilio: ne vel aduersitas solatio careat, vel prosperitas freno, ac disciplinâ. Prudẽter verò illi faciũt, qui calamitatibus erudiuntur, dúmque illis velut aurũ igne purgantur, Dauidicum illud in ore habent, *Bonum mihi, quia humiliasti me* (quòd videlicet ea res iustificationum Dei cognitionem pariat) quique Petrum imitantur, Saluatoris opem implorantem, cùm iam penè mergeretur: qui denique ob dolorem ad Deum se magis adiungunt, ac per afflictionem beneficiorum auctorem sibi conciliãt: quippe cùm ægra anima, E Deo propinqua sit: ac penuria ipsa efficit, vt ad Deum qui largiendi facultatem habet, nosmetipsos conferamus, qui alioqui fortassè ob effusam liberalitatem contemnitur.

Humanarũ rerũ incõstantia, ac varietas.

ἀντιπαθοῦσι. Bill. *sibi inuicem aduersantur*: quod non placet

Psal. 118. v. 71. Matth. 14. v. 13.

Ægra anima, &c. Sumptum ex libro qui Doctrina Petri inscribitur.

Quocirca, fratres, oculos in cœlum erectos habeamus: in omni tempore, atque omni rerũ euentu bonam spem præferamus, neque vel in prosperis rebus timorẽ, vel in aduersis spem abijciamus. Memores simus, tum tempestatis in tranquillitate, tum gubernatoris in tempestate: nec in afflictionibus frangamur, ac debilitemur, atque improbos seruos imitemur, qui confitentur quidem Domino cùm benefacit eis: verùm eidem corripienti nequaquam pari studio & voluntate ad-

Psal. 48. v. 19.

Aduersa plerunque prosperis vtiliora.

iunguntur; cùm tamen interdum accidat, vt ægritudo sanitate; & sustinentia remissione ac indulgentiâ, & visitatio neglectu, & castigatio veniâ melior sit & præstabilior? Atque vt rem in pauca conferam, sic nos instituamus, vt nec propter calamitates animis concidamus, nec propter saturitatem insolentiâ efferamur. Submittamos nos, tum Deo, tum alij alijs, tum ijs, qui in terrâ magistratu funguntur. Deo quidem, omnibus de causis; alij autem alijs, fraternæ debito charitatis: magistratibus autem, propter ordinem publicæque disciplinæ rationem: idque tantò etiam magis, quantò iis facilioribus ac benignioribus vtimur. Graue ac periculosum est, ignoscendi assiduitate clementiam exhaurire: ne alioqui acerbitatis illorum pœnæ à nobis expetantur, vt qui ventos inuehentes tranquillitatem sustulerimus, & luci caliginem induxerimus, mellique absinthium admiscuerimus.

Pulchra sententia; non irritandas temerè Potestates.

Superiorū obseruantia

Eph 6.v.1.
Col.3.v.20.

Iam verò inter cæteras nostræ doctrinæ leges hanc quoque habemus comprimis laudandam, & à Spiritu, qui id, quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum ac honestum est, explorauit, legéque sanxit, præclarè constitutam, quâ, vt serui heris suis, & vxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare iubentur, ita nobis etiam præscribitur, vt sublimioribus potestatibus subditi simus, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, vt qui pendendo tributo sumus obnoxij; nec committamus, vt ob scelera & flagitia nostra iudicem odio habeamus, ac vindicem gladium expectemus: quin potiùs id agamus, vt per timorem purgati, laudem à Potestate consequamur. Vna atque eadem est regula: & tamen recto parcit; quod autem superfluum est, resecat. Vnus itidem sol, & tamen vt sanis oculis splendorem affert, ita ægros & imbecilles obscurat. Vis ex nostrâ doctrinâ quidpiam audacter proferam? Vnus est Christus: idem tamen in ruinam & resurrectionem positus est, in ruinam nimirum incredulis, in resurrectionem autem credentibus: & alijs quidem petra offensionis est, ac lapis scandali, ijs nempe, qui nescierunt neque intellexerunt, verùm in tenebris ambulant (quales illi sunt, qui vel idolis cultum adhibent, vel ad literam vsque duntaxat prospiciunt: nec quicquam præterea splendoris haurire, vel cupiunt, vel possunt) alijs contrà lapis angularis, & petra laudabilis (ijs videlicet qui Verbi diuini vinculo constringuntur, eique insistunt) aut, si mauis, margarita illa, quam bonus negotiator omnibus suis facultatibus emercatur. At nos, fratres, dum officium ipsi deserentes, magistratus potestatem iniquo animo ferimus, perinde vtique facimus, ac si quis certaminis præsidem vt improbum accuset, cùm ipse in palestræ leges peccet, aut medicum vt indoctum & audacem, quòd sectionibus & cauterijs vtatur, cùm ipse graui morbo laboret, asperioribusque remedijs indigeat.

Rom.13.v.1.

Simile.

Luc.2.v.34.

1. Petr. 2. v. 8.

Matth.13. v. 46.

Simile.

Atque hæc mihi ad subditos, partim monendi, partim consolandi gratiâ dicta sint; mihi, inquam, pauperi Pastori, paruum hunc gregem componenti & instruenti, cum quo gaudente gaudere, & cum mœrente ingemiscere, pastoritiæ meæ legis præscripto iubeor. Quid autem vos Præsides ac præfecti? Ad vos enim iam nostra se conuertit oratio: ne alioqui iniquè omnino facere videamur, atque his quidem, quæ in rem fu-A tura sint, suadere, vestræ autem dignitati potentiæque cedere (quasi vel pudore, vel metu, Christianam nostram libertatem demittentes) aut illorum quidem commodis cedere, vos autem negligere, quorum curam eò maiorem gerere par est, quòd ea res plus in vtranque partem momenti habeat, maiorque inde vtilitas promanet, si negotium prosperè successerit: cōtrarium enim, tum à nobis absit, tum ab oratione nostrâ.

Rom. 12. v. 15.

Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Non vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subiicit? Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius & perfectius: B nisi verò æquum est Spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, vtpote sacri mei gregis ouis sacra, magnique Pastoris alumna, rectéque iam olim à Spiritu ducta & instituta, sanctæque ac beatæ Trinitatis lumine, æquè ac nos ipsi, collustrata. Proinde breuis ad te mihi oratio erit. Cū Christo imperium geris: cum Christo hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam vt eo vtaris, quàm vt mineris & terreas. Quare tibi videndum est, vt illum, tanquam donarium quoddam purum & integrum, ei, qui dedit, serues. Imago Dei es; verùm imaginem quoque Dei regis; quæ quidem hîc certâ dispensatione guber-C natur, ad aliam autem vitam migrat, ad quam omnes quoque concedemus, posteaquā in hoc vitæ carcere, vel stadio, vel futuri imagine, vel vmbrâ, tātisper lusérimus. Flectat te naturę cognatio, moueat te exemplar tuum: ad Deum te adiunge, non ad mundi principem, ad benignissimū Dominum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio. Ille, & primo homini per mandati transgressionem vulnus inflixit, & ærumnosam vitam inuexit: & tum inferendæ, tum ferendæ pœnæ legem peccati noxa induxit. Tibi verò, ô homo Dei, veniat in mentem, quis te finxerit, quò voceris, quanta habeas, quot nominibus obstrictus sis, à quo rationem, legem, prophetas D acceperis, à quo hoc ipsum quòd Deum cognoscis, quòd bona reposita spe præsumas. Quocirca Dei humanitatem & misericordiam æmulare. Nihil tam diuinum homo habet, quàm benignitatem ac beneficentiam. Licet tibi nullo labore deum fieri: noli diuinitatis consequendæ occasionem abiicere. Alij opes suas effundunt, alij exhaustas carnes Spiritui addicunt; ac Christo emoriuntur, atque omnino à sæculo abscedunt. Alij charissima sibi pignora Deo consecrant. Nec verò Abrahæ sacrificium inauditum est, qui vnicum filium, diuinitúsque promissum, ac ad quem promissio spectabat, Deo libentiùs obtulit, quàm E ab eo primùm acceperat. Horum à te nihil postulamus: pro omnibus hoc vnum offer, nempe clementiam (quâ Deus magis, quàm cunctis alijs in vnum collatis delectatur) donum scilicet proprium, donum omni labe vacuum, donum Dei liberalitatem & munificentiam inuitans.

Principatus Ecclesiasticus temporali præstātior.

Ad Præfectum allocutio.

Quid vita hæc?
Eph.6.v.16.

Ioan.8.v.44.

Gen.22.

Clementiā ac humanitate summè Deus delectatur.

Lenitatem terrori admisce: minas spe tempera. Multa quoque humanitate ac lenitate perfici scio, vt quæ ad debitam gratiam referendam pudore ipso compellat: cùm videlicet oblatâ vlciscendi atque animaduertendi potestate noxam condonantes, ei, cui misericordiam impertimus, beneuolentiâ nostrâ pudorem iniicimus. Nihil tibi tanti sit, vt propterea inducas in animum ali-

quid admittere, quod te imperio indignum reddat. Nihil misericordiam & mansuetudinem excludat; non tempus, non princeps, non metus, non audacia, non temeritas maiorum dignitatum partem sibi plurimam vendicans. Ad necessaria tempora supernæ beneuolentiæ tibi præsidium para: misericordiam Deo commeda. Neminem vnquam Deo aliquid priùs obtulisse pœnituit. In beneficio referendo copiosus est, maximè ille quidem cœlestia bona, iis, à quibus ipsi antè quippiam collatum mutuóque datum fuerit, rependens, nonnunquam autem huius quoque vitæ commoda refundens, vt de futuris fidem faciat. Adhuc paululum, & mundus transibit, ac scena dissoluetur. Temporis opportunitate ad quæstum vtamur: fluxis & fragilibus æterna coëmamus. Vnusquisque nostrûm in correptione est: ac lutea hæc massa plurimum æris alieni circunfert. Veniam ergo alienis peccatis demos, vt nostris impetremus: remittamus, vt nobis remitti vicissim postulemus.

Luc. 16. v. 9.

Beneficentiæ præmia, hoc sæculo, ac futuro.

Eccl. 5. v. 6.

Vides in Euangelio quemadmodum quidam multorum talentorum debitor adducatur, ac debito liberetur (ad bonum enim & facilem dominum accesserat:) At non, vt ei debitum remissum fuerat, ita ipse quoque remittit (nam animi etiam inductione seruus erat) nec humanitatem, quam in maiori pecuniæ summâ consecutus fuerat, in minori pecuniâ conseruo suo impertit, si nihil aliud, at propositum certò liberalis erga alios animi exemplum secutus. Quam ob causam Dominus itâ commouetur. Nam, quæ postea sequuntur: silentio prætereo. Tantum hoc dicam, conducibilius omninò esse, vt priusquam in altero sæculo vitæ rationes referamus, huius vitæ benignitatem impendamus. Quid ais? Num te his sermonibus captum tenemus, quorum te amore inflammati sæpe confessus es, Præfectorum optime; atque vtinam addere liceat, clementissime? Num tibi præterea supplicis cuiusdam libelli loco canities hæc offerenda erit, atque annorum numerus, diuturnúmque & labis expers hoc sacerdotium, quod ipsi quoque Angeli, puri purissimi Dei cultores, tanquam ipsorum cultui minimè impar fuisse veneratione prosequuntur? Num hæc te permouent? An maius aliquid addendum erit? Audacem autem me dolor facit. Christum tibi offero, Christíque pro nobis inanitionem, & impatibilis passiones, & crucem, & clauos, quibus peccato solutus sum, & sanguinem, & sepulturam, & reditum ad vitam, ac ascensum ad superos; atque adeò mensam hanc, ad quam communiter accedimus; salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem obeo? hoc, inquam sacrosanctum mysterium, atque in cœlum nos tollens. Quòd si hæc singula minùs apud te valent, at vniuersa certè valeant. Da, & nobis, & tibi ipsi hanc gratiam, & domesticæ Ecclesiæ tuæ, atque huic pulchro Christi cœtui, de quo ita velim existimes, eum tibi nobiscum supplicem esse, tametsi obeundæ legationis munere nobis cedat, vt maiorem apud te auctoritatem habituris, eius gratiâ, qui honore prouexit: ne illud etiam dicam, quòd impetu lege prohibetur. Hac vnâ te pulchrè vincaris, vt nos clementiâ superes. En tibi, coram Deo & Angelis, & regno cœlorum, illiúsque vitæ præmiis, supplices meos offero. Fidem meam honora, quam mihi creditam, aliis credidi: ita fiet, vt tua quoque in maioribus rebus & grauioribus honoretur. Atque, vt vno verbo rem complectar, Dominum ipse quoque in cœlo habes. Hunc tibi talem erga te iudicem experiri contingat, qualem te his, qui imperio tuo subsunt, præstiteris. Vtinam autem nobis, & in hac vitâ mitia & benigna cuncta contingant, & in altero sæculo leuiora. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potestas, cui honor & imperium, cum Patre & Spiritu sancto, sicut erat, & ante erat, & erit, & nunc est, & in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 16. v. 1.

Ab exemplo serui in conseruum immisericordis.

Pulchra obsecratio, à patris canitie.

A Christo, nostræque salutis mysteriis.

Ab Eucharistiæ sacrificio. Salutis nostræ typi, quòd Dominicã repræsentent passionem, ac futuram gloriam.

διὰ τὸν τιμήσαντα, nẽpe Christum, qui auxit sacerdotio. Malè Billius ad Præfectum refert: *apud te, à quo honore &c.*

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI ex expositione in Matthæi Euangelium.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

PEtite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis. Quia magna mirandáque præceperat, cunctisque affectibus superiores esse præceperat, atque ad ipsum cœlum euexerat, iusseràtque studerent non Angelis, non Archangelis, sed ipsi Domino, quoad liceret, similes effici: nec ipsi duntaxat discipuli hæc præstarent, sed & alios emendarent, malósque à non malis, canes ab iis qui canes non essent, discernerent: cùm humani cordis latebræ opacissimæ sint, ne dicerent, grauia hæc esse ac importabilia. Nam & in sequentibus Petrus tale quid locutus est, dicens, *Quis potest saluus esse?* Ac rursus, *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit ducere.* Ne igitur hîc quoque similia dicerent, quanquam etiam in præcedentibus ostenderat facilia esse præcepta, multis continuè adductis rationibus, iisque eiusmodi vt suadere possent; hîc tandem ipsam facilitatis coronidem, subiungit, haud vulgarem laboribus consulationem, atque leuamen, quod orationum assiduitas promeretur, diuinum auxilium comminiscens. Non solùm, inquit, vos oportet conatum, adhibere, verùm etiam diuinam opem aduocare; fiétque omninò vt illa adueniat, ac præsto sit, vobisque certaminum socia accedat, ac expedita cũcta faciat. Propterea & petere iussit, & eis se daturum spopondit. Haud enimuerò defunctoriè iussit petere, sed multâ cum assiduitate, animique contentione: hoc enim sibi vult, quod ait, *Quærite.* Etenim is, qui quærit, cuncta mente eiiciens, vni illi addicitur, quod quærendum sit, nec præsentium quemquam attendit. Sicque rem se habere norunt, quotquot vel auro, vel seruis, vt plerunque contingit, amissis, quærendis impenduntur. Quò igitur quærendum dicat, hoc significauit; quòd verò pulsandum adiecit, acri animo atque feruore rem aggrediẽdam ostendit. Noli ergo, homo, animo concidere, néue minorem diligentiam exhibeas persequendo virtutem, quàm pecuniarum desiderio inardescas. Nam illas quidem frequenter quæsitas, haud inuenisti: hocque nihilominus comperto, fore nimirum vt omninò non inuenias, nullum sedulæ perquisitionis modum non moues, atque pertentas. Hîc verò quanquam diuinâ planè sponsione fretus, ne minimam quidem partem illius sedulitatis ostendis. Quòd si non continuò acceperis, nec sic quidem spem abiicere conuenit. Propter hoc quippe ait, *Pulsate*, vt ostenderet, insistendum esse, quanquam non statim fores aperuerit. Si verò, inquit, meæ fidem sponsioni habendam non ducis, exemplo saltem confirmeris.

Matth. 7. v. 7.

Matth. 19. v. 25. & 10.

Facilitatis coronis, diuinum precibus imploratum auxilium.

Quærere.

Pulsare.

v.9. *Quis enim*, ait, *ex vobis est pater, quem si filius suum petierit panem, nunquid lapidem porriget ei?* In hominibus quidem, si petendo assiduus fueris, & molestus & onerosus videris: ad Deum verò quod attinet, cùm non facis, tum maiorem in modum eius tibi iram consciscis. Sin autem petendo perseueraueris, etsi non continuò, omninò tamen acceperis. Propterea quippe ostium clausum est, vt te ad pulsandum induceret: idcirco non statim annuit, vt tu flagites. In his igitur mane, hæc constans age, omninóque accipies. Ne enim diceres, Quid igitur si petiero, nec accepero? Parabolam tibi opposuit, ponens rursus rationes, exque humanis ad fiduciam impetrandi inducens: hisque adeò exemplis nedum petendum docens, sed & quænam sint petenda insinuans. *Quis enim est*, inquit, *ex vobis pater, quem si filius suum petierit panem, nunquid lapidem porriget ei?* Itaque si non acceperis, quòd non accipis in causâ est, quòd lapidem petis. Nam etsi filius es, haud tamen ea dignitas sufficit vt accipias: quin hæc ipsa obstat, quòd cùm filius sis, ea petas quæ non conducunt. Et tu igitur noli petere quæ sæculi sunt, sed spiritalia omnia, ac planè accipies. Nam & Salomon quandoquidem poposcit ea quæ oportuit poscere, vide quàm celeriter acceperit. Duo igitur adsint oportet oranti, vt acri ac peruigili petat animo, eaque demum quæ sunt petenda deposcat. Nam & vos, inquit, cùm parentes sitis, rogari à filijs expectatis: ac si quid inutile petierint, data vestra cohibetis: sin verò quod vtile sit, annuitis faciles, atque præbetis.

Assiduitas petendi Deo accepta.

Petere lapidem, sæcularia, & quæ non conducant ad salutem.

3. Reg 3. v.11

C

Petenda vtilia, & peruigili animo.

Et tu igitur ista considerans, caue destiteris, donec accipias; ne recesseris quoad inueneris, ne remiseris impetum quoad tibi ostium patuerit. Si enim animo sic comparato accesseris, atque dixeris, Nisi accepero non recedam; omninò accipies, modò talia postulaueris, quæ & illum à quo flagitas dare conueniat, ac tibi qui petis conducat, vt accipias. Quænam verò illa? Nempe spiritalia omnia. Ita nimirum vt ijs dimittens qui offenderunt, ad veniam exorandam accedas. Vt sine irâ, & disceptatione leues puras manus. Eum in modum si petierimus, profectò accipiemus. Quod verò nunc in precibus agitur, risus est quod petimus: nec eorum res qui sobrij sint, sed qui temulentiâ grauentur.

Certa impetratio.

D

1. Tim. 2. v. 8.

Quid ergo, inquis, quando spiritalia petiero, nec tamen ea fuero consecutus? Planè non sedulò pulsasti, aut indignum qui acciperes ipse te exhibuisti, aut certè citò recessisti. Quid verò, inquis, quæ petenda sint non edixit? Quinimmò cuncta edixit in superioribus, ac quorum nomine efflagitandum, ostendit. Noli ergo dicere, Accessi, nec accepi. Nusquam enim per Deum stat, quin acceperis, qui sic amat, vt & parentes superet, quantum hanc malignitatem bonitas excedit. *Si enim vos, cùm sitis mali nostis data bona dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis?* Hæc verò dicebat, non vituperans humanam naturam; absit, neque mortalium genus malum esse pronuntians, sed ad bonitatis suæ distinctionem, parentum vim ipsam amoris malignitatem nuncupans: tanta scilicet eius benignitatis excellentia est.

Non impetrandi ratio.

E

v.11.

Vidisti claram omninò rationis vim, eiusmodi scilicet, vt & valde desperatione defectum ad spes meliores subleuare possit? Nam hîc quidem ductâ à parentibus comparatione bonitatem o-

A Paschate.

A stendit: in superioribus verò, à maioribus quæ donauit, ab animâ scilicet, à corpore; nec vsquam id quod bonorum caput est, ponit, aut aduentum suum in medium producit. Qui enim ita propensè Filium ad victimam tradidit, quomodò non omnia nobis donabit? Nondum enim res euenerat. At verò Paulus in hæc verba locutus, ponit, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* At Christus ex humanâ hactenus consuetudine cum illis disserit. Deinde ostendens non de solâ præsumendum oratione ijs neglectis quæ ipsorum partium sint; neque cùm diligentiam adhibeant, suæ duntaxat confidendum virtuti, sed tum diB uinum exquirendum auxilium, tum inferendum quod ipsorum sit, vtrunque assiduè ponit. Nam cùm multa admonuisset, etiam orare docuit: id cùm docuisset, ad cohortandum ad ea quæ agenda sint rursus venit: indeque rursus cùm iugiter orandum ijs verbis dixisset *Petite, quærite, pulsate*, enitendum vt & ipsi studiosi sint, ac virtutem colant, præcipit. *Omnia ergo*, inquit, *quæ vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite ipsis.* v.12.

Ab humanis inducit Christus doctrinam; Paulus ab altiore ratione incarnationis.

Rom. 8 v.32

EIVSDEM; EX EXPOSITIONE *in Acta, de Oratione.*

Hom. 16. vbi est Morale.

EODEM Interprete.

COgita illam noctem, soleas ligneas, laudum cantica. Et hoc studeamus nos etiam facere; & aperiemus nobis non carcerem, sed cœlum. Si precati fuerimus, etiam cœlum aperire poterimus. Elias enim precatus cœlum tum clausit, tum aperuit. Est & in cœlo carcer. *Quæcunque*, inquit, *ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Per noctem precibus instemus, & & soluemus hæc vincula. Quòd enim preces soluant peccata, fidem nobis faciat illa Vidua: fidem faciat amicus ille, intempestâ nocte pulsando perseuerans; faciat fidem Cornelius. *Orationes tuæ*, inquit, *& eleemosynæ tuæ ascenderunt coram Deo.* Ipse denique Paulus fidem faciat, dicens, *Quæ autem verè vidua est & desolata, sperauit in Deum, & instat orationibus nocte ac die.* Si de viduâ ille hoc dicit (mulicre scilicet infirmâ) multò magis de viris. Et iam dixi, & nunc dico. Expergiscamur nocte. Etsi non multas preces facias, vel vnam facito mente sobriâ, & sufficit. Nihil amplius peto. Quanquam non mediâ nocte, saltem diluculo. Ostende non esse noctem duntaxat corporis, sed etiam animæ. Ne sinas eam otiosè transire, sed hanc Domino vicem rependе: quin & ipsa hæc ad te reuertitur. Dic enim oro, si in negotium arduum, resque difficiles inciderimus, quem non rogamus? ac si ocyus petitionis compotes effecti fuerimus, respiramus. Quis præstet ipsum qui rogatur paratum esse vt gratias agat, eo nomine quòd roges? Quis præstet non circuire, ac quærere quem sis rogaturus, sed paratum ipsum inuenire? Nullos necessarios intercessores habere, per quos roges? Quid hoc maius? Hic enim tunc maximè facit, cùm nullius præterea operam requiremus. Velut sincerus amicus, tum maximè accusat, tanquam de eius haud satis amicitiâ fretos, cùm alios qui interpellent tanquam necessarios ad eum adhibemus. Sic nos quoque er-

Act. 16. v. 24.

ξύλον quod ipse Chrys. ποδῶν interpretatur.

3. Reg 17. v.1.

Matth. 18. v. 18.

Luc 18. v 3.

Luc. 11 v 5.

Act. 10. v. 4.

1. Tim. 5. v. 5.

Nocturnæ preces.

Dei benignissima prænocatio ad orandū.

ga eos qui nos rogant, agimus. Tunc in eos maximè liberales sumus, cùm per se illi accesserunt, non per alios. A

Quid igitur, inquit, si offenderim? Cessa offendere, & funde lacrymas, ac sic accede; tumque statim prioribus delictis placabilem ipsum offendes. Dic solùm, Deliqui, exque animo ac sincerè dicitu, cunctaque diluta sunt. Non sic tu cupis tibi peccata dimitti, ac ille cupit dimittere. Quòd autem non cupias, cogita quòd nec vigilare sustines, nec pecunias erogare: ipse autem vt hominum peccata dimitteret, nec Vnigenito suo, charissimo Filio atque germano, pepercit, eodem secum sublimi throno. Vides maiori enim desiderio teneri dimittendi tibi peccata? B Ne itaque vereamur, neque moras nectamus. Clemens ac benignus est. Tantùm demus occasionem; idque ideo ne inutiles simus. Quanquam & sine hoc semper absoluit. Sed sicut nos, erga vernas & famulos innumera fingimus, ac componimus, sic & Christus in nostræ negotio salutis. Præoccupemus faciem eius in confessione, quoniam suauis, ac benignus est. Sin autem non inuocaueris in veritate, nec ex animo velis dicere, dimitto, sed ore duntaxat, quid faciet ille? Quid est inuocare in veritate? Nempe ex animo, cum ardore, sincerâ conscientiâ. Velut enim de vnguentis, verum esse dicunt, cùm nihil habuerit adulterinum: ita & illic, is reipsâ illum inuocat, C ipsumque verè orat, qui semper perseuerat, nec abscedit quandiu accipiat. Qui autem leuiùs defungitur, & sic legem implet, non inuocat in veritate. Quisquis sis, ne solùm dicas, Peccator sum, sed & stude hoc à te nomen amoliri. Ne solùm dicas, verùm etiam dole. Si doles, operam adhibes: si non adhibes, non doles; si non doles, subsannas ac irrides. Quis dicens, Egroto, non omnem adhibet operam vt liberetur à morbos?

Impensior misericordiâ, quàm nec vt velimus nobis misereri.

Inuocare in veritate.

Magnum oratio præsidium. *Si vos*, inquit, *nostis bona dona dare filijs vestris, multò magis Pater vester.* Quare non vis accedere? Amat te. Plus omnibus potest. Et vult, & potest. Quid D est quod vetet? Nihil planè. Igitur accedamus cum fide. Accedamus, quibus ille adlubet, dona afferentes, iniuriarum obliuionem, benignitatem, mansuetudinem. Etsi peccator sis, liberâ fiduciâ petes vt tibi indulgeantur peccata, qui illud abs te præstitum ostendere possis: sin autem iustus es, nec id habes, vt iniuriarum immemor sis, nihil proderit. Fieri non potest, vt qui dimiserit proximo, non plenam remissionem consequatur. Deus enim citra omnem cõparationem nobis misericordiâ impensior est. Liquet hoc omnibus. Quid ais? Cùm dixeris, Iniuriâ affectus, iram domui; quòd tu iusseris, iræ in me iniuriam pertuli, num & ille dimiserit? Planè dimittet. E Animum itaque emundemus ne iniuriarum memor sit. Sufficit hoc nobis vt exaudiamur. Cum sobriete, multâque diligẽtiâ ac assiduitate precibus defungamur, vt vberem eius nacti misericordiam, bona promissa consequamur; gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu, gloria, potestas, honor, in sæcula sæculorum: Amen.

Luc. 11. v. 13.

Veniæ fiducia ab iniuriarum obliuione.

EIVSDEM EX ORATIONE
in sanctum Bassum, & in Timores.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Libuit hæc & sequentia, ex argumenti affinitate, & quòd consimilibus terroribus inducta nostrarum Rogationum religio, hîc loci apponere, ipsa non inutilia, vbi solennes indicuntur preces depellendâ clade aliquâ, ac sacræ eâ occasione habentur conciones.

ANnua nos breui Timorum commemoratio expectat, tremendæque illius comminationis clementissima ira ad laudum præconia inuitat. Vidimus enim reuerâ iram clementiæ luce micantem, cùm nos terræmotûs vndique timor cinxisset; cùm orbis nutantem machinam cognouimus; cùm terra vehementiùs quateretur, nec Saluator à miserationibus suis absceederet: cùm malo nos fine interituros expectaremus; cùm domos repente in sepulchra mutandas putaremus; cùm illâ acti succussione, nullum perfugij vel locum, vel modum inueniremus; cùm mediâ diei parte decursâ, visuros nos vesperam desperaremus: cùm gladius è cœlo imminebat, atque in terrâ cum precibus boni operis virtus inualescebat: quando populi vnâ voce clamabant, *Miserere*, ac Dominus misericordiâ flectebatur. Cùm enim aspectu succuteret, trementem creaturam magis substringebat.

Quidni summâ dico? Cùm *nisi Dominus* Sabaoth *adiuuisset nos, paulominus habitasset in inferno anima nostra.* Quem enim Saluatoris clementiæ magnitudo in stuporem non agat? Quorum animos, quæ tunc gesta sunt, in gratiarum actionem non permoueant? Neque verò quæ tunc duntaxat, sed quæ etiam postea, ac quæ paulò antè nobis euenerunt? Concussit terram suffulcientes columnas, domorum emouit fundamenta; domus haud secus ac naues pelagi fluctibus æstuabant. Iudicis duntaxat, paulóque seueriorem ostendit aspectum, omnesque velut in medijs aquis constituti iactabamur. Ingens timor, multisque partibus exaggeratior Dei clementia. Creaturam enim cùm succuteret, non euertit. Cùm vniuersum commoueret, non elisit: terram ædificiorum ornatu non nudauit. Concussit solùm tecta, vt officij nos commoueret; ac ne vel gustum interitionis intulit; tantum scilicet eius in nos clementiæ pelagus: nam & ipsum hoc quòd terræ bases concusserit, benignissimè curantis, ac benefici est.

Psal 93. v. 17.

Vidit enim ingratos & exasperantes; vidit rapinam amantes; vidit domum domui addentes; prædium prædio, vt quid proximorum substantiæ subtrahamus, copulantes; vidit pupillos nihil miserantes, nec viduarum iudicio animum attendentes: vidit Magistros, his quæ docent, contraria agentes; vidit discipulos spectaculorum inordinationibus Ecclesiasticum ordinem, ac disciplinam ludibrio habentes: vidit nequitiâ, ac inuidiâ vitam traducentes; vidit dolo, ac fraudibus inuidiam cumulantes; vidit simulationis procellas nauigij in modum eos, qui simpliciores sint, pelago mergere; vidit nos animi proposito necem afferre; vidit, quicquid facultatis est, iuiunæ dare; vidit sæculi pelago naufragam dilectionem, ac fraudem prospero cursu nauigantem: vidit resilientes à veritate, totisque animis mendacio accedentes. Denique vt paucis absol-

A uam, vidit mammona potiùs, quàm Domino seruientes; ac ceu pueris terram nobis pædagogus succussit. Adeóque amaotissimæ matris viscera imitatus est; hæc nempe haud tatò, quò lactentem Filium vagientem ab importunâ eiulatione deterreat, exiguum quo gestatur lectulum subasperiùs excutit, non vt stupore percellat, sed vt metus aliquid infanti faciat: sic & rerum vniuersitatis Dominus, quem manu gestat terrarum orbem, quatit; non vt euertat, sed vt proteruos ad salutem conuertat. Commouit itaque benignissimus parens terram inanimem, vt eius quæ animæ compos est, motum compesceret. B Carnis mortem comminatus est, vt animi caucre interitum cogeret.

Vidisti, Christiane auditor, quanta sit Creatoris erga nos misericordia? vidisti minas clementiam spirantes? vidisti miserationis visceribus occuparam indignationem? vidisti sententiam victam bonitate? A peruersis nos actibus retrahamus. Dum enim inconcussam fidem in operibus bonis seruauerimus, etiam nobiscum creatura incoocussa stabit. Castitate animos perornemus, puræque fidei margaritam firmo nobis iure asseramus, antequam vitæ nostræ tempus extinguatur. Antequam mundi figura, ac gloriæ flos; quicquid denique carnalis libidinis est, interierint, incorruptum iudicem demereamur. C Ipse enim est, qui ait, *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sicut vt conuertatur, & viuat.* (*Ezech. 18. v. 32.*) Si peccatorem pœnas dare vellet, vtique taceret. Misereri vult, ideirco inuitat. Parcit, idcirco hortatur. Terret prædicendo, vt occupatò periculum arceat. Deus enim dum comminatur, salutem præstare volt: dum verò siler, constitutum ei irrogare supplicium. Ita nos rerum euentus liquidò docet. (*Ion. 3. v. 4.*) Niniuitas minis perterruit, & pepercit. In Sodomitarum negotio tacuit, & pœnam intulit. Coronas parauit, dum ipsi nobis tormenta non arcessamus. Vult cessare D gehennam; vult tenebrarum claudi carcerem, vult omnem iram suam reseruare diabolo: vult sedere iudex, non vt quosdam pœnis subijciat, sed vt ad coronam omnes promoueat.

EIVSDEM, POST TIMORES.

Ex Emin. Card. Maz. Cod. Omissum exordium, mihi editũ cum alijs Chrysostomi, & aliorum ann. 1656.

Feruor pœnitentium, Deique irã depellentium.

EODEM Interprete.

QVis non lubens pro vobis etiam sanguinem fuderit; viris scilicet, qui sic religiosâ pietate, ac obediendi studio serueatis. Qui sic exiguæ occasionis momento pœnitentiam ostenderitis? Nescitis diei noctisque distantiam, sed v- E trumque tempus diem facitis, non motantes aërem, sed peruigilijs noctes illustrantes. Noctes ducitis insomnes, somnique vis vobis soluta est. Dei namque amor naturæ defectum vicit. Liberati estis corporis sarcinâ, ac ne eius ratione sitis homines, cœlestes Virtutes imitãdo, qui vigilias, intensa ieiunia, itineris tantam fatigationẽ exhibeatis. Fatigationem, vt naturæ habenda sit ratio; remissionem, vt voluntas spectetur. Hic Timorum fructus, hic terræmotus prouentus. Prouentus nimirum, qui nullis vnquam expensis consumatur; qui pauperes locupletiores reddat, & diuites diuitijs augeat. Non paupertatem, non diuitias nouit. Venit terræmotus, ac vitæ inæqualitatem exterminauit. Vbi nunc qui fericis inducebantur? vbi aurum? Abiecuut omnia, A telisque aranearum faciliùs discerpta, ac vernis frotibus caduca magis iouenta sunt.

Verùm quia vestrum paratum animum video, lautiorẽ mẽsam apponere cupio. Cerno fessa corpora, sed animum vegetum perspicio. Sudoris multi fontes, sed qui conscientiæ sordes detegant. Nam si athletæ sanguine circunfluuntur, vt lauri folijs donentur, quæ data hodie in crastinum marcescunt, potiori vos iure qui meritorum, atque virtutum arenam subijstis, firmo animo esse necesse est, ne virtutis laboribus succumbatis, aut ijs defungentes molles ac remissi sitis.

B Vestrum theatrum, mihi corona est; vnusque è vestro auditorum cœtu, pari mihi cum totâ ciuitate existit pretio. Quidam crateras coronauerunt; alij conuiuia satanica congregauerunt, alij lautam mensam instruxerunt: vos autem nocturnas vigilias tantas peregistis, vniuersamque ciuitatem sanctorum vestrorum pedum incessu emundastis: (*Supplicationum versus laudatus.*) qui scilicet forum circumambulando, ipsum commensi sitis, ac aërem sanctificaueritis. Aër enim ex Psalmorum modularis vocibus sanctus redditur, vti hodie Deum Mosi dicentem audistis, *Locus in quo stas, terra sancta est.* (*Psalmodiæ vis.*) (*Exod 3. v. 5.*) Sanctificastis solum: fecistis nobis, ciuitatem Ecclesiam fecistis.

C Ac sicut torrens dum præterfluit, auctisque maiorem in modum aquis rapidior decurrit, cũctaque euertit: sic & torrens spiritalis, Dei illud flumen quod lætificat ciuitatem Dei, impletum aquis, impietatis cœnum expurgauit. (*Psal. 45. v. 5.*) Nemo impudicus: quinimmò, etsi quis impudicus est, alius efficitur. Audit vocem, exque officij ratione animo componitur. Intrat melodia, ac impietas commutatur. Diffugiunt auaritiæ ac iniquitatis vitia. Quin etsi non diffugiunt, haud secus tamen ac immites feræ sese hyeme lustris continent, sic mens petulans ac impudica mussitat, velutque defoditur. Ac sicut serpentes congelatis D frigore corporibus subter subeũt, ac humo abdũtur, sic & illiberales, seruilesque hi affectus ac ægritudines, ceu imo quodam gurgite conteguntur. Denique qui hæc circunferunt, ipsi verecundiâ suffunduntur. Nam circũferũt quidem, sed emortua. Hyemis enim vice, vestra illis melodia efficitur. Intrat vox in auari aures; quanquam non vitium animo eijcit, velut tamen emortuum reddit. Intrat in impudici, ac superbi aures; quanquam non omninò impudicitiam enecat ac superbiam, hæc tamen obscuro defodit. Nec verò id minoris existat, vitij frontem ac procacitatem hactenus retundi.

E Etiam heri dicebam, ingentem in nos fructum ex terræmotibus deriuari. Vidistis Domini clementiam concutientis ciuitatem, ac animum firmantis? emouentis eius fundamenta, ac sensibus cõstantiam præbentis? in caducum deducentis vrbem, ac animos robore augentis? Cogita eius benignitatem. Ad breue tempus concussit, ac in perpetuum firmauit. Biduò terræmotus incussus, verùm pietas animique religiosa affectio iugis in omne perseuerat tempus. Ad modicum contristati estis, at firmas in perpetuum radices misistis. Probè enim noui, diuino metu vestram radicibus pietatem altè iam fixam esse. Tametsi venit remissio, at fructus manet. Non sunt iam spinæ, quæ suffocent; non imber, qui aquarum illuuie obruat. Rectè vos timor excoluit. Is meo socius, adiutorque sermoni accessit. Me tacente, funda-

menta loquuntur. Sileo ego, ac terræmotus tubæ clangore clariorem emittit vocem, hæc dicens, *Misericors, & miserator Dominus; longanimis, & multum misericors.* Veni, non vt obruerem; sed vt neruos vobis ac vires adderem. Hæc terræmotus loquitur, ac voce sonat. Terrui vos, non vt molestiam afferrem, sed vt vos diligentiores præstarem.

Psal. 102. v. 8.

Fauete animis, ac quæ loquor diligenter attendite. Quòd vox defecerat, pœna clamorem extulit. Quòd defessa erat doctrina, adiuuit timor. Hæc ad modicum vobis locuturus veni, ac, quod meatum est partium, impleo. Cùm vos strinxero, tum sermoni tradam. Ne frustra sermo laboret, lapides, satasque spinas inueniens, aruum expurgo, quò sermo largâ mano sementem faciat. Quid damni attulit, quòd ad modicum fuistis contristari? Pro hominibus, Angeli facti estis. In cœlum, etsi non loco, at moribus translati estis. Quódque hæc minimè adulatione loquar, res abundè testantur. Quid enim ad pœnitentiæ rationem defuit? Inuidiam expulistis, illiberales affectus exterminastis; virtutem consecuti estis, noctes totas sacris producentes vigilijs multâ vi dilectionis, ac feruore animi.

Morum emendatio.

Nemo vsurarum meminit, nemo de auaritiâ loquitur: nec solùm à peccatis manus mundæ sunt, sed & lingua improbitatis ac conuitiorum labe libera existit. Nemo in proximum verbis iniurius; nemo satanica frequentat conuiuia. Forum sordibus expurgatum est. Appetit vespera, nec vsquam iuuenum chori. Verùm sunt quidem chori, at non lasciuiæ: sunt chori, sed rectè factorum; liceique in foro diuina audire cantica, nec non domi sedentium, alio Psalmos, alio Dei laudes alias detonante. Venit nox, omnesque ad Ecclesiam confluunt; portum scilicet tranquillissimum, atque ab omni fluctuum æstu tutum. Putabam ego fore, vt post vnum, aut alterum diem, vigiliarum instantiâ elanguerent vestra corpora: nunc autem quantùm illæ intenduntur, tantùm vester amor augetur. Quorum psallendi munus nobis labore torpuerunt, vosque vegeti estis: eos vires defecerunt, vosque neruosiores effecti estis.

Vbi nunc, rogo, diuites. Discant pauperum philosophiam. Dormiunt illi: pauperes verò pauimento strati non dormiunt, sed flectunt genua, Paulum & Silam imitantes; tametsi illi Psalmos concinentes concusserunt ciuitatem; vos autem concinendo, vrbem terræmotu quassatam firmastis. Rerum contrarij fines: vterque tamen euentus ad Dei exhibitus gloriam. Nam Paulus quidem carcerem concussit, vt infidelium mentem quateret, carceris custodem solueret, Dei verbum annuntiaret: vos nutantem vrbem, motuque agitatam constabilistis, vt Dei solueretis iram. Cùm hæc, tum illa sapienti consilio dispofita. Enimuerò gaudeo, non quòd ciuitas coërcito motu quietem adepta est, sed quòd vestris adepta precibus: quòd vestra psalmodia fundamentum effecta sit. Supernè irâ, éque terrâ vox vestra. Supernè ingruentem iram cohibuit vox è terris emissa. Aperti erant cœli, ac sententia delapsa. Exacutus gladius; vrbs solo strata; ira indeprecabilis. Nullo nobis opus fuit, præterquam pœnitentiâ, lacrymis, gemitibus: ac cuncta soluta sunt. Sententiam Deus dixerat, nosque iram dissoluimus. Haud à vero abhorreat, qui vos curatores, ac ciuitatis seruatores appellauerit. Vbinam magni Præsides ac Optimates? Vos reuerâ ciuitatis seruatores estis, turresque, & murus, & præsidium. Nam illi quidem suâ nequitiâ ciuitatem labefactarunt, vos autem, qui & turres & murus existatis, vestrâ virtute ciuitatem constabilistis. Si quis quærat, quamobrem vrbs concussa sit: quanquam ille non respondeat, planè perspicuum sit, ac dicatur, propter peccata, propter auaritiam, propter iniustitiam, propter impudicitiam, propter superbiam, propter luxuriam, propter mendacium rem contigisse. Hæc verò quorum? planè diuitum. Iterumque interroget aliquis, vnde vrbs constabilita? palam propter frequentatos psalmos, preces, vigilias. Hæc autem quorum? vtique pauperum. Quæ vrbem quatiunt, illorum sunt; vestra, quæ constabilierunt. Adeóque vos seruatores, ac benignissimi curatores fuistis. Verùm hîc sermonem finiamus, vigilijs instantes ac psalmodijs; gloriam Patri, & Filio, & Spiritui sancto submittentes, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Pauperum præ diuitibus ad Deũ præstantia. Act 16. v. 25

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hipponensis in superius Euang.

HOMIL. I.

AVdiuimus nos exhortatum Dominum nostrum cœlestem magistrum, & fidelissimum consiliarium, eundem hortatorem, vt petamus, & datorem, cùm petimus. Audiuimus enim in Euangelio hortantem nos eum petere instanter, & pulsare vsque ad similitudinem improbitatis. Proposuit enim nobis exempli gratiâ, Si quis vestrum haberet amicum, à quo nocte peteret tres panes, cùm illi amicus de viâ venisset, & quod ei apponeret non haberet. Si autem ille respondeat iam se requiescere, & seruos suos secum, nec debere illius precibus inquietari, pulsando ille instet, & perseueret, nec pudore territus abscedat, sed necessitate coactus immineat: surrecturum illum, & si non propter amicitiam, certè propter illius improbitatem, & daturum ei quantos voluerit. Quantos autem voluerit? Nihil plus ille voluit quàm tres. In hac ergo similitudine adiunxit hortationem Dominus, & omninò stimulauit nos quærere, petere, pulsare donec accipiamus quod petimus, quod quærimus, quod pulsamus, vsus exemplo à contrario: sicut de illo iudice qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen cùm eum quædam vidua interpellaret quotidie, tædio victus dedit quod non beneficio potuit inuitus. Dominus autem noster Iesus Christus inter nos petitor, cum Patre dator, non vtique nos tantùm hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseriâ liberari: & vtique si non liberati fuerimus, nos miseri remanebimus. Nam ille quòd nos hortatur, propter nos hortatur.

Ser. 29. de ver. Domini. Cap. 1.

Luc. 11 v. 5.

Hortatur Dominus, & inducit sub exemplo vt petamus.

Exemplum à contrario. Luc. 18. v. 2.

Dare vult, qui sic petere hortatur.

Euigilemus & hortanti credamus, promittenti obsequamur, vt ad dantem gaudeamus. Fortassis enim & nobis aliquando venit amicus de viâ, & non inuenimus quod ei apponeremus, & necessitatem passi sumus, & accepimus & nobis & illi. Fieri enim non potest, nisi vt aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem quod respondere non possit: & tunc se inuenit non habe-

Cap. 2.

Amicus de viâ veniẽs, de sæculi, huius vitâ.

se, quando coactus est date. Venir amicus tibi A de viâ, id est, de vitâ huius sæculi, in quâ omnes velut peregrini transeunt, nec vllus quasi possessor maner, sed omni homini dicitur, *Refectus es, transi, age iter, da venturo locum.* Aut fortè de viâ malâ, hoc est, de vitâ malâ fatigatus oescio quis amicus tuus, non inueniens veritatem, quâ auditâ & perceptâ beatus fiat: sed lassatus in omni copiditate & egestate sæculi, venit ad te tanquam ad Christianum, & dicit: Redde mihi ratiooem, Fac me Christiaoum. Et interrogat fortè quod tu per simplicitatem fidei nesciebas: & non est vnde reficias esurientem, & te admonitus iouenis indigentem: & cùm vis docere aliquem, cogeris discere. Et dum erubescis eum qui te interrogauit, quod quærebat nõ io te inueniens, coropelleris quærere vt merearis inuenire. Et vbi quæras? Vbi, nisi in Dominicis libris? Fortassis quod ille interrogauit, in libro positum est, sed obscurum est. Fortè dixit hoc Apostolus in Epistolâ suâ. Sic dixit, vt legere possis, intelligere noo possis: transire non permitteris. Vrget enim interrogator: ipsum Paulum aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non sineris. Iam enim requiescit familia ista cum Domioo suo, & sæculi huius ignorantia valida est: hoc est, nox media, & vrget amicus esuriens. Tibi fortè sufficiebat simplex fides, illi ooo sufficit. Nunquid desereodus est? Nunquid de domo projiciendus est?

Eccl. 29. v. 33.

De viâ malâ, puta infidelis.

Consolendi sacri libri in difficultatibus.

Cap. 3. Illis obscuris, precibus solicitãdus Deus.

Ergo ad ipsum Dominum, ad ipsum cum qoo C familia requiescit, pulsa orando, pete, insta. Nnn quomodò amicus ille in similitudine positus tædio victus, surget & dabit. Dare vult, tu pulsans oondum accepisti: pulsa, date vult. Et quod dare vult, differt, vt ampliùs desideres dilatum, oe vilescat citò datum. Cùm aotem peruenetis ad tres panes, hoc est, ad cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & vnde viuas, & vnde pascas. Ne peregrinum venientem de viâ reformides, sed excipiendo ciuem domesticum facias: nec timeas, ne finias. Noo panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. Panis est, & panis est, & D panis est: Deus Pates, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Æternus Pater, coæternus Filius, coæternus Spiritus sanctus. Incommutabilis Pater, iocommutabilis Filius, incommutabilis Spiritus sanctus. Creator & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Pastor, & vitæ dator, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Cibus & paois æternus, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Disce & doce, viue & pasce. Deus qui tibi dat, nihil melius quàm se tibi dat. Auare, quid aliud quærebas? Aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus noo sufficit?

Tres panes, cognitio Trinitatis.

Nihil Deus se melius dare potest.

Cap. 4. Fides, spes, charitas, Dei sunt dona.

Sed opus est vt habeas charitatem, habeas fidem, habeas spem: vt possit tibi dulce esse quod datur. Et hæc ipsa tria sunt, fides, spes, charitas. E Et hæc ipsa dona Dei sunt. Nam fidem ab ipso accepimus: *Sicut Deus*, inquit, *vnicuique partitus est mensuram fidei.* Et spem ab ipso accepimus, cui dicitur, *In quo spem dedisti mihi.* Et charitatem ab ipso accepimus, de quâ dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sed hæc tria itidem aliquantulum diuersa, sed omnia Dei dona. *Manent enim tria hæc, fides, spes, charitas: Maior autem horum est charitas.* In illis panibus non est dictus aliquis panis maior alijs: sed simpliciter petiti, & dati tres panes. Ecce alia tria.

Rom. 12. v. 3.
Psal. 118. v. 49.
Rom. 5. v. 5.
1. Cor. 13. v. 13.

A *Quis est vestrum, à quo petit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut quis est vestrum à quo petit piscem, nunquid serpentem porriget ei? Aut à quo petit ouum, nunquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester de cœlo * dabit bona petentibus se?* Tria ergo tursus ista coosideremus, ne fortè ibi sint illa tria, fides, spes, charitas: Maior autem horum est charitas. Pone ergo tria panem, piscem, ouum: Maior horum paois. Ideo Panem benè intelligimus in his tribus charitatem. Proptetea pani lapidem opposuit, quia duritia contraria est charitati. Piscem, fidem intelligamus. Dixit quidam Sanctus, & nos dicere delectar, Piscis bonus, B pia est fides. Viuit inter fluctus, oec frangitur, aut soluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempestatésque huius sæculi, pia fides. Sæuit mundus, & integra est. Tantùm contrarium fidei serpentem illum obserua. In fide enim desponsata est illa, cui dicitur in Canticis canticorum, *Veni de Libano, sponsa mea, veniens & pertransiens ab initio fidei.* Ideo & desponsata, quia & desponsationis initium fides est. (Promittitur enim ab sponso aliquid, & promissâ fide detinetur. Opposuit autem Dominus serpentem pisci, diabolum fidei.) Propterea desponsatæ huic dicit Apostolus, *Desponsaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et, *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutiâ suâ, sic & vestri* C *sensus corrumpantur à castitate, quæ est in Christo:* id est, quæ in fide Christi. *Habitare* enim inquit, *Christum per fidem in cordibus vestris.* Diabolus ergo noo corrumpat fidem, oe deuoret piscem.

v. 11.

* *Al. qui in cœlis est.*

Panis charitas.

Piscis, fides.

Cant. 4. v. 8.

Fides, desponsationis initium.

2. Cor. 11. v. 2.

Eph. 3. v. 17.

Restat spes, quæ, quantum mihi videtur, ouo comparatur. Spes enim nondum peruenit ad sem: Et ouum est aliquid, sed oondum est pullus. Quadrupedes ergo pariunt filios, aues autem spem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, vt præsentia contemnamus, futura expectemus: ea quæ retro sunt obliuiscentes, cum Apostolo in anteriora exteodamur. Sic enim di- D cit, *Vnum autem quæ retrò oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Nihil ergo tam inimicum spei, quàm retrò respicere: id est io eis rebus, quæ præterlabuntur & transeunt spem ponere: sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ quandoque nunquam transibunt. Quando autem scatet tentationibus mundus, velut pluuiâ Sodomæ sulphureâ, metuendum est exemplum vxoris Loth. Retrò eoim respexit, & vbi respexit, ibi remaosit. In salem conuersa est, vt prodentes condiret exemplo. Apostolus Paulus de hac spe ita loquitur, *Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ vi-* E *detur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Quod enim videt quis quid sperat?* Ouum est. Est ouum, & nondum pullus est, & testudine tectum est: noo videtur quia operitur: cum patientiâ expectetur, feruescat vt viuescat. Intende, extendere in anteriora, obliuiscere præterita. *Quæ enim videntur, temporalia sunt. Non respicientes*, inquit, *quæ videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* In illa ergo quæ oon videntur, extende spem, expecta, sustioe: noli retrò respicere. Ouo tuo scorpium time.

Cap. 5. Ouum, spes.

Aues, spem pariunt filiorum; quadrupedes, filios.

Phil. 3. v. 13.

Spei maximè aduersũ, retrò respicere.

Gen. 19. v. 26.

Rom. 8. v. 24.

2. Cor. 4. v. 18.

Vide quia de caudâ percutit, quam retrò habet. Non ergo scorpius perimat ouum tuum, mundus iste spem tuam, vt ita dicam, veneno, ouo contrario: quo contrario? Quanta tibi loquitur mundus? quanta post dorsum strepit, vt retrò respicias? id est, vt in rebus præsentibus nec præsentibus (non enim dicenda sunt præsentia, nunquam stantia) spem tuam ponas: & ab eo quod promisit Christus & nondum dedit, sed quia fidelis est dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte.

Mundus scorpius.

Non sunt præsentia, quæ nunquam stantia.

Cap. 6.

Mundus amarus, vt quæratur alia felicitas.

Ideo enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus auertere ab eo quod intendis in anteriora, & retrò conuertere. De ipsis amaritudinibus, de ipsis tribulationibus murmuras, & dicis, Ecce pereunt omnia Christianis temporibus. Quid strepis? Non hoc promisit Deus, quòd ista non peribunt: non hoc mihi promisit Christus. Æterna promisit æternus: si credidero, ex mortali fiam æternus. Quid strepis? O munde immunde, quid strepis? Quid auertere conaris? Tenere vis periens: quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Ego si habeo spem, si teneo spem, ouum meum non est à scorpione percussum. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Felix sit mundus, euertatur mundus: Benedicam Dominum qui fecit mundum. Benedicam prorsus. Secundum carnem benè sit, secundum carnem malè sit. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Nam si benedico, quando benè est, & blasphemo, quando malè est: suscepi scorpionis aculeum, compunctus respexi retrò, quo absit à nobis. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Manet ciuitas, quæ nos carnaliter genuit. Deo gratias. Vtinam & spiritaliter generetur, & nobiscum transeat ad æternitatem. Si manet ciuitas quæ nos carnaliter genuit, manet quæ nos spiritaliter genuit.

B

Gentilium murmur, cuius occasione scripti libri de ciuit. Dei.

Psal. 33. v. 1.

In omnibus benedicendus Dominus.

C

Iob. 1. v. 21.

Cap. 7.

Psal. 146. v. 2.

Psal. 126. v. 1.

Psal. 120. v. 4.

Ædificans Hierusalem Dominus. Nunquid dormitando ædificium suum perdidit, aut non custodiendo hostes admisit? *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et quam ciuitatem? *Non dormit, nec dormitabit, qui custodit Israël.* Quid est Israël, nisi semen Abrahæ? Quid est semen Abrahæ, nisi Christus? *Et semini tuo*, inquit, *quod est Christus.* Et nobis quid? *Vos autem Christi. Ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem heredes. In semine tuo*, inquit, *benedicentur omnes Gentes.* Ciuitas sancta, ciuitas fidelis, ciuitas in terrâ peregrina, in cœlo fundata est. O fidelis, noli corrumpere spem, noli amittere charitatem: accinge lumbos tuos; accende, prætende lucernas tuas, expecta Dominum, quando veniat à nuptijs. Quid expauescis, quia pereunt regna terrena? Ideo tibi cœleste promissum est, ne cum terrenis perires. Nam ista peritura prædicta sunt, prædicta omninò. Non enim negare possumus, quod prædictum est. Dominus tuus quem expectas, dixit tibi, *Exurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.* Habent immutationes terrena regna. Veniet ille de quo dictum est, *Et regni eius non erit finis.* Qui hoc regnis terrenis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt. Poëta illorum quidam induxit Iouem loquentem, & ait de Romanis,

D

Gal. 3. v. 16. & 29.

Gen. 12. v. 18

Luc. 12. v. 35.

E

Regna mūdi transeūt, cœleste solum manet.

Matth. 24. v. 7.

Luc. 1 v. 33.

A

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Virgil. l. 6. Æneid.

Non planè ita respondet veritas. Regnum hoc, quod sine fine dedisti, ô qui nihil dedisti, in terrâ est, an in cœlo? Vtique in terrâ. Et si esset in cœlo, *Cælum, & terra transient.* Transiēt quæ fecit ipse Deus, quātò citiùs quod cōdidit Romulus? Fortè si vellemus hinc exagitare Virgilium & insultare, quare hoc dixerit: in parte tolleret nos, & diceret nobis, Et ego scio. Sed quid facerem qui Romanis verba vendebam, nisi hac adulatione aliquid promitterem quod falsum erat? Et tamen & in hoc cautus fui, quando dixi, *Imperium sine fine dedi.* Iouem ipsorum induxi, qui hoc diceret. Non ex personâ meâ dixi rem falsam, sed Ioui imposui falsitatis personā. Sicut Deus falsus erat, ita mendax vates erat. Nam vultis nosse quia ista noueram? Alio loco, quando non Iouem lapidem induxi loquentem, sed ex personâ meâ locutus sum, dixi, *Non res Romana, perituráque regna.* Videte quia dixi peritura regna. Dixi peritura regna, non tacui peritura. Peritura veritate non tacui, semper mansura adulatione promisi.

Falsa & adulatoriè promissum Rom. Imperiū perpetuum.

Luc. 21. v. 33.

Georg. 2.

Cap. 8.

Non ergo deficiamus, fratres: finis erit terrenis omnibus regnis. Nunc si finis est, Deus videt. Fortè enim nondum est, & infirmitate quadam, vel misericordiâ, vel miseriâ hoc optamus, vt nondum sit: nunquid tamen ideo non erit? Figite spem in Deum, æterna concupiscite, æterna expectate. Christiani estis, fratres, Christiani sumus. Non ad delicias Christus in carnem descendit: toleremus potiùs præsentia quàm diligamus: aduersorum manifesta est pernicies, prosperorum falsa blandities. Time mare, & quando tranquillum est. Omninò non frustra audiamus, *Sursum cor.* Quid ponimus cor in terrâ, cùm videamus quia euertitur terra? Nos non possumus nisi exhortari vos, vt habeatis quod dicatis, & quod pro spe vestrâ respondeatis insultatoribus, & blasphematoribus nominis Christiani. Nemo vos murmurando auertat ab expectatione futurorum. Omnes, qui propter istas aduersitates blasphemant Christum nostrum cauda scorpionis sunt. Nos ouum nostrum sub alis illius gallinæ ponamus, Euangelicæ gallinæ, quæ clamat, Hierusalem, illi falsæ, & perditæ, *Quoties volui colligere filios tuos tāquam gallina pullos suos, & noluisti?* Non nobis dicatur, *Quoties volui, & noluisti.* Illa enim gallina diuina sapientia est, sed assumpsit carnem vt pullis congrueret. Videte gallinam hispidam plumis, demissis alis, voce fractâ, & quassâ, & lassâ, & languidâ congruere pullis suis. Ouum ergo nostrum, id est, spem nostram, sub alis illius gallinæ ponamus.

Sursum cor.

Matth. 23. v. 37.

Gallina Euangelica diuina sapientia.

Cap. 9.

Animaduertistis fortè, quomodò gallina concidat scorpionem. Vtinam ergo & istos blasphemantes, in terrâ reptantes, de cauernis prodeuntes, & malè pungentes, illa gallina concidat & deuoret, in corpus suum traijciat, & in ouum vertat. Non irascantur: commoti videmur; sed maledicta maledictis non reddimus. *Maledicimur, & benedicimus, blasphemati deprecamur.* Sed non dicat de Româ, dictum est de meo. Sed taceat de Româ: quasi ego insultator sim, & non potiùs Domini deprecator, & vester qualiscunque exhortator. Absit à me vt insultem. Auertat Deus à corde meo, & à dolore conscientiæ meæ. Ibi multos fratres non habuimus? Non adhuc habemus?

Gallina scorpionem concidit & deuorat.

1. Cor. 4. v. 12.

Alludit ad direptionẽ Romæ, quæ Honorio Imperatore accidit.

mus? Potrio peregrinantis Hieruſalem ciuitatis, A non ibi magna degit? non ibi temporalia pertulit? ſed æterna non perdidit. Quid ergo dico, cùm de illâ non taceo: niſi quia falſum eſt, quod dicunt de Chriſto noſtro, quòd ipſe Romam perdiderit, quòd dij lapidei Romam tuebantur & lignei? Adde pretium, ærei: adde plus, argentei & aurei *Idola gentium argentum & aurum*. Non dixit lapides, non dixit lignum, oon dixit teſta, ſed quod pro magno habent, *aurum & argentum*. Tamen ipſum aurum & argentum oculos babent, & non vident. Deus aureus, & deus ligneus ad pretium diſpares ſunt, & habere oculos, & non videre pates ſunt, fratres ſunt. Ecce qualibus docti homines Romã cuſtodibus commiſerunt: habentibus oculos, & non videntibus. B Aut ſi Romam ſeruare potuerunt, quare ipſi antè perierunt? Inquiunt, Tunc perijt Roma. Tamen perierunt? Non, inquiunt, ipſi perierunt, ſed ſimulacra eorum. Quomodò ergo cuſtodirent tecta veſtra, qui non potuerunt cuſtodire ſimulacra ſua? Alexandria olim tales deos perdidit Conſtantinopolis ex quo condita eſt in magnam ciuitatem, quoniam à Chriſtiano Imperatore condita eſt, olim deos ipſos falſos perdidit, & tamen & creuit, & creſcit, & manet. Quandiu vult Deus manet. Non enim & illi ciuitati, quia hoc dicimus, æternitatem promittimus Carthago in nomine Chriſti manet, & olim euerſa eſt à ſceleſtis, quia non fuit cœleſtis, ſed terreſtris.

Pſal. 113. v. 4.

Romanorũ dij.

Cap. 10.

De ciuitate Dei lib. 5. c. 23.

Gothi idololatræ Romam non expugnarunt, non idololatræ expugnarunt.

Et illud quod dicunt non eſt verum, quia dijs C perditis Roma capta eſt, afflicta eſt. Prorſus non eſt verum, antè ſimulachra ipſa euerſa ſunt, & ſic victi ſunt Gothi cum Rhadagaiſo. Mementote, fratres, mementote: non eſt longum, pauci anni ſunt, recordamini. Euerſis in vrbe Romã omnibus ſimulachris, Rhadagaiſus rex Gothorum cum ingenti exercitu, multò numeroſiore quàm Halarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagaiſus, Ioui ſacrificabat quotidie. Nuntiabatur vbique, quòd à ſacrificijs non deſiſteret Rhadagaiſus Tunc omnes iſti, Ecce nos nõ ſacrificamus, ille ſacrificat, vinci habemus à ſacrificãte, quibus non licet ſacrificare. Deus oſtendens D quia non iſtis ſacrificijs eſt ipſa temporalis ſalus, ipſa regna terrena, victus eſt Rhadagaiſus adiuuante Domino miro modo. Poſtea venerunt Gothi non ſacrificantes, & ſi fide Chriſtianâ non catholici, tamen idolis inimici venerunt, idolis aduerſantes, & ipſi ceperunt. Vicerunt de idolis præſumentes, & perdita idola adhuc quærentes, & perditis adhuc ſacrificare cupientes. Sed ibi erant & noſtri. & afflicti ſunt: ſed nouerant dicere, *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Pſal 33. v. 1.

Afflicti ſunt in regno terreno, ſed regnum cœlorum non perdiderunt: imò ad illud capeſſendum exercitatione tribulationũ meliores effecti ſunt. Et ſi in tribulationibus non blaſphemauerunt, E tanquam integra vaſa de fornace exierunt, & Dominicâ benedictione repleti ſunt. Iſti autem blaſphematores terrena ſectantes, terrena deſiderantes, in terrenis ſpem ponentes, cùm iſta velint nolint perdiderint, quid tenebunt? vbi remanebunt? Foris nihil, intus nihil, inanis arca, inanior conſcientia. Vbi requies? Vbi ſalus? Vbi ſpes? Veniant ergo, deſinant blaſphemare, diſcant adorare, ſcorpij pungentes à gallinâ comedantur, in corpus traijcientis conuertantur, in terrâ exerceantur, in cœlo coronentur.

EIVSDEM IN IDEM

HOMIL. II.

Serm. 171. de temp.

Dubitant Louan. nec venã habet Auguſtini.

SVauis Dominus & mitis, fratres chariſſimi, habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulſantes, ſed culpat potiùs negligentes. Neque enim aliquid petitur quod non habeat, vt cùm non dederit erubeſcat. Diues eſt & pius, affluens & benignus, dat & non improperat: imò tunc theſauri domus eius triſtitiam patiuntur, quando deſunt delectabilia faſtidia petitionum. Ipſe Dominus dicit, *Vſque modò nihil petiſtis. Petite, & accipietis: pulſate, & aperietur vobis.* Ego ſum oſtium & ianua. Quare trepidat pulſando manus veſtra, & dormitat in mendicitate conſcientia veſtra? Ego ſum ianua vitæ, non horreſco ſordidum pulſatorem, non pauperem repudio petitorem, tantùm nemo ſuam negligat paupertatem. *Pulſate, & aperietur.* Stant Angeli ad ianuam, vt introducant, non vt repellant: vt ſuggerant, non vt terreant. Nulla eſt pompa in ianuâ meâ. Ego ſum ianua, qui ſuſtinui crucis ignominiam Quare timeant petentes egentiam, cùm nulli aliquando denegauit miſericordiam? *Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt?* Si pulſant qui deſiderant caſtitatem, dat eis continuò gratiam & ſanctitatem, & dicit eis, Nolite ambulare polluti, nolite incedere maculoſi. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Si accedat pupillus paruâ manu pulſare ianuam paternam, nuntiant eum Angeli Domino, Pupillus pulſat, defenſionis pietatem expectat, reſponde illi Domine, *Tibi enim derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor.* Reſpondet illi qui diues eſt, miſericordiâ plenus, qui miſeris pater eſt. Ego ſum iudex viduarum, & pater orphanorum. Nemo lædat quos ego ſuſcipio, nemo expoliet quos ego defendo. Et qui acceſſerint ad ipſam ianuam, quamuis diuidant vocem diſparis precis, tamen ab vnius diuitis patrisfamilias domo omnes accipiunt pietatem. Hoc amat ianua Saluatoris, vt pulſatoribus ſemper abundet opportunis, importunis. Propterea ipſe Dominus videns ianuam ſuam à petitorum voce, à pulſantium clamore ſilere, inuitat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Petite, & ſi non accepetitis. adhuc petite, & perſeuerate pulſare. Nolite deficere, quia *non necat Deus fame animam iuſti.* Qui tamen voluerit eſſe dulciter humilis & benignus, ſecurus tanquam in tutiſſimo portu conſiſtit.

Iacobi 1. v. 5.

Ipſe Deus ad petendũ prouocat.

Ioan. 16. v. 24.

Luc. 11. v. 9.

Orantem non repellit Chriſtus.

Eccl. 2. v. 11.

Leuit. 19. v. 2.

Pſal. 9 v. 14

Pſal. 67. v. 6.

Pro. 10. v. 3.

Opponit ergo parabolam cuiuſdam hominis, cuius hoſpes improuiſus aduenit, & hoſpes hoſpitem excepit: paſſus eſt verecundiam, abijt continuò ad domum diuitis magnam: non ſine ſacramento tres petit panes, quia vnus hoſpes erat gratiâ pietatis, ſed ſubſtantiâ Trinitatis. Nónne vnus hoſpes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? Hoſpes & amicus, pranſor & manſor: & omnia illi in Trinitate ſunt exhibita humanitatis obſequia, quia Trinitatis gloriâ refulget. Trinum attulit vitulum pater, tres menſuras ſimilaginis conſperſit futura mater, paritura filium, pro quo pater mactaret agnum, & ipſa corpus Chriſti in Trinitate iam fecerat ſacramentum. Ita & iſte amicus, veniente hoſpite, pergit ad domum diuitis, & trium panum allegat neceſſitatem: pulſat, & nullus reſpondet de ianitoribus,

Luc. 11. v. 5.

Gen. 18. v. 2.

Deus, non creaturæ, orandus.

quia omnes tenuerat somnus. Non Angeli, non Archangeli, non Prophetæ, non ministri. Et ille pulsat, quamuis nemo respondeat. Quandoque paterfamilias ad importunitatem pulsantis respondit, ille de interioribus sacris, de throno quietis: Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti, nox superuenit, & pulsare cœpisti. Excusat tempus, quod improbus quærit affectus. Iam pueri quiescunt, & non est dignum, vt propter te iniuriam patiantur. Antequam venires diutiùs vigilauerunt, modò pro tempore quieuerunt, non est qui possit tibi dare responsum. Et ille, Domine à te peto, ad te pulso: imò te pulso: tu es ianua, tu surge, da mihi misericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viscera mea. Ministerio non indiges, quia omnia potes. Sed si pueri tui dormiunt, tu non dormis qui custodis Israël. Gratis peto, sub gratiâ mendico, non sub lege præsumo. Sed si *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, sed tua gratia nō habet finem. Quòd euenerunt pueri tui, Prophetæ tui, & ego noui. Sed tu Domine, qui es initium & finis, primus & nouissimus, noli ad me tædiare nouissimâ horâ noctis petentem, qui nocte mediâ captiuam duxisti captiuitatem.

Psal. 120. v. 4.
Matth. 11. v. 13.
Apoc. 1. v. 17.

Quid faciet paterfamiliâs tanti perseueratoris voce constrictus? Non excitat Prophetam, non immittit Angelum, non Archangelum: ipse surget, & dabit illi quantum desiderat. Benè pertinax ille petitor & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedauit, diues factus refecit, nec hospes ad hospite irrefectus discessit. Quis est iste hospes, rogo vos fratres, qui in nocte venit, & imparatum hospitem inuenit: imò ideo nocte venit hospes in perpetuâ & deficiente paupertate? In nocte venit hospes, gratia in summâ ignorantiâ, in magnâ egeuriâ immittit tristitiam, quando dicit nocturnus petitor, *In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine*. Et iterum, *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus*, quoniam proximus est. Ideo hospes superuenit improuisus subitò, cùm quispiam tædio afficitur pressurarum. Superuenit illi orandi desiderium, flendi arripiens votum. Illâ horâ hospes venit gratia, vt compungat conscientiam, ne in suâ moriatur egentiâ: sed eat & petat ad diuitem, non suis meritis, sed meritis hospitis venturis; & accipiat tres panes, vt in Patre, & in Filio, & sancto Spiritu possit & ipse pascere cæteros indigentes.

Hospes in nocte veniens, gratia excitâ 1.
Psal. 117. v. 5
Psal. 33. v. 20.
Tres panes, sancta Trinitas.

Quicquid boni cogitauerit homo subitò corde percussus, sciat quia hospes ille venit de cœlo, & benè venit qui nocte venit. In tribulatione subuenit, non ingerens tædium, sed affectum. Et quia Dominus Christus ad discipulos suos clausis ostijs in tribulatione venit, non speratus sed optatus: salutauit in pace, & hospes hospites suos refecit in pace. Nonne est iste hospes qui dicit, *Ecce sto, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo* ego. & Pater meus? Quàm bona domus, vbi Pater & Filius ingreditur hospes amicus, qui & Spiritus sanctus. Ipse ibi exhibet in domo pauperis, in hospitio puritatis diuersa pulmentaria, propter cœnam Dominicam. Quæ sunt ista pulmentaria? *Gaudium, longanimitas, continentia, fides, castitas.* Tantummodò non pigeat hospitem suscipere Dominum, ipse secum portat dulcedines delicatum, vt pascat ibi lætantes exercitus Angelorum. Cum illo hospite

Ioan. 20. v. 19.
Hospes Deus Trinitas.
Apoc. 3. v. 20
Gal. 5. v. 22.

A pax est & iucunditas, qui venit ad hospitem suum non torquere, sed pascere, non expoliare, sed vestire, non percutere, sed sanare. Ipsum hospitem semper apertis cordis nostri ianuis suscipiamus, & nunquam nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus Christo donante eius mandata seruemus.

EIVSDEM EX EPISTOLA AD *Probam, de orando Deo.*

Epist. 121.

VT quid ergo per multa dispergimur, & quærimus quid oremus, timentes ne fortè sicut non oportet, oremus, ac non potiùs cum Psalmo dicimus, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vi-* B *tæ meæ: vt contempler delectationem Dei, & visitem templum sanctum eius?* Ibi namque omnes dies non veniēdo & transeundo fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius: omnes sine fine simul sunt, vbi nec ipsa vita habet finem, cuius illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera Vita beata nos orare docuit, non in multiloquio, tanquam eo fiat vt exaudiamur, quo loquaciores sumus, cùm eum oremus qui nouit, sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit priùs quàm petamus ab eo. Vnde mirum videri potest, quamuis multiloquiū prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui nouit quid nobis necessariū sit, priusquam petamus ab eo, vt diceret, C *Oportet semper orare, & non deficere:* viduæ cuiusdam proposito exemplo, quæ de suo aduersario cupiens vindicari, iudicem iniquum sæpe interpellando flexit ad audiēdum, non iustitiâ nec misericordiâ permotum, sed tædio superatū: vt hinc admoneremur, quantò certiùs nos exaudiat misericors & iustus Dominus Deus sine intermissione orantes, quādo illa nec ab iniquo & impio iudice potuit assiduâ interpellatione contemni: & quàm libens atque placatus bona desideria impleat eorum, à quibus aliena peccata nouit ignosci, si quò cupiebat illa peruenit, quæ voluit vindicari. Ille quoque cui amicus de viâ venerat, nec quod ei apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari, quibus fortasse ipsa Trinitas D vnius substantiæ figurata est, iam cum suis seruis dormientem petitor instantissimus & molestissimus excitauit, vt daret ei quantos volebat, magis & ipse vitando tædium, quàm beneuolētiam cogitādo: vt hinc intelligeremus, si dare cogitur, qui cùm dormiat, à petente excitatur inuitus, quantò det benigniùs qui nec dormire nouit, & dormiētes nos excitat, vt petamus. Hinc est & illud, *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & quærēs inuenit, & pulsanti aperitur. Aut quis est ex vobis homo, à quo filius suus panem petit, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petit, nunquid* E *serpentem porriget illi? aut si ouum petit, nunquid porriget ei scorpiū? Sic ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se?* Cùm ergo secundum tria illa quæ commendat Apostolus fides significetur in pisce, vel propter aquam baptismi, vel quòd in huius vitæ fluctibus integra est: cui contrarius est ille serpens, qui vt non crederetur Deo venenosâ fraude persuasit: Spes in ouo, quia vita pulli nondum est, sed futura est; nec iam videtur, sed adhuc speratur: *Spes enim quæ videtur, non est spes:* cui contrarius est

Cap. 8.
Psal. 26. v. 4
Dies æternitatis omnes simul.
Matth. 6. v. 8.
Luc. 18. v. 1
Luc. 11. v. 5.
v. 9.
Piscis, ouū, panis, mysticè.
Rom. 8. v. 24

ſcorpius, quoniam qui ſperat æternam vitam, quæ retrò ſunt obliuiſcitur, & interiora ſe extendit: cui noxium eſt retrò reſpicere; ſcorpius autem ex eâ parte cauendus eſt, quâ venenatam & aculeatam caudam retrorſum habet: Charitas, in pane, *Maior enim horum, charitas*; & in cibis vtique vincit cætera panis vtilitas: cui contrarius eſt lapis, quoniam dura corda reſpuunt charitatem: ſiue aliud aliquid congruentius iſta ſignificent, tamen qui nouit bona data dare filijs ſuis, petere nos & quærere & pulſare compellit.

1. Cor. 13. v. 13.

Iubet Dominus orare, vt exerceatur deſiderium noſtrum, non vt ei volũtas noſcatur.

Quod quare faciat qui nouit quid nobis neceſſarium ſit, priùs quàm petamus ab eo, mouere animum poteſt, niſi intelligamus quòd Dominus & Deus noſter non volũtatem noſtram ſibi velit innoteſcere, quam non poteſt ignorare, ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quò poſſimus capere quod præparat dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad capiendum parui & anguſti ſumus. Ideo nobis dicitur, *Dilatamini, ne ſitis iugum ducentes cum infidelibus*. Tantò quippe illud quod valde magnum eſt (*quod nec oculus vidit*, quia non eſt color, *nec auris audiuit*, quia non eſt ſonus; *nec in cor hominis aſcendit*, quia cor hominis illuc debet aſcendere) ſumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & ſperamus firmiùs, & deſideramus ardentiùs.

2. Cor. 6. v. 14. — 1. Cor. 2. v. 9.

Cap 9.

Stata precũ tempora.

In ipsâ ergo fide & ſpe & charitate continuato deſiderio ſemper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantúmque in hoc deſiderio profecerimus nobiſipſis innoteſcamus, & ad hoc agendũ nos ipſos acriùs excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apoſtolus, *Sine intermiſſione orate*, quid eſt aliud quàm beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderate. Sẽper ergo hãc à Domino Deo deſideremus, & oramus ſemper. Sed ideo ab alijs curis atque negotijs, quibus ipſum deſiderium quodammodò tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id quod deſideramus intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omninò frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflãmetur. Vnde & illud quod idem Apoſtolus ait, *Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deum*; non ſic accipiendum eſt, tanquã Deo innoteſcãt, qui eas & antequã eſſent vtique nouerat, ſed nobis innoteſcãt apud Deum per tolerantiam, non apud homines per iactantiam. Aut fortè etiam innoteſcant Angelis qui ſunt apud Deum, vt quodammodò eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod eo iubente implendum eſſe cognouerint, ſicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini, *Et nunc quando orabas tu & Sara, ego obtuli orationem veſtram in conſpectu charitatis Dei.*

1. Cor. 5. v. 16 — Oratio ſine intermiſſione. — Phil. 4. v. 6. — Tob. 12. v. 12.

Cap 10.

Orare in multiloquio, cùm ſine affectu verba ſuperfluè.

Quæ cùm ita ſint, etiam cùm diu orare vacat, id eſt, cùm alia bonarum & neceſſariarum actionum non impediuntur officia (quamuis & in eis, vt dixi, deſiderio illo ſemper orandum ſit) non eſt improbum nec inutile. Neque enim, vt nonnulli putant, hoc eſt orare in multiloquio, ſi diutius oretur. Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quòd pernoctauerit orando; & , quòd prolixiùs orauerit: vbi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodò iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimũ neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt, hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt; ita ſi perdurauerit, non citò eſſe rumpendam. Abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio. Nam multum loqui, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari, eſt ad eum quem precamur diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm afflatu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit.

multiplicantur. — Monachorum Ægyptiorum breues & crebræ orationes. — Longa precatio.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI

Alexandr. Euang. eiuſdem expoſitio.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex Cat. Em. Card. Maz. patimque ex Reg. & Cord. — Luc. 11. v. 5.

QVis veſtrûm habebit amicum, &c. Admirandus ſenſuum ordo, ac ſeries. Docuerat Saluator quonam modo eſſet orãdum, ita petentibus ſanctis Apoſtolis. Quia tamen fieri poterat, vt qui venerabile iſtud, ac ſalutare documentum ab eo acceperant, preces quidem funderẽt, pro eo ac forma illis tradita erat; verùm id negligenter, ac remiſsè præſtarent: cumque non exaudiri ex primâ, ſiue etiam ſecundâ precatione, ab oratione deſiſterent, tanquam nihil inde commodi reportarent: ne igitur nobis hoc accidat, neue ex tali puſillanimitate damnum nos referre contingat, pulchrè in hanc rem compoſitâ parabolâ palam oſtendit, damnoſam in oratione puſillis animi negligentiam; ſummè verò vtilem in eâ patientiam. Agedum igitur, quod in parabolæ formâ propoſitum eſt, in veritatem transferamus. Aſſiduus eſto precationi. Accede ad benigniſſimum Deum, & quidem crebriùs: ac quanquam donum differri videris, ne te tamen tuis expectationibus fruſtratum putaueris; nec propoſitam ſpem deponas, inſulsè forſitan aliquid iſtiuſmodi animo pertractans. En ſæpenumerò iam acceſſi, lacrymatus ſum, obteſtatus ſum, nec ſum exauditus; nam nihil eorum quæ petij hactenus conſecutus ſum. Sed illud potiùs tecum cogita, rerum omnium arbitrum, quæ noſtra ſunt, nobis noſſe accuratiùs. Petis nõnunquam quæ modum tuum excedunt. Nouit ipſe muneris auctor, largitioni tempus opportunum. Nobis igitur orationi impigrè incumbendum, in eâque conſtanter perſeuerãdum, tametſi petita differri contigerit. Quod enim citra ſudorem obtingit, vel ex parato ſubminiſtratur, id, vt non contemnatur, certè minoris plerunque fit.

Orationis inſtantia, ac in eâ cõſtantia.

Petite, & dabitur vobis. Quod hîc ait, *Et ego dico vobis*, vim habet iuramenti: non autem mentitur Deus, etſi abſque iuramento promiſerit; vt tamen prætextum omnem modicæ hominum fidei auferat, quandoque auditorem iureiurando confirmat. Porrò cùm ait, *quærite*, laborãdum præcipit. nam fere ſemper labore inuenitur, quod quæ-

V. 9. — Iuramenti vis in Deo. — Quærere, ac pulſare.

rimus. Qui pulsat, manu fores tundit: quò paterfamilias pulsantis, atque tundentis importunitate victus, vel inuitus aperiat. Aduerte ergo vt ex humanis rebus, captes vtilitatem: pulsa; ac importunus esto; flagita. Eiusmodi esse conuenit, eos qui petunt à Deo. Sanè scribit sapientissimus Paulus, vt oremus sine intermissione. Nam diabolus indesinenter non exiguos tumultus ciet, inexpectatis quandoque casibus inferens, inque multiplex peccatum præcipites agens. Ad hæc, innatæ voluptatis lex, in membris carnis latitulâ habet, repugnans legi mentis nostræ, sicut scriptû est. Quin & qui veram doctrinam impugnant, heretici. Necessaria ergo crebra, ac succedaneè iugis oratio: quippè cùm arma nostra non carnalia sint, vti scriptum est, sed potentia Deo.

Assiduæ orationis ratio.
1. Thess. 5. v. 17.
Rom. 7. v. 23
2. Cor. 10. v. 4.

V. 11.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, &c. Docet nos iterum aliud quidpiam Saluator, scitu admodum necessarium. Quandoque enim cõtingit, vt preces fusuri accedamus ad benignissimum Deum; ita nimirum vt cuique videtur pro re natâ non discernentes aliquando, nec explorãtes, quid reuerâ cõducat, atque à Deo concessum commodum habeat, quídue si acceperimus noceat: quinimmò inconsideratis animi agitationibus, in exitij plenas cupiditates abeamus. Cùm igitur eiusmodi aliquid à Deo petierimus, haudquaquam recipiemus: quin potiùs sic orantes, orationem ridiculam facimus. Quænam verò eius rei ratio, ex ipso discamus. *Quis vestrûm erit homo, à quo filius panem petat; nũquid lapidem dabit illi?* Velut, inquit, ex clarâ imagine, siue exẽplo, ex rebus ipsi vestris, meorum vim sermonum intelligite. Pater liberorũ effectus es; ex patris ipsâ ratione præ nimio in illos amore, semper eis consulere, ac prodesse desideras. Quare si panẽ petierint, nullâ morâ, gaudensque cõcedis, qui scias vtili cibo studere. Siquando verò ob mẽtis imbecillitatem teneræ ætatis puer non satis valens visa discernere, lapidem ad manducãdum petierit, num quæso daturus es, an potiùs rei illius noxiæ desiderium eximes? Perindéque sit de serpente & pisce, déque ouo & scorpione. *Si ergo*, inquit, *vos cùm sitis mali*, id est, cùm animum habeatis nequitiæ capacem nec vniformem fixum in bono, vti & vniuersorũ Deus; *nostis bona data dare filijs vestris: quãtò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* hoc est, gratiam spiritalem, rem prorsus bonam, quam quisquis receperit, ter beatus erit. Si quid ergo eiusmodi cupis accipere, lætus accede, & pete: promptè enim, ac facilis annuet, cùm sit virtutis amans, qui in cœlis est Pater.

Inutilia, ac noxia petentibus Deus non annuit.

S. TITI BOSTRORVM EPIScopi eiusdem Euang. expositio.

Luc. 11. v. 5.
Perseuerãtia in oratione sub parabolâ suadetur.

QVis vestrum habebit amicum, &c. Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignauo negligentique animo precationi insistamus; néue, si primâ fortè oratione fusâ, auditi nõ fuimus, secundam statim, tanquam quæ nullũ nobis operæpretium adferre queat, auersemur; insulsè aliquid istiusmodi animo pertractantes. En sæpenumero iam accessi, lacrymatus sum, obtestatus sum, nihil vnquam hactenus cõsecutus sum. Non ita nos ratiocinari decet; cogitemus potiùs vniuersorũ Dominum peculiarem nostri curã habere; quídque è re nostrâ sit, adeóque quid concedere cõueniat, probè nosse. Adde his, si lubet, nos ea frequenter petere, quæ modulum nostrum multis partibus excedunt. Hæc igitur, aliáque similia animo versantes, orationi impigrè incumbamus, in eáque constanter perseueremus. Etenim quæ citra sudorem obtingunt, vel ex parato subministrantur, ea, vt non contemnantur, certè minoris plerũque fiunt. Cùm enim dicit: *quærite*, laborem; cùm verò, *pulsate*, constantiam, & quandam importunitatem iniungit. E rebus igitur, quæ apud nos receptæ sunt, quod vtile est, venari discentes, quæramus, pulsemus, & importunè insistamus.

Et ibit ad illum media nocte. Hoc propter eos adfertur, qui circa vitæ catastropham peccatorum, quæ admiserunt, sensum capiunt, fidéque ad Christum sese adiungunt. Huc enim clementis Domini tendit oratio. *Amice, commoda mihi tres panes.* Amicus, cuius ostium pulsatur, est Dominus, & Deus & Seruator noster Iesus Christus, qui omnes diligit, omniúmque etiam eorum, qui in ipsum necdum credunt, salutem sitit. Per tres autem panes, fidem in Patrem & Filium & Spiritum sanctum designat. Siquidem trium horum inuocatione sacrosanctæ, humousiæ, & viuificæ Triados constat professio.

Infidelium ac peccatorũ cõuersio in extremo vitæ.

Amicus meus venit de viâ ad me. Per amicum qui de viâ hospitij causâ diuertit, Angelum, vel Angelos, qui circa vitæ finem accedunt, vt nos secum assumant, haud incommodè accipere possumus. Amant enim nos ipsi quoque, déque salute nostrâ lætitiæ materiam hauriunt; notum est enim illud Christi: *Gaudium est in cœlo*, &c.

V. 6.
Luc. 15. v. 10

Pueri mei mecum sunt in cubili. Per pueros in conclaui quiescentes, describit conuersos vt pueros, cuiusmodi sunt, qui simplici corde Euangelio credũt, atque ob id idonei habiti, qui pacatè cum Christo quiescant. Quâ de re Saluator alicubi ita ait: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac*, &c.

V. 7.
Matth. 8. v. 11.

Propter improbitatem tamen eius surget. Improbitatis, vel impudentiæ nomine, hoc loco constantem prolixámque in oratione perseuerantiam designat.

V. 8.

S. HILARII ARELATENSIS Episcopi in eisdem. Homil. 1.

COngruum ac valde necessarium est, dilectissimi fratres, vt sicut priori tempore fecistis, & publicè priuata deuotio tutum annum commendatum successit, ita etiam triduanis supplicationibus vno animo, paríque consensu feruentibus studijs præcingamur, dum adhuc de labore proximo impenetrabili contritione psallimus, dum adhuc pingues ieiunijs sumus, dum adhuc recentibus calemus officijs, dum adhuc petitionibus supplicantum adquisiti tunc sacro tempore fructus patrocinantur. Exorati enim sumus, vt Dominus infirmitatibus, plagis, tribulationibus interdicat: malum pestilentiæ, hostilitates, grandines, siccitates repellat: cœli temperiem pro salute corporum, pro terrarum fœcunditate componat: elementorum pacem cum temporum tranquillitate concedat, peccata dimittat, flagella submoueat. Inter hæc autem ille se ab oratione communi reddat alienum, qui se his periculis non sentit obnoxium.

Triduum Rogationum.
Quid in illis petendum.

Sed ne fortè aliquem cogitatio ista percutiat, vt intra se dicat: Quid nobis prôfuit antè laborasse, & vires cordis nostri in gemitus & lacrymas profudisse? O homo, non benè ista diceres, si in solum hostile transductus, de indultâ tamen

Non desiciendum ab oratione aut murmurandum, tametsi non sont eâ depulsæ clades priores.

esses salute secutus. Plurimum ei relinquitur, A cui vita, quæ omnibus terrenis bonis præponderat, reseruatur. Nimium autem ingratus est libertori, qui in patriâ degens loquitur dolore captum. Dicis ergo: Quid nobis profuit orasse, & totâ spiritus contritione laborasse? Plusquam seruilis nequitia est, inter ictus verberum rebellare, & pro eo quòd cum tali animo maiora merueris, misericordiam parcentis arguere, & libram diuinæ seueritatis cur non totum pondus exercuerit, accusare. Ita dum contra Deum superbo corde audemus hæc dicere, digna ostendimus pertulisse. Interrogemus conscientias nostras, si aliquem in nobis Deus profectum post castigationem primæ hostilitatis inuenerit, si maiorem in B nobis postmodum tenuit religio solicitudinem, eleemosyna largitatem, oratio intentionem, continentia puritatem: si nihil in nobis postmodum iniquitas vulnerauit. Quòd si his omnibus nos reos pro passionum diuersitate cognoscimus, hinc forsitan diuinæ possumus imputare iustitiæ, quòd minora pertulimus quàm ratio poscebat offensæ. Quæ cùm ita sint, in primâ nos gratiâ patienter admonuit: sed quia parum profecimus, in secundâ misericorditer flagellauit.

Non emendati prioribus flagellis, iustè subiaceant secundis.

Non malè ista in Hilarij tempora, quando gentes barbaræ Romanum in Oriente & Occidente diripiebant imperium.

Videamus autem quid nobis in ipsâ hostilitate, quid nobis contulerit oblata communium precum, & præsidia inuocata Sanctorum, vnde quasi præsens tempus illud ante oculos disponamus. C Ecce omnis terra ad potentissimæ gentis fremitum contremiscit, & tamen Romano ad te animo venit, qui Barbarus putabatur: & ex omni parte conclusa Romana barbaries, nec ad preces confugere nouit, quibus humiliet fortiorem: congressionem non sustinuit, ingestam à superiore pacem recusat impatiens, iugi rebellis ignauiâ. Quæ hoc manus agit, quòd magnificus Dominus rerum cùm à nobis ad iracundiam visibiliter prouocatur, inuisibiliter ad clementiam temperatur? Quis hoc miseris tribuit, quòd furor nescit irasci: & nouo genere scit victor sine intercessore misereri? Inter ista miraris te, peccatis exigentibus flagellari: cur potiùs innocentiam gladij, & patientiam non miraris armati? Expu- D gnatoris tui ferrum quale producitur ad pugnã, tale reconditur in vaginam: qualis est ante bellum, talis est post triumphum. Ac sic fortissimus tanti moderatoris exercitus vincere sciuit, hostis esse nesciuit.

Inuocata in ipsâ hostilitate præsidia Sanctorum.

Barbarorũ animi ad clementiã inter victorias cõmutati.

Itaque inter stupenda circa te beneficia Dei tui gratias tibi referat celeberrimus triumphator, vt apud arma victricia quieti maneant victi, & illæsa libertas: propter te donetur victori incruenta felicitas. Aduerte circa te indulgentiam singularem Domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus, sed salubriter humiliatus es. Nunquid non plus est periculum inter me- E dias acies ignorasse, quàm periculum non vidisse? Nunquid non virtus Dei maior apparet, si quemquam domo procumbente conclusum ruina non obruat, quàm si in statu suo domus inconcussa habitatorem seruet illæsum? Nunquid non maioris miraculi opus est, si quisquam inter tumentes fluctus fractis gubernaculis, naue iam naufragâ nullum discrimen incurrat, quàm si in portu immobili tranquillitate requiescat? Nunquid non maius beneficij cœlestis opus est, æstuatibus quemquam immersum caminis, nullum omninò sensisse flammæ furentis ardorem, quàm ignitam penitus non intrasse fornacem?

Maius in periculis illæsum persistisse, quàm pericula nulla adijsse.

A Paschate.

A Nunquid non magis prædicabile diuinæ miserationis insigne est, si fortè quemquam bestijs traditum omninò contingere feritas impastis faucibus armata non audeat, quàm si familiari vmbone circundatus ibi se tutum videat, vbi occasionem periculi causámque non videat? Ecce planè illam misericordiam Deum nobis dedisse respicimus, quam Prophetis ac patribus nostris in hostili solo mirabiliter præstitisse totius mundi præconijs celebratur. Nunquid non munificentior Dei gratia circa Prophetam fuit, quòd Dan. 14. rege vsque ad lacum votis & supplicationibus v. 39. prosequente à leonibus honoratus est, quàm si leonibus non fuisset ingestus? Aduertite quòd B Deus noster probat suos in tribulationibus, non relinquit. Ecce hic beatus Prophera hostibus seruiebat, sed bestijs imperabat. Nunquid non præclariùs fuit tribus pueris inter sæua incen- Dan. 3. v. 23. dia constitutis, ignem non solùm membris, sed vestibus & capillis seruasse reuerentiam, quàm nullam subisse tentationibus iniuriam? Nemo se à Deo æstimet deseri, cùm traditur tentationi. Ecce celebranda germanitas hosti potuit subdi, quæ in captiuitate imò in fornace meruit consecrari. Nemo miser putetur, qui in fide vel in animi virtute non læditur. E contrario autem qui in securitate vitijs deditus est, in libertate captiuus est.

Nemo miser, qui in fide aut animi virtute non læditur.

C
EIVSDEM IN EISDEM
de pœnitentia Niniuitarum. Hom 2.

DVm sacro volumine Ionæ Prophetæ gesta replicantur, forsitan aliquis secum cogitat, & dicit: *Triduo & Niniue subuertetur.* Sub- Ionæ 3 v. 4. uertetur planè, cùm calcatis deterioribus studijs, ad meliora conuertetur. Subuertitur, inquam, dum purpura in cilicium, affluentia in ieiunium, lætitia mutatur in fletum. Vbi sunt qui negant remedia pœnitentiæ, qui eam vel accipiendam, vel communione post labores emeritos munerandam esse non credunt? Primo loco hîc intelligamus quàm sit accepta Deo sa- D tisfactionis oblatio, ad cuius medicinam vt confugere populus disceret, cœlestis illa prouidentia offensæ suæ nuntium destinauit. Dicit Nouatianus, Pœnitentiam agere debeo, non * accipere. Non ita est. Nam Deus erudiendis peccatoribus per Prophetam adiutoria procurat. Neminem sibi per se sufficere posse confirmat. Errant itaque, qui inter dantem & accipientem velut corporale interuenire arbitrantur officium. Quid est enim dare, nisi remedia demonstrare peccatis? Quid est accipere, nisi obedire præceptis, lacrymis & ieiunijs interpellare miserationis auditum?

Deo accepta est satisfactionis oblatio.

** Id est, opera pœnitentiæ agere, non ab Ecclesiâ ad reconciliationẽ subdi pœnitentię. Illi enim diuino reseruabant iudicio lapsos à baptismo, nec vnquam communioni reddebant.*

Quàm felix abstinentia, cuius prædicanda E deuotio in illâ plebe felicissimâ diuino semel quidem est approbata iudicio, sed quotidiano multiplicatur & celebratur exemplo? Specialem quondam pratulit fidem, nunc generalem operatur salutem. Nam quoties per lectionem profectus eius auditur, fructus illius dilatatur. Quàm felix abstinentia, quæ actione temporaria fuit, & nunc vtilitate perpetua est? Tunc vni ciuitati profuisse memoratur: tunc vagitus infantium, pecorum balatus, armentorum mugitus, vno in loco sub dierum paucitate sonuerunt, nunc miseris omnem terram clamoribus replent, & vsque in finem sæculi personabunt. Inter fide-

Abstinentiæ laudes.

les quisque non dubitet hostias precum, holocausta votorum, sacrificia lacrymarum ad diuinum familiariter ascendere posse conspectum: ecce ad aurem Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt quidem, dum fidei hominum militant, cœlum eum supplicatione hominum penetrarunt.

Videamus si eos contra hæreticam persuasionem post pœnitentiæ opus in communionem recipit propitiata maiestas: Quod vtique tunc dicimus implemm, quando sicut lectio docet,

Iona 3. v. 10 & 4. v. 11.

Misertus est, inquit, *Dominus super malitiam, quam locutus est, vt faceret eis*: Et item. *Ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ?* Tunc eis absque dubio communicauit, quando imminentem cœlitùs iram remouit: gratia fuit communicantis, indulgentia remittentis. Tunc eis communicauit, quando eorum vota suscepit. Remissio illa, reconciliatio & communicatio fuit. Cùm ergo ad Prophetam ita Dominus dicat: *Putásne benè irasceris tu?* num tibi videtur quòd errorem Nouatianorum Dominus arguat in Prophetâ vtique Ionâ, qui inclinatum pœnitentiâ populum cum videat humiliari, nequaquam optat absolui? & ideo impugnator occultus apertè beneficium negat, cuius interdicit officium: absque dubio rebus ipsis eam suscipiendam non asse pronuntiat, quam perpetuâ obligatione subtracto absolutionis fine condemnat

Deus Niniuitis communicat, cùm illis parcit.

Iona 4. v. 9.

Ergo Niniuitæ pro pœnitentiâ atque abstinentiâ iræ desuper imminentis suspenderunt ruinam, & paruuli ac pecora pariter abstinentes, egressam à Domino plagam, atque sententiam iam cadentem (vt sic dixerim) retorserunt. Tam manifestum iudicantes afflictionis remedium, vt sibi etiam animalium crederent profuturum esse ieiunium. Secundum hæc valde ad clementiam diuina seueritas inuitatur, quando videt aliquem fœdas peccatorum notas, & veteres maculas intimis animæ visceribus impressas, satisfactionis lacrymis & pœnitentiæ remedijs abluentem: quando videt aliquem delicta sua præoccupato iudice voluntariâ districtione & animaduersione damnantem, & tanquam inimicum dico, quia nullus nobis tam occultus inimicus est, quàm caro nostra. Quæ dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam vtriusque hominis pœnam Dei armat offensam, & spiritus generositatem seruituti exterioris addicit dominante peccato. Cui vtique tantam vim nostro vitio ministramus, vt animam mori faciat, quam non potest facere mortalem. Beatus qui hîc mala sua deflere, qui hîc debita sua festinat euoluere: vt innocentiam quam iam non potest reparare per baptismum, recuperare studeat per summum pœnitentiæ fructum. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodammodo sub priuatæ cognitionis sententiâ & testis, & accusator & iudex est. Ad tales meritò ipse Dominus loquitur: *Non iudicabo bis in idipsum*, id est, quod tu in te seuetus agnoscis, ego propitius ignoscam: quem tu tristis accusas, ego lætus absoluam: quod tu recordaris in publicum, ego obliuiscar in æternum. Et quia per pœnitentiam tuam præuenisti sententiam meam, recondam gladium meum, ac me tibi ad remunerationum tempora reseruabo.

Pœnitentiæ laudes.

Nullus tam occultus nobis inimicus, quàm caro nostra.

Mors animæ.

Nahum 1. v. 9.

Vide quomodò per pœnitentiā Deo satisfacimus.

Ergo, charissimi, vnusquisque respiciens se arguat intra se gesta improba, & ante se constituat peccata sua pronuntians cum Propheta: *Et delictum meum contra me est semper.* Ante vos sit, vt contra vos esse non possit. Ita illud conuersatio obliuiscatur, vt compunctio recordetur. Ita illud reatus confessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat. Ita viuat in conscientiâ, vt moriatur in vitâ.

Nota confessionem, & satisfactionem pro peccatis.

C. SOLII APOLLINARIS

Sidonij Aruernorum Episcopi, de Rogationibus Mamerto Viennensi institutis.

Libr. 5. epist. 14.

Sidonius Apro suo salutem.

QVicquid illud est, quod vel otio, vel negotio vacas, in vrbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione reuocabere. Quorum nobis solennitatem primus Mamertus pater & Pontifex, reuerentissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem priùs (quod saluâ fidei pace sit dictum) vagæ, tepentes, infrequentesque; vt sic dixerim, oscitabundæ supplicationes; quæ sæpe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ: ad quas (vt nihil amplius dicam) figulo pariter, & hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas suprafatus summus Sacerdos & protulit pariter & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur. Ad hæc te festa ceruicum humiliatarum, & sternacium ciuium suspiriosa contubernia . peto: & si spiritualem animum tuum bene metior, modò citiùs venies, quòd non ad epulas, sed ad lacrymas euocaris.

Sidonius Domino Papæ Mamerto S.

Libr. 7. epist. 1.

RVmor est Gothos in Romanum solum castra mouisse. Huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus. Namque odijs inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia quòd necdum terminos suos ab oceano in Rhodanum Ligeris alueo limitauerunt, solam, sub ope Christi, moram de nostro tantùm obice patiuntur. Circumiectarum verò spatia, tractumque regionum iam pridem regni minacis importuna deuorauit impressio. Sed animositati nostræ tam temerariæ, tamque periculosæ, non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura, solo tamen inuectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio: quibus inchoandis, instituendisque populus Aruernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari; & ab hoc circumfusis necdum dat terga terroribus. Non enim latet nostram sciscitationem, primis temporibus harumque supplicationum institutarum, ciuitas cœlitùs tibi credita per cuiusmodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Nam modò sceoæ mœnium publicorum crebris terræmotibus concutiebantur; nunc ignes prope flammati caducas culminum cristas superiecto fauillarum monte tumulabant; nunc stupenda foro cubilia collocabat audaciū pauenda mansuetudo ceruorum: cùm tu inter ista discessu primorum populariumque statu vrbis exinanito, ad noua celer veterum Niniuitarum exempla decurristi, ne diuinæ admonitioni tua quoque desperatio conuitiaretur. Et verè iam de Deo tu minimè poteras

Animati Aruerni Viennensiū exemplo ad Rogationes.

Depulsa vis ignis Mamerti præsentiâ.

absque peccato post virtutum experimenta diffidere. Nam cùm vice quadam ciuitas conflagrare cœpisset, fides tua in illo ardore plus caluit: & cùm in conspectu pauidæ plebis, obiectu solo tui corporis ignis recussus in tergum fugitiuis flexibus sinuaretur, miraculo terribili, nouo, inusitato, assuit flammæ cedere per reuerentiam, cui sentire defuit per naturam.

Cauta solersque ad pœnitentiã prouocatio.

Primùm igitur, & iis paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis: exponis omnibus, nec pœnam longuam esse, nec veniam: doces denuntiatæ solitudinis minas orationum frequentiâ amoliendas: mones assiduitatem furentis incendij, aquâ potiùs oculorum, quàm fluminum posse restingui: mones minacem terræmotuum conflictationem fidei stabilitate firmandam. Cuius confestim sequax humilis turba consilii, maioribus quoque suis fuit incitamento; quos cùm non piguisset fugere, redire non puduit. Quâ deuotione placatus inspector pectorum Deus, fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, cæteris imitationi, vtrisque præsidio. Denique illic deinceps non fuere vel damna calamitati, vel ostenta formidini. Quæ omnia sciens populus iste, Vieonensibus tuis & accidisse priùs, & non accessisse posteriùs, vestigia tam sacrosanctæ informationis amplectitur, sedulò petens; vt conscientiæ tuæ beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmisit. Et quia tibi soli concessa est, post auorum memoriam, vel Coofessorem Ambrosium duorum Martyrum repertorem, in partibus orbis occidui, Martyris Ferooli solida translatio; adiecto nostri capite Iuliani, quod istinc turbulento quondam persecutori manus retulit cruenta carnificis: non iniurium est, quod pro compensatione deposcimus, vt nobis inde veniat pars patrocinij, quia vobis hinc rediit pars patroni. Memor nostri esse dignate, Domine Papa.

Translata Mamerto Ferooli corpus, & caput Iuliani Aruerni Martyrum.

Bene Iac. Sirmundus Soc. Iesu Vir doctissimus, ad primam illam Epist. instituta primùm S. Mamerto Rogationes ex istis, ac sequenti Auiti Oratione ita vendicat. *Quare frustra laborant, qui propterea quòd litanias supplicationésque ante Mamertum in Ecclesiâ extitisse legunt, ideo illum Rogationum non primum auctorem, sed restauratorem dici volunt. Frustra, inquam. Neque enim quæstio est, an primus litaniarum vsum in Ecclesiam inuexerit, quem constat multò antiquiorem fuisse: sed an eas instituerit, quæ ante Ascensionem Domini celebrantur, Rogationésque propriâ iam voce nuncupantur. In quo, vt dixi, consentiunt omnes; & Sidonij verba,* inuenit, instituit, inuexit, *dubitari non sinunt. Rogationum ergo primus auctor Mamertus. Nec solum instituit, vt stata ac solennes illis diebus supplicationes essent: sed supplicationum formam vsitatâ sanctiorem, augustiorémque instituit.* Ad alteram verò. *Mamerti Rogationes, quæ Domini Ascensionem antecedunt; imitati sunt non solùm vicini populi Galliæ, vt hic locus ostendit, & Concilium 1. Aurelianense: verùm etiam cæteræ nationes, atque ipsa tandem Roma, Leonis 3. auctoritate, vt docent ritualium librorum auctores. Ideo Litaniam Gallicanam appellarunt, quia eius institutio è Galliâ, & Litaniam minorem, vt à maiore distinguerent quæ 7. Kalend. Maij celebratur.*

ALCIMI AVITI EPISCOPI

Viennensis, Homilia de Rogationibus. Vnde consuetudo Rogationum processerit.

CVrrit quidem tramite vitali, non per Gallias tantummodò, sed peoè per orbem totam Rogationalis obseruantiæ flumen irriguum,

A Paschate.

A & iofertam vitijs terram vberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsâ institutione seruitij & gaudij causa est, quia quod hinc modò ad cunctorum vtilitatem defluit, ex oostro primitus fonte manauit: & fortè nunc pertineat ad cuiuscunque priuilegijs ornatum sumptæ primitùs institutionis exordium. Cæterùm cùm ad huiusmodi humilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensium corda perdomuit, seotiens Ecclesia nostra causam ægritudinis suæ, non sibi quasi maximè præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans opus esse instituendâ obseruatione præsenti, solicitiùs captauit remedium, quàm primatum. Et qoidem terrorum temporis illius causas multos nostrûm recolere scio. B Siquidem incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius orbis fuoeri prodigiosum quoddam bustuale minitabantur. Nam populosis hominum concursibus domestica siluestrum ferarum species obuersabatur; Deus viderit, ao ludificans oculis, an adducta portentis. Quicquid tamen ex iis duobus foret, perinde monstruosum intelligebatur: seu, sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu etiam horribiliter conspectibus territorum falsæ visionis phantasmata posse confingi. Inter hæc diuersa vulgi sententia, dispartiumque ordinum variæ opiniones. Alij quod sentiebant dissimulando, quod fletui oolebaot dare, casui dabant. C Alij spiritu salubriore, abominabilia noua quæque congruis malorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus imbres Sodomiticos non timeret? quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere non crederet? quis videns (certè videre se putans) pauidos naturaliter ceruos per angusta portarum vsque ad fori læta penetrantes, non imminentem solitudinis sententiam formidaret?

Institutorũ Mamerto Rogationum ratio, ac causa.

Quid multis? Tracta sunt hæc inter timores publicos & rumores priuatos vsque ad imminentem solennium vigiliarum noctem, quâ celebrari festum Dominicæ resurrectionis annua consuetudo poscebat. D Siquidem hanc omnes, laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis operiebantur. Adfuit ergo nox illa venerabilis, quæ ad spem publicæ absolutionis votiuum solenoe patefecerat. Sed mox illi multo vehementior strepitus ictu flagelli grauiùs ferientis intonuit: vt pote quem iam emensis gradibus, superlatiuum nihil sequi aliud quàm chaos intelligeretur. Ædes namq; publica, quam præcelso ciuitatis vertice sublimitas immensiter fagistiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuntio discriminis iucunditas solennitatis: E pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus proprijs casum de quadam præeminẽtis incendij arce metuebant. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus Antistes: & calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione depositâ reditur ad Ecclesiam: & restinctâ flammarum luce clarescit luminum pulchritudo. Nec sanè vlterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædecessor namque meus, & spiritalis mihi à baptismo pater, Mamertus Sacerdos, cui ante annos non paucos pater carnis meæ, accepto, sicut Deo vi-

Incendium Viennense nocte ipsâ Paschæ.

Conceptum Mamerto Rogationũ votum.

Auitus secundus à Mamerto

Successor immediatus à Patre Isicio.

sum est, sacerdotij munere successit, totas in eâ quam supra diximus vigiliarum nocte Paschæ concepit animo Rogationes: atque ibi tacitus definiunt, quicquid hodie psalmis ac precibus mundus inclamat.

Reuolutâ ergo solennitate Paschali, non iam quid, sed quomodò aut quando fieri debeat, secretâ primùm collatione tractatur. Putabatur à quibusdam Viennensis Senatus, cuius tunc numerosis illustribus curia florebat, inuentis non posse addi, cùm vix adquiesceret legitimis inchoari. Sed pius ac solicitus Pastor, sapientiæ salibus largus, mansuefaciendarum ouium priùs orando animum, quàm perorando molliuit auditum. Pandit igitur dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem: & viro tam religiosi quàm solertis ingenij parum fuit, si obedientibus propositum tantummodò institutionis promeret, nisi inter initia etiam vinculum consuetudinis adsignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur à cunctis, confirmatur, attollitur. Eligitur tempori triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ

Delectum Viennensibus Rogationum tempus.

coltum diémque Dominicum, quasi quodam propriæ opportunitatis limbo circumpositis solennitatibus marginaretur. Explorante autem Episcopo feruorem inchoationis, & maximè verente, ne ob tardam populi sequacitatem, pauciotibus eductis obseruatio ipsa confestim in sui nouitate tepesceret, ad Basilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat ciuitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosâ multitudine, maximâ compunctione: vt reuerà populi lacrymis laboribusque breuis atque angusta processio videretur. Vbi verò sanctus Sacerdos de minorum effectu maiorum indicia collegit, sequenti die institutum est, quod nunc primo, id est, crastino, si Dominus annuit, die laboraturi sumus. Secutæ sunt succiduo tempore quædam Ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli: sic tamen, quòd hoc ipsum non apud omnes iisdem diebus, quibus penes nos institutum fuerat, celebraretur. Nec porrò magni intererat quod triduum eligeretur, dum modò Psalmorum officia lacrymarum functionibus annuis persoluerentur. Tamen cum dilectione Rogationum etiam Sacerdotum crescente concordiâ, ad vnum tempus, id est, ad præsentes dies, vniuersalis obseruantiæ cura concessit. Porrò autem eo attinuit ista præfari, vt seu recolentibus hæc seu ignorantibus fortè retulimus, omnes tamen attendant, quòd Ecclesia, quæ misit alijs formam institutionis, multiplicitet est debitrix ostendendæ alacritatis: & prima debet esse compunctionis officio, quæ in te tam necessariâ omnibus facta est mater exemplo.

Earum deriuata religio ad alias Galliarum Ecclesias.

Vnde imminere, si Deus annuit, Rogationum nostrarum operosissimam festiuitatem, non quasi nescientibus indicimus, sed quasi expectantibus commendamus. Quia licet non absque labore constet seruanda professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inueniri probata est spes salutis. *Si dixerimus*, inquit Apostolus, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Et si confiteri debemus assiduè nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate pœnitendi. Præsertim cùm plebis adunatæ compunctio, sic ad incitamentum boni operis possit aptari, vt rebellis magis conuenientiùs erubescat, si cunctæ multitudini

1. Ioan. 1. v. 8. Iacob. 1. v. 16.

Vtilitas communium collectarũ.

A propriæ mentis solitudine contradicens, peccata sua vel vitia cum populo flente non defleat. Necessaria est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero, aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium. Periculosiùs agitur singulare certamen, in quo vires altrinsecus experiri posse paucorum est. At verò, cùm contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus virtus delitescit, & quodam vnitatis suffragio, laus fit inualidis in exercitu fortium computari. Denique cùm victoria contigerit, totis adquiritur: & cùm paucorum dex-

Simile à re bellicâ.

B tra pugnauerit, omnium gloria triumphauit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ si se rogantibus non subtrahat, etiam cùm ipsa per se minùs fecerit, non tamen ad integrum fructu carebit.

In illâ gloriosâ & admodum singulari historiâ Niniuitarum, contra exertum commotæ diuinitatis gladium, cuncta seniorum viribus etiam insaontis ætas pugnare compulsa est. Humani quoque mercedem & gratiam ieiunij pecorum fames adauxit. Quin & ipsa irrationabilis creatura, quæ offensam timere non potuit, quodammodo veniam postulauit. Et quia homines in morem animalium viuendo peccauerant, rursus anima-

Niniuitarũ conspiratio auertendâ Dei irâ.

C lia sua quasi homines ieiunare coëgerunt. Propter hanc ergo discretionem, in Euangelio Dominus ait, *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Petere enim docti est, quætere deuoti: petit sciens, quærit nesciens. Cùm petis, vis accipere quod intelligis: cùm quæris, adhuc conaris inuenire quod petas. Ideo qui iam superiores sunt, orando petant: qui infimi, laborando quærant. Porrò autem pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: istud ad manus pertinet, & corporis actus est. Petat ergo scientia, quærat amor, pulset operatio, maximè in operatione præsenti. Festiuitas siquidem est, cuius

Matth. 7. v. 7. Luc. 11. v. 9.

Pulsare, manibus, i. operatione.

D ioconditas tota sola sobrietas, cuius epulæ lacrymæ, cuius pastus esuries est: cuius principium ex necessitate, perseuerantia in dilectione, actus in requie, requies in labore: cùm tota ista obseruantia confessio pœnitendi pro culpâ sit, & rogandi pro veniâ.

Etiam verò Euangelica præsens lectio vtilitatem supplicationis exposuit, dum in naui Dominum dormientem chorus discipulorum sub tempestatis strepitu trepidus suscitaret. Neque porrò aliud fuit, in tanto repugnantium sibi inuicem ventorum fluctuumque conflictu, sopitum profundiùs Dominum nostrum interritâ quiete iacuisse, nisi vt ad eum inter discrimina quæ patimur timoris nostri causa confugeret. Assiduo

Matth. 8. v. 24.

E nos ictu tempestas ista fatigat: impulsu terribili contra nos tonitrus sæculi clamat, scintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat, sed coruscat. Ecclesia est nauis, quæ nos per varios casus velox inter marinos gurgites ducit. Aures quidem nostras obtrectationibus, & blasphemiarum stridore, quasi laxatâ laterum compage, reuerberat: sed puppim veritatis soliditate constructam penetrare non potest, quod fatigat. Et quia promisit Dominus noster Ecclesiæ, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, in naui quidem est in quâ sumus: sed metuere iam non potest, quod timemus. Post resurrectionem enim ascensionem-

Matth. 28. v. 20.

que suam, totus inter pericula nostra requiescit. A Alienæ magis formidini opus est, vt qui securus iacebat, euigilet. Clametur ergo vocibus supplicationis: & si ingrauante periculo necdum audit, pulsetur manibus largitatis, & dicatur ei, *Psal. 43. v. 23.* *Exurge, quare obdormis Domine, oblitus inopiæ & tribulationis nostræ?* Dicturus est quidem *Matth. 8. v. 26.* expergefactus, *Cur timidi estis modicæ fidei?* Reddat salutem, & increpet infirmitatem. Et si parua fides est, quia timemus sæcularia, est tamen aliquantula si recurramus ad Dominum. Non autem timeretur coram ipso, si ipse timeretur. Sed minima conscientia recti maxima causa trepidandi est, in nostrâ præcipuè vitâ, cui criminum continuatio fit discriminum multitudo. Quocirca si non diximus Christo, Vigila nobiscum, saltim dicamus, Euigila propter nos. Non rogauimus ne discederet, obtineamus vt redeat, nec deserat cursum nauigationis infirmæ, donec vento & mari silentium iubeat, & furorem insanientis sæculi celerrimo fine compescat; & fiat in retributione iudicij tranquillitas magna, quæ *Ioan. 15. v. 19.* in hoc mundo esse non potest. *Quia si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret.* Sed deuicto mundo perueniatur ad supernam quietem: vbi quoniam possibilitas pereundi aberit, nec periculi causa nascetur: vbi semper nobiscum Dominus, semper cum illo, si dederit, nos erimus: & qui hîc aliquoties negligentibus dormit, illîc perpetuò fruentibus sine fine vigilabit. C

Ex Codice Flori Diaconi Lugd.

EIVSDEM, EX SERMONE
die primo Rogationum.

Amos 4. v. 12. *1. Thes. 4. v. 15.*

PReparare in occursum Dei tui Israël. Dicit quidem Paulus Apostolus, vbi Redemptoris describit aduentum, qualiter rapiemur ad nubes obuiam Christo in aëra. Hîc tamen puto occursum istud ad alium pertinere. Nam & hîc viuentes, quasi occurrimus Deo, si præceptum quod porrigitur amplectimur: & quia paratus est ille ad ignoscendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed & quicunque propter amorem æternæ vitæ, non solùm ab illicitis abstinet, D verùm etiam à licitis se coërcet, sponte occurrisse iudicandus est. Nam, vt exempli gratiâ vnum quodcunque dicamus, adulterio generaliter interdicto, simplex coniugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor sine comparatione *1. Cor. 7. v. 38.* præfertur: vnde qui dat nuptum virginem suam bene facit; & qui non dat, meliùs facit. Hoc ergo de omni debemus obseruatione sentire. Qui male facit, fugit: qui bene, expectat: qui meliùs, occurit.

Occursus ad Dominum præsentis vitæ; operando meliora, & quæ sunt cõsilij.

EIVSDEM, EX SERMONE
die secundo Rogationum. E

Rom. 15. v. 4.

DIcit beatissimus Paulus, quòd *per patientiam & consolationem Scripturarum firmam spem habere debeamus;* cùm omnes Christiani, tum specialiùs illi, quibus datur in hoc mundo, aut pro Deo persecutionem pati aut pro veritatis amore tribulari, aut pro vitæ huius tribulatione compungi.

EIVSDEM, EX SERMONE
die tertio Rogationum.

QVomodò si, inquit, *inferant filij Israël munus in vase mundo in domum Domini.* Le- *Isai. 66. v. 20.* gimus in Apostolo, *In domo magnâ non solùm* *2. Tim. 2. v. 20.* *argentea vel aurea, sed etiam lignea vasa & fictilia reperiri.* Quæ in ipsâ graduum diuersitate omnia possunt esse vsui, etiamsi non sint æqualia dignitati. Cuilibet distantiæ nitor opus est. Potest in fictilibus vasculis, dummodò munditia non desit, diuinæ domui munus offerri, si vas ex eadem massâ fictum, quia peccando ceciderat in contumeliam, pœnitendo redeat ad honorem. *Habemus enim thesaurum istum in vasis* *2. Cor. 4. v. 7.* B *fictilibus.* Hæc ergo vascula, vt dixi, pœnitentium teneant compunctionem. Portò lignea, legitimam coniugatorum præferant simplicitatem: cruore martyrij aurea rubeant: virginitatis radio argentea perlucescant. Vasorum talium capacitas est, quòd rationalis naturæ conditi sumus. In hæc modò prouideat de suo quisque quod offerat: pro qualitate munerum fit pretiositas vasculorum. Istis credo vasculis Elisæus quon- *4. Reg. 4. v. 3.* dam liquorem olei viuacis infudit, quod cùm flueret irriguum, non effluxit impletum.

Ipsa vasa fictilia non reproba, dum munda sint.

Lignea, aurea, argentea.

CÆSARII EPISCOPI
Arelatensis, de Litaniâ.

HOMILIA.

ECce fratres dilectissimi, dies sancti ac spirituales adueniunt, animæ nostræ medicinales. Et ideo quicunque vult sanare peccatorum suorum vulnera, non despiciat medicamenta salubria. Ipse enim in his diebus non requirat medicum, qui se non sentit ægrotum. Et quis est, fratres dilectissimi, qui sic se in arenâ mundi istius gaudeat repugnare, vt nullum possit diaboli vulnus excipere? Quis enim contra millia dæmonum die noctuque ita stare potuit semper armatus, vt nunquam fuerit diaboli calliditate percussus? Quis enim vel cogitare non dicam, verùm nec numerare præualeat dolos & insidias hostis antiqui, de quo scriptum est: *Cui nomina mille, & mille nocendi artes.* Et ideo, fratres charissimi, quomodò ipse ex omni parte nos semper vulnerare conatur, ita vnusquisque nostrum cum Dei adiutorio, contra illius insidias totis viribus præparetur. Et quia non solùm per dura, sed etiam per blanda contendit elidere, & vulnera ab ipso inflicta, non solùm amara, sed (quod peius est) etiam dulcia frequenter excipimus, medicamenta spiritualia parata semper habere debemus.

Ex Hom. 33. Rogationũ seu Litaniarum dies sancti spirituales & medicinales.

Virgilius.

Diabolus omni ex parte semper tentat.

E Audiamus ergo consilium beati Apostoli, & contra diaboli insidias armis nos spiritualibus muniamus. *Sumite,* inquit, *scutum fidei, loricam iustitiæ, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Quid enim mali à *Eph. 6. v. 16.* diabolo sustinere poterit, qui se talibus armis instruxerit? Cùm surrexerit ille cum infidelitate, tu consurge cum fide. Ille pugnat cum superbiâ, tu cum humilitate. Ille exhibet luxuriam, tu tene castitatem. Apprehendit ille nequitiam, tu iustitiam tuam. Ille ingerit iracundiam, tu sectare patientiam. Ille immittit auaritiam, tu exerce misericordiam. Ille gulam, tu abstinentiam. Simili-

Contrarijs studiis obuiandum diabolo.

A ter & in cæteris rebus sempet contraria aduetfus nequinas diaboli studeamus arma ptoponere, & nunquam nos poterunt illius machioameota decipere. Vr ergo hæc possimus Deo auxiliante complere, & hostem callidissimum opitulante graria diuinâ reuincere, ieiuniorum, vigiliarum, vel otationum arma nobis debemus iugiter ptouidete. Quæ licet omni tempore necessaria esse ptobentur, præcipuè in istis tribus diebus, quos tegolariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conuentu subducat: nullus Ecclesiam quasi cœlestis medici scholam occupatus terrenis actibus, derelinquat: nullus castra spiritualia deserat. Scientes enim, fratres chatissimi, quia qui tetteno tegi militat, si se de acie pugnaturus timote compellente subtraxerit, non solùm B gloriam vel ptæmia parata non accipiet, sed etiam præsentis vitæ periculum non euadit. Qualis ergo est ille qui terreni regis exercitum detetit, sine dubio talis iudicandus est & ille, qui in istis tribus diebus Christi Ecclesiam detelinquit. Quicunque ergo sine aliquâ infitmitate, aut certâ occupatione, in istis diebus Dei populum deseruerit, io illo cœlesti tegoo non præmium, sed opprobrium, non gloriam sed ignominiam teceprurum se esse nouerit. Et quidem talis quasi fugitiuus & desertor castrorum cœlestium, æternam confusionem & digoum meritis suis supplicium sustinebit.

Ieiunia, Vigiliæ, Orationes, arma nostra.

Tres Litaniarũ dies, vniuersa celebrat Ecclesia.

Desertori similis qui triduo Litaniarum Ecclesiam derelinquit.

C Sed absit, fratres charissimi, vt de vobis talia suspicemur: vnde timens hoc, potiùs quàm de vobis sinistrum aliquid credens, præsumo suggetere. Magis enim de vestrâ deuotione confidens credo, velut apes prudentissimas ad aluearium Christi fideliter festinare, vt dulcedinem spiritualis mellis ex diuinis lectionibus possitis accipere, & cum Prophetâ dicere: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo.* Et quia per totum annum, fratres charissimi, nobis peccatotum vulnera subrepunt, in istis tribus diebus fideliter ad Ecclesiam curramus, & contrito corde vel humiliato corpore, D Dei misericordiam deprecemur: vt omnium peccatorum nostrotum vulnera, ista triduano compunctionis medicamento ad sanitatem pristinam reuocemus. Nemo ergo sibi ex industriâ aliquas occupationes studeat prouidere, nemo se otiosis fabulis occupare, ne inde sibi vulnera faciat, vnde sibi parare medicamenta potuerat. Nemo in istis tribus diebus aut sanguinem tollat, aut potionem accipiat: nisi fortè hoc infirmitas nimiom periculosa compellat. Conuiuiola nobis etiam quadragesimali ordine præparemus, & magis legendo, psallendo, vel orando, animabus nostris spiritales epulas, quàm corporales delicias requiramus: vt ad integrum Deo vacantes, E & misericordiam illius suppliciter exorantes, & à cunctis infirmitatibus sanari, & à peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum meteamur per Dei misericordiam liberari.

Psal 118. v. 113.

Opera satisfatoria triduo Rogationum.

Cibus in eo quadragesimalis.

Pro certo enim credere debemus, fratres charissimi, quia si peccata nostra cessarent, statim flagella nobis debita diuina misericordia remouetet. Sic enim ipse per Prophetam promittere dignatus est, dicens: *Conuertimini ad me & conuertar ad vos:* Et iterùm: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Cõuertamur ergo ad meliora, dum sunt in nostrâ potestate remedia, & pium ac misericordem Dominum, quem peccan- A do irritauimus, bonis operibus ad misericordiam prouocemus: vt ipse secundum snam consuetudinem, & aduersa repellere, & prospera nobis dignetur pro suâ pietate concedere.

Zach. 1. v. 3. Ezech. 33. v. 12.

Iterum atque iterum rogo, vt qui ad Ecclesiæ aluearium (sicut iam dixi) quasi ad dulcissimi Christi fauum plenâ deuotione concurrunt, velut apes prudentissimæ de diuersis diuinarum Scripturarum floribus intrare cellulas præparent, vbi sancta & cœlestia mella suscipiant. Qui verò & tardè veniunt, & citò disceduot, nec contenti sunt spectare donec diuina Mysteria compleantur, noo sunt inter Christi examina reputandi: quia non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam & contemptum & se impediunt, & alios exemplo malæ conuersationis B euertunt. Erideo, fratres charissimi, quicunque Dominum in veritate diligunt, & ad Ecclesiam citò veoiunt & tardè discedunt, perseuerent in opere bono, & otiosas vel sæculares fabulas velut venenum mortiferum respuentes, magis psallere & orare conentur: & contemnentes amaritudinem mundi, in Ecclesiâ requirant vnde accipiant dulcedinem Christi. Qui verò negligentes sunt, & ad Ecclesiam non solùm tardè veniunt, sed etiam priusquam diuina mysteria compleantur, abscedunt, & in ipsâ Ecclesiâ otiosis fabulis vacantes, nec ipsi psall[illegible]t, nec alios C psallere vel orare permittunt: qu[illegible]es sunt, citò se corrigant: ne sibi in eo loco præparent mortem, vbi inuenire poterant vitam. Ego quod meum est, admoneo. Dura quidem sunt medici ferramenta, sed sanos faciunt. Dulcia videntur mundi huius oblectameota, sed malè decipiunt.

Non reputandi inter Christi examina, qui discedunt ante completa diuina mysteria.

Audite ergo me fratres rogantem, audite paternâ pietate admonentem: vt vobis Deus & in hoc sæculo sanitatem corporum, vbertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat: & in futuro, ad æterna præmia feliciter peruenire concedat. Sic ergo diuina pietas moderetor actus nostros, & animas gubernare dignetur, vt cùm D tempus retributionis aduenerit, & ego qui vos cum charitate admoneo, obtinere merear veniam, & charitas vestra pro benignâ obedientiâ perueniat ad coronam, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

S. PETRI CHRYSOLOGI
in superius Euang. de perseuerantiâ orationis.

SERMO I.

E PEr se semper sibi diuina sufficiunt, sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis: quia cœlestis prouidentia non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit, attendit. Sic fons per tenoes venarum primitùs erumpit meatus, atque angustis sensim serpit in riuulis, donec digno se successu in totam fluuiorum latitudinem prorumpat, & valenter effundat. Et vt vobis de nobis loquar, nato paruulo mox coæuum præparat succum natura, escam commutat in potum, & stupeores adhuc fauces torpentésque internorum meatus, ad vsum solidioris cibi longâ lactis infusione componit: sic nos Dominus ad capienda diuina, vernaculis erigit & informat exemplis, dicendo: *Quis vestrum ha-*

Serm. 39. Infirmitati nostræ attemperat se Deus.

Simile.

Luc. 11. v. 5.

Deus quàm velit dare, exemplo aperit.

A *bebit amicum, &c.* O quàm dare vult, qui se inquietati taliter, taliter patitur suscitari! O quàm necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri! O quàm pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsum collocauit ad ianuam! O quàm negare noluit, qui sibi etiam negaoti qualiter extorqueretur, ostendit! O quàm non ad ianuam tantùm Dominus, sed ipsa ianua Dominus fuit, *Ego sum*, inquit, *ianua*; qui dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus & primus audiuit! O quàm pius, quàm misericors, qui quòd mandaris docet, probat & informat exemplis! *Cùm facis*, inquit, *eleemosynam, noli tubâ canere*. Et iterum, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.*

Ioan. 10. v. 9.

Matth. 6. v. 2. & 3.

B *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte.* Parum est quòd facienti misericordiam nox velabatur, quòd largitatem dantis, petentis obtegebat improbitas; nisi ad cumulum pietatis velandæ, ascriberetur & somnus. Indicit in hac humanitate geminam necessitatis speciem, petentis & dormientis: vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: vtpote qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quòd non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: & vt ei magis dormire liceat, quàm date libeat sic petenti. Quid plura? Ecce pulsanti illi plus somnus, quàm somnus extitit suffragator. Nec otiosum reor esse, quòd horam petendi sic aperit, sic designat, dicendo: *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum mediâ nocte?* Quasi non & primâ, & secundâ, & tertiâ horâ noctis, cùm se sopor blandus dormientibus primùm fundit in corpora, & visceribus diurno labore fessis dulcis, ac totus illabitur, molesta & aspera sit inquietantis improbitas. Sed hoc tempus est, quod deuotum & iuge pernoctantis demonstrat iudicium: hoc tempus est, quo inter præteritos & futuros labores ardens animus, sed ad diuina, nil indulget corpori, nil quieti: sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri. Ista satis hora est efficax impetrandi. Hoc sciens Propheta, ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse, cantando: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* In hac horâ vigilantibus semper sponsus ille cœlestis occurrit, qui dicit: *Mediâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit.* Non potuit non impetrare quod voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitē reficeret, totā sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti, non responderet ille, qui se in hospite suscipi confitetur, cùm dicit: *Hospes fui, & suscepistis me.* Æstimo hoc dixisse pulsantem, aut fortè taliter conuenisse: Feci quod iussisti, redde quod promisisti. Tibi credidi dicenti: *Nolite soliciti esse in crastinum*, vnde hesterno hospiti quod apponerem non reliqui. Si tibi ego sic habenti molestus sum, quantò mihi ille extitit molestior non habenti? & tamen ego illi excusare non potui, quia tibi obedire contendi. Plus hic iubentis, quàm non habentis verecundia nunc laborat. Hospes in domo est, & tu dormis? Immò tu dormis, qui non dormis. Ego suscepi hospitem, nisi dederis panem, panem hospiti tu negasti. Meritò sic pulsanti, petenti taliter, quotquot necessarios habuit, Euangelicus iste fœnerator largitus est panes.

Fort. somnus. vt velit potius impetrasse quia hospitis gratiâ sibi ademisset somnum, quàm quòd amicum verbis inflexisset.

C

Noctis medium, orationis tempus opportunum.

D

Psal. 118. v. 62.

Matt. 25. v. 6.

Facilè impetrat, qui hospitalitatem colit.

Ibid. v. 35.

Matth. 6 v. 34.

E

Quid faciunt, qui se non in cubili, sed ipso collocant in sepulchro? Qui se non somno, sed morti tradunt? Quos gallus non commonet, lucifer non suscitat, sol ipse non reuocat, & producit ad lucem? Isti & tempus supplicandi, & hospitis mercedem, & ipsa diei opera perdiderunt. Contristamur, fratres, quando nos diluculo stamus ante Dominum, & nobiscum nostros filios non videmus. Ille noctis medio sic pulsauit, in cuius domo hospes venerat; Rogo, tu quare non vel diluculo vigilas, cui est hospes in domo? Quod ille gratiæ, tu tribue vel pigritiæ. Quod ille humanitati, tu necessitati saltem, plus somni quàm tui amator, impende; certè vt possis vigilare ad vitam, qui dormis ad mortem. Quæ sequuntur, ausculta.

Manè saltem vigilandum ad orationem.

Et ego dico, inquit, *petite, & dabitur vobis, &c.* Sed dicis, esto quòd petere possim; pulsare quomodò potero cœleste secretum? quemadmodum? Iterando preces, & expectando iudicium largitoris: moras dantis patientissimè sustinendo. Quia quicunque cùm semel pulsauerit, indignatur, mox si non fuerit auditus, iste non est petitor supplex, sed est imperiosus exactor. Audi Prophetam dicentem: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.* Et si iterum distulerit in futurum, Dominum tuum patienter expecta. Vbi autem quid quærere debeas, vis nosse? Sunt diuitiæ in sinu pauperis, & regnum cœlorum intra te est. *Intra vos est regnum cœlorum*, dicit Dominus. Quis sit autem amicus qui dormit, & quis est amicus qui de viâ venit, & qui sunt pueri qui dormiunt, & quis est iste qui pulsat, & cur sub certo numero tres tantùm postulat panes, cùm petiero, quæsiero, pulsauero, & peruigil inquietator accipere meruero, vobis amicis mei Domini non negabo.

v. 9.

Pulsanda cœlestis ianua constātiā & instātiā precum.

Psal. 36. v. 14.

Luc. 17. v. 21.

Sed diceris mihi, Ecce amicus Domini tui venit ad te: iste dare, non accipere consueuit: hāc denique sarcinam de viatici sui copiâ Pastor auidus expleuit, vt de nostræ paupertatis vilissimâ præparatione gustaret: nec passus est intempestâ nocte me sibi aliunde petere hospitium, locupletissimus quod habebat. Nec mirum fratres, semper dare vult diues ad pauperem cùm declinat. Iste illius Euangelici amici semper manet in ianuâ: in istius cubili ille cum pueris suis largitor Euangelicus perseuerat, in cuius corde Pater & Filius & Spiritus sanctus faciunt semper, & collocant mansionem. Quid plura? Pater est; ab ipso petere, in ipso quærere, per ipsum pulsare me credidi, & ideo me vobis daturum, non incautus promissor asserui.

Digreditur in laudes cuiusdam Episcopi, qui ad se diuerterat.

Diues dare vult, ad pauperem cum declinat.

EIVSDEM, EODEM DIE,

de Paternâ Dei in nos dilectione; de patrum in filios charitate, & de Iudæorum pœnâ.

SERMO II.

Est Ser. 55.

POsteaquam præcepta legis diffusa voluminibus, congesta libris, morem nobis non suffecerunt commendare diuinum; duris hominum præcordiis comparationibus, exemplis inseritur Dei, & insinuatur affectus. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? &c.* Charitas dolum nescit; non habet fraudem pietas; affectio non recipit falsitatem. Si pater est, non potest non amare: si amat, nisi quod bonum est, dare nescit; negat patrem,

Patris comparatio cur Domino inducta.

Luc. 11. v. 11.

Paterna affectio ac charitas.

qui de patris suspectus est largitate: ignotat se (A) filium, quem data paterna solicitant: totum, quod est pietatis excludit, qui salutare non credit, quicquid dederit pater: aut quomodò pater poterit filijs dare mala pro bonis, qui mala semper pro filijs paratus est sustinere, qui pro filijs mortem non effugit, pericula non declinat? Ideoque te Deus patrem fecit, ideo à te voluit hominem procreari, qui vtique quod de terrâ fecerat, poterat fecisse quamplurimos: sed egit, vt generando scires, quanta esset generantis affectio: & in te amorem tui tantum probares auctoris, quantum ipse auctor pignoris tuo pignori conaris impendere. Certè non solùm in te, quid esset ge- (B) nerantis affectio, sentire te Deus voluit; sed in feris, & in pecudibus, & auibus, hoc Deus voluit te videre, quas, cùm de terrâ produxerit solâ iussione, postea laborem sentire compulit generandi; mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire: ac se morti, si natos suos capi viderint, non negare. Vnde si non hominis, vel ferarum comparatione, pecudum similitudine, exemplis auium disce, quanta sit in paternâ charitate sinceritas.

Etiam in bestiis & auibus illius argumenta.

Si ergo Deum credis & confessus es Patrem, quicquid dederit, quicquid iusserit, quicquid in te elegerit crede tibi satis esse salutiferum: crede satis esse vitale. Matris data discutere non licet: patris monita tractare non conuenit: sed licet paterni mandati species tristior, res tamen ipsa salutifera & vitalis. Sic Abraham, vbi Deum attendit mandatorem, formas non attendit asperas & acerbas: circuncisionem recipit verecundam; & quæ cœlestis Pater iubet, non discutit, sed iudicat gloriosa: patricidium considerat perscelestum; sed quia Deus imperat, totum pietati committit. Hinc Isaac patris super se gladium cùm videret, hostiam se esse cùm horrere, cùm dolere poterat, est gauisus. Hinc Iephte filia, patris munus, patris vota, suâ morte totâ gratulatione persoluit. Quare (D) ergo iam sciens Deum de Patris disputat datis? Cùm paruulus & innocens quærit à patre, non nisi bona & profutura percipit. Sed cur has similitudines Dominus fecerit, perquiramus.

Vitale ac salutiferum quicquid est à Deo Patre.
Gen.22.v.2.
Iudic.11.v.36.

Quis, inquit, *ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* poterat dicere, nunquid zizania? nunquid lolium? quod ex vicinitate & similitudine mentitur panem, sed generat angustias. Sed Christus venerat filijs, id est, Iudæis, quos genuisse tali clamore querebatur, *Filios genui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me:* venerat ergo filijs, venerat Panis de cœlo, qui dixit, *Ego sum Panis, qui de cœlo descendi*: sed Iudæis est conuersus in lapidem offensionis, & petram scandali. Quare petram? Quia mordere petram, non Panem à (E) Patre quærere gestiebant. *Circundederunt me*, inquit, *canes multi.* Denique posteaquam illi, ex hominibus in canes probantur esse conuersi, cœlestis illis in petram conuersus est Panis; non dantis vitio, sed accipientis nequitiâ; qui illos non reficeret, sed necaret: nec in fundamento positus promoueret ad culmen; sed eos, qui sui Patris tendebant ad necem, in profundam daret, & volueret in ruinam.

Isai.1.v.2.
Ioan.6.v.59.
Christus Panis, in lapidem versus Iudæis.
Psal.21.v.17.
Isai.8.v.14.
Rom.9.v.33.

Adiecit aliam similitudinem, *Nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Erat & piscis Christus Iordanis leuatus ex alueo: qui carbonibus (A) impositus passionum, post resurrectionem suis se discipulis escam præbuit tunc vitalem: sed Iudæis in serpentem piscis iste commutatur, dicente Domino, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Iudæus in serpente videbat Christum, quia impius oculis Deum videre non potest: non potest videre pietatem.

Piscis in serpentem.
Luc.24.v.42.
Ioan.3.v.14.

Dixit & tertiam similitudinem, *Nunquid si petierit ouum, porriget illi scorpionem?* Consuetum est & solenne semper paruulos ouum petere, & parentes ouum pusillis petentibus non negare: sed quia Christus venerat congre- (B) gare sicut gallina pullos suos, ouum protulit verbi, per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur: sed quia Iudæus per inuidiam effundere magis, quàm sumere ouum id volebat, reperit ibidem scorpionem; vt iuxta Apostolum, *Mandatum, quod erat illis in vitam, hoc illis esset ad mortem.* In commendationem pietatis tria Dominus protulit, & demonstrauit exempla: vt tribus testimoniis, sicut tribus testibus, & pios ad fidem sui amoris animaret, & confutaret impios, non Patris, sed suo vitio charitatis gratiam non accepisse.

Ouum in scorpionē.
Matth.23.v.47.
Rom.7.v.10.

(C) VENERABILILS BEDÆ PRESbyteri, *in idem Euangelium.*

HOMILIA.

Rogatus à discipulis Saluator, non modò formam orationis, sed & instantiam frequentiámque tradit orandi. Amicus ergo, ad quem mediâ nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in mediâ tribulatione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam Trinitatis quâ præsentis vitæ consolemur labores, efflagitare debemus. Amicus qui venit de viâ, ipse noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties ad appetenda terrena & temporalia foris vagatur. Redit ergo cœlestique alimoniâ re- (D) fici desiderat, cùm in se reuersus superna cœperit ac spiritalia meditari. De quò pulchrè qui penetrat, adiungit, non se habere quod ponat ante illum: quoniam animæ post sæculi tenebras Deum suspiranti nihil præter eum cogitare, nihil loqui libet: intueri solùm quod recognouit, summæ Trinitatis gaudia contemplari, atque ad hoc pleniùs intuendum peruenire satagit.

Luc.11.v.5.
Amicus de viâ veniēs.

Et ille deintus respondens, dicat, Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi. Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis: quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi: clausúmque est tempore famis, cùm intelligentia (E) verbi non datur, & illi qui Euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicauerunt, pueri patrisfamilias, iam sunt in secretâ quiete cum Domino: & tamen orando efficitur vt accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur.

V.7.
Clausum ostium, &c.
Col.4.v.3.

Et ille si perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis:

V.8.

inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, & dat non amicitiâ sed tædio compulsus, quantò magis dat Deus qui sine tædio largissimè donat quod petitur? Dominus etenim Saluator noster ad cœlestis regni gaudia nos peruenire desiderans, & nos eadem gaudia à se petere docuit, & nobis petentibus se hæc daturum esse promisit. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis:* quæ nobis sunt verba Domini nostri, fratres charissimi, magnopere ac toto ex corde pensanda: quia videlicet regnum cœlorum non otiosis & vacantibus, sed petentibus, quærentibus, & pulsantibus dandum, inueniendum, & aperiendum esse testatur. Petenda est ergo ianua regni orando, quærenda rectè viuendo, pulsanda perseuerando. Non enim sufficit verbis tantummodò Dominum rogare, si non etiam quæsierimus diligentiùs qualiter nobis sit viuendum, vt digni simus impetrare quæ poscimus, ipso attestante qui ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Neque aliquid prodest bona inchoasse, si non quisque studeat ea quæ benè inchoauerat, vsque ad finem firmum perducere: quinimmò *melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti.*

Petendum est, quærendum, pulsandum.

Matth. 7. v. 21.

2. Petr. 2. v. 21.

Vnde necesse est, fratres mei, vt petamus seduli, sine intermissione oremus, *procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos:* & vt exaudiri mereamur, videamus soliciti qualiter nos viuere velit, quid nos facere iusserit, qui fecit nos. Quæramus Dominum & confirmemur, quæramus faciem eius semper: & vt hunc inuenire ac videre mereamur, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, quia non nisi casti corpore in die resurrectionis ad cœlos subleuari, non nisi mundi corde gloriam valent diuinæ maiestatis intueri. Pulsemus infatigabili desiderio æternæ beatitudinis aures pij conditoris, nec deficiamus à cœptis, priusquam illo aperiente de carcere mortis huius mundi eripi, ac portam mereamur cœlestis patriæ ingredi. Nemo sibi blandiatur de innocentiâ, nullus suis fidens actibus quasi qui misericordiâ iusti iudicis non egeat à precibus cesset: quin potiùs etiam cùm se aliquid boni quis egisse cognouerit, quia quâ hic districtione iudicetur ignorat, tremens cum Prophetâ clamet: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et cum beato Iob: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit:* memor semper illius Apostolici sermonis, *Quia si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum, & verbum eius in nobis non est.* Neque rursus quispiam consideratâ peccatorum suorum qualitate seu quantitate, à petendâ veniâ mentem desperando reuocet: neminem visa suorum putredo vulnerum, siue magnitudo languoris à salute quærendâ retrahat. Præbeat magnam obtinendæ sanitatis fiduciam, quòd ipse conditor noster, medicus nobis fieri, ipse ad nos venire in carne, ipse infirmitates nostras suscipere vt sanaret, dolores nostros vt au-

Psal. 94. v. 6.

Orationis instantia.

Psal. 104. v. 4.

Nemini præsumendum de innocentiâ suâ, vt orationum suffragio non egeat.

Psal. 142. v. 2.

Iob. 9. v. 20.

1. Ioan. 1. v. 9.

Nemini desperandum, vt nō oret pro veniâ.

A ferret portare dignatus est: ipse suum pro nobis sanguinem fudit, suam pro vitâ nostrâ mortem obtulit. Ipse magnis peccantium admissis magna pœnitentiæ remedia ostendit, dicens per Præcursorem suum: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et paulò pòst inquit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Ipse leuioribus quotidianisque nostris erratibus, sine quibus hæc vita transigi non potest, quotidiana confessionis & intercessionis mutuæ medicamenta concessit, dicens per Apostolum Iacobum: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.*

Aliter grauiora, aliter leuiora peccata deleotur.

Luc. 3. v. 7.

Ibid. v. 11.

Iacob 5. v. 16.

B Ipse rogari vt præstet amat, qui animos inopum ad se rogandum largus donator erigit: *Omnis*, inquiens, *qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Non ergo dubitandum quòd petentes accipimus, quærentes inuenimus, pulsantibus nobis aperietur: quia nimirum fallere non potuit veritas, quæ promisit. Sed hoc est vigilantiùs intuendum, quia non omnes qui coram hominibus orare videntur, in conspectu æterni arbitri petere vel quærere, vel cœlestis regni aditum pulsare probantur. Neque enim Propheta diceret, *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate,*
C si non aliquos Dominum inuocare, sed non in veritate cognosceret. Inuocant quippe Dominum in veritate, qui in hoc quod orando dicunt, viuendo non contradicunt. Inuocant Dominum in veritate, qui suas ei preces oblaturi, primò iussa illius implere satagunt: qui dicturi ei in oratione, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, illud eius mandatum impleuerunt quod dicit: *Et cùm stabitis ad orandum, remittite si quid habebitis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra.* Vnde & de talibus aptè Propheta subiungit: *Voluntatem timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & saluos*
D *faciet eos.* Illi itaque in veritate Dominum inuocant, qui eum timere comprobantur. Horum ipse cùm clamauerint orationes exaudit, horum cùm ad se suspirauerint pia desideria perficit, hos cùm de hac vitâ transierint, ad salutem sustollit æternam.

Non orat in conspectu Dei quisquis videtur orare coram hominibus.

Psal. 144. v. 18.

Inuocare Dominum in veritate.

Matt. 6. v. 12.

Marc. 11. v. 25.

Psal. 144. v. 19.

At contrà sunt qui Dominum, sed non in veritate, inuocant, quos redarguens Iacobus, ait: *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis.* Malè namque petunt, qui perseuerantes in peccatis pro eisdem peccatis quæ ipsi minimè dimittunt, vt sibi à Domino dimittantur impudenter exorant, quales ipse per Esaiam reprobat dicens: *Et cùm extenderitis manus vestras, auertam*
E *oculos meos à vobis. Et cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quibus adhuc consulendo quâ ratione possint impetrare quæ poscerent, ostendit cùm subdit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Malè petunt, qui vocem Domini iubentis audire obtemperando contemnunt, & nihilominus Dominum suam vocem supplicantium exaudire miserando deposcunt. Quos ipse repellens in Euangelio loquitur: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* De quibus & Salomon in prouerbiis: *Qui declinat*, inquit, *aurem suam ne audiat*

Inuocare non in veritate.

Iacob. 4. v. 3.

Malè petere.

Isai. 1. v. 15.

Ibid. v. 16.

Luc. 6. v. 46.

Pro. 28. v. 9.

A *legem, oratio eius erit execrabilis.* Malè petunt, qui non supernæ mercedis intuitu, sed ad exemplum Pharisæorum humanæ gratiâ laudis, longis incumbunt precibus: de quibus ipse testis & iudex terribiliter protestatur: *Quia receperunt mercedem suam.*

Matth. 6. v. 2.

Malè petunt & illi, qui terrena magis in oratione, quàm cœlestia bona requirunt, quorum preces Apostolus in ipsâ de quâ loquimur sententiâ, specialiter reprehendit. Cùm enim dixisset, *Petitis, & non accepitis, eo quòd malè petatis*, adiunxit continuò: *Vt in concupiscentijs vestris insumatis.*

Iacob. 4. v. 3.

Non vetitum temporalia petere, dum debito ordine & fine petuntur.

Neque autem prohibentur ciues patriæ cœlestis in terrâ peregrinantes, B pro pace temporum, pro salute corporum, pro vbertate frugum, pro serenitate aurarum, pro cæteris huius vitæ necessariis Dominum petere, si tamen hæc non nimiè petantur, & si ob id solummodò petantur, vt abundante viatico in præsenti, liberiùs ad futura dona tendatur. Sed quia sunt, qui temporalem quietem & prosperitatem à suo creatore requirunt, non quidem vt eidem creatori deuotioribus animis obediant, sed vt abundantiùs comessationibus & ebrietatibus vacent, & securiùs ac licentiùs suis concupiscentiis, suæ carnis seruiant illecebris, meritò tales malè petere dicuntur. Verùm quia omnes huiuscemodi petitores, eo quòd male petant accipere non me- C rentur, studeamus dilectissimi & benè petere, & digni ad obtinenda quæ petimus existere. Quod ita fit, si & ea quæ Deus iussit orando quærimus, & quales ipse nos fieri docuit, tales ad orandum procedimus, & intenti in precibus donec impetremus insistimus.

Matth. 6. v. 33.

Quærenda primùm regnum Dei, & eius iustitia, nempe charitas, fides, & spes.

Si autem scire cupimus quæ ipse nos petere velit, audiamus illud Euangelicum: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Regnum autem Dei & iustitiam eius quærere, est cœlestis patriæ dona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad hæc perueniri debeat, indesinenter inquirere: ne si à viâ fortè quæ illò ducit, aberremus, peruenire quò nitimur minimè queamus. Quod si D verba Domini & Saluatoris nostri, quibus nos de exemplo terreni parentis ad rogandum Deum Patrem hortetur, diligenter inspicimus, citiùs agnoscimus quæ sit maximè iustitia, quæ iter nobis regni cœlestis aperiat. *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?*

Luc. 11. v. 11.

Aperta etenim est comparatio hæc, & cunctis audientibus ad intelligendum facillima: quia si homo quilibet mortalis ac fragilis, & peccati adhuc carne grauatus, petentibus se filiis quos diligit, quæ habet bona quamuis terrena & fragilia dare non denegat, multò magis Pater cœlestis petitoribus E suis suo timore & amore præditis, non defectiua in cœlis bona largitur.

Caritas, panis symbolo designata.

Sed iuxta typicam intelligentiam panis dilectionem significat, quia sicut ille principalis est cibus, ita vt sine eo mensa inops videatur, ita hæc principalis est virtus, ita vt sine illâ virtute reliquæ spiritales virtutes esse nequeant. Quia nimirum quicquid boni agitur, in solâ dilectione perficitur. Vnde dicit Apostolus, quia si linguis hominum loqueretur & Angelorum, & si haberet prophetiam, & nosset mysteria omnia, & omnem scientiam, & si haberet omnem fidem ita vt

1. Cor. 13. v. 1.

A montes transferret, & si distribueret omnes facultates suas in cibos pauperum, & si traderet corpus suum ita vt arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodesset. Charitas autem vera est, quâ Dominum ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute, & proximum tanquam nosipsos diligere præcipimur.

Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37.

Nec tantùm proximis & amicis, verùm etiam inimicis perfectus quisque beneficium dilectionis impendere debet, Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est.*

Matth. 5. v. 44.

Fides, piscis.

In pisce autem B fides non ficta exprimitur. Quomodò enim piscis sub tegumento aquarum nascitur, viuit, & alitur, sic & fides quæ in Deum est, quæ alterius vitæ gaudia per lamenta præsentia fletúsque requirit, inuisibiliter in corde gignitur, inuisibili gratiâ Spiritus per aquam baptismatis consecratur, inuisibili auxilio diuinæ protectionis ne deficiat nutritur, inuisibilium præmiorum intuitu quæque valet bona operatur, memor illius Apostolici: *Quia quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*

2. Cor. 4. v. 18.

Possumus & hoc dicere, quia piscis in eo fidei typum teneat, quòd sicut ille crebris maris fluctibus tunditur nec perimitur, ita fides firma C quantislibet aduersantis pressuris mundi impugnetur, inconuulsa persistat: imò etiam de certamine gloriosior exsistat, adiuuante illo qui missis ad prædicanda eiusdem fidei bona discipulis ait: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite: ego vici mundum.*

Ioan. 16. v. 33.

Spes, ouū.

Porrò per ouum, spei nostræ certitudo signatur: quia in ouo nondum fœtus cernitur, sed futuræ auis fœtus speratur. Et fideles quique necdum in præsenti supernæ patriæ gloriam quam credunt intuentur, sed futuram sperando præstolantur. Vnde dicit Apostolus: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.*

Rom. 8. v. 25.

Hæc igitur sunt, fratres charissimi, bona quæ principaliter à Domino petere, hæc iustitia regni D Dei, quâ ante omnia quærere debemus, fides videlicet, spes, & charitas, quia scriptum est: *Iustus ex fide viuit. Sperantes autem in Domino misericordia circundabit.* Et, *Plenitudo legis est dilectio. Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et iterum: *Dilectio proximi malum non operatur.*

Habac. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17. Psal. 31. v. 10. Rom. 13. v. 10.

Non est autem metuendum, ne si gratiam dilectionis à Domino piâ deuotione quæramus, si intimo ex corde dicamus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ille cor nostrum rigore odiorum constringi permittat.

Matth. 6. v. 11.

Lapis, odiorum rigor.

Hunc etenim rigorem per duritiam lapidis insinuat, cùm dicit: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Non est formidandum, ne si fortitudinem fidei contra hostis anti- E qui tentamenta precemur toto ex corde, dicentes, *Domine auge nobis fidem*, ille nos infidelitatis sinat interire venenis.

Luc. 17. v. 5.

Serpens, infidelitatis virus.

Iurè enim nomine serpentis virus infidelitatis, quod per ipsum generi humano aspersum est, exprimitur, cùm dicitur: *Aut si piscem petit, nunquid pro pisce serpentem dabit illi?*

Scorpio, desperatio futurorum.

Non est timendum, ne si spem cœlestium bonorum, per quam præsentia, aduersa simul & prospera contemnere possimus, à Domino postulemus, ille auditum auertat, ac nos desperatione futurorum retrò respicere, id est, ea quæ reliquimus, patiatur labentis sæculi commoda

virulenta requirere. Rectè namque immutatio A
boni propositi nociua, & concupiscentiæ carna-
lis repetitio veneno scorpionis, quod retrò, id
est, in caudâ gestat, comparatur cùm dicitur:
*Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scor-
pionem?* Hæc itaque petamus à Domino, cha-
rissimi, vt scilicet alimentum nobis puræ charita-
tis, sinceræ fidei, certæ spei tribuat: vt duritiam
odiorum, vt perfidiæ virus, vt aculeum nobis
desperationis, qui ad caduca retrahere solet, au-
ferat; & absque vllâ dubietate quod petimus ac-
cipiemus. Ait enim veridicâ voce Ioannes Apo-
1. *Ioan.* 14. *v.* 14. stolus, *Quia quæcunque petierimus secundum
voluntatem eius, audit nos.* Sed & ipse Domi-
nus certam nobis fiduciam dat impetrandi quæ B
rectè petimus, cùm subiungit.

V. 13. *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data
dare filijs vestris, quantò magis Pater vester de
cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Malos
Discipuli vt dicti mali. autem vocat discipulos, qui vtique quantum ad
humanum spectat iudicium, boni erant, quia ni-
mirum nemo est, qui in hac vitâ à cunctis valeat
immunis esse delictis, Salomone affirmante qui
Eccl. 7. *v.* 21. ait: *Quia non est homo iustus in terrâ, qui faciat
bonum & non peccet.* Vnde prouidè Dominus,
qui grauibus peccantium reatibus grauiora pœ-
nitendi medicamenta demonstrat, ipse quotidia-
nos electorum erratus, qui verbo maximè vel D
cogitatu contingunt, quotidianis orationum stu-
diis docet debere curari, quos inter alias sic orare
Matth. 6. *v.* 12. præcipit: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut &
nos dimittimus debitoribus nostris.* Vel certè ma-
los appellat discipulos, quia in comparatione
diuinæ bonitatis omnis creatura mala esse proba-
Marc. 10. *v.* 18. tur, dicente Domino, *Nemo bonus, nisi vnus
Deus:* cùm tamen participatione eiusdem diui-
næ bonitatis, rationalis creatura bona fieri posse
cognoscitur. Vnde & Dominus piâ promissione
testatur, quia *Pater de cœlo dabit Spiritum bo-
num petentibus se*: vt profectò ostendat, quia qui

A ex seipsis mali sunt, per acceptam Spiritus gra-
tiam boni possunt effici. Spiritum bonum peten- Qui sunt mali ex se, per Spiritus gratiâ boni fieri possũt.
tibus dandum à Patre pollicetur, quia siue fidem,
spem, charitatem, siue alia quælibet bona cœle-
stia desideramus adipisci, non aliter nobis hæc
quàm Spiritus sancti donum tribuuntur. Hinc
est enim quòd idem Spiritus in Esaiâ, spiritus sa-
pientiæ & intellectus, spiritus consilij & forti- *Isai.* 11. *v.* 2.
tudinis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus ti-
moris Domini: & in alio loco Spiritus dilectio- 2. *Cor.* 13. *v.* 11.
nis & pacis, spiritus gratiæ & precum nomina-
tur: quia nimirum quicquid boni veraciter ha- Omnia in nobis bona à Spiritu sancto.
bemus, quicquid boni agimus, hoc eodem Spi-
ritu largiente percipimus. Quod intelligens Pro-
B pheta cùm cordis munditiam quæreret, dicens,
Cor mundum crea in me Deus, continuò sub- *Psa.* 50. *v.* 12.
iunxit: *Et Spiritum rectum innoua in visceribus
meis.* Quia si non interiora nostra Spiritus domi-
ni rectus impleuerit, cor in nobis mundum vnde
sit non habet. Cùm operis boni profectum con-
cupiscens dixisset: *Domine ad te confugi, doce* *Psal.* 142. *v.* 9.
me facere voluntatem tuam, statim quo hunc
ordine consequi deberet ostendit, cùm subdidit:
Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. *Ibid v.* 10.
Cuius vestigiis iuxta modulum nostrum, fratres
dilectissimi, adhærentes, petamus Deum Patrem,
vt Spiritus sui gratiâ nos in viam rectæ fidei, quæ
D per dilectionem operatur, inducat. Et vt optata
mereamur obtinere, taliter viuere studeamus, ne
tanto Patre simus indigni: quin potius mysterium
regenerationis, quo in baptismate filij Dei su-
mus effecti, illibato semper corpore pariter &
mente seruemus. Certum namque est, quia si
summi Patris mandata sectamur, remunerabit
nos hæreditate sempiternæ benedictionis, quam
nobis ante sæcula parauit, per Dominum no-
strum Iesum Christum, qui cum eo viuit & re-
gnat Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia
sæcula sæculorum: Amen.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

IOAN. XVII.

FINITO SERMONE AD DISCIPVLOS, AD Patrem verba conuertit, & orare cœpit.



ÆC locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cœlum, dixit, Pater,
a Quam constitui tecum. b notum faciat.
venit,[a] hora: clarifica Filium tuum, vt Filius tuus[b] clarificet te.
c Secundum hominem. d Id est, hominis: sic etiam dedisti ei &c.
Sicut[c] dedisti ei potestatem omnis[d] carnis: vt omne quod dedisti
e Filio.
[e] ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt co-
gnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarifi-
f Vt te clarificem.
caui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi, vt faciam. Et nunc[f] clari-
g Ad dexteram tuam collocando. h Ab initio sic præordinatum est, vt Deus sic hominem illum exaltaret.
fica me tu Pater[g] apud temetipsum, claritate quam habui[h] priusquam mundus
i Non quòd iam perfecta sit manifestatio sine prouerbijs, sed quòd certissimè futura. k Non quo diceris Deus, quod erat notum in Iudæis, sed quo diceris Pater, quod sine Filio nesciunt. l Apostolis, & fere omnibus gentibus. m Instruendos. n Homini. o De quo iam non sum.
fieret, apud te.[i] Manifestaui[k] nomen tuum[l] hominibus,[m] quos dedisti[n] mihi[o] de
p Præscientiâ. q Ad docendum. r In fide permanserunt.
mundo.[p] Tui erant, & mihi eos[q] dedisti: &[r] sermonem tuum seruauerunt. Nunc

t Id est, cognouerunt quia à te sum: simul enim Pater dedit omnia, cùm genuit qui haberet omnia. t Per hoc cognouerunt, quia acceperunt.

s cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba quæ dedisti

u Inius. x Intellexerunt & tenuerunt. y Similiter verè.

mihi, u dedi eis. Et ipsi x acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui: & y crediderunt

z Quod est idem quòd, à te exiui. aa Id est, dedititis mundo.

diderunt quia tu me z misisti. Ego pro eis rogo: non aa pro mundo rogo; sed pro

bb Per quod iam non sunt de mundo, pro quo non rogo.

his, quos bb dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt:

cc Tantum. dd Quia citò futurum. ee Etsi prius fui. ff Corporali præsentiâ. Quia tardius exituri.

& clarificatus sum in cc eis. Et dd iam ee non sum in mundo: & hi ff in mundo sunt:

gg Exponit quomodò dixit, Non sum in mundo, sciens aliquos inde mouendos.

gg & ego ad te venio.

Glossa ordinaria, ex subiectis fere tractatibus desumpta, hîc omissa.

CATENA AVREA.

in idem Euang.

Ioan 17. v.1. Hom. 79. Ioan. 16. v. 33. HÆc *locutus est Iesus; & subleuatis oculis &c.* CHRYS. Quia dixerat Dominus, *In mundo pressuram habebitis*, post admonitionem ad orationem conuertitur; erudiens nos in tribulationibus omnia dimittentes, ad Deum refugere. Vnde dicitur, *Hæc locutus est Iesus.*

BED. Illa intelligi debent quæ in cœnâ locutus est: quædam quidem sedendo vsque ibi, *Surgite, eamus hinc*: *Ioan. 14. v. 31.* Deinde stando vsque ad hymni finem, cuius hoc est initium, *Et subleuatis oculis in cœlum &c*

Vbi supra. CHRYS. Propter hoc in cœlum oculos eleuauit, vt nos doceret extensionem quæ est in orationibus; vt stantes sursum aspiciamus, non oculis carnis solùm, sed & mentis.

AVGVST. Poterat autem Dominus in formâ serui, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde non solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio. Et, si illorum qui hæc aderant audituri, profectò & nostrum qui fueramus conscripta lecturi. Hoc autem quod ait, *Pater, venit hora*, ostendit omne tempus, & quid & quando facere vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est: Non autem credatur hæc hora fato vrgente venisse, sed Deo potiùs ordinante: Absit enim vt sidera mori cogerent siderum conditorem.

τὸ ἐκτενές. potiùs cõtentionem, ac vehemẽtem conatum. Tract. 104. in Ioan.

Lib. 3. HILAR. de Trin. Non diem autem, non tempus, sed horam venisse dicit. In horâ, diei portio est: Et quæ erit hæc hora? Nempe illa de quâ in tempore passionis discipulos confirmans locutus est, *Ecce venit hora vt Filius hominis clarificetur.* *Ioan. 12. v. 23.* Sed quomodò clarificandus erat Filius? Namque à cunis atque infantiâ vsque ad consummatum venerat virum; per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat; etiamnum conspuendus, flagellandus, crucifigendus erat. Quid ergo? nobis solùm hominem in Christo hæc erant contestatura? Sed non confundimur cruce. Clarificat Pater Filium. Quomodò tandem? Suffigitur cruci; sol de cursu operis defecit, & interitum suum, cum eo reliqua mundi elementa senserunt. Ad onus Domini in cruce pendentis terra intremuit, & eum qui moriturus erat intra se contestata est non capere. Proclamar Centurio, *Verè Filius Dei erat iste*, Prædictioni consentit effectus. Dominus dixerat, *Clarifica Filium tuum*: Non solùm nomine contestatus est esse se Filium, sed &

Clarificatus Christus signis & in Passione. Matth. 27. v. 54.

A proprietate quâ dicitur, *tuum*. Multi enim nos filij Dei, sed non talis hic Filius. Hic enim proprius & verus est Filius; origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione. Ergo post clarificationem eius, veritatem confessio consecuta est: Nam verum Dei Filiũ Centurio confitetur; ne quis credentiũ ambigeret, quod aliquis persequentiũ non negasset. *Christus verus Filius*

Vbi supra. AVGVST. Sed si passione clarificatus dicitur, quantò magis resurrectione? Nam in passione magis eius humilitas quàm claritas commendatur. Quod ergo ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, sic intelligendum est, tanquam dixerit, B Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis.

L. 3. de Tri. HILAR. Sed fortè infirmus reperietur Filius, dum clarificationem potioris expectat? Et quis non Patrem potiorem confitebitur, cùm ipse dicat, *Pater maior me est*? Sed cauendum est ne apud imperitos gloriam Filij honor Patris infirmet: Nam sequitur, *Vt Filius tuus clarificet te.* *Ioan. 14. v.28.* Non ergo infirmus est Filius, vicem clarificationis ipse, cùm clarificatus sit, redditurus. Ergo expostulatio clarificationis dãdæ vicissimque reddendæ, eandẽ vtroque ostendit diuinitatis virtutem.

Tract. 105. in Ioan. AVGVST. Meritò autem quæritur, quomodò Patrem clarificauerit Filius, cùm sempiterna claritas Patris nec diminuta fuerit in formâ humanâ, nec augeri potuerit in suâ perfectione diuinâ? C Sed apud homines minor erat, quando in Iudæâ tantummodò Deus notus erat. *Psal. 75. v. 2.* Quia verò per Euangelium Christi factum est vt Pater innotesceret Gentibus, Patrem clarificauit & Filius. Dicit ergo, *Clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te*: *V. 2.* Ac si dicat, Resuscita me, vt innotescas toti orbi per me. Deinde magis pandens quomodo clarificet Patrem Filius, subiungit, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Omnem carnem dixit omnem hominem, à parte totum significans. Hoc autem quòd potestas Christo à Patre data est omnis carnis, secundum hominem intelligendum est.

D HILAR. de Trin. Caro enim factus ipse, vitæ æternitatem erat caducis, & corporeis & mortalibus redditurus. *Libr. 3.*

HILAR. de Trin. Vel acceptio potestatis sola est significatio natiuitatis; in quâ accepit id quod est. *L. 9.* Non est infirmitati datio disputanda, cùm in eo significetur Pater esse quòd dederit; & in eo Filius Deus maneat, quòd vitæ æternæ dandæ acceperit potestatem.

Hom. 79. CHRYS. Dicit autem, *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, vt ostendat quòd non ad Iudæos solos sua prædicatio, sed ad totum orbem terrarum extenditur. Sed quid est quod dicit *omnis carnis*?

Nun enim vtique omnes crediderunt. Et quidem (quantum ex eu est) omnes crediderunt: Si verò non attendebant his quæ dicebantur, non eius qui dicebat, est criminatio, sed eorum qui non susceperunt.

AVGVST. Dicit ergo, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ita te glorificet Filius*; id est, notum te faciat omni carni, quam dedisti ei. Sic enim dedisti, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

L. 3. V. 3. HILAR. de Trin. Sed in quo tandem æternitatis vita est, ostendit cùm subdit: *Hac est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, &c.* Vita est verum nosse Deum, sed solum hoc non facit vitam. Quid ergo connectitur? *Et quem misisti Iesum Christum.*

L. 4. HILAR. de Trin. Deum autem Arriani intelligunt solum Patrem vnum Deum, solum iustum, solum sapientem. A communione horum secundum hos Filius separatur. Solius enim (vt aiunt) propria non participantur ab altero. Quæ si in Patre solo & non in Filio existimabuntur, necesse est vt Filius Deus fallus & insipiens esse credatur.

L. 5. HILAR. de Trin. Nulli autem dubium est, verum ex naturâ, & ex virtute esse. Verum enim triticum est quod io far comminutum, & in panem coctum, & in cibum sumptum reddit ex se & naturam panis & munus. Quæro ergo quomodo Filio veritas desit, cui non desit Dei nec natura nec virtus? Naturæ enim suæ virtute vsus est, vt essent quæ non erant, & fierent quæ placerent.

L. 9. HILAR. de Trin. An fortè quòd ait, *Te solum*, communionem atque vnitatem suam à Deo separat? Separat sanè, si non ad id quod ait, *Te solum verum Deum*, continuò subiecit, *Et quem misisti Iesum Christum.* Pet id enim Ecclesiæ fides Christum verum Deum confessa est, quòd solum verum Deum Patrem confessa sit. Non enim vnigenitu Deo naturæ demutationem naturalis natiuitas intulit.

L. 6. c. 9. AVGVST. de Trin. Videndum est ergo an intelligere cogamur, cùm dictum est Patri, *Vt cognoscant te solum verum Deum*, tanquam hoc insinuare voluerit, quia & solus Pater verus Deus est; ne non ipsa tria simol (Patrem & Filium & Spiritum sanctum) intelligeremus esse Deum: Nunc ergo ex Domini testimonio, & Patrem solum verum Deum dicimus, & Filium solum verum Deum, & Spiritum sanctum solum verum Deum; & simol Patrem & Filium Spiritum sanctum (id est, simul ipsam Trinitatem) non tres veros Deus, sed vnum verum Deum.

Tract. 105. AVGVST. super Ioan. Vel ordo verborum est, vt te, & quem misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim & Spiritus sanctus intelligitur; quia Spiritus est Patris & Filij tanquam charitas consubstantialis amborum. Sic igitur Filius glorificat te, vt omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis in vita æternâ, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vitâ æternâ; Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit: Summa tunc Dei clarificatio, quia summa gloria. A veteribus autem gloria definita est, *Frequens de aliquo fama cum laude.* Ac si homo laudatur cùm famæ creditur, quomodò Deus laudabitur, quando ipse videbitur? Propter quod scriptum est, *Beati qui habitant in domo tuâ: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ibi erit Dei sine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio; ideo clarificatio.

Cicero de Inuent. Pro Marcello definit, Il-lustris & peruagata multorum & magnorum fama meritorum.

Lib 1. c. 8. Exod. 3. v. 14. AVGVST. de Trin. Quod dixit famulo suo Moysi, *Ego sum qui sum*, hoc contemplabimur, cùm viuemus in æternom.

L. 1. c. 8. AVGVST. de Trin. Cùm enim fides nostra viuendo fiet veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit æternitas.

Vbi supra. AVGVST. super Ioan. Sed priùs hîc clarificatur Deus, cùm annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem credentibus prædicatur: Propter quod dicit, *Ego te clarificaui super terram.* V. 4.

L. 4. HILAR. de Trin. Hæc quidem clarificationis vicissitudo non pertinet ad diuinitatis profectum, sed ad honorem qui ex cognitione ignorantium suscipiebatur.

Hom. 79. CHRYS. Vnde bene dixit, *super terram*: In cœlo enim glorificatus fuerat, & io naturâ gloriam habens, & ab Angelis adoratus. Non igitur de illâ gloriâ ait, quæ substantiæ eius est, sed de eâ quæ ad culturam hominum pertinet. Vnde subdit, *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.*

Tract. 105. AVGVST. in Ioan. Non ait, iussisti, sed, *dedisti*; vbi commendatur euidens gratia. Quid enim habet quod non accepit etiam io Vnigenito humana natura? Sed quomodò consummauit opus quod accepit vt faciat, cùm restet adhuc passionis experimentum? nisi consummasse se dicit, quod se consummaturum certissime nouit.

L. 9. HILAR. de Trin. Post quæ, vt meritum obedientiæ, & sacramentum totius Dispensationis intelligeremus, adicit, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum.*

Vbi supra. AVGVST. in Ioan. Cùm videret illius prædestinatæ suæ glorificationis venisse iam tempus, vt & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione iam factum, orauit dicens, *Et nunc clarifica me, &c.* Id est, illam quam habui apud te in prædestinatione tuâ, tempus est vt apud te habeam claritatem etiam viuens in dexterâ tuâ.

L. 3. HILAR. de Trin. Vel orabat vt quod ex tempore erat, gloriam eius quæ sine tempore est claritatis, acciperet; vt in Dei virtutem, & spiritûs incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. 1. Cor. 15. v. 54.

Reliqua ex solis Chrysostomo & Augustino congesta (si vnum, aut alterum Bedæ verbulum excipias) quòd integri eorum tractatus hîc habeantur, existimato ordine à sancto Doctore digesto, consultò omissa.

ADDITIO AD CATENAM Auream.

Ex Cat. Cord.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 17. v. 1. PAter, venit hora. AMMONII. Assumptâ orationis formâ, docet nos in tentationibus orare, & ad Deum confugere.

INCERTI AVCTORIS. Horam, vocat,

opportunum passionis tempus; quo scilicet pati A statuisset, vt & in Vini miraculo dixit: non verò *Ioan. 2. v. 4.* ineuitabilem fati legem.

AMON. Ne scandalizarentur auditores, per dispensationem dicit, *Quod dedisti mihi.*

V. 3. *Hac est autem vita aterna, &c.* AMMON. Aduertendum rectam fidem, veram esse vitam, quæ donis proprijs credentes impartiat. Missum se dicit, non qui necessitate Paternæ sit obsecutus voluntati, vti Angeli, sed qui eius virtus existat.

V. 4. *Opus consummaui.* SEVERI. Ei enim qui sit Deus per naturam, cuncta facillima; ac futura, præsentia sunt. Ideirco cùm homo factus esset, vt pro nobis carne moreretur, ac B nostram, quâ tenebamur, mortem dissolueret; posito iam fundamento & radice (decreto, inquam, incarnationis) cuncta deinceps serie sequebantur, propter quæ homo fieri voluerat; aderantque iam, ac peracta erant, crux, mors, resurrectio, immortalitas, incorruptio; orbis vniuersi, quam præstiturus erat, ad pietatis cultum conuersio. Sic enim comparatum, vt & fructus radicem consequatur.

Et nunc clarifica me tu Pater, &c. DIDY- *V. 5.* MI. Filij mundo anterior claritas, quid aliud sit, præter ipsum Deum Verbum, veram ipsam lucem? Non enim, tanquam aliud sit præter claritatem, ab aliâ claritate per alium clari- C ficatur, qui ipse, vt superiùs dicebam, Dominus claritatis, ac Rex claritatis (siue gloriæ) sit. Verùm cùm semet ipse exinanierit, formam serui accipiens (nam *Verbum*, inquit, *caro factum est.* Et, *Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem*) multique tantam eius inclinationem, inque nostrum vsum demissionem non crederent, multi Deum factum hominem non admitterent, idcirco suam deitatem his, qui ignorabant, manifestari volens, *Pater*, inquit, *clarifica Filium tuum*; hoc est, notum facito his qui me ignorant; manifesta quam habeo apud te claritatem, qui Verbum existam. D

1. Cor. 2. v. 8. Psal. 23. v. 10. Ioan. 1. v. 14. Isai. 53. v. 2.

IVLII EPISCOPI. Quando etiam dicit, *Clarifica me*, de corpore sermo est: quodque totum vnum sit, corporis clarificatio toti ascribitur. Cumque rursus subdit, *Claritate quam habui antequam mundus esset, apud te*, claram semper, ac gloriosam deitatem significat: competitque id specialiter atque propriè deitati, etsi communiter de composito dictum est. Sic & Deo consubstantialis, & spiritus inuisibilis dictus est; eà scilicet ratione, quòd vnà cum corpore etiam Deitas comprehendatur. Rursúsque Spiritus ille consubstantialis, non imminutà corporis naturà in consubstantiali vnione ad E Deum, ac consubstantialis communicatione vocabuli nobis vnitus est: sicut nec natura deitatis in communicatione corporis humani, & in carnis appellatione nobis consubstantialis, demutata est.

Nêpe Romani, cuius perinde citantur aliæ quædã etiam illi ab hæreticis afficta.

Est, quod nostri vocant communicationem idiomatum.

AMMONII. Orantis specie, per dispensationem, ac indulgentiâ hoc dicit: Ac si dicat, Ostende hominibus quisnam sim, ne propter carnis meæ passionem, nihil Verbo dignum reputantes permaneant.

V. 10. *Et mea omnia tua sunt.* AMMON. Nihil est Patris, quòd non sit Filij, & è contrà.

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI, Euangelij superioris expositio.

Est 79. in Ioan. 17. v. 1. in Cod. Græco &c.

HOMIL. I.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

QVi fecerit, & docuerit, inquit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum: & meritò sanè. Verbis enim philosophari, facile est: re autem virtutem ostendere, eius qui generosi B pectoris, ac magnus est. Quare Christus de patientiâ differens, seipsum medium producit, iubens inde exempla accipiant. Idcirco etiam hac admonitione defunctus, ad orationem conuertitur, erudiens nos, vt in tentationibus, cunctis omissis ad Deum confugiamus. Nam quia dixerat, *In mundo afflictionem habebitis*, eorumque concusserat animos, orationis rursus compendio erigit. Adhuc enim tanquam homini auscultabant. Atque hæc in eorum gratiam, vti & in Lazaro facit. Et causam dicit, *Propter turbam, quæ circumstat, dixi, vt credant quòd tu me miseris.* Sanè, inquies, hæc meritò propter Iudæos; quorsum verò propter C discipulos? Quin & in eis congruè, aptáque ratione. Quia enim post tot, tantàque dicebant, *Nunc scimus, quòd scis omnia*, omnium maxime vt confirmarentur opus habebant. Præterea, neque Euangelista vocat orandi ambitum. Quid igitur? *Subleuauit oculos suos in cœlum*; ac rem potius sermonem cum Patre dicit. Quòd si alibi orationem appellat, inque genua prouolutum, oculos in cœlum leuare ostendit, noli perturbari. His enim docemur intenti animi, ac acris in orationibus diligentiam, vt & stantes suspiciamus, non carnis tantùm, sed & animi oculis; & vt cordis contritione genua flectamus. Venit enim Christus, D non solùm vt se proderet, velutque ostentaret, sed vt etiam summam quandam ac absolutissimam virtutem doceret. Magister autem nedum verbis, sed & rebus erudiat, necesse est. Audiamus itaque quid hoc loco dicit.

Matth. 5. v. 19.

Christi exemplum orandi in tentationibus.

Ioan. 16. v. 33.

Ioan. 11. v. 42.

Ioan. 16. v. 30.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te. Iterum ostendit se non inuitum ad crucem venire. Quomodò enim qui rem in votis haberet, ac claritatem, nedum suam, qui in crucem agendus esset, sed & Patris, vocaret? Ac planè sic euenit. Non enim Filius tantùm, sed & Pater clarificatus est. Nam ante crucem, ne Iudæi quidem illum nouerant. *Israël* enim, inquit, *me non cognouit*: E at post passionem, orbis propensè vniuersus accessit. Inde dicit claritatis modum, ac quà eum clarificaturus sit. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, non pereat.* Beneficiorum enim largitas, ad Dei semper claritatem facit. Quid autem est, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis?* Hactenus ostendit, non ad solos Iudæos contracta Euangelij munera, sed fore vt in vniuersum se orbem prædicatio extendat; ac Gentibus præstruit viam. Cùm enim dixisset, *In viam Gentium ne abieritis*; essetque postmodum dicturus, *Euntes, docete omnes Gentes*; ostendit hanc esse Patris voluntatem. Hæc

Crux, Christi ac Patris claritas, seu gloria.

Isai. 1. v. 3.

V. 2.

Alij. det eis vitam æternam. vt & ipse infra Chrysostomus.

Matth. 10. v. 5. & 28. v. 19.

enim res, Iudæos grauiùs offendit: quin & discipulos. Nec enim facilè postea Gentes sustinebant, quoad Spiritus sancti doctrinam acceperunt. Quippe haud parum inde Iudæis offendiculi erat. Post tantam sanè Spiritus exhibitionem, Petrus Hierosolyma veniens, vix diluere crimen potuit, lintei visionem edicens. *Act.11.v.3.*

Quid verò sibi vult, *Dedisti ei potestatem omnis carnis?* Quando hanc accepit potestatem (interrogabo hæreticos) antè, an post eos formatos? Nam ipse quidem postquam crucifixus est, & resurrexit; tunc sanè dicit, *Data est mihi omnis potestas: Euntes docete omnes Gentes.* *Matth.28. v.19.* Quid igitur? Deerat illi operum suorum potestas? At fecit quidem, eorum tamen non habuit potestatem, postquam fecit? Atqui facere illum, B etiam antiquis temporibus, liquet; atque alios quidem ceu peccati reos, punire (*Num abscondam*, inquit, *à seruo meo Abraham, quod facturus sim?*) *Gen.18.v.17* alios autem, tanquam virtutis partes implentes, honore afficere. Ita, tunc quidem habuerat, ac modò amiserat, rursusque accepit? Et quis hæc dæmon dicat? Quod si eadem & tunc, & in præsentia tom potestas; ait enim, *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat;* *Ioan.5.v.21* quid est quod ijs verbis significat? Missurus erat eos ad Gentes: ne ergo putarent rem nouam esse, ac alienam, quòd dixisset, *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël,* *Matth.15. v.24.* C ostendit id quoque Patri visum esse. Quòd si hoc longè abiectiùs ac humiliùs loquitur, nihil mirum. Sic enim illos tunc, ac eos qui futuri essent, ædificabat. Ac, quod dicebam, vbique nimiâ verborum vilitate, pro auditorum captu, ac imbecillitate indulgentiùs se loqui ostendebat.

At quid sibi vult, *omnis carnis?* Non enim omnes crediderunt. Atqui omnes, quod ad ipsum attinet, crediderunt. Quòd si non attenderont, non magistri hæc culpa est, sed eorum qui non acceperunt. *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Si hoc in loco ex humani sermonis more deiectiùs loquitur, ne mireris: facit D enim tum ob ea quæ dicta sunt, tum quòd semper de se quid ipse magnificum profari caueat, vt qui id auditoribus obstare nosset, nihil adhuc de illo magnum opinantibus. Denique Ioannes cùm ex suâ personâ loquitur, haud se ita gerit, sed sublimiùs venam attollit, dicens, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* *Ioan.1.v.3.* Quòd item vita, quòd lumen esset, quòd in propria venerit. Non quòd habeat potestatem, nisi acceperit, sed quòd alijs potestatem det, vt fiant filij Dei. Simili quoque Paulus ratione æqualem Deo dicit. *Phil.2.v.6.* Ipse verò humiliùs pro hominis ratione sic petit, *Vt omne quod dedisti ei, det eis vi-* E *tam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* *V.3.* Solum Deum verum dicit, ad eorum distinctionem, qui dij non sunt. Etenim eos ad Gentes missurus erat. Sin minimè ferant, eiusque vocis ratione, ac quòd *solus* dictum sit, Filiom ne sit verus Deus excluserint, etiam processu ne sit Deus sustulerint. Ait enim, *Gloriam quæ à solo Deo est non quæritis.* *Ioan. 5. v. 44.* Quid igitur non erit Deus Filius? Sin autem Deus est Filius, ac eius qui solus naturâ Pater dicatur, liquet etiam verum esse, ac eius qui verus & solus appelletur. *Filius verus Deus, vt veri naturâ Patris Dei Filius.* Quid verò? Cùm dicit Paulus, *Aut ego solus & Barnabas,* *1.Cor.9.v.9.* num Barnabam excludit? Minimè:

A vox enim *solus* ad hoc ponitur, vt distinguat ab alijs. Quòd si nec verus Deus est, quomodò veritas? Multum enim verum inter ac veritatem refert. Qui non sit verus homo, quid quæso dicemus? an nec hominem esse? Ita nisi verus Deus Filius est, quomodò erit Deus? Quanam verò ratione deos nos ac filios facit, qui non sit verus? Sed de his accuratiùs in alijs nobis dictum est. quare alia prosequamur.

V.4. *Ego te clarificaui super terram.* Rectè sanè super terram; nam in cœlo clarificatus erat, qui in naturâ claritatem habeat, ac ab Angelis colatur. Non ergo de illâ claritate dicit quæ eius concreta substantiæ est; quam etsi nemo clarificet, plenissimam in sempiternum habet, sed de eâ B quæ humano cultu exhibetur. Igitur illud etiam *Clarifica me*, eiusmodi est. Et vt ipsum noueris de hoc genere claritatis loqui, audi quæ sequuntur, *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Atqui res ipsa principium tantùm habebat; vel potiùs ne principium quidem; quomodò ergo ait, *consummaui?* Vel fecisse se quod suatuo esset partium, dicit; vel iam factum esse, quod esset futurum; vel (quod omnium maximè probo) eò factum, quòd bonorum radix fundamento posita erat, quam omninò, ac necessariò fructus secuturi essent; ac quòd demum posteris affuturus, atque ijs opem laturus esset. Idcirco rursus humilius, C *Quod*, inquit, *dedisti mihi.* *Christus vltrò, suaque voluntate incarnatus ac passus.* Sanè enim, quòd vt audiret, ac doceretur expectauerit, longè id ab eius claritate abest. Venisse enim suâ voluntate, ac sententiâ vt id expleret, vndique manifestum est: vt cùm Paulus ait, *Sic dilexit nos, vt traderet seipsum pro nobis.* *Gal.2.v.20* Et, *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* *Phil.2.v.7.* Et iterum, *Sicut dilexit me Pater, sic & ego dilexi vos.* *Ioan.15.v.9*

V.5. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te.* Et vbinam illa claritas? Esto meritò apud homines inglorius eras ob carnis vestem assumptam, quomodò & apud Deum clarificari quæ- D ris? Quid ergo hîc dicit? De incarnatione sermo est; quòd scilicet nondum carnis natura clarificata erat, nec induerat incorruptionem, nec ad regalem admissa consessum erat. Ideo non dixit, super terram; sed *apud te.* Hac & nos claritate donabimur pro nostri modulo, si virtutem amplectemur. *Sanctorum claritas futura Christi claritati affinis.* Ideo & Paulus ait, *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* *Rom.8.v.17* Innumeris ergo lacrymis prosequendi sumus, qui tantâ claritate propositâ, desidiâ ac somno nobis ipsi insidias tendimus. Etsi gehenna non esset, adhuc omnium essemus miserrimi, quibus cùm liceat cum Dei Filio regno potiri, ac clarificari, tantis E nos ipsos bonis defraudamus. Nonne si conscindi, si innumeras mortes mori, si innumeras animas & totidem corpora quotidie traditum iri opotteret; nonne hæc omnia, claritatis huius proposito præmio subeunda essent? Sed nos neque pecunias contemnimus, quas vel inuiti paulò post relinquemus. *Hominum stupor, ac socordia negligendo cœlestia.* Non contemnimus pecunias, quæ innumeris nos malis inserunt: quæ in terrâ nobis abeuntibus mensuræ sunt; quæ nostræ non sunt. Res enim non nostras administramus, etsi paternâ relictas hæreditate habeamus. Cùm verò etiam abundè gehenna sit, & vermis immortalis, & ignis inextinguibilis, & stridor dentium, quonam quæso hæc modo feremus? Quousque non despicimus, sed in rixas quotidie, &

contentiones, & verba otiosa quicquid est, inueni-A mus? Terram nutrimus, corpus saginamus, animam verò contemnimus. Rerum necessariarum nullam rationem, superfluarum & inanium plurimam habemus. Magnifica struimus sepulchra, splendidas domos ædificamus, seruorum omnis generis cateruâ constipamur, diuersos dispensatores comminiscimur, agrorum, domorum, pecuniarum præfectos constituentes, ac præpositorum præpositos; desolatæ verò animæ nulla nos cura tangit. Ecquisnam horum finis? Nonne vnum ventrem saturamus? nonne vnum corpus induimus? Quæ hæc tanta rerum perturbatio? Vt quid, ac quâ ex causâ quam vnam animam nacti sumus, conscindimus, grauemque nobis seruitutem indicentes, in tot rerum curas, atque munia distrahimus? Qui multis eget, multorum seruus est, etsi possidere ea videatur. Nam & seruorum herus seruus est, maiusque aliud genus obsequij dependit. Præterea sine seruis in forum ire non audet, noo ad balneum, non rus: seruis autem sine domino liber aditus est, quò velint: at, qui dominus videtur, nisi serui adsint, non audet domo progredi: ac si solus vel caput extulerit, ac prospectarit, ridiculus esse videtus.

Seruus, qui multorum eget operâ.

Fortasse aliqui nos irrident, cùm hæc dicimus, qui ipsi propterea magis deplorandi sunt. Nam C quòd hæc seruitus sit, libenter te interrogarem, an velles tibi necessarium, qui ori panem inferret, aut poculum labris admoueret: nonne dignum lacrymis munus istud reputares? Quid verò si ad incedendum continuè baculis indigeres, nonne te miserum, nonne infelicem eâ sorte prædicares? Sic nunc quoque te affici operæpretium esset. Nihil enim refert, siue quis iumentorum hæc obsequio, siue hominum consequatur. Quid quæso, noone & Angeli à nobis hoc differunt, quòd non tantis ac nos egeant. Igitur quantò paucioribus indigemus, tantò magis illis appropinquamus: quantò verò pluribus, tantò D magis in subsidiariam hanc vitam relabimur. Et vt hæc ita se habere intelligas senes interrogo, quam ij vitam beatam deprædicent, cùm his vanè addicebantur, an cùm modò exsuperant. Propterea enim illos ipsos in testes adduxi, quòd qui sunt iuuentutis illecebris ebrij, maximam seruitutem non intelligunt. Quid verò febribus laborantes, vtrum cùm quantò plus sitiendo plus bibunt, multisque indigent, beatos se ducunt, an quando prosperâ vtentes valetudine illâ siti liberati sunt? Num vides in omnibus miserum esse pluribus indigere, ac plurimum abesse à philosophiâ, maioremque id seruitutem ac cupiditatem E esse? Quid ergo sponte nostrâ, nobis miseriam augemus? Dic quæso, si sine tecto, & parietibus commodè viuere posses, nullumque ex domûs absentiâ damnum ferres, nonne id eligeres? Cur igitur imbecillitatis argumenta producis? Nonne eam ob rem Adamum beatum dicimus, quòd nullo indigeret, non domo, non vestibus? Sanè quidem. At nunc eo statu sumus vt egeamus: cur verò istud ipsum augemus? Nam si multi multa etiam ex vitæ necessarijs sibi defraudant, puta seruos, domos, pecunias; quam nos excusationem habebimus, qui necessitatis metas excedamus? Quantò magis egueris, tantò magis tuæ derogas libertati. Vera nàque ac summa libertas est, nullo penitus indigere: huic proxima, minimis, quâ maximè Angeli potiuntur, ac

Angelorum beata conditio, minimis egere.

Gen. 2.

Summa libertas, nullo egere

qui Angelos æmulantur. Id verò in mortali cõstitutos corpore præstare, vide quàm laudis sit. Hoc & Paulus ad Corinthios scribens dicebat, *Ego autem vobis parco*. Et, *Ne tribulationem carnis habeant huiusmodi*. Ideo χρήματα pecuniæ dicuntur, vt ijs in necessariis vtamur, non vt seruemus ac defodiamus. Hoc enim non est possidere, sed possideri. Si enim hoc spectaremus, quâ eas ratione augeamus, non vt iis commodè, exque honesto fruamur, ordo inuersus est, nosque illæ possident, noo illarum nos possessores sumus. Nos igitur à graui hac seruitute liberemus, ac tandem aliquando liberi euademus. B Quid tot, sicque varia nobis vincula industriè quærimus? Non sufficit tibi naturæ vinculum, & vitæ necessitas, totque negotiorum turba, sed & alia tibi nectis retia? Et quando cœlum nancisceris, inque eâ sublimitate constiteris? Ingens est, ac quod votis sufficiat, vt vel his omnibus excisis funiculis supernam adeas ciuitatem: tot alia restant impedimenta; quæ omnia vt superemos, frugalitatem sectemur. Hoc enim pacto etiam vitam æternam consequemur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum: Amen.

(Dei facilitet) Angelorum proxima, minimis.

1. Cor. 7. v. 28.

EIVSDEM, EVANGELII eiusdem expositio.

HOMILIA II.

EODEM Interprete.

MAgni concilii Angelus dicitur Dei Filius, tum aliorum, quæ docuit, gratiâ; tum præcipuè quòd ceu pro nuntii partibus, in hominum notitiam Patrem protulerit: quod & nunc dicit, *Manifestaui nomen tuum hominibus*. Nam cùm dixisset, illius se opus consummasse, id rursus enarrat, dicens quodnam sit illud opus. Atqui Dei nomen manifestum erat. Etenim Isaias ait, *Iurabitis Deum verum*. At quod sæpe dixi, & nunc dico, etiam manifestum erat, sed iis in Iudæis; nec tamen omnibus: nunc verò de Gentibus loquitus. Neque hoc duntaxat significat, sed quod etiam Patrem ipsum cognouerint. Haud verò par est nosse, esse illum rerum opificem, ac quòd Filium habeat. Manifestauit autem eius nomen, tum sermone, tum factis.

Isai 9. v. 6.

Isai 65 v. 16

Quos dedisti mihi de mundo. Quemadmodum superiùs ait, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum*. Et, *Nisi traxerit eum Pater meus*; ita & hoc loco, *Quos dedisti mihi*. Atqui ipse se viam esse dicit. Vnde constat duo his verbis innuere, quòd neque contrarius Patri sit, eò quòd eius voluntas est vt Filio credant. *Tui erant, & mihi eos dedisti*. Hic se Patri præclarè dilectum ostendit. Nam quòd nihil ei necesse esset vt illos acciperet, inde liquet. Ipse eos pariter condidit, ipse iis continuè prouidet, ac prospicit; quonam itaque modo accepit? At (quod dicebam) eius cum Patre concordiam istud ostendit. Quòd si quis humanis hæc rationibus velit expendere, atque ita vt verba sonant, non ampliùs erunt Patris. Siquidem enim habente Patre Filius non habebat; sanè constat, etiam vs Filio datis, Patrem à dominii iure decidisse: Ac (quod rursus absurdius) tunc quidem cùm apud Patrem essent, imperfecti inuenientur, qui tamen ad Filium venientes perfectionem adepti sint. Sed hæc vel dicta

V. 6.
Ioan. 6. v. 66. & 44.

ridicula. Quid ergo? Iis ostendit, etiam Patri visum vt ii crederent Filio.

v. 7. *Et sermonem tuum seruauerunt. Et nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te erant.* Quomodò sermonem seruauerunt? Mihi
Ioan. 3. v. 33. credendo, nec acquiescendo Iudæis. *Qui credit ei*, inquit, *signauit quia Deus verax est.* Qui-
Lectio improbata. dam dicunt, *Nunc cognoui, quoniam omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Sed ratio non constat. Quomodò enim ignoraturus esset Filius quæ sunt Patris? sed de discipulis dictum est. Ex quo, inquit, hæc locutus sum, didicerunt abs te esse, quæcunque mihi dedisti: nihil extraneum, nihil proprium mihi apud te esse. Proprium enim pro extraneo crebrius ponere consueuit. Cognouerunt ergo quicquid docuero, tua documenta ac præcepta esse. Vnde verò didicere? Ex verbis meis. Sic enim etiam docebam. Neque id modò, sed & quòd à te exiui. Hoc enim toto Euangelio studuit astruere.

v. 9. *Et pro eis rogo.* Quid dicis? Patrem doces velot nescius sit? Tanquam cum ignaro loqueris? Quid igitur sibi vult hæc diuisio? Vides quòd precetur aliud nihil in causâ esse, quàm vt suam erga eos dilectionem intelligant. Qui enim nedum fua præbet, sed & alterum ad eandem liberalitatem obsecrans prouocat, maius desiderium ostendit. Quid igitur est, *Pro eis rogo? Non pro toto mundo*, inquit, *sed pro his, quod dedisti mihi.* Assiduè vocem illam ponit, *dedisti*; vt intelligant etiam Patri rem videri. Deinde cùm crebrò adeò dixisset, *Tui sunt, & eos mihi dedisti*, vt prauam tollat suspicionem, ne quis recens ipsius arbitraretur imperium, ac tunc eos accepisse,
v. 10. quid ait? *Mea omnia tua sunt, & tua, mea: & clarificatus sum in eis.* Vidistin' pares honoris partes? Ne enim audiendo, *Quos dedisti mihi*, extraneos eos à Patris potestate, aut nihil antea ad Filium pertinuisse putares, vtrumque sustulit, quibus ita locutus est. Tanquam diceret, Noli, qoia audis Patrem mihi eos dedisse, à Patre alienos potare: nam quæ mea sunt, Patris sunt: nec quòd dixerim Patris esse, alienos à me existimes: nam quæ Patris sunt, mea sunt. Itaque ea particula, *Dedisti*, ad auditorum tantùm imbecillitatem dicta est. Quæ enim Pater habet, Filij sunt; & quæ Filius, Patris: id verò de Filio, eâ ratione quâ homo est, dici non potest. Verùm id, a propterea quòd minor sit dignitate. Nam quòd sit minoris, eius esse qui maior est, planè liquet. Contrà, minimè. Hic autem quæ est conuersio, æqualitatem ostendit. Id vt significaret alio item loco ait, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt*, cùm de scientiâ loqueretur. Illud autem, *Dedisti mihi*, & si qua huiusmodi sunt, eò dicta sunt, E vt ostenderet, non tanquam alienos venisset ad se eos traxisse; sed qui sui essent, accepisse. Inde causam, ac probationem inducit, *Et clarificatus sum in eis*; id est, vel quòd in meâ sunt potestate, vel quòd me sunt clarificatori, tibi & mihi credentes, ac pariter clarificantes. Sin autem non perinde in eis clarificatus est, non iam quæ sunt Patris illius sunt. Nemo enim in ijs clarificatur, in quibus potestatem non habet. Quomodò autem perinde clarificatus est? Omnes similiter pro eo ac pro Patre morte defuoguotur; prædicant sicut & Patrem; & quemadmodum in Patris nomine, sic & in nomine Filij, cuncta fieri dicunt.

v. 11. *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo* A *sunt*, Hoc est, quamuis in carne non appaream per hoc clarificor. Cur verò continuò dicit, se in mundo non esse; ac se, cùm ipsos dimittat, eos commendare; cùm in mundo esset, illos conseruasse? Nam si quis hæc simpliciùs exponat, multa sequentur absurda. Quomodò enim ratione nititur, ipsum in mundo non esse, ac cùm abeat, alteri eos commendare? Hæc enim velut puri hominis ijs obsequentis, continuè erant. Vides pleraque humano more disserere, exque illorum mente; qui scilicet præsentiæ illins præsidio tutiores se arbitrarentur? Idcirco ait, *Cùm* Ioan. 14. *essem cum eis, seruabam eos.* Atqui ait, *Venio ad* v. 18. *vos.* Et, *Vobiscum sum vsque ad consummationem.* Matth. 28. v. 20. Quomodò ergo tanquam discessurus hæc B loquitur? Verùm, vt dixi, ex eo quòd ijopinabantur, vt paulùlum recrearentur, cùm se Patri commendati intelligerent. Cùm enim multis, qoas adhibuerat, consolationibus non acquiescerent, postremò Patrem alloquitur, vt sui in illos vim amoris demonstret. Quasi diceret, Ex quo me ad te accersis, tutos eos reddas. *Ego enim ad te venio.* Quid dicis? Ergo non potes v. 11. seruare eos? sanè, possum. Cur igitur hæc dicis? *Vt gaudium meum plenum habeant.* Hoc est, ne v. 13. cùm sint imbecilliores, turbentur. Porrò dum hæc dixit, cuncta se eum in modum ad eos recreandos, & vt gaudio afficeret, locutum esse C ostendit. Nam videtur secum ipse sermo pugnare. *Nunc autem non sum in mundo; & hi sunt in mundo.* Ita nempe illi suspicabantur: idcirco se pro illorum rudi hactenus sensu demittit. Nam si dixisset, se illos seruaturum, haud ita fidem babuissent.

a Emendo, ἀλλ᾽ ὅπου δὲ μονοτικῆς ἰσοτιμίας. Vera hæc ratio, cur istud ἀντιστροφῶν, *Mea omnia sunt: & tua mea*: de Christo κατ᾽ ἄνθρωπον dici nequeat, quòd eâ ratione minor sit Patre: sed κατὰ Θεόν: vt Deus, non vt homo est. Edita Patis. μεῖζον ἐστιν ἰσοτιμίας. Saoil. μεῖζον νίον peræquè deprauata: nec ijs medicinam fecit, etsi voluit, quem idem Sauilius Boisium doctissimum laudat. D Eius verba sunt. *Hunc locum, qui sine dubio deprauatus est, ita restitui putat doctissimus Boisius.* τοῦτο δὲ οὐδὲ ἐπὶ τοῦ Υἱοῦ κατ᾽ ἀνθρωπότητα δύναται λέγεσθαι· ἀλλ᾽ ὅπου δὲ κατὰ Θεότητα ἐλάχιστ ἰσοτιμίας: delectis μεῖζον νίον, *vt sumptis ex lineâ sequenti.* Audacior censura, quæ sic facilè alia alijs verba substituat; quorum ipsâ permutatione Chrysostomi ratio aurea nihil cohæreat. Quod enim ita assumit Boisius, ille concludit sequentibus, ex eâ ipsâ humanitatis in Christo μονοτιμίας.

S. AVGVSTINI EPISCOPI

Euangelij eiusdem expositionis. Tract. 104. in Ioan.

HOMIL. I.

Ante ista quæ nonc sumus adiuuante Domino tractaturi, dixerat Iesus, *Hæc locutus* Ioan. 16. *sum vobis, vt in me pacem habeatis*: quæ non re- v. 33. centiora paulò superius ab eo dicta, sed omnia debemus accipere, siue quæcunque illis locutus est ex quo eos cœpit habere discipulos, siue certè ex quo post cœnam exorsus est hunc admirabilem prolixumque sermonem. Talem quippe commemorauit causam, cur eis sit locutus, vt ad eum finem rectissimè referantur, vel omnia quæ locutus est eis, vel ea maximè quæ dixit iam pro eis moriturus, tanquam verba nouissima, posteaquam de conuiuio sancto, ille qui eum fuerat traditurus, egressus est. Hanc ergo commoda-

Pax in Christo omnis Christi doctrinæ, ac reliquorum finis.

uit causam sermonis sui, vt in illo pacem habe- A
rent, propter quod totum agitur quòd Christiani sumus. Hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit. Propter hanc sacramentis eius imbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus & sermonibus erudimur, propter hanc Spiritus eius pignus accepimus: propter hanc credimus in eum, & speramus; & eius amore, quantum donat, accendimur. Hac pace in pressuris omnibus consolamur, hac à pressuris omnibus liberamur: propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, vt in hac feliciter sine vllâ tribulatione regnemus. Meritò ad eam clausit verba, quæ parum intelligentibus discipulis erant prouerbia: intellecturis ea quando eis de- B
disset promissum Spiritum sanctum, de quo superiùs ait, *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Hæc nimirum futura fuerat illa hora, quâ se promiserat iam non in prouerbijs locuturum, sed palam de Patre annuntiaturum. Eadem quippe ipsius verba, reuelante Spiritu sancto, intelligentibus iam non erant futura prouerbia. Neque enim loquente in eorum cordibus Spiritu sancto, taciturus erat vnigenitus Filius, qui dixit in eà horâ palam se illis annuntiaturum esse de Patre: quod eis vtique iam intelligentibus non C
esset prouerbium. Sed hoc quoque ipsum, quomodò simul loquantur in suorum spiritualium cordibus, & Dei Filius, & Spiritus sanctus; immò ipsa Trinitas quæ inseparabiliter operatur: intelligentibus est verbum, non intelligentibus autem prouerbium. Cùm ergo dixisset propter quid omnia sit locutus, vt in illo scilicet pacem haberent, in mundo habentes pressuram, exhortatusque fuisset vt confiderent, quia ipse vicit mundum: eo qui erat ad illos sermone finito, deinde ad Patrem verba direxit, & orare iam cœpit. Sic enim Euangelista sequitur, dicens.

Ioan. 14. v. 25.
Ioan. 16. v. 25.
Ioan. 17. v. 1

Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in D
cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Poterat Dominus noster vnigenitus & coæternus Patri, in formâ serui, & ex forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrû se esse doctorem. Proinde eam quam fecit orationê pro nobis, notam fecit & nobis: quoniã tanti magistri nõ solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio. Et si illorum qui hæc dicta aderant auditori, profectò & nostra qui fueramus conscripta lecturi. Quapropter hoc quod ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, ostendit omne tempus, & quid quando faceret vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subdi- E
tus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientiâ causas efficientes habent, in quâ nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora vrgente fato venisse, sed Deo potius ordinante. Nec siderea necessitas Christi contexuit passionem: absit enim vt sidera mori cogerent siderum conditorem. Non itaque Christum tempus vt moreretur impegit, sed tempus Christus quo moreretur elegit: qui etiam tempus quo de Virgine natus est cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est. Secundum quam veram sanamque doctrinam, etiam

A Paulus Apostolus, *Cùm autem venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et Deus per Prophetam, *Tempore*, ait, *acceptabili exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Et rursus Apostolus, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Dicit ergo, *Pater venit hora*, qui cum Patre disposuit omnes horas. Tanquam dicens, Pater, quam propter homines & apud homines ad me clarificandum simul constituimus, venit hora: *clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te.* Clarificatum à Patre Filium nonnulli accipiunt, in hoc quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur, quantò magis resurrectione? Nam in passione magis eius humi-
B litas, quàm claritas commendatur, Apostolo teste, qui dicit, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Deinde sequitur, & de eius clarificatione iam dicit, *Propter, quod & Deus illum exaltauit, & donauit ei nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Hæc est clarificatio Domini nostri Iesu Christi, quæ ab eius resurrectione sumpsit exordium. Humilitas ergo incipit in sermone Apostoli, ab eo loco vbi ait, *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*: & peruenit vsque ad *mortem crucis*. Claritas verò eius inci-
C pit ab eo loco vbi ait, *Propter quod & Deus exaltauit eum*; & peruenit vsque *in gloriâ est Dei Patris.* Nam & ipsum nomen, si inspiciantur codices Græci, ex quâ linguâ Epistolæ Apostolicæ translatæ sunt in Latinam, quod hîc legitur *gloria*, ibi legitur δόξα. Vnde verbum deriuatum est in Græco vt diceretur δόξασον, quod interpres Latinus ait *clarifica*, cùm posset etiam glorifica dicere, quod tantundem vale. Et ideo posset etiam in Apostoli Epistolâ, vbi est gloria, claritas poni: quod si fieret, tantundem valeret. Vt autem non recedamus à verborum sonis, quem-
D admodum à claritate clarificatio, sic à gloriâ glorificatio deriuatur. Vt ergo mediator Dei & hominum homo Christus Iesus clarificaretur vel glorificaretur, priùs humiliatus est passione: non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas charitatis est meritum, claritas humilitatis est præmium: sed hoc factû est in formâ serui. In formâ verò Dei semper est, semper est, semper fuit claritas: imò non fuit quasi iam non sit: nec erit quasi nondum sit; sed sine initio, sine fine semper est claritas. Quod ergo ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*: sic intelligendum est, tanquam dixerit, venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. Sed quid sibi vult quod sequitur, *Vt Fi-*
E *lius tuus clarificet te?* Nunquid etiam Deus Pater pertulit humilitatem carnis sine passionis, ex quâ illum clarificari oporteret? Quomodo igitur eum clarificaturus erat Filius, cuius claritas sempiterna, nec ex formâ serui potuit videri minor, nec in diuinâ potuit esse amplior? Sed istam quæstionem in hunc sermonem nolo coarctare, aut hinc eum facere longiorem.

Gal. 4. v. 4.
Isai. 49. v. 8.
2. Cor. 6. v. 2.
Clarificatus Christus & passione; sed præcipuè resurrectione.
Rom. 8. v. 32.
Phil. 2. v. 8.
Claritas & gloria vni voci Græcæ respondêt, quod est δόξα.
Humilitas claritatis meritum.

EIVSDEM, EVANGELII *eiusdem expositionis.*

HOMIL. II.

Tract. 105. in Ioan. CLarificatum à Patre Filium secundum formam serui, quam Pater suscitauit à mortuis, & ad suam dexteram collocauit; res ipsa indicat, & nullus ambigit Christianus. Sed quoniam non tantùm dixit, *Pater, clarifica Filium*; sed addidit etiam, *Vt Filius tuus clarificet te*; meritò quæritur quomodò Patrem clarificauerit Filius, cùm sempiterna claritas Patris nec diminuta fuerit in formâ humanâ, nec augeri potuerit in suâ B perfectione diuinâ. Sed in seipsâ claritas Patris nec minui nec augeri potest: apud homines autem proculdubiò minor erat, quando in Iudæâ Clarificatus à Filio Pater, eius in Gentibus notitiâ nominis. tantummodò Deus notus erat, nondum à Solis ortu vsque ad occasum laudabant pueri nomen Domini. Hoc autem quia per Euangelium Christi factum est, vt per Filium Pater innotesceret Gentibus: profectò Patrem clarificauit & Filius. *Psal. 75. v. 2.* *Psal. 112. v. 1.* *Psal. 49. v. 2.* Si autem tantummodò mortuus esset Filius, nec resurrexisset, proculdubiò nec à Patre clarificatus esset, nec Patrem clarificasset: nunc autem resurrectione clarificatus à Patre, resurrectionis suæ prædicatione clarificat Patrem. Hoc quippe *Ioan. 17. v. 2.* aperit ordo ipse verborum: *Clarifica*, inquit, *Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te.* C Tanquam diceret: Resuscita me, vt innotescas toti orbi per me. Deinde magis magisque pandens quomodò clarificet Patrem Filius, *Sicut dedisti*, inquit, *ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Omnem carnem dixit omnem hominem, à parte totũ significans: quemadmodum rursus à parte superiore significatus est homo totus, vbi ait Apostolus, *Omnis* *Rom. 13. v. 1.* *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quid enim dixit, omnis anima, nisi omnis homo? Et hoc autem quòd potestas Christo à Patre data est omnis carnis, secundum hominem intelligendum est: nam secundum Deum *omnia per ipsum* *Ioan. 1. v. 3.* *Col. 1. v. 16.* *facta sunt*, &, *in ipso condita sunt omnia in cælo & in terrâ, visibilia & inuisibilia.* D Sicut ergo dedisti ei potestatem omnis carnis, ita te clarificet Filius tuus: id est, notum te faciat omni carni quam dedisti ei. Sic enim dedisti, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

V. 3. *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ordo verborum est: vt te, & quem misisti Iesum Christum cognoscant solùm verum Deum. Consequenter enim & Spiritus S. Trinitatis expressio. sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filij, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum. Quoniam non duo Dij Pater & Filius, nec tres Dij Pater & Filius & Spiri- E tus sanctus: sed ipsa Trinitas vnus solus verus Deus. Nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritus sanctus *Al. aut.* qui Pater & Filius: quoniam tres sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas vnus est Deus. Si ergo eo modo te glorificat Filius sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, & sic dedisti ei, vt omne quod dedisti ei det eis vitam æternam; & hæc est vita æterna, vt cognoscant te: sic te igitur Filius glorificat, vt omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis viuere tendi- A mus, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vitâ æternâ. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa Dei clarificatio, in vitâ æternâ. Summa tunc Dei clarificatio: quia summa gloria, quæ Græcè dicitur δόξα. Vnde dictum est δόξασον, quod Latini quidam interpretati sunt clarifica, quidam glorifica. A veteri- Gloria, quid? bus autem gloria quâ gloriosi homines dicuntur, ita est definita; Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. At si homo laudatur cùm fama creditur, quomodò Deus laudabitur quando ipse videbitur? Propter quod scriptum est, *Beati qui habitant in domo tuâ, in sæcula sæculorum* *Psal 83. v. 5.* *laudabunt te.* Ibi erit Dei sine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio: & quia plena cognitio, ideo summa clarificatio. Sed prius hîc clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur. Propter quod dicit, *Ego te clarificaui super terram:* *V. 4.* *opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* Non ait, Iussisti, sed, *dedisti*: vbi commendatur Al. *consummatur.* euidens gratia. Quid enim habet quod non accepit, etiam in Vnigenito, humana natura? An non accepit, vt nihil mali, sed bona faceret omnia: quando in vnitatem personæ suscepta est à Verbo, per quod facta sunt omnia?

Sed quomodò consummauit opus quod accepit vt faciat, cùm restat adhuc passionis experi- C mentum, vbi Martyribus suis maximè præbuit, quod sequerentur, exemplum (vnde ait Apostolus Petrus, *Christus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius*) 1. Petr. 2. v. 21. Vulg. *vobis exemplum*, vt & Græca ὑμῖν: quamuis errore in Erasmi nouo Testã. ἡμῖν. nisi quia consummasse se dicitur, quod se consummaturum esse certissimè nouit? Sicut longè antè in prophetiâ præteriti temporis vsus est verbis, quando post annos plurimos futurum erat, quod dicebat. *Foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea:* non ait, fodient & dinumerabunt. Et in hoc *Psal. 21 v 18* *Ioan 15 v. 15 & 16. v. 12.* ipso Euangelio, *Omnia*, inquit, *quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis:* quibus ait postea, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis* D *illa portare modò.* Qui enim certis & immutabilibus causis omnia facta prædestinauit, quod fa- Al. *quicquid.* cturus est, fecit. Nam & per Prophetam dictum de illo est, *Qui fecit quæ futura sunt.*

Secundum hoc, etiam quod sequitur, dicit, *V. 5.* *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Nam [&] supra dixerat, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* In quo verborum ordine ostenderat priùs à Patre clarificandum Filium, vt Patrem clarificaret & Filius. Modò autem dixit, *Ego te clarificaui super terram; opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me:* tan- E quam prior ipse Patrem clarificauerit, à quo deinde vt clarificetur exposcit. Ergo intelligendum est vtroque verbo superius vsum, secundum id quod futurum erat, eoque ordine quo futurum erat, Clarifica Filium, vt te clarificet Filius: modò verò vsum fuisse verbo præteriti temporis de re futurâ, vbi ait, *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Deinde dicendo, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*, quasi posteriùs esset clarificandus à Patre, quem priùs ipse clarificauerat: quid ostendit, nisi superiùs vbi ait, *Ego te clarificaui super terram*, ita locutum se fuisse, tanquam fecisset quod facturus esset: hic autem poposcisse

vt Pater faceret, per quod illud Filius facturus esset, id est, vt Pater clarificaret Filium, per quam Filij clarificationem etiam Filius clarificaturus esset Patrem? Denique si de te quæ futura erat, ponamus etiam futuri temporis verbum, vbi pro tempore futuro posuit ipse præteritum, nulla sententiæ remanebit obscuritas: veluti si dixisset, Ego te glorificabo super terram, opus consummabo quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum. Nempe ita planum est sicut illud vbi ait, *Clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te*; & ipsa est omninò sententia, nisi quia & hîc dictus est eiusdem clarificationis modus, ibi autem tacitus, tanquam illud isto exponeretur eis quos poterat permouere, quomodò Pater Filium, & maximè quomodo Patrem clarificaret & Filius. B Dicendo enim clarificari à se Patrem super terram, se autem à Patre apud eundem Patrem: modum profectò vtriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificauit super terram eum Gentibus prædicando: Pater verò ipsum apud semetipsum, ad suam dexteram collocando. Sed ideo postea de clarificando Patre, vbi ait, *Ego te clarificaui*, verbum præteriti temporis ponere maluit, vt monstraret in prædestinatione iam factum, & pro iam facto habendum, quod certissimè fuerat futurum: id est, vt à Patre apud Patrem glorificatus, Patrem super terram glorificaret & Filius. Sed hanc prædestinationem in suâ clarificatione manifestiùs aperuit, C quâ cum clarificauit Pater; in eo quod adiunxit, *Claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te*. Ordo verborum est, quàm habui apud te priusquam mundus esset. Ad hoc valet quod ait, *Et nunc clarifica me*; hoc est, sicut tunc, ita & nunc: sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mundo quod apud te iam fuerat ante mundum: fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti.

Virus totũ Eutychianę hæresis habet hic Augustino error confutatus.

Hoc quidam sic intelligendum putarunt, tanquam natura humana quæ suscepta est à Verbo, converteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum, imò, si diligentiùs quod opinati sunt cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam ex istâ mutatione hominis vel duplica- D ri Deum Verbum dicturus est, vel augeri: vt aut duo fiot quod vnum fuit, aut amplius sit quod minus fuit. Porrò si naturâ humanâ in Verbum mutatâ atque conuersâ, Verbum Dei quantum erat, & quod erat hoc erit, vbi est homo si non perit? Sed ad hanc opinionem, quam veritati prorsus non video conuenire, nihil nos vrget: si Filio dicente, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset ante te*, intelligamus prædestinationem claritatis humanæ, quæ in illo est, naturæ, ex mortali immortalis apud Patrem futuræ: E & hoc iam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: cur abhorrere putatur à vero, si tunc Pater caput nostrum glorificauit, quando nos in ipso vt membra eius essemus, elegit? Sic enim nos electi, quomodò ipse clarificatus, quia priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Sed ille qui per ipsum inquantum Verbum eius est, etiam quæ futura sunt fecit, & vocat ea quæ

Eph.1.v.4.

1.Tim.2.v.5.

Rom.4.v.17

A non sunt tanquam sint: profectò secundum id quod mediator Dei & hominum homo est, ante mundi constitutionem pro nobis Deus Pater glorificauit ipsum, si tunc elegit etiam nos in ipso. Quid enim dicit Apostolus? *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum Deum vocati sunt.* * *Quos enim præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij eius: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos* autem *prædestinauit, illos & vocauit.* Nisi fortè ipsum prædestinatum dicere formidabimus: quia de nobis tantùm, vt efficiamur conformes imaginis eius, hoc dixisse videtur Apostolus. Quasi verò quisquam regulam fidei fideliter intuens, Filium Dei negaturus est prædestinatum, qui eum negare hominem non potest. B Rectè quippe dicitur non prædestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Vt quid enim prædestinaretur, cùm iam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat, quod nondum erat; vt sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat vt fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat, hunc eundem Filium hominis negat. Sed propter contentiosos etiam hinc audiamus Apostolum in suarum exordio literarum. Nam & in primâ Epistolarum eius, quæ est ad Romanos, & ipsius Epistolæ principium est, vbi legitur, C *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorũ.* Secundum hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est antequam mundus esset: vt esset claritas eius ex resurrectione apud Patrem, ad cuius dexteram sedet. Cùm ergo videret illius prædestinatæ suæ clarificationis venisse iam tempus, vt & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione iam factum, orauit dicens, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset* D *apud te*. Tanquam diceret, Claritatem quam habui apud te in prædestinatione tuâ; [iam] tempus est vt apud te habeam etiam viuens in dexterâ tuâ. Sed quoniam nos diu tenuit huius discussio quæstionis, alio quæ sequuntur sermone tractanda sunt.

Rom.8.v.28

* Sancti.

Christus prædestinatus.

Rom.1.v.1.

V.5.

EIVSDEM, EVANGELII

eiusdem expositio.

HOMILIA III.

E DE his verbis Domini, sicut ipse donauerit, sermone isto disputaturi sumus, quæ ita se habent, *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*. Quòd si de his tantùm dicit discipulis cum quibus cœnauit, & ad quos antequam orare inciperet, tam multa locutus est, non pertinet hoc ad illam clarificationem, siue, vt alij interpretati sunt, glorificationem, de quâ superiùs loquebatur, quâ Filius clarificat vel glorificat Patrem. Quanta est enim vel qualis gloria, duodecim vel vndecim potiùs innotuisse mortalibus. Si autem quod ait, *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*,

Tract.105.

V.6.

mundo, omnes intelligi voluit, etiam qui in eum fuerant credituri, ad eius magnam quæ futura erat omnibus gentibus Ecclesiam pertinentes, de quâ in Psalmo canitur, *In Ecclesiâ magnâ cõfitebor tibi:* (Psal. 21. v. 26.) Est planè ista clarificatio quâ Filius clarificat Patrem, cùm eius nomen notum facit omnibus gentibus, & tam multis generationibus hominum. Et tale est hoc quod ait, *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo*, quale illud quòd paulò antè dixerat, *Ego te clarificaui super terram:* pro tempore futuro & illic & hic præteritum ponens, sicut qui sciret prædestinatum esse vt id fieret, & ideo fecisse se dicens, quod erat sine vllâ dubitatione facturus. B Sed de illis qui iam erant discipuli eius, non de omnibus qui in illum fuerant credituri eum dixisse quod dixit, *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo:* ea quæ sequuntur, credibilius esse demonstrant. Cùm enim hoc dixisset, adiunxit, *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.* Quanquam & hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt specie perfecta, cùm adhuc essent futura: sed vt de his solis quos tunc habebat discipulis hæc loqui intelligatur, C illud magis vrget quod paulò pòst ait, (V. 12.) *Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine meo. Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura adimpleretur.* Iudam significans, qui tradidit eum. Ex isto quippe duodecimo numero Apostolorum solus perijt. Deinde subiungit, *Nunc autem ad te venio.* Vnde manifestum est eum de corporali suâ dixisse præsentiâ, *cùm essem cum eis, ego seruabam eos*, veluti iam cum eis eâ præsentiâ non esset. Eo modo enim significare voluit Ascensionem suam mox futuram, de quâ dixit, *Nunc autem ad te venio:* iturus vtique ad dexteram Patris. D Vnde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos præsentiâ itidem corporali, secundum fidei regulam sanamque doctrinam: nam præsentiâ spiritali cum eis erat vtique futurus post ascensionem suam, & cum totâ Ecclesiâ suâ in hoc mundo, vsque in consummationem sæculi.

Non itaque rectè intelliguntur de quibus dixerit, *Cùm essem cum eis, ego seruabam illos;* nisi hi quos in se credentes seruare iam cœperat præsentiâ corporali, & quos relicturus erat absentiâ corporali, vt eos cum Patre seruaret præsentiâ spiritali. Pòst verò adiungit & cæteros suos, vbi dicit, (V. 20.) *Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me.* E Vbi manifestiùs ostendit, quòd non de omnibus ad eum pertinentibus superiùs loqueretur, ab eo loco vbi ait, *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi:* sed de his tantùm qui eum cùm illa diceret, audiebant. Ab ipso itaque orationis suæ exordio vbi subleuatis in cœlum oculis dixit, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te*, vsque ad illud quod paulò pòst ait, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te:* omnes suos volebat intelligi, quibus notum fa- A ciendo Patrem, clarificat eum. Cùm enim dixisset, *Vt Filius tuus clarificet te*, mox quemadmodum id fieret, demonstrauit dicens, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Non enim potest cognitione hominum clarificari Pater, nisi & ille cognoscatur per quem glorificatur: id est, per quem populis innotescit. Hæc est glorificatio Patris, quæ non circa solos illos Apostolos facta est, sed circa omnes homines fit, quibus in suis membris caput est Christus. Neque enim de solis Apostolis potest intelligi, B *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam:* sed vtique de omnibus quibus in eum credentibus vita æterna datur.

Iam nunc ergo videamus quid de illis à quibus tunc audiebatur, discipulis suis dicat. (V. 6.) *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Non ergo nouerant Dei nomen, cùm essent Iudæi? Et vbi est quod legitur, (Psal. 75. v. 2.) *Notus in Iudæà Deus, in Israël magnum nomen eius?* Ego manifestaui nomen tuum hominibus istis quos dedisti mihi de mundo, qui me audiunt hæc dicentem. Non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater C meus: quod nomen manifestari sine ipsius Filij manifestatione non posset. Nam quòd Deus dicitur vniuersæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. (Dei nomen quà Deus nullis omninò ignotum, quà Pater à Christo manifestatum.) Hæc enim vis est veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omninò ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur auctorem. In hoc ergo quòd fecit hunc mundum cœlo terráque conspicuum, & antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quòd non est iniurijs suis D eum dijs falsis colendus, *notus in Iudæâ Deus.* In hoc verò quòd Pater est huius Christi per quem tollit peccata mundi: hoc nomen eius priùs occultum omnibus, nunc manifestauit eis, (Al. *hominibus.*) quos dedit ei Pater ipse de mundo. Sed quomodò manifestauit, si nondum venit hora de quâ superiùs dixerat, *quòd veniret hora, cùm iam non in prouerbijs*, inquit, *loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis?* (Ioan. 16. v. 25.) An verò annuntiatio manifesta putabitur in prouerbijs? Cur ergo dictum est, *palam annuntiabo vobis*, nisi quia in prouerbijs non est palam? Quod autem non in prouerbijs occultatur, sed verbis manifestatur, proculdubiò palam dicitur. E Quomodò ergo manifestauit, quod nondum palam dixit? Proinde sic intelligendum est, pro tempore futuro præteritum positum, quemadmodum illud, *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis:* quod nondum fecerat, sed loquebatur quasi fecisset, quod immobiliter esse præfixum sciebat, vt faceret.

Quid est autem, *Quos dedisti mihi de mundo?* Dictum est enim de illis, quòd non essent de mundo: sed hoc illis regeneratio præstitit, non generatio. Quid est etiam quod sequitur, *Tui erant, & mihi eos dedisti?* An aliquando erant Patris, quando non erant vnigeniti Fi-

lij eius: & habuit aliquando Pater aliquid sine A
Filio? Absit. Veruntamen habuit aliquid aliquando Dei Filius, quod non habuit idem ipse homo Filius: quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat vniuersa cum Patre. Quapropter quòd dixit, *Tui erant*, non inde se separauit Deus Filius, sine quo nihil vnquam Pater habuit: sed solet ei tribuere omne quod potest, à quo est ipse qui potest. A quo enim habet vt sit, ab illo habet vt possit: & simul vtrunque semper habuit, quia nunquam
Al. *nunquã non fuit, & nunquam non potuit.* Al *non fuit, & nunquã non.*
fuit, & non potuit. Quocirca quicquid potuit Pater, semper cum illo Filius potuit: quoniam ille qui nunquam fuit, & non potuit, nunquam sine Patre fuit, nunquam sine illo Pater fuit. Ac per hoc sicut Pater æternus omnipotens, ita Fi- B
lius coæternus omnipotens: & si omnipotens, vtique omnitenens. Id enim potius verbum è verbo interpretamur, si propriè volumus dicere quod à Græcis dicitur παντοκράτωρ: quod nostri non sic interpretarentur vt omnipotens dicerent, cùm sit, παντοκράτωρ omnitenens, nisi tantundem valere sentirent. Quid ergo vnquam habere potuit æternus omnitenens, quod non simul habuerit coæternus omnitenens? Quod itaque ait, *Et mihi eos dedisti*, hominem se accepisse eam potestatem vt eos haberet, ostendit: quoniam qui semper omnipotens fuit, non semper homo fuit. Quamobrem cùm Patri potius tribuisse videatur, vt ab eo illos acceperit, quoniam ex ipso est quicquid est de quo est: etiam ipse sibi eos dedit; hoc est, cum Patre Deus Christus, homini Christo quod cum Patre non est, homines dedit. Denique qui hoc loco dicit, *Tui erant, & mihi eos dedisti:* iam superiùs eisdem discipulis dixerat, *Ego vos de mundo elegi*. Conteratur

Ioan. 15. v. 19.

hîc cogitatio carnalis, atque dispereat. De mundo sibi à Patre dicit Filius datos homines: quibus alio loco dicit, *Ego vos elegi de mundo*. Quos Deus Filius de mundo elegit cum Patre, idem ipse homo Filius de mundo eos accepit à Patre: non enim Pater illos Filio dedisset, nisi elegisset. Ac per hoc Filius sicut non inde separauit Patrem, quando dixit, *Ego vos de mundo elegi*, quoniam simul eos elegit & Pater: sic non inde separauit & se, quando dixit, *Tui erant*, quia & ipsius Filij pariter erant. Nunc autem homo idem ipse filius accepit eos qui non erant ipsius, quia & formam serui accepit Deus idem, quæ non erat ipsius.

V. 7.

Sequitur, ac dicit. *Et sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt*. Id est, cognouerunt quia abs te sum. Simul enim Pater dedit omnia, cùm

V. 8.

genuit qui haberet omnia. *Quia verba*, inquit, *quæ dedisti mihi, & ipsi acceperunt*. Idest, intellexerunt, atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur, quando percipitur. *Et cognouerunt*, inquit, *verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti*. Et hîc subaudiendum est, verè. Quoniam enim dixit, *cognouerunt verè*, exponere voluit, adiungendo, *& crediderunt*. Hoc itaque crediderunt verè, quod cognouerunt verè: id enim est, *à te exiui*, quod est, *tu me misisti*. Cùm ergo dixisset, cognouerunt verè, ne quis-

Al. *iam per.*

quam putaret istam cognitionem tanquam per speciem factam, non per fidem; exponendo addit, & crediderunt, vt subaudiamus, verè; & intelligamus hoc dictum esse, cognouerunt verè, quod est, crediderunt verè: non eo modo quem significauit paulò antè, cùm dixit, *Modò creditis? Venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis*. Sed crediderunt verè, id est, quomodò

Ioan. 16. v. 32.

credendum est, inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter: non iam in propria redituri, & Christum relicturi. Adhuc ergo discipuli non erant tales, quales eos dicit verbis præteriti temporis, quasi iam essent: prænuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu sancto, qui eos sicut promissum est, doceret omnia. Quem priusquam acciperent quomodò seruauerunt eius sermonem, quod de illis quasi fecerint, dixit, quando primus eorum ter eum negauit, cùm ex ore eius audisset quid futurum esset homini qui eum coram hominibus negauisset? Dedit ergo eis verba sua, sicut dixit, quæ dedit ei Pater: sed quando illa non foris in auribus, sed intus in cordibus spiritaliter acceperunt, tunc verè acceperunt, quia tunc verè cognouerunt: verè autem cognouerunt, quia verè crediderunt. Ipsi autem Filio quomodò Pater ea verba dederit, quibus verbis homo poterit explicare? Facilior sane quæstio videtur, si secundum id quod Filius est hominis, accepisse à Patre illa verba concedatur. Quanquam natus ex Virgine quando & quomodo ea didicerit, quis enarrabit: quando etiam ipsam quæ de Virgine facta est, *generationem eius quis enarrabit?* Si verò secundum id quod est de Pa- C

Math. 26. v. 70. Luc. 9. v. 26. Dei verba in cordibus accepta.

Isai 53. v. 8.

tre genitus Patrique coæternus, accepisse à Patre ista verba cogitatur, nihil ibi temporis cogitetur, quasi priùs fuerit & ea non habuerit, atque vt haberet, quæ non habebat, acceperit: quoniam quicquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit vt esset. Nam quomodò aliter Verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia? Sed iam quæ sequuntur, alio expectanda sint sermone.

D

EIVSDEM, EVANGELII eiusdem expositionis,

Tract. 107.

HOMILIA IV.

CVm de his quos iam discipulos habebat Dominus loqueretur ad Patrem, inter alia etiam dixit hoc, *Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Mundum vult modò intelligi, qui viuunt secundum concupiscentiam mundi: & non sunt in eâ sorte gratiæ, vt ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro his quos ei Pater dedit, rogare se dicit. Per hoc E

V. 9. Mundus, pro quo nõ rogat Christus.

enim quòd eos illi Pater iam dedit, factum est vt pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat. Deinde subiungit, *Quia tui sunt*. Neque enim quia Pater eos Filio dedit, amisit ipse quos dedit: cùm adhuc Filius sequatur, & dicat, *Et mea omnia tua sunt, & tua mea*. Vbi satis apparet, quomodò vnigeniti Fi-

V. 10.

lij sint omnia quæ sunt Patris. Per hoc vtique quòd etiam ipse Deus est, & de Patre Patri natus est æqualis: non quomodò dictum est vni ex duobus filijs, maiori scilicet, *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*. Illud enim dictum

Luc 15. v. 31. Nostra omnia nos ipsi, i. e. creatura rationalis sancta, Christi.

est de his omnibus creaturis, quæ infra creaturam sanctam rationalem sunt, quæ vtique subduntur Ecclesiæ: in quâ vniuersâ Ecclesiâ & illi duo intelliguntur Filij maior & minor, cum omnibus Angelis sanctis, quibus erimus æquales in regno Christi & Dei. Hoc autem ita dictum est, *Et mea omnia tua sunt, & tua mea*, vt hîc sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, vt ei quæ infra illam sunt cuncta subdantur. Hæc ergo cùm sit Dei Patris, non simul esset & Filij, nisi Patri esset æqualis: de ipsâ quippe agebat, cùm diceret, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt: Et mea omnia tua sunt, & tua mea.* Nec fas est, Sancti, vt de quibus hæc locutus est, cuiusquam sint, nisi eius à quo creati & sanctificati sunt. Ac per hæc, & omnia quæ ipsorum sunt, necesse est vt eius sint cuius & ipsi sunt. Ergo cùm & Patris & Filij sint: æquales eos esse demonstrat, quorum æqualiter sunt. Illud autem quod ait, cùm de Spiritu sancto loqueretur, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi, De meo accipiet & annunciabit vobis*: de his dixit, quæ ad ipsam Patris pertinent diuinitatem, in quibus illi est æqualis, omnia quæ habet habendo. Neque enim Spiritus sanctus de creaturâ quæ Patri est subdita & Filio, fuerat accepturus quod ait, *de meo accipiet*: sed vtique de Patre de quo procedit Spiritus, de quo est natus & Filius.

Al. *demonstrant.*
Ioan. 16. v. 15.

V. 9.

Et clarificatus sum, inquit, *in eis.* Nunc suam clarificationem tanquam facta sit, dicit, cùm adhuc esset futura: superiùs autem à Patre poscebat, vt fieret. Sed vtrum ipsa sit clarificatio, de quâ dixerat, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquàm mundus esset apud te*: vtique requirendum est. Si enim *apud te*, quomodò *in eis?* An cùm hoc ipsum innotescit eis, ac per ipsos omnibus qui credunt eis testibus suis? Possumus planè intelligere sic dixisse Dominum de Apostolis, quòd clarificatus sit in eis: dicendo enim esse iam factum, ostendit iam fuisse prædestinatum, & certum habere voluit quod esset futurum.

V. 11.

Et iam, inquit, *non sum in mundo: & hi in mundo sunt.* Si horam prorsum illam quâ loquebatur attendas, vtrique adhuc in mundo erant, & ipse scilicet, & illi de quibus hoc dicebat: non enim secundum profectum cordis & vitæ id accipere possumus vel debemus, vt illi propterea adhuc esse dicantur in mundo, quòd mundana adhuc sapiant; ille autem iam non esse in mundo, sapiendo diuina. Positum est hîc enim verbum vnum, quod nos ita intelligere omninò non sinat, quia non ait, Et non sum in mundo: sed, *iam non sum in mundo*: per hoc ostendens fuisse se in mundo, iam non esse. Nunquid ergo fas est vt eum credamus aliquando mundana sapuisse, & ab hoc errore liberatum, iam illa non sapere? Quis tam impio sensu se induerit? Restat igitur vt secundum id quod ipse etiam in mundo priùs erat, in mundo se dixerit iam non esse: profectò præsentiâ corporali, à mundo scilicet absentiam suam iam citò futuram, illorum autem tardiùs, per huc ostendens, quòd se iam non hîc esse, illos autem hîc esse dixit, cùm & ipse hîc & illi adhuc essent. Sic enim locutus est homo congruens hominibus, vt mos loquendi sese habet humanus. An non quotidie dicimus, Iam non est hîc, de aliquo quantocyius abituro? Et maximè hoc de morituris solet dici: quanquam & ipse Dominus tanquam præuidens, quid lecturos mouere posset, adiecit, *Et ego ad te venio*; sic exponens quodammodò cur dixerit, *iam non sum in mundo.* Commendat ergo, eos Patri, quos corporali præsentiâ relicturus est, dicens, *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Nempe sicut homo Deum rogat pro discipulis suis quos accepit à Deo.

EIVSDEM, IN ILLVD *Euangelij Ioannis*, Vsque nunc nihil petistis in nomine meo.

Est serm. 3. ex additis è Carthusiâ maiori.

SAnctum Euangelium cùm legeretur, audiuimus quomodò verè debeat omnis intenta anima se mouere ad quærendum, non ad deficiendum. Qui enim non mouetur, nec mutatur. Sed est motus periculosus, de quo scriptum est, *Ne des ad mouendum pedes meos.* Motus autem malus, est quærentis, pulsantis, petentis. Quod lectum est, omnes audiuimus: sed puto quia non omnes intelleximus. Commemoro quod mecum quæratis, mecum petatis; pro quo accipiendo mecum pulseris. Aderit enim, sicut speramus, gratia Domini, vt, cùm volo vobis ministrare, & ego merear accipere. Quid est, obsecro vos, quod Dominum dixisse modò audiuimus discipulis suis? *Vsque nunc nihil petistis in nomine meo.* Nonne illis discipulis loquitur, quos cùm misisset, datâ potestate ad prædicandum Euangelium, & magnalia facienda, reuersi gaudentes dixerunt ei, *Domine, ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subiecta sunt.* Recognoscitis, recolitis, quod de Euangelio commemoraui; omni loco & omni sententiâ verè dico nusquam falso, nusquam fallente. Quomodò ergo verum est, *Vsque modò nihil petistis in nomine meo*: Et, *Domine, Ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subiecta sunt?* Mouet certè animom ad cognoscendum quæstionis huius secretum. Ergo petamus, quæramus, pulsemus; hoc in nobis fidelis pietas, non carnis inquietudo, sed animi subiectio; vt ille nobis aperiat, qui vos uidet pulsantes. Quod ergo det Dominus ministrandum vobis intentis hoc est. Esurientes accipite, quod cùm dixero, sine dubio probabitis sanis faucibus cordis, quod de cellario Domini vobis apponatur.

Ioan. 16. v. 24.

Psal. 120. v. 3.
Malè id: potiùs bonus, & Christo cōmendatus, seu præceptus.

Luc. 10. v. 17

Dominns Iesus sciebat vnde posset anima humana, hoc est, mens rationalis ad imaginem Dei facta, satiari; tanquam ipsa eo ipso satietur. Nouerat hoc: & illam eâ plenitudine adhuc carere, sciebat. Nouerat se apparere: nouerat se latere. Sciebat quid in illo demonstraretur, quid absconderetur. Nouerat hoc. *Quàm multa*, inquit Psalmus, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti* autem *sperantibus in te.* Dulcedinem tuam & magnam & multam abscondisti timentibus te. Si ri-

Psal 30 v 20
Dulcedo timentibus abscondita; ac quæ spe-

iantibus perficiatur.

mentibus te abſcondiſti, quibus aperis? *Perfeciſti ſperantibus in te.* Quæſtio gemina nata eſt; ſed alterutra ſoluitur ex alternâ. Alterum ſi quis inqoitat, Quid eſt hoc, *Abſcondiſti timentibus te? Perfeciſti ſperantibus in te.* Alij timent, alij ſperant? Non ij ipſi ſunt timentes Deum, ſperantes in Deum? Quis in eum ſperat, qui non eum timeat? Quis eum piè timet, & in eum ſpem non habet? Ergo priùs iſta ſoluantur.

Lex terret, iuuat gratia.

De ſperantibus & timentibus volo aliquid dicere. Lex timorem habet, gratia ſpem. Quid autem intereſt inter legem & gratiam, quandoquidem vnus dator & legis & gratiæ? Lex terret de ſeipſo præſumentem: gratia iuuat in Deum ſperantem. Lex, inquam, terret: & nolite contemnere, quia breue eſt. Appendite, & magnum eſt. Videte quid dixerim: ſumite quod miniſtramus: probate vnde ſumamus. Lex terret de ſeipſo præſumentem: gratia adiuuat in Deum ſperantem. Quid dicit lex? Multa: & quis enumerat? Vnum præceptum paruum & modicum inde commemoro, quod memorauit Apoſtolus valde paruum. Videamus qui ſuportat.

Rom. 7. v. 7 & 18.

Damnat lex, ſi gratia deſit.

Non concupiſces. Quid eſt, fratres? Audiuimus legem: ſi gratia oon eſt, pœnam tuam audiſti. Quid mihi iactas quiſquis audiens hoc de te præſumis? quid mihi iactas innocentiam? Quid tibi de illâ blandiris? Potes dicere, Non rapui res alienas; audio, credo, fortaſſis & video: non rapis res alienas. *Non concupiſces*, audiſti. Non accedo ad vxorem alienam: Et hoc audiu, credo, video, *Non concupiſces*, audiſti. Quid te foris circuminſpicis, & non intus inſpicis? Inſpice, & videbis aliam legem in membris tuis. Intus inſpice: quid tranſis te? Deſcende in te. Videbis aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captiuantem te in lege peccati, quæ eſt in membris tuis. Meritò tibi abſconditur dulcedo Dei. Captiuat te lex poſita in membris tuis, repugnans legi mentis tuæ. Dulcedine illâ, quæ tibi abſconditur, ſancti Angeli bibunt: non potes dulcedinem pati, & guſtare captiuus.

Rom. 7. v. 8.

Concupiſcentiam neſciebas, niſi lex diceret, *Non concupiſces.* Audiſti, timuiſti, tentaſti pugnare, non potuiſti ſuperare. *Occaſione enim acceptâ peccatum per mandatum, operatum eſt mortem.* Certè recognoſcitis: Apoſtoli verba ſunt. Occaſione acceptâ peccatum per mandatum operatum eſt in te omnem concupiſcentiam. Quid te iactabas? Ecce armis tuis te vicit inimicus. Tu certè mandatum quærebas ad monitionem: ecce per mandatum inuenit hoſtis intrandi occaſionem. Occaſione enim acceptâ peccatum per mandatum, feſellit me, inquit: me per mandatum occidit. Quid eſt quod dixi? Armis tuis te vicit inimicus. Audi eundem Apoſtolum ſequentem, & dicentem.

V. 12.

Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum. Iam reſponde reprehenſoribus legis Apoſtoli auctoritatem. Reſponde, Mandatum ſanctum, lex ſancta; mandatum iuſtum & bonum. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit: ſed peccatum vt appareat peccatum per bonum mihi operatum eſt mortem.*

V. 13.

Timore facere, non amore.

Quare hoc? Niſi quia mandato accepto timuiſti, non dilexiſti? Timuiſti pœnam, non amaſti iuſtitiam? Qui timet pœnam, optat ſi fieri poteſt, facere quod libeat, & non habere quod timeat. Prohibet Deus adulterium: concupiſti vxorem alienam; non accedis, non facis, occaſio data eſt, habes tempus, patet locus, deeſt conſcius; tu tamen non facis, vnde? Quia times pœnam. Sed, nullus ſciet. Nunquid nec Deus? Ita planè quia ſcit Deus, quod facturus es, non facis: ſed & ipſum Deum minantem tremis, non præcipientem diligis. Quare non facis? Quia ſi feceris in gehennam mittêris. Ignem times. O ſi caſtitatem amares, non faceres, etſi omni modo impunitus excederes. Si tibi Deus diceret, Ecce fac; non te damnabo in gehennam; te non damnabo, ſed faciem meam tibi negabo. Si propter hanc comminationem non faceres, amore Dei non faceres; ſed timore iudicij: fortè etiam ſic faceres. Non enim meum eſt iudicare. Haud vacat gratiâ, quæ Sanctos facit, ſi ſic non facis, quia horres contaminationem adulterij, quia diligis præceptorem, vt exigas promiſſorem, non quia times damnatorem. Iam gratia eſt: Hoc tibi noli aſſumere: viribus tuis noli tribuere. Delectatione facis: bene. Charitate facis: bene. Annuo, conſentio. Charitas de te operatur, quando volens facis. Iam guſtas dulcedinem, ſi ſperas in Dominum. Sed vnde tibi iſta charitas, ſi tamen eſt? Timeo enim ne adhuc timendo non facias, & magnus tibi videaris. Iam ſi charitate facis, magnus es. Habes charitatem? Habeo, inquis. Vnde? A meipſo. Longè es à dulcedine, ſi à te ipſo habes. Teipſum amabis, quia vnde habes amabis. Sed conuinco: non habes. Quòd enim putas à teipſo habere rem tantam, inde non credo quòd habeas.

Gratiæ eſt facere ex virtutis amore.

Si enim haberes, ſcires vnde haberes. Charitatem à te habes? quaſi leue aliquid, quaſi breue aliquid. Si linguis hominum loquereris & Angelorum, charitatem autem non haberes, æramentum eſſes tinniens & cymbalum concrepans. Si ſcires omnia ſacramenta, & omnem haberes ſcientiam, omnem prophetiam, omnem fidem, ita vt montes transferres, charitatem autem non haberes, prodeſſe tibi iſta noo poſſent. Si diſtribueres omnia tua pauperibus, & traderes corpus tuum vt arderes, charitatem autem non haberes, nihil eſſes. Quanta eſt iſta charitas, quæ ſi defuerit, nihil proſunt omnia? Compara eam non fidei tuæ, non ſcientiæ tuæ, non linguæ tuæ; minoribus rebus, oculo corporis tui, manui, pedi, ventri, alicui membro extremo compara charitatem, nunquid ex aliquâ parte iſta minima charitati ſunt comparanda? Ergo oculum & naſum à Deo habes, & charitatem à te habes? Si charitatem, quæ ſuperat omnia, tu tibi dediſti, vilem tibi Deum feciſti: quid tibi plus poteſt dare Deus? Quicquid dederit, minus eſt. Omnia charitas vincit, quam tu tibi dediſti: ſed ſi habes, non tibi dediſti. *Quid* enim *habes, quod non accepiſti?* Quis mihi, quis tibi dedit? Deus. Agnoſce datorem, ne ſentias damnatorem. Credendo de Scripturis Deus tibi dedit charitatem magnum bonum; charitatem omnia ſupe-

Charitatem non habet, qui à ſe habere ſe eam putat.

1 Cor. 13. v. 1.

1. Cor. 4. v. 7.

rantem Deus tibi dedit, *Quia charitas diffusa est in cordibus nostris* (fortè à te? Absit) *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 5. v. 5.

Redite mecum ad captiuum illum, redite mecum ad propositionem meam. Lex terret de se præsumentem, gratia adiuuat in Deo sperantem. Vide enim illum captiuum. Videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris eius. Ecce vincitur, ecce trahitur, ecce captiuatur, ecce subiugatur. Audiuit, *Non concupisces*, vt nosset hostem, non vt vinceret. Concupiscentiam enim (id est, hostem suum) nesciebat, nisi lex diceret, *Non concupisces.* Iam vidisti hostem: pugna, libera te, asſere te in libertatem, prematur iocunda suggestio, perimatur illicita delectatio. Armare: habes legem; procede, vince, si potes. Quid enim est, quòd ex aliquantulâ iam gratiâ Dei, condelectabaris legi Dei secundum interiorem hominem, sed vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ; non repugnantem, & nihil valentem, sed captiuum te ducentem in lege peccati? Ecce vnde timenti tibi absconditur multitudo illa dulcedinis: absconditur timenti: quomodò perficitur speranti? Clama sub hoste, quia habes oppugnatorem, habes & adiutorem. Qui te spectat pugnantem, subleuat laborantem, sed si inueniat sperantem: odiet enim superbientem. Sub hoste ergo quid clamas? *Miser ego homo.* Miser ego, ideo miser, quia ego. *Miser ego homo;* & quia ego, & quia homo. *Vanè enim conturbatur.* Quamuis enim in imaginem perambulet homo, *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nunquid tu? Vbi sunt vires tuæ? vbi est præsumptio tua? Certè aliqua taces. Taces? Sed tace ab extollendo, non à Deo inuocando. Tace, & clama, quia & ipse Deus tacet & clamat: tacet à iudicio, non tacet à præcepto. Sic & tu tace ab elatione, noli ab inuocatione, ne dicat tibi Deus, *Tacui: nunquid semper tacebo?*

Lex, hostē ostendit; non vincendo vires tribuit.

Spei clamor.

Rom. 7. v. 24.

Psal. 38. v. 11.

Exclama ergo, *Miser ego homo.* Agnosce te vinctum: vires tuas confunde, & dic, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quid dixeram? Lex terret de se præsumentem. Ecce homo de se præsumebat: tentauit pugnare, non potuit superare: victus est, prostratus est, subiugatus est, captiuatus est. Didicit de Deo præsumere: & quem lex terruit de se præsumentem, restat vt gratia adiuuet in Deo sperantem. Hoc confidens dicit. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Iam vide dulcedinem; gusta, sapiat tibi. Audi Psalmum, *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Factus est tibi suauis, quia liberauit te. Amarus tibi fuit, cùm præsumeres in te. Bibe dulcedinem, accipe pignus tanti horrei. Discipuli ergo Domini nostri Iesu Christi adhuc sub lege mundi, adhuc nutriendi, adhuc corrigendi, adhuc dirigendi. Adhuc enim concupiscebant, cùm lex dicat, *Non concupisces;* pace dixerim eorum sanctorum arietum, ducum gregis; pace eorum dixerim, quia verum dico. Euangelium loquitur. *Contendebant quis esset eorum maior;* & adhuc in terrâ Domino constituto, principatus dissensione fluctuabant. Hoc vnde, nisi ex fermento vetere; hoc vnde, nisi ex lege in membris, repugnante legi mentis? Fastigium quærebant; enimuerò cupiebant: quis maior esset cogitabant: ideo altitudo eorum de puero confunditur.

Psal. 33. v. 9.

Deus suauis homini liberato; captiuo, amarus.

Discipulorum mala cupiditas, & ambitio.

Luc. 22. v. 24.

Luc. 9. v. 46.

Meritò ergo & quando redierunt, & dixerunt, *Domine, ecce dæmonia subiecta sunt nobis in nomine tuo*, gaudebant de nihilo; quantum erat, quod erat, ad illud quod Deus promittebat. Dominus ergo Magister bonus sedans tumorem, ædificans firmitatem, ait illis, *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subiecta sunt.* Quare hoc? *Quia multi venient in nomine meo dicentes, Ecce in nomine tuo dæmonia eiecimus: & dicam eis, Non noui vos. Nolite in hoc gaudere: sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Adhuc ibi esse non potestis, & tamen iam ibi scripti estis. Gaudete ergo.

Luc. 10. v. 17.

Nihilum, quòd subiecta in nomine Christi dæmonia.

Matth. 7. v. 22.

Luc. 10. v. 20.

Et illud, *Adhuc nihil petistis in nomine meo.* Quod enim petistis, ad quod volo dare, nihil est. Quid petistis in nomine meo? Vt dæmonia vobis subiecta essent? *In hoc gaudere nolite.* Hoc est, Nihil est quod petistis: si enim aliquid esset, gaudere iuberet. Ergo non omninò nihil erat, sed quia ad illam magnitudinem præmiorum Dei exiguum erat. Non enimuerò Paulus Apostolus non erat aliquid; & tamen in comparatione Dei, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.* Et nobis dicimus, & vobis & nobis dicimus, quando petimus in nomine Christi temporalia ista. Certè enim petistis. Nam quis non petat? Alius sanitatem petit, si ægrotat; alius liberationem petit, si in carcere constitutus est; alius portum rogat, si in naui turbatur; alius victoriam rogat, si cum hoste confligit; & in nomine Christi totum rogat, & nihil est quod rogat. Quid ergo rogandum est? *Petite in nomine meo:* & non dixit, quid, sed in verbis intelligimus quid petere debeamus. *Petite, & accipietis; vt gaudium vestrum sit plenum.* Id est, hoc petite, quod vobis sufficiat. Nam quando petis nihil, *Qui bibet de hac aquâ sitiet iterum.* Mittit in puteum hydriam cupiditatis; leuat, vnde bibat, vt iterum sitiat. *Petite vt gaudium vestrum sit plenum:* id est, vt satiemini, non vt ad tempus delectemini. Petite quod vobis sufficiat. Dicite vocem Philippi, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Dicit vobis Dominus, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui me videt, videt & Patrem.* Ergo gratias agite Christo pro vobis infirmantibus, & fauces satiandas parate Christi diuinitati. Conuersi ad Dominum, &c.

Ioan. 16. v. 24.

1. Cor. 3. v. 7.

Nihil petit, qui temporalia hæc petit.

Ioan. 4. v. 13.

Ioan. 14. v. 8.

Fort. infirmatis.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,

Euangelij eiusdem expositio.

Frater FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

HÆc *locutus est Iesus, & subleuatis oculis in cælum* &c. Cùm suis discipulis Saluator viaticum ad salutem abundè tribuisset, congruisque rationibus ac verbis ad accuratiorum dogmatum perceptionem acuisset, eosque aduersus tentationes egregiè confirmasset, ac generosam vnicuique mentem præclarè indidisset, sermonis genus operæpretium statim mutat, &

Ioan. 17. v. 1.

A

in precandi transfert modum, nullum tempus intercedere patiens. inter sermonem quo ipsos, ac quo Deum ac Patrem alloquitur, in hoc rursus ac quòd ita agit, exquisitæ se nobis conuersationis formam præbens. Nec enim illi ignorandum existimo, qui piè vitam instituere satagit, ita planè dandam operam comparatus sit, vt vel fratribus vtilia semper ac necessaria loqui amet, vel nisi hoc fecerit, precationibus ad Deum sermonis vsum impendere conetur, vt nullus inde inanis sermo subtepere conspiciatur. Sic enim ex ratione, ritéque ac congruè linguæ honestas processerit. Cui enim non liquidò manifestum est, vanos vt plurimum sermones culpâ non carere? Quippe, vt ait quidam sapiens, *ex multiloquio non effugies peccatum: sin autem pepercerie labijs, sensatus eris.* Portò aliud quiddam mirabere, ex quo non parum vtilitatis capere liceat. Precationem quippe à suâ, ac Patris gloriâ orditur; post quod illicò subiungit ac pro nobis. Quid ita? Instigat nimirum probos & Dei amantes, & precandi rationem optimè edocet. Quemadmodum enim necesse est nos, quicquid boni agamus, nuo ad nustram id gloriam, sed ad Dei ac Patris conuertere; *Luceat* enim *lux vestra*, inquit, *coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*: sic etiam tempore nos ad precandum hortante, priùs decet petere quæ ad Dei gloriam, quàm quæ ad nostra commoda spectant, sicut ipse Christus nimirum: *Sic*, inquit, *vos orabitis, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum aduentat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod ergo hîc agitur, forma nobis præcandi est, ac typus. Decebat enim omnis nobis boni, atque ad Deum ferentis instituti ducem atque magistrum, non Legatum, non Angelum fore, sed ipsum Christum. Vocamur enim, ac sumus reuerâ, iuxta Prophetæ vocem *docibiles Dei*. Quid portò ad Patrem suum dicat, operæpretium est subtiliùs expendamus. Acri enim quadam attentione dogmatum imprimis veritatem inuestigandam existimo.

Linguæ vsus legitimus erga fratres, ac Deum.

B

Pro. 10. v. 9.

Matth. 5. v. 16.

C

Matth. 6. v. 9.

Isai 63. v. 9.

Isai 54. v. 13.

Ioan. 6. v. v. 45.

D

Pater igitur, inquit, *venit hora: clarifica Filinm tunm, vt & Filius tuus clarificet te.* Quorum verborum contextum siquis primâ fronte spectauerit, existimabit forsitan claritate destitutum eum, qui talia dicat. Veruntamen si dignitatem Vnigeniti apud se perpenderit, facile, vt reor, miseras illas ratiocinationes ablegabit. Stupidi enim est, gloriâ vllâ, sibique conuenente honore carere Filium, vt existimemus, cùm sit gloriæ Dominus. Sic enim diuinæ cum Scripturæ nuncupant. Cæteroquin alibi quoque videre est eum ad Patrem dicentem, *Pater, clarifica me claritate quam habui, antequam mundus fieret, apud te.* At quis adeò mentis inops, & omnis veritatis hostis, qui non fateatur Vnigenitum, quod ad suam quidem naturam spectat, eâ claritate quæ ipsum deceat, non esse destitutum? Sed quia *cùm in formâ*, & omnimodâ cum Deo ac Patre æqualitate esset, *non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo*, descendit quidem ad nostram humilitatem, & *semetipsum exinaniuit*, verissimo hoc corpusculo indutus, ac, humanæ tenuitatis (quâ nos dilectione prosequitur) susceptâ similitudine, quasi iam instante, ac præsente congruo tempore, quo debebat rursus impleto mysterij vsu ac

1. Cor. 2. v. 8.

E

V. 5.

Phil. 2. v. 6.

A

negotio pristinam illam & substantialem claritatem induere, partâ salute vniuerso terrarum orbi; ac qui eum colerent, ad vitam Deique cognitionem seruatis; Patrem in hoc rursus adstipulatorem ostendens, ad eum sermonem conuertit, dicens, sibi redeundum ad suæ naturæ dignitatem. Ascendit verò, nempe perfectis ipsâ carnis operâ deitatis operibus, non vt minister vtique virtutis alterius, sed velut qui Dei ac Patris sapientia sit, ac virtus. Sic enim, non aliter deitatis eum opera eum potestate adimplere arbitrabimur. Omnia quippe à Patre, at non absque Filio. Quomodò enim aliquid se dignum fecerit Deus ac Pater, si non adsit ei sapientia & virtus; ipsius, inquam, Filius; simulque cum eo perficiat, in quibus versari agendi vis, ac motus intelligatur? Proinde etiam sapientissimus Euangelista, huiusce libri auctor, in eius primordio sic ait, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

B

Ioan. 1. v. 3.

Quoniam igitur consubstantialitatis ratio nos adigit, vt consentaneâ ratione, omnia quidem ex Patre omnino tamen per Filium in Spiritu sancto intelligamus; extinctáque morte & interitu, ac diaboli euersâ tyrannide vniuersum terrarum orbem Spiritus sancti fulgoribus illustratutus erat, hincque adeò verè Deus per naturam, verusque prodendus, idcirco necessariò ait, *Pater, clarifica Filinm tunm, vt & Filius tuus clarificet te.* Neque verò cordatus quisquam dixerit Filium à Patre claritatem petere, sicut homo forsan petierit ab alio homine, ac vicem redditurum se polliceri (nimis enim abiectum, quinimmò stultum esset tale quid de Deo opinari) sed ista Saluator ait, significans suam Patri claritatem summè necessariam esse, vt & consubstantialis nosceretur. Quemadmodum enim Deo ac Patri dedecori cesserit, si talem non habeat ex se natum, atque genitum Filium, qualem deceat esse qui Deus ex Deo per naturam existat: sic, opinor, ad eius claritatem ac gloriam fecerit, quòd talem, iisque præstantem dotibus suum habeat Filium, quibus ipse præstare tum intelligatur, tum dicatur. Clarificatur itaque Pater in prolis claritate (sicuti mox dicebam) inde claritatem præbens, quòd ex operibus intelligatur, quali, ac quo ex Patre natus sit Vnigenitus; vicissimque quodammodò ipse recipiens, in eo quòd cognoscitur, cuius ac qualis verè Pater existat. Substantiale itaque & naturale à Patre in Filium, & à Filio ad Patrem claritatis decus permeabit. Quòd si quis forsan, propter assumptæ humanitatis abiectionem, minora eum quàm pro sui ratione hîc quoque loqui existimet (quippe etiam id ei moris erat) haud planè secus ac recta suadeat ratio, faciet, sed exactum horum verborum sensum non attinget. Nam si Patris claritatem ipse tantummodò peteret, non abs re humanæ naturæ modis petitiooem adscriberemus: sed cùm Patrem vicissim se clarificaturum polliceatur, quidni necessariò, ac quam modò executus sum expositionem, auidi hauriamus?

ἐν Πατρὶ non benè nouus interp. seu typogr. in Patre

C

D

Filij mutua clarificatio, ac Patris.

E

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Exponit his quoque verbis rursus Christus claritatis modum, quo quidem Deus ac Pater illustrem ac clarissimum Filium suum faciet, ac ipse vicissim à Filio clarificabitur. Latiùs autem ac clariùs hunc locum explicat, ad nostram ædificationem

V. 2.

& vtilitatem. Deum quippe ac Partem, qui cuncta sciret, quid opus erat petitionis modum edoceret? Nam cùm sit animarum nostrarum Pontifex, inquantum homo apparuit, quamuis Deus naturâ cum Patre, conuenientissimè pro nobis interpellat, nos vt credamus adigens, nunc se quoque propitiationem esse pro peccatis nostris, & *iustum aduocatum*, iuxta Ioannis vocem. Idcirco etiam Paulus ita nos sentire volens, scribit, *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: sed tentatum per omnia, pro similitudine absque peccato.* Igitur quia Pontifex est, quatenus homo apparuit, simul & immaculatam hostiam semetipsum obtulit redemptionem pro vniuersorum vitâ Deo ac Patri, veluti primitias quasdam humani generis, vt in omnibus esset primatum tenens, sicuti Paulus ait; rursusque nostrum in terrâ rebelle genus offert, sanguine suo purificatum, & ad nouitatem vitæ reformatum, per Spiritum sanctum. Quoniam autem, sicuti sæpe diximus, omnia à Patre per Filium in Spiritu sancto perficiuntur, nostro more bonorum petitionem assumit, vt mediator & Pontifex, quamuis vnà cum genitore diuinas spiritalésque gratias tribuat, ac subministret. Diuidit enim pro voluntate, suoque arbitratu Christus Spiritum, quibus velit. Atque hæc quidem sunt istiusmodi. Quid autem sibi velit istud petitionis genus, rursus expendamus.

1. Ioan. 2. v. 1. — *Hebr. 4. v. 15.* — *1. Tim. 2. v. 6.* — *Col. 1. v. 18.* — πλεονάζει εἰς ἡμᾶς· locus malè suspectus interpreti, quòd non intellectus loquendi modus. — *1. Cor. 12. v. 11.*

Pater, inquit, *clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te.* Quomodò verò, ac quâ ratione, id quod dixi peragetur? Volo, inquit, vt sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis, sic & omne quod dedisti mihi habeat vitam æternam. Clarificauit enim Pater Filium suum, vniuerso terrarum orbe eius sceptris subiecto: & ipse vicissim clarificatus est per eum. Filius quippe clarificatus est à Patre, dum creditus est ab omnibus proles esse & fructus omnipotentis Dei, suique imperij iugo cuncta nullo negotio subiicientis: vicissim verò clarificatus quodammodò est à suâ prole Pater. Quòd enim Filius talis cognitus sit, qui omnia facilè perficere posset, celebritatis illius gratia in genitorem transiit. Quemadmodum igitur, inquit, clarificasti, & es clarificatus, ei in omnia concessâ potestate, ac dominatu, eo scilicet modo qui dictus est: sic volo, vt eorum quæ sunt data, nihil pereat. Nam & hæc claritas à Patre in Filium, atque à Filio rursus in Patrem permeabit. Decebat enim, planè decebat, subditos, ac sub omnipotentis Verbi manu constitutos, semel in salutem assertos, in sempiternis bonis perstare, adeò sanè vt nec mortis vltrà potentiæ, nec interitioni ac peccatis (antiquis scilicet malis) subiacerent. Quoniam autem illud, *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, simpliciores quosdam haud immeritò videtur turbaturum, age rursus quædam hoc argumento commodùm dicere non grauemur, licet ad illud explicandum ieiuna sit omnis oratio. Maximè quidem & hoc Dominus, conuenienter formæ assumptæ, (pro humilitatis scilicet, ac humanæ naturæ modis) dicet. Ac rationem accipe. Nam si erubescimus, cùm seruum illum nostri causâ audimus factum, quanquam omnium cum Patre Dominus est: ac cùm constitutum Regem super Sion montem sanctum eius, etsi à naturâ suâ, nec comparabile habeat vniuersorum imperium; erubescamus consentaneum est, si vt homo accipere se aliquid rursus profiteatur. Sin autem illic miramur voluntariam subiectionem, nihil eam quæ substantialiter inest, dignitatem ignorantes, quidni & istud abundè miramur?

Habet hæc Corderus in Cat. Didymi nomine. — *Psal. 2. v. 6.*

Cùm enim cuncta habeat, accipere se ait vt homo, cui regnare non à substantiâ, sed aduentitium est. *Quid enim habes, quod non accepisti?* ex creatorum dicatur modulo. Sed & Christus creatus est, eâ ratione quâ est factus homo, tametsi est naturâ increatus, quatenus ex Deo effulsit. Omnia quippe in Deo naturaliter & propriè bona intelliguntur, ac verè insunt, in nobis autem aduentitia, ac diuino munere tradita. Quando igitur vt homo princeps noster constitutus, datam sibi à Patre potestatem in omnem carnem dicit, noli inde offendi: decet enim Incarnationis rationem in animum reuocare. Sin autem verba diuiniùs interpretari lubet, in mentem tibi veniat rursus eius, quod ad Iudæos quodam loco ait Dominus, *Amen, amen dico vobis, nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Nam quos Pater viuificare velit, hos, tanquam viuificæ suæ virtuti, suæ admouet proli; rursusque per eam corroborat, ac sapientiâ imbuit. Quin & si quos sub imperij sui iugum mittere statuat, non id aliter, quàm per viuentem omniumque opificem virtutem suam, per quam vniuersorum dominatur (hoc est, prolem suam) facit. Homines quippe cùm nihil eorum quæ ipsorum excedunt facultatem ex se præstare queant, à Deo mutuantur quo sibi alios addicere valeant. *Per eum* enim, vti scriptum est, *reges regnant, & tyranni terræ per ipsum dominantur.* Quòd verò à suâ dilectione recesserit, ac imperij iugum excusserit humanum genus, vniuersorum Deus non aliunde quàm à seipso potestate acceptâ sibi vniuersum subiicit, suæ in eos virtuti quodammodo potestatem donans, ac per eam subiugans, atque expugnans quos accipere velit. Subiicit enim Deus ac Pater Filio tanquam suæ virtuti; ac per eum omninò, nec aliter, quicquid se ei sponte obsequendo subdit. Sicut enim per eum cunctis sapientiam ac vitam tribuit, sic & suo per eum imperio addicit. Obseruandum tamen non Israële tenus supernæ benignitatis contractam deinceps gratiam esse, sed in omnem permanare carnem. Quicquid enim prorsus Saluatoris se potestati subiicit, vtique etiam vitæ, quæ per ipsum est, atque gratiæ particeps erit.

Accipit Christus vt homo. — *1. Cor. 4. v. 7.* — *Ioan. 6. v. 44.* — Vt Dei virtus. — *Pro. 8. v. 16.* — *V. 3.*

Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vitæ æternæ parentem, fidem esse decreuit, ac veræ Dei cognitionis vim perpetuæ incorruptionis & felicitatis, ac sanctimoniæ causam fore tradit. Veram autem Dei cognitionem esse dicimus, cui falsi & alieni cultus crimen obijci nequit. Quidam enim creaturam præ creatore coluerunt, *ac ligno dicere ausi sunt, Pater meus es tu; & lapidi, Tu me genuisti.* Eò quippe væcordiæ infelices prolapsi sunt, vt & sensus experti materiæ deitatis temere nomen tribuerint, omniaque superantis substantiæ nullis verbis explicabilem gloriam affinxerint. Solum igitur ac verum Deum nuncupat Patrem, ceu verum illum falso nomine dictis dijs, atque errore nuncupatis, opponens. Hic enim illorum verborum scopus est, ac finis. Vtilissimè verò vnum ac solum cùm Patrem dicit, suæ quoque gloriæ mentionem facit; *Et quem misisti*, inquiens, *Iesum*

Fides, vitæ æternæ parens. — *Rom. 1. v. 25.* — *Ier. 2. v. 27.* — Pater solus verus Deus distinctione à dijs Gentilium.

Christum. Nec enim aliter quis perfectam Patris cognitionem ceperit, quàm si continuè ac cohærenter vnà quoque prolis (id est Filij) cognitio incurrerit. Simul enim ac quis, quid sit Pater percepit, omninò etiam Filium cognouit. Vnum igitur ac verum cùm Patrem ac Deum dixit, haud excludit seipsum. Nam cùm in ipso & ex ipso per naturam sit, verus & ipse, ac solus in solo erit. Nam, *Dij Gentium, dæmonia.* Sed & creatura, serua est; quam nescio quomodò nonnulli adorant in reprobum ac stupidum planè sensum auersi. Multis itaque, qui hoc in mundo dij falsò putantur, & spurio nomine ita nuncupantur, vnus ac verus Deus opponitur, & qui in ipso & ex ipso est secundum naturam, Filius, distinctè pariter ac coniunctim naturæ vnitate. Distinctè quidem, quòd per se existere inque personâ propriâ intelligatur. Filius enim, Filius est, non Pater: coniunctim verò rursus, quòd omninò cohæreat Patris substantiæ, sitque illi comes, qui ex illo per naturam est. Simul enim Pater & Filius; cùm sit, ac dicatur Pater, eo quòd genuisse intelligitur.

Psal. 95 v. 5.

Nestorianos ἀνθρωπολάτρας perstringit.

Hæc est igitur, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Num ergo, dicet aliquis eorum, qui non defunctoriè diuina dogmata persequuntur, cognitionem vitam æternam esse dicemus, eritque satis eum, qui reipsâ ac naturâ verè Deus sit nosse, vt quis omni spe securus fulciatur, nec vllâ re aliâ indigebit? Deinde, qui fit vt fides sine operibus mortua sit? Fidem autem cùm dicimus, veràm de Deo cognitionem, nec aliud quicquam significamus. Credendo enim cognitio est. Cuius rei testis Isaias, dum quosdam sic affatur, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quòd autem cognitio quæ in nudo doctrinæ sensu posita est, res sit prorsus inutilis, Sanctorum nobis scripta declarant; quod vel hinc, opinor, intelliges. Dixit enim alicubi vnus quis è sanctis discipulis. *Tu credis quoniam vnus est Deus? benè facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Quid igitur ad hæc dicemus? Quomodò verè loqui comperietur Christus, cùm ait, vitam æternam esse, vt cognoscant vnum verumque Patrem & Deum, ac cum ipso Filium? Verùm ad hoc equidem dicendum arbitror, verè vtique Saluatorem esse locutum. Est enim vita cognitio, quippe quæ totam mysterij vim parturiat, & mysticæ quidem Eulogiæ perceptionem inferat, quâ viuenti ac viuifico conciliamur Verbo. Hanc enim puto ob causam etiam Paulus Gentes concorporales, ac comparticipes Christi factas ait, vtpote quæ ipsâ eius sanctâ carne ac sanguine impartitæ sint. Sic vt membra nostra, Christi membra queant intelligi. Vita igitur est cognitio, quæ præterea benedictionem inferat, quæ per Spiritum est. Habitat enim ille in cordibus nostris, eos qui suscipiunt in filiorum adoptionem reformans, atque ad incorruptionem ac pietatem Euangelicæ disciplinæ compendijs refingens. Itaque Dominus noster Iesus Christus cùm sciret cognitionem illam vnius ac veri Dei, parariam esse, atque, vt ita dicam, eorum bonorum quæ diximus pronubam, ait ipsam esse vitam æternam; vtpote parentem atque alumnam vitæ æternæ, in suâ quodammodò virtute & naturâ vitæ causas parturientem, ac ipsi admouentem.

Fides vt vita æterna, ipsa sola ad salutem haud sufficiens

Iacob. 2. v. 17.

Isai. 7. v. 9.

Iacob. 2. v. 19.

εὐλογίας. 1. Eucharistiæ vis, vt concorporales &c.

Eph. 3. v. 6.

Obseruandum autem diligentiùs arbitror, quo pacto Christus impleri in nobis dixerit perfectissimam vnius, ac qui verè sit, Dei cognitionem. Aduerte enim quomodò fiat non sine cognitione Filij, adeóque etiam Spiritus sancti. Sic enim Vnitas in Trinitate intelligitur & creditur, iuxta Scripturas. Iudæi quippe Mosaicis præceptis à cultu multorum ac falsorum deorum, ad vnius verique Dei cultum deducti sunt. Ait enim lex, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sed qui solum ac verum hactenus adorarunt, eique adhæserunt, quasi nondum perfectam eius quem adorarent nacti cognitionem, ad eam nunc Saluatoris nostri verbis vocantur; qui non solum, vnumque ac verum vniuersi opificem, sed & Patrem, ac cuius Pater sit, doceantur; quinimmò ipsum iam exactè in incommutabili imagine (nempe Filio) contueantur. Per characterem enim atque figuram, ad veram quis facilè ipsius exemplaris notitiam deuenire possit. Necessariò itaque Dominus noster Iesus Christus, ijs, qui per fidem vocati sunt in Filiorum adoptionem ac vitam æternam, non id solùm nosse operæpretium dixit, quòd sit solus ac verus Deus, sed & quòd Pater, ac cuius sit Pater, eius nimirum qui in nostri gratiam factus est caro, ac qui missus est, vt naturam vtentem ratione vitiatam, nempe humanam, labe liberaret.

Deut. 6. v. 13

Perfecta Dei cognitio, cùm Trinitas noscetur.

Ego te clarificaui super terram, &c. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, &c. Humana rursus diuinis implicat, ac commixta quodammodò oratio est, ad vtraque spectans; quæ nec dicentis personam ad integram potestatem, & claritatem Deo congruam nimis euehat, nec in humanitatis prorsus modis subsidere sinat, sed vnum quid ex vtrisque, ab iis quæ iam dicta sunt haudquaquam diuersum, temperet. Docendos enim Dominus Iesus Christus existimauit fideles, non solùm Vnigenitum esse Deum, sed & nostri causâ factum hominem, vt omnes Deo ac Patri acquireret, proprióque ipse sanguine redemptum humanum genus ad nouitatem vitæ reformaret, qui nimirum vnus vniuersis dignior, pro omnium vitâ periculum adiret.

V. 4. & 5.

Clarificasse igitur ait Patrem super terram, consummato opere quod ei dederat. Agedum verò, duplicem quodammodò quâ hæc explicemus commenti semitam, istud quoque tum humano eum more, tum qui Deum deceat, astruamus dixisse. Si ergo vt homo talia dicat, sic acceperis. Christus typus nobis, & auspex, ac imago diuinæ factus conuersationis, quomodò ac quâ ratione nos viuere deceat, clarè exhibuit. Idcirco eius rerum, ac disciplinæ subtilissimam narrationem instituerunt, qui diuinas nobis Scripturas condiderunt. Docet igitur his verbis vnumquemque nostrum, si constitutum nobis ministerium impleamus, & iussa Dei perficiamus, tunc nostris operibus eum nos clarificare: non quasi addamus aliquid non habenti (plena enim claritatis diuina ac arcana natura) sed qui faciamus vt à spectatoribus, ac ijs qui commodum sentiant, clarificetur. Ac sanè Saluator. *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & clarificent Patrem vestrum qui est in cœlis.* Nam cùm fortiter, exque virtutis ratione vt agamus in animum inducimus, quod hinc oritur claritatis decus non capitibus nostris accersimus, sed omnipotentis Dei honori ac gloriæ conciliamus. Quemadmodum enim cùm Deo dissentaneam ac nefariam vitam ducimus, quasi arcanam eius gloriam,

Dei bonis operibus clarificatio.

Matth. 5. v. 15.

ac claritatem violemus, iurè plectimur, pœnisque obnuxium reddimus animum, quos perstringat Prophetæ illa vox, *Propter vos iugiter nomen meum blasphematur in Gentibus*; sic, opinor, cùm eximiæ virtutis opus agimus, tunc vtique etiam omninò vt clarificetur præstamus.

Isai 52. v. 6.

Impleto igitur opere quod nobis à Deo datum est, tunc adeò iurè admodum, ad eam quæ veros ac legitimos filios quàm maximè deceat euecti, libertatem, parem quodammodò, à Deo, qui per nos sit clarificatus, claritatem ac decus repetemus. *Viuo enim ego, dicit Dominus, quoniam clarificantes me clarificabo; & qui spernit me, spernetur.* B Vt igitur Christus ostendat nos tunc à solo Deo claritatem (illam scilicet in æternum duraturam) conuenienter vicariâ mercede perituros, cùm omni modo sincerum ei & inculpatum obsequium præstiterimus, & mandata eius strenuè obseruauerimus, ipse quidem se Patrem clarificasse ait, opere consummato super terram, quod is ei dedisset: vicissim autem rependi sibi gloriam, ac claritatem quærit, non alienam, nec ascititiam, vti in nobis vsu venit, quin potiùs propriam. Id enim nos quidem petere decebat, eum verò non item.

Eius à Deo repetenda merces.

1. Reg. 2. v. 30.

Ioan. 5. v. 44.

Non benè nouus Interpres *τὸ Θεῦ*, quasi vacaret *μόνου*. cùm vtrumque Cyrilli clara allusio exigat.

Vide porrò quo pacto in se rursus vtriusque, ac per se ipse humano generi fiduciam innouet. In C ipso enim primò, ac per ipsum consecuti sumus, vt & implere possimus quæ nobis à Deo præstanda commissa sunt, & vt liberâ iam fiduciâ debitum virtutis præmio honorem exposcamus. Olim siquidem peccati illius labe quod in nos regnauerat, eiúsque defectionis quæ in Adamo contigerat, nulla facultas erat, vt conducentium ad virtutem aliquid præstaremus; sed & quàm longissimè à fiduciâ in Deum eramus. Et quidem nos ad hanc Christus reuocans, nimiâ quadam leniate, in hæc verba Prophetæ vocibus solabatur. *Noli timere, quia confusa es: nec te pudeat, quòd tibi exprobratum est.* Quemadmodum igitur in omnibus alijs bonis, primitiæ, & ianua, & via nobis Dominus noster Iesus Christus factus est; ita D hîc etiam. Quòd si propriam, ac mundo anteriorem Saluator quærit claritatem, atque in nos translato exemplo, vique considerationis, nobis quoque Dei placitum strenuè exequendum, atque ita supernam nobis claritatem cum fiduciâ petendam, asserimus, nemo putet nos illud dicere, quòd homini, Christi imitatione claritatem quandam mundo anteriorem, atque antiquam, quæ & illi sit debita, quærendam statuamus: sed cogitet potiùs, quod cuique conueniat, eum loqui docere. Nam si in Christo perinde ac in nobis sola intelligitur humanitas, ea duntaxat loquatur quæ terrigenas deceant, nec vltra hominis statum efferatur. Sin autem Deus Verbum cùm E sit, caro factus est, cùm & diuinâ quidpiam auctoritate dixerit, ei soli congruet, haud verò iis qui non pari sint cum eo dignitate. Quapropter eo quem iam diximus sensu (humano more videlicet) dictum illud accipiemus: sed diuinam Christi dignitatem rursus apud nos reputantes, maius aliquid iure merito demum æstimabimus quàm pro naturæ hominis ratione.

τὸν ἐν ἀμοιβῇ μισθὸν. meriti scilicet operum, ac præmij.

Christi gratiæ commendatio.

Isai. 54. v. 4.

Alia Christi, qui Deus sit, alia nostri ratio.

Clarificasse igitur Patrem suum ac Deum, consummato opere quod ab eo acceperat, dicimus, non tanquam seruum, aut in ordinem ministrorum redactum, idque velut cogente necessitate, ne Dominus omnium in seruorum quoque numero censeatur, ac seruilis naturæ: hominum quippe, seu Angelorum est, supplicum & seruorum more diuinis nutibus subiici, eisque ministrare: sed cùm virtus ac sapientia Genitoris existat, eam quæ sibi quodammodò demandata erat nostri emendationem cumulatissimè perfecisse, sicuti nimirum etiam diuinus nobis Psaltes in Spiritu mysterij vim explicans, aiebat: *Manda Deus virtuti tua: confirma hoc Deus, quod perfecisti nobis.* Vt enim liquidò demonstraret Filium Patris virtutum esse, nec tamen alium ab ipso, quod ad eandem substantiam attinet, naturamque, cùm priùs dixisset, *Manda virtuti tuæ*, ac binas personas induxisset, tum nimirum eius qui mandet, tum cui mandetur, in naturalem protinus connectit vnitatem, diuinæ naturæ atque arcanæ, rei exitum ex integro adscribens, cùm sapientissimè ait, *Confirma hoc Deus, quod perfecisti nobis.* Demandatur itaque, id est, Patris sui nutu salutis nostræ opus Filius suscipit. Quonam autem modo suæ Deus virtuti mandet, operæpretium est, vt, quantum humanis verbis ac sensu quæ mentem superant explicare licet, consideremus atque dicamus. Supponamus igitur hominem aliquem nostri similem, eumque fingamus esse fabrum ærarium. Is, ad fingendam statuam, aut mutilam emendandam aggrediatur. Quomodò quæso operabitur, aut quo pacto perficiet, quod animo destinauit? Nempe virtuti manuum suarum, & artis sapientiæ mandando ea vt impleant, quæ ipse statuerit. Atqui licet sapientia eiusque virtus, aliquid aliud ab ipso quodammodò subtili cogitatu esse videantur, nequaquam tamen ab eo aliæ sunt. Insunt enim etiam hæc illi in ratione substantiæ. Tale quid de Deo intelliges: nec tamen per omnia similem exempli vim & rationem esse existimes. Deus enim qui est super omnia, hoc quoque superior intelligatur exemplo. Eadem exempli vis occurrat in sole, ac igni. Mandat enim quodammodò sol luci à se emananti vt illustret omnia, velutque opus, vt caloris vim capacibus imprimat, radiorum virtuti committit. Similiter etiam ignis natiuæ suæ proprietati, vt quæ sui sunt muneris impleat, iniungit: nec tamen ideo radium, lucemque Solis ratione, vimque vrendi ignis item ratione, seruilis ministerij vicem dicamus tenere. Operantur enim singula quibus instructa viribus sunt, quæ iis sunt propria. Quanquam enim quodammodò videantur ipsa non facere, non tamen alia sunt naturâ, quàm quæ ex illis existunt. Tale quid in Deo ac Patre, ac quod ex ipso secundum naturam Verbum natum est, cùm ei humanum quid committi dicitur, propensè intelliges.

Psal. 67. v. 29.

Deficiunt hæc, quòd non subsistant istæ virtutes.

Clarificauit igitur in terrâ Patrem ac Deum sapientia ac virtus eius (id est, Christus) perfecto opere quod ei dederat. Quoniam verò ad conuenientem exitum eius opus tendebat, quâ semper pollet, claritatem petit, ac tempore vocante vetustissimum splendorem resumere quærit. Quodnam verò impleuit opus, quo se Patrem clarificasse ait? Nempe cùm sit verus Deus, propensâ Patris voluntate homo factus est, eo scilicet consilio, vt vniuersum seruaret orbem, prolapsumque humanum genus ad vitam immortalem, veramque in terrâ Dei cognitionem instauraret. Quod sanè etiam diuinâ Christi virtute ac potentiâ peractum est, destructâ morte, euersâque diaboli tyrannide, ac deleto peccato, eximiaque in nos dilectione exhibitâ, remittendo cunctis peccata, eosque il-

Opus Christo cōmissum, nostræ negotium salutis.

luminando qui in errore versarentur, affusâ iam illis, quâ Deum vnum verumque intelligant, luce. Talia igitur tantáque præstante Christo propriâ virtute; Pater ab omnibus clarificatus est, nempe cunctis in mundo eius sapientiam, virtutem, insitam clementiam ac humanitatem animi percipientibus. Eluxit enim, ac demum in Filio ceu in imagine, ac figurâ suæ naturæ manifestatus est, exque fructu cognita est arbor, sicut scri-
Math. 7. v. 16.
ptum est. Iam autem peractis operibus, inque congruum finem tendente nostræ salutis negotio, ad suam gloriam redit, ac veterem recipit claritatem. Velut tamen adhuc hominis formam indutus, rogantis habitum prætendit, ac velut non habeat, petit. Habet quippe homo omnia à Deo.
Consentiẽtissima hæc nostræ Theologię, de carnis Christi, quã meruit, glorificatione.
Tametsi enim in quantum Deus ex Deo Patre genitus, diuinæ expers claritatis non esset, quòd
B
tamen hanc quo tempore nostræ gerebat salutis negotium velut contraxisset, claritatis planè experte hoc assumpto corpusculo, tanquam illa verè abesset, haud absurdè quærit, atque hoc loquitur vt homo. Tale quid in animo habens, sapientissimus Paulus, sic nobis de eo scribit.
Phil. 2. v. 6.
Hoc quisque vestrûm, inquit, *sentite, quod & in Christo Iesu: qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Sublimem quippe Filium, quatenus ex ipso (Deus scilicet ac Dominus) effulsit, nihilominus tamen vt hominem exaltare, diuinis Scripturis proditus est, cui naturæ suæ humilitatis necessitatem omninò
C
exaltationem affinxit. Suam itaque claritatem, carne etiam adiunctâ, repetit. Neque verò talia loquitur, ac si omninò suâ careat claritate, nisi fortiran eam acceperit (Neque enim vnquam Verbum, cùm verus Deus esset, suarum expers dignationum fuit) Sed quòd ad eam claritatem, quâ semper præditus est, ipsum suum templum, quin & se ipse cum suâ carne referat, cuius causâ illam interim claritatis absentiam subiit. Ne cni enim nouam hanc & extraneam claritatem sibi petere videretur, ipsam mundo anteriorem decernit, idque apud ipsum Patrem. Nec enim vnquam à Patris claritate exclusus est Filius, quo cum regnat, & laudatur & colitur, tum à nobis,
D
tum à sanctis Angelis, vt Deus ex Deo, & in Deo, & cùm Deo. Id enim puto etiam diuinus Ioannes Euangelista cùm doceret, infit,
Ioan. 1. v. 1.
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.

V. 6.
Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, &c. Accurate iam, vt reor, docuimus, quòd diuino simul & humano more, Patrem qui in cœlis est, Christus alloqueretur. Ad vtrumque enim sermonem dirigit, nec intra humanitatis terminos prorsus consistens, nec in gloriâ soli Deo conueniente duntaxat hærens. At idem hîc character seruatus est. Nam vt na-
E
turâ Deus, & vt arcanæ illius figura naturæ, ad Patrem suum ait, *Manifestaui nomen tuum hominibus*: pro gloriâ ac claritate nomen vsurpans: quod ipsum apud nos receptum est trito loquendi modo. Ita sanè scripsit sapientissimus Salo-
Pro. 22. v. 1.
mon, *Optabilius nomen bonum, quàm diuitiæ multa*: hoc est, melior est bona existimatio & gloria, quàm diuitiarum iucunditas ac splendor, seu fastus. Ipse quoque alicubi Deus Isaiæ voce ad eos ait, qui se castrauerunt propter regnum
Isai. 56. v. 3.
cœlorum, *Ne dicat Eunuchus, quia lignum ego sum aridum. Hæc dicit Dominus Eunuchis,*
A
Quicunque custodierint mandata mea, & fecerint quæ ego volo, dabo eis in domo meâ, & in muro meo locum nominatum, meliorem filiis & filiabus: nomen æternum dabo eis.
Syr. σώβατά μου.
Neque verò sanæ mentis quispiam putauerit nudâ ac simplici nominis appellatione retributionem illam constare, quæ ex diuinâ munificentiâ illis præbenda est, qui honesti ac virtutis studio mundi huius libidinem omnem expugnarint, & membra quæ sunt super terram mortificauerint, atque ea duntaxat quæ à diuinis non abhorrent legibus coluerint. At nomen rursus pro gloriâ, ac claritate dicit: illustres enim & spectabiles erunt, qui cum Christo sint regnaturi.

Saluator itaque Dei se ac Patris nomen manifestasse etiam atque etiam asserit; hoc est, illustrissimam toto orbe constituris fecisse ipsius gloriam. Quonam id modo? Se nempe ipse per
Pater Filij operibus clarificatus.
præclara opera, vimque omnem sermonis superantia documento proponens. Clarificatur enim Pater in Filio, vt in formæ propriæ imagine, ac figurâ. A figurâ enim semper exemplaris pulchritudo elucet. Manifestatus itaque Vnigenitus est, qui substantialiter sapientia, vita, vniuersorum artifex auctorque, morte superior ac interitione, purus, innocens, misericors, sanctus, bonusque esset. Hæc esse ipsius etiam Genitor proditus est. Non enim aliter naturâ sese possit habere, quàm qui ex ipso naturâ existit. Persplendint itaque velut in suæ formæ imagine atque figurâ, in prolis claritate. Apud veteres quidem talis quidam de eo sermo fuit: nunc verò & ex ipso nobis aspectu innotuit. Quod autem cernitur, maius semper quodammodò ad fidem est, quàm quod auditu percipitur. Hæc quidem non abs re dicta esse puto: aliâ tamen obseruandi ratione ac methodo ad huius loci explicationem eundum. Manifestauit enim nomen Patris Filius, Patris nomẽ Christo manifestatum.
non solùm sensum nobis veramque notionem eius deitatis tradendo (Deum enim ipsum esse ante etiam ipsius aduentum diuinarum Scripturarum vocibus prædicabatur) sed quòd etiam verè Pater sit, in se, ex seque propriam habens prolem, pari cum naturâ suâ existentiâ, ac æternitate. Genuit enim non in tempore sæculorum conditorem. Nomen autem Patris magis propriè, veriusque Deo conuenit, quàm Dei nomen. Deo magis proprium quàm Deus.
Hoc enim, dignitatis; illud autem substantialis proprietatis significationem habet. Nam qui Deum dicat, vniuersi Dominum ostendit: qui verò Patrem nominet, de proprietate sermonem tangit. Eum quippe genuisse ostendit. Familiarius verò quodammodò, veriúsque nomen Pater, ipse etiam Filius Deo tribuens, quandoque quidem, non, Ego, aiebat, & Deus; sed, *Ego,* *Ioan. 10. v. 30.*
& Pater vnum sumus. Quandóque verò rursus de seipso, *Hunc enim Pater signauit Deus.* Sed *Ioan. 6. v. 27.*
& quando discipulis suis præcepit vt baptizarent omnes gentes, non in Dei nomine, sed, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti id expressè fieri mandauit. *Math. 18. v. 19.*
Nam diuinus quidem Moses dum mundi creationem narrando exequitur, non vni personæ id tanti operis tribuit, qui scribat, *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem.* *Gen. 1. v. 26.*
Dicendo enim *Faciamus*; &, *ad similitudinem nostram*, sancta Trinitas designatur. Creauit enim, & vt essent vocauit Pater omnia per Filium in Spiritu. At non admodum captu facilia hæc erant antiquis; quinimmò valde obscura. Neque enim
Trinitas obscurè Mosi insinuata, palam Christo tradita.

peculiariter vocatus est Pater, nec Filij palam illata persona est. Dominus autem noster Iesus Christus, nullâ verborum ambage, multâque claritate, Deum Patrem suum vocabat: séque ipse Filium dicens, ac verum reipsâ fructum omnium dominatricis naturæ ostendens, Patris nomen manifestauit, atque ad perfectam nos cognitionem extulit. Quæ enim de Deo rerumque vniuersitatis principio plenissima cognitio est, non in eo posita est, vt Deum esse tantùm cognoscamus; sed vt etiam Patrem, ac cuius Pater sit, vnà quoque subeunte cognitione Spiritus sancti. Scire quippe duntaxat Deum esse, nobis non magis conuenit, quàm iis qui erant sub lege. Nec enim id Iudaici sensus, ac solertiæ modum excedit. Nam quemadmodum *nihil ad perfectum adduxit lex*, rudimentariam scilicet pedagogi ritu doctrinam inferens, nec sufficientem ad pietatem præstandam, sic & imperfectam de Deo inserebat notitiam; vnum hoc agens, vt à falsorum deorum amore auocatis, vnum ac verum Deum colendum suaderet. *Non erunt*, inquit, *tibi dij alij præter me. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Dominus autem noster Iesus Christus scitis Mosaicis meliora apponens, ac legali præcepto clariorem doctrinam proponens, veteri illâ cognitione præstantiorem, ac luculentiorem nobis elargitus est. Palam enim nobis fecit, nedum rerum vniuersitatis creatorem, & Dominum Deum esse, verùm etiam Patrem. Idque rerum ipsâ exhibitione probauit. Se namque ipsum imaginis loco constituit, dicens, *Qui vidit me, vidit & Patrem. Ego, & Pater vnum sumus.* Atque hæc quidem iure merito, quippe qui etiam Deus ex Deo per naturam sit, sublimi intellectu, atque vt Deum decent, ad Patrem suum dicit. Subiungit verò statim, humano more humiliùs, dicens, *Quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti.* Hæc porrò Dominum dixisse putabimus, non velut peculiariter aliquid ac seorsim Dei ac Patris dominationis tributum sit, quod non etiam fortè sit Filij. Rex enim est ante sæcula, iuxta Psalmistæ vocem, ac Patris æternâ dominationis societate gaudet. Denique sapientissimus Ioannes Euangelista, ad eum spectare omnia, cunctáque illi subiecta esse, nimirum Patre cum eo regnante, docendo scripsit. *In propria venit, & sui eum non receperunt*; eius propria vocans, etiam qui necdum ipsum norant, at qui eius imperij iugum excutiebant. Eiuscemodi verò impræsentiarum locutus est, palam auditores docens, esse in hoc mundo aliquos, qui Deum vnum ac verum ne animo quidem suscepissent, sed qui creaturam, ac dæmonia, inuentáque diabolica colerent. Verùm tametsi vniuersi creatorem non norant, à veritate nimirum alieni, Dei tamen quatenus est Dominus, vt creator, erant. Sunt enim Dei omnia propria, nihilque prorsus in creatis non vni deditum Domino est, etsi id fortè minùs nouerit creatura. Nec enim quisquam dicat imperium in cuncta ideo creatori auferri, quòd quosdam error teneat: sed potiùs ei cuncta subijci atque submitti, quòd ab eo facta sint, & in ortum educta.

[A] [B] [C] [D] [E]

[Hebr. 7. v. 19.] [Deut. 5. v. 7. & 6. v. 13.] [Ioan. 14. v. 9. αὐτῷ μένει· nec noui interpretis coniectura placet, vt sit αὐτῷ ἑνώμενοι. V. 6.] [διαφέρει αὐτῷ πάντα· Malè nouus Interpr. omnia referri ad eū. Ioan. 1. v. 11.]

Cùm sic ergo se veritas habeat, Dei quidem erant qui est per naturam, qui etiam diaboli obstricti erroribus, ac sæculi vitijs mancipati erant. Sed dati sunt Filio: quæso, quomodo? Nempe Deo ac Patri placuit in ipsus Emmanuelem regnare, non velut tunc in eos primùm arrepto imperio (semper enim Dominus Rexque erat, in quantum naturâ Deus) sed quòd factus homo, ac pro omnium vitâ functus periculo, sibi omnes redemerit, Deóque ac Patri per se ipse obtulerit. Qui olim igitur, & à principio vnà cum suo genitore vt Deus regnabat, vt homo Rex creatus est; cui cum alijs datum, vt iuxta naturæ humanæ modum, regnet. Non enim quemadmodum homo animal est vtens ratione, intelligentiæ capax ac scientiæ, in naturalibus isthæc dotibus habens, ita quoque Rex erit. Nam illa quidem assumuntur in definitione substantiæ: hoc autem, extraneum est, atque additum, nec ex eorum numero esse videtur quæ inseparabiliter inhærent. Accedit enim, absceditque, nullâ prorsus, quod spectat ad substantiæ rationem, subiecti violatione. Data igitur est, ac extrinsecus à Deo homini inducitur regia dignitas. *Per me* enim, inquit, *Reges regnant, & tyranni per me terra imperant.* Qui ergo vnà cum Patre omnibus imperat, inquantùm & erat, & est, & erit naturâ Deus, pro eo ac hominis habitum, formámque decet, in mundo init imperium. Idcirco namque ait, *Omnia quæ dedisti ei, abs te sunt.* Propriè enim ac peculiariter Dei sunt omnia: nobis verò, qui ab eo conditi sumus, data. Et quidem omnia possidere, cunctísque imperare, diuinam cumprimis naturam decet: nobis autem rursus maximè proprium est, accipere. Eos porrò qui constanter ac indubiâ in eum fide credant, veros seruos, atque ad obsequium promptissimos testatus est. Ait enim, *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui: & crediderunt quia tu me misisti*: verba Dei ac Patris suas palam voces nominans, quòd vna eadémque essentia sit; ac, quòd Deus Verbum Patris voluntatem enunciet: vti sanè & sermo ex nostro erumpens ore, tum vicinorum aures ferit, tum cordis arcanum patefacit. Proindéque ait de illo propheticus sermo, *Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus*, i. nuntius. Admirabile quippe reuerâ ac stupendum, magnúmque Genitoris consilium, Verbum quod in ipso, & ex ipso est transmittit, ac enuntiat, verborum quidem prolatione, vt homo, factus nobis similis; per cognitionem verò ac spiritalem illustrationem, postquam in cœlus ascendit. Reuelat enim sua mysteria, his qui digni sint. Cuius rei testis erit Paulus, dicens, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus?*

[Malè Græca & Latina interpūcta, ὁμοῦ τῷ ἰδίῳ τῷ γεννήτορι καὶ χειροτονηθεὶς βασιλεύς· vnà cum suo genitore Rex electus est: quæ mihi proposito ab hæreticā nihil abest.] [Pro. 8. v. 15.] [V. 7.] [V. 8.] [Isai. 9. v. 6.] [2. Cor. 13. v. 3.]

Testimonium itaque dilectoribus suis perhibuit, ab ijs se susceptum esse, ac quos eis à Patre sermones dedisset eos seruasse: certò item quòd ab illo exierit, ac fuerit missus, cognouisse, haud ita affectis qui contrariâ opinione laborabant. Hi namque nec eius susceptis sermonibus, neque verò liberâ seruatâ fide, nec assensi sunt, nec crediderunt, exisse eum à Deo, ac missum ab eo esse. Vnde Iudæi modò quidem dicebant, *Si esset hic homo à Deo, non vtique solueret sabbatum*: modò verò, *Nos Mosis discipuli sumus. Nos scimus quia Mosi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.* Vides vt missionem negauerint, adeò vt nescire quidem se vnde sit impudenter vociferentur. Quòd autem arcanam eius, ac sæculis anteriorem generationem (nempe ex Deo Patre) non admiserint, miseris nixi ratiunculis, ac velut in lapidem offendentes, eò duntaxat nomine quòd homo

[Ioan. 9. v. 16. & 28.]

factus sit, facilè perspicies, cùm Euangelistam dicentem audieris, *Idcirco Iudæi quærebant eum interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Ipsæ quoque impiorum Iudæorum voces ad eum istiusmodi referuntur, *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ; & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.*

Ioan. 5. v. 18.

Ioan. 10. v. 33.

Clarè itaque intelligis, quòd quicunque sermones eius sincerâ mente seruauerunt, ij pariter professi sunt, ac crediderunt, effulsisse eum ex Patre (hoc enim opinor signat, quod ait, *Exiui*) atque ad nos missum esse, qui, vt in Psalmis scriptum est, *Domini annuntiaret præceptum.* B Hi verò sic diuino, ac qui sit à Patre detriso spretoque Sermone, fidem pariter negauerunt, palamque inficiati sunt, cùm Deum esse, tum ex Patre, ac nostræ salutis causâ ad nos venisse, cùm nobis similis absque tamen peccato factus esset.

Psal. 2. v. 6. διαγγέλλων, pro quo infulsè editū δι' ἀγγέλων, nec meliùs redditum *& missum esse ad nos per Angelos Dei mandatum*: quod nec sensum hic habet catholicum. Plura Nobilius de ea voce ad Psalmum illum.

Iure itaque bonos ac sinceros, & ad animi obsequium promptos redditos atque faciles, Deo ac Patri commendat; nullâ eorum qui tales non sint, factâ mentione: vt quod dixit verum comperiatur, ab ipsis iam nostris inchoatum temporibus. Quodnam verò illud: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* C Quod & ipse Deus ac Pater facturum se olim iam profitebatur, Isaiæ vocibus clamans, *Estote mihi testes,* inquit, *& ego testis Dominus meus, & seruus meus, quem elegi.* Differit igitur Saluator, ac loquitur, tum diuino, tum humano propiùs more. Deus enim simul & homo cùm esset, nullo vitio de vtroque loquebatur, ac cuique pro temporum vsu ac ratione, quod conueniret, certâ consilij ratione, ac dispensatione accommodabat.

Matth. 10. v. 32.

Isai. 43. v. 10

v. 9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, &c.* Intercedit rursus, vt homo, Dei ac hominum conciliator ac mediator, magnusque verè & sanctissimus Pontifex noster, suis precibus ac intercessionibus Genitoris animum, se pro nobis hostiam offerendo, placans. Ipse enim hostia, ipse Sacerdos, ipse mediator, ipse omni labe carens sacrificium, verus ille Agnus qui tollit mundi peccatum. Typus igitur veluti quidam, ac vmbra perspicua erat Christi mediationis vltimis temporibus manifestatæ, quâ pridem mediatione Moses fulgebat; vtrúsque legalis Pontifex, eum, qui lege superior est, Sacerdotem suo illo habitu figurabat. Sunt enim legalia quædam veritatis vmbræ. Diuinus namque Moses, illique adeò socius spectabilis Aaron, Deum inter ac populi congregationem medij semper procedebant, modò quidem Israëlitarum delictis concitatam lenientes iram, animoque fractis ac elanguidis supernam implorantes clementiam, modò autem rursus eos precibus communientes ac benedicentes, legalésque hostias, ac præterea munera ex præscripto ordine, modò quidem pro peccatis offerentes, modò verò etiam gratiarum nomine, ob ea beneficia, quæ se à Deo consecutos ij conscij erant. Enimuerò qui typis, ac figuris superior extremis temporibus Pontifex simul ac mediator Christus, effulsit, rogat ille quidem

Moses & Aarō, Christi Pontificis, ac mediatoris figura.

A pro nobis vt homo; vnà verò cum Deo ac Patre (qui dignis bona impartit) inquantum Deus in nos beneficentiam donis munificus exhibet. Quod Paulus apertissimè insinuauit, dicens, *Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Qui igitur rogat, vt homo, simul rursus impartit, vt Deus. Sanctus enim cùm sit Pontifex, & immaculatus, atque innocens, non pro suâ ipse infirmitate, vti moris ex Legis ritu Pontificis munus obeuntibus, sed magis pro animarum nostrarum salute semetipsum offerens, idque semel pro peccatis nostris aduocatus pro nobis factus est; ac iuxta Ioannis vocem, *propitiatio est pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi.*

2. Cor. 1. v. 2.

1. Ioan. 2. v. 2.

Atenim obiiciet forsan aliquis ad ea quæ dicta sunt; clamabitque, Num verò non Saluatoris verbis aduersatur, quod discipulus ait? Nam Dominus quidem noster Iesus Christus, palam hîc negare videtur pro vniuerso mundo esse obsecrandum; at sapientissimus Ioannes his longè contrarium dixit. Non enim aduocatum, ac propitiationem pro nostris duntaxat peccatis Saluatorem fore asserit, sed etiam pro totius mundi. Quæ sit ergo huius obiectionis solutio; quáue ratione facilè explicari queat discipulum Magistri vocibus haudquaquam contraire? Nempe beatus Ioannes, cùm Iudæus esset, exque Iudæis natus, ne qui fortè putarent Dominum pro solis Israëlitis apud Patrem aduocatum esse haud item pro aliis nationibus toto sparsis orbe; quamuis futurum erat vt fide in ipsum conspicuæ essent, ac breui ad agnitionem salutis per Christum vocarentur, admodum necessariò dicit, non pro solis Israëlitis propitiationem fore Dominum, sed & pro toto mundo, hoc est, pro iis qui quauis ex natione, atque genere ad iustitiam & sanctificationem per fidem vocandi essent. Dominus autem noster Iesus Christus legitimos à spuriis discernens, & eos qui diuinos eius sermones modestiùs audiunt, cordisque ceruicem subiiciunt, D & se quodammodò seruitutis Dei iugo mancipant, ab iis qui contumaci & præfractâ indole eū ostendunt, pro iis solis rogare se conuenientiùs dixit. Quorum enim mediator est atque Pontifex, iis tantùm bona mediationis largienda putabat. Quos etiam datos sibi ait, cùm necessitudinis ad Deum, nisi per Filium nulla alia via sit. Quod quidem ipsemet te docebit, dicens, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Vide enim quemadmodum Pater eos de quibus sermo est, propriæ proli (id est, Filio) traditos, sibi ipse habuerit, ac comparauerit. Quod certè intelligens Paulus sanctarum literarum peritissimus, E *Deus erat in Christo*, ait, *mundum reconcilians sibi.* Christo enim mediatore, atque eos qui per fidem accederent recipiente, perque seipse Patri admouente, mundus Deo reconciliabatur. Idcirco etiam Isaias Propheta pacem cum Deo in Christo colendam iis nos verbis prædocebat; *Faciamus ei pacem; faciamus pacem, venientes.* Ex animo quippe nostro electis quæ nos à Christi dilectione auocant, operum scilicet turpitudine, ac libidine ad peccatum, propensáque sæculi illecebris voluptate, ac præterea prauitatis omnis parente, ac fomite absurdo, monstruosoque errore, Christi amici efficiemur ac necessarij, pacémque cum Deo inibimus, ipsi per Filium Patri adhærentes, vt qui natum ex ipso Verbum in nobis susceperimus, ac in Spiritu, *Abba, Pater,* clamemus.

Christus propitiatio pro omniū peccatis, cùm pro omnibus non orauerit.

Ioan. 14. v. 6.

a τῷ διαγγέλματι δι' οὗ Non benè nonnos Interpres, *fuo tradens Spiritus* cùm nec vox aliud ferat quàm Filiū, nec nisi de illo hic sermo sit.

2. Cor. 5. v. 19.

Isai. 27. v. 5.

Rom. 8. v. 15.

Qui

Qui ergo dati sunt Christo, Patris extiterunt; haud tamen ideo extra Christum fuerunt. Regnat enim cum ipso Deus ac Pater, & per ipsum suis imperat. Vnum enim idemque sanctae ac consubstantialis Trinitatis in vniuersos regnum, ac imperium est: ac quicquid Filij fuerit, etiam Patris gloriae subiacebit; ac contra, quicquid Patri subesse dicitur, hoc & Filij omnino imperio subdetur. Idcirco enim ait; *Et mea omnia tua sunt,*
V. 10. *& tua mea.* Vbi enim eadem penitus elucet natura, ibi planae dignitatis incommutabilis gloria, non vni seorsim aliquid tribuens, alio excluso, sed aequalem, vnam, & eandem in omnibus gloriam extendens. Qui enim diuinarum sui Patris dignationum substantialiter haeres sit, habere ipse quae sunt Genitoris omnia conspicietur, ac Patrem quae sunt ipsius omnia habere ostendet. Alter enim in altero natura elucet, & effulget; Filius in Patre, vicissimque Pater in Filio. Hunc enim nos modum docuerunt diuinae Scripturae. Cum igitur ex Patris dignationibus haec vna sit, vt in cuncta imperio polleat, illa quoque Filius
Hebr. 1. v. 3. praestabit. Est enim figura substantiae eius, nullam plane dissimilitudinem, ac diuersitatem admittens. Clarificatum se vero in ijs qui semel dati sint, asserit, iustissimam velut mercedem eam pronuntians, vt pro illis roget.

V. 11. Absentia imminens ratio precationis Christi pro discipulis. Quaenam igitur petitio, quaeve ex causa suis familiaribus Patrem suam benignitatem exorat? Nempe, *Non sum in mundo; & hi in mundo sunt: & ego ad te venio.* Quamdiu enim adhuc in carne cum sanctis Apostolis in terris versabatur, manifesta & oculis ipsis vsurpata, atque (vt ita dicam) familiaris consolatio laborantibus praesto erat: proinde ea ratione maiori fulti fiducia erant. Solet enim mens humana, non tam obscuris, quam manifestis audaciam sumere, atque gaudere. Nec, quod ita dicamus, imbecilliorem Dominum ponimus, vt nisi praesens conspiciatur, saluos aliquos praestare non possit. Desipiat enim qui sic senserit; ac plane merito. Nam *Iesus Christus heri & hodie; idem & in saecula.* Hebr. 13. v. 14. Nouerat tamen haud mediocriter animi pusillitate deiectum iri discipulos, qui soli quodammodo in terris relinquerentur, immanium fluctuum instar stridente mundo, intolerandisque terroribus ac summis periculis eos passim obsidente, qui diuinum sermonem profanis adhuc auribus essent illaturi. Quia ergo, inquit, ego ad te venio: (iamiam enim vna tecum sessurus, ac tanquam Deus Deo ac Patri corregnaturus ascendam, & hi demum in mundo manebunt) pro eis rogo. Tui fuerunt qui mihi dati essent; eorumque, velut qui tui ac mei sint, haud iniuria curam habeo: *& clarificatus sum in eis, quia omnia, quae dedisti mihi tua sunt, & mea tua.* Atque hoc vere quidem dictum est. Non enim ex eo quod Christo dati sunt quidam eorum, qui in mundo sunt, atque idcirco etiam Patris extiterunt, clarificare eum renuerint, per quem Deo ac Patri coniuncti sunt: sed per eum adducti, nihil minus semper eius erunt. Sunt enim illi cum Patre omnia communia, ipsaque naturalis deitas ac potentia. Vnus enim Deus in sancta & consubstantiali Trinitate nobis adoratur: sumusque Dei omnes, qui vnus, solus, verusque est, sanctae & consubstantiali Trinitati seruorum iure addicti.

IN ASCENSIONE DOMINI.

MARCI XVI.

a Vt omnes testes sint, & omnibus narrent quod cominus viderunt & audierunt.

IN illo tempore, Recumbentibus illis vndecim apparuit; & a Vel, succedat credulitas. exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit b Haimo. Nunc post acceptum Spiritum sanctum, tanquam vasa bene per ignem consummata. eis; b Euntes in mundum vniuersum, praedicate Euangelium c Bed. Fide, quae per dilectionem operatur. omni creaturae: Qui c crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos d Bed. Bonis exhortationibus malitiam auferendo ab aliorum cordibus. qui crediderint haec sequentur: In nomine meo daemonia d eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super e Qui de caelo descendit. aegros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus e quidem Iesus postquam lo- f Vnde venerat. g Praeceptum obedientia, obedientiam signa comitantur. cutus est eis, assumptus est in f caelum, & sedet a dextris Dei. Illi autem g profecti praedicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

GLOSSA ORDINARIA

ex superius Euang:

Hebr. 13. v. 8. NOVISSIME *autem.* BED. Quadragesimo die quando erat iam ab eis recessurus in caelum, hoc eis maxime illo die exprobrare voluit; quia his qui viderant eum resurgentem non crediderunt, *A Paschate.* antequam eum ipsum viderent; cum post ascensionem eius praedicantibus illis Euangelium, Gentes, quae non viderunt, crediturae essent. Vnde statim adiungit Marcus, *& dixit eis; Euntes in mundum vniuersum praedicate Euangelium.*

Duritiam cordis. HIER. Vt succedat cor carneum charitate plenum. Hinc est quod caterua Martyrum mortem huius saeculi libentér

affectant, quia norunt pro temporali interitu perpetuò se esse victuros.

V. 15. *Omni creaturæ.* Omni nationi gentium. Ante
Matth. 10. v. 5. enim dictum erat, *In viam Gentium ne abieritis;* vt, scilicet Apostolorum priùs à Iudæâ repulsa prædicatio, tunc Gentibus in adiutorium fieret. HIER. Omni generi humano, quod habet aliquid commune omni creaturæ, Angelis, pecoribus, lignis, lapidibus, igni & aquæ, calido & frigido, humido & arido: quia minor mundus homo dicitur.

V. 16. *Qui crediderit.* Per alios paruuli credunt, sicut ea quæ ex aliis peccata contraxerunt, in baptismo eis remittuntur.

V. 17. *Signa autem.* Nunquid si signa non faciamus, non credimus? Sed hæc in exordio necessaria fuerunt, vt fides miraculis nutriretur: fide autem Ecclesiæ iam confirmatâ, non sunt necessaria.

Dæmonia eijcient, &c. Hoc hodie spiritualiter facit Ecclesia, cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponit, & malignos spiritus expellit.

Linguis loquentur nouis. Hoc fit dum fideles veteris vitæ sæcularia verba relinquunt, & sancta mysteria insonant: ac Dei laudes & potentiam, quantum valent, extollunt.

V. 18. *Et si mortiferum quid biberint.* Dum pestiferas persuasiones audiunt, nec ad operationes vsque perducunt, inde quod eis non nocet, & si mortiferum, bibunt.

Super ægros. Dum proximos in bono opere confirmatos roborant exemplo bonæ operationis, super ægros manus imponunt, & bene habebunt. Hæc miracula tantò maiora quantò spiritualia: per hoc enim animæ suscitantur, non corpora.

V. 19. *Assumptus est in cœlum.* AVGVST. Nota, quòd aliquando cœlos pluraliter & aliquando cœlum singulariter inuenis: sed quodam modo loquutionis abusiuæ, singularia plurali numero dicimus, & pluralia singulari.

Psal. 67. v. 34. Ad Orientem verò quod Psalmista dicit, Euangelistæ tacent, significat Hierusalem, quæ est in Orientis partibus collocata, vnde Apostolis videntibus ascendit: & terra multis plena miraculis, vbi fidelium credulitas plus actibus, quàm loquutionibus eruditur.

Et sedet à dextris Dei. BEDA. Et nunc omnia iudicans, in fine omnium Iudex venturus est. Stephanus autem vidit eum stantem, quia in certamine habuit eum adiutorem.

V. 20. *Illi autem.* BEDA. Nota quòd Marcus Euangelium suum quantò inchoauit tardiùs, tantò in longinquiora tempora scribendo porrexit. Neque enim de natiuitate ipsius Domini aut Præcursoris eius, neque de infantiâ, nec de pueritiâ cuiuslibet horum aliqua commemorans, nec de natiuitate Saluatoris aliquid scribens: excepto quòd in capite Euangelij sui Filium Dei nominat; ab initio Euangelicæ prædicationis quod per Ioannem factum est narrando peruenit, quò Apostoli idem Euangelij verbum per totum orbem seminauerunt.

CATENA AVREA,

in idem Euang.

Marc. 16. v. 15. NOuissimè autem, recumbentibus illis vndecim apparuit, &c. GLOS. Completurus Euangelicam narrationem Marcus, nouissimam apparitionem, quâ Christus post resurrectionem discipulis apparuit, commemorat, dicens: *Nouissimè autem, &c.* Hom. 29. in Euang.

GREG. in hom. Notandum autem quid Lucas in Actibus referat, dicens, *Conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne descenderent;* & post pauca, *Videntibus illis eleuatus est.* Comedit enim & ascendit, vt videlicet per effectum comestionis veritas patesceret carnis: Vnde & hic dicitur, quòd *recumbentibus illis nouissimè apparuit.* Act. 1. v. 4.

HIER. Apparuit autem vndecim simul congregatis, vt omnes testes sint, & enarrent omnibus quod communiter viderunt & audierunt. Sequitur, *Et exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis eorum, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Super illud: *Nouissimè recumbentibus.*

AVGVST. de con. Euang. Quomodò autem nouissimè hoc factum est? Nouissimum quippe illud est, quòd Dominum in terrâ Apostoli viderunt, quod factum est quadragesimo die post resurrectionem eius. Nunquid nam tunc exprobraturus erat, quòd non credidissent eis, qui eum viderant resurrexisse, quando iam & ipsi post resurrectionem toties eum viderant? Restat igitur vt intelligamus nunc Marcū breuiter commemorare voluisse, & iam dixisse, *Nouissimè,* quia ipso die hoc nouissimum fuit iam incipiente nocturno tempore, posteaquam discipuli de castello redierunt in Hierusalem, & inuenerunt, sicut dicit Lucas, vndecim, & qui cum illis erant colloquentes de resurrectione Domini. Sed erant ibi vtique non credentes. *His* ergo (sicut Marcus dicit) *discumbentibus, & adhuc inde* (sicut dicit Lucas) *loquentibus, stetit in medio eorum Dominus, & ait illis, Pax vobis,* sicut Lucas & Ioannes dicunt. Verbis itaque Domini, quæ tunc eum locutum esse discipulis Lucas Ioannésque dixerunt, interponitur & illa exprobratio de quâ Marcus hic dicit. L. 3. cap. vlt. Concordia Euangelica; fuisse hanc apparitionem ipsam quā Ioannes & Lucas die Paschę narrant.

Sed hoc rursus mouet, quomodò discumbentibus vndecim dicit apparuisse Marcus, si illud tempus est diei Dominici iam noctis initio, cùm apertè Ioannes dicat non cum eis fuisse Thomam, quem credimus exiisse inde antequam Dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis vndecim collocuti sunt, sicut apud Lucam inuenitur. Sed Lucas in suâ narratione dat locum, quo possit intelligi dum hæc loquerentur, priùs inde exiisse Thomam, & postea Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, *Nouissimè discumbentibus illis vndecim apparuit,* etiam Thomam illic fuisse cogit fateri: nisi fortè quamuis vno absente, vndecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc Apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Mathias in locum Iudæ subrogaretur. Aut si hoc durum est accipere, illud accipiamus, post multas demonstrationes eius eum, nouissimè recumbentibus vndecim apparuisse, id est, ipso quadragesimo die. Et quoniam iam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die magis exprobrari voluisse, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant, antequam ipsi eum viderent; cùm vtique post ascensionem suam prædicantibus Euangelium etiam gentes, quæ non viderunt, fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem ait idem Marcus, & Fuisse nouā aliam die quadragesimo.

dixit eis, *Euntes in mundum vniuersum*. Et instâ: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Hoc ergo prædicaturi, nónne ipsi primitùs fuerant obiurgandi, qui antequam Dominum vidissent, non crediderunt eis quibus priùs apparuisset.

Hom. 29. in Euang. GREG. in Hom. Idcirco etiam tunc Dominus discipulos increpauit cùm corporaliter reliquit: vt verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctiùs impressa remanerent.

Super illud, *nouissimè recumb.* HIER. Exprobrat autem incredulitatem, vt succedat credulitas. Exprobrat duritiam cordis lapidei, vt succedat cor carneum charitate plenum.

Hom. 29. in Euang. GREG. in Hom. Increpatâ igitur eorum duritiâ, quid admonendo dicat, audiamus. Sequitur enim, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Omnis creaturæ B nomine signatur homo. Omnis enim creaturæ aliquid habet homo: habet namque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Omni enim creaturæ prædicatur Euangelium, quia ille videlicet docetur, propter quem in terrâ cuncta creata sunt: & à quo omnia per quandam similitudinem alia non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine, omnis natio Gentium Matth. 10. v. 6. designari. Antè enim dictum fuerat, *In viam Gentium ne abieritis*: nunc autem dicitur, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; vt scilicet à Iudæâ Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnatio- C nis suæ testimonium superbè repulisset.

THEOPH. Vel *omni creaturæ*, id est, credenti & non credenti. Sequitur, *Qui crediderit, &c.* Non enim sufficit credere: nam qui credit & nondum est baptizatus, sed cathecumenus, nondum est perfectè salutem adeptus.

Hom. 29. in Euang. GREG. in Hom. Fortasse enim vnusquisque apud semetipsum dicat, Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus teneat. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, operibus non contradicit.

Sequitur, *Qui verò non crediderit, cond.*

In Marc. vlt. BEDA. Quid adhuc hic dicemus de paruulis, qui per ætatem adhuc credere non valent? nam D de maioribus nulla quæstio est. In Ecclesiâ enim Saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex alijs, ea, quæ illis in baptismo peccata remittuntur, pertraxerunt.

Sequitur, *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, &c.* THEOPH. Hoc est, disperdent serpentes vel sensibiles, vel intellectuales; sicut illud, *Calcabitis super serpentes & scorpiones*; intellectualiter intelligitur: Potest autem intelligi de sensibilibus serpentibus, sicut etiam Paulus à viperâ nullum habuit nocumentum. Sequitur, *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Multa talia sancta E in historiis legimus. Multos namque venena bibita Christi munitos signaculo lædere non valebant.

Sequitur, *Super ægros manus imponent, &c.*

Hom. 29. in Euang. GREG. in Hom. Nunquid autem quia signa ista non facimus, minimè credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim fides cresceret credentium, miraculis fuit nutrienda: Quia & nos cùm arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terrâ coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, à rigando cessamus. Habemus de his signis atque

A Pusi hate.

A virtutibus quæ adhuc subtilius considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Signa mystica dantur. Nam Sacerdotes eius cùm per exorcissimi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mentibus contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia ejiciunt; Et fideles quique qui iam sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, linguis loquuntur nouis: qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt: & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum est quod bibunt, sed non eis nocebit: qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, super ægros manus imponunt vt benè habeant. Quæ nimirum miracula tantò maiora sunt, quantò spiritualia; & quantò per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. v. 19.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, &c. HIER. Dominus Iesus qui de cœlo descenderat ad liberandam infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam super cœlos ascendit. Vnde, *Et Dominus quidem Iesus, &c.* Super illud: *Euntes in mundum.*

AVGVST. de con. Euang. In quo satis videtur ostendere nouissimum cum illis in terrâ Lib. 3. c. vlt. præmissum habuisse sermonem, quamuis non omnimodò ad id coarctari videatur. Non enim C ait, Postquam hæc locutus est eis, assumptus est Consensus Euãgelicus. in cœlum. Vnde admittit, si necessitas cogeret, non illam fuisse locutionem, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus locutus est, posse pertinere quod dictum est: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum*. Sed quia ea quæ suprà diximus magis suadent nouissimum diem fuisse, ideo post præmissam locutionem, quam Marcus commemorauit, adiunctis etiam illis verbis quæ commemorantur in Actibus Apostolorum, credendum est assumptum esse Dominum in cœlum.

Hom. 29. in Euang. GREG. in Hom. In veteri testamento cognouimus quòd Elias sit raptus in cœlum. Sed aliud D est cœlum æthereum, aliud cœlum aëreum. Cœlum quippe aëreum terræ est proximum. In cœlum itaque aëreum Elias subleuatus est, vt in secretam quandam regionem terræ repente duceretur, vbi in magnâ iam carnis & spiritus quiete viueret, quoadusque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Notandum quoque est quod Elias in curru legitur ascendisse, vt videlicet apertè illis demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem Ascensio Christi diuina. noster non curru, non Angelis subleuatus legitur; quia qui fecerat omnia, super omnia suâ virtute ferebatur. Considerandum verò nobis est E quod Marcus subdit, *Et sedet à dextris Dei*: cùm Stephanus dicat, *Video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei*: sed sedere iudicantis est, stare verò pugnantis vel adiuuantis. Stephanus ergo in laboris certamine positus stantem vidit, quem adiutorem habuit: sed hunc post assumptioné Marcus sedere describit, quia post assumptionis suæ gloriam iudex in fine videbitur.

Lib. 2. c. 7. & 1. c. 4. Sessio ad dexteram, quid? AVGVST. de symbolo. Sessionem igitur istam non accipiamus quasi sit in humanis membris positus, tanquam Pater sedeat in sinistrâ, & Filius sedeat à dextris: sed ipsam dexteram intelligimus potestatem, quam accepit ille homo à Deo,

vt veniat iudicaturus, qui primò venerat iudicandus. Sedere enim, habitare intelligitur: quomodò dicimus de quocunque homine, In illâ patriâ sedit per tres annos. Sic ergo credite habitare Christum in dexterâ Dei Patris. Beatus enim est, & habitat in beatitudine, quæ dextera Patris vocatur. Ibi enim omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria. Sequitur, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, &c.*

Super illud: *Prædicauerũt vbique.*

Bed. Nota quòd Marcus Euangelista Euangelium suum quantò inchoauit tardiùs, tantò in longinquiora tempora scribendo porrexit: ab initio enim Euangelicæ prædicationis, quod à Ioanne factum est, cœpit: & ad illud vsque tempus narrando peruenit, quo Apostoli idem Euangelij verbum per totum orbem seminauerunt.

Hom. 29. in Euang.

Grego. in hom. Quid autem in his considerandum est, nisi quòd præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sunt? Præceperat enim Dominus, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium*: & in Actibus, *Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ.*

Epist. 80.

Avgvst. ad Hesych. Quo autem pacto ab Apostolis est prædicatio ista completa, quando vsque adhuc sunt gentes, in quibus nondum cœpit impleri? Non vtique hoc à Domino sic mandatum est Apostolis, tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut ei solis videtur dixisse, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: quod tamen eum vniuersæ Ecclesiæ promisisse, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus, hîc vsque in sæculi consummationem futura est, quis non intelligat?

Theoph. Sciendum est autem & hîc, quòd sermo per opera confirmatur, sicut in Apostolis tunc operationes confirmabant sermonem sequentibus signis. Fiat autem, ô Christe, vt nostri sermones, quos de virtute dicimus, per opera confirmentur & actus, vt tandem simus perfecti te cooperante in omnibus verbis & operibus, quia te decet & sermonum & operum gloria.

S. ATHANASII ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, in Assumptionem Domini nostri Iesu Christi.*

F. Francisco Comaefis Interprete.

Emendatis editis ex Seguier. Cod. in quo tribuitur Basilio Seleuciæ.

Sanè quidem Resurrectionis memoria, victoriæ aduersus mortem humano generi tribuit pignora: præsens verò solennitas, illud ipsum in cœlum euehit, terrenámque inhabitationem commutans, cœlum hominibus accessum facit. Nam haud par erat, vt qui mortem vicisset, genus inquam illud humanum; mortis rursum lucis demoraretur. Subit modò, vt altum quid aduersus diaboli tyrannidem sapiam, cùm mei primitias generis, regno in cœlis auctas videam. Cecidit nunc hostis potestas: defecerunt diaboli machinæ. Non hæc paradisus, ô diabole, nec ligni voluptas, quâ sis decepturus, vt legis iterum soluto metu, mortis iura stabilias. Non hæc, *Terra es, & in terram reuerteris*: sed, tametsi es terra, in cœlum redibis, ob eius bonitatem, qui eò subuehit. Peccatorum tibi locum relinquo: cedo terram, in quâ natus sum, in quâ educatus: à tuâ liber fraude, nouus cœlum colonus peto.

Gen. 3 v. 19.

Satis olim fuit arbor, vt eâ Adamum subueteres, quando ligni fructu petitum Protoplastum, è paradiso voluptatis exulare coegisti: nunc autem, vel si totam exhaurias pharetram, aduersus temet iactas sagittas, ac spicula recipis. Vbi iam tibi, diabole, veteris illius deceptionis machinæ? Vbi tibi callidus serpens, qui Euam in hæc verba affatus, *In quacunque die comederitis, eritis sicut dij*, è paradiso exigat? Factus mihi es, vel inuitus, bonus vates. Quibus enim ad decipiendum pollicitationibus es vsus, eas ego reipsâ lucratus sum. Promissionis fucus, versus mihi in exploratam veritatem. O fidem exuperantia, nouáque in naturâ, miracula! Quibus paradisus clausus fuerat, iis cœlum apertum est. Qui paulò antè sub Pilato iudicabatur, hodiè in cœlis Iudicis solium occupat. Quem Iudæi deridebant, sedet, laudum ei cantica depromentibus Angelorum populis. Cuius caput, Iudæorum spinis coronatum fuit, diuinæ is dignitatis diademate stringitur. O quoties insonans Dauidica cithara, sic pridem, modò exhibita, oraculo edidit: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Nunc planè citharæ illi pulsûs, res euasere: quæque olim modulis ille videre gestiit, rebus hodie exhibitum vidit: cœlumque, eum suscipiens humeris cuius ille meminisset, obsequio modulis affuit. Quin & in partu recens nato, se per stellam inclinauit, velut etiam ante tempus festinans eum suscipere, qui in speluncâ lateret. Verùm oportebat dispensationis terminos ac tempora seruare. Mihi autem animo mirari subit, quantum generis humani probrum, in præclarè magnificam gloriam commutarit. Quantam Dei aduersum nos indignationem, in quam maximam placiditatem conuerterit.

Psal. 109. v. 1.

Nos Deus suis ipse manibus finxerat: vltrò nascentis cibi possessores fecerat: voluptatis facultatem permiserat: terræ ministerium; aëris seruitutem; maris diuitias dederat: Solis radios; lunæ fulgores; stellarum motûs; vniuersorum dominium animalium. Prodiit in medium inimicus aliquis, inuidiæ Deum insimulans; qui & decipiens, fidem meruit. In eius partes deceptus homo concedit; impietatis laborat morbo: conspirat occultè contra Deum: manum extendit contra eius mandata. Apparet Deus: arguit spes iniustas. Fugit adspectum generis parens; vitare studet reprehensionem; sub arbore occultatur metu strepitus, qui Deitatem scelestè ambierat. Dignitate ergo spoliatum Deus hominem paradiso eiicit, vix non talia ad eum prolocutus. Non eò te condidi ego, vt ea spe præsumeres: nec idcircò manibus effinxi meis, lutum in corporis naturam commutans. Tu verò quam à me consecutus es manum, extendisti, contrà ac iussum erat, factúsque es diaboli socius, arma aduersus Conditorem sumens. Abi itaque dignitate: honorabile verte solum: *Terra es, & in terram reuerteris.* Ad te ipse reuertere, qui maiora te in animum induxeris. Reflectatur denuò natura: disce tibi matrem terram, ad quam morte remittendus sis. Diabolicæ hæc deceptionis præmia: hæc primi generis parentis insignia: miserabilis hæc naturæ inuecta fabula.

Scitè enarrata Adæ præuaricatio.

Haud enimuerò ferre potuit Conditor, vt opus illud suum vsquequaque côteri videret. Misertus est pudore suffusæ ac lugentis naturæ. Misertus est Imaginis in creaturâ errore deceptæ? Quid ergo facit? Alium rursus fingit Adam, naturæ

Item œconomia ac Incarnatio.

præsidem ex ipsâ suscitans naturâ; puluetemque mutuum ex Virgine sumens, ad vetissimam format imaginem, quem in se ipse fingit fœtum. Figit, manetque; inque vuluâ ceu regali thalamo stolam texens, Imaginem induit, quò Imaginis auferat nuditatem. Ostendit namque errore fortiorem; superioremque inferno, atque à morte etiam immortalem: ac in sepulchro, sepulchrorum conuellentem leges: demumque immortalitate coronans, cœlo hodiè intulit, commonem creaturæ gloriationem, naturæ primitias largiés.

Nunc ergo dicat aliquis, tanquam tunc iræ impotens Creator, Imaginem abominabatur, ac cùm odisset sententiam, condemnabat naturam; nunc autem depositâ indignatione, ac animo sedato, hominem, qui iniustè egerat, amplectitur? Minimè gentium. Neque enim ira, illa; neque hæc, affectûs pœnitudo largitur: sed à principio, decreto Deus & ordine, congrua rebus distribuit. Videns enim mortis damnatione collabescentem naturam, sepulchrumque humanos partûs promptum excipere, ac humani prædam generis inferni diutuas cedere, quotidiéque morte consumi, comminationis rigorem soluens Deus, immortalitatis statum spem eidem accendit: atque Enoch è medio rapiens, victam hominum mortem ostendit; mortalémque naturam, immortalitatis terminos docuit expectare: eaque, hactenus mortis curriculum impedituoi dicit, atque vt translatione Iusti, morti modus constitutus sit. Hoc ita luctu medio gestum, contrarium naturam carmen ducuit, spéque meliori recreauit.

Gen. 5. v. 14

Resurrectionis figuræ ocpignora: in Enoch.

Ne longum autem intermedium tempus miraculi elueret memoriam, deletisque spei vestigiis mœstitiam augeret, morsque iterum aduersus humanum genus terribilior videretur, denuò repetit miraculum, ac congeminat donum: rursumque Elias victor mortis appellatur. Elias, inquam, qui nubes voce subiens, cœlo commioatus est ne plueret; ac verbo naturam ligans, elementorum effectus est auriga, linguæ modico instrumento naturæ gubernacula moderans: quando magnum illud effulsit miraculum, vt cœlum reueritum hominem, fræno ab illo agi sustineret. Ne enim viti obscuritas aliquid de sensu victoriæ contra mortem decerperet, cognitum illum eius excellentis tou primùm creaturæ facit, tumque is, igneo conscenso curru, mirabili volatu ac cursu morté in inferioribus relinquit, immutatque naturæ legem dignitas gratiæ. Assumptus enim est Elias *tanquam in cœlum*, altóque rem Sriptura celebrauit præconio, vniuersis eam sæculis vocem transmittens, atque significans. Tu verò mihi, dilecte, quàm sit dictio accurata, considera; nec te syllabæ in Scripturâ abundantia virtusque lateat, neque dictionis præteritiooe, eodem seruum cum Domino honore existimes. Non enim Elias ascendit in cœlum, nec supra firmamétum euectus, superioribus illis locis demoratur. Audi verò quid dicat qui euexit: *Cùm autem eleuaret Dominus Eliam tanquam in cœlum.* Rursusque breuis dictio, Eliæ cursum stitit, cùm in sublime ferretur. Sufficit enim Prophetæ figurâ honorari. Nō enim cœlum Domino priorem seruum recipit. *Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Reseruabatur enim cœlum generis humani primitiis, ceu iis, quæ cœlestes essent, propter Conditorem hominum.

3. Reg. 17. v. 1.

In Eliâ.

4. Reg. 2. v. 2.

Domini ac Eliæ assumptionis discrimen.

Ioan. 3. n. 13.

Sic ergo Deus, iis quæ in Enoch ac Eliâ contigissent, hominum genus spe bonâ exhilarâs, quòd licet hominibus, aëris cursum equitabilem expeditumque reddidisset; haud tamen eatenùs eorū definiuit fidem, quæ superant naturam: sed & quotidiano aspectu, miraculo assuescere facit. Quid enim agit? Iubet Mosen illum scriptorem, creaturæ totius imaginem reddere; ac tabernaculi opificio, rerum præcipit imitari auctorem. Nam terræ quidem, ac eorum quæ in terrâ sunt, effigiem refert, externa oculis exposita tabernaculi facies: Interna verò tabernaculi velo discriminans, ac humanis oculis inaspecta relinquens, cœli quandam rationem non adspectandâ parte significat. Is nihilominùs, qui ita cœli ac terræ adumbrationem per figuras præcepisset, cùm ea, quæ in adyto erant rursus inaccessa hominibus voluisset, soli Pontifici arcanorum aperit aditum, quò figuratè summus Sacerdos ingressu suo ascensum in cœlum significaret: vt nimirum eius ætatis homines cœlum videntes in typo dissecari, solumque Pontificem ad innaccessa accessum præsumere; præuiè spectaculo assuescerent, nec miraculis reclamarent. Hæc Paulus orbis ille doctor, Iudæis in memoriam reuocans, per literas clamat: *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum; id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in Sancta.* Rursum verò post pauca: *Non enim in manufacta Sancta Christus introiuit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sic nouit Deus etiam figuris infideles confundere, ac per miracula, fidem miraculis facere.

In Pontifice introeunte in Sancta.

Hebr. 9. v. 8

Sic Christus in cœlum ascendit: sic figuras ipso facto impleuit. Sanè quidem par erat, vt Saluatoris resurrectioni, continuò comes foret Ascensio, ac victorem inferni, cœlum statim susciperet. Sed ne celeritas, rerum gestarum sensum subtraheret, figi tempore Apostolorū animis ab adspectu miracula statuit, continuoque oculorum intuitu illis insinuari. Communi cum Discipulis mensâ vtitur; cibis vtitur tanquam indigeret: permittit palpari corpus, testes veritatis, non solùm oculos, sed etiam digitos adhibens. Sublatâ igitur spectri suspicione ex diuturnâ præsentiâ; cùm ea Apostolis locutus esset, quæ erant pro discessu congrua, sub Discipulorum oculis ascendit. Oportebat enim vt futuri miraculorum præcones, indubitatā eorum quæ essent prædicaturi, referrent notitiam. Itaque sublimis Saluator eleuabatur: cernebant verò è terrâ Discipuli, cùm se nubes pedibus insinuās, vsum vehiculi ad cursum præbuit. O res mirabiles! Iter aëre carpitur; æther succedaneus excipit, expansis cœlum vlnis suscipit: Angeli cōglomerantes accinunt triumphalibus canticis: suadēt attonitis Discipulis, festum diem agāt, ac epulentur, *Quid statis suspicientes in cœlum?* Quid statis? prædicate mundo: profectione, aduentum. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* His Paulus vocibus auditis, vocis tubam emittit, quibus scribit dicens: *Nostra autem cōuersatio in cœlis est; vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum.* His adiungit homines, dicens: *Rapiemur cum illis in nubibus obuiam*

Non statim assumptus Dominus postquā resurrexit, od fidē resurrectionis.

Act. 1. v. 11.

Phil. 3. v. 20.

1. Thes. 4. v. 16.

Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Ex Saluatoris itaque ac Domini verique Dei nostri Assumptione spes similes demerentes, *Psal. 91. v. 6* dicamus ei: *Quàm magnifica sunt opera tua Domine! omnia in sapientiâ fecisti.* Tibi gloria & potestas, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

S. GREGORII[a] NYSSENI, *in Ascensionem Domini nostri Iesu Christi.*

VERSIONE Græco textui composita, & multis noua.

Dauidis ac Psalmorum elogia.

QVàm dulcis hominum comes Propheta Dauid, in omnibus vitæ itineribus! quàm aptus spiritualibus cunctis ætatibus! quàm omni proficientium ordini conditionique commodus inuenitur! Cùm illis qui pietate pueri infantesque sunt, colludit: viris, in certamine & pugnâ se socium præbet: iuuentutem erudit: senectutem confirmat: omnibus omnia fit; militum arma, magister pugilum palæstrâ certantium, corona victorum; in conuiuiis hilaritas, in funere lugentium consolatio. Nulla denique para humanæ vitæ illius munere & gratiâ vacat. Quænam est orationis vis quam Dauid non subministret? Quæ festi lætitia, quam non exornet Propheta? id quod in præsentiâ quoque licet intueri. Hodiernam enim festiuitatem, satis per se magnam,
Psal. 22. v. 1. ipse maiorem effecit, dum illi gaudium è Psalmia appositè adiungit. In vno enim illorum ouem fieri iubet quæ à Deo pascatur, & omnibus bonorum copiis affluat; cui & herbam pascuæ & aquam refectionis, & escam, & tabernaculum, & semitam, & viæ ducem, & omnia pastor se bonus faciat, suam ipse ad omnem vsum aptè distribuens gratiam: Quibus omnibus Ecclesiam instruit, oportere te primùm boni pastoris ouem fieri, qui per bonam catechesim ac eam quæ fit auditu primam institutionem ad doctrinæ pascua fontesque deducatis, vt cum illo sepeliaris per baptismum in mortem, nec reformides eiusmodi mortem. Nec enim illa mors est, sed vmbra mor-
v. 4. tis, atque figura. *Si enim ambulauero*, inquit, *in medio vmbra mortis, non timebo rem tàquam malam, quoniam tu mecum es.* Deinde Spiritus virgâ consolans (Spiritus enim consolator est:) mensam mysticam proponit ex aduerso mensæ dæmonum instructam. Per idololatriam enim dæmones afflixerunt hominum vitam, quibus contraria est Spiritua mensa. Ad hæc oleo Spiritua caput vngit, & vinum, quod lætitiâ cor afficit, addens, sobriam illam animæ ebrietatem injicit, & è caducis fluxisque rebus, mentem ad sempiterna trahit. Etenim qui tali affectus est ebrietate, breuem vitam cum immortalitate commutans, in longitudinem dierum habitationem in domo Domini extendit

Hæc nobis in vno Psalmorum elargitus, ad maiorem & perfectiorem excitat, cuius senten-
Psal. 23. v. 1 Baruc. 3. v. 38. tiam vobis, si videtur, paucis explicabo. *Domini est terra, & plenitudo eius.* Quid igitur miraris, homo, *Si Deus noster in terrâ visus est, & cum hominibus conuersatus est*? Ipse enim terram creauit, atque condidit. Quare nec inusitatum nec absurdum est, vt ad propria Dominus venerit. Neque enim in alieno versatur mundo, sed in eo quem ipse constituit, & fabricatus est, qui fun-
A dauit terram super maria, aptóque ac commodo situ secus fluminum decursum collocauit. Quam autem ob causam aduenit? Vt nimirum ex peccati voragine ereptum te in montem regni subueheret, vitæ è virtutis ratione institutæ curru ascensum molientem. Neque enim fieri potest vt in montem illum ascendas, nisi virtutes tibi comites adiunxeris, cùm manibus innocens factus, nulloque prauo opere coinquinatus; tum mundo corde, qui animum tuum nulli vanitati addixeris, nec dolo aliquo proximum deceperis. Istius ascensus præmium est benedictio. hinc repositam Deus misericordiam largitur. *Hac est ge-*
B *neratio quærentium eum*; eorum qui per virtu- *v. 6.* tem in sublime ascendunt; *quærentium faciem Dei Iacob.*

Huiusce Psalmi pars reliqua, ipsâ forsitan Euangelicâ voce doctrináque sublimior est. Nam Euangelium Domini in terrâ vitæ consuetudinem ac reditum in cœlum narrauit: hic autem excelsus Propheta seipso excedens, tanquam corporis onere nihil prematur, ac se cœlestibus Potestatibus inferens, earum nobis exponit voces, cùm illæ descendentem Dominum comitantes, portas eleuari iubent, Angelorum qui in terris versantur, ac quibus humana vita concredita est, significantes ingressus. *Tollite portas* *v. 7.*

Superiores Angeli inferioribus iubent descendenti Christo aperire portas.

C *principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quia verò quocunque venerit ille qui in seipso vniuersa complectitur, pro suscipientium modulo seipsum componit: neque enim solùm inter homines homo efficitur, verumetiam dum inter Angelos versatur, ad illorum se naturam demittit: idcirco ianitores necessarium habent qui indicet, quisnam sit iste Rex gloriæ. Quapropter fortem illis ostendunt, ac potentem in prælio; aduersus illum vtique pugnaturum, qui humanam naturam in seruitute captiuam detinebat, cumque euersurum qui mortis *Hebr. 2.* habebat imperium: vt grauissimo hoste superato, *v. 14.* humanum genus in libertatem & pacem vindicatet.

Christus descendens inferioribus Angelis ex se ignotus.

D Rursus repetit easdem voces. Iam enim com- *Psal. 67. v. 19.* pletum est mortis mysterium, & victoria de hostibus reportata, ac contra ipsos excitatum crucis trophæum. *Ascenditque* rursus *in altum, captiuam ducens captiuitatem*, qui vitam & regnum, præclara hæc *dona*, *dedit hominibus.* Vicissim autem custodes nostri assumunt comitandi munus, ac superiores portas illi recludi iubent, vt in *Isai. 63. v. 1.* ipsi rursus gloriam assequatur. Verùm non agnoscitur, qui sordidam vitæ nostræ stolam indutus est, cuius rubra sunt vestimenta ex humanorum malorum torculari. Itaque rursus eius comites iisdem illis vocibus interrogantur, *Quis*
E *est iste Rex gloriæ?* Respondetur autem non amplius: Fortis ille, & potens in prælio; sed, *Dominus virtutum*; qui mundi totius principatum obtinuit, qui in seipso instaurauit omnia, qui in omnibus primatum tenet, qui in pristinum statum cuncta restituit; *Ipse est Rex gloriæ.* Cernitis quomodò dulciorem nobis celebritatem Dauid effecerit, dum Ecclesiæ hilaritati gratiam immisceat suam? Proinde nos item, in quibus concessum est, imitemur Prophetam, in charitate erga Deum, in mansuetudine vitæ, in tolerantiâ erga eos qui nos odio prosequuntur; vt Prophetæ doctrina nobis ad benè beatéque viuendum dux magistráque sit, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Vicissim iubent inferiores superioribus aperire ascendenti.

Ignotus itē superioribus rediens cum stolâ humanitatis; eadem ferè Dyon.

S. EPIPHANII CONSTANTIÆ
Cypri Episcopi, de Domini nostri Iesu Christi Assumptione.

ORATIO.

THEODORI PELTANI versione Græcis compositâ.

Festorum decus Christi ad cœlos ascensus.

COrporis ornamentum est caput corpori impositum: at festorum decus, est festum hodiernum. Celebramus enim Christi Domini secundùm carnem ascensum; quod sanè festum Dominicarum festiuitatũ omnium complementum exhibet. Vt enim caput totam corporis constitutionem exornat: ita quoque hodierna solennitas diuinæ œconomiæ pulchritudinẽ, quasi colophonem illi imponens, mirificè illustrat. Verùm multi magnitudinem illius ignorantes, haud ita magni illud faciunt; cùm ipsa tamen rei natura, cæteris omnibus celebritatibus illustrius esse conuincat: quemadmodum id ex orationis meæ serie, si modò æquum huc animum attuleritis, perspicuè cognoscere licebit. Velis proinde auræ popularis contractis, sermonúmque nugacium fluctibus sedatis, vacuam, feriatámque aurem huc adferte. (Nam iuxta sapientem Salomonem, sapientum dicta per quietem capiuntur) & vestris me precibus adiuuate.

Vniuersis illustrius festum Ascensionis.

Pro. 22. v. 17

Primum inter Dominica festa est Christi ex Virgine exortus.

Primum itaque inter festos solennésque dies locum sibi vendicat, venerandus, planéque admirabilis Christi Domini secundùm carnem exortus. Qui enim summâ veneratione, admiratione que dignus non videatur, summi Dei è cœlis ad nos descensus; aut admirabilis potiùs eiusdem condescensus? Quis non miretur omnium Dominum seruili formâ sese vestire? Eúmque, qui vniuersa continet absolutè, è pauperculâ matre nasci dedignatum non esse? Hoc ordine consequuntur Theophania, siue festum Epiphaniæ, quod contemplationis materiam primo illo offert sublimiorem? Quandoquidem in Christi natalitijs stella tantùm diuini Verbi exortũ Magis prodidit; in hac autem Epiphaniæ celebritate Ioannes ad omnes inclamat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quod Baptistæ testimonium Christo, Baptismo Ioannis iam tum initiato exhibitum, cœlestis Patris voce publicè confirmatum est. Vox enim è cœlo audita est, dicens, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sed neque hæc quoque solennitas, lætitiam numeris omnibus perfectam complectitur. Constat namque mortale Christi corpus, per resurrectionis gloriam immortalitatem per id tempus nondum induisse.

Secundum inter solennes Christi dies locum tenent Theophania, siue Epiphaniæ dies: in eo recolunt Græci solũ Christi baptisma: Magorum adorationem, ipso die Natali.

Ioan. 1. v. 29

Matth. 3. v. 17.

Tertium festum Resurrectio Dominica.

Tertia inter anniuersarias Christi solennitates est Dominica resurrectio: quæ [veluti membrum eiusdem existens,] salutarem Saluatoris passionem proximè consequitur. Hæc eos qui per baptismum, sanguinis ipsius splendoribus collucent, ac per aquam regenerantur & Spiritum sanctum, viuificat. Per hanc mundum collapsum instaurauit, ipsúmque Adamum qui olim exciderat, æternâ vitâ donauit. Ex ligno Adamus mortem hauserat, per crucis rursus lignum mundus vitam recuperat. Quamobrem festum hoc duobus præcedentibus, velut illustrius non iniuriâ antefertur. In hoc enim immortalis per mortem, mortem peremit, vitámque immorta-

Dominica resurrectio eiusdem ortum, & ap-

A Paschate.

A lem mortuis conciliauit. Sed neque illud quoque, quòd Christum exsuscitatum in terris adhuc detineret, gaudium omni ex parte consummatum offerebat. Est sanè & Pentecostes lætitia, in quâ Apostolis Spiritus sanctus datus est, magna, imò verò maior, quàm vlla omninò oratio assequi facilè queat: Verùm hodie in Ascensionis festo vberrimâ voluptate & lætitiâ cumulata sunt omnia.

paritionem excellit.

Festum Dominicæ Ascensionis consummatum gaudium complectitur.

Hodie Christus Dominus sydereos, micantésque luce cœlos aperiens; ac subtilissimum aërem sibi ad gradum & ascensionem substernens, atque hominem è terrâ concretum supra cœli conuexa transferens: tum vniuersis Angelicis naturis immensum gaudium afferens, nouum mundo planéque peregrinum spectaculum ostendit; B videlicet carnem nostram supra regium solium euectam. Vbi nunc sunt, qui Circensibus ludis, equorúmque concursationibus capiuntur? Vbi qui insigni aurigarum celeritate oblectantur? Agedum venite, aurigámque per cœlorum spatia admirabiliter gradientem cernite. Adeste quæso, nouumque & stupendum agitatorem spectate; nempe creaturæ opificem, humanâ naturâ quasi vehiculo vtentem: qui non currum incompositè in terrâ regat; sed qui nouo more, modóque, cursum per cœlos tentet, cœlestemque metam quàm primùm occupare festinet, ac prætercurrentem Belial potenter excutiat, euertátque.

C At verò Iudæi inuidiâ obcæcati veritatem audientes, quemadmodum Christus in cœlos assumptus sit, stupendo illi, admirandóque Solis iustitiæ miraculo, tenebras offundere nitentes, Eliæ nobis exemplum obijciunt. Quid vos, inquiunt Christiani gloriamini, quòd Christus vester ad cœlos, vt dicitis, assumptus sit? An non Elias, cùm homo esset, parem consecutus est gloriam? An non ipse quoque in cœlum receptus est? Quibus nos eiusmodi oratione audacter obuiam imus: Cur Iudæi, sacros libros vt cæci prædamini, & quæ in illis exarata sunt, accuratè non expenditis? Cur legitis, & non intelligitis? Ecquid, quæso, diuina Scriptura de Eliâ prodidit? nunquid assumptum in cœlum? nequaquam: pro- D didit autem, cùm aëris facta esset commotio, assumptum esse quasi in cœlum. Atqui verba ista *quasi in cœlum*, ambiguam significationem continent; hæc autem, *in cœlum*, veritatem planissimam exponunt. Quòd autem neque Elias, neque vllus alius in cœlum ascenderit: sed is tantùm qui de cœlo descenderat, nempe vnigenitus Dei Filius, hoc ipse de se ipso perspicuis verbis testatum facit: *Nemo*, ait, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Nimirum Pastor ille bonus, qui nonaginta nouem ouibus, hoc est, Angelis in montibus cœlestibus relictis, errabundam ouem quæ- E siuit, inuentámque, atque humeris clementer impositam, ad cœlestem portum adduxit; adductam autem cœlesti Patri muneris loco obtulit, dicens: Pater, inueni errabundam ouem, quam serpens impostórque diabolus callidè, fraudulentérque circumuentam, in errorem pertraxerat, omnémque improbitatis viam edocuerat, ac diuinæ cognitionis puritate orbatam, idololatriæ cœno fœdè contaminauerat. Cùm itaque improbæ vitæ luto prorsus obrutam vidissem, diuinitatis meæ dexterâ porrectâ, celeriter eam erexi, commiserationumque mearum vis-

Iudæorum de Eliæ raptu obiectio.

4. Reg. 2 v. 11.

Non assumptus Elias in cœlum.

Ioan. 3 v. 13.

Ioan. 10. v. 11

Luc. 15. v. 4.

Reducta ouis centesima boni Pastoris humeris.

ceta latè diffundens, in Iordanis flumine ablui; ablutam tandem suaueolenti sancti Spiritus mei vnguento perunxi. Et nunc per resurrectionem præsto sum, munusculum diuinitate tuâ haud indignum oblaturus, ouem videlicet mente, & ratione præditam.

Hodie diabolus corpus nostrum in cœlum subleuatum cernens, calamitatem suam deplorat. Hodie peccatum Christi Iesu assumptione, veluti fumus disparet. Hodie diabolus lugens, ploransque eiusmodi næniam edit. Quid faciam, infelix? Omnes, quos à sæculo vinctos detinebam, lapsu incitatissimo instar accipitris aduolans, mihi intercepit: méque desertum, omníque ex parte armis exutum, in terram deturbauit. Heu decepit me Mariæ Filius! Ignorabam equidem Deum in humano corpore abditum latere. Cernebam illum mortali corpore indutum, ratúsque hominem tantùm esse, & aliud nihil, Iudæos flagitiosè aduersus illum concitaui; & quæ per me ipsum tentare non audebam, ea per illos confeci. Innumeras calumnias & sycophantias adinueni, omne contumeliarum genus contra illum excogitaui. Acetum per arundinem & spongiam illi propinaui; spinis caput illius coronaui; alapis eundem dehonestaui, clauis cruci affixi; morti denique subieci; & tanquam victoriâ potitus, vnà cum Iudæis festum diem egi. At verò videns illum tertiâ die, prout prædixerat, à mortuis resurrexisse, repente veluti acutâ cuspide vndique traiectus, in terram concidi. Rursus æquè eum ac antè comedere & bibere cernens, aliam denuo crucem illi destinabam. Cæterùm dum hæc aduersus illum comminiscor, video illum non absque ingenti gloriâ & maiestate, in cœlum vnde ego cum magno probro & dedecore excideram, subuolare. Quò Psalmista Dauid spectans, è multo iam tempore ita clamabat: *Omnes gentes plaudite manibus: exultate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus terribilis, & Rex magnus super omnem terram.* Et paucis interiectis: *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* Volui ponè illum insequi, & ecce veluti plumbum deorsum detrahor. Volui illum detinere, & ecce vi, quæ sub aspectum non cadit, præpedior. Quid faciam miser? Ex omni loco, & regione me abigit. E cœlo tanquam lapidem exiguum fundâ rotatum cum impetu deiecit in terram. Eò autem deiectus, in aquis occultare me volui. At ille in Iordanis flumine inuentum, comprehensúmque, tanquam terrum draconem indignis modis flagris concidit. Studeo rursum vel in terris angulum aliquem obtinere, & omnes mox veluti Dominici pascui custodes, sublatis vocibus contra me insurgunt, altúmque vociferantur: *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Sanè terram Domini esse, grandis ille terræmotus ostendit. Terra etenim Dei & Domini sui conspectum verita, nec non ob filiorum suorum peruersitatem immaniter cæsa, Christo patiente ingenti tremore concussa est. Eadem rursum hiatus, scissurásque, veluti os aduersus elementa aperiens, occulti doloris magnitudinem non sine graui rugitu contestata est: atque vt peccatoribus ignosceretur velut mater pro filijs supplicauit. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius!*

Domini est terra, & plenitudo eius. Christus namque carnem è terrâ formatam sibi asciuit, ascitamque in cœlis constituit. Arrepit subinde diabolus, per fornicationem eam contaminare contendens. At tu, tanquam fidus custos, animæ oculum vigilem semper, experrectúmque habens, latronem illum mentis tuæ lumina violare non sinas; vt plenâ tandem victoriâ potitus, audacter ad illum dicere queas; Dominicam possessionem, ô diabole, non prodidi: Domini enim est terra, & Ecclesia Christi, quæ vbique cœlesti pluuia exculta, irrigatáque, fructus varios, perpetuóque virentes illi fundit: nempe trigesimum, sexagesimum, & centesimum.

Porrò autem veræ pietatis præcones, postremum Domini aduentum omnibus palàm denuntiantes, inter cætera depromebant: *Quemadmodum vidistis illum euntem in cælum, ita veniet.* Visi sunt enim duo viri in stolâ candidâ: duo quidem, quò veritati fidem faciant: viri verò, quò animi robur discipulorum confirment; In veste autem candidâ, quo auditorum mentes & conscientias illustrent. Ecquid autem viri illi, qui cernebantur, prædicabant? *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Quid cœlum oculis defixis intuemini? Eum potiùs, qui cœlum condidit, mentis vestræ luminibus vsurpantes, hymnis & laudibus assumpti magnitudinem extollite; ac stupendam illius clementiam, animique demissionem summi miraculi loco ducite. Quandoquidem is ille est, qui hominem terrenum sibi consociauit, consociatúmque inter cœli ciues ascripsit, cœlorúmque incolam constituit. Papæ quò humi iacentem euexit? *Quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Sic. Quomodò? Corpore nostro vestitus; clauorum vestigijs pulchre insignitus; latus lanceâ dirâ perforatum omnibus manifestè ostensurus, quò nimirum Iudæi videant, in quem olim pupugerunt. Nos autem digni habeamur, qui vultum illius cum fiduciâ conspiciamus, promissorúmque bonorum participes efficiamur, gratiâ & clementiâ Domini nostri Iesu Christi; cum quo Patri & Spiritui sancto sit gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Diaboli quæ(re)ntis Domini triumphum nænia.

Psal. 46. v. 1

Ibid. v. 6.

Psal. 23. v. 1.

Psal. 101. v. 2.

Psal. 23. v. 5.

Contra diabolum standum.

Petauij edit inserta parabolæ sementis breuis expositio, quæ & fortè glossema sit.

Act. 1. v. 11.

Venturus Dominus cum notis passionis.

Zach. 12. v. 10.

AVCTORIS COMMENTARII
in Marcum nomine sancti Hieronymi, in idem Euang.

NOuissimè *recumbentibus, &c.* Vt omnes testes enarrarent omnibus, quod communiter viderunt & audierunt. Exprobat incredulitatem, vt succedat credulitas: exprobrat duritiam cordis lapidei, vt succedat cor carneum charitate plenum. Hinc est quòd Martyrum cateruæ mortem huius sæculi libenter affectant, quia nouerunt pro isto temporali interitu perpetuò se esse victuros. Mar. 16. v. 14.

Euntes in mundum, &c. Nunc primùm post acceptum Spiritum, ac si vasa limosa per ignem confirmata. *Omni creaturæ*, id est, omni generi humano, quod in se commune aliquid habet ab omni creaturâ, iubetur: id est, Angelis, pecoribus, lignis, lapidibus, igni, aquæ, calido & frigido, humido & arido: quia mundus minor homo dicitur. Dominus vtique Iesus, qui de cœlo descendit ad liberandam infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam super cœlorum cœlos ascen- V. 15.

A dit, qui sedet ad dexteram Patris. Considerandum est autem, quòd frequenter in Scripturis diuinis plurali numero cœlos dictos inuenies, dum legitur: *In principio fecit Deus cœlum & terram,* (Gen. 1. v. 1.) cùm tamen pluraliter dicti cœli legantur, & terræ. Modus enim iste locutionis latiùs patet, vt abusiuè singularia numero plurali dicamus, & pluralia singulari. Ad Orientem verò quod Psalmista dicit, (Psal. 67. v. 34.) Euangelistæ tacent: Hierosolymam significant, quæ est in Orientis partibus collocata, vnde Dominus Apostolis videntibus ascendit ad cœlos. Terra multis plena miraculis, vbi fidelium credulitas plus actibus, quàm lectionibus eruditur.

Qui crediderit, &c. (V. 16.) Ducentesimo trigesimo quinto capitulo Marcus signa credentium eum Matthæo & Lucâ concordans narrat.

(Can. tamen 2. est num. 235. nisi error est in vltimâ notâ.)

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI, *In Ascensione Domini nostri Iesu Christi.*

VERSIONE multis nouâ, & Græco textui compositâ.

Extat oratio eiusdem de passione & cruce sic in cœmeterio & martyrio extra vrbem habita, vt & alia Gregorij Antiocheni: vt hinc liqueat fuisse hunc morem diu solennem Antiochiæ. Nec rectè Gerardus Vossius, tanquam dicta sit Constantinopoli, hæc Socratis verba refert, libro septimo, capite vigesimo sexto; ἐν αὐτῷ δὲ προαστείῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ᾧ ἐπώνυμον Ἐλαία, ἔνθα ἡ τῆς ἀναλήψεως τοῦ Σωτῆρος ἐπιτελεῖται πανήγυρις ἑορτή. Citat Cassiod. in Psal. 72. Leo Papa adiectis ad Epistolam 97. testimonijs, hoc suam de veritate incarnationis sententiam astruit.

QVando etiam crucis memoriam celebrabamus, extra Vrbem solennia egimus: & nune quando Crucifixi Ascensionem recolimus, lætum scilicet ac illustrem hunc diem, extra ciuitatem rursus festum agimus. Atqui hoc, non D quòd ciuitatem despicere velimus, sed quòd Martyres potiùs honorare cupiamus. Ne enim hi Sancti meritò de nobis conquerantur, ac dicant: Nos, ne vno quidem digni reputabimur die Domini nostri, quem celebrari per vos cernamus in tabernaculis nostris, ne, inquam, nobiscum expostulando dicant, Sanguinem quidem nostrum pro ipso effudimus, & digni habiti sumus, quibus pro eo caput amputaretur, ipsius autem festiuitatis diem non sumus promeriti videre celebrari in tabernaculis nostris? ideo relictâ ciuitate ad pedes Sanctorum horum properauimus, præsentis occasione diei de præterito quoque tempore nos apud ipsos excusantes. E Nam si antea ad strenuos hos pietatis athletas currere oportebat, quando adhuc sub pauimento reconditi iacebant, multò sanè magis id iam peragere oportet, quando seorsim repositas videmus margaritas, quando à lupis liberatæ sunt oues, quando à mortuis recesserunt viui. Ne antea quidem vllum ipsi detrimentum passi sunt ex communi cum illis sepulturâ. (SS. Martyrum reliquiæ cum hæreticorum ossibus pridem commixtæ.) (Quorum enim Spiritus in cœlis, eorum nihil corpora vicinâ contagie lædebantur: quorum animæ in manu Dei, eorum nihil reliquiæ ex loco quo depositæ erant, damni referebant.) Nihil quidem ijs, etiam antea, detrimenti accedebat: populus tamen noster non qualecunque damnum à loco sustinebat; quippe qui currebat quidem ad reliquias Martyrum; at cum ambiguitate & hæsitatione preces offerebat, quòd Sanctorum sepulchra ignoraret, nec vbi veri illi thesauri reconditi essent, sciret. Idemque fiebat, veluti si greges ouium festinè ad perfruendum puris alueis veniant, qui vbi ad fontes limpidos venerint, tetro quodam odore atque fœtore aliunde cominùs erumpente, iterum inhibeantur: ita & in isto armento, atque ouili vsu veniebat. Ibat quidem populus ad puros illos Martyrum fontes, sed dum fœtorem hæreticorum inde cominùs erumpentem sentiret, iterum inhibebatur.

B Quod quidem conspiciens prudens hic pastor atque magister, cuncta ad Ecclesiæ ædificationem disponens, non est passus diu hoc damnum pro leui haberi, feruens hic amator & æmulator Martyrum. (Flauianum videtur notare, cui auctor semper adhæsit Antiochiæ.) Sed quid agit? Videte sapientiam: turbida quidem ac fœtida fluenta obruit, atque obstruxit deorsum: puros autem Martyrum fontes seorsum in puro mundóque loco collocauit. Considerate etiam quantam erga vitâ functos exhibuerit humanitatem, atque erga Martyres honorem, & in populum curam. (Non motæ loco sacro profanæ reliquiæ, sed ingestâ humo obrutæ, sacris alto decentique loco repositis.) Erga mortuos quidem humanitatem, quòd eos loco non mouerit, sed vbi erant, ibi reliquerit: erga Martyres autem honorem, ab improbâ eos viciniâ li- C berans: erga populum verò curam atque sollicitudinem, non permittens eos ampliùs cum hæsitatione suas preces fundere. Propterea vos huc adduxit, vt illustrior conuentus fieret, splendidiúsque spectaculum, neque Martyrum duntaxat, verùm etiam Angelorum. Nam & Angeli præsentes sunt. Angelorum & Martyrum factus est hodie concursus. Videre cupis Angelos pariter ac Martyres? Aperi oculos fidei, & spectaculum illud cernes. Nam si omnis aër Angelis repletus est, quantò ampliùs Ecclesia? Si verò Ecclesia, quantò magis dies iam præsens, quando eorum assumitur Dominus? Quòd autem omnis aër Angelis sit repletus, audi quid dicat Apostolus, admonens mulieres vt velato sint capite: *Debent* enim, inquit, *mulieres potestatem habere supra caput, propter Angelos.* (1. Cor. 11. v. 10.) Rursusque Iacob: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis à iuuentute meâ.* (Gen. 48. v. 16.) Et qui in domo cum Apostolis erant, dicebant ad Rhoden: *Angelus eius est.* (Act. 12. v. 15.) Ac iterum Iacob: *Vidi*, inquit, *castra Angelorum.* (Gen. 32. v. 2.) Sed quorsum Angelorum castra & copias super terram vidit? Sicut Rex per singulas ciuitates suas milites disponit, ne insurgens aliquod Barbarorum bellum, incursionibus eas infestet: (Angelorum castra à Deo disposita, quibus pellerent dæmones.) ita & Deus, quòd & dæmones barbari illi atque immanes aërem istum insideant, bella semper suscitantes, ac pacis inimici, Angelorum eis castra opposuit; vt dum vel aspectu solo ipsos reprimunt, perpetuam nobis pacem concilient. Atque vt discas Angelos esse pacis, audi in prædicationibus dicentes semper Diaconos: *Angelum pacis rogate.* (Chrys. Liturgia post offertoriū.) Vides Angelos adesse & Martyres? Quid igitur miserabilius his qui hodie defuerunt? quid verò nobis beatius qui aduenimus, & celebritate istâ perfruimur. Cæterum isti de Angelis sermones, in aliud nobis tempus referendi: Iam verò ad institutum præsentis diei festi reuertamur.

Quæ igitur præsens est ista celebritas? Veneranda vtique & magna, charissimè, sensumque humanum excedens, Deique magnificentiâ, qui (Diei Ascensionis elogia.)

illam fecit, digna. Hodie enim humanum genus reconciliatum est Deo. Hodie diuturna simultas, longumque illud bellum dissolutum est. Hodie mira quædam pax nobis reddita est, quæ nunquam sperabatur concedi posse. Nam quæ spes erat, Deum velle humanæ reconciliari naturæ? Non quòd ab humanitatis sensu alienus Dominus, sed quia segnis ac iners famulus; non quia crudelis Dominus, sed quòd contumax ac improbus seruus. Vis nosse quo pacto benignissimum hunc ac lenissimum Dominum nostrum exacerbauerimus? Æquum namque est, prioris nostræ simultatis causam discere, vt cùm nos inimicos ac hostes honore affectos aspexeris, eius qui affecit honore benignitatem admireris: ne ex proprijs meritis factam hanc mutationem arbitreris; & beneficij benignitate perspectâ, de magnitudine munerum gratias illi agere non desistas. Vis ergo nosse quomodò Dominum nostrum benignum illum, mansuetum, bonum, omniaque ad salutem nostram disponentem, exacerbauerimus? Deliberauit aliquando vt vniuersum genus nostrum omninò deleret cum mulieribus & liberis, & bestijs atque iumentis, & cum vniuersâ terrâ. Et si velis, curabo vt ipsam quoque sententiam eius audias: *Delebo*, inquit, *hominem, quem creaui, à facie omnis terræ, & bestias, & iumenta, quia pœnitet me fecisse hominem.* Et vt discas eum non humanam odisse naturam, sed malitiam abominatum esse; is qui dixerat, *Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ*, ipse homini dicit, *Tempus omnis hominis venit ad me.* Nam si hominem odisset, non cum homine verba faceret. Nunc autem vides vt ne vellet quidem facere quod se facturum comminatus erat; quin & apud seruum excusare, ac cum eo, velut eiusdem conditionis amico verba facere, causasque venturæ perditionis exponere; non vt homo disceret causas, sed vt alijs quoque insinuans, temperatiores eos redderet.

Homo Dei peccatis exacerbat.

Gen. 6. v. 7.

Ibid. v. 13. Velut cogitur Deus vt pœnas sumat.

At, quod modò dicebam, sic malè anteà cum nostro genere agebatur, vt periculum esset ne & ipsâ terrâ excideret. Cæterùm nos qui terrâ videbamur indigni, hodie in cœlum sublati sumus: qui ne terreno quidem principatu eramus digni, ad supernum atque cœleste regnum conscendimus. Cœlos penetrauimus; apprehendimus regalem sedem; ac natura, propter quam paradisum seruabant Cherubim, ipsis hodie Cherubim superior sedet. At quo pacto admirabile hoc ac magnum mysterium extitit? quo pacto nos qui tantam clementiam offenderamus, terráque ipsâ videbamur indigni, ac terreno omni principatu atque honore excideramus, ad tantam altitudinem sumus euecti? quo pacto bellum dissolutum est? quo pacto ira sublata? Quomodò? Hoc enim admiratione dignum, quòd non ijs qui iniustas in Deum exercebant iras, sed ipso qui iurè succensebat, prouocante nos ac inuitante, sic pax facta est. *Pro Christo enim legatione fungimur*, inquit Apostolus, *tanquam Deo exhortante per nos.* Quid istud? Ipse est violatus iniuriâ, & ipse ad pacem inuitat? Ita sanè: quippe quòd Deus sit, atque ob id vt clemens ac benignus Pater hortatur, & allicit.

Recóciliati sumus ipso Deo prouocante, qui offensus erat.

2. Cor. 5. v. 20.

Sed vide quis intercesserit mediator: ipse vtique inuitantis & adhortantis Filius. Non homo, non Angelus, neque Archangelus, neque famulorum vllus. Quid verò præstat mediator? opus mediatoris. Quemadmodum enim duobus quibusdam auerso animo in se inuicem existentibus, & ad concordiam mutuam pacemque adduci nolentibus, tertius quispiam veniens, & se medium interponens, vtriusque inimicitiam tollit; ita & Christus egit. Iratus siquidem nobis erat Deus, & nos Deum, benignissimum Dominum auersabamur: medium igitur se Christus interponens, vtramque naturam reconciliauit. Sed quo pacto mediatorem se constituit? Pœnam quæ nobis à Patre infligenda erat, ipse in se suscepit; ac tum diuinâ vltione irroganda supplicia, tum nostra hîc sustinuit opprobria. Vis nosse quomodò vtraque ipse susceperit? *Christus*, inquit Apostolus, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Vides quomodò pœnam cœlitùs latam ipse susceperit? Vide etiam quo pacto opprobria à nobis sustinuerit? *Opprobria exprobrantium tibi*, inquit, *ceciderunt super me.* Cernis quo pacto diremerit inimicitiam? quo pacto non antè destitit quiduis agere, pati, atque moliri, quàm hostem & inimicum cum Deo in gratiam reduxit? Atque horum bonorum argumentum, diei istius festiuitas est. Tanquam enim qui nostræ naturæ primitias acceperit, sic Domino obtulit. Quodque accidit in campis spicarum plenis, acceptis quis paucis spicis, exque illis exiguo confecto manipulo, ac Deo rem offerens, delibatione illâ toti aruo benedicit; ita Christus fecit; per vnam illam carnem atque primitias, totum genus nostrum benedicendum curauit.

Mediator Dei ipse Filius.

Sustinet Dominus tum in nos decretas iustè à Deo pœnas, tum opprobria quibus iniquè petimus Deum. *Gal. 3. v. 13.*

Psal. 68. v. 18.

Nostra in Christo natura vt primitiæ Patri oblata.

Sed cur non totam naturam obtulit? Eò quòd non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat; sed si parum quid quis offerens, per parum, totum benedicendum curat. Atqui si primitiæ, dicet quispiam, essent, offerri oportuit ipsum hominem qui primò conditus est. Primitiæ enim sunt, quæ primùm tolluntur & primùm germinant. Non sunt primitiæ censendæ, charissime, si primum fructum obtulerimus exilem & euanescentem, sed si probum atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset: at hic à peccato liber erat; ideóque oblatus est, licet posteriùs extiterit. Hæ enim sunt primitiæ. Et vt discas, non primùm germinantem fructum, primitias dici, sed bonum atque probatú, ac generosum, & qui ad vigorem opportunum perfectionemque perueniat, ex Scripturis tibi depromam testimonium. *Si ingressus fueris*, inquit Moyses ad populum, *in terram promissionis, quam Dominus Deus dat tibi, & plantaueris in eà omne lignum pomiferum, faciens fructum ad vescendum, tribus annis non mundabis fructum eius. Quarto autem anno, fructus eius sanctus erit Domino.* Atqui si essent primitiæ, primus qui producitur fructus; eum qui primo anno nascebatur, offerri Domino oportebat. Nunc verò ait, *Tribus annis non mundabis fructum eius*, sed relinques illum; propterea quòd euanida adhuc & imbecilla est arbor, & fructus precoces & immaturi. *Quarto autem anno*, inquit, *fructus eius sanctus erit Domino.* Et in hoc cerne sapientiam Legislatoris, qui nec illo vesci permisit, ne ante Deum quisquam fructus sumeret; neque offerri illum mandauit, ne immaturus offerretur Domino. Sed dimitte, inquit, quia primus est: ne offeras autem, quoniam indignus est acceptantis honore. Vides ergo non primum fructum qui pro-

Primitiæ non statim quod primam, nisi etiam sit perfectum.

Leuit. 19. v. 23. Oleaster & R. Salom. etiam sic vocem Hebraicam reddendam volunt negat. *Non mundabitis* non vt habent Vulg. 70. Pagn. & alij, *Et mundabitis fine auferetis.* Illudque valde genuinum videtur, vt exponit Chrysostomus.

ducitur, sed bonum atque probatum primitias dici? Et hæc à nobis propter carnem, quam obtulit, dicta sunt.

Obtulit ergo Patri primitias nostræ naturæ, atque ita donum oblatum admiratus est Pater, tum propter dignitatem offerentis, tum propter muneris puritatem, vt illud manibus acceperit, sibique proximum constituerit, dicens: *Sede à dextris meis.* Ad quam autem naturam dixit Deus, *Sede à dextris meis?* Ad illam vtique quæ audierat, *Terraes, & in terram reuerteris.* Non enim satis fuit cœlos transcendere? non satis fuit cum Angelis consistere? Nonne hic quoque honor ineffabilis erat? Verùm ascendit super Angelos, præteriuit Archangelos, superauit Cherubim, ascendit supra Seraphim, prætergressus est Potestates, nec priùs substitit, quam sedem ipsam Domini apprehendit. Non vides medium hoc à cœlo ad terram? Sed ab imo potiùs incipiamus. Non vides ab inferno ad terram interuallum quantum? rursus à terrâ ad cœlum? rursusque à cœlo ad superius cœlum? atque ab eo ad Angelos, ad Archangelos, ad supernas Potestates, ad ipsam regalem sedem? toto hoc interuallo ac altitudine naturam nostram sublimem euexit. Cerne quàm humili antè loco erat, & quàm altè ascenderit. Neque inferiùs descendere poterat homo quàm quò descenderat; neque ascendere sublimiùs, quàm quò illum rursus euexit. Atque hoc dicebat Paulus: *Qui descendit, ipse est qui & ascendit.* Et quò descendit? *In inferiores partes terra:* ascendit autem *super omnes cœlos.*

Psal. 109. v. 1.
Gen. 3. v. 19.
Ex quantâ homo vilitatê, ad quantam excellentiâ ascendit.
Eph. 4. v. 10

Disce quis ascenderit, & cuiusmodi natura, ac quemadmodum antea se haberet: Libenter enim moror circa vilitatem nostri generis, vt excellentiùs honorem perdiscam, qui nobis à Domini benignitate accedit. Terra & cinis eramus nos. Sed nondum hoc culpa: naturæ enim infirmitas erat. Facti eramus brutis animantibus insipientiores. *Comparatus enim est homo iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hoc autem est animantibus brutis deteriorē esse, quando quis illis fit similis. Siquidem brutam animantem esse, & sic permanere, naturale est: ratione autem ornatos ad illam amentiam delabi, voluntatis est culpa. Itaque dum audieris, quòd similis factus sit brutis animantibus; ne arbitreris hoc dicere, vt ostendat homines esse brutis pares; sed potiùs vt illis deteriores ostenderet, ita dixisse existima. Etenim facti sumus brutis peiores & insulsiores: non eo tantùm titulo, quòd cùm essemus homines illuc delapsi sumus, sed quòd etiam ad maiorem ingratitudinem prosiliuimus. Atque hoc declarans Esaias aiebat: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit.* Verùm ne confundamur pro prioribus: *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Vidisti quomodò iumentis insipientiores eramus? Vis & auibus brutos magis ac rationis expertes aspicere? *Turtur & hirundo, & passeres agri cognouerunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicia mea.* Ecce & asinis & bobus, turture ac hirundine insipientiores, atque à ratione magis semotos.

Gen. 3. v. 19.
Psal. 48. v. 21.
Factus brutis deterior
Isai. 1. v. 3.
Rom. 5. v. 20
Ier. 8. v. 7.

Vis & aliam discere insipientiam nostram? Formicarum nos amandat discipulos, sic mentem amiseramus ac sensum naturalem. *Vade enim ad formicam, inquit, ô piger, & eius imitare vias.* Facti sumus formicarum discipuli, qui ad Dei imaginem eramus creati. At non in causâ is qui condidit, sed nos ipsi qui concessam imaginem retinere noluimus. Et quid dico formicis? imò lapidibus ipsis stupidiores euasimus. Visne horum quoque proferam testimonium? *Audite conualles, inquit Propheta, & fundamenta terra, quia iudicium Domino aduersus populum suum.* Com hominibus iudicio contendis, & vocas fundamenta terræ? Imò verò inquit. Nam & terræ fundamentis stolidiores sunt homines. Quem ergo adhuc in eis quæris excessum malitiæ, quando & asinis stupidiores, & bobus irrationabiliores, & hirundine & turture rudiores, & formicis insipientiores, ipsisque lapidibus stupidiores reperiuntur? Etiam serpentium similes, effecti videmur. *Furor enim illis,* inquit, *secundum similitudinem serpentis: Venenum aspidum sub labys eorum.* Quid autem opus est rationis expertium stuporem atque stoliditatem commemorare, quando & ipsius diaboli videmur dicti filij? *Vos enim,* inquit, *filij diaboli estis.* Veruntamen nos stupidi atque ingrati, insipientes, & lapidibus ipsis insensibiliores, qui cunctis inferiores eramus, abiectissimi atque vilissimi: (quo pacto dicam? quid loquar? quomodò verbum istud efferam?) vilis natura, quæ cunctis insipientior erat, cunctis est hodie facta sublimior.

Prou. 6. v. 6.
Ipsis stupidior lapidibus
Mich. 6. v. 2.
Similis serpentibus.
Psal. 57. v. 5.
Psal. 13. v. 3
Ioan. 8. v. 44.
Diaboli factus filius.

Hodie receperunt Angeli, quod dudum desiderauerant. Hodie viderunt Archangeli, quod diu concupierant: nempe naturam nostram fulguris instar & regali splendentem throno, claritate immortali nitentem. Id enim multò antè desiderabant Angeli; hoc diu iam cupiebant Archangeli. Nam licet concessus honor illis maior existit, attamen gaudebant de bonis nostris. Nam & quando dabamus pœnas, dolebant. Ac licet Cherubim custodirent paradisum, vicem tamen nostram dolebant. Et sicut minister, conseruum ex mandato domini apprehensum, & carceri traditum, custodit quidem; compassione tamen conserui ductus, super illo quod accidit, dolet & angitur: Ita & Cherubim susceperant quidem custodiendum paradisum; at de custodiâ dolebant. Et vt noueris quòd doluerint, ab hominibus tibi illud perspicuum reddam. Quando enim homines conseruis compati videris, nullus tibi ampliùs de Cherubim relinquetur dubitandi locus; multò enim sunt illæ Potestates hominibus indulgentiores. Hoc enim admiratione existit dignissimum, quòd cùm illorum scelera nossent, atque intelligerent illos in Dominum offendisse, eâ tamen ex re dolorem animo concipiebant; Moyses quidem post idololatriæ patratum scelus, vnde & dicebat: *Si quidem dimittis illis peccatum, dimitte; si autem non, me quoque dele de libro, quem scripsisti.* Quid sibi hoc vult? Vides impietatem, & eorum doles sortem qui puniuntur? Propterea, inquit, doleo, quia puniuntur, & quia iustas præbent suæ punitionis causas. Ezechiel verò, viso Angelo percutiente populum, magnâ exclamauit voce, & cum eiulatu dixit: *Heu, heu, heu Domine, deles tu residuum Israël?* Et Hieremias: *Corripe nos Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne nos paucissimos facias.* Ergo Moyses quidem, & Ezechiel, & Hieremias dolent; Potestates verò illæ nihil mouebantur nostris malis? At quâ ratione id esset vllâ ex parte credibile?

Gaudent Angeli exaltatam supra ipsos humanam naturam.
Cùm etiam pro peccatis dare nos pœnas Deo vident.
Item Sancti
Exod. 32. v. 32.
Ezech. 11. v. 13.
Ierem. 10. v. 24.

Nam quia res nostras pro suis ducunt, disce quantum gaudium demonstrarint, videntes nobis conciliatum esse Dominum. Nisi enim antea condoluissent, non sanè eâ essent postea voluptate perfusæ. Quòd autem gauisæ sint, patet ex ijs quæ Christus dixit: Quoniam *gaudium erit in cælo*, & in terrâ *super vno peccatore qui conuertatur*. Porrò si vnum peccatorem qui conuertatur videntes Angeli gaudent: quomodò hodie per primitias, vniuersam naturam cernentes in cœlum illatam, non maximo gaudio sunt affecti?

Luc. 15. v. 7

Audi igitur & aliunde supernæ atque cœlestis turbæ lætitiam, super nostrâ reconciliatione. Quando enim Dominus noster natus est secundum carnem, cùm iam hominibus reconciliatum viderent. (Non enim si reconciliatus non fuisset, vsque adeò descendisset) cùm hoc itaque viderent, choris in terrâ statutis clamabāt, dicentes: *Gloria in altissimis Deo; & in terrâ pax, in hominibus bona voluntas.* Et vt discas, quòd ob id Dei gloriam cantico celebrent, quòd scilicet terra adepta sit bona; etiam causam adiunxerunt, dicentes, *In terrâ pax, in hominibus bona voluntas:* hominibus, inquam, qui erant antea hostes declarati, qui ingrati & improbi. Vides quo pacto Deum laudent pro alienis bonis? aut potiùs pro ipsorum proprijs? siquidem nostra bona, sua illi bona ducunt.

Christo nato, cantico celebrant reconciliationem hominum.

Luc. 2. v. 14.

Vis nosse, vt & visuri ascendentem, gauisi sint, & exultarint? Ipsum Christum dicentem audi, quoniam ascendebant & descendebant continuè. Atqui hoc proprium est desiderantium contemplari nouum insolitumque spectaculum. Et vnde constat, quòd ascenderent, & descenderent? Audi ipsum dicentem: *Amodò videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super Filium hominis.* Talis siquidem desiderantium ac amantium mos est; vt nec tempus expectent, sed horam diemque præfinitum læntiâ præueniant: idcirco descendunt noui & inauditi illius spectaculi visendi desiderio impulsi; hominem scilicet qui in cælo conspiciatur: ideóque occurrunt Angeli, & cùm natus est, & cùm resurrexit, ac hodie cùm in cœlos ascendit. *Ecce* enim *duo*, inquit, *in vestibus albis;* illâ habitus formâ, gaudium declarantes; *dixeruntque* ad discipulos: *Viri Galilæi, quid statis? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hîc iam mihi diligenter attendite, quamobrem ista dicunt? An enim oculos non habebant discipuli? aut non videbant, quod agebatur? Nonne ait Euangelista, quòd *videntibus illis eleuatus est?* Quâ ergo de causâ astiterunt Angeli docentes eos, quòd in cœlum ascendisset? propter duas nimirum istas causas: vnam quidem, quòd continuo tenebantur dolore ob Christi ab ipsis discessionem. Quod enim dolerent, audi quid ad eos dicat: *Nemo ex vobis*, inquit, *interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Nam si amicos & consanguineos nostros separati à nobis non ferimus, quomodò discipuli suum ab ipsis cernentes separari Saluatorem, magistrum, curatorem, benignissimum illum, mansuetissimum, optimum, planè non dolerent? Idcirco astitit Angelus qui dolorem ex ascensu prouenientem, regressionis commemoratione iterum mitigaret, ac eos consolaretur. Hic enim *Iesus*, inquit, *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Doluistis, inquit, eò quòd assumptus est? sed nolite amplius dolere. Etenim rursus veniet. Nam ne facerent quod fecit Elisæus, cùm videns magistrum assumi, vestimentum discidit (non enim habebat aliquem astantem, atque dicentem fore, vt Elias iterum veniret) ne igitur isti quoque hoc facerent, idcirco astiterunt Angeli, qui tristitiam illorum lenirent. Et hæc quidem vna causa est assistentiæ Angelorum.

Angeli aui-di videre Ascensionē Christi.

Ioan. 1. v. 51.

Act. 1. v. 10.

Missi Angeli quò discipulos tristes de Domini discessu consolarentur.

Ioan. 16. v. 5

4. Reg. 2. v. 12.

Posterior autem, eâ non inferior est, propter quam etiam causam adiecerunt: *Qui assumptus est.* Et quæ est ista? In cœlum assumebatur: ingens autem interstitium erat, neque sufficiebat vis nostri adspectus, vt corpus ad cœlos vsque assumi prospiceret. Sed sicut auis in sublimè volitans, quantò magis in altum ascenderit, tantò ampliùs à nostro aspectu subtrahitur: ita & corpus illud, quantò altiùs euehebatur, tantò magis abscondebatur, cùm non posset oculorum infirmitas interualli longitudinem assequi. Propterea astiterunt Angeli, qui docerent ascensionem in cœlum; ne arbitrarentur eum tanquam in cœlum ascendisse, instar Eliæ: sed quòd verè in cœlum ascenderit, ob id ait: *qui à vobis in cœlum assumptus est.* Neque enim hoc temerè adiectum est, Nam Elias quidem, tanquam in cœlum assumptus est: (seruus enim erat) Iesus autem in cœlum, quia Dominus erat. Ille in curru igneo, hic in nube. Nam quando seruum vocari oportebat, currus mittebatur; quando autem Filium, thronus regalis; neque simpliciter thronus regalis, sed ipsemet Paternus. Etenim de Patre ait Esaias: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Quia ergo Pater super nubem sedit, ideo & Filio nubem misit. Atque Elias quidem ascendens, ouinam pellem super Elisæum dimisit: Iesus autem ascendens, gratiarum dona in discipulos demisit, non vnum Prophetam facientia, sed infinitos Elisæos, atque adeò illo multò maiores & illustriores.

Item videtrent assumptum verè in cœlum.

Elias assumptus tanquam in cœlū, eiusque raptus, & ascensus Domini parallela.

Isai. 19. v. 1. Nubes, Dei & Patris sedes.

Exurgamus igitur dilectissimi, & ad reditum illum mentis oculos conuertamus. Etenim Paulus ait: *Descendet de cælo Dominus in iussione, in voce Archangeli: & nos qui viuimus, qui residui sumus, rapiemur in nubibus in occursum Domini, in aëra;* at non omnes. Quòd enim non omnes rapiemur, sed futurum sit vt alij quidem maneant, alij rapiantur, audi quid dicat Christus: *Tunc inuenientur duæ molentes in molâ, vna assumetur, & vna relinquetur:* &, *erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Quid sibi vult ænigma istud? quid denotat mysterium hoc absconditum? Per molam, omnes in paupertate & miseriâ viuentes nobis demonstrat: per lectum autem & requiem, cunctos diuitijs affluentes, & honoribus conspicuos innuit: volensque ostendere etiam ex pauperibus saluandos fore atque perdendos, dixit fore, vt existentium in molâ, vna assumatur, & vna relinquatur; atque item eorum qui in lecto erunt, vnus assumatur, & vnus relinquatur. Per hoc quoque declarare volens, quòd peccatores quidem hîc relinquentur expectantes supplicium: Iusti autem in nubibus rapientur. Sicut enim rege aliquo in ciuitatem cum æquitatu introeunte, alij quidem in dignitatibus ac honoribus constituti, & qui

1. Thes. 4. v. 15. Soli iusti occurrent obuiam Christo in aëra

Matth. 24. v. 41.

Mola, paupertas; lectus, quies & prosperitas.

Simile.

& qui plurimùm gratiâ apud eum valent, extra ciuitatem ei progrediuntur obuiam: rei autem & criminibus obnoxij, intus seruantur, sententiam à rege expectantes: ita etiam quando Dominus aduenerit, alij quidem fiduciam habentes in medium ei aërem occurrent: damnati autem, & qui multorum sibi conscij fuerint peccatorum, hîc præstolabuntur iudicem. *Tunc & nos rapiemur*; non equidem me ipse in numerum & calculum rapiendorum referens: non equidem ita sum expers sensus & rationis, vt propria ignorem peccata. Nisi enim præsentis diei lætitiam conturbare metuerem, aliquas saltem lacrymas huius memor vocis effunderem, qui meorum ipse peccatorum memor existam. B Cùm ausem huiusce celebritatis lætitiam confundere nolim, hîc sermonem finiam, vigentem vobis atque recentem diei illius memoriam relinquens, vt neque diues glorietur in diuitijs suis, neque pauper seipsũ defleat in paupertate suâ: sed quisque prout sibi cõscius fuerit, siue hoc, siue illud facsat. Neque enim diues felix, neque pauper miserabilis: sed beatus, quisquis in nubibus eâ ratione rapi meruerit, licet omnium pauperrimus fuerit; quemadmodum vicissim qui exciderit, miser rerque miserabilis, quamuis omnium ditissimus sit.

Propterea dico, nec cessabo dicere, vt qui peccatis obnoxij sumus, lugeamus nos ipsos: C qui autem bonis operibus clarent, ij confidant; imò non solùm confidant, verùm etiam caueant: neque illi lugeant solùm, sed etiam mutentur ac conuertantur. Licet enim & ei qui malè vitam traduxit, improbâ vitâ postpositâ, ad virtutem transire, ijsque qui à principio benè vixerint, similem fieri, quod & nos studeamus. Atque ij quidem, qui vitæ è virtutis ratione institutæ sibi conscij sunt, in pietate perseuerent, bonam hanc possessionem semper augentes, & priori fiduciæ aliquid continuè addentes. Qui autem fiduciâ destituimur, ac multorum nobis peccatorum conscij sumus, resipiscamus; vt ad illorum quoque fiduciam pertingentes, omnes D pariter atque vnanimes, debitâ cum claritate Regem suscipiamus, beatáque illâ lætitiâ perfruamur: quam vtinam nos omnes consequamur, gratiâ & benignitate Domini &c.

EIVSDEM, EX EXPOSI- *tione in Acta.*

HOMIL. I.

F. FRANCSSCO COMBEFIS Interprete.

Act. 1. v. 1. VSque in diem, quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegerat, in cœlum receptus est. E Per Spiritum præcipiens, hoc est, spiritalia verba ad eos locutus, nihil autem humanum. Vel igitur dici hoc queat, vel quòd per Spiritum eis præceperit. Vides vt adhuc Lucas modicè de Christo loquetur, quamadmodum & ipse de seipsu loquens, *Quòd si in Spiritu Dei eycio dæmonia*. (Matth. 12. v. 28.) Etenim Spiritus sanctus operabatur in eo Templo. Quid verò præcepit? *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes illos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis*. (Matth 28. v. 19.) Magna laus Apostolorum,

A Peschate.

A quibus talia eredita sunt; nempe orbis terrarum salus; verba plena Spiritûs. (Apostolis credita orbis salus.) Quod ipsum sanè innuit; dicendo, *Per Spiritum sanctum*: hoc est, ipsa *verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus sunt*. (Ioan. 6. v. 4.) Hoc autem dicit, vt auditoribus desiderium faciat discendi præcepta, ac Apostolis fidem concilies, quippe qui Spiritus verba dicturi sint, ac Christi mandata.

Itaque *præcipiens*, inquit, *in cœlum receptus est*: Non dixit, Ascendit: nam adhuc tanquam de homine loquitur. Ergo post etiam resurrectionem docebat Discipulos? Verùm totum tempus hoc (quod nempe est à resurrectione) nemo nobis exactè explicuit. B Immoratur quidem illi Ioannes plùs quàm cæteri: sed nullus omnia euidenter enarrauit; quòd ad alia festinarent. (Hæc magna Traditionũ origo, quæ verè diuinæ sunt.) Porrò didicimus hæc per Apostolos: nam quæ audierant, ij retulerunt.

Quibus & præbuit seipsum viuum. (V. 3.) Priùs de Assumptione loquutus, etiam de Resurrectione loquitur. Postquam enim dixerat eum assumptum esse, ne putares ab alijs esse assumptum, adiecit, *Quibus & præbuit seipsum viuum*. Etenim si in eo quod maius se ipse præbuit, ac repræsentauit, multò magis in eo quod minus est. Vides quomodò clanculum, obiterque magna hæc dogmata disseminet?

C *Per dies quadraginta apparens eis*. Neque enim velut ante Resurrectionem, sic & tunc cum illis continuè versabatur. Vide enim, non dixit, Quadraginta diebus, sed, *per dies quadraginta*. Aderas enim, ac rursus deuolabat, Quid ita? Vt scilicet eorum animos ad altiora subueheret, nec sic eos ac priùs erga se affici sineret. Nec verò id temere, nulláque certâ ex causâ, sed vt ambo hæc omninò conficeret; tum nempe suaderet Resurrectionem, tum maiorem se deinceps quàm pro hominis ratione exuberet: tametsi hæc contraria erant. Vt enim Resurrectio crederetur, humana plura fieri oportebat; contrà verò vt D eius deitatis, ac præstantiæ maioris homine, insereretur opinio. Et tamen vtrunque congruè factum est pro loci ac temporis opportunitate.

Cur autem non omnibus, sed Apostolis duntaxat apparuit? Nempe vulgo phantasma existimatus esset, cùm non intelligerent mysterij arcanum. Nam si ipsi quoque discipuli initiò fidem abnuebant, ac turbabantur, fuitque opus vt contrectarent, ac mensæ socij adhiberentur, quid par est alijs, qui vulgares essent, euenturum esse? Proinde ex miraculis certam & indubitatam facit resurrectionis fidem, vt ea, non solùm eius ætatis hominibus, sed & posteris E omnibus euidens ac manifesta esset. Quod enim in illis effecerunt conspecta miracula, hoc in omnibus secuturis fides erat effectura. Quapropter etiam certo inde argumento eos concludimus, qui increduli manent. Nam si resurrexit, manetque adhuc defunctus, quomodò Apostoli eius inuocato nomine fecerunt miracula? At non fecerunt, dicat aliquis. Quomodò igitur coaluit Christianum nomen ac genus? Non enim etiam huic rei aduersabantur, nec quæ oculis vsurpant, hæc impugnabunt. Itaque cùm aiunt non esse facta miracula, tum magis etiam seipsos pudore afficiunt. (Resurrectionis certa argumenta.)

Nam hoc ipsum maximum miraculum est, quòd orbis terrarum nullis prouocatus miraculis, duodecim pauperum ac illiteratorum hominum hamo captus, accurrerit. Neque enim opulentiâ diuitiarum, neque sapientiâ dicendi, nec aliâ re simili vicerunt piscatores, vt iam vel inuiti fateantur diuinam illis inesse virtutem. Nam erat impossibile, vt humanis vnquam viribus res tanta conficeretur. Quamobrem etiam ipse dies quadraginta à resurrectione mansit, tanti temporis spatio sui conspectus præsentiam probans, ne quod oculis obuersabatur, spectrum esse, ac inane phantasma existimarent. Ac ne his quidem contentus fuit, sed & mensam adiunxit. Nimirum hoc est, quod deinceps dicit, *Et conuescens.* Sic ipsi quoque Apostoli hoc semper argumento astruebant resurrectionis fidem, vt cùm ait, *Qui manducauimus, & bibimus cum illo.*

Act. 10. v. 41

Quid autem ijs apparitionibus faceret, ostendit, quibus ita subdit, *Apparens illis, & loquens de regno Dei.* Quoniam autem etiam deiectis animis, exque ijs quæ iam acciderant turbati, ad magna deinceps certamina educendi erant, futurorum eos prædictione recreans, *præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Primùm etiamnum pauidos atque trementes in Galilæam eduxerat, tutò audituros quæ dicenda erant. Deinde cùm audissent, ac dies quadraginta simul versati essent, præcepit ab Hierosolymis ne discederent. Quid ita tandem? Quemadmodum milites in turbam erupturos, nisi armis instructos nemo exire patitur; nec quisquam equos è carceribus prosilire sinit, quin aurigam nacti sint: sic nec Christus vt discipuli in acie conspicerentur sinebat, antequam Spiritus descendisset, eoque illi imbuti essent, ne scilicet facilè vulgo subigi, ac expugnari possent. Quanquam neque hæc vna causa sit, sed & quòd Hierosolymis plures credituri essent. Ac præterea rursus, ne qui dicerent, prætermissis notis, ac necessarijs, ad extraneos adijsse sui ostentandi gratiâ. Hac de causâ apud ipsos signa resurrectionis edit, qui necem intulerant; apud ipsos qui in crucem egerant, qui tumulo condiderant; in ipsâ ciuitate in quâ scelestissimum illud facinus perpetratum erat, vt & incredulis os obstrueretur. Cùm enim eos ipsos qui crucifixerant credidisse liqueat, palam est, verè eum fuisse crucifixum, estque manifesta sceleris improbitas, atque hinc certâ resurrectio ratione probatur. Post hæc ne dicerent, Quomodò ergo poterimus inter scelestissimos homines & homicidas, tantâ scilicet multitudine, pauci cùm simus atque abiecti, durare? vide quomodò anxium eum timorem dissoluit, dicens, *Sed expectarent promissionem Patris; quam ex me audistis.* Quandonam verò, inquit, audiere? Nempe cùm diceret, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et rursus, *Rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis, vt maneat vobiscum.* Cur verò non cùm ille adesset, nec ab eius statim discessu venit: sed ipse quidem quadragesimo die abscessit; venit autem Spiritus dum quinquagesimus dies compleretur?

v. 4.

Hierosolymis iussi expectare discipuli.

Ioan. 16. v. 7

Ioan. 14. v. 16.

Ac si nondum aduenerat, quînam consistit quod dixerat, *Accipite Spiritum sanctum?* Nempe vt capaces, ac idoneos, qui Spiritum sanctum susciperent, eos efficeret. Etenim si Daniel Angelum visurus resoluebatur ac satiscebar, multò magis hi, qui tantam gratiam suscepturi essent. Aut igitur hoc dici queat, aut sic potius accipiendum, vt ceu iam factum dixerit, quod futurum erat. Velut cùm dicit, *Calcate super serpentes & scorpios, & omnem virtutem inimici.* Cur igitur non tunc protinus venit Spiritus? Oportebat illos promissi desiderio teneri, atque ita donum accipere. Ideoque cùm ipse abiisset, tum Spiritus venit. Quòd si venisset cùm ille præsens erat, non tam ardens illos expectatio habuisset. Quamobrem etiam non statim ab Ascensione Domini venit Spiritus, sed post octo aut nouem dies. Itidem & nos tum maximè excitamur in Deum, quoties in necessitate constituti sumus. Sic & Ioannes tum maximè mittit discipulos ad Christum, cùm futurum erat vt Iesu opus haberent, ipso in carcere agente. Ad hæc, necesse erat nostram in cœlo comparere naturam, ac perfectam fieri reconciliationem, tumque venire Spiritum, quò purum omninò gaudium esset. Si enim cùm adhuc in terris versaretur, ipso abeunte Spiritus remansisset, haud tanta iucunditas, ac consolatio fuisset. Sic enim affecti erant, vt ægrè admodum auelli ab eo paterentur. Vnde etiam iis consolandis aiebat, *Expedit vobis vt ego vadam.* Idcirco etiam interpositos dies aliquot differt, vt tantisper animo mœrentes, atque, vt dicebam, in necessitate constituti, plenam mox solidamque iucunditatem percipiant. Porrò si Spiritus minor Filio esset, haud sufficiens consolatio foret. Quónam verò etiam modo diceret, *Expedit vobis?* Idcirco quæ doctrinæ maiora erant, ac præcipua illi seruata sunt, ne minorem ipsum arbitrarentur. Iam illud considera, quantam eis necessitatem imposuerit manendi Hierosolymis, quòd se illic Spiritum eis daturum promiserit. Nam ne rursus post Ascensionem ipsius fugerent, hoc promisso ceu vinculo quodam eos illic astrinxit?

Ioan. 20. v. 22.

Dan. 10. v. 16.

ἐκκλύετο. Malè Interpr. *se metus, &c. secedere.*

Luc. 10. v. 19

Spiritus aliquantò post Christi Ascensum.

Matth. 11. v. 2.

Ioan. 16. v. 7

Probata Spiritus cũ Filio æqualitas.

Vbi autem dixerat, *Expectarent promissionem Patris, quam audistis ex me,* subiecit, *Quoniam Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post non multos hos dies.* Ostendit iam quid ipsum inter ac Ioannem intersit. Non ampliùs adumbratè, vti superiùs. Valde etenim sermonem adumbrarat, cùm diceret, *Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Sed nunc manifestiùs, *Ioannes,* inquit, *baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.*

V. 5.

Matth. 11, v. 11.

Non ampliùs vtitur testimonio, sed personæ tantùm meminit, vt ijs eorum memoriam refricet, quæ ad ipsos priùs locutus erat; simulque ostendit deinceps iam maiores illos effectos Ioanne, quippe cùm & ipsi in Spiritu baptizaturi essent. Neque dixit, Ego vos baptizabo in Spiritu sancto; sed, baptizabimini, nos docens modestiam. Iam enim ex Ioannis testimonio perspicuum erat, quòd ipse esset qui baptizaret, cùm diceret, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Atque hæc causa est cur eius vnius meminerit.

Apostoli maiores Ioanne, ampliore eorũ ministerio.

Sonant hæc Græcorum ritum baptizandi, *Baptizatur hic talis.*

Matth. 3. v. 11.

Igitur Euangelia quidem eorum quæ Christus gessit, ac dixit, narrationem continent: Actorum verò liber, ea refert atque percenset quæ alter ille Paraclerus dixit, fecitque. Nam & tunc quidem multa & ipse faciebat, quemadmodum & Christus etiamnum operatur, sicuti & tunc etiam temporis agebat. Sed tunc quidem per Templum, nunc autem per Apostolos. Ac tum quidem in Virgineum venit vterum, ac Templum construxit; nunc verò in Apostolica pectora descendit. Rursus tunc venit in specie columbæ, nunc in specie ignis. Cur ita? Videlicet illic præ se ferebat mansuetudinem, hîc verò etiam vindictæ seueritatem. Ac sanè opportunè iudicii admonet. Cùm enim essent

συγχωρῆσαι ἐᾶν. Imperitè Interpres, *concedere atque abire.* Hæc eius qui in vocibus Ecclesiasticis sit valde hospes: vt & plura sequentia, vt mirum ex Erasmi officinâ prodiisse. Vel certè quòd sic auctorem superciliosus homo spreuerit, fecit Deus vt illo tentato, sic illi ex genio malè successerit.

condonanda peccata, multâ opus erat mansuetudine ac lenitate: postquam autem donum consecuti sumus, iudicii iam & examinis tempus est.

Sed quomodò dicit, *Baptizabimini*, cùm aqua in cœnaculo non esset? Quod in baptismo præcipuæ sunt partes Spiritûs, per quem & aqua fit efficax. Itaque quemadmodum ipse vnctus dicitur, cùm nequaquam oleo vnctus esset, sed Spiritum accepisset: sic & baptizati dicuntur discipuli. Est & alia interpretatio. Comperire licet fuisse etiam eos aquâ tinctos; idque diuersis temporibus. In nobis quidem vtrumque pariter fit; tunc verò disiunctim. Siquidem initiò à Ioanne baptizati sunt. Id ne cui mirum videatur. Etenim si meretrices & publicani ad eum baptismum venerant, multò magis venerunt hi qui pòst erant baptizandi Spiritu. Post hæc, ne dicerent totum hoc nihil aliud esse quàm pollicitationes: iam enim hoc de baptismo multa locutus erat; neue rem putarent afflatum esse qui nusquam extaret, ab huiusmodi illos suspicione auocans, ait, *Non post multos hos dies.* Nec expressit, quando, quò semper vigilarent: tantùm dixit breui id futurum, ne animis deficerentur: quando autem esset futurum nondum addidit, vt semper sobrii, ac intenti essent. Nec hac re solùm illos inducit ad credendum, nempe breuitate temporis: verùm etiam dicendo, *promissionem quam audistis ex me.* Porrò quod dicit, hoc est. Non solùm modò inquit, dixi vobis, sed & iampridem promisi, quæ dubio procul facturus sum. Quid igitur miraris, si diem consummationis non dicit; cùm hunc ipsum sic vicinum: ac instantem manifestare noluerit? idque sanè iustissimâ causâ, nimirum vt semper vigilent, expectatione suspensi, ac soliciti sint.

Matth. 24. v. 3. & 36. *τῆς συντελείας.* æquè impertiè: *quo hæc perficienda erant.*

Non enim fiat, non fiat, vt nisi sobrius atque peruigil quis gratiam obtineat. An non vides quid & Elias discipulo dicat, *Si videris me cum assumar, erit tibi sic*: hoc est, tibi fiet quod petis. Quin & Christus vbique ad se accedentibus, dicebat, *Credis?* Etenim nisi quadam muneri necessitudine comparati fuerimus, nec eius admodum sensu afficiemur. Sic & in Paulo: non statim venit gratia, sed cùm triduum cæcus egisset, atque interim metu purgatus, ac præparatus esset. Quemadmodum enim qui purpuram tingunt, priùs aliis quibusdam coloribus id quod tincturam accepturum est, præ-

4. *Reg.* 2. v. 10.

Simile.

A Paschate.

parant atque imbuunt, ne flos dilutus & euanidus fiat: itidem & hîc; priùs Deus animi solicitudinem præparat, ac deinde gratiam infundit. Eandem ob causam nec Spiritum illico misit, sed in Pentecoste, die scilicet quinquagesimo.

Quod si quis dicat, Quid ni etiam hoc nos tempore baptizamus? Illud sanè respondere possumus; eandem quidem nunc gratiam esse, quæ tunc fuit: cæterum effici nunc animum celsiorem, dum ieiunio præparatur. Quanquam & Pentecostes tempus, id est, quinquagesimæ, causam aliquam ac rationem non absurdam habet. Quam tandem dicis? Existimauerunt Patres satis idoneum malæ cupiditatis frenum, magnamque doctrinam esse baptismum, vt & deliciarum tempore sobrietatem colamus. Itaque perinde simul cum Christo cibum capiamus, communisque cum illo mensæ participes simus, ne quid temere faciamus, sed in ieiuniis & precibus, multaque sobrietate degamus. Etenim si quis sæcularem magistratum vt adeat, omnem sibi vitæ commeatum præparat, atque vt dignitatem aliquam gradumque consequatur, tum pecunias insumit, tum impendit tempus, laboresque innumeros sustinet; quo non digni supplicio simus, qui cum tantâ socordiâ cœlorum regnum adeamus; ac nec assequendo diligentiam adhibeamus, iamque assecuti segnes existamus? Idcirco enim post ipsum assecutum segnes sumus atque torpemus, quòd nondum assecuti haud sobrii vigilesque essemus. Id in causâ est, vt plures mox vt adepti sunt, ad priorem vomitum reuertantur, ac deteriores fiant, grauiusque sibi periculum arcessant: qui quidem à prioribus peccatis liberati sint, eò tamen in se grauius Iudicis prouocent iram, quòd & tantâ soluti infirmitate, ne sic tamen ad saniorem mentem redierint; sed iis euenerit quod Dominus comminatus est Paralytico, dicens, *Ecce sanus factus es, noli posthac peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Quod item Iudæis futurum prædicebat, pro ingrati improbique animi labe significans extrema illos manere mala, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Itaque posthac dupla, & quadrupla peccata fiunt. Quid ita? Quòd post exhibitam dignationem ingrati & improbi sumus. Itaque nihil nobis prodest lauacrum, vt mitiùs puniamur. Illud verò considera. Habuit quis grauia peccata; putà qui homicidium, aut adulterium, seu quid aliud grauius scelus commiserit: hæc per lauacrum remissa sunt. Non enim est: non est, inquam, vllum peccatum, vlláue impietas, quod non cedat, cedatque locum dono Dei. *Nesciunt enim pœnitentiam Dei dona & vocatio.* Cæterum, pro his, quæ post baptisma commissa sunt, tantam damus pœnam, quasi & illa reuocata sint, ac multò grauiorem. Iam enim non simplex peccatum est, sed duplex, triplexque. Quòd autem his grauior pœna debeatur, audi quid dicat Paulus, *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, ac Spiritus gratiæ contumeliam fecerit?* Fortè plures deterruimus, ne nunc baptisma accipiant. Verùm non eo hæc spectant, sed vt postquam

Baptismi tẽpus Quadragesima, seu Pascha, atque etiam (parciùs velut) Pentecoste.

ἐωνητὴν ἀγορὰν interpr. *annona præfecturâ:* nihil placet.

Ioan. 5. v. 14.

Ioan. 15. v. 22.

Grauiora peccata à baptismo.

Rom. 11. v. 29.

Hebr. 10. v. 28.

Nulla hæc ratio adifferendi baptismum.

acceperint in multâ sobrietate, modestiáque ac pietate perseuerent. At timeo, inquit? Si timeres, accepisses vtique, ac custodisses. Atqui, ob hoc ipsum, inquit, non accipio, quòd metus exterreat. Nec verò metuis sic ex hac vitâ discedere? Clemens, inquit, ac benignus est Deus. Igitur accipe baptismum. Cùm enim benignus ac clemens sit, etiam opitulatur. Tu verò vbi satagendum sit, non hanc Dei clementiam, ac benignitatem obtendis; sed vbi differre constitutum est, tum venit in mentem illius humanitatis. Atqui tunc illa tempus habeat, eamque magis assequamur, cùm & ipsi quod nostrarum sit partium contulerimus. Nam qui rem totam in Deum conijciens, à baptismo peccat, vt par est hominem; is, si pœnituerit, Dei misericordiam consequetur. At, qui velut Dei bonitatem deludens gratiæ expers viuis excesserit, nullo modo vindictam effugere poterit. Cur autem causificationes eiusmodi aduersus tuam ipse salutem opponis? Planè fieri non potest; nequit fieri, vt egregium aliquid præstanosque operetur, qui eiuscemodi spebus delinitus baptismum differt. Tu verò quanam gratiâ tantùm metum in te recipis, ac futuri incertum obijcis? Quin potiùs metum hunc in laborem, diligentiamque conuertis, vt magnus atque inclytus efficiaris? Vtrum melius est, metu confici, an laborare? Si quis te otiosum in ruinosâ domo collocasset, dicens, Expecta dum in caput tuum decidat iam putris testudo: fortassis enim cadet, fortassis non cadet. Quòd si id non placet, operare, ac tutissimum inhabita thalamum: vtrum magis eligeres? otiúmne illud cum timore, an vt securus laborem obires? Sic igitur & nunc facito. Incertus namque futuri euentus, ceu domus quædam putris est, semper ruinam minitans: quæ autem laborem opera habet, securitatem spondet.

Simile.

Absit sanè, vt in tantam necessitatem incidamus, vt semel lauacro mundati, peccemus: verùm etsi quid eiusmodi acciderit, ne sic quidem spem abijciamus. Benignus ac misericors Deus est, ac plures nobis vias dedit, quibus & post baptismum veniam consequamur. Cæterùm, quemadmodum hi qui post baptismum delinquunt, eâ ratione præ Catechumenis grauius puniuntur: ita qui sciunt esse pœnitentiæ remedia, nec vti volunt, pœnâ grauiore plectentur. Quò enim maior productiorque Dei benignitas, eò etiam (nisi conuenienter vsi fuerimus) pœna auctior, ac districtio maior consequetur. Quid ais, homo, qui tantis malis plenus es & deploratus? Semel factus es amicus, semel vltioni supremæ subductus es, non ex proprijs laboribus, sed ex Dei dono. Rursus ad pristinam turpitudinem reuersus es, dignus qui grauiter puniaris. At Deus, ne sic quidem auersus est à te, sed innumeras reparandæ salutis occasiones dedit, per quas redeas in gratiam. Et hæc quidem Deus facit. Tu verò, ne tantâ quidem lenitate prouocatus vis laborare. Et quâ tandem veniâ post hac dignus habeberis? An non optimo iure Græci te ridebunt, ceu fucum quendam sterilem, ac frustra viuentem? Si potens & efficax est, inquit, philosophia quam profitemini, ostendite quid sibi velit tanta nondum initiatorum multitudo? Præclara verò, & expetenda mysteria. At nullus animam agens, lauacrum sumit. Non enim est illud tempus Mysteriorum, sed testamentorum. Mysteriorum tempus est, sanitas mentis, & sobrietas animi. Etenim dic mihi, si quis ad istum affectus modum nolit scribere tabulas testamenti, quin si scripserit, dat posteris ansam eius rescindendi (siquidem propterea solent his verbis præfari; *Viuus, sanaque & integra mentis ordino de rebus meis*) qui fiet, vt qui iam sui compos esse desijt, possit ad plenum mysterijs initiari? Etenim si de rebus ad sæculi, vitæque vsum spectantibus statuere volenti, non permiserint leges ciuiles ordinare quoties testari volens non admodum constat animo, præsertim cùm de suis ipsius facultatibus præscripturus sit: qui de regno cœlorum docetur, deque bonis illis ineffabilibus, poterit ad plenum omnia percipere, frequenter & à morbo factus attonitus? Quando verò futurum est, vt illa verba dicas Christo, consepultus cum illo, cùm iam sis mox abiturus? Nam factis & verbis oportet declarare beneuolentiam. Tu verò perinde facis, ac si quis tum postulet ascribi militiæ, cùm iam bellum est soluendum: aut si athleta tum vestes exuat, cùm iam surgere cœperunt spectatores, è theatro discessuri. Siquidem in hoc arma sumis, non vt protinus resilias, sed vt illis acceptis ex aduersario trophæum referas.

Maximæ pœnæ rei, qui pœnitentiæ remedia negligunt.

Scandalum à dilato baptismo, atque absurda.

Pacto, συν-τάττομαι· ac quibus cum eo inire nos fœtus profitemur.

Ne quis arbitretur intempestiuum esse hisce de rebus sermonem, eò quòd nunc Quadragesimæ dies non agamus. Nam hoc ipsum est quod vrit animum meum; quòd in eiusmodi rebus tempus obseruatis. Atqui Eunuchus ille, cùm esset Barbarus, ac iter ageret, mediaque viâ publicâ esset constitutus, non quod faueret tempus exquisiuit: at neque carceris custos, idque cùm inter vinctos versaretur, cæsumque doctorem ac vinctum conspiceret: atque hactenus eum in domo carceris habiturus esset. Hîc autem plerique qui nec in carcere habitant, nec in itinere constituti sunt, salutis negotium vel ad supremum halitum protrahunt. Quòd si adhuc ambigis num Christus sit Deus, foris sta, ac neque diuinos audias sermones, neque teipsum inter Catechumenos numeres. Sin autem confidis, & hoc certò cognoscis, quid cunctaris? quidue refugis? quid torpes? Vereor, inquit, ne peccem. Num verò quod grauius est non vereris, ne cum tantis sarcinis illuc abeas? Nec enim par est, oblatam gratiam non assequi, ac cùm præstare virtutem coueris, frustrari. Agedum, quæso, dum expostulabunt, Quare non accessisti? Quare virtutis partes non implesti? Quid dices? Nam illic quidem fortassis habebis quod causeris, onus præceptorum ac difficultatem virtutis: hîc autem nihil istiusmodi. Gratia enim est, præmia gratis libertatis donans. Sed vereris ne pecces? Hæc cùm tinctus fueris, dicito: tunc time, ne quam nactus es libertatem non serues; non vt quæ gratis offertur gratiam non accipias. Nunc verò contrà, ante quidem baptismum cautus es ac religiosus, post baptismum verò socors. At expectas tempus Quadragesimæ? Vt quid verò? Non enim illud amplius quid habet? Apostoli sanè non in Paschâ donum adepti sunt, sed alio tempore. Cùm item hominum tria, ac quinque millia tincta sunt, non erat Paschæ tempus. Similiter cùm baptizaretur Cornelius, & Eunuchus, alijque complures.

Τεσσαρακοστῇ: Frigidè Erasm. *dies quadragesimos*. Hoc liquet, exque superioribus paucos in Pentecoste baptizari solitos, plerosque in Paschate.

Act. 8. v. 26. & 16 v. 33.

Baptizari sanctis olim plerique extra Pascha.

Catechumenorum desperata salus Chrysostomo: mitior Ambr. de obitu Theod.

Ne igitur tempus expectemus, ne quando fiat, vt cunctantes, ac procrastinantes, tantis inanes ac vacui bonis excedamus. Quomodò me animo discruciari putatis, quoties audio, quòd aliquis nondum initiatus viuis sublatus sit; qui scilicet mecum reputem intolerabiles illos cruciatus, ac pœnas ijs ineuitabiles. Rursus quos æstus pectoris sentio, quoties alios video sub extremum halitum sacramentis initiari, ac neque hinc maiori sobrietate abire? Eoquè fit, vt multa committantur dono hoc indigna. Cùm enim lætandum esset, atque gaudendum, cùm alterius initiatione coronari deceret; vbi laborantis vxor indictum hoc medici præcepto audierit, velut malo quodam appetente, sic lamentatur ac luget; totâ vndique domo perstrepunt eiulatus, suspiria, gemitus, velut in reis, cùm ad supplicium capitis abducuntur. Quin & ille magis rursus angitur ac excruciatur; atque vt à morbo conualuerit, grauiùs dolet, vt cui iniuria, damnumque illatum sit. Quòd enim imparatus ad virtutem esset, torpet deinceps, seque certaminibus, quæ à baptismo sunt, subducit. Vides quas diabolus artes excogitet? quod probrum? quantum ludibrium? Ab hoc igitur nos ludibrio liberemus. Sic viuamus, quemadmodum Christus præcepit. In hoc dedit baptismum, non vt illo accepto statim decedamus; sed vt ab eo superstites, fructum afferamus. Quomodò dices abeunti, iamque exciso, vt fructificet? Non audisti quòd *fructus Spiritûs, est charitas, gaudium, pax?* Quomodò igitur his diuersa prouenium? Nam & vxor adstat lugens, cùm esset gaudendum: adstant & liberi flentes, cùm parenti gratulandum esset. Ipse decumbens offusâ caligine, tumultu ac perturbatione plenus est, cùm solenne festum agitare ipsum oporteret; toto consternatus animo mœrensque est, quòd filios orbos relinquat, quòd vxorem viduam, quòd domum desolatam. Dic mihi, in hunc quis modum adit mysteria? Sic ad sacram mensam accedit? Hæccine ferenda videntur? Si Rex missis diplomatibus vinctos è carcere dimitti iusserit, gaudium est & lætitia: Deus autem cùm misso è cœlis Spiritu non pecuniæ reliquias, sed vniuersa condonet peccata, omnes fletis & eiulatis? Quæ tandem hæc inæqualitas? Nondum commemoro, quòd & mortuis infusa est aqua, ac Sancta in terram proiecta sunt. Haud tamen nos in causâ sumus. Sed ingrati ac improbi homines. Proinde hortor, vt cunctis omissis nos ipsos conuertamus, omnique cum animi alacritate baptismum adeamus: vt posteaquam in ipsâ hac vitâ gnauam sedulò operam posuerimus, futuram libertatem consequamur: quod vtinam nobis omnibus præstetur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

ἐπιζήσαντες· malè *semper viuentes.* Sed fortè typogra. pro *superuiu.* *Gal. 5. v. 22.*

Nempe Eucharistia, enomente ægro; seu morte occupante.

EIVSDEM, EX EADEM *expositione.*

HOMILIA ALTERA.

EODAM Interprete.

V. 6.

IGitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israëlis? Cùm discipuli Dominum pa- A rant interrogare, simul adeunt. Hoc autem faciunt, vt multitudinis reuerentiâ inflectant. Nouerant enim quod priùs repellendo dixerat, *Nemo scit diem illum*, non eius esse qui nesciret, sed qui responsionem differret. Vnde rursus accedentes, percontantur. Non autem interrogassent, si verè persuasum habuissent. Nam quòd audierant se Spiritum accepturos, velut iam digni nosse cupiebant, atque ad libertatis spem erectis animis erant. Non enim volebant se conijcere in pericula, sed respirare potiùs & refocillari, eò quòd non exigua essent quæ illis acciderant, sed in extrema adducti pericula fuerant. Nullâ igitur Spiritûs mentione, interrogant, dicentes, *Si in tempore hoc restitues regnum Israëlis?* Non dicunt, B Quandónam restitues, sed, *an nunc?* Adeò desiderabant diem cognoscere; eóque multo cum honore adeunt. Equidem arbitror, nec quodnam sit illud regnum prorsus eos perspectum habuisse. Non enim, quo docerentur, Spiritus erat. Nec dicunt, Quando hæc erunt? sed quid? *Num in tempore hoc restitues regnum Israëlis?* vt quod iam collapsum erat. Hæc ad hunc modum sciscitantur, quòd adhuc hisce terrenis affecti erant, quanquam non æquè ac priùs. Necdum enim tunc meliores euaserant. Sic iam maiora de illo cogitabant. Quòd igitur altiore sensu prouecti erant, etiam ipse ad eos altiùs loquitur. Non enim ait, C *Neque Filius hominis scit diem illum.* Quid igitur?

A Paschate.

Mar. 13. v. 3

Ioan. 7. v. 39.

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate. Maiora inquit, postulatis quàm pro vestrâ facultate. Atqui iam didicerant his etiam multò maiora. Id, quò magis ac pleniùs intelligas, vide quanta recenseam. Quæso quid maius, quàm didicisse quæ didicerant? Didicerant esse Filium Dei, ac Deum pari secum honore Filium habere. Didicerant fore resurrectionem. Didicerant ascendentem consedisse ad dexteram Patris: quodque magis stupendum, didicerant carnem in cœlis sedere, ac adorari ab Angelis. Didicerant venturum rursus iudicaturum vniuersum D mundum. Didicerant etiam se sessuros iudices duodecim tribuum Israël. Didicerant Iudæos eijciendos, ac Gentes eorum loco intraturas. Hæc scire futura, magnum est: discere verò esse aliquem regnaturum, & quando, nihil magni est. Didicerat Paulus quæ fas non est hominem loqui. Didicerat omnia quæ mundum hunc præcesserunt. Vtrum cognitu difficilius, principium, an finis? Liquet prius illud esse magis arduum. Atqui id Moses didicerat; & quando, & quot retrò annis conditus mundus declarat, quibus ipsos numerat, ac subducit. Hoc & Salomon didicerat: idcirco aiebat, *Commemorabo* E *quæ à sæculo.* Quòd igitur prope sit, hi quoque postea cognouerunt, quemadmodum etiam Paulus, dum ait, *Dominus prope est: ne quid solliciti sitis.* At tunc quidem non nouerant, tametsi signa acceperant. Christus autem quemadmodum dixerat, *Post non multos hos dies*, volens eos vigilare, nec apertè tempus dixerat: sic & nunc facit. Alioquin verò, neque hîc de fine mundi sciscitabantur, sed de regno, eóque dicebant, *Si in tempore hoc restitues regnum Israëlis?* At ille, ne id quidem illis aperuit. De fine autẽ etiam priùs interrogabant: sed non quemadmo-

V. 7.

2. Cor. 12. v. 4.

Eccl. 51. v. 11

Phil. 4. v. 6.

V. 5.

A dum illic seueriùs respondit, auocans illorum animos ne se citiùs liberatum iri putarent, atque in pericula coniecit, itidem & hîc facit; sed paulò mitiùs. Ne enim se delusos existimarent, ac quæ audirent prætextum esse arbitrarentur, audi vt & citò daturum se polliceatur, quo gauisi sunt. Subiecit igitur,

v. 8. *Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos; & eritis mihi testes tum Hierosolymis, tum in terrâ Iudæâ & Samariâ, & vsque ad extremum terræ.* Exinde, ne ipsum rursus interrogarent, in cœlum receptus est. Quemadmodum igitur illic ex metu tenebras offudit, nec non quià se nescire dixit: sic & hîc idem facit, dicendo, quòd assumptus sit. B Etenim magno rei desiderio tenebantur, nec abstitissent; cùm esset valde necessarium ne illi rem scirent. Nam, quæso, vtrum minus credunt Gentiles, futuramne mundi consummationem, an Deum factum hominem esse, exque Virginis vtero prodiisse, ac eum carne hominibus conspectum esse? Num istud? Planè & ipse fateberis. Atqui pudet me assiduè de hoc loqui, ceu de re aliquâ quæ in mediis habenda sit.

v. 7. Rursus ne dicant, Quare rem suspendis? *Qua Pater*, inquit, *posuit in suâ potestate.* Atqui eadem est Patris, ipsiusque potestas, velut cùm dicit, [Ioan. 5. v. 21] *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat; sic & Filius quos vult viuificat.* C Si vbi operandum, eadem cum Patre agit potestate; vbi de scientiâ sermo est, non cum eadem scit potestate? Atqui longè maius est suscitare mortuos, quam scire diem. Quòd si cum potestate fecit id quod maius est, nónne potiori longè alterum faciet ratione? Verùm vt rem intelligatis, adhibitâ similitudine reddam dilucidiorem. Quemadmodum cùm videmus infantem clamantem, [Simile.] remque minus necessariam importunius ex nobis flagitantem, tunc magis occultantes, vacuas illi manus ostendimus, dicendo, Ecce non habemus. Itidem & ille fecit Apostolis. Sed quemadmodum puer ille si postea nihil ostendamus, instar plorando, videns se delusum esse: D tumque eo relicto discedimus, dicentes, Vocat me aliquis, eiusque loco quod expetebat aliud quippiam damus, vt à priore ipsum desiderio auocemus; remque illam substitutam laudantes, eâ traditâ actutum nos ipsos subducimus. Indem fecit & Christus. Illi quærebant accipere; ipse negauit se habere. Quin primùm terruit. Cæterùm vbi rursus quærebant, iterum negauit se habere: nisi quòd nunc non territat. Posteaquam verò ostendit, quod fecerat, eius etiam probabilem causam adiungit. *Pater*, inquit, *posuit in suâ potestate.* Quid igitur? Nescis ea quæ sunt Patris? An ipsum quidem nosti, quæ verò facit, hæc ignoras? E Ipse dixisti, *Nemo nouit Patrem nisi Filius.* Et [Matth. 11. v. 27. 1. Cor. 2. v. 10.] Spiritus quidem omnia scrutatur, etiam profunda Dei: tu verò ne hoc quidem scis? Absit. Non vt hoc suspicemur, ad istum modum locutus est, sed ita se gerit quasi nesciat, vt ab importunâ inquisitione absterreat. Timuerunt igitur iterum interrogare, ne audirent, *Etiam vos stulti estis?* [Matth. 15. v. 16.] Longè enim nunc magis ipsum, quàm priùs verebantur. *Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Quemadmodum illic non respondit ad ea quæ sciscitati erant (sunt enim hęc doctoris partes, non vt doceat quæ velit discipulus, sed quæ conducibilia sint) sic hîc etiã, quę illos scire operæpretiũ erat, idcirco prędicat, ne ii A turbarentur: nimirum adhuc imbecilles erant. Vt autem libertatem assumerent, ac confirmarentur, ipsorum erexit animos, & quæ grauia imminebant, detexit. Nam cùm paulò pòst illos relicturus esset, hæc illis loquendo nihil dicit, quod absolutè molestum sit; sed quæ molesta sint, laudibus mitigat; tanquam fere dicat, Nolite timere. *Accipietis enim virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos. Et eritis mihi testes tum Hierosolymis, tum in totâ Iudæâ & Samariâ.* Quòd dixisset, [Matth. 10. v. 5.] *In viam Gentium ne abieritis. & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis:* Nunc eos per totam Iudæam & Samariam prædicare decernit. B Et quod tunc tacuerat, nunc addit, *Et vsque ad extremum terræ*; quodque omnium maximè tremendum erat, iam elocutus, ne ipsum rursus interrogarent.

Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Vides eos prædicasse, ac Euangelium impleuisse? Magnum reuerà quod illis donatum est. Vbi, inquit, timuistis, (nempe Hierosolymis) illic primùm prædicare, ac postea, vsque ad extremum terræ. Tunc rursus fides astruitur, his, quę dixerat. *Videntibus illis eleuatus est*, inquit. Atqui non surrexerat illis videntibus: videntibus tamen eleuatus est. Nam ne hîc quidem rem totam aspectus sibi vendicauit. Vidêre illi quidem non initium resurrectionis, sed finem. C Assumptionis contrà initium viderunt, finem non item. [ἐπῆρθη. Malè Interpres: Illud abstulit.] Quippe superfluum erat vt resurrectionis initium viderent, ipso præsente qui hæc loqueretur, ac monumento monstrante ipsum illic non esse. Cæterùm quod restabat, id sermone discendum erat. Quod enim non sufficerent oculi vt celsitudinem proderent, docerentque vtrum in cœlum, an *quasi in cœlum* is [4. Reg. 2. v. 11. Ita dictum de Eliâ: quod Athanasius, aliique Patres, eius à Christi ascensu discrimen obseruant.] ascendisset, vide quid fiat. Nam quòd Iesus esset ex iis nouerant, quæ ad eos loquebatur. Longiùs verò semotum ipsum contueri non poterant; idcirco iam Angeli assumi illum in cœlum, docebant. Vides impensiori consilio dispositum, vt non omnia Spiritu, sed quædam etiam visu D gererentur? Quamobrem autem eum suscepit nubes? Quòd nempe id ipsum, ascendisse eum in cœlum indicio esset. Non vt in Eliâ, currus igneus, sed eum nubes suscepit, quod erat cœli symbolum, quemadmodum ait Propheta, [Psal. 103. v. 3.] *Qui posuit nubes ascensum suum:* quanquam hoc de Patre dictum fuit. [Malè interpres, de Spiritu quod nec Græca habent; nec si haberent aliud esset quàm mendum antiquarij vel typogr.] Ideirco ait, In nube, declarans, quòd in signo diuinæ virtutis ascenderit. Nusquam enim alia virtus cernitur in nube. Audi rursus quid dicat alius Propheta, *Deus sedet super nubem leuem.* [Isai. 19. v. 1.] Mihi sanè necessaria interrogatio cùm esset, iisque vehementer attentis illis quæ dicerentur, excitatisque, nec quicquam dormitantibus, hæc facta esse videntur. E Sed & in monte, quando Moses ingressus in caliginem est, [Exod. 19. v. 16.] diuinæ maiestatis obsequio aderat nubes, non vt Mosi inseruiret. Non dixit quòd abiret solùm, ne rursus mœrore afficerentur, sed quod Spiritum missurus esset. Quòd autem in cœlum proficisceretur, oculorum ipso aspectu docebantur. Papæ quo illi digni habiti sunt spectaculo!

Cùmque intuerentur, inquit, *in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt illis in* [v. 10] *veste candidâ, qui & dixerunt, Viri Galilæi,* [v. 11.] *quid statis aspicientes in cœlum?* Demonstrandi vim habente dictione vsi sunt, dicentes, *Hic, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Amicâ scilicet illâ compellatione.

Iterum læta rerum facies proditur. Angeli enim humanâ formâ astiterunt, atque dixerunt, *Viri Galilæi.* Digni iam videbantur quibus fides haberetur, ex eo quòd dixerant, *Viri Galilæi.* Quid enim alioqui opus erat, eos audire cuius essent patriæ, nisi hoc esset? Quin & ipsâ specie in se intentos illos reddiderent, seque è cœlo monstrabant venisse. Quam ob causam, non ipse potiùs Dominus hæc discipulis loquitur, quàm Angeli? Immò anteuerterat ipse, atque ijs antea hæc locutus erat: proinde quæ dicebantur, eius erant qui per Angelos commonebat eorum quæ audierant. Nec dixit, Quem vidistis assomptum, sed, *euntem in cœlum*; nempe vt intelligas assumptionem ascensum fuisse. Ad carnem verò spectat assumi. Idcirco etiam ait, *Qui assumptus est à vobis, sic veniet.* Non mittetur, sed, *veniet.* Vbi sunt igitur, qui Filium Patre minorem esse dicunt?

Isai. 19. v. 1.
Eph. 4. v. 9.

Nubes suscepit eum. Pulchrè id dictum. Ipse enim est qui conscendit nubem: *quoniam qui ascendit, ipse est qui & descendit.* Hîc verò mihi considera, quomodò partim iuxta discipulorum intelligentiam loquantur Angeli, partim verò iuxta diuinæ naturæ dignitatem. Aspectantium mens sublimis elata est. Contulit eis secundi aduentus non mediocre specimen. Quod enim aiunt, *sic veniet*, hoc significat; cum corpore venturum, cuius audiendi desiderio tenebantur; sicque rursus ad iudicium venturum cùm nubi considerer. *Et ecce*, inquit, *duo viri.* Cur ait, *viri?* Nam totâ specie viros repræsentabant, ne pauore consternarentur. *Qui & dixerunt, Quid statis aspicientes in cœlum?* Tum pariter erant blandientium verba, tum eorum qui non protinus ipsius expectandum reditum admonerent. Quod maius est, dicunt Angeli; quòd autem minus, tacent. Quòd enim venturus sit, atque è cœlo expectandus, dicunt: Cæterùm quando id futurum sit, silentio premunt. Ab eo spectaculo ad seipsos iam ipsos conuertêre sermonem, ne quoniam substratus oculis esset Dominus, non ascendisse ipsum existimarent; sed interim dum loquuntur, in cœlum euasisse putent. Etenim si prius dicebant, *Quò vadis?* multò magis & nunc dixissent.

κολακευόντων. Legit Interpres, κολαζόντων castigantiū: sed eius oculorum nō multa fides, quibus mox maius, minus est, &c.

V. 6.
Matth. 24. v. 6.

Si in tempore hoc, inquit, *restitues regnum Israëlis?* Tantam eius lenitatem, ac mansuetudinem nouerant, vt etiam post crucem, ac mortem percontarentur, *Num restitues?* Atqui superiùs illis dixerat, *Audituri estis prælia, & rumores præliorum: sed nondum est finis*; sed neque Hierusalyma expugnabuntur. Nunc verò de regno interrogant, non de fine mundi. Accedit, quòd nec iam vbi à mortuis resurrexerat, prolixos cum eis miscet sermones. Velut sanè & ipsi clari futuri si id eueniret, percontantur. Quando restituturus esset, non aperuit. Quid enim hoc illos scire opus erat? Idcirco hoc verito, non rursum ita loquuntur, *Quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* sed, *Num in tempore hoc restitues regnum Israëlis?* Existimabant enim illud iam præsto esse. Ipse tamen etiam parabolis docuerat, haud ipsum in propinquo esse. Dumque hîc percuntantibus, respondit, *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Hîc illud considera, quòd dixit, *superuenientis*, non missi: nimirum quò declaret honoris æqualitatem. Vbi es igitur ô tu, qui bellans aduersus Spiritum, creaturam vocare præsumis? *Et eritis mihi testes.* Obscure significauit

Moueo negationem, quam nec nouit. Interpres, & sensui officit: ac cùm eo, ὅτι, pro ὅτι lego.

A Pasihate.

Assumptionem. Quin immò, eorum quæ priùs audierant, memoriam illis renouauit.

Psal. 17. v. 10.
Nubes Dei currus.

Iam ostensum est, quòd ille in cœlum ascenderit. *Nubes & caligo sub pedibus eius*, inquit. Hoc enim significat, quod ait, *Nubes suscepit eum*, nempe cœlorum Dominum. Quemadmodum enim currus regalis Regem indicat; sic & ad illum missum est regale vehiculum. Ne quid triste loquerentur, néve idem illis accideret quod Elisæo, qui Magistro assumpto dilacerauit tunicam suam, *Ecce duo viri astiterunt.* Quid verò dixerunt? *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet. Et ecce viri duo astiterunt illis.* Planè meritò. Siquidem *in ore duorum testium, stabit omne verbum.* Eademque ambo loquuntur. Astiterunt vero, *in veste candidâ*, inquit. Quemadmodum iam Angelum in monumento fulgurantí habitu, id quod animo versabant prædicentem, viderant; sic & Assumptionis Angelus præco exhibetur; quanquam Prophetæ sæpiùs prædixerant, vti & resurrectionem. Vbique Angeli præcones fiunt, vt in Natiuitate, vt rursus ad Mariam; ac vti in Resurrectione, sic planè & in Assumptione. Quin & in secundo aduentu apparebunt Angeli præcursores. Dicto autem, *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis*, ne illorum penitus animos consternarent, subiecerunt, *sic veniet.* Respirarunt aliquantulum, cùm denuò audissent venturum; sicque adeò venturum, vt nec inaccessus foret. Quin & particula, *à vobis*, haud temere addita est; sed quæ Domini in eos charitatem, ac electionem repræsentet, nec dimittendus quibus id ab ipso muneris obtigisse. Itaque Resurrectionis ipsemet testis fuit. Erat enim ea res omnium à partu summè stupenda: quin & partum ipsum admiratione vincebat, suscitasse illum seipsum. *Soluite* enim, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus ego excitabo illud.* Cæterùm secundi aduentus Angeli testes extiterunt, dicentes, *Sic veniet.*

4. Reg. 2. v. 12.
Deut. 19. v. 15.
Matth. 18. v. 16.

Ineptissimè, bardéque Interpres, Quòd si Propheta nunquam prædixerit, ac quæ sequuntur, plagio addita, tum auctori, tū Scripturæ palam aduersantia.

Christus resurrectionis testis, quod mysteriorum maximum.
Ioan. 2. v. 19.

Si quis igitur Christum videre cupit; si quis dolet quòd eum non viderit, audito hoc verbo admirandam vitæ rationem instituat; sicque omnino vt videat, nec spe frustretur suâ. Nam maiore cum gloriâ veniet: Sic tamen cum nube; sic cum corpore. Longéque ad miraculū maius, videre ipsum è cœlo descendentem; quàm è terrâ in cœlum ascendentem. Venturum igitur dixerunt; in quo autem, seu quo vehiculo, haudquaquam addiderunt. Doctrina hæc resurrectionem astruit. Etenim si cum corpore assumptus est, multò magis cum corpore resurrexit. Vbi sunt, qui pertinaciter negant resurrectionem? Ij verò, quinam quæso? Græcine, an Christiani? Non enim satis cognosco. Quin potiùs optimè noui; nimirum Græci sunt, qui nec mundum à Deo conditum credunt. Nam eorundem est, non concedere Deo potestatem creandi aliquid ex nihilo, & negare posse illum suscitare quæ extincta sunt. Nec erubescentes quòd non cognoscant virtutem Dei, ne vocentur in hoc crimen, tergiuersantur, dicentes, Non eò hæc dicimus, sed quòd corpore non sit opus. Aptè profectò, congruéque dicatur, *Fatuus fatua loquetur.* An non pudet detrahere Deo potestatem ex nihilo creandi quod velit? Quòd si tantùm ex his quæ sunt, quid præstat hominibus, atque ab eis differt? Sed vnde, inquit, mala? Num enimuerò quòd nescis vnde mala, aliud abundè malum debes inge-

Ethnicorū dogma negatio resurrectionis.

Isa. 32. v. 6.

rere, in cognitione malorum? Hîc enim gemina A committitur absurditas; altera quidem, quòd sic audes loqui. Etenim si negas Deum ex his quæ non sunt creare ea quæ sunt, multò magis ignorabis vnde sint mala. Altera verò, quod dum hoc dicis, malitiam inducis ingenitam. Cogita quàm sit absurdum, dum studes inuenire fontem malorum, & hunc ignorare, & alterum huic addere. Quære vnde mala, & ne blasphemiam inferas Deo. Quomodò, inquit, blasphemiam infero Deo? Quid ais? An non blasphémas, cùm malum ingenitum asseris? dum illi parem Deo potestatem tribuis? dum malorum vim æquali vigore tradis? dum increatum dicis? Nam vide quid dicat Paulus, *Inuisibilia eius ex creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Cæterùm diabolus vtraque dixit esse B ὕλης· id est, materiæ; ne deinceps vllis ex rebus Deum cognoscamus. Age, dic mihi, vtrum difficilius, quod naturâ malum est, creare, si tamen id vllum est (Loquor enim iuxta vestram sententiam. Nihil enim quod naturâ malum sit creari potest, tanquam boni adiumento) an creare ex nihilo? Vtrum faciliùs? Verbi causâ, de qualitate loquor, eam quæ non sit nouùm inducere, an eam quæ sit in diuersum vertere? Quid propensiùs, domum quæ non sit facere, an quæ sit desolata ex integro atque ab initio fabricare? Liquet planè illud facilius esse. Ergo istud impossibile est. Quemadmodum igitur hoc peruium est C atque facile, sic, & illud impossibile, nempe in contrarium operari, aduersáque rei indole. Quæso te, quid facilius, vnguentum conficere, an vt cœnum vnguenti vim habeat, ac fragrantiam præstare? Vtrum propensius? quandoquidem nostris rationibus Deum obnoxium volumus; non nus; Absit; sed vos potiùs. oculos vt sint creare, an efficere vt cæcus, qui cæcus perseueret, videat, atque id acutiùs vidente; ipsáque cæcitate ad visum abutatus, & surditate ad auditum? Mihi istud videtur. Quod ergo difficilius est cùm Deo tribuas, quod facilius est eidem non tribuis?

Rom. 1. v. 20.

ἀμήχανον· malè ἀμήχανον. & sequitur Interpres: cui discursus hic auctoris tenebræ Cymmeriæ sūt, ipse aliàs facilis: eius vis, quòd difficiliùs sit ingenitam illam materiam edomare, quàm tacitè ex nihilo creare. Necessariò, addo negat. Hæc enim cautum imprudens, causa erat sequentium blasphemiarū.

Sed quid hæc cōmemoro? Etiam animas aiunt ex Dei substantiâ profectas esse. At vide, quanta hæc impia, quanta aliena à ratione plenáque D dementiæ. Primùm, volentes probare non esse Deum malorum auctorem, aliud impietate sceleratius inducunt: nempe esse mala æqualis cum Deo ætatis, nec illis Deum quicquam vetustate præstare; singularem prærogatiuam, ac decus iis temerè ascribentes. Deinde, malitiam asseuerant immortalem. Non enim quod ingenitum est, vllo tolli interitu potest. Videris blasphemiam? Ita necesse est, aut nihil à Deo esse; aut nisi mala sint, nec Deum quidem esse. Tertiò, quod autè dicebam, secum ipsi pugnant, ac maiorem Dei indignationem prouocant. Quartò, E materiæ quæ incomposita sit, tantam tribuunt habilitatem. Quintò, malitiam aiunt causam fuisse diuinæ bonitatis, quodque nisi per eam, qui bonus est, bonus futurus non esset. Sextò, vias nobis quibus Deum cognoscamus, præcludunt. Septimò, Deum in homines, & plantas, & arbores detrudunt. Si namque anima nostra ex Dei substantiâ est; contingit autem demigrare animam in cucurbitarum corpora, & peponum atque ceparum, consequens fit vt Dei substantia in cucurbitis existat. Iam si dicamus quòd Spiritus sanctus in Virgine Templum construxerit, derident. Sin autem quòd Spiritus sanctus in spiritali A templo habitauerit, rursus irrident. Ipsos verò non pudet, qui Dei substantiam in cucurbitas, pepones, muscas, bruchos, asinos, noui generis idolatriæ parentes, detrudant. At non cepe, inquit, in Deo est; sed Deus in cepe. Cur fugis, ne Deo demigrationem in corpora videatis tribuere? Turpe est, inquis. An non igitur istud multò turpius? At non est hoc turpe. Quomodò non turpe, quod si nobis contingat, reuerâ turpe futurum sit? Videris fæcem impietatis?

Sed quamobrem tandem nolunt corpus resurgere? Quid verò etiam causæ afferent? An quòd corpus sit malum? Vnde igitur, rogo, nosti Deum? Vnde nactus es rerum cognitionem? Tum Philosophus quo pacto philosophus, si nihil confert corpus? Destrue sensus, ac rerum quæ B officij sint disce aliquid. Quid animâ insipientius, cuius ab initio oblæsi sensus? Nam si partis vnius labe, putà cerebri, eius vis omnis labefactatur ac concidit; quid vtilem putas, si & partes reliquas vitium incesserit? Ostende mihi animum sine corpore. An non audisti medicos dicentes, Morbus cùm adest, vehementer animam obscurat? Quandiu guttur non frangitis? Quæso te, corpus ex materiâ est? Sanè est. Pulchrè. Igitur habendum erat odio. Cur igitur illud alis? quare foues? Quin potius liberanda erat anima è carcere.

Corporis necessaria animæ opera.

Præterea, Non potest Deus materiam vincere C nisi illi commisceatur. Non enim potest illi præcipere, donec illic mixtus fuerit, ac per totam constiterit. O imbecillitatem! Rex quidem imperando omnia peragit, Deus autem malis non imperat. Prorsus verò si materia boni cuiusque expers esset, ne extitisset quidem: sic enim malitiæ comparatum est, vt nisi virtutis partē aliquam vsurpauerit, cōsistere non possit. Proinde nisi priùs malitia virtuti commixta erat, iam olim perierat. Nam hunc in modum se habent mala. Sit aliquis lasciuus, quique se prorsus non temperet, num vixerit decem dies? Sit rursus latro quispiam, quem à nullo facinore retrahat conscientia; sit etiam talis erga latrocinij socios, num vixerit omninò? Sit aliquis fur impudens, qui non vereaD tur etiam palam furari, num viuet istiusmodi? Haud est comparatum mala consistere, nisi paululum aliquid è bonis corraserint. Atque adeò Deus hæc, ipsis auctoribus, condidit. Sit ciuitas virorum improborum; an stabit vnquam? Sint verò mali, non aduersus bonos, sed ipsi aduersum se. At nunquam sic perstare possint incolumes. *Verè stulti facti sunt, cùm se dicant esse sapientes.* Si corpus malum est, quæ videntur omnia, temere ac frustra sunt, aqua, terra, sol, aër. Siquidem & aër corpus est, quanquam non densum ac solidum. Opportunè igitus dicamus, *Narrauerunt nobis iniqui nugas.* Verùm E ne sustineamus, quin potiùs iis aures obturemus. Est enim, est, inquam corporum resurrectio. Hoc prodit, quod Hierosolymis sepulchrum extat; hoc, cui alligatus cippus, ac flagellatus, declarat. *Manducauimus* enim, inquit, *& bibimus simul cum eo.* Credamus igitus resurrectionem, ac quæ illâ digna sunt operemur, vt & futura bona consequamur, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri simul & Spiritui sancto, gloria, potestas, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Manichæorum deliria.

Mala nisi bono coniuncti non consistunt.

Rom. 1. v. 22.

Psal. 118. v. 85.

Act. 10. v. 41.

EIVSDEM IN EANDEM
Domini nostri Iesu Christi Assumptionem.

Ex editis à Vossio, & Sauil. t. 5.

EODEM Interprete.

Non videtur Chrysostomi, sed auctoris inferioris notæ, ac recentioris æui.

ILlustris, lætaque Dominicæ dispensationis omnis festiuitas ac fidelium corda exhilarans: illustris nihilominus, atque læta, propositæ celebritatis materia. Quare autem læta sit, ac illustris, deinceps exponemus. Seno itaque dierum numero sua Deus omnia opera fecit, sicut scriptum est; die autem septimo requieuit. Idcirco etiam, nouissimis diebus placuit Dei Verbo, quærere, ac saluum facere quod perierat: factusque homo, eodem modo, pro numero dierum creationis mundi, suæ nobis dispensationis festiuitates tradidit. (Sex festa Christianorum, pro numero dierum creationis.) Prima igitur, ac radix festorum Christi, eius est in carne post admirandam conceptionem, ex sanctâ Virgine, ac Dei genitrice Mariâ, Natiuitas; quâ Christus Deus inclinans cœlos, ad terram ad nos venit, vt mundum deperditum liberaret: in quâ Angeli Pastoribus apparentes, nouumque, ac insolitum miraculum declarantes, clamabant: (Luc. 2. v. 14.) *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax: in hominibus bona voluntas.* Secunda autem celebritas est Christi Dei nostri Epiphaniorum dies, siue apparitio, quando in Iordanem veniens, cunctis hominibus ineffabilis misericordiæ suæ indulgentiam ostendit: quando & Patris vox de cœlo delapsa est, de ipso testificans: (Matth. 3. v. 17.) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sed & Spiritus sanctus in specie columbæ veniens, mansit super eum; vt nimirum, tota se consubstantialis Trinitas, vnico temporis momento visendam exhiberet; quam vt ipse oculis peruideret Domini Præcursor Ioannes, promeritus est. De quâ apparitione etiam beatus Paulus aiebat: (Tit. 2. v. 11.) *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus.* Quia ergo omnium, hinc orta est salus, meritò maxima à piis festiuitas appellatur. Tertia festiuitas, sacra est, ac adoranda, modisque omnibus veneranda, salutaris passionis Christi veri Dei nostri dies, in quâ, cruci carne affixus, (Col. 2. v. 14.) chirographum peccati, quod contra nos erat, deleuit: in quâ etiam Adamum per inobedientiam è paradiso expulsum, vnâ voce in illum induxit; cùm ait Latroni, (Luc. 23. v. 4.) *Hodie mecum eris in paradiso*: atque adeò eâ ratione, maxima hæc, ac præcipua solennitas habetur; de quâ Paulus; (1. Cor. 5. v. 7.) *Pascha nostrum*, nostri causâ *immolatus est Christus.* Quarta festiuitatas, glorisissima est atque pacifica, ac triumphalis dies sanctissimæ Christi Dei nostri Resurrectionis, quando ad inferos descendens, (Psal. 106. v. 16.) æternosque vectes confringens, ac vincula disrumpens, (Isai 45. v. 2. Luc. 24. Ioan. 20.) à mortuis resurrexit, inferique victor, iustos in eo detentos secum resuscitauit; atque ad discipulos ingressus, pacem iis in signum triumphi precatus est. Vnde sine controuersiâ, mater festorum celeberrima dies hæc fidelibus semper habita est. (Mater festiuitatum, Dominica Resurrectio.) Quinta ergo festiuitas, sanctissima est Domini in cœlum Assumptio, de quâ nobis in præsentiarum incumbit oratio. Est autem hæc inter festiuitates quinta, quoniam & quinto hebdomadæ die, quod eâ recolitur, gestum est. Idcircò autem festum nos diem oportet agere, quia hodie massæ nostræ primitias; carnem scilicet; Christus subuexit in cœlos. Quamobrem etiam aiebat Apostolus: (Eph. 2. v. 6.) *Conresuscitauit, & consedere nos fecit in cælestibus in* A *Christo Iesu.* Vnde mali auctor, ac peccati inuentor diabolus, propter tumorem elationis, & fumum superbiæ, exciderat; illic Christus maximâ suâ clementiâ, ac benignitate, pessimo illius consilio deiectum paradiso hominem, vicissim restituit. Omni igitur honore, ac spiritali gaudio tripudioque, præsens quoque festiuitas, iure merito prosequenda sit.

Quoniam verò septem festurum numerum, pro ratione dierum creationis mundi, ipso orationis exordio indicauimus, quinque autem duntaxat hactenus festiuitates ostendimus, alias quoque duas celebritates in medium adducamus B oportet, atque ita ad institutam narrationem deducatur oratio. Sexta igitur celebritas, laudatissima est, faustisque omnibus prosequenda dies aduentûs Spiritûs sancti; (Sexta nostra festiuitas, aduentus Spiritûs sancti.) quando sanctis Apostolis expectatum & promissum donum Spiritûs sancti, in specie linguarum ignearum à Christo Domino de cœlis emissum est: quæ & Pentecoste ob septem hebdomadarum expletionem appellata est. Dubio ergo procul etiam hæc, piis omnibus maxima festiuitas habetur. Septima festiuitas, dies est quam expectamus, resurrectionis mortuorum (hac enim fideles expectatione tenemur) (Septima nostra festiuitas, resurrectio mortuorum.) in quâ clemens, nulliúsque personâ accipiens, Iudex Christus Deus noster, vnicuique iuxta opera sua reddet. Hæc vera est requies, cu- C ius gratiâ etiam Paulus Apostolus aiebat: (Hebr. 4. v. 0.) *Festinemus ingredi in illam requiem.* Tunc igitur vel maximè celebritas erit, omnis gaudij plena, lætitiæque, ac exultationis. iis, qui hæreditate accepturi sunt, quæ (1. Cor. 2. v. 9.) *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus, iis, qui diligunt eum.* Quapropter & nos precemur, dilectissimi, vt cum iustis ac sanctis, in cœlestis regno thalamo festum diem celebrare possimus, non modò ad vnum, duósve, aut tres duntaxat dies; sed in sempiterna sæcula. Septem itaque festorum celebritatibus, sic à nobis expositis atque probatis, ad illud de quo agitur, reuertamur.

D Est autem nobis instituta narratio de cœlesti hac solennitate; nempe de Assumptione Christi. Nam Dauid quidem ait; (Psal. 17. v. 10.) *Et inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius*: diuini scilicet Verbi è cœlis in terram aduentum designare volens. Caliginem verò dixit sub pedibus eius, indumentum deitatis, quod est carne, significans: vt planè aduentus eius ob humilitatem & mansuetudinem non paucis ignotus fuerit. Rursus enim ait Propheta: (Psal. 76. v. 20.) *Domine, in mari via tua, & semita tua in aquis multis; & vestigia tua non cognoscentur.* (1. Cor. 2. v. 8.) *Si enim cognouissent*, inquit Apostolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifi-* E *xissent.* Iterúmque ait: (Psal 17. v. 11.) *Ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum.* Super Cherubim, inquit, eò quòd ipse etiam cum Patre in cœlis existens, super Cherubim veheretur. Nam cùm etiam in terrâ cum hominibus versabatur, nequaquam à Cherubico ac cœlesti throno abscedebat. Per pennas autem ventorum nubes innuit, in quibus & assumptus est, sicut etiam in Actis Apostolorum scriptum est: (Act. 1. v. 9.) *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Sub hæc addit: *Cumque intuerentur in cælum euntem illum*, admiratio Apostolos inuasit, stuporque, ac turbatio: cùm enim naturâ mortales essent, nec contemplandis eiusmodi rebus essent assueti, in stuporem meroris acti sunt. At dicet aliquis: Iam quo-

Matt. 17.

que transfigurationem viderant; Petrus nimirum, A & Iacobus & Ioannes. Vtique illi viderant Dominum transfiguratum, nubémque ipsum obumbrantem: verùm non viderant rapi nubem in aëra, ac Dominum in cœlos assumentem. Miraculum illud, sed & hoc miraculum: at miraculum miraculo formidabilius; hoc, illo: sublimiusque; quanquam vtrumque vnius Dei foret potentia, atque mysterium. Tunc Moyses & Elias Petro, ac sociis apparuerunt cum eo loquentes: nunc autem Thronus Cherubicus, hoc est, inuisibilis potentia, de repente nubem quæ obtegebat, adoriens, Dominum cum seruis colloquentem abripuit. Tunc Petrus cum magnâ fiduciâ respondit: B *Domine, bonum est nos hîc esse: faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum*: nunc verò ne loqui quidem potuit quispiam discipulorum, neque os aperire; sed maximo timore perculsi obstupuerunt.

Assumptionis miraculum, terribilius ac sublimius miraculo Transfigurationis.

Adiicit autem deinceps Scriptura, dicens: *Et ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt.* Ne hoc quidem superuacaneum: nam quòd vestibus albis amicti fuerint viri illi, maximæ celebritatis est indicium. Quid ergo dixerunt? *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Miraculi vos exuperantia in stuporem vertit? Eiusne obliti estis, qui ait: C *Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum?* Nónne propterea ad vos dicebat: *Non relinquam vos orphanos?* Et iterum: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Nónne Paracletum, id est, Spiritum sanctum promisit vobis? *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sic veniet cum nubibus cœli, cum gloriâ, & potestate multâ: sic veniet, quo tempore iudicaturus est orbem terrarum in iustitiâ. Illi enim Pater omne iudicium dedit. Non meministis, quòd cùm apud vos esset, diceret: D *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ?* Tunc Apostoli in se reuersi abierunt, laudantes & benedicentes Dominum, expectantésque diuini doni, hoc est, Spiritûs sancti aduentum.

Act. 1. v. 10. — *Ioan. 20. v. 17.* — *Ioan. 14. v. 18. & 27.* — *Ioan 5. v. 22* — *Math. 28. v. 19.*

Planè verò impletum est illud quod est dictum in Psalmis: *Ascendit Deus in iubilo; Dominus in voce tubæ.* Manifestè hic Propheta duplicem naturam dispensationis in Christo significauit. Quin ad eundem quoque modum Thomas post resurrectionem Domini, palpans eius latus, exclamabat dicens: *Dominus meus, & Deus meus! Ascendit Deus in iubilo; Dominus in voce tubæ.* In iubilo quidem, quoniam E incessabili voce, hymnum ter sanctus Deo summittunt: (Portò iam ostendimus vt sit assumptus in throno Cherubico) in voce autem tubæ; nempe Archangeli, eius in cœlum prænuntiantis ascensum. Quin & Spiritus sanctus supernis Virtutibus imperatiuâ voce acclamabat: *Tollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Virtutes autem dicebant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Quibus Spiritus: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Vicit enim hostem; in humano se corpore aduersus tyrannidem diaboli armauit; tela eius ignea extinxit: crucique affixus, ac mortem degustans, cùm esset immortalis, infernum spoliauit, & victor euasit. Resurrexit à mortuis, errantémque ouem conuersam in humeris deferens, A ecce redit ad nonagintanouem, quæ non errauerant quæ erant in montibus; hoc est, quæ in cœlis pascebantur. *Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.* Rursúsque ait: *Dominus Virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Virtutes ergo vt audierunt, *Dominus Virtutum*, concordibus vocibus, solitâ glorificatione exclamantes, cum gaudio Dominum susceperunt, ac vsque ad excelsum solium & eleuatum, pompâ deduxerunt. Fuitque impletum quod à Dauide dictum erat: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ad quamnam naturam, ô hæretice, B dixit Dominus: *Sede à dextris meis?* Nónne omninò ad eam carnem, quæ ex nobis sumpta est, animâ prædita, ex sacrâ Virgine? Confundantur igitur qui vnam duntaxat in Christo confitentur naturam. (Liquet enim diuinam naturam ab æterno cum suæ maiestatis throno extitisse) laudetur verò Ecclesia Catholica. Cæterum nos omnes æterno suo regno dignos reddat Christus Deus noster: cui gloria & potestas cum intemeratissimo Patre, simulque sancto Spiritu, in sæcula sæculorum: Amen.

Psal 46. v. 5. — *Ioan. 20. v. 28.* — *Psal. 23. v. 7.* — *Math. 18. v. 12.* — *Luc. 15. v. 4.* — *Isai. 6 v. 1.* — *Psal. 109. v. 1.*

EIVSDEM, IN EANDEM *Domini nostri Iesu Christi Assumptionem.*

C

EODEM Interprete.

Ex MS. Cæsareo Vien. apud Saml. t. 1. Codex multis vitiosus: etsi oratio non inelegans est: dicta est à non Episcopo.

ADuenit Assumptionis Dominicæ dies. Etsi autem multi præiuissent, at nostram quoque exilitatem ad conferendum sermonem Pater hortatus esset: Iure tamè merito breuiloquentiam meam silentij inuolucro tegendam arbitrabar, multámque imperitiam: quia enimuerò cum Patre, cœlestium quoque virtutum multitudinem ad sermonem conferendum prouocatus, ac cum illis ea iubetis loqui, quæ olim etiam Dauid de Dominicâ Assumptione alto vocis præconio D retulit: *Attolite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*; age, hodie nos quoque quæ festo congrua sunt, modulemur. Hodie namque Dominus noster Christus ad Paternum redit solium: hodie qui fuit corporatus, Patri considet; cùm neque priùs ab eo separatus fuisset, neque nunc primùm ei considëat. Semper enim requiescit in sinu Patris, qui solus Patrem capiat, solusque à Patre capiatur. *Ego enim*, inquit, *in Patre, & Pater in me est.* Verbum in Patre, ac Verbum in terris; neque cùm de cœlis descendisset Paternum nudauit sinum, neque in cœlus rediens, suâ terram E desolatam præsentiâ reliquit: quin & conuersans cum hominibus, Patri considebat; ac Patri considens, ab hominibus non est separatus. *Ecce enim*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hodie Dominus Christus ab humanis in cœlos effertur, non sicut Enoch translatus, nec sicut Elias curru igneo in cœlum subuectus: sed assumitur, vt discipulis Spiritûs sancti virtutem mittat. Assumptionis huius gaudium ante multas ætates cùm vidisset Dauid, exclamauit dicens: *Ascendit Deus in iubilatione*; nimirum qui Adamum ex puluere formasset, Abelémque iustificasset, ac Enoch transtulisset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Noë gubernator fuisset, fidelémque Abraham elegisset: *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Isaac insacrificabilem hostiam suscepisset, ac Iacob be-

Psal. 23. v. 7. — *Ioan. 14. v. 11.* — *Math. 28. v. 20.* — *Psal 45. v. 5.*

nedictionibus impleuisset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui erranti Ioseph ductor fuisset, Iobique patientiam probasset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Moysen gloriâ auxisset, ac Aaronem summo sacerdotio donasset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Iesum Naue roborasset, ac Samueli donum prophetiæ dedisset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Dauidem fortem effecisset, Salomonemque sapientiâ ornasset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui Prophetas Spiritu afflasset, Apostolisque sanitatum dona largitus esset. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui in cœlis sine matre est, quique in terris sine patre. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui vitæ largitor est, nouorumque donorum distributor. *Ascendit Deus in iubilatione*, qui mortem interemit, ac humano generi vitam donauit. *Ascendit Deus in iubilatione; Dominus in voce tubæ*: ipsi gloria in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM, IN EANDEM *Domini nostri Iesu Christi Assumptionem.*

EODEM Interprete.

Apud Sauil. t. 5. continuatur præcedenti ex Cæsareo. Vossius seorsim edidit: ex vtriusque Græcis repræsento. Est elegâs, nec indigna fortè Chrysostomo.

BEnedictus Deus. Opportune hodie Prophetæ illud oraculum vniuersi clamore effetamus, vocéque vnanimi vniuersorum Dominum dilaudemus, atque dicamus: *Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes eius?* Hodie primitiæ nostræ in cœlum ascenderunt, quique ex nobis carnem assumpserat, Paternum recepit thronum, quò Dominum seruis reconciliaret, veterésque inimicitias deleret, ac mortalibus in terrâ positis, cœlestium Virtutum pacem præstaret. Communis enim nobis hodie aduersus diabolum victoria, communis merces, communia præmia, communes coronæ. Quapropter exultemus, fratres, qui primitias nostras supernè locatas videamus, humanúmque genus à dextris Dei thronum occupare. Cùm enim admirabilis Propheta beatos eos dicat, qui *habent in Sion semen, & domesticos in Hierusalem*; quàm nos potiori iure lætari oporteat, ac exultare, qui primitias nostras ad summum ipsum cœli verticem conscendisse videamus, ac regiam accepisse sedem? Cogita enim, charissime, quanta Dei bonitas, quamque ineffabilis dispensatio exhibita sit in humanum genus. Eum, qui diabolicâ fraude paradiso exciderat, grauique adeò maledicto fuerat damnatus, in quantam repentè subuexit celsitatem, ac quo nos pacto, qui terrâ indigni visi fueramus, ad cœlum hodie reducti sumus: nostraque natura etiam paradiso antea indigna iudicata, primam ipsa cœli sedem occupauit: quæque dæmonum ludibrium facta fuerat, ab Angelis hodie, supernisque Virtutibus adoratur. O beatam inuidiam! O præclarè nobis instructas insidias, vnde innumerabilia nobis bona prouenerunt! Cùm enim malus ille dæmon naturæ nostræ versanti in terrâ inuidisset, nunc ab Angelis eam adorari videt: cúmq; vt putabat, maxima ac incomparabilia depredatus esset, maiora nos, ac splendidiora videt in cœlis recepisse. Quapropter gestio, ac exulto hodie, vosque obsecro vt & ipsi pariter gaudeatis. Qui enim ne terreno quidem principatu eramus digni, ad supremi regni solium euecti sumus. Cœlos transcendimus, atque ad regiam sedem peruenimus: naturâque, ob quam Cherubim paradisum cu-

Isai. 31. v. 9.

Similia Gregorius Romanus Pontifex: *O felix culpa.*

stodiebant, ipsa hodie cœlis altior sedet. Admirare ergo, ac stupe, ô homo, Domini tui solertiam, eumque clarifica qui tanta tibi concessit. Transcendit enim doni magnificentia, damni magnitudinem. Nam ecce, qui paradiso excideramus, ad cœlum ipsum sublati sumus: qui morte damnati eramus, immortalitatis donum accepimus: infensi, eramus, & abiecti, nosque filios vocare dignatus est; nec filios tantùm, sed hæredes; nec solùm hæredes, sed & cohæredes Christi. Ecce quomodo maiora nobis à Domino fuerunt donata, quàm antea ablata essent.

Rom. 8. v. 16.

Verùm cùm audis Deum ascendisse, ac fuisse assumptum, caue loci in Deo mutationem opineris. Deitas enim omnia implet. Vbique præsens est, & nusquam abest, velut omnium inspectrix, ac vniuersorum opifex: nobis autem cognatum corpus, quod qui accepit, in terrâ videri dignatus est, illud est nobis per omnia simile, quod nostrum ac humanum assumptum est: *Ascendit Deus in iubilo; Dominus in voce tubæ*; ac præclaram hanc atque illustrem festiuitatem celebremus, cùm omnes pariter huius diei donis perfruamur. Sicut enim benignus Dominus, famulum diligens, pro eâ amoris vi quâ eum prosequitur, non recusat illius etiam veste indui: sic & Dominus noster Christus, cùm humanum dilexisset genus, atque in profundum malitiæ delapsum prospiceret, nullamque ei reliquam spem salutis, ac multam indulgentiam necessariam habens, dignatus est corpus nostrum assumere: eoque medio apparens, vniuersos ab errore liberauit, atque ad veritatem reduxit; clamatque dicens; *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Quod igitur voluit, hoc & confecit, humanamque naturam humi iacentem erexit, tantamque humanitatem exhibuit, vt misericordiæ illa dispensatio humanâ nullâ ratione valeat comprehendi.

Psal. 46. v. 6.

Pulchra similitudo.

Matth. 9. v. 13.

Quo enim, rogo, modo, nos qui offenderamus, quique ipsâ etiam terrâ videbamur indigni, atque à terreno principatu excideramus, ad tantam repentè celsitudinem sumus euecti? Quo pacto bellum dissolutum est? Quo pacto ira sublata est? Admirabile enim hoc est, & omni stupore plenissimum; quòd non accurentibus nobis, sed ipso qui nobis iustè indignabatur, pro nobis obsecrante, atque ad nos veniente, nostramque assumente naturam, ac eam deitate donante, sic demum reconciliati sumus, ac pacem consecuti. Vnde & Paulus clamat, dicens: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Vidisti sagacissimam Dei sapientiam? cernis ineffabilem Domini benignitatem? cernis excellentem ipsius prouidentiam? Nunc stimulus mortis destructus est; nunc inferni labefactata victoria: nunc mortis potentia deleta est; nunc inimicitiæ sublatæ sunt; nunc diuturnum bellum restinctum est: homines Angelis similes facti sunt: homines Angelis permixti, exque nominibus vtrinque communicatis, magna quædam necessitudo nata est. Ascendit enim communis omnium Dominus, Patremque suum humano generi reconciliauit. Quodque eâ de causâ ascenderit, audi ipsum dicentem; *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et in signum reconciliationis, promittit se nobis daturum Paracleti præsentiam. Vide enim quod additur, quàm planè subiungat: *Et ipse*, inquit, *deducet vos in omnem veritatem*: vos, inquam,

Pleraque ista in 2. orat. quam solam Ducæus agnoscit verè Chrysost.

2. Cor. 5. v. 20.

1. Cor. 15. v. 55.

Ioan. 16. v. 7.

Ibid. v. 13.

errabundos, quique huc illuc agimini, missus A de cœlis Spiritus sanctus, in omnem deducet veritatem. Nam quoniam erat nobis infensus, nosque nihilominus benignissimum Dominum auersabamur, seipsum medium interponens Dominus noster Christus, reconciliationem nobis operatus est. *Verè* etenim *mediam sepis maceriem* (Eph.2.v.14.) *soluit*. Idcirco bonam deinceps nobis repositam spem habemus, ad primitias nostras respicientes. Quicquid enim deinceps dixeris, non ampliùs timebo: siue dixeris vermem, siue puluerem, siue ignem, siue tormentum, siue stridorem dentium, siue fauillam; siue quodcunque tandem aliud mihi dixeris, omnia mihi facilè superanda B sint, qui ad primitias meas in cœlis sedentes aspiciam, vixque non vniuersis mortalibus loquentes, atque clamantes: Modò tandem ignauiam abijcite, vestramque agnoscite ingenuitatem, considerantes donorum mensuram, quorum participes, non ita multò post futuri estis. *Conuescens* (Act.1.v.4.) enim *præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*. Cerne in hoc quoque Dominicam solicitudinem. Videns enim humanæ naturæ infirmitatem, eamque magno ingentem auxilio, Spiritûs sancti concessit opem, quo homo inuictus euaderet aduersus machinamenta diaboli. Idemque (Comparatio aptissima.) accidit, velut si præstantissimus quis belli dux, C sub se ordinatos milites cernens non ferentes aduersariorum minas, sed certaminis metu perculsos, omnes confirmet, muniens eos vndique thorace, scuto, galeâ, ocreis, ac reliquâ armaturâ: Ita & Dominus noster Iesus Christus, magnam videns aduersariarum Virtutum vim, atque potentiam, eamque ob rem, humanam naturam magno indigentem auxilio, donauit ei gratiam Spiritûs sancti, inexpugnabilem illam armaturam, vt qui priùs dæmonum phalangas timebat, nunc iisdem formidabilis appareat, soloque aspectu fraudulentum serpentem repellat. Talis enim est gratia Spiritûs sancti: Vbicunque apparuerit, dæmonum agmina fugat, D ac cunctas aduersarias potestates. *Accipietis* enim, inquit, *virtutem superuenientis Spiritûs* (Act.1.v.8.) *sancti in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & vsque ad vltimum terræ*. Quænam verò virtus hæc, atque potentia? Quod nimirum pridem ad eos dicebat: *Infirmos curate, leprosos mundate, dæmones eycite*. (Matth.10.v.8.) Nulla enim est, inquit, ægritudo tam grauis, vt non cedat virtuti Spiritus sancti.

Tantorum nobis bonorum causa effectus est dies hodiernus. Hodie enim receperunt Angeli, quæ iamdudum cupiebant, vt nimirum naturam nostram aspicerent in regali coruscantem throno, pacémque ac concordiam inter ipsos, humanúmque genus compositam; quod & priùs E dicebant: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ* (Luc.2.v.14.) *pax; in hominibus bona voluntas*. Quare verò assumptus est in nubibus? Vt nimirum, quid seruum inter, ac Dominum referat, discas. Quando (4 Reg.2. v.11.) Elias fuit assumptus, in igneo curru id factum est: at quando Dominus noster, nubes ei ad ascensum obsequitur. *Videntibus enim illis*, inquit, (Act.1.v.9.) *eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*: & ille quidem, quasi in cœlum tollebatur; nam seruus erat: hic autem in ipsum cœlum: (Eliæ, ac Domini ascensus discrimen.) quippe Dominus erat. *Ecce duo viri astiterunt*, (Act.1.v.10.) *in vestibus albis, qui & dixerunt ad illos: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic ve-* A *niet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Ac quidem quando seruus accersendus erat, currus demittebatur: quando verò Filius, regius thronus; neque simpliciter thronus regius, verùm Paternus ipse Deitatis thronus. Audi enim sonorum Isaiam, de Patre dicentem: *Ecce* (Isai.19.v.1.) *Dominus sedet super nubem leuem*. Ob id Filio quoque nubem demisit. Audi verò Dauidem Prophetam, cùm ait: *Exaltate Dominum Deum* (Psal.98.v.9.) *nostrum, & adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster*. Et iterum: *Exaltare super cœlos Deus, & in omnem terram* (Psal.56.v.6.) *gloria tua*. Quænam gloria? Donum Spiritûs B sancti; gratia sanitatum; remissio peccatorum; deitatis cognitio in vniuersâ terrâ. Quemadmodum enim Elias ascendens, melotem super Elisæum demisit; sic & Iesus cùm assumeretur dona demisit in discipulos, quibus non vnum Prophetam, sed infinitos Elisæos efficeret: quin illo quoque longè maiores ac illustriores.

Quæ omnia considerantes, dilectissimi, nos quoque Domino nostro per vitæ studiosæ accuratam rationem, vicem rependamus; vt sicut ipse nos proprijs clarificauit gratiarum donis, ita & nos per bona opera, ac præclara vitæ facinora, Deum clarificemus, eumque nobis propitium reddamus. Clarificemus ergo Dominum no- (Præcipua doctrina, vita probata.) C strum per accuratam vitæ rationem, ac rerum omnium æui præsentis contemptum. Hæc enim longè optima ac præstantissima doctrina, quæ infideles ad veritatem velut manu ducere valeat. Non enim tam quid dicamus attendunt, quàm quid agamus. Quapropter aiebat Christus, Beatus qui fecerit, & docuerit; ostendens factorum (Matt.5.v.19.) doctrinam perfectiorem esse, quàm verborum: magisque illâ induci posse perfidos atque iniquos. Deo igitur placere, atque obsequi studeamus, sedulóque vitam nostram componamus, vt & sancti Spiritûs gratiam nobis conciliemus. sic enim & aduersus diaboli machinamenta inuicti erimus, & ad virtutem planè consequendam erimus D paratiores, Spiritûs sancti virtute adiuti. Vbi enim gratia animam sobrietati ac temperantiæ vacantem inuenerit, ibi affluenter sese diffundit. Quare nos paremus obsecro, vt Spiritûs sancti operatione adiuti & confirmati, præsentem hanc vitam absque mœrore transigamus, & futuris æterni gaudij bonis perfruamur, gratiâ & benignitate eius, qui redemit nos pretioso viuifici lateris sui sanguine, & ab errore & seruitute nos liberauit, Iesus Christus Dominus noster: cum quo decet honor & potestas, omnisque gloria ac magnificentia Patrem, sanctissimúmque ac viuificum Spiritum, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

E EIVSDEM, DE EODEM *Domini nostri Iesu Christi Assumptionem.*

(Ex MS. in Chalce insulâ Chalcedonis emend. ex MS. Monast. S. Lauræ in Monte Atho, apud Sauil. t. 5. Sic fortè Procli, cuius non malè characteres habet.)

EODEM Interprete.

MEcum adhuc, quod ex Cruce humano generi commodum accessit, dum reputo, mentisque trutinâ Resurrectionis vtilitatem appendo, diuinæ in cœlos receptionis inexhaustæ vi quadam imbrium simili, exceperunt diuitiæ; Dominumque ac Deum meum ascendentem video, vbi erat priùs, vt me lutum, intemerati Patris consessu augens, Pauli verba, *Consuscitauit nos, & consedere fecit in cælestibus*, (Eph.2.v.6.) opere statuat.

Quotquot

A Quotquot igitur primi Adami tunicam ac mentem posuimus, alterumque Adamum (nempe Christum) vt indueremus gratiæ munere consecuti sumus, congruum victori canticum persoluamus, quod & propensior olim Propheta personabar, *Deus, quis similis erit tibi?* Tu namque

Psal. 82. v. 2.

solus, quâ nosti ratione, te ipse ex carnis ratione exinaniens, immutabilem, omni putam labe, illæsam Deitatis substantiam seruasti. Idcirco Propheta, non dubietate timidus, sed admiratione suspensus; non vsus comparatione, sed incomparabilem præstantiam ostendens, *Deus,* aiebat, *quis similis erit tibi?* Cuncta enim ex te, ac per te condita sunt. Quæ autem condita sunt, liquet semper minora haberi eo qui condidit; quâ etiam ratione, *maiorem honorem habet is, qui construxit domum, quam ipsa domus.* Quis igitur similis erit tibi? Sol, lucis præstantiâ? At extingui quotidie video. Sic enim rerum ordo habet, vt ei ad vesperam succedat nox. Luna, quo poller decore? At quoto quoque anno moritur, velútque nascitur. Stellæ, quòd luceant? At die illucente, lucere cessant. Mare, ob æquoris immensa spatia? At exiguo secatur ligno, ac remo cæditur. Iussisti enim vt humanis vsibus inseruiret. Terra rursus sui stabilitate? At dum velis, tuoque quatitur nutu: nam & puluerem obtulit condenti hominem, tum scilicet, cùm animum insufflans limum excoxisti. Ergo

Dominus cunctis incomparabilis.

Hebr. 3. v. 3.

ἑκάστῳ δὲ ἔτει ἀποθνήσκει de deliquio fortè dicit; vt (non fit) emendare, ἑκάστῳ μηνὶ quoto quoque mense.

C cœlum tibi simile erit? Quâ verò ratione? Atqui te iubente, nubem in sublime auolantem tibi exhibuit, vt & olim Magis stellam in Bethlehem, diuina tua natalitia docentem. Angelus igitur, aut Archangelus tibi similis erit? Quonam id modo, ac ratione? Quòd Spiritus sint ministri, tuis metu obsequentes mandatis? Enimuerò Angelorum cùm meminerim, ad eum Angelum qui vitalis monumento lapidi insidens apparuit, sermone contendo. Scio enim fore vt nihil indignetur, eius scilicet minister, qui Thomæ auctor fuit, vt religiosè palparet, curiò scrutaretur; pro eo ac Deum decebat, magnum Mysterium coleret.

Matth. 28. v. 5. Ioan. 20. v. 27.

D Cedo igitur Angele, quando vnum te, quando & comministrum vnà tecum habentem diuina scribunt Euangelia; eadémque gratia, atque functio eadem, rem confirmat. Cedo, quæso, quamobrem relictis cœlorum axibus, sepulchro assistis, ac supernis contubernalis Potestatibus, in terris positas mulieres alloquens conspiceris? Dimissis Cherubim, monumento assides? A tremendo in cœlis cessans obsequio, Mariam in terris gaudio certiorem facis? Terræmotûs vi custodientes milites penè emortuos fecisti, mulierésque vim suadendi Apostolico munere erudisti? Venit Petrus, ac te ipse velut qui incorporeus esses, occultasti: venit Ioannes; at ne hic quidem te præsentem cognouit. Ambo quidem suscitati, non furto ablati

Ioan. 20. v. 12.

E cadaueris (Dei scilicet à mortuis excitati) linteamina conspexere; solis tamen mulieribus appares, ac solas non timere iubes, quanquam resurrectionis emolumentum erat omnibus commune. Num enim solas mulieres, non autem etiam viros Dominus à mortuis suscitauit? Num vt Euæ solùm salutem afferret, non verò etiam Adamo Verbum in carne venit? Cur igitur pedes capiti anteponis, mulierésque Apostolas designans, ordinem inuertis? Negauit Petrus, at Petri negatio vtilis; amarè namque flendo, quonam modo impetranda sit venia docuit. Cuncti eum reliquere discipuli; at Ioanni Theologo atque virgi-

Angelus solis visus mulieribus ac solas allocutus; eiusque rei mysteriū.

Matth. 27. v. 75. Ioan. 19. v. 27.

A Paschate.

A ni suam carne Matrem commendauit. Non temere iussus es id designare, quod nunc contuemur, sed vt Ecclesiam ex Gentibus doceres, tutiore desiderio quod ita iussum sit, tractare. Planè, ait, Paulum anteuerto, atque illius prior vocem rapio, *Non enim est personarum acceptio apud Deum. Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, aut liber; non est masculus neque fœmina: Omnes enim vos estis in Christo Iesu.* Idcirco accipe, fidelis, breuem eorum quæ quæsisti responsionem, ac quæ nosse desiderasti. Mulierem colo, eius gratiâ qui ex muliere existit: Obseruo sexum infirmiorem, ipsius causâ, qui ex illo processit, quâ ratione ip-

Rom. 2. v. 11. Gen. 3. v. 28.

B se partu effusus dispensauit. Seruus namque sum, ac morem Dominicis gero legibus. Creator mulierem elegit, quomodò voluit: ego etiam cum illâ sermonem misceo. Patrem in terrâ nullum habuit: habet enim in cœlo. Quemadmodum igitur sine patre in terrâ, sine matre in cœlo est. Matrem ex hominibus accepit. Nostri enim causâ necesse erat, generis conditorem ex muliere nasci. Is igitur *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis,* mysterij ipso exordio, non ad Ioseph, sed ad Mariam Gabrielem misit, vt tum sexui suffragaretur, vt Dominus, tum blasphemorum ora frenaret, vt præscius. Qui enim per mulierem seductos fuerat, per eam meritò vult vt conuertatur.

Psal. 103. v. 4.

Luc. 1. v. 27.

C Mortem Eua enixa est, hæcque rursum per Mariam partu vitam effudit. Tunc illa per serpentem cum diabolo sermonem habuit, nunc cum eâ habent Angeli. Lignum enim ligno Christus opposuit, ac gustus loco gustum indulsit, vt videntes quò vestri causâ se sponte demiserit, eius inclinationem confiteamini qui ad imaginem condidit; atque eum qui sic voluit, laudibus prosequamini, dicentes, tum rei huius, tum vniuersorum nomine, *Deus, quis similis erit tibi?* Largiris, nec te pœnitet: irasceris, ac pœnitentiâ duceris: vt nostra statuas, tua soluis. Dixeras Adamo, *In sudore vultus*

D *tui vesceris pane tuo;* rursúsque sententiam abrogasti, panis vitæ effectus, quo absque sudore vescamur. Dixisti pridem, *Terra es, & in terram reuerteris:* nunc verò & in terram reuertentem in humeros sublatum in cœlesti solio collocasti, Mariæ nuntio quod esset futurum discipulis tuis declarans, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; & Deum meum, & Deum vestrum.* Dixeras Euæ, *In doloribus paries filios tuos;* at partu ex muliere editus longæui temporis opportunè ditas obscurasti. Dixeras serpenti, *Ipse seruabit caput tuum, & tu calcaneum eius seruabis;* at pedes nostros abluisti in baptismo; nec, qui Dominicam in seruorum

Gen. 3. v. 19. Ioan. 6. v. 35 & 43.

Gen. 3. v. 19.

Ioan. 20. v. 17.

Gen. 3. v. 16.

E pedibus collucentem manum reuereatur, ampliùs accedit. O quàm nullum diabolo fugæ locum relinquit, qui in cœlis, in terrâ, ac vbique gratiæ dispensatione præsens sit! Hic Deus noster, *Omnia quæcunque voluit, in cœlo & in terrâ fecit.*

Psal. 134. v. 6.

At quænam præsentis solennitatis iucunda, decénsque nouitas? eiusmodi scilicet, vt nec lingua facile explicare, nec mens assequi possit. Repente enim dum discipulos docet, atque ad luctam monitis durat, ancillæ instar nubes Christi vestigia subiens, haud mari dissimilis quod antè siccis plantis gestauerat, nullo tremore, nullâ turbatione assumptum Dominum, qui velut im-

Act. 1. v. 9. Matth. 14. v. 26.

Psal. 71. v. 6.

ἀνθὸν non ἐλαιῶν: quod Codex repræsentat. olearum arbores florent, ficus grossos protulerunt, mouenturque zephyro densissimæ segetes, vt vndantis tergora maris imitantes sinuosâ spicâ demulceant. Cuncta nobiscum Dominicâ in cœlos receptione tripudiant. Age igitur, ego quoque Dauidis vobis verba pulsabo, quæ is modò eius receptionis triumpho clamabat, *Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* Ascendit Dominus, in voce exultationis, vbi erat. Assumptus est, vnde non recesserat. *Qui enim descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cœlos.* Non alius est qui Prophetis apparuit, atque alius qui cum Apostolis versatus est. Non alius qui est in sinu Patris, atque alius qui Pilato Præside iudicatur. Non alius qui in cruce clauis confixus est, atque alius qui super Cherubim, iisque vectus, sedet. Non alius qui à Iosepho inuoluitur sindone, atque alius qui creaturam palmo complectitur. Non alius qui in monumento deponitur, atque alius qui à Seraphim laudatur: sed idem ipse Patris coessu gaudet, qui in vtero Virginis sine semine natus est. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ*; qui nimirum condidit sæcula, qui ex nihilo cuncta produxit, qui Adamum formauit, qui humanum genus edidit; qui Enochum, cùm placuisset, in vitæ regionem transtulit; qui Noëmum in orbis interitu seruauit; qui Patriarcham Abrahamum è terrâ Chaldæorum vocauit; qui in Isaac crucis mysterium figurauit; qui duodecim germinum propaginem Iacobo concessit; qui Iobo patientiam præbuit; qui Moysen populi ducem constituit; qui ex vtero Samuelem prophetiâ impleuit; qui Dauidem, ex ouium pastore in Regem elegit; qui Salomonem sapientiâ donauit; qui Eliam in commotione igneo curru assumpsit; qui Prophetas futurorum præscientiâ afflauit; qui Apostolis donum curationum tribuit; qui ad eos clamauit, *Confidite, ego vici mundum*; hic est Dominus gloriæ, qui assumptus est in cœlum in iubilo, & sedet ad dexteram Patris. Subiectis verò illi Angelis, & Potestatibus, ac Virtutibus ipse instantes preces nostras suscipiat, atque à mundi tentationibus victores efficiat, omnéque nobis immundorum spirituum agmen subiiciat, sic nos affatus, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones.* Innoxios igitur & immaculatos, sanósque & integros nos animâ, & corpore, ac spiritu, repletos iustitiæ fructibus ac beneficentiæ, vniuersorum Deus custodiat, cui nos dignanter congregare placuit, ac salutatem diem festum celebrare. Quoniam ipsum decet omnis gloria, honor, adoratio, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 46. v. 1.

Eph. 4. v. 10

παρελθὼν τῇ ἐκπυρώσει Non bene Voss. cum vniuerso terrarum orbe.

Ioan. 16. v. 33.

Luc. 10. v. 19.

SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI Hipponensis, in festo Ascensionis Domini.

HOMILIA I.

Serm. 174. de temp. vbi tamen media circiter pars desideratur. De diuersis 9. ex quo supplevi.

GLorificatio Domini nostri Iesu Christi resurgendo, & ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebrauimus: Ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies vterque. Ideo enim resurrexit, vt nobis exemplum resurrectionis ostenderet. Et ideo ascendit, vt nos desuper protegeret. Habemus ergo Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum priùs pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Pretium nostrum dedit, cùm penderet in ligno: collegit quod emit, cùm esset in cœlo. Cùm enim omnes collegerit quos vtique per tempora colliget, in fine temporis veniet, & quomodò scriptum est, *Deus manifestus veniet*: non quemadmodum primitùs venit occultus, sed sicut dictum est, manifestus: Occultum enim oportebat eum venire, vt iudicaretur, manifestus autem veniet, vt iudicet. Si enim priùs manifestus venisset, iudicare manifestum quis auderet? Quandoquidem dicit Apostolus Paulus, *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exultauit enim diabolus quando hominem primum seducendo deiecit in mortem. Seducendo primum hominem occidit, occidendo nouissimum primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria Domini nostri Iesu Christi cum resurrexit, & ascendit in cœlum, & impletum est quod audistis cùm Apocalypsis legeretur, *Vicit leo de tribu Iuda.* Ipse leo dictus est, ipse agnus occisus est. Leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam. Leo quia inuictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte suâ vicit leonem, *qui circuit quærens quem deuoret.* Dictus est enim diabolus leo, feritate, non virtute. Apostolus quippe ait Petrus, Vigilare vos oportet aduersus tentationes, *quia aduersarius*, inquit, *vester diabolus circuit quærens quem deuoret.* Sed quomodò circuit, dixit, *Sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Quis non incurreret in dentes leonis huius, nisi vicisset leo de tribu Iuda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultauit diabolus quando mortuus est Christus, & ipsâ morte Christi est diabolus victus: tanquam in muscipulâ escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus morti. A quo gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula diaboli crux domini: esca quâ caperetur, mors Domini. Et ecce surrexit Dominus noster Iesus Christus: Vbi est mors quæ pependit in ligno? Vbi est insultatio Iudæorum? Vbi est typhus & superbia, caput ante crucem agitantium, & dicentium, *Si Filius est, descendat de cruce!* Ecce plus fecit, quàm illi insultando exigebant. Plus enim est de sepulchro resurgere, quàm de ligno descendere.

Aduentus secundus manifestus, vt qui fit ad iudicandum. Psal. 49. v. 3.

1. Cor. 2. v. 8.

Victus diabolus suo trophæo.

Apoc. 5. v. 5. Christus leo & agnus. Diabolus, ipse leo.

1. Pet. 5. v. 8.

Captus diabolus tanquam in muscipulâ morte Domini.

Matth 27. v. 40.

Iam verò quanta gloria est quòd ascendit in cœlum? quòd sedet ad dexteram Patris? sed oculis non videmus, quia nec pendentem in ligno vidimus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie enim sicut audistis, fratres, Dominus Iesus Christus ascendit in cœlum, ascendat cum illo & cor nostrum. Audiamus Apostolum dicentem, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis: sic & nos cum illo ibi iam sumus, quamuis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Ille iam exaltatus est super cœlos. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta & angelica cœlestis habitatio, quia dixit, *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*: sed hoc dictum est propter vnitatem, quia caput no-

Col. 3. v. 1.

Ioan. 3. v. 13.

A Paschate.

strum est, & nos corpus eius. Cùm ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descendit, non nobis inuidet cœlum, sed quodammodo clamat, Mea membra estote, si ascendere vultis in cœlum. In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facilè corpus leuabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum.

Reliqua ex Serm. 90. de diuersis. Nam & illud nonnullos (calumniantibus hæreticis) monet, quemadmodum Dominus sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit, B velut contrarium sit illis verbis, quibus ait, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit:* Ioan. 13. v. 13. corpus ergo, inquiunt, quod non descendit de cœlo, quomodò potuit ascendere in cœlum? Quasi ille dixerit, nihil ascendit in cœlum, nisi quod de cœlo descendit; sed ait, *Nemo ascendit, nisi qui descendit.* Hoc enim ad personam, non ad personæ habitum retulit. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento. Nemo tamen nisi qui descendit, ascendit. Nam si Christus cum corpore suo vna persona. nos sibimet tanquam sua membra ita coaptauit, vt etiam nobis coniunctis idem ipse sit, quantò magis illud corpus, quod de Virgine assumpsit, aliam non potest in illo habere personam? Quis C enim vel in môtem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum, dicit non eundem quidescendérit ascendisse, si cùm descendisset exutus, ascendat indutus; aut cùm descendisset inermis, ascendat armatus? Quemadmodum ergo de hoc dicitur, Nemo ascendit nisi qui descendit, quamuis cum eâ re cum quâ non descendit, ascenderit; sic nemo in cœlum nisi Christus ascendit, quia de cœlo nisi Christus nemo descendit, quamuis sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit, ascensuris & nobis non virtute nostrâ, sed nostrâ & illius vnitate. *Duo quippe sunt in carne* Matth. 19. v. 5. *vnâ.* Sacramentum magnum est in Christo & in D Ephes. 5. v. 31. Ecclesiâ. Vnde & ipse dicit, *Igitur iam non sunt duo, sed vna caro.* Et ideo ieiunauit cùm tentaretur ante mortem cibo adhuc indigens; manducauit autem & bibit cùm glorificaretur post resurrectionem iam cibo non indigens. Illic enim ostendebat in se nostrum laborem; hic autem nostram consolationem, quadraginta diebus vtrunque definiens. Christi ieiunium & manducatio, ante & post resurrectionem. Nam quadraginta diebus ieiunauit cùm tentaretur in eremo, sicut scriptum est in Euangelio, ante mortem carnis suæ; & rursum quadraginta diebus cum discipulis suis (sicut Petrus in Actibus Apostolorum loquitur) Act. 10. v. 41. *intrans & exiens, manducans & bibens* post reE surrectionem carnis suæ. Quo numero quadragesimo huius sæculi significari videtur excursus in his qui vocantur ad gratiam, per eum, qui non Matth. 5. v. 7. venit legem soluere, sed adimplere. Decem namque sunt præcepta legis. Iam gratia Christi diffusa per mundum, & quadripartitus mundus; & decem quadripartita quadraginta faciunt. Psal. 106. v. 2. Quoniam qui redempti sunt à Domino, congregauit eos ab Oriente & Occidente & Aquilone & Mari.

Ieiunans itaque quadraginta diebus ante mortem carnis velut clamabat, *Abstinete vos à desiderijs huius sæculi:* 1. Petr. 2. v. 11. manducans autem & bibens quadraginta diebus post resurrectionem carnis velut clamabat, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. v. 20. Ieiunium quippe est in tri-

A bulatione certaminis, quoniam qui in agone contendit ab omnibus abstinens est: 1. Cor. 9. v. 25. cibus autem in spe pacis, quæ perfecta non erit, nisi cùm corpus nostrum, cuius expectamus redemptionem, induerit immortalitatem. Quod nondum adipiscendo gloriamur, sed sperando iam pascimur. Vtrunque Apostolus simul te agere ostendit, dicens, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes;* Rom. 12. v. 12. tanquam illud esset in cibo, hoc in ieiunio. Simul enim cùm viam Domini carpimus, & à vanitate præsentis sæculi ieiunemus, vt futuri promissione reficiamur, hîc non apponentes cor, illic pascentes sursum cor.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMILIA II.

SAluator noster, dilectissimi fratres, ascendit in cœlum: non ergo turbemur in terrâ. Serm. 175. de temp. Dubitant Louan. Ibi sit mens, & hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde: cùm dies eius promissus aduenerit, sequemur & corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria: nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia vel Peccata nostrum cum Christo impediunt ascensum. C peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt, & ideo cum Dei adiutorio, secundum quod ait Psalmista, *Dirumpamus vincula eorū:* Psal. 2. v. 3. vt securi possimus dicere Domino, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiā laudis.* Psal. 115. v. 17.

Resurrectio Domini spes nostra est, ascensio Domini glorificatio nostra est. Ascensionis hodie solennia celebramus. Si ergo rectè, si fideliter, si deuotè, si sanctè, si piè ascensionem Domini celebramus, ascēdamus cum illo, & sursum corda habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de proprijs meritis præsumamus. Sursum corda ad Dominum, non superbia, sed refugium. Sumptum hoc ex August. Serm. 11. de diuers. c. 1. D Sursum autem corda habere debemus ad Dominum. Sursum enim cor ad Dominum, non superbia vocatur. Sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Vidéte fratres, magnum miraculum. Altus est Deus, erigis te, & fugit à te. Humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? *Quia excelsus est, & humilia respicit: & alta de longè cognoscit.* Humilibus accedit Deus; lōgè fit à superbis. Psal. 137. v. 6. Humilia de proximo respicit, vt attollat: alta, id est, superba de longè cognoscit, vt deprimat. Resurrexit enim Christus, vt spem nobis daret, quia surgit homo qui moritur: ne moriendo desperaremus, & vitam nostram in morte finitam putaremus, securos nos fecit. Soliciti enim eramus de ipsâ animâ, & ille nobis resurgendo de carnis resurrectione fiduciam dedit.

Crede ergo, vt munderis. Prius te oportet credere, vt postea per fidem Deum merearis aspicere. Mundandū corde, vt Deum videre possimus. Deum enim videre vis: audi ipsum, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. v. 8. Prius ergo cogita de corde mūdando: quicquid ibi vides quod displicet Deo, tolle. Venire ad te vult Deus: audi ipsum dicentem, *Ego, & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. v. 23. Ecce quid promittit Deus. Si ego qualiscunque fragilis homo venturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua Dri aduentus in animam. proijceres, quæ erant necessaria præparares. Deus ad cor tuum venire vult, & piger es ei domum mundare? Omnia vitia inimica sunt Deo, & ideo ipso auxiliante proijce illa, si vis excipere

Deū. Non enim amat Deus habitare cum anaritiâ immundâ, sordidâ, & insatiabili, cui infideles homines seruire volunt, & Deum videre cupiunt. Et tu ergo munda cor tuum. Si potes id age, id operare, vt Christus mundet vbi maneat: Roga, supplica, humiliare: audi Scripturam dicentem, *Deus superbis resistit*. Esto humilis, vt in te requiescat Deus. Idem ipse Christus tibi est via & patria. Secundum hominem via, secundum Deum patria. Si fideliter curris, per ipsum vadis, & ad ipsum peruenies. Etenim tibi æterna via assumpsit quod non erat, non amisit quod erat. Ipsius ergo misericordiam deprecemur, vt nobis fidem rectam & intellectum sibi placitum ad exercenda opera bona concedat. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit, & regnat per omnia &c.

Iacob. 4. v. 6. 1. Pet. 5. v. 5.

Christus via & patria.

EIVSDEM IN EODEM FESTO,

HOMIL. III.

Sermo 176. de temp. inter Euseb. 2. in hoc festū in appen. est 58. Apud Euseb. multis vitiosior, eóque maluimus hic excribere.

OMnia, charissimi, quæ Dominus Iesus Christus in hoc mundo sub fragilitate nostrâ miracula edidit, nobis proficiunt: qui dum humanam conditionem sydetibus importauit, credentibus cœlum patere posse monstrauit: & dum victorem mortis in cœlestia eleuauit, victoribus, quò sequantur, ostendit. Ascensio ergo Domini, C catholicæ fidei confirmatio fuit; vt securi in posterum crederemus miraculi illius donum, cuius iam in præsenti percepissemus effectum: & fidelis quisque cùm iam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa; ac Dei sui præteritam præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. Super excelsa ergo cœli terrenum corpus imponitur, ossa intra sepulchri angustias paulò antè conclusa Angelorum cœtibus inferuntur, in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur. Et ideo sacra Apostolicæ lectionis testatur historia, *Cùm hæc dixisset*, inquit, *videntibus illis eleuatus est*. Dum audis eleuatum, agnosce militiæ D cœlestis obsequium. Vnde hodierna festiuitas, hominis nobis & Dei sacramenta manifestauit. Sub vnâ eademque personâ, in eo qui eleuat, diuinam potentiam: in eo autem qui eleuatur, humanam cognosce substantiam. Ideóque omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impiâ nouitate præsumit asserere Filium Dei ac filium hominis vnius esse naturæ. In alterutrâ enim parte vel qui solùm hominem fuisse dixerit, negabit conditoris gloriam: vel qui solùm Deum, negabit misericordiam Redemptoris. Quo genere non facilè Arrianus Euangelicam poterit habere veritatem, vbi Filium Dei nunc æqua- E lem legimus, nunc minorem. Qui enim vnius naturæ Saluatorem nostrum mortiferâ persuasione crediderit, solùm hominem aut solùm Deum cogetur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus scorire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo nouerimus in Christo duplicem, geminámque substantiam. De Patre cœlestem, de matre terrenam, Quam vtramque in vno eodemque Redemptore, suis promptum est testimoniis explicare.

Ascensio Dominica.

Act. 1. v. 9.

Innuit Eutycheetis hæresim, qui errores cœpit docere post mortē S. Augustini: non malè autē cadunt hæc in Hilarium Arelat. cuius nomine ediderat prior collector homil. à Gaineo editas Eusebii Emisseni nomine; quo & ipsi edimus, homine palā Latino & Gallo.

Quasi homo dicebat, *Quia Pater maior me est*: sed idem quasi Deus pronuntiabat, *Ego & Pater vnum sumus*. Quasi homo dicebat, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: sed quasi Deus fi-

Ioan. 14. v. 28. Ioan. 10. v. 30. Matth. 26. v. 38.

A Paschate.

A ducialiter loquebatur, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quasi homo in cruce pendebat, sed quasi Deus regnum cœleste donabat. Arriani autem confusâ mente distinctas substantias penitus non videntes, quæ erant hominis ad Deum impiè retulerunt, credentes quòd minor loqueretur diuinitas, vbi iuncta Deo hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam itaque facientes inter cœlestia & terrena rationem, dum inter Deum & hominem distinguere nesciunt, Dei substantiam diuiserunt: & dum ad sola hominis verba respiciunt, Deum sine intellectus lumine perdiderunt. B Nos verò, vt præfati sumus, Dei & hominis duplicem substantiam, sed simplicem nouerimus esse personam. Ille etiam error valde refugiendus est, qui impiè asserit, quòd beata Maria solùm Deum peperit, eo quòd sibi Saluator noster cœlestem nescio quam carnem intra viscera materna perfecerit, & ita transierit per Virginis vterum, quasi per corpus alienum. Sed cùm dicat per Prophetam sermo diuinus, *De torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput*: si non est corpus nostrum, quomodò est caput nostrum? Et cùm alio loco Propheta commemorat, *Paruulus natus est nobis*: Non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis. Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit.

Ioan. 10. v. 18. Luc. 23. v. 43.

Arianismi radix, dum tribuuntur Deo quæ sunt hominis.

Valentini & Apollinaris hæresis.

Psal. 109. v. 7.

Isai 9. v. 6.

C Proinde, charissimi, si non in nostrâ carne diabolum triumphauit, se exercuit, non nobis vicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgendo nihil contulit. Hæc qui dicit, susceptæ & assumptæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, euacuat vtilitatem: Si non in nostrâ carne peregit medicinam, solam ergo ex homine nascendi elegit iniuriam. Recedat à sensibus nostris tam periculosa persuasio. De nostro est quod appendit, de suo est quod donauit. Meum testor esse quod cecidit, vt meum sit quod ascendit in cœlum. In illo itaque nostræ originis corpore cœlestibus regnis arrham nostræ conditionis imposuit.

D Elaboremus ergo, charissimi, vt quemadmodum Dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos post illum quomodò possumus, spe ascendamus, & corde sequamur. Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post illum, & iam per vitia ac passiones nostras, si vtique vnusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere. Eleuabunt nos si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum Filio Virginis libido atque malitia. Non, inquam, ascendunt vitia E post virtutum parentem, peccata post iustum, nec infirmitates ac morbi possunt ire post medicum. Igitur si intrare ipsius medici regnum volumus, priùs vulnera nostra curemus. Ordinemus & custodiamus in nobis statum vtriusque substantiæ, ne animam nobiliorem vtique hominis portionem tartaro pars deuoluat inferior, sed secum potiùs cœlo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior, ipso adiuuante, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

Moralis exhortatio.

Vitia & affectus si subdita sint, scala fiunt.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMILIA IV.

Serm. 77. de temp. Dubitant Louan. nec habet venam & acumen Augustini.

ASCensionis Domini nostri Iesu Christi sanctus & solennis dies hodie illuxit, exultemus & iocundemur in eo. Christus descendit, inferiora patuerunt. Christus ascendit, superiora claruerunt. Christus in sepulchro, mentiantur custodes. Christus in inferno, visitentur quiescentes. Christus in cœlo, credant omnes gentes. Ipse ergo debet esse auctor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo aliquid loquamur vobis, nisi de illo qui modò ex Euangelio loquebatur omnibus nobis. Ascensurus enim ad Patrem, dicebat discipulis suis. *Hæc* B (Ioan. 14. v. 25.) *locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & commonebit vos omnia, quæcunque dixi. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia dixi vobis,* [*Vado, & venio ad vos. Si diligeritis me gauderitis vtique quia*] *vado ad Patrem meum, quia Pater maior me est.* Ascensurum enim se dixit ad Patrem, & constristati sunt discipuli, quòd eos corporali formâ desereret, & ait illis. Quia dixi vobis, Vado ad Patrem, tristitia impleuit cor vestrum? *Si diligeritis me, gauderitis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater* C *maior me est*: hoc est, ac si diceret, Ideo subtraho vestris oculis istam serui formam, in quâ Pater maior me est, vt ab oculis carnis serui formâ remotâ Dominum spiritaliter videre possitis. Ergo & propter veram formam serui, quam susceperat, verum dixit, *Pater maior me est*, quia vtique homine maior est Deus; & propter veram formam Dei in quâ permanet cum Patre, verum dixit, *Ego & Pater vnum sumus.* (Ioan. 10. v. 30.)

Ascendit ergo ad Patrem per id quod homo erat: sed mansit in Patre per id quod Deus erat, quia in carne ad nos processit. Ascendit, inquam, ad Patrem Verbum quod caro factum est, vt habitaret in nobis, & suam præsentiam repromisit (Ioan. 1. v. 14.) dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* D *vsque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28. v. 20.) Secundum formam Dei, dicit de illo Ioannes Apostolus, *Ipse est verus Deus, & vita æterna.* (1. Ioan. 5. v. 20.) Secundum serui formam dicit de illo Apostolus Paulus, *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* (Phil. 2. v. 6.) Secundum formam Dei ipse de se loquitur, *Ego & Pater vnum sumus*: (Ioan. 10. v. 30.) secundum formam serui dicit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* (Matth. 26. v. 38.) Vnde illa fiducia, vnde ista formido? Illa vtique vox ex proprietate substantiæ, ista vero ex participatione infirmitatis assumptæ. Hæc ergo, charissimi, pru- E denter intelligentes de Scripturis sanctis, dum legimus discernamus: sed dum discernimus ne fortasse erremus, intellectum ab ipso Domino postulemus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Sermo 178. de temp. Dubitant Louan. stylus Fulgentij stylo similior.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMIL. V.

ASCensionis ergo Dominicæ inclytum & regale mysterium, quòd Christus terram le- (Psal. 112. v. 7.)

A uauit ad cœlum, canit etiam totus mundus, & festis agit gaudiis triumphos Domini sui: quia erexit à terrâ inopem, & de stercore exaltauit pauperem, eúmque leuauit ad Patrem. Quis igitur illuc potest ascendere, & aëreos dæmones transire, nisi ille solus qui peccatum non potuit habere? Crux ergo illa non obfuit, sed profuit: Crucis victoria, ac fructus. quia & nobis Christus vicit, & ille in eâ superari non potuit. Non sepulchra, non inferi victricem domuere carnem: expendit Deus pro homine quod decreuerat, & rapuit quem volebat. Vident hoc præsentes Apostoli, & paulatim semetipsum ad superna tollentem, pectore pauidi, mente confusi, oculis trepidi consequuntur, donec vltrò solutam nubem serena dies exciperet, & fulgore corusco vallatum humanis conspecti- B bus occultaret. Cùm ergo eum discipuli tanto lumine perculsi non viderent, & curiosos oculos iubar rubidum coruscis ictibus euitaret, confestim ex victoribus Angeli directi duo, metu & dolore prostratos Apostolos verbis talibus consolantur, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in* Act. 1. v. 11 *cœlum? Iste Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Sic veniet*, inquiunt, manifestus, quemadmodum nunc extollitur super astra præclarus: & poli secreta suscipiunt, quem refundant. Sanctificatur diuino comitatu immensus aër, & omnis illa volitans turba per au- Christi ascendentis triumphus. C ras Christo ascendente transtringit, pauet omne cœlum, mutantur astra, concurrit confestim fulmineus ille militiæ cœlestis exercitus. Vident Regem suum viuæ carnis manubias reportare, atque hoste debellato hominem in superna conscendere: agnoscunt in cicatricibus signa bellorum, adorant in carne vulnera iam sanata, vbi nihil peccati macula extinxerat, nec quippiam suâ virulentiâ grauidus ille veneni draco vomuerat. Serpens enim vestigium in petrâ non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur. Ecce confestim splendidus ille senatus cœlestibus ex regnis soluitur. Namq; in imis poli læta carminibus regia ampla Dei reseratur, vndique syderei repagula D cœli, atque astriferi orbis arcana solutâ penitus compage patescunt. Recessit in geminam arcem diuisus aër, & lati ardua cœli latera concisis marginibus dependerunt. Fit vnus ibi sine cœlo dies, & claris titubat fulgoribus, & tunc alternis inter se ita resonant obsequia læta carminibus, *Tollite* Psal. 23. v. 7. *portes principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Ascendebat enim cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque E lætantes. *Quis est*, inquiunt, *iste Rex gloriæ?* Et aiût, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Hic est ille candidus & roseus compunctus à multitudine. Hic est ille qui non habuit speciem neque Isai. 53. decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio, vilis in corpusculo, armatus in prælio, fœdus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex virgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Quando id quispiam, fratres, nosset, vt Deus lateret in carne, maiestas habitaret in corpore: & ita in mundo gereret prælium, vt ipsum corpus post sepulchra mox leuaret ad cœlũ? Recepit igitur se intra velamina diuina

eum carne maiestas, didicit cœlum portare ho- A
minem, atque sub pedibus Christi famulantia
æthera iacuerunt. Ecce iam porta patet, quam
clauserat Adam: claustrum quod cœlo iniquitas
infixerat, ruptum est. Si quis se ad Christum
tenuerit, & vnius substantiæ Patrem & Filium
& Spiritum sanctum confessus fuerit, cœli ianuas
per ipsum securus intrabit: Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMIL. VI.

Serm. 179. de temp. Dubitant Louan. est inter nouos Fulgentij serm. 48. QVantis ornatibus gaudiorum refulsit ho- B
die aula cœlorum? Angeli enim vota sua
sperata diutiùs receperunt, & hymnum dixe-
runt. In alleuatione portarum lux in cœlis,
splendor in ianuis, quia Christus rursum ascen-
dit, procedens de thalamo suo, ascensurus in
Psal. 18. v. 6. throno suo. Vnde sanctus Dauid posuit orga-
Psal. 95. & 97. num suum in foribus cœlorum, cantans canti-
Eph. 4. v. 10. cum nouum. Quoniam *qui descendit, ipse est*
qui ascendit super omnes cœlos. Lænoribus ergo
fistulis organum tangens resultat, & dicit pro-
rophetum æterni Consulis cernens, non auro
gemmisque decorum, sed nobium glacie candi-
Psal. 103. v. 3. datum. *Qui ponit*, inquit, *nubem ascensum*
suum, qui ambulat super pennas ventorum. Iam C
Psal. 90. v. 13. enim super aspidem, & basiliscum ambulauit,
& conculcauit leonem, & draconem: pede mor-
Ascensionis triumphus. tis, plauso resurrectionis. Mirabilis in oculis no-
stris clarificatus coruscat ascensionis virtutibus,
sedens super nubem leuem, compluens Aposto-
los pacis hæreditate, & testamentariâ charitate:
Ioan. 14. v. 27. *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo*
vobis. Ad hanc melodiam sonantium organo-
rum ante aulam regiam cœlorum inuitati se-
quuntur Apostoli, benedictionis gratiam peti-
turi: gradiuntur cum Domino filii sponsi, pi-
gnus accepturi Spiritus sancti.

Benedictio Apostolorũ. Leuans autem manus suas benedixit eos, de-
dit eis arrham sponsalem muneris pretiosam, non
ex auro gemmisque distinctam, sed charitatis an- D
sulis contextam catenam, quâ alligati sequantur
eum ad sponsam agni Hierusalem patriam sem-
piternam. Domine, inquiunt, quare nos dere-
linquis ascendens, qui nos elegisti in ripâ præce-
Verba piè querula ad Christum. dens? Domine, quando sumus verba tua super
mel & fauum eminus percepturi, & stillantis ro-
ranúsque gratiæ balsamum de tuis labiis ac fau-
cibus libaturi? Aut instrue quò ascendis, aut ne
deseras cùm ascendis: quasi scuto benignitatis
tuæ remansimus in aperto nudati, tanquam pu-
pilli matris amplectentis pennatæ velamine de-
stituti. Quando venies ad nos, qui redemisti
nos? Mors tua fuit pretium nostrum, sit ascen-
sus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mœ-
rore mergamur, quos eleuasti de gemitibus in- E
ferorum.

Ascendens ergo Dominus alumnorum suorum
tristitiam de nube excelsâ suspiciens, emittit con-
solatores mœroris nuntios ascendentis, & indi-
Act. 1. v. 11. ces reuertentis. *Viri*, inquiunt, *Galilæi, quid*
statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assum-
Consolatio pro profectione. *ptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmo-*
dum vidistis eum euntem in cœlum. Sic veniet.
Vna erit euectio, vna lætitia nubifera, vna spe-
Idem in iudicio, & iustis mansuetus, & peccatoribus terribilis. cies mansueta: sed iustis clarifica, & peccatori-
bus metuenda. Non vos terrebit aduentus, quos
consolatur eius ascensus. *Sic veniet*, clauorum

vulnera illæsa demonstrans, & foraminum A
cruenta monilia. Vobis filijs sponsi cùm coro-
nam cœlestis exhibebit imperij, crucem; vulne-
ra non mutabit, quia signum Filij hominis in
cœlo fulgebit.

Accepto ergo Apostoli ascendentis mandato, Præparatio ad Spiritum sanctum.
desuper venturo sancti Spiritus pignore pretioso,
in templo erant vnanimes collaudantes Domi- *Luc. 24. v. 53.*
num, vt vna eos inueniret corona ignea aduen-
tantium gratiarum. In templo ergo, fratres, sem-
per vnanimes demoremur, & in domo Do-
mini ambulantes cum concordiâ, pacis eius spe-
remus aduentum, & in templo eius omnes di- *Psal. 28. v. 9.*
B camus gloriam, vt etiam ignis gratiæ insidat su-
per nos: Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMIL. VII.

DElectat aspicere Christum Dominum por- Serm. 180. de temp. Dubitant Louan. inter Fulgen. nouos ser. est 49.
tatorijs nubibus ascendentem, cùm resur-
gens à mortuis reuerti cœpit ad cœlum, vnde
venerat saluare genus humanum. Qui sunt qui
expectant ascendentem? qui viderunt resurgen-
tem, fugerunt pendentem, & sequuntur oculis
ascendentem. Timor in cruce, amor in nube: Ascensionis triumphus.
C visus delectabilis in aëre. O dulcis descenden- *Luc. 24. v. 50.*
tis affectus! ô delectabilis euolantis aspectus! Fa-
cit vale, & benedicit in pace. Illi se commen-
dant, & ille benedictionis gratiam relinquit.
Benedicit eos extensis manibus, & præparatis
in occursum imponitur nubibus. Finit eloquium,
& iam repetit cœlum. Candida enim subitò ap-
paruit nubes, euectio parata in cœlo. Apparuit
nubes, intrauit in eam, *qui educit nubes ab ex-* *Psal. 134. v. 7.*
tremo terræ, vt oblectaret oculos eorum nubis
amœnitas, & irroraret eos ascendentis de cœlo
suauitas, ne sola desiderantium inanis remaneret
anxietas. Ecce in clypeo Actuum Apostolorum
pendentium viuunt picta lumina piscatorum.
Adest consolator, qui ascendit Saluator. Mittit
D continuè duos cœlestes prætores, vt alumnos
suos securos redderet, metuentes, & in gaudium
conuerteret lacrymantes. Oportebat enim cœ- Missi Angeli ad consolandum discipulos.
lestes mitti consolatores, ne remanerent trepidi
piscatores. Nam & cùm Imperator de vrbe tran-
sit ad vrbem, & eius nuntiatur aduentus, non
mittuntur nisi domestici prætores, ac Palatini, Simile.
vt nuntient prouincialibus quando est Regis ad-
uentus, aut reditus: ita & Domino ascendente,
prætorum cœlestium turba resplenduit decan-
tantium, vt tanquam prouincialium respirare fa-
cerent à timore corda pastorum. Quando etiam
patitur, ac resurgit, domestici Angeli destinan-
tur, vt à nube, ac prætorio monumenti resurre-
xisse nuntiarent Dominum. Et nunc cùm ascen-
E dit, de choro præcedentium Potestatum, de mul-
titudine cantantium in aëre castrorum, duo pala-
tini cœlestis imperij diriguntur, & vt flebilia re-
quiescerent lumina piscatorum, hymnum cœle-
stem recitant: Piscatores *viri*, inquiunt, *Gali-* *Act. 1. v. 11.*
læi, quid aspicitis in Iesum euntem in cœlum? sic
veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in
cœlum. Profectus est desiderabilis, non veniet Venturus Dominus qualis ascēdit; iustis benignus, malis terribilis.
vobis terribilis: Nubes in occursu, nubes in re-
ditu. Vulnera portauit, ipsa iterum reportabit.
Crucem retulit cum triumpho, signum Filij ho-
minis vobis parebit in cœlo. Sic veniet, in ipso
corpore, in ipsâ nube, in ipsâ veritate: vobis in

amore, impijs in tremore. Beati quibus verè dicitur, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit tremendi iudicij, descensus Angelorum, resurrectio mortuorum. Accedent Angeli, & quodam digito tubæ sonantis tangent sepulchra terræ trementis, vt pignora restituant throno igneo iudicantis. Accedent Angeli ad sepulchra Prophetarum, & ipsorum Apostolorum, omniumque Sanctorum, & dicent eis, Ecce est, qui sic iterum redit, quomodò ascendit. Non diximus, quia sic veniet, quomodò eum vidistis euntem in cœlum? Qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. Ista allocutio non est linguarum septuaginta: sed parantur nubes carrucæ pluuiales, vt occurrant io tore, & refrigerosâ amœnitate ı qui conscientiæ non timent quæstionem. Petamus ergo à Domino Deo nostro, vt sicut hodie Ascensionis celebramus tempus, & diem: ita reuertentis mereamur matutinam suscipere pietatem, vt dicamus ei, *Manè adorabo Domine, manè astabo tibi, & contemplabor te.*

Resurrectio mortuorum per Angelos, & vocem tubæ.

Psal. 5. v. 4.

EIVSDEM IN IDEM *Euangelium.*

HOMILIA VIII.

AVdistis quid dixerit Dominus discipulis suis post resurrectionem. Misit eos ad Euangelium prædicandum, & factum est. Prædicatum est Euangelium, peruenit ad nos. Et ecce, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ambulando & ambulando, Euangelium peruenit ad nos, & ad fines terræ. Breuiter constituit nobis, loquens discipulis suis, quid faciamus, quid speremus. Ait enim sicut audistis quando loquebatur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Exigitur à nobis fides, offertur salus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Pretiosum est quod promittitur nobis: gratis fit quod iubetur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quid enim? Qui hæc audiebant, salui non erant? Nónne multi salui credunt, salui fiunt & antequam credant? Salui planè: sed *vana salus hominum.* Qualis est ista salus, quæ tibi cum iumento tuo communis est? Veruntamen etiam ipsa vnde nisi ab illo de quo scriptum est, *Homines & iumenta saluos facies Domine.* Et addidit, *Secundum multitudinem misericordiæ tuæ, Deus.* Tanta est enim multitudo misericordiæ tuæ, vt veniat à te salus in istam carnem mortalem hominum, veniat & ad carnem pecorum. Hæc est multitudo misericordiæ tuæ. Filijs tuis quid? Ecce homines & iumenta saluos facies Domine. Nihil nobis ampliùs? Quod hominibus quibuscunque, quod pecoribus, hoc præstatur & nobis? Non planè hoc.

Ser. 5. lib. 17. Homil. & de diuer. 86. Habitus die sancto Paschæ, citat & Beda Rom. 8. ex sermone de resurrectione Christi. Libuit tamen hoc loco retinere ex antiquo collectore, quòd dictus sit de Euangelio quod legitur hodie vsu Romano.

Cap. 1.

Psal. 18 v. 5.

Mar. 16. v. 16.

Al. fit.

Psal. 107. v. 13.

Psal. 35. v. 7.

Salus communis etiã iumentis.

Cap. 2.

Sed quid? Audi, *Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Christus est fons vitæ. Habebamus salutem cum iumentis, quousque veniret ad nos fons vitæ; fons vitæ venit ad nos, & fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogauit mortem suam? Ipsa est salus quæ non est vana.

Hominum iustorũ salus peculiaris.

Christus fons vitæ.

A na. Quare? Quia non transit. Benè animaduertenda ista distinctio, *Homines, & iumenta saluos facies Domine. Homines*, pertinentes ad hominem: *filij autem hominum*, pertinentes ad Filium hominis, *sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Constituite vobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, euigilet cor vestrum: recordamini hominem, in quo decepti sumus: recordamini hominem, à quo redempti sumus. Ille homo nunquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo Dominus Christus assiduè se dicit Filium hominis, vt faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis. Vt recordemur in illo mortem, in isto vitam. In illo peccatum, in isto remissionem peccatorum. In illo vinculum, in isto libertatem. In illo dam-
B nationem, in isto absolutionem. Duo ergo isti homines significati sunt & in his verbis, *Homines & iumenta*, &c. Homines pertinentes ad hominem, & iumenta simul cum iumentis eos saluos facies. Homo enim in honore positus non intellexit, sicut scriptum est, *Homo in honore positus non intellexit, comparatus est iumentis insensatis, & similis factus est eis.* Propterea *homines & iumenta*, quibus similes facti sunt homines, quia non intellexerunt, & eis quibus dominari creati sunt, comparati sunt. *saluos facies.* Nunquid ipsa est salus, de quâ dictum est, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit?*

Vana salus, quæ transit.

Vetus Adã, homo erat, non filius hominis: est nouus Adam ac Christus.

Psal. 48. v. 14.

Alia est illa salus, longè alta. Angeli hanc ha-
C bent, nolite eam quærere in terrâ. Magna est, sed non est hîc. Non est ista res de istâ regione, non est hîc talis salus. Sursum cor. Quid hîc quæris in terrâ salutem hanc? Ipsa salus huc venit, & mortem nostram hîc inuenit. Nunquid Dominus noster Iesus Christus quando venit ad nos in carne, inuenit hîc salutem istam in regione nostrâ. Magnum quid huc attulit mercator iste de regione suâ veniens, inuenit in regione nostrâ quod hîc abundat. Quid hic abundat? Nasci & mori. Plena est terra his mercibus: Natus est, & mortuus est. Sed quâ viâ natus est? Ad istam regionem venit, sed non eâ viâ quâ & nos venit. De cœlo enim venit à Patre, & tamen natus est mortalis. Natus est de Spiritu sancto ex
D Mariâ virgine. Nunquid nos sic de Adam & Euâ? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam: Maria enim virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ æstu, quoniam ne pateretur hunc æstum, ideo ei dictum est, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te.* Virgo ergo Maria non concubuit, & concepit: sed credidit, & concepit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia *in similitudine carnis peccati.* Non in carne peccati, sed *in similitudine carnis peccati.* Quid habet caro peccati? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati?
E Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati. Si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, Saluator venit: mortuus est, sed mortem occidit: finiuit in se quam timebamus, suscepit illam & occidit illam, quomodò summus venator leonem cepit, & necauit. Vbi est mors? Quære in Christo, iam non est: sed fuit, & mortua est ibi.

Cap. 3.

Salus fidelium alta, & de cœlo allata.

Christus hic inuenit nasci & mori.

Natus non ex concupiscentiâ carnis.

Lucæ 1. v. 35.

Rom. 8. v. 3.

In similitudine carnis peccati, quia mortalis sine peccato.

Mors in Christo occisa & mortua.

O vita mors mortis! Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris: morietur & in nobis mors. Sed quando? In fine sæculi, in resurrectione

Cap. 4.

Mors moritura & in nobis.

mortuorum, quam credimus, & de quâ non dubitamus. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus erit.* Sequere quod timeas, *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ergo mors morietur in nobis: victura est in damnatis. Vbi mors nesciet mortem, sempiterna mors erit: quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur, & non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphantium, vt habeatis quod meditemini, quod corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide & bono opere requiratis. Audite verba triumphantium quando non erit mors, quando & in nobis sicut & in capite nostro morietur mors. Paulus Apostolus dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoriâ.* Dixi vobis quia morietur mors in vobis. *Absorpta est mors in victoriâ.* Ista est mors mortis. Absorbebitur vt non appareat. Quid est vt non appareat? Vt non sit nec intus nec foris. *Absorpta est mors in victoriâ.* Gaudeant triumphantes, gaudeant, dicant quod sequitur, *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Vbi est? Cepisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti: percussisti, & occidisti. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus?* Nónne confregit illum Dominus meus? O mors, quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi perijsti. Istâ salute *saluus erit, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Fugite condemnationem, amate & sperate salutem æternam.

In damnatis victura.

Triumphantium verba.

1. Cor. 15. v. 53.

B

C

EIVSDEM IN EODEM FESTO.

HOMIL. IX.

Ser. 6. lib. 10 Homil. Cap. 1.

SOlennitate diei huius admonemus scientes, instruimus negligentes. Ascensum Domini in cœlum hodie solenniter celebramus. Dominus enim Saluator noster posito corpore, & recepto corpore, posteaquam resurrexit à mortuis, exhibuit se discipulis viuentem, quem desperauerant morientem. Posteaquam se reddidit oculis intuendum, manibus contrectandum, ædificans fidem, exhibendo veritatem: quoniam parum fuit humanæ fragilitati, & infirmæ trepidationi tam magnum miraculum vno die exhibere, & inde subtrahere: conuersatus est cum eis in terrâ, sicut audiuimus, cùm liber Actuum Apostolorum legeretur. Conuersatus est cum eis in terrâ quadraginta diebus intrans & exiens, manducans & bibens: vt exhiberet veritatem, non quòd haberet necessitatem. Ipso ergo quadragesimo die, quem hodie celebramus, eis videntibus, & videndo deducentibus, ascendit in cœlum. Tunc ergo posteaquam id quod videbant ascendere mirabantur, sursum tamen ire gaudebant. Capitis enim præcessio, spes membrorum est: audierunt & Angelicam vocem, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quid est, *sic veniet?* In eâ formâ veniet, vt impleatur quod scriptum est, *Videbunt in quem pupugerunt.* Sic veniet. Ad homines veniet, homo veniet, sed Deus homo veniet. Veniet verus homo & Deus, vt faciat homines deos. Ascendit Iudex cœli, sonuit præco cœli. Bonam causam habeamus, vt futurum iudicium non ti-

Dilata ascensio, ad plenam resurrectionis fidem faciendam.

D

Act. 1.

Ascensio die quadragesimo.

E

Act. 1. v. 11.

Venturus Dominus sic vt ascendit.

Apoc. 1. v. 7.

A

meamus. Ascendit enim, viderunt qui nobis nuntiauerunt. Qui non viderunt, crediderunt: alij non credentes, irriserunt. *Non enim omnium est fides.* Et quia non omnium est fides, & *nouit Dominus qui sunt eius*, quid discepiamus quòd ascendit in cœlum Deus? Miremur potiùs, quia descendit in infernum Deus. Mortem Christi miremur, resurrectionem verò laudemus potiùs quàm miremur. Perditio nostra, peccatum nostrum; sanguis Christi, pretium nostrum. Resurrectio Christi, spes nostra; aduentus Christi, res nostra. Ille ergo qui est ad dexteram Patris, expectandus est donec veniat. Dicat anima nostra sitiens illi, Quando veniet? Et, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum.* Quando veniet? Veniet. Sed quando veniet? Optas vt veniat: vtinam paratum te inueniat.

2. Thes. 3. v. 2.

2. Tim. 2. v. 19.

Christi resurrectio & ascensio laudanda potiùs, quàm miranda.

Psal. 41. v. 3.

Veruntamen ne putemus nos solos habere hoc desiderium de Domino nostro, vt dicamus quando veniet? Habuerunt hoc desiderium & discipuli eius. Si possem vobis dicere inhiantibus, expectantibus, suspensis, nosse cupientibus, quando veniat Dominus Deus noster: si possem vobis dicere, qualis vobis viderer? Sed hoc ex me non vos speratis audire posse. Qui si speratis, desipitis. Ipsum certè Dominum Iesum Christum in corpore præsentem, viuentem, loquentem, si ante oculos vestros, & ante manus vestras haberetis, scio quia præ isto desiderio interrogaretis & diceretis ei, Domine, quando venturus es? Discipuli ipsi Dominum Iesum Christum præsentem interrogauerunt. Non potestis interrogare quod interrogauerunt, audite quod audierunt. Etenim illi tunc erant, nos nondum eramus. Quibus tamen si credamus, & nobis interrogauerunt, & nobis audierunt. Ergo discipuli Christi deducturi aspectu ascensurum Christum interrogauerunt, & dixerunt ei, *Domine, si hoc tempore præsentaberis?* Cui dicebant? Quem præsentem videbant. *Si hoc tempore præsentaberis?* Et quid est illud? Nónne præsentem videbant? nónne præsentem audiebant? nónne præsentem etiam tangebant? Quid est hoc, *Si hoc tempore præsentaberis*, nisi quia nouerant præsentiâ Christi futurum iudicium: vt videretur à suis & ab alienis? Nam quando resurrexit, non est visus nisi à suis. Hoc ergo sciebant, & fide retinebant, futurum esse tempus quando iudicatus iudicaret, quando reprobatus probaret & reprobaret, quando conspicuus vtrique hominum generi alios poneret ad dexteram, alios ad sinistram, dicturus quod vtrique audirent: oblaturus quod non vtrique acciperent, comminaturus quod non vtrique pertimescerent. Sciebant futurum, sed quando, quærebant. *Si hoc tempore præsentaberis?* Non vtique nobis. Nam & modò videmus te: sed præsentaberis etiam his qui non crediderunt in te. *Si hoc tempore præsentaberis*, dic nobis, *& quando regnum Israel.* Hoc quæsierunt, *Si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israel?* Quod regnum? De quo dicimus, *Adueniat regnum tuum.* Quod regnum? De quo audituri sunt ad dexteram positi, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quando dicturus est etiam sinistris, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Terribilis vox, tremenda vox. Sed, *In memoriâ æternâ erit iustus, ab auditu malo non timebit.* Istis hoc, illis illud: in vtroque verax, quia in vtroque iustus.

Desiderium aduentus eius habuerunt & discipuli.

Interrogauerût tempus.

Act. 1. v. 6.

In secundo aduentu, bonis erit & malis conspicuus, vtrosque iudicaturus.

Matth. 6. v. 10.

Matth. 25. v. 34.

Ibid v. 41.

Psal. 111. v. 7

Cap. 3.

Sed quod quærebant, si audierunt teneamus, A & quod venturum est, [non] timeamus. *Domine, si hoc tempore præsentaberis?* Et nos æstimantes nos præsentem videre Dominum in corpore constitutum, dicamus illi, *Domine, si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël?* Quando regnum tuorum, quando regnum humilium, quamdiu typhus superborum? Certè hoc est quod quærebatis, hoc est quod audire desiderabatis. Videamus quid responderit. Non dedignentur audire agni, quod audierunt arietes. Audiamus quid dicit ipse Dominus. Quibus? Petro, Ioanni, Andreæ, Iacobo, cæteris tantis & talibus, iam dignis. Sed quos inuenit indignos, fecit dignos. Quid eis respondit dicentibus, *Si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël? Non est vestrum scire tempora,* B *quæ Pater posuit in suâ potestate.* Quid est hoc? Dicitur Petro? *Non est vestrum:* & dicis tu, Meum est? *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Quod creditis, benè creditis: quia venturum est. Quando venturum sit, quid ad te? Quando venerit, præpara te. *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Curiositas abscedat, pietas succedat. Quid ad te quando veniet? Sic viue, quasi hodie venturum sit: & non timebis, cùm venerit.

Regressa discipulorũ curiositas.

Cap. 4.

Videte autem ordinem & disciplinam magistri boni, magistri singularis, magistri solius. Non dixit quod interrogauerunt, & dixit quod non C interrogauerunt. Sciebat enim quod interrogauerunt non eis expedire vt nossent: quod autem sciebat eis expedire, etiam non eis interrogantibus dixit, *Non est vestrum scire,* inquit, *tempora.* Quò tibi tempora? Hoc agitur vt euadas tempora, & quæris tempora? *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Et quasi diceretur ei, Et quid est nostrum? modò audiamus quid ad nos maximè pertineat, modò audiamus. Quæsitum est quod non oporteat dici: sed dictum est quod oporteat audiri. *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Sed quid est vestrum scire?

Cap. 5. *Act. 1. v. 8.* Docet Dominus quæ expediat discipulos scire; Ecclesiæ vnitatem.

Sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes. D Vbi? *In Hierusalem.* Consequens erat vt hoc audiremus: his enim verbis Ecclesia prædicatur, Ecclesia commendatur, vnitas annuntiatur, diuisio accusatur. Apostolis dictum est, *Et eritis mihi testes:* fidelibus dicitur, vasis Dei dicitur, vasis misericordiæ dicitur, *Eritis mihi testes?* Vbi? *In Hierusalem.* Vbi occisus sum. *Et in totâ Iudæâ, & Samariâ, & vsque in fines terræ.* Ecce quod audite, ecce quod tenete. Sponsa estote, & sponsum securi expectate. Sponsa Ecclesia est. Vbi futura prædicata est, quam illi testes annuntiarent; vbi futura E prædicata est? Multi enim dicturi sunt, Ecce hîc est. Audirem, si non & alius diceret, Ecce hîc est. Quid tu dicis? Ecce hîc est. Iam ibam, sed reuocat alius simili voce, Ecce hîc est. Tu ex parte vnâ, Ecce hîc est; alius ex parte aliâ, Ecce hîc est. Dominum interrogemus, Dominum interpellemus. Sileant partes, totum audiamus. Dicit vnus ex angulo vno, Ecce hîc est: alius ex alio angulo, Non, sed ecce hîc est. Tu Domine dic: tu assere quam redemisti, ostende quam dilexisti. Ad nuptias tuas inuitati sumus, ostende sponsam tuam, ne vota tua litigando turbemus. Dicit planè, ostendit planè: non deserit inquirentes, non amat litigantes. Dicit discipulis suis, & non quærentibus dicit: quia contendentibus contradicit. Et ideo fortasse hoc ab Apostolis nondum quærebatur, quia grex Christi nondum à latronibus diuidebatur. Nos experti dolores diuisionis, studiosè coagulum quærimus vnitatis. Apostoli quærunt tempus iudicij, & Dominus respondet locum Ecclesiæ. Non respondit quod quæsierunt, sed nostros præuidebat dolores. *Eritis,* inquit, *mihi testes in Hierusalem.* Parum est. Non pro hoc tantum pretium dedisti, vt hoc solùm emeres in Hierusalem. Dic adhuc, *Et vsque in fines terræ.* Venisti ad fines. Quare contentiones non finis? Nemo mihi dicat iam, Ecce hîc est. Non, sed ecce hîc est. Sileat humana præsumptio, audiatur diuina prædicatio. Teneatur vera promissio, *In Hierusalem, & in totâ Iudæâ, & Samariâ, & vsque in fines terræ.* His dictis nubes suscepit eum. Iam non opus erat vt aliquid adderetur, ne aliunde cogitaretur.

Ecclesia vbique extenditur.

Cap. 6. Suprema Christi verba, ac velut testamẽtaria.

Fratres, pro magno audiri solent verba nouissima parentis ituri ad sepulchrum, & contemnuntur Domini verba nouissima ascendentis in cœlum? Existimemus Dominum nostrum testamentum scripsisse, & in testamento sua nouissima verba posuisse: præuidit enim malorum filiorum futura litigia, præuidit homines partes sibi conantes facere de possessione alienâ. Quare C enim non diuidant quod non emerunt? Quare non concidant, pro quo pretium non dederunt? Sed ille tunicam desuper textam nusquam consutilem diuidi noluit, sorte prouenit. In illâ veste vnitas commendata est, in illâ veste charitas prædicata est. Ipsa est desuper texta. De terrâ est cupiditas, desuper charitas. Agite fratres, testamentum scripsit Dominus, nouissima verba posuit. Videte obsecro vos, & moueat vos, quomodò & nos mouet, si fieri potest.

Tunica inconsutilis charitatis figura.

Cap. 7. Duæ Christi iam factæ glorificationes

Duæ sunt glorificationes secundum suscepti hominis formam. Vna, quâ surrexit à mortuis tertiâ die. Alia, quâ ascendit in cœlum ante oculos discipulorum suorum. Duæ sunt istæ quæ D commendantur glorificationes eius iam factæ. Restat vna & ipsa in conspectu hominum, cùm se iudicio præsentabit. De Spiritu sancto hoc erat dictum per Ioannem Euangelistam, *Spiritus autem nondum fuerat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Spiritus autem nondum fuerat datus.* Quare nondum fuerat datus? Quia *Iesus nondum erat glorificatus.* Expectabatur ergo, vt glorificato Iesu daretur Spiritus. Meritóque bis glorificatus, resurgẽdo & ascendendo, bis dedit Spiritum. Vnum dedit, & vnus dedit, vnitati dedit, & tamen bis dedit. Primò posteaquam resurrexit, dixit discipulis suis, *Accipite Spiritum* E *sanctum. Et insufflauit in faciem eorum:* habes semel. Deinde promittit adhuc se missurum Spiritum sanctum, & dicit, *Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos.* Et alio loco. *In ciuitate sedete. Ego enim implebo promissionem Patris, quam audistis,* inquit, *ex ore meo.* Posteaquam ascendit, decem diebus ibi factis misit Spiritum sanctum: ipse est solennis futurus Pentecostes.

Ioan. 7. v. 39. Bis quoque ab eo Spiritus sanctus datus. *Ioan. 20. v. 22.* *Act. 1. v. 8.* *Luc. 24. v. 48.*

Cap. 8. Cur datus bis Spiritus sanctus.

Videte ergo, fratres mei. Quærat à me aliquis, quare bis dedit Spiritum sanctum. Multi multa dixerunt, & sicut homines quæsierunt. Et aliqui dixerunt quod non est contra fidem. Alius hoc,

alius illud. Vtrunque, quod non excederet regulam veritatis. Si dicam me scire, quare bis dederit, mentiar vobis. Nescio: qui se dicit scire quod nescit, temerarius est: qui se negat scire quod scit, ingratus est. Ergo fateor vobis, quare bis dederit Dominus Spiritum sanctum, adhuc quæro: ad aliquid certius peruenire cupio. Adiuuet me Dominus orantibus vobis, vt quod donare dignatur, & vobis non taceatur. Ergo nescio. Quid tamen existimem nondum sciens, nondum pro certo tenens, sicut certissimum teneo dedisse: Quid ergo existimem, non tacebo. Si hoc est, confirmet Dominus: si aliud est quod verius appareat, donet Dominus. Ergo arbitror: sed arbitror ideo bis datum esse Spiritum sanctum, vt commendarentur duo præcepta charitatis. Duo sunt enim præcepta, & vna charitas. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ:* Et, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ.* Vna charitas, & duo præcepta. Vnus Spiritus, & duo data. Non enim alius datus est priùs, & alius datus est postea. Quia non alia charitas diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. Non ergo alia charitas est. Quâ charitate proximum, ipsâ charitate diligimus & Deum. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus, vnâ charitate diliguntur: non sunt tamen vnum qui diliguntur. Quia ergo magna est primitùs commendanda dilectio Dei, secunda dilectio proximi, (A secundâ autem incipitur vt ad primam perueniatur. *Si enim fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodò diligere poteris?*) ideo fortè informans nos ad dilectionem proximi, dedit in terrâ conspicuus, & proximis proximus Spiritum sanctum insufflando in faciem eorum: & ab hac maximè charitate quæ in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum. Spiritum sanctum accipe in terrâ, & diligis fratrem. Accipe de cœlo, & diligis Deum: quia & in terrâ quod accepisti de cœlo est. In terrâ Christus dedit, sed de cœlo est qui dedit. Ille enim dedit, qui de cœlo descendit. Hîc inuenit cui daret, sed inde attulit quod daret.

Augustini modestia.

Datus bis, ad duo designanda præcepta charitatis. Deut.6.v.5. Matth.22. v.37.

Prior dilectio proximi, tum dilectio Dei. 1.Ioan.4. v.20.

Ioan.3.v.13

Cap. 9.

Quid est ergo, fratres? An fortè commemoro & hoc, quomodò charitas ad Spiritum sanctum pertineat? Paulum audite. *Non solùm autem*, inquit, *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Vnde charitas Dei diffusa est in cordibus nostris? Vnde? Quid tibi dabas? Quid quasi de tuo præsumebas? *Quid enim habes, quod non accepisti?* Ergo vnde nisi quod sequitur, *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?* Charitas ista non tenetur, nisi in vnitate Ecclesiæ. Non illam habent diuisores, sicut dicit Apostolus Iudas, *Hi sunt qui seipsos segregant animales, spiritum non habentes. Qui seipsos segregant?* Quare segregant? Quia *animales spiritum non habentes.* Ideo defluunt, quia coagulum non habent charitatis. Ipsâ charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullis humilians vocem suam, extendens alas suas. *Quoties*, inquit, *volui colligere filios tuos?* Colligere, non diuidere. Quia *habeo*, inquit, *alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili. Oportet me & ipsas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor.* Meritò non audiuit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem: *Domine, dic fratri meo diuidat mecum hereditatem. Domine*, inquit, *dic fratri meo.* Quid? *Diuidat mecum hereditatem.* Et Dominus, *Dic homo.* Quare enim vis diuidere, nisi quia homo? *Cùm enim dicit alius, Ego sum Pauli, alius autem, Ego Apollo, nónne homines estis? Dic homo, Quis constituit me diuisorem hereditatis inter vos?* Colligere veni, non diuidere. *Ideo*, inquit, *dico vobis cauete ab omni cupiditate.* Cupiditas enim cupit diuidere, sicut charitas colligere. Quid est autem, *Cauete ab omni cupiditate*, nisi impleamini charitate? Nos charitatem pro captu nostro habentes interpellamus Dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem: sed non hac voce, non hac postulatione. Ille enim dixit, *Domine, dic fratri meo diuidat mecum hereditatem.* Nos dicimus, Domine, dic fratri meo teneat mecum hæreditatem.

Rom.5.v.3.

1.Cor.4.v.7

Charitas in vnitate solùm Ecclesiæ.

Iudæ v.19.

Matth.23. v.37.

Ioan.10.v.16.

Luc.12.v.13.

1.Cor.1.v.12.

Luc.12.v.15.

Cupiditatis est diuidere charitatis vnire.

Cap.10.

Videte ergo, fratres, quid maximè diligatis, quid fortiter teneatis. Glorificatus Dominus resurgendo commendat Ecclesiam: glorificandus ascendendo commendat Ecclesiam: Spiritum sanctum mittens de cœlis commendat Ecclesiam. Resurgens enim, quid dicit discipulis suis? *Hæc dicebam vobis, cùm essem apud vos, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me. Et tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Vbi est Ecclesiæ commendatio: *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum?* Et hoc vbi: *Per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* Hoc resurrectione glorificatus. Quid Ascensione glorificandus? Quod audistis, *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in totâ Iudæâ, & Samariâ, & vsque in fines terræ.* Quid ipso aduentu Spiritus sancti? Venit Spiritus sanctus: quos primùm impleuit, linguis omnium gentium loquebantur. Vnusquisque homo loquens omnibus linguis, quid aliud significauit quàm vnitatem in omnibus linguis? Hoc tenentes, in hoc firmati, in hoc roborati, in hoc inconcussâ charitate defixi, laudemus pueri Dominum, & dicamus Alleluia. Sed in vnâ parte? Et vnde? & quousque? *A Solis ortu vsque ad occasum laudate nomen Domini.*

Luc.24.v.44.

Act.1.v.8.

Act.2.v.4.

In dono linguarum Ecclesiæ vnitas designata.

Psal.112.v.3

EIVSDEM, DE DIE QVAdragesimo Dominicæ Ascensionis.

Est serm.19. de diuers.

Habitus in Basilica Leontianâ.

Cap.1.

DOminus Iesus Patris vnigenitus & gignenti coæternus, pariter inuisibilis, pariter immutabilis, pariter omnipotens, pariter Deus: propter nos, vt nostis & accepistis, & tenetis, factus est homo; formâ sumptâ humanâ, non dimissâ diuinâ. Potens occultus, infirmus manifestus, sicut nostis: natus est, vt renasceremur; mortuus est, ne nos in æternum moreremur. Ille continuò, id est, die tertio resurrexit: nobis resurrectionem carnis in fine promisit. Exhibuit se videndum discipulorum oculis, manibusque tractandum persuadens quod factus erat, non auferens quod semper erat. Conuersatus est cum eis diebus quadraginta, sicut audistis, intrans & exiens, manducans & bibens: non iam indigentiâ, sed totum potentiâ: & manifestans eis car-

n:s veritatem, in cruce infirmitatem, à sepulchro immortalitatem.

Cap. 2. S. Leontius.

Hodiernum ergo diem Ascensionis ipsius celebramus. Occurrit autem huic Ecclesiæ à tabernaculo solennitas. Conditoris Basilicæ huius sancti Leontii hodie depositio est: sed dignetur obscurari stella à sole. Ergo de Domino potiùs, quod cœperamus, loquamur. Gaudet bonus seruus, quando laudatur dominus.

Cap. 3.

Hodierno ergo die, hoc est, quadragesimo post resurrectionem suam, Dominus ascendit in cœlum. Non vidimus, sed credamus. Qui viderunt prædicauerunt, & orbem terrarum impleuerunt: de quibus prædictum est, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* (Psal. 18. v. 4.) B Ergo & ad nos venerunt, & nos de somno excitauerunt. Ecce celebratur hodiernus dies toto orbe terrarum. Recolite Psalmum. Cui dictum est, *Exaltare, super cœlos Deus?* (Ps. 56. v. 12.) Cui dictum est? Nunquid Deo Patri diceretur, *Exaltare*, qui nunquam est humiliatus?

C. 4.

Exaltare tu: tu qui fuisti in ventre matris inclusus: tu qui in præsepio iacuisti: tu qui vbera tanquam paruulus in venâ carnis suxisti. (Hebr. 1. v. 3. Luc. 2. v. 28. & 38.) Tu qui portans mundum, portabaris à matre. Tu quem Symeon senex paruulum agnouit, magnumque laudauit. Tu quem vidua Anna vidit sugentem, & cognouit omnipotentem. Tu qui esuristi propter nos, sitisti propter nos, fatigatus es in viâ propter nos. Non enim esurit panis, aut fatigatur via. Tu qui omnia pertulisti propter nos: tu qui dormisti, & tamen non dormitans, custodis Israël. (Ps. 120. v. 4.) Postremò, tu quem vendidit Iudas, quem Iudæi emerunt, & non possederunt. Tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense; tu mortue, tu sepulte, *Exaltare super cœlos Deus.*

C. 5.

Exaltare, inquit, exaltare super cœlos, quia Deus es. (Ps. 112. v. 7.) Quis credat, nisi illo faciente, qui erigit de terrâ inopem? Ille ipse inopem carnem suam erigit, & collocat eam cum principibus populi sui. Cum quibus iudicaturus est viuos & mortuos, eum eis collocauit hanc inopem carnem: quibus dicit, *Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël.* (Matth. 19. v. 28.) *Exaltare* ergo *super cœlos Deus.* Ita factum est, iam impletum est. Sed dicimus: Quomodo futurum prædicatum est, *Exaltare super cœlos Deus?* Non vidimus, sed credamus.

C. 6.

Ecce ante oculos nostros est quod sequitur, *Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua.* Non credat illud, qui non videt istud. Quid est istud, *Et super omnem terram gloria tua?* (Ecclesia Christi gloria.) Nisi, super omnem terram Ecclesia tua, super omnem terram matrona tua, super omnem terram sponsa tua, dilecta tua, coniux tua. Ipsa est gloria tua. Hoc quidem ait Apostolus. *Vir non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei: mulier autem gloria viri:* (1. Cor. 11. v. 7.) Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi est.

EIVSDEM DE DIE QVADRAGESIMO DOMINICÆ ASCENSIONIS.

SERMO habitus Carthagini in Basilicâ Fausti.

Est 12. de diuersis. C. 1.

RESurrectio Domini, spes nostra: Ascensio Domini glorificatio nostra. Ascensionis A enim hodie solennia celebramus. Si ergo rectè, si fideliter, si deuotè, si sanctè, si piè Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum cor habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum enim cor ad Dominum, refugium vocatur. (Sursum cor ad Dominū.) Illi enim dicimus, qui ascendit. Resurrexit enim, vt spem nobis daret, quia resurgit quod morimur: ne moriendo desperaremus, & totam vitam nostram morte finitam putaremus. Soliciti enim eramus de ipsâ animâ: & ille nobis resurgendo & de carne securitatem dedit. Ergo ascendit. Quis? qui descendit. (Eph. 4. v. 10.) Descendit, vt sanaret, ascendit, vt leuaret te. Cadis, si leuaueris te; manes, si leuauerit te. Sursum ergo cor, sed ad Dominum, refugium est: sursum cor, sed non ad Dominum, superbia est. Dicamus ergo illi resurgenti, *Quoniam tu es Domine spes mea:* (Ps. 90. v. 9.) ascendenti autem, *Altissimum posuisti refugium tuum.* (Al. meum.) Quomodò enim ad eum cor sursum habentes, superbi erimus, qui propter nos humilis factus est, ne superbi remaneremus?

C. 2.

Deus Christus, hoc semper: nunquam hoc desinet, quia nunquam cœpit. Si enim per gratiam eius aliquid incipit, quod nunquam desinat, ille quomodò desinet qui nunquam cœpit? Quid est quod incipit, & nunquam desinet? Immortalitas C nostra initium habebit, finem non habebit. Non enim iam habemus, quod cùm habere cœperimus, non amittemus. Semper ergo Deus Christus. Et qualis Deus? Quæris qualis? Patri æqualis. Noli ergo quærere in æternitate qualitatem, sed felicitatem. Qualis Deus Christus, cape, si potes. Ecce dico, non te fraudabo. Quæris qualis Deus Christus? Audi me, imò audi mecum. simul audiamus, simul discamus. Non enim quia loquor, & vos auditis, ideo vobiscum non audio. Quæris ergo cùm audis, Deus est Christus, Qualis Deus Christus? Audi mecum. Non, inquam, me audi, sed mecum. In hac enim scholâ omnes sumus condiscipuli: Cœlum est cathedra Magistri nostri. (In Dei scolâ omnes condiscipuli.) D Audi ergo qualis Deus Christus. *In principio erat Verbum.* Vbi? *Et Verbum erat apud Deum.* (Ioan. 1. v. 1.) Hæc verba quotidie solemus audire. Noli sic cogitare, quomodò soles audire; *Deus erat Verbum.* Qualis quæro. Nam ecce iam Deum credo: sed qualis Deus sit, quæro. *Quærite faciem eius semper.* (Ps. 104. v. 4.) Nemo quærendo deficiat, sed proficiat. Proficit quærens, si pietas quærat. Quomodò quærit pietas, quomodò vanitas? Pietas quærit credendo, vanitas litigando. (Vanitas litigando quærit, pietas credēdo.) Si enim litigare mecum velis, mihique dicere, Quem Deum colis? Ostende mihi quod colis; respondebo, Et si est quod ostendam, non est cui.

C. 3.

Nec ego audeo dicere, iam me cepisse quod quæris: E Ingredior enim, quantum possum, post vestigia illius tanti athletæ Christi: Apostoli scilicet Pauli, dicentis, *Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse.* (Phil. 3. v. 13.) Ego meipsum, quid est? Ego, qui *plus omnibus illis laboraui.* (1. Cor. 15. v. 10.) Noui, Apostole, quomodò dicas. *Ego*: expressio est, non elatio. Nam vis audire quomodò dicat, Ego? Cùm dixisset, *Plùs omnibus illis laboraui*: & quasi nos ad illum, Quis? Et ille ad nos, *Non ego autem, sed Dei gratia mecum.* Ille ergo cum quo tanta gratia Dei erat, vt posteriùs vocatus plùs precedentibus laboraret, dicit tamen, *Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse.* Ibi ego, vbi non apprehendit. Humanæ quippe infirmitatis

firmitatis est, non apprehendere. Vbi autem leuatus est in tertium cœlum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, non dixit, Ego. Sed quid dixit? *Scio hominem ante annos quatuordecim.* [2. Cor. 12. v. 2.] Scio hominem: & ipse homo erat, qui loquebatur: & quod in eo factum est, quasi alterum fecit, ideo non defecit. Noli ergo contendere, noli litigare, exigendo à me qualem Deum colo. Non enim idolum est, & digitum extendo, & dico tibi, Ecce Deum quem colo: aut aliquod sidus est, aut aliqua stella, aut sol, aut luna. & extendo digitum in cœlum, & dico, Ecce Deum quem colo. Non est quo digitus extendatur: sed est quò mens extendatur. Vide ipsam non comprehendentem, & tamen quærẽtem: sequentem, inhiantem, suspirantem, desiderantem. B Vide illum quid intendat: vide ad Deum suum, vtrum digitum, an verò animum extẽdat. Quid ait? [Phil. 3. v. 3.] *Non me arbitror apprehendisse. Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ sunt ante extensus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo.* Sequor, inquit, ambulo, in viâ sum. Sequere, si potes, simul ad patriam veniamus: vbi non à me quæras, nec ego à te. Simul ergo modò credendo quæramus, vt simul postea videndo gaudeamus.

[Cap. 4.] Nam quis tibi ostendit qualis sit Deus Christus? Ecce quod dignatus est dicere per seruum suum, dicat & per istum seruum suum, conseruis C meis, seruis suis. Dictum est tibi, *In principio erat Verbum.* Quærebas vbi esset; responsum est, *Verbum erat apud Deum.* Et ne verba contemneres ex consuetudine locutionis humanæ, audisti, *Deus erat Verbum.* Adhuc quæris qualis Deus? *Omnia per ipsum facta sunt.* Ama illum; quicquid amas, ab illo est. Non amemus creaturam, neglecto creatore: sed attendamus creaturam, & laudemus creatorem. Non tibi possum ostendere Deum meum: ostendo quæ fecit, recolo quæ fecit, *Omnia per ipsum facta sunt.* Fecit noua, non nouus: fecit temporalia sempiternus: fecit mutabilia, qui nescit mutari. Facta inspice, lauda factorem, crede vt munderis. D Videre enim vis bonam rem: rem magnam vis. Hortor, vt velis. Videre vis? *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* [Matth. 5. v. 8.] Priùs ergo cogita de corde mundando: hoc habeto negotium, ad hoc te aduoca, insta huic operi. Quod vis videre, mundum est: immundum est vnde vis videre. Cogita Deum quasi aliquam istorum oculorum immensam vel multiplicem lucem, auge tibi spatia quanta vis. Non ponis finem vbi non vis, ponis vbi vis. Phantasmata sunt ista cordis tui, immonditia est ista cordis tui. Tolle, abiice. Si terra tibi in oculum caderet, & velles vt ostenderem tibi lucem: priùs tui oculi quærerem mundatorem. E Tanta immunditia est in corde tuo: vbi auaritia non parua immunditia est. Congeris quod tecum non tollas. Nescis quia cùm congeris, ad cor tuum lutum trahis? Vnde videbis ergo quod quæris?

[Cap. 5.] Tu mihi dicis, Ostende mihi Deum tuum: ego tibi dico, Attende paululum ad cor tuum. Ostende, inquis, mihi Deum tuum. Attende, inquio, paululum ad cor tuum. Quicquid ibi vides quod displicet Deo, tolle inde. Venire ad te vult Deus: Dominum ipsum Christum audi, *Ego & Pater veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* [Ioan. 14. v. 23.] Ecce quid promittit Deus. Si ego promitterem A me venturum in domum tuam, mundares eam. Deus in cor tuum venire vult, & piget es ei domum mundare? Non amat habitare cum auaritiâ, cum muliere immundâ & insatiabili, cui tu iubenti seruiebas, & Deum videre quærebas. Quid fecisti quod Deus iussit? Quid non fecisti quod auaritia iussit? Quid fecisti? Ego ostendo quis habitet in cor tuum, qui vis videre Deum. Hoc enim dixeram, Est quod ostenderem, sed cui non est. Quod Deus iussit quid fecisti? Quod auaritia iussit quid distulisti? Iussit Deus vt nudum vestires, tremuisti: iussit auaritia vt vestitum spoliares, insanisti. Si fecisses quod Deus iussit, quid tibi dicam, haberes illud & illud? Ipsum Deum haberes. Fecisti quod auaritia iussit, quid habes? Scio, dicturus es mihi; Habeo quicquid abstuli. Ergo auferendo babes. Habes, vbi, rogo te? Certè aut in cubiculo, aut in sacello, aut in arcâ: nolo amplius dicere. Vbicunque habes modò, certè tecum non habes. Certè modò cogitas in arcâ te habere: fortè periit, & nescis: fortè cùm redis, non inuenis quod dimisisti. Cor tuum quæro: ibi quid habeas, interrogo. Ecce implesti arcam tuam, & fregisti conscientiam tuam.

Vnde plenum: disce esse plenus. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* [Cap. 6. Iob. 1 v. 21.] C Nempe omnia perdiderat. Vnde ergo istas geminas laudes Domino proferebat? Munda cor tuum, quantum potes: id age, id operare. Et vt ille mundet vbi maneat, roga, supplica, humiliare. Non capis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In eo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* [Ioan. 1. v. 1.] Quæ sunt tenebræ nisi opera mala? Quæ sunt tenebræ, nisi cupiditates malæ, superbia, auaritia, ambitio, inuidentia? [Tenebræ Deum non apprehendentes, cupiditates &c.] Omnia ista tenebræ sunt, ideo non comprehendis. D Nam lucet in tenebris: sed da qui comprehendat. Vide ergo, ne fortè hoc quomodocunque possis accipere; *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* [V. 14.] Per hominem Christum, tendis ad Deum Christum. Multum est à te Deus: sed homo factus est Deus. Quod longè erat à te, per hominem factum est iuxta te. Vbi maneas, Deus est: quà eas, homo est. Idem ipse Christus, & quà eas, & quò eas. Ipse ergo caro factum est, & habitauit in nobis. Assumpsit quod non erat: non amisit quod erat. Apparebat homo, & latebat Deus. Occisus est homo, & offensus est Deus: sed resurrexit homo, & inuentus est Deus. Cogita ergo quanta fecit vt Deus, quanta E passus est vt homo. Occisus est, sed non in diuinitate: ipse Christus occisus est. Non enim duo, Deus & homo: vt iam non faciamus vel nouerimus Trinitatem, sed quaternitatem. Homo quidem homo, & Deus Deus; sed totus Christus homo & Deus. Quomodò tu homo corpus & animus: sic totus Christus homo & Deus. Ergo totus Christus, caro, anima, & Deus.

[Cap. 7.] Idem ipse aliquid dicit, quod ad Deum pertinet; aliquid dicit quod ad animam pertinet; aliquid dicit quod ad carnem pertinet: totum ad Christum pertinet. Quid dicit vt Deus? *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit* [Ioan. 5. v. 26. & 19.]

Filio vitam habere in semetipso. Quæcunque A *Pater facit, hæc eadem & Filius facit similiter.*
Ioan. 10. v. 30. *Ego, & Pater vnum sumus:* Quid dicit Christus secundum animam suam? Matth. 26. v. 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Quid dicit Christus secundum carnem? Ioan 2. v. 20 *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Luc. 24. v. 38 *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Al. Hi. Hæc sunt thesauri sapientiæ & scientiæ.

Cap. 8. Matth. 22. v. 40.

Certè *tota Lex in duobus præceptis pendet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ: & diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ.* In Christo habes totum. Deum tuum vis diligere? B Habes in Christo, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Proximum vis diligere? Habes in Christo, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*

Cap. 9.

Mundet nos gratiâ suâ: mundet nos opitulationibus & consolationibus suis. Fratres mei, per ipsum, & in ipso, obsecro vos, in bonis operibus abundate, in misericordiâ, benignitate, bonitate. Citò dimittite quod in vos peccatur. Nemo teneat iram aduersus alium, ne intercludat sibi orationem ad Deum. Hæc enim omnia quia in hoc sæculo sumus, quia etsi proficimus, C etsi iustè viuimus, sine peccato hîc non viuimus. Non enim peccata sola sunt illa quæ crimina nominantur, adulteria, fornicationes, sacrilegia, furta, rapinæ, falsa testimonia: non ipsa sola peccata sunt. Attendere aliquid quod non debeas, peccatum est. Audire aliquid libenter, quòd non fuit audiendum, peccatum est. Cogitare aliquid, quod non fuit cogitandum, peccatum est.

Magna peccata, seu crimina, & minora.

Cap. 10. Horum remedia quotidiana. Oratio Dominica, eleemosyna.

Sed dedit Dominus noster post illud lauacrum regenerationis alia quotidiana remedia. Quotidiana nostra mundatio, Dominica oratio. Dicamus, & verum dicamus, quia & ipsa eleemo- D syna est: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Matth. 6. v. 12. *Date eleemosynas, & omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. v. 41 Mementote, fratres, ad dexteram staturis quid dicturus est. Matth. 25. v. 35. Non dicet, Illa, & illa magna fecistis: sed, *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Ad sinistram staturis non est dicturus, Illa, & illa mala fecistis; sed, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Illi pro eleemosynâ, in vitam æternam: isti propter sterilitatem, in ignem æternum. Modò eligite aut dextram, aut sinistram. Nam rogo vos, quam poterit habere spem salutis piger in remedijs, creber in morbis?

Discretio in iudicio ab operibus misericordiæ.

Cap. 11.

Sed parui morbi sunt. Congere & premunt. E Minora peccata sunt quæ habeo: Non sunt multa? Nam quomodò minora sunt, quæ premunt, obruunt? Quid minutius pluuiæ guttis? Flumina implent. Tu attendis quia minora sunt, & non attendis quia multa sunt? Attendere nosti: numera, si potes. Sed planè quotidianum remedium dedit Deus.

Minora peccata multitudine grauant, & obruunt.

Cap. 12. Psa. 67. v. 19

Magna misericordia eius qui *ascendit in altum, & captiuauit captiuitatem.* Quid est, *Captiuauit captiuitatem?* Occidit mortem. Captiuitas captiuata est: mors mortua est. Quid ergo? Hoc solùm fecit qui ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem? Ergo dimisit nos? Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Ergo illud attende, *Dedit bona hominibus.* Aperi sinum pietatis, excipe donum felicitatis. Conuersi ad Dominum &c.

SANCTI LEONIS PAPÆ
de Ascensione Domini.

SERMO I.

Cap. 1. Ioan. 2. v. 19

POst beatam & gloriosam resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, quâ verum Dei templum, Iudaicâ impietate resolutum diuinâ in triduo potentia suscitauit, quadragenarius hodie, dilectissimi, sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissimâ ordinatione dispositus, & ad vtilitatem nostræ eruditionis impensus: vt dum à Domino in hoc spatio mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessarijs muniretur. Mors enim Christi multum discipulorum corda turbauerat, & de supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepulturâ, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepserat. Nam cùm sanctæ mulieres, sicut Euangelica pandit historia, reuolutum à monumento lapidem, & sepulchrum corpore vacuum, & viuentis Domini testes Angelos nuntiarent, verba earum Apostolis, aliisque discipulis deliramentis similia videbantur. Quam vtique hæsitationem humanâ infirmitate nutantem, nequaquam permisisset Spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida solicitudo & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur. Nos in illis viris contra calumnias impiorum, & contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus. Gratias agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum Patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis.

Mar. 16. v. 11. Luca 24. v. 11. Hæsitatio discipulorũ de resurrectione Christi permissa, ad fidem nostrã stabiliendã.

Cap. 2. Quæ gesta sint a Dominicâ resurrectione ad ascensionem.

Non ergo ij dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionémque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In ijs metus diræ mortis aufertur: & non solùm animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In ijs per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus, & Ioan. 20. v. 22. beato Apostolo Petro, supra cæteros post regni claues, ouilis Dominici cura mandatur. Ioan. 21. v. 15. Petri prærogatiua. In ijs diebus, duobus discipulis tertius in viâ Dominus iungitur comes, Luc. 24. v. 13 & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt: & quæ erant tepida, reserante Scripturas Domino efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis, conuescentium aperiuntur obtutus: multò feliciùs eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quàm illorum generis nostri Principum, quibus præuaricationis suæ est ingesta confusio. Gen. 3. v. 7.

Cap. 3. Luc. 24. v. 38 Relictæ cicatrices ad probandam veritatem carnis suscitatæ.

Inter hæc autem aliáque miracula, cùm discipuli trepidis cogitationibus æstuarent, & apparuisset in medio eorum Dominus; dixissetque; *Pax vobis:* ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod voluebatur in cordibus, (putabant enim se spiritum videre, non carnem) redarguit

cogitationes à veritate discordes, ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis & pedibus crucis signa, & vt diligentiùs pertractentur, inuitat. Quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant seruata vestigia: vt non dubiâ fide, sed constantissimâ scientiâ teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro.

Cap. 4. Per omne ergo, hoc tempus dilectissimi, quod inter resurrectionem & ascensionem domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuauit, & cordibus: vt Dominus Iesus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi Apostoli, omnésque discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicuâ roborati: vt Domino in cœlorum eunte sublimia, non solùm nullâ afficerentur tristitiâ, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuerà magna erat & ineffabilis causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem, humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio.

Luc. 24. v. 5. Discipuli Domino ascendente ingenti gaudio affecti.

Cap. 5. Quia igitur Christi Ascensio, nostra est prouectio, & quò processit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis: dignis, dilectissimi, exultemus gaudijs, & piâ gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solùm paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus, primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocauit; cum quo viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Plus nobis contulit Christi gratia, quàm abstulit diaboli inuidia.

EIVSDEM DE ASCENSIONE *Domini.*

SERMO II.

Cap. 1. SAcramentum, dilectissimi, salutis nostræ, quam pretio sanguinis sui vniuersitatis conditor æstimauit, à die corporalis ortus vsque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa etiam in formâ serui diuinitatis signa radiauerint, propriè tamen temporis illius actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem verò, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius incidendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiuit in gloriam: quam Dominus Iesus Christus in multis manifestisque documentis, multorum declarauit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat à mortuis, inferret & cœlis. Sicut ergo in solennitate Paschali Resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi: ita Ascensio eius in cœlos, præsentium nobis est materia gaudiorum: recolentibus illam diem & ritè venerantibus, quâ naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cœli militiam, super omnes ordines Angelorum,

Christi opera ante passionem, & post resurrectionem.

Act. 1 v. 3.

Gaudij ratio in Ascensione.

A Paschate.

A & vltra omnium altitudinem Potestatum, ad Dei Patris est prouecta consessum. Quo ordine operum diuinorum nos fundati, nos ædificati sumus: vt mirabilior fieret gratia Dei, cùm remotis à conspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non tepe- ret. Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen est animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu: & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas, vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodò quisquam iustificaretur per fidem, si in ijs tantum salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent? Vnde & B illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere; nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset & tactu, *Quia vidisti me,* inquit Dominus, *credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Fides ac spes, credere & sperare quę non vides.

Ioan. 20. v. 29.

Cap. 2. Vt igitur huius beatitudinis, dilectissimi, capaces esse possemus, expletis omnibus quæ Euangelicæ prædicationi & noui testamenti mysterijs congruebant, Dominus noster Iesus Christus, quadragesimo post resurrectionem die, coram discipulis eleuatus in cœlum, corporalis præsentiæ modum fecit: mansurus in Patris dexterâ, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filijs diuinitùs præstituta peragantur, & ad iudicandos C viuos & mortuos in eadem carne, in quâ ascendit, adueniat. Quod itaque Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transiuit: & vt fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cuius auctoritatem supernis illuminata radijs, credentium corda sequerentur.

Luc 24. v. 51. Marc. 16. v. 19.

Ablata corporalis præsentia, ad fidei meritum atque augmentũ.

Cap 3. Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum, non solùm viri, sed etiam fœminæ, nec tantùm impubes D pueri, sed etiam teneræ virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos suscitauit. Vnde & ipsi beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ passionis expauerant, & veritatem resurrectionis eius non sine hæsitatione susceperant: tantùm de Ascensione Domini profecerunt, vt quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in diuinitatem ad Patris dexteram consedentis erexerant, nec iam corporeæ visionis tardabantur obiectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec à E Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat.

Discipulorum fides magnificè aucta ab Ascensione Dominicâ.

Cap. 4. Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis Dei Filius, excellentiùs sacratiúsque innotuit, cùm in Paternæ maiestatis gloriam se recepit: & ineffabili modo cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu cœpit mentis accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quâ Patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente naturâ, eò fides credentium vocabatur, vbi non carnali manu, sed spiritali intellectu, par Genitori Vnigenitus tangeretur. Hinc illud

Ioan. 14. v. 28.

est, quod post resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cùm ad contactum ipsius properaret accedere, dicit, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum:* hoc est, nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, maiora tibi præparo: cùm ad Patrem ascendero, tunc me perfectiùs veriúsque palpabis ; apprehensura quod non tangis, & creditura quod non cernis.

Ioan. 20. v. 17.
Repulsa Maria Ecclesiæ typo à Christi corporali contactu, ad subliminora dilata.

Cap. 5.

Cùm autem ascendentem ad cœlos Dominum sequaces discipulorum oculi intentâ admiratione suspicerent, adstiterunt ipsis Angeli duo, mirabili vestium candore fulgentes, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quibus verbis omnes Ecclesiæ filij docebantur, vt Iesus Christus in eadem, quâ ascenderat carne, venturus visibilis crederetur, nec posset ambigi omnia illi esse subiecta, cui ab ipso corporeæ natiuitatis exordio famulatus seruisset Angelicus. Sicut enim concipiendum Christum de Spiritu sancto beatæ Virgini Angelus nuntiauit, sic & editum de Virgine vox cœlestium, pastoribus cecinit. Sicut resurrexisse à mortuis supernorum nuntiorum prima testimonia docuerunt, sic ad iudicandum mundum in ipsâ carne venturum, Angelorum officia prædicarunt: vt intelligeremus, quantæ Potestates sint adfuturæ cum iudicaturo, cui tantæ ministrarunt etiam iudicando.

Act. 1. v. 11.

Angeli Christo seruierunt ab ipso corporeæ natiuitatis exordio.
Luc. 1. v. 26. & 2. v. 14.

Cap. 6.

Exultemus itaque, dilectissimi, gaudio spirituali, & dignâ apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in quâ Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent: & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in quâ etiam si quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos deuotionem beatissimus Petrus Apostolus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi ouibus trinâ Dominici amoris professione concepit, obsecrans, dicit: *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Cui autem, nisi diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ille excidit, gaudet abducere? Contra cuius insidias sapienter debet fidelis quisque vigilare, vt inimicum suum, de eo quod tentatur, possit elidere. Nihil autem validius est, dilectissimi, contra diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur. Sed huius sublimitas virtutis non priùs apprehenditur, quàm illud quod ei aduersarium est, subruatur. Quid autem tam inimicum misericordiæ & operibus charitatis, quàm auaritia, de cuius radice omnium malorum germen emergit? Quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est vt in agro cordis illius, in quo huiusmodi planta conualuit, spinæ potiùs tribulique vitiorum, quàm vllum veræ virtutis semen oriatur. Resistamus ergo, dilectissimi, huic tam pestifero malo, & charitatem, sine quâ nulla virtus potest nitere, sectemur: vt per hanc, quâ ad nos Christus descendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere, cui est cum Deo Patre & sancto Spiritu honor & gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Moralis exhortatio.
Ioan. 21. v. 15.
1. Petr. 2. v. 11.
Carnales voluptates diabolo militant.
Misericordiâ & largitate instruendus potissimum animus.
Edomanda priùs auaritia.
1. Cor. 13. v. 1.

S. HILARII ARELATENSIS
Episcopi in eodem festo.

HOMIL. I.

SCire debemus, charissimi, quòd hodierna festiuitas non minor est illâ, in quâ Natale Domini publico honore suscepimus: non minor est illâ celebritate, quâ ad nos de sinu Patris geminæ substantiæ Redemptor noster per partum matris aduenit. Ille enim natiuitatis dies Dominum ac Saluatorem nostrum terris dedit, hic cœlo reddidit: in illo Dominus verè hominem se esse in incarnatione confessus est, in hoc verò Deum se esse in ascensione testatus est: in illo gratiam dignantissimæ humilitatis, in hoc fidem manifestissimæ diuinitatis asseruit: in illo virginalis templi, in hoc cœlestis regni secreta patefecit: in illo die descendit redempturus nos, in hoc ascendit glorificaturus: in illo salutis nostræ inchoatio, in hoc perfectio continetur: in illo cœpit promissa, in hoc beneficia consummauit: atque in hoc miracula non sunt minora, quàm munera. In hac enim die arduas cœli sedes, quas ipsa hominis natura claudebat, Deus corporeus penetrauit.

Dei Natalis Christi, & Ascensionis parallela.

Sed in operibus Domini Saluatoris, non est hoc primum insigne virtutis. Non minus illud nouum est, quòd inter ipsa adorandæ natiuitatis beata primordia per innuptam veniens matrem ita inuiolabiliter sinum Virginis pertransiuit, sicut reuerenter impleuit. Vitium enim quod non habuit in conceptu, non sensit in partu. Non minus illud nouum est, quòd post gloriosæ passionis triumphum ad inferna descendens, portas æreas & vectes ferreos dominantis auctoritate effringens, peregrinum tenebris diem terribili regioni expauescendus ingessit. Expauescendus, inquam: descendente Domino expauerunt subitò inferi suum mortuum; expauerunt atque dixerunt: Nunquam vidimus talem mortuum. Sed iste viuit, & vita est: vtinam solus hinc recedat: non enim solus ad superna remeauit, sed absolutis spiritibus mortuorum testes secum religatæ mortis exhibuit. Non minus & illud nouum, quòd post resurrectionem in medio discipulorum glorificatum Dominici hominis inferens corpus, per opposita ostia vice lucis influxit, & corruptione carnali in spiritalem tenuitatem defæcatâ, & exinanita iam membra, per obiectos & duros postes infusa transmisit; vt quodammodò stupentibus cùm deesset aditus, in promptu esset ingressus. Sed quid mirum? Iampridem virtute consimili clauso materni pudoris signaculo, ianuam mundi huius intrauerat.

Mariæ in partu virginitas.
Descensus ad inferos.
Ingressus in cœnaculum clausis ianuis.
Homo Dominicus post Nestorium non benè audit.

Hodie stupendâ nouitate super cœlestes thronos terrenum corpus imponitur. Limus carnis humanæ, qui Deum portauerat in terrâ, in supernas sedes Deo subuehente portatur; diuinis humana miscentur, cœlestibus terrena sociantur. Ossa humiliata, & intra sepulchri angustias paulò antè conclusa, sideribus inferuntur. In gre-

Nec istud omninò purum, li-

mus siue homo qui Deum portauerat, potius, quem Deus portauerat, vt vna Dei & hominis persona intelligatur.

Psal. 23. v. 7.

mium immortalitatis mortalis natura transfunditur, quo facto Angelorum regnum humanæ conditioni vnn ascendente reseratur, & spe præcedente promittitur. Quod autem ait sermo diuinus, *Eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, agitur hoc loco præclara insignis pompa victoriæ. Non tam admirantes Angeli quàm stupentes, & ad magnitudinem nouitatis attoniti, peregrinam inferri substantiam in stationum suarum excelsa suspiciunt: & ideo honorabilem ad cœlos hominem triumphali agmine comitantes, quasi cum exclamatione admirationis interrogant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Præeuntes Archangeli modulatâ exultatione respondent: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Meritò itaque post peractam redemptionis nostræ administrationem, Regis suscepit dignitatem. In quibus verbis euidenter impietas Ariana confunditur, quæ deitatis gloriam ad solam Patris blasphemat pertinere personam. Ecce hic qui propriam gloriam putatur non habere, iste est Rex gloriæ. Tanta sunt quæ referuntur ad Filium, vt celebrari in Partem maiora non possint. Itaque in Domini sui sedem serui humilitatis vocantur. Agnoscamus ergo quia non ideo factus est homo, vt mancipium esset pœnalis inferni, vel pabulum concremantis incendij: sed potius colonus interminabilis regni, & ciuis cœlestis imperij.

Anima vnita corpori, vt in eo pugnans ac vincens, reportet gloriam.

Propterea itaque anima corpori sociata atque deuincta est, vt per agones & certamina quæ ei in hoc mundo proposita sunt, pugnando aduersus sacrilegas superstitiones, aduersus carnales oblectationes & mortiferas cupiditates; pugnando contra iram atque luxuriam, perennis gloriæ hæreditatem petat: & sicut aurum igni, ita præsentium tribulationum probetur examine. Vt non solùm ex Domini largitate gratuitam, sed etiam ex famuli seruitute deuotâ remunerationem speraret: vt spiritus expugnatis subactisque vitijs hanc inferiorem terrenamque materiam, post militiæ contubernium ad beatitudinis donatiuum secum raperet, & pariter in regionem lucis ad collegium fidele perueheret, atque in supernis sedibus collocaret: & germanam carnem vitæ huius administratione in omnibus sibi subditam, gaudens anima victricem in illâ die conspectibus retributoris offerret, & causam eius apud indulgentissimum remuneratorem commendaret, assereret, allegaret.

Animarum immortalitas fere agnita Philosophis; corporum resurrectio negata.

Et quidem animarum æternitatem sapientes mundi, & summi quique philosophi crediderunt pariter & docuerunt: Resurrectionem verò carnis, & ipsius carnis quæ vixit & mortua est, sapientia sæculi prætermisso lumine veritatis scire non potuit: hoc sibi insinuans, ac suis prædicans stulta persuasio: Totus (inquit) homo in animi intellectu, & sensus exercitio, & in mentis ratione ac vigore consistit: nulla est enim carnis vtilitas. Quid necessitatis est vt quæ nihil per se agere potuit, rursum suscitetur in vitam? Videamus, charissimi, si nihil in hoc sæculo egerunt, vel agunt iuncta spiritui suo carnis officia, virtusque hominis inter se opera conferant, vt dicat fidelis spiritus in die restitutionis auctori & reparatori suo: Suscipe Domine geminum animæ carnisque seruitium. Te iubente & adiuuante in illo sæculo communem hostem communi intentione deuicimus, habet itaque Domine speciales fructus & fragilitas corporis mei. Ego intel-

Labores virtutis cõmunes cùm fuerint spiritui & carni, debent esse & præmia.

lectu, discretione, consilio spiritaliter contra aduersarios steti: caro hæc corporaliter operis sudore, sobrietate, & ieiunijs dimicauit. Ad me pertinuerunt sacrificia, & supplicationes: ad hanc studia, & merita castitans. Ego quidem huic fidem, quam dederas, tradidi: sed contra impugnantia blandimenta virtutem de eius abstinentiâ & contritione mutuata sum.

Corpus solùm morte mulctatum ob peccatũ origin.

Dicat adhuc anima ad Deum suum, pro emundatione carnis suæ: Domine Deus dignante prouidentiâ tuâ caro hæc per me quidem animata atque vegetata est: sed sola ipsa pro originali & communi debito vim mortis expetta est: vtriusque transgressio, vnius est facta damnatio: pro iure factoris ac reparatoris ad me viuificatio, ad illam pertinuit correctio. Tu hanc carnem, dum in eâ saluti publicæ militas, honorasti: tu quidem intus in animâ faciem similitudinis tuæ nobilitate decorasti, sed in huius substantiâ fel, acetum, spinas, clauos, lanceam pertulisti. Tu quantum ad conditionem meam spectat quam ex homine suscepisti, in carnis huius vulneribus de diabolo triumphasti: tu non de meâ, sed de eius participatione factum pro hoc mundo sanguinem profudisti. Te in eâ Apostolus Thomas perfossum conspiciens latus, & per clauorum signa carnalia Deum esse testatus est. Tu in deitate tuâ per huius agnitus cicatrices, in suo hominem corpore reparandum & instaurandum esse docuisti: ego autem, nisi eam te suscitante recuperassem, ex inferis non redissem. In omnibus mandatis tuis ego imperium præiuli, illa famulatum. In commune laborauimus, sit commune quod tribues, quia sine illâ non patitur me iustitia tua recipere quod promittis. Agnoscamus ergo fratres, causas, quibus anima iam in paradisi beatitudine constituta, resumere proprij corporis desideret indumentum: vt qui simul desudauerunt in sæculi huius peregrinatione, simul illic glorificentur in requie. Laborandum itaque, & totis vtriusque hominis viribus luctandum est, vt nobilior portio inferiorem ad cœlorum secum excelsa sustollat potiùs, quam vt inferior superiorem in inferni profunda demergat.

Sola caro in Christo amara pertulit.

Ioan. 20. v. 28.

Mundanda animæ & corporis opera.

Cùm hæc ita sint, charissimi, opus est vt intelligamus quantum nitorem, quantam debeant habere munditiam, qui iustorum cupiunt intrare regionem, qui attingere optant Christi aulam & cœli regiam. Si aliquis ciuitatem magnam nobilibus & illustribus viris splendidam, immundis vestigijs, aut horridis adire præsumpserit indumentis: si eam pannis obsitus ac seminudus intraret, si dilaceratâ facie, si vel liuore fœdatâ vel vulnere, quanta illum confusio pudoris operiret? quantum verecundiæ pondus obrueret? Nónne illum circunstantia venerandæ congregationis officia de conspectu reuerendi iudicis præcipitem proturbarent? Et putamus, quòd animam peccatis horridam, & cœno fœtidæ corruptionis infectam, præferentem luxuriæ fœditates, dedecorosas impudicitiæ cicatrices, putamus quòd eam capere potuerit splendor cœlestium mansionum, & non potiùs illam ex Euangelio sententia damnationis excipiat, *Amice, quomodò huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Ligatis* (inquit) *manibus & pedibus*, id est, damnatis operibus & cursu totius vitæ, *ejcite eum in tenebras exteriores.* Satis ergo agamus, vt nihil in nobis iniustitiæ, nihil maculæ, tem-

Simile.

Matth. 22. v. 12.

Diluendæ hîc peccatorum maculæ, nullâ apud inferos pœnitentiâ.

pus metuendæ discussionis inueniat. Quandiu in hoc corpusculo positi sumus, conceditur nobis scissa redintegrare, maculata diluere, vulnerata sanare. Quicquid autem hîc non redemerimus mortiferâ securitate decepti, integrum nobiscum insanabili cum dolore reportabimus ad Sanctorum præsentiam, atque ad ipsam tremendi Iudicis maiestatem.

Malorum confusio in iudicio.

Et quid de nobis erit, si cum talibus ornamentis processuri sumus in illum conuentum omnium Sanctorum? quis dies ille? quæ trepidatio? quæ terræ & cœli spectatio erit, cùm inter aliorum præclara gesta & illustria merita, aliorum probra & dedecora proferentur? Et quid grauius? quid intolerabilius, quàm si illo tempore malorum ignominia reueletur, quo bonorum gloria manifestabitur? Multò enim inuidiosior & damnabilior erit causa criminum, sub assistentium comparatione virtutum. Quid erit terroris? quid miseriæ? quid mœroris, quando sub illo admirabili Apostolorum, Martyrúmque concilio, sub illo Angelorum sydereo ac præfulgente consessu, cum rubore veterum delictorum diuersis terra maculis anima producetur? Quando latissimam iniquitatum suarum confusibilémque vitæ totius historiam ante oculos suos videbit exponi, vt illam inaudita clamantium vox malorum, cõscientiâ obmutescente & deficiente, condamnet. Hæc omnia, quæ illic sanari non poterunt, hîc redimi possunt.

Quibus gradibus & scalis post Christum ascẽdamus.

Totis itaque fidei viribus nitamur, vt sicut Dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos quoque membra eius effecti, caput nostrum officiosis desiderijs ac bonorum operum studijs iam sequamur. Ascendamus post eum compunctione, beneuolentiâ, concordiâ, charitate: ascendamus & per ipsarum, si placet, adminicula passionum. Quomodò autem post eum per passiones nostras possimus ascendere si requiras, hoc vtique modo: si vnusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, & eminentiâ dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostris etiam vitijs scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Cæterum cum Christo, idest, cum humilitatis magistro non ascendit superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum Filio Virginis libido atque luxuria. Non vtique ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post iustum, nec infirmitates possunt ire post medicum. Si apparere absoluti illic volumus, hîc lacrymis ac ieiunijs culpas, & crimina in nobis nostra damnemus. Et proprio circa nos iudicio distringentes, sententiam æterni Iudicis præcurramus.

Hæc ex August.

S. PETRI CHRYSOLOGI

in superius Euang. de nonâ Christi manifestatione, factâ recumbentibus vndecim discipulis.

SERMO.

Sermo 83.

HOdie beatus Euangelista sic retulit Apostolos in ipso crucis tempore mensis deditos, inhiantes epulis, conuiuijs occupatos, Dominicæ passionis oblitos: *Recumbentibus*, inquit, *illis vndecim, apparuit Dominus.* Recumbentibus, Vbi? ad sepulchrum Domini, mox ad mensam serui? Hæc est seruorum fides? hæc discipulorum charitas? hic Petri ardor? hæc est Ioannis de ipso Christi pectore assumpta dilectio? hæc est tanto tempore, tantis donis, virtutibus tantis, affectio conquisita, vt in ipso articulo passionis, calente adhuc morte, recenti adhuc funere, exultantibus inimicis, insultante Iudæâ totâ, discipuli toto tori cultu, totáque discumbentium voluptate pranderent? Moysi mortuo assistunt Angeli, agit sepulchri curam Deus ipse: Iudaica castra sistuntur, dissimulatur iter, horrida eremi statio duratur, indicitur triginta dierum planctus & longo lamentationis obsequio seruile funus honoratur; & Christus verus vnus Dominus creator rerum, redemptor omnium, post illam tragicam passionem, post mortem, & mortem crucis, triduanas à discipulis lacrymas non meretur? Terra tremit, turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, Sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, & soli discipuli alto * sigmate, choro vno, toto otio, delicijs securi epulantur: & hoc fratres reuersus ab inferis ipse sic magister inuenit.

Marc.16.v.14.

Quid recũbentibus Vndecim? Hanc apparitionem indicat auctor ipsam quę ipso die Paschæ à Ioanne & Lucâ facta describitur; vt sicut Lucas, sic Marcus omissis plurimis cum Ascensione sic distantia vnâ narrationis serie coniunxerit.

Deut.34.v.5. Moysi sepultura à Deo curata, ac Iudæorũ planctu & statione honestata.

Recumbentibus ergo *illis vndecim, apparuit Dominus, &c.* Ad hæc, Petre fidelis, Petre deuotissime quid dicemus? *Recumbentibus illis.* Nunquid prandentibus? Fratres, hoc non erat discumbere, sed iacere: nec conuiuij erat chorus ille, doloris erat ille conuentus: ibi panis non erat gaudij, sed mœroris: ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula miscebantur. *Erant*, inquit, *clausi propter metum Iudæorum.* Si metuentes, si clausi, certè non prandentes: & si non prandentes, non erat domus illa, sed carcer: illud sigma non erat, sed sepulchrum: tunc tota ad discipulos pœna Dominicæ transierat passionis, & non solùm lateribus eorum, sed & cordibus doloris lancea tota figebatur: tunc tristitiæ clauis affixæ manus eorum, pedesque tenebantur: tunc illis acetum, tunc fel amaritudo Iudaica propinabat, tunc illis Sol occidit, dies fugit: tunc illorum mentes, animasque nox profundissima possidebat: tunc illos in perfidiæ scopulos, in naufragium fidei cogitationum tentatio sæuissima collidebat: tunc desperatio, quæ est inter omnia mala peior, & in aduersis venit semper extrema, funereis illos sternebat sepulchris: vnde sicut diximus, non discumbentes, non epulantes eos Dominus, sed iacentes inuenit, sed sepultos: & ideo exprobrat incredulitatem eorum; quia tantum crediderant desperationi, vt resurrectioni prædictæ à Domino nihil crederent, à seruis non crederent nuntiatæ: atque in se nihil fidei relinquerent & salutis; sed seculo mortui, sepulti mundo, vnam domum illam, vnum sibi esse omnes crederent iam sepulchrum. Hinc est quòd eos Dominus videns exemisse se mundo, ad mundum reuocat, remittit in mundum, dicens.

* Est nomẽ mensæ aut cœnaculi semirotũdi.

Tristis erat ille discipulorum conuentus.

Ioan.20. v.19.

Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ. Venite in mundum, vt qui putatis vos in vno omnes domicilio iam iacere, subiacere vobis omnem mundum repente videatis. *Venite in mundum vniuersum; prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ.* Hoc est dicere, Estote vos spes omnibus, qui vobisipsis desperationis causa fuistis: & incredulitas vestra quanta sit nunc probate, cùm videritis auditui vestro mundum credere, qui credere vestro visui nõ potuistis: & cordis vestri quanta sit duritia tunc

V.15.

Missi discipuli prædicatũ mundo Euangelium.

scitote, cùm senseritis, non viso me, orbe toto gentes ferocissimas me fateri, quem positum vestris in oculis vos negastis. Videbitis à terrâ diuisos, clausos insulis, pendentes rupibus, solitudine remotos, Magorum sciolos, Græcorum * querulos, Romanorum peritos, fidem fide solâ quærere, quam manu, digito, sulcatis meis vulneribus vos quæsistis. Sed quia meæ passionis, meæ mortis, meæ resurrectionis vos mitto testes, altiùs vos ista perscrutatos esse concedo, dummodò cunctatio vestra fiat eis, qui vobis credituri sunt, firmamentum.

* Fortè, *quæsitores*.

Discipulorum permissa incredulitas ad aliorum stabiliendam fidem.

V. 16.

Qui crediderit, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit.* Fratres, quod est anima corpori, hoc est baptismati fides: hinc est quòd qui generatur ex fonte, ex fide viuit: *Iustus*, inquit, *ex fide viuet*. Moritur ergo omnis, quicunque fuerit sine fide. *Qui crediderit*, quia Trinitas Deus vnus est, quia in Patre & Filio & Spiritu sancto vna est totâ æqualitate maiestas, quia deitas Trinitate diuisa est, non est vnitate confusæ, sed deitate vna est, est trina personis: quia Deus Trinitatis nomen est, quia Pater & Filius non recensendi sunt ordine, sed æstimandi sunt charitate: quòd Spiritus sanctus non est habendus inferior plùs, minúsve; non vt exterior habendus est plùs, minúsve, quia nescit exteriora diuinitas: quia Christus sic vt homo factus est, vt quòd Deus est permaneret: sic est mortuus, vt mortuos totis sæculis suâ resuscitaret ex morte: quòd non sibi resurrexit ille, sed nobis: quòd nos cœlo intulit, dum se sustulit cœlo: quòd sedet ad auctoritatem iudicis, non ad requiem fatigati: quòd veniet non loco, qui vbique est ad mouendum: neque vt mundum suum teneat, qui totum possidet mundum: sed vt mundus iam semper visionem sui mereatur auctoris. Credat homo etiam peccatorum remissionem, quia cœlestis regio cùm sit latissima, non capit peccatorem: neque de suorum desperet homo magnitudine peccatorum, quia si est quod Deus donare non potest, omnipotens non est. Credat & carnis resurrectionem, vt sit homo ipse: vt accipiat ipse qui peccat, pœnam: ipse præmium, qui laborat. Credat æternam vitam, ne locum habeat mors secunda. Quòd autem de humanis corporibus dæmones, id est, hostes effugantur antiqui, quòd ex vno ore varius effunditur sermo linguarum, quòd tacti per Christum nesciunt sua venena serpentes, quòd venenata pocula bibentes non valent nocere per Christum, quòd morbi corporum fugantur Christum prædicantis ad tactum, est, fratres, summum credulitatis indicium.

Fides ad baptismũ, quod est anima ad corpus.

Habach. 2. v. 4.

Rom 1. v. 17

Quæ sint fideli credẽda.

Comprehenditur sub articulis fidei, vt credamus, hominem ipsum, qui laborat, præmium accepturũ.

V. 17.

Signa, inquit, *credentes hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eycient, &c.* Homo ergo esto tibi per fidem medicus, ne cogaris extraneis medicis tuo dispendio subiacere, & carè, quod gratis possides, comparare. Orate fratres, vt & in præsenti medicinam semper fidei sentiamus: & in expectatione Christi positi, in aduentu eius securi de nostrâ conscientiâ gloriemur.

SANCTI GREGORII PAPÆ,
in superius Euang.

HOMIL.

Est hom. 29. in Euang.

QVòd resurrectionem Dominicam discipuli tardè crediderunt, non tam illorum infirmi-

A Paschate.

tas, quàm nostra, vt ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quàm de illorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene præstitit, quæ citiùs credidit, quàm Thomas qui diu dubitauit. Ille enim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de nostro pectore dubietatis vulnus amputauit. Ad insinuandum quoque veritatem Dominicæ resurrectionis, notandum nobis est quid Lucas referat, dicens: *Conuescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent.* Et post pauca: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Notate verba, signate mysteria. Conuescens eleuatus est. Comedit & ascendit, vt videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis. Marcus verò priusquàm cœlum Dominus ascenderet, illum de cordis atque infidelitatis duritiâ increpasse discipulos memorat. Quâ in re quid considerandum est, nisi quòd idcirco Dominus tunc discipulos increpauit, cùm corporaliter reliquit, vt verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctiùs impressa remanerent? Increpatâ igitur eorum duritiâ, quid admonendo dicat, audiamus.

Dubitatio Apostolorum, futura nostra firmitas.

Ioan. 20. v. 25.

Act 1. v. 4.

Ibid. v. 9.

Comedit Dominus ad astruendam veritatem suscitatæ carnis.

Mar 16. v. 14.

Increpat de cordis duritiâ discipulos ab eis discessurus.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Nunquid fratres mei, sanctum Euangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, vt de eo discipulis dicatur, *Prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine signatur homo. Sunt namque lapides, sed non viuunt nec sentiunt. Sunt herbæ & arbusta, & viuunt quidem, sed non sentiunt: viuunt dico non per animam, sed per viriditatem, quia & Paulus dicit, *Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Viuit ergo quod moritur, vt viuificetur. Lapides itaque sunt, sed non viuunt: Arbusta etiam sunt, & viuunt, sed non sentiunt. Bruta verò animalia sunt, viuunt, sentiunt, sed non discernunt. Angeli etiam sunt, viuunt, sentiunt, & discernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Euangelium, cùm soli homini prædicatur: quia videlicet ille docetur, propter quem in terrâ omnia creata sunt, & à quo omnia per quandam similitudinem aliena non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium designari. Antè enim dictum fuerat, *In viam Gentium ne abieritis*; nunc autem dicitur; *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, vt scilicet prius à Iudæâ Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cùm discipulos ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit. Et pauca grana mittit in semine, vt multarum messium fruges recipiat ex nostrâ fide? Neque enim in vniuerso mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantiũ non venissent. Sequitur.

V. 15.

Omnis creatura, homo.

1. Cor. 15. v. 36.

Verior expositio.

Matth. 10. v. 5.

Prædicatio Apostolorum semẽ is quædã.

V. 16.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat;

Vera fides cum operibus coniuncta est.

Tit. 1. v. 16.

1. Ioan. 2. v. 4.

Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quòd de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Ioannes ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Quod cùm ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus implemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus.

Abrenunciamus diabolo & pompis eius in baptismo.

Itaque vnusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat: & si seruat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus iam quia fidelis est, gaudeat. Sed ecce si quod promisit, minimè seruauit: ad exercenda praua opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est: videamus si iam scit plangere, quòd errauit. Apud misericordem namque iudicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod errauimus, abscondit.

V. 17.

Signa autem eos qui credituri sunt hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Nunquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terrâ iam coaluisse videamus. At si semel radicem in terrâ fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit, *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.*

Miracula initio Ecclesiæ necessaria.

1. Cor. 14. v. 22.

Ecclesiæ signa spiritalia.

Exorcismi in Ecclesiâ vsus.

Habemus de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtiliùs consideràre debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam Sacerdotes eius cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt? Et fideles quique, qui iam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes & potentiam, quantum præualent, narrant: quid aliud faciunt, nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas persuasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis totâ virtute concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant qui in propriâ actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, vt benè habeant? Quæ nimirum miracula tantò maiora sunt, quantò spiritalia: tantò maiora sunt, quantò per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa, fratres charissimi, auctore Deo, si vultis, vos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hæc operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hæc verò spiritalia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ

Signa corporalia aguntur quandoque sanctitatem, spiritalia aciunt.

A non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt, istis autem perfrui nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam Veritas dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Nolite ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed hæc quæ modò diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tantò securiora sunt, quantò & occulta: & de quibus

Matth. 7. v. 22.

B apud Dominum eò maior fiet retributio, quò apud homines minor est gloria. Sequitur.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. In veteri testamento cognouimus quòd Elias raptus sit in cœlum. Sed aliud est cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum terræ est proximum: vnde & aues cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Elias subleuatus est, vt in secretam quandam terræ regionem repentè duceretur: vbi in magnâ iam carnis & spiritus quiete viueret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Ille enim mortem distulit, non euasit. Redemptor autem noster, quia non distulit,

V. 19.

4. Reg. 2. v. 11.

Eliæ & Christi ascensionis differentiæ.

C superauit, eámque resurgendo consumpsit, & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declarauit. Notandum quoque est, quòd Elias legitur in curru ascendisse, vt videlicet apertè monstraretur quia purus homo adiutorio egebat alieno. Per Angelos quippe facta illa, & ostensa sunt adiumenta, quia nec ad cœlum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia suâ virtute ferebatur. Illò etenim reuertebatur, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cœlum, per diuinita-

D tem suam & terram pariter continebat & cœlum.

Sicut autem Ioseph à fratribus venditus, venditionem Redemptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus, atque ad cœlum aëreum Elias subleuatus, Ascensionem Dominicam vterque designauit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios & testes habuit, vnum ante legem, alium sub lege: vt quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Vnde & ipse ordo in eorum quoque vtrorumque subleuatione, per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias verò ad cœlum subuectus esse memoratur: vt veniret postmodum, qui nec trans-

Gen. 37. v. 28.

Gen. 5. v. 24.

Figuræ ascendentis Christi, Enoch & Elias.

E latus, nec subuectus, cœlum æthereum suâ virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carius suæ quoque munditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret, in ipsâ quoque eorum translatione, qui Ascensionem Dominicam, vt videlicet famuli designauerunt, & in seipso qui ad cœlum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem vxorem, & filios habuit: Elias verò neque vxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creuerit munditia sanctitatis: quod & per translatos famulos, & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur. Translatus namque est Enoch, & per coitum genitus, & per coitum

Castitatis excellentia.

generans. Raptus est Elias, per coitum genitos, A sed non per coitum generans. Assumptus verò est Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus.

Considerandum verò nobis est, qui est quod Marcus ait, *Sedet à dextris Dei:* & Stephanus dicit, *Video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* [Marc. 16. v. 19. Act. 7. v. 55.] Quid est quòd hunc Marcus sedentem, Stephanus verò stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis vel adiuuantis. [Sedet Dominus in cœlo vt index; stat vt propugnator.] Quia igitur Redemptor noster assumptus in cœlum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit: quia post ascensionis suæ gloriam, iudex in fine videbitur. B Stephanus verò in laboris certamine positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit: quia vt iste in terrâ persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnauit. Sequitur,

[V. 20.] *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid in his considerandum est, quid memoriæ commendandum, nisi quòd præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sunt? [Obedientiam secuta signa.] Sed quia auctore Deo breuiter lectionem Euangelicam exponendo transcurrimus, restat vt aliquid de ipsâ tantæ consideratione solennitatis dicamus. Hoc autem nobis primùm quærendum est, C quidnam sit quòd nato Domino apparuerunt Angeli, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino, missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. [Ascendente Domino visi Angeli in albis vestibus, non nascente.] Sic etenim scriptum est: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.* [Act. 1. v. 9.] In albis autem vestibus, gaudium & solennitas mentis ostenditur. Quid est ergo quòd nato Domino non in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus apparent, nisi quòd magna tunc solennitas Angelis facta est, cùm cœlum Deus homo penetrauit? D Quia nascente Domino videbatur diuinitas humiliata, ascendente autem Domino est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt, quàm humiliationi. In assumptione ergo eius Angeli in albis vestibus videri debuerunt; quia qui in natiuitate suâ apparuit Deus humilis, in ascensione suâ ostensus est homo sublimis.

Sed hoc nobis magnopere, fratres charissimi, in hac solennitate pensandum est, quia deletum est hodiernâ die chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim natura, cui dictum est; *Terra es, & in terram ibis,* [Gen. 3. v. 19.] hodie in cœlum iuit. Pro hac ipsâ namque carnis nostræ subleuatione, E per figuram beatus Iob Dominum auem vocat. [Christus ab ascensione appellatus auis.] Quia enim ascensionis eius mysterium Iudæam non intelligere conspexit, de infidelitate eius sententiam protulit, dicens: *Semitam ignorauit auis.* [Iob. 28. v. 7.] Auis enim rectè appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad æthera librauit. Cuius auis semitam ignorauit, quisquis enim ad cœlum ascendisse non credidit. De hac solennitate per Psalmistam dicitur: *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* [Psal. 8. v. 2.] De hac rursus ait: *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* [Psal. 46. v. 6.] De hac iterum dicit: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* [Psal. 67. v. 19.] *Ascendens* quippe *in altum, captiuam duxit captiuitatem,* [Eph. 4. v. 8.] quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. *Dedit* verò *dona hominibus,* quia misso desuper Spiritu, alij sermonem scientiæ, alij gratiam virtutum, alij gratiam curationum, alij genera linguarum, alij interpretationem sermonum tribuit. [1. Cor. 12. v. 8.] Dedit ergo dona hominibus.

De hac ascensionis eius gloriâ etiam Habacuc ait: *Eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* [Habac. 3. v. 11.] Quis enim Solis nomine, nisi Dominus: & quæ lunæ nomine, nisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ascendit ad cœlos, sancta eius Ecclesia aduersa mundi omnimodò B formidauit. At postquam eius ascensione roborata est, apertè prædicauit quod occultè crediderat. [Aucta Ecclesiæ fiducia à Domini Ascensione.] *Eleuatus est ergo Sol, & Luna stetit in ordine suo;* quia cùm Dominus cœlum petiit, sancta eius Ecclesia in auctoritate prædicationis excreuit. Hinc eiusdem Ecclesiæ voce per Salomonem dicitur: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* [Cant. 2. v. 8.] Considerauit namque tantorum operum culmina, & ait: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam (vt ita dixerim) saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos eius saltus cognoscere? De cœlo venit in vterum Virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepio venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, C de sepulchro rediit in cœlum. [Christi dispensationis saltus.] Ecce vt nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit, quia *exultauit vt gigas ad currendam viam,* [Psal. 18. v. 6] vt nos ei ex corde diceremus: *Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum.* [Cant. 1. v. 3.] Vnde, fratres charissimi, oportet vt illuc sequamur corde, vbi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos iam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis. Et hoc nobis magnopere est perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit: [Iudicij rigor.] & quicquid nobis cum mansuetudine præcepit, D hoc à nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora paruipendat, nemo curam sui dum valet agere, negligat: quia Redemptor noster tantò nunc in iudicium districtior veniet, quantò nobis ante iudicium magnã patientiam prærogauit. Hęc itaque vobiscum, fratres, agite, hæc in mente sedolà cogitatione versate. Quamuis adhuc rerũ perturbationibus animus fluctuet, iam tamen spei vestræ anchoram in æternâ patriâ figite, intentionem mentis in verâ luce solidate. Ecce ad cœlum ascendisse Dominum audiuimus: hoc ergo seruemus in meditatione, quod credimus. Etsi adhuc hîc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamẽ eum passibus amoris. E Non autem deserit desiderium nostrũ ipse qui dedit, Iesus Christus Dominus noster: Qui viuit & regnat cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri, *eiusdem Euang. expositio.*

NOuissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, &c. [Ex cõment. in Marc. c. 16. v. 14.] Quomodò *nouissimè*, quasi iam vltra eum non viderint? Nouissimum quippe illud est, quo Dominum Apostoli in terrà viderunt quando ascendit in cœlum, quod factum est quadragesimo die post eius resurrectionem. [Nouissima apparitio quam Marcus narrat.]

Nunquidnam tunc exprobraturus erat quòd non A credidissent eis, qui eum viderant resurrexisse, quando iam & ipsi post resurrectionem toties eum viderant? Illud ergo accipiamus: post multas demonstrationes eius, quibus per dies quadraginta discipulis suis præsentatus est, eum etiam nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuisse, id est, ipso quadragesimo die. Et quoniam iam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die maximè exprobrare voluisse, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderant, antequam eum ipsi viderent: cùm vtique post ascensionem suam prædicantibus illis Euangelium, gentes quæ non viderunt, fuerant credituræ. B Post illam quippe exprobrationem secutus ait idem Marcus:

V. 15. *Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate &c.* Hoc ergo prædicaturi, quoniam qui non crediderit condemnabitur, cùm id vtique non crediderit quod non vidit, nónne ipsi primitùs fuerant obiurgandi, quòd antequam Dominum vidissent, non crediderint eis, quibus Dominus apparuisset? Quod verò dixit eis:

Prædicate omni creaturæ, id est, omni nationi.

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: nunquid sanctum Euangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, vt de eo discipulis dicatur, *Prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine, potest omnis natio gentium designari. C Antè enim dictum fuerat, *In viam Gentium ne abieritis:* nunc autem dicitur, *Prædicate omni creaturæ*, vt scilicet priùs à Iudæâ Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset.

Matth. 10. v. 5.

V. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum factis* D *autem negant.* Hinc Ioannes ait, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Cùm autem dicatur; *Qui verò non crediderit, condemnabitur,* quid hîc dicimus de paruulis qui per ætatem adhuc credere non valent? Nam de maioribus nulla quæstio est. In Ecclesiâ ergo Saluatori per alios paruuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt.

Vides fidem sine operibus non prodesse.
Ti. 1. v. 16.
1. Ioan. 2. v. 4.
Credũt paruuli, alienâ & Ecclesiæ fide.

V. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, &c.* Nunquid quia ista signa non facimus, minimè credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresce- E ret, miraculis fuerat nutrienda, Quia & nos cùm arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terrâ coaluisse videamus. At si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quòd Paulus dicit: *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* An non habemus de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtiliùs considerare debeamus? Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam Sacerdotes eius cùm per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi dæmonia ejiciunt? Et fideles quique,

Miracula initio Ecclesiæ necessaria.
1 Cor. 14. v. 22.
Signa spiritalia in Ecclesiâ.
Exorcismi, ante baptismum præmittebantur.

qui iam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes & potentiam, quantum præualent, narrant, quid aliud faciunt nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eos nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis totâ virture concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propriâ actione titubant, quid aliud faciunt nisi super ægros manus imponunt, vt benè habeant? Quæ nimirum miracula tantò maiora sunt, quantò magis spiritalia., Tantò maiora sunt, quantò per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, &c. Considerandum nobis est, quid est quòd Marcus ait, *Sedet à dextris Dei*, & Stephanus dicit, *Video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Quid est quòd Marcus hunc sedentem, Stephanus verò stantem se videre testatur? Sed scimus, quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis, vel adiuuantis. Quia ergo Redemptor noster assumptus in cœlum & nunc omnia iudicat, & ad extremum Iudex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriam iudex in fine videbitur. Stephanus verò in laboris certamine positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit. Quia vt iste in viâ persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnauit. Sequitur: V. 19.

Christus in cœlo sedet iudex, stat propugnator.
Act. 7. v. 55.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, &c. Quid in his considerandum est, quid memoriæ commendandum, nisi quòd præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sunt? Inter quæ notandum quod Euangelium suum Marcus quantò tardiùs cæteris inchoauit, tantò in longiora scribendo tempora porrexit. Nam neque de natiuitate ipsius Domini, aut Præcursoris eius, neque de infantiâ, vel pueritiâ vtriuslibet eorum aliqua commemorans, neque de natiuitate Saluatoris altiùs scribens, excepto quòd eum in capite Euangelij sui Filium Dei nominat, ab initio Euangelicæ prædicationis, quod per Ioannem factum est, cœpit: & ad illud vsque tempus narrando peruenit, quo Apostoli idem Euangelii verbum totum prædicando disseminauere per orbem. V. 20.

Marcus tardiùs inchoans, lõgiùs cæteris Euangeliũ protrahit.

Restat sanè quæstio non minima, quomodò scripserit idem Euangelista, dixisse Angelum mulieribus: *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, vbi eum videbitis, sicut dixit vobis*; nec tamen ibi visum à discipulis Dominum in vllo post hæc Euangelii sui loco retulerit. Et quidem Matthæus abiisse discipulos dicit in Galilæam, ibique Dominum vidisse, & adorasse, & præceptum ab eo accepisse eundi, docendi, baptizandi omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Attamen inspecta aliorum scriptura Euangelistarum docet eum sæpiùs antea visum discipulis, maximè ipso die resurrectionis eius in Hierosolymis, & in castello Emaus. Quare ergo specialiter se in Galilæam præcessurum, & ibi à discipulis videndum prædixit: cùm neque ibi solùm, neque ibi primùm fuerit visus? Videamus ergo cuius mysterii gratiâ

Sup. v. 7.
Cur promissum videndum Dominum in Galilæâ.
Matth. 28. v. 16.

ſecundum Matthæum & Marcum reſurgens ita A mandauerit, *Præcedam vos in Galilaam, ibi me videbitis.* Quod etſi completum eſt, tamen poſt multa completum eſt, cùm mandatum ſic ſit (quanquam ſine præiudicio neceſſitatis) vt aut hoc ſolum, aut hoc primum expectaretur fieri debuiſſe.

Promiſſio hæc, prophetia eſt vocationis Gentium.

Procul dubio ergo, quoniam vox eſt iſta non Euangeliſtæ narrantis quòd ita factum ſit, ſed Angeli ex mandato Domini, & ipſius Domini, Euangeliſtæ autem narrantis, ſed quòd ita ab Angelo & à Domino dictum ſit, propheticè dictum accipiendum eſt. Galilæa namque interpretatur vel tranſmigratio, vel reuelatio. Priùs itaque ſe- B cundum tranſmigrationis ſignificationem, quid aliud occurrit intelligendum, *Præcedet vos in Galilaam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis*, niſi quia Chriſti gratia de populo Iſraël tranſmigratura erat ad Gentes, quibus Apoſtoli prædicantes Euangelium nullo modo crederentur, niſi eis ipſe Dominus viam in cordibus hominum præpararet? Et hoc intelligimus; *Præcedet vos in Galilaam.* Quòd autem gaudentes mirantur, diſruptis & euictis difficultatibus aperiri ſibi oſtium in Domino per illuminationem fidelium, hoc intelligitur, *Ibi eum videbitis*; id eſt, ibi membra eius inueneris. Ibi viuum corpus eius in eis, qui vos ſuſceperint, agnoſcetis. Secundum illud C autem quòd Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in formâ ſerui intelligendum eſt, ſed in illâ in quâ æqualis eſt Patri, quam promiſit apud Ioannem dilectoribus ſuis cùm diceret: *Ego diligam eum, & oſtendam illi meipſum.* Non vtique ſecundum id quod iam videbant, & quod etiam reſurgens cum cicatricibus non ſolùm videndum, ſed etiam tangendum poſtmodum oſtendit. ſed ſecundum illam ineffabilem lucem, quâ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſecundum quam lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt. Illuc nos præceſſit, vnde ad nos veniens non re- D ceſſit, & quò nos præcedens non deſeruit. Illa erit reuelatio tanquam vera Galilæa cùm ſimiles ei erimus, ibi eum videbimus ſicuti eſt. Ipſa erit etiam beatior tranſmigratio ex iſto ſæculo in illam æternitatem, ſi eius præcepta ſic amplectamur, vt ad eius dexteram aggregari mereamur. *Tunc enim ibunt ſiniſtri in combuſtionem æternam.* Hinc illuc tranſmigrabunt, & ibi eum videbunt, quomodò non vident impij. *Tolletur* enim *impius, ne videat claritatem Domini*, & impij lumen non videbunt. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum* E *Chriſtum*; ſicut in illâ æternitate cognoſcitur, quò ſuus perducet per formam ſerui, vt eum liberi contemplentur per formam Domini.

Galilæa, tranſmigratio.

Galilæa, reuelatio.

Ioan. 14. v. 21.

Ioan. 1. v. 9.

1. Ioan. 3. v. 2.

Matth. 25. v. 46.

Iſai. 26. v. 10.

Ioan. 17. v. 2.

LEONIS, ÆTERNI REGIS

Chriſti gratiâ, Imperatoris Oratio, Quando Deus in cælos cum aſſumptâ ex nobis naturâ aſcendit Verbum Deus homo, eámque collocauit in Paterno throno.

DOmini reſurrectione, abſorptum eſt quod mortale erat; ac immortalitatis partu renati ſumus; diuinâque, ad quam fueramus conditi, imagine receptâ, pelliceas tunicas exuimus: at nunc abundè diuinis, diuiniora largitur meus Ieſus. Magnum quidem, ac diuinam decens miſericordiam, lapſos erexiſſe, corruptoſque reformaſſe, ac priorem reddidiſſe formam, cùm nihil ipſe à nobis accepiſſet: neque enim quicquam contuleramus: ſed donauit adeò immenſa, non modò gratis; verùm etiam, cùm multos ipſe labores, daturus exhantlaſſet. Par enim erat, vt qui miſericordiâ motus condidiſſet, non modò propriis manibus nos crearet; ſed & figmentum malè affectum, ſuis ipſe certaminibus liberaret. Quiſnam enim tantam curam agat, quantam figmenti agit conditor? Lapſum autem non modò erigere, ſed & in eodem ſecum throno collocare, quorum quis viſcerum, ac ſolicitudinis dicat? Id hodie vnigenitus Dei Filius implens, terreſtrem quidem, pro humanâ ratione, conuerſationem reliquit; aſcendit verò ad Patrem, qui miſiſſet; eique primitias, ac quo reconcilietur, quam ex nobis carnem induerat, offert. Hodie namque puluis noſter, ſupra Cherubinorum ſuſcipitur humeros, intráque intima receptus adyta, regali ſolio collocatur. Hodie ſupernæ Virtutes, formam videntes materiæ concretam, quaſi dorſo ſpiritalium, ac expertium corpore iouectam, Domini auctoritate in cœleſtes aſcendentem axes, ancipites animi, quidnam hoc eſſet, hæſitatunt. Hodie Saluator, poſtquam diſcipulis in monte Oliuarum, verba ſuprema humano more feciſſet, diuinâ poteſtate ab eis in cœlum euolauit. Enimuerò, aſſumens Saluator Diſcipulos, vnà cum eis aſcendit in montem Oliuarum: quod nimirum mons ille ſacer locus eſſe conſueuiſſet, vbi Ieſus opera quæque abſtruſiora deſignaret. At videtur mihi, hoc præterea ſuo factu voluiſſe, ſublimioris cuiuſdam viuendi rationis diſciplinam, mortalium animis inſcribere. Nulla enim eſt Chriſti Saluatoris actio, in quâ non ſpiritalior intelligentia, ac ſenſus lateat. Quid igitur doctrinæ hîc nobis præſcribitur? Videlicet eos, qui regna cœleſtia ſcandere deſiderant, debere caduca hæc & humilia tranſcendere; & in altum virtutis ſine intermiſſione eniti, & ſubuolare; ſin minus; at certè eos qui à terreſtri iſto emigraturi ſunt tabernaculo; ſiquidem curæ nobis ſit, cùm hinc emigrandum erit, benè nobis eſſe.

Cur Chriſtus montẽ Oliuarum petit aſcenſurus in cœlum.

Vultis, vt & numerum dierum expendamus? Puto enim non ingratam ſpiritalem eorum conſiderationem iis fore, qui penitiùs talia introſpicere conſueuerunt. Neque enim ita temerè, ac nullâ ratione habitâ, eum numerum arbitror Dominum compleuiſſe; nec niſi arcano, ac ſecretiori conſilio, ſtatim tranſacto illo dierum numero, cœlos petiiſſe. Quid ergo dicimus? Nimirum, videmus legem futurorum habere imaginem, ac quæ ſtatu ſuo, ſtatum illi ſuccedaneum iis repræſentet, atque demonſtret, qui mentem planè excæcatam non habent. Cùm ergo lex, illis, qui ex corruptione nati fuerant, per hunc numerum tanquam per ſacrum quendam introductorem, ac æditum, aditum ad ſancta concederet, ac patefaceret: hinc etiam hoc numero dierum abſoluto, Chriſtus primogenitus ex mortuis factus, ac figmento immortalitatem initians, in ſupercœleſte ſuum templum ingreſſurus, aſſumitur. Verùm ita ſpiritalis eiuſmodi intelligentia habeat; quam fortaſſis contemplationi deditior animus, haud grauatè aſſequi queat. Nos autem, ad ſacratiſſimum illum montem abeamus, vbi Saluator manûs extendens, benedictionem diſcipulis impertit. Sacro pariter choro aggrege-

Cur aſcendat quadrageſimo à reſurrectione die.

mur, ac ea, quæ in monte peraguntur, secretiùs condiscamus. Sub illas nos manus ingeramus, quæ expansæ, discipulis, ac per eos vniuerso mundo, benedictionem velut sorte distribuunt. Extendit enim meus Iesus manus, non iam transfixas; neque vt maledictum ipse vocetur, qui me à maledicto exsoluat; sed vt per discipulos vniuersus locupletetur orbis; vtque diaboli manus toto terrarum orbe exporrecta, irrita reddatur, ac inefficax. Explicat manus, vt suprema monita in cordibus eorum consignet, ac benedictione ad eximium Euangelij prædicandi ministerium incitet; more patris, filios suos tenerrimè, ac ardentissimè amantis; qui potioribus aliis euocantibus vix inuitus recedens, iis illa committat, quæ ipse hactenus administrare soleret. Verùm nihil satius, quàm vt diuina ipsa oracula audiamus, Quid igitur illa?

Gal. 3. v. 13.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. O spectaculum, iucundissimum quidem propter promissum Paracletum; vt tamen puto etiam tristitiæ aliquid discipulis afferret; eò quòd in posterum non essent ampliùs fruituri dulci illâ Magistri præsentiâ secundum carnem, atque conuictu. Nam etsi ab omni humano affectu quàm longissimè recessissent; haud tamen iurè affirmarim, nihil eos affectos esse, neque inimis visceribus acri dolore fuisse perculsos, cùm eum, in quo omnes spes suas sitas habebant, ac cui se totos addixerant, ab ipsis iam segregari viderent. Si enim ante passionem suam, cùm Dominus dixisset, aduentare tempus vt ipsus desereret, & ad eum, à quo missus fuerat, reuerteretur, præ languore mentis in grauem mœrorem inciderunt; quanquam ipsum coram intuerentur, ac loquerentem audirent: quid illis euenisse censendum est, postquam se solos relictos conspicati sunt? Nam animo quidem secum voluebant, ac cogitabant ex diuino illo ascensu, pollentem Magistrum dominio in omnes creaturas: haud tamen memoriâ excidebat dulcedo illa, quam eis illius in carne præsentia ac consuetudo instillabat. Ascendit ergo Saluator super nubes; eumque illi oculis comitati, beato illo spectaculo quasi suspensi tenebantur, neque inde palpebras auertere ferebant. Audierunt verò qui de cœlis in has voces clamarent: *Quid sic statis aspicientes?* quique fore nuntiarent, vt eundem Iesum iterum visuri essent, quâ eum tatione assumi videbant. Quid hoc rei? Egregium quiddam, & ad consolandos discipulos per quàm accommodatum. Tantùm enim non dicebat illa vox: Viri Galilæi, Magister non omninò à vobis separatur, neque est quòd vereamini fore, vt à vobis digressus, beneuolentiam illam erga vos, quam præsens præ se ferebat, intercidat: sed si mandata eius accuratè obseruaueritis, videbitis rursus eum, vt iam videtis; neque seiunctio vllâ ratione à vobis alienum reddet. Ne igitur cogitationes vestræ vos conturbent. Reuocate in memoriam ea, quæ presens vobis dixit: fore nimirum vt cum eo sedeatis super thronos iudicaturi Israëlem. Quod si hæc obliuioni tradidistis, at iam ex his, quæ auditis, memoriam reuocate. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hæc quidem isti inclamabant.

Luc 24. v. 5. Tristitia, ac gaudio mixtus Apostolis Christi triumphus.

Ioan. 16. v. 6.

Act. 1. v. 10.

Angeli cõsolantur: ita etiã Chrysost.

Matth. 19. v. 28.

Act. 1. v. 10.

Alij verò, vt portæ attolerentur monebant; nuntiantes superioribus Virtutibus, Regis gloriæ aduentum. At illæ, nouo nuntio obstupefactæ, rogabant; *Quis est iste Rex gloriæ?* Nimirum, qui descensum non intellexerant, subdubitant de ascensu. Nihilominus tamen portas pandunt, ac Regi obuiam procedunt, stipantque & comitantur eum, qui nostro nomine Patri obedientiam offerebat: atque in gloria maiestatis sedenti assistere. Hoc dispensationis circa nos peractæ complementum. Hoc eius qui incarnatus fuerat studium, ac labor indefessus; vt nimirum hominem per inuidiam deiectum, atque ad terrenam sortem delapsum, nedum ad immortalem statum reduceret, sed & Regem creatum, cœlesti solio, ex quo inuidus ille ceciderat, dignaretur. At, ô Dei Verbum, qui ad tantam gloriam nostrum puluerem euexisti, qui diuinâ omnia maiestate reples; qui iis, qui te sustinent, semper te affuturum promisisti; populum quem me regere voluisti, ipse præsens nobis, tuâ dexterâ guberna, ducens in viam salutis; omniáque aduersa, maximè verò ea, quæ animabus detrimentum afferunt, propulsans. Da, vt qui nobis, tui occasione nominis aduersantur, tuâ potentiâ agnitâ, vnà nobiscum te concinant; quòd omnium salutis causâ, ineffabilem illam feceris dispensationem; decétque vt te omnis lingua celebret, quia tuum est regnum & potentia, & gloria, in sæcula sæculorum: Amen.

AVCTORIS DE OPERIBVS *Christi Cardinalibus, S. Cypriani nomine, in eodem festo.*

SERMO.

Celebratâ in cruce soleoni victoriâ, cùm iam templum corporis sui, quod persecutio Iudæorum effoderat, Dominus reparasset, noluit statim ad Patrem ascendere, & glorificati corporis præsentiam inserere cœlestibus: sed necessariâ dispensatione discipulorum infirmitati consulens in vtiliter distulit, & quadraginta diebus in terrâ conuersatus, & visus est sæpe & loquutus cum Apostolis, & manducauit & bibit, & vulnera quæ ad dubitatem eorum tollendam, in corpore reseruarat, & videnda & palpanda exposuit, & impleta in se quæ in Scripturis erant prædicta, euidentiâ rerum edocuit. Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, vt recollectis, quos in fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumentis apperens, mentes quæ diffidentiâ titubauerant, solidaret: nec esse phantasticum, sed verum corpus quod surrexerat, tam comessationibus, quàm contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, imò vt discipulorum desideria recessionem eius corporalem ambirent: quia spiritualis præsentiæ plenitudo quandiu conspectu carnis præsens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus assueti carerent, cùm inhabitator Spiritus sanctus eorum animas possidens, inuisibili accessu sinceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro Patrem luminum: & substantia rerum sperandarum proposita, apparentia sepeliret: nec incertitudinis scrupulus superesset, cùm Dominus & Magister, quem verum hominem probauerant, eis videntibus cœlum ascenderet: sed iam securi se crederent securos,

Quare Christus post resurrectionem suam non statim ascendit in cœlum.

A turos, nec esse impossibile, quin & ipsi in carne & spiritu ad superos transferrentur. Omnibus itaque ad tam delectabile spectaculum aggregatis: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.*

Ioan. 20. v. 17.

Fideles, filij Dei, & Fratres Christi.

Horum verborum auctoritas, cùm iam eorum virtutem Spiritus sanctus intimasset, omnem poterat excludere diffidentiam: & hilarescebant animi eorum paternitatis diuinæ illustrari honore, & fraternitatis Christi honorati consortio, cùm audirent, & crederent se filios Dei, & fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo, & sufficientia inerat: nec iam quasi idiotæ & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter, B sed subtilissimè generationem & dignitatem creaturæ à voluntate & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem & similitudinem Dei in interiori homine videbant: & dignoscebant intellectu potiùs quàm visu, quam affinitatem habeant inter se Pater & Filius: & quia substantiuo & naturali Filio filij adoptiui conformes à primâ origine multa habeant ex naturâ, & multa ex gratiâ.

Sanè huius generositatis consortium, secundum quam simul cum Christo filij Dei sumus, nobilitatem existentiæ nostræ exponit, & intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omninò non posse Patrem dissidere à filiis, sed deiformibus tantum esse ad paternitatem C accessum:

Filiorum preces quâ-tæ apud Patrem efficaciæ.

nec posse pati ad hæreditatem possidendam dispositos in petitionibus diuinis repulsam, sed in quibuscunque filius filialiter genitorem appellauerit, necesse est bonitatem largitoris iustè supplicantis prosequi voluntatem: maximè cùm ipse Pater qui largitur, iusta suggerat peti, quæ non differt benignè largiri. Et quidem Paterna charitas bonis filiis, & hæredibus maximè delectatur:

Non nocet Christo naturâ Filio, aliorum adoptio.

& hoc gloriæ Christi vnigeniti dilecti accumulat, quòd beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem, sed addidit fratres: non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes, & consortes. D Quod cùm ipsum qui Pater est, constet esse Deum, & eum Deum nostrum sicut & suum Filius attesteiur: in eo quòd filij sumus ipse nos possidet, in eo quòd noster est Deus, quod nostrum est; ipsum cuius proprij sumus, propriè possidemus.

Deus noster est, & nos eius.

Psal. 117. v. 28.

Psal. 80. v. 11.

Dico igitur Domino meo, *Deus meus es tu*: & dicit mihi Dominus meus: *Ego Dominus Deus tuus.* Homo cuius Deus est, quid ampliùs quærit? Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.

Qui Deo sufficis, quidni tibi Deus.

Psal. 15. v. 2.

Psal. 49. v. 12.

Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre. Si esurierit, non dicet tibi. Eius est orbis & plenitudo eius, & magnitudinem eius cœli cœlorum non capiunt: non infirmatur, non eget indumento, vel cibo: omnia scit, omnia potest, omnia continet: *in ipso omnes viuimus, mouemur, & sumus.*

Act. 17. v. 28.

Quid tu ei quasi indigo conferes? Te solum bonitate, non necessitate desiderat. Scriptum est, & ipso iubente tabulis insculptum lapideis, *vt diligas eum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ.*

Deut. 6. v. 5.

Dilige, & diligêris: prope est merces tua, in manibus porrigitur præmium: esto tu Dei, & erit tuus Deus tuus.

Triginta argenteis appretiatus, qui obedientiâ vsque ad mortem redemit mundum.

Impar sanè commercium, pretium inæquale: sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit A pro mundo, dissimilitudo: cùm ipse exiguo argento emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, vt dubium esse non possit, quin pretij magnitudo superaret negotium: nec æquari posset damnum, quod omninò damnatio iusta meruerat, obedientiæ Christi, quæ gratis vsque ad mortem progressa est, & vltrò soluit quod non debebat.

Apostoli Ascensionē læti præstolantur.

His intellectis Apostoli sicut filij Prophetarum olim verum Eliam ascensurum sciebant, & horam illam præstolabantur gaudentes: nec iam anxiebantur parturientes, sed exortâ lætitiâ parati erant prosequi recedentem, minimè dubitantes, quin & ipsi post modicum conuersationis B huius, postquàm de torrente passionis in viâ hac bibissent, exaltato capite & erecto, se ad cœlestia Dominum secuturos.

Ascendit Christus propriâ diuinitatis virtute.

Eleuatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus, sed naturæ diuinæ propriâ vsus virtute carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum Patris conspectibus præsentauit.

Angeli comites triumphi Christi.

Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus: sed præcedentes & subsequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cœlos consonantiæ illius harmoniâ; Thronis & C Dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem concessum, Cherubim & Seraphim, pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus, & splendoribus supercœlestibus, quos nec ardor perseuerans consumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscondit.

Luc. 2. v. 14.

Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœlestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Bethlehemiticis decantauerunt in sublimi præconia, modò expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad Patrem solenniora obsequia impendebant, & festinis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum; quem D gloriâ & honore coronauerat Pater; & ad dexteram suam collocatum, hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & super omne nomen eius nomen excellentiùs coleretur.

Phil. 2. v. 10.

Immensa in cœlo iucunditas ex Christi susceptione & triumpho.

Quanta in eius susceptione in cœlis iucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare: rei huius magnificentia omnem superat intellectum. Si linguis hominum vel Angelorum quis eloquatur, vel ad hoc cuiuslibet elaboret acumen ingenij, vt definire velit, quæ Patris in reditu Filij hilaritas fuerit: aut si fortè illud sempiternum gaudium aliquod tunc admiserit incrementum, si stabilitatis E æternæ se aliquo modo mutare possit immobilis magnitudo: scrutator ille maiestatis opprimetur à gloriâ, & verendum est, ne dum vehementiùs exprimit verba quàm oportet, sanguinem pro lacte emungat. Attamen inuisibilem Deum visibilem Filium recepisse ad dexteram suam, manifestum est, & humilitatem carnis nostræ thronu iudiciario honoratam: Paternæ complacuisse altitudini duo genera gentium ciuitati supernæ, de quâ gloriosa dicta sunt, deinceps assignare, & esse supramansionarios homines & Angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari.

Angeli & homines assignati deinceps cœli ciues.

Hæc merces obedientiæ Christi, hæc crucis & mortis stipendia: hic passionis labor promeruit, vt cor-

pus humilitatis nostræ fieret corpori claritatis Christi conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & & fierent homines cum Christo in cœlestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vsque ad mortem tribulationum consortes.

Hac die primùm inuecta est cœlis hæc nouitas inandita, & gauisus est Pater hæreditate amplificatâ, sobole multiplicatâ, promissionibus, quas loquutus fuerat in Prophetis, redditis & completis. Solum ad hæc quæ prędicta sunt restat iudicium, & examinationi vltimæ adhuc reseruant antiqua oracula locum. De iudicio quippe & angustiâ Christo sublato, superest post misericordiæ tempora quæ ad finem festinant, vt iustitiam comitetur iudicium: & habeant singuli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo Angeli Christo ascendente testati sunt, quia qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus: & videret collecta in vnum generalitas hominum quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conspuerat, & prolatâ in medium inflexibili sententiâ, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum sequentur lamenta? illius vltimæ tubæ clangor quàm horribilis erit? continuus erit & superfluus illatum lachrymarum decursus: stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur: & omni tormento atrociùs desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur vltrà Deus, neque tunc audiet pœnitentes: sera erit illa confessio, & cùm clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, vlteriùs non descendet, non vltrà videbunt Deum in tenebris sigillati: irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.

Indicium vltimum.

Reproborũ pœna.

Luc. 16. v. 24.

Desperatio atrocissimũ illorũ tormentum.

Matth. 25. v. 11.

Exultabunt sanè Sancti in gloriâ: videbunt Deum & gaudebunt, lætabuntur & delectabuntur, & fruentur gloriâ, & in fœlicitate iocundabuntur æternâ. Ibi non gustabunt quàm suauis sit Deus, sed implebuntur, & satiabuntur dulcedine mirificâ; nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit: non senescent, non tabescent, non putrescent amplius: perpetua sanitas, felix æternitas, beatitudinis illis sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non vltrà vlla exurget rebellio carnis: sed totus hominis status pudicus & pacificus, sana ex integro natura, sine omni maculâ & rugâ deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præsentia omnes animæ & corporis implebit appetitus, cessabúntque de cætero consummatis omnibus ministratorij Angelicarum virtutum discursus: & impletâ, ordinatáque omninò ciuitate Dei, nec innouabitur nec mutabitur vltra fixæ & consummatæ beatitudinis status. Ei igitur, ante cuius tribunal stabimus, qui nunc vultui Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, vt pro nobis vellet nasci & mori, in præsenti quæsumus, vt sic cura curandi nos, & nobis auctoritatem & potestatem iudicandi nosmetipsos & corrigendi concedat, vt in illo terribili iudicio suo inter electos asciri & congregati, liberi à seruitute & captiuitate, cœlestibus ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quæ ipse diligentibus se repromisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit.

Psal. 149. v. 5.

Beatorum gloria & felicitas.

Præsentiâ Dei omnes animæ, & corporis implebuntur appetitus.

SANCTI BRVNONIS SIGNIENSIS *Episcopi, superioris Euangelij expositio.*

VEnit ad discipolos suos Dominus Iesus, inuenit eos recumbentes, inuenit eos manducantes, & bibentes: discubuit cum illis, manducauit, & bibit cum illis, vt se non phantasmaticum, sed verum corpus assumpsisse ostenderet, & suâ eos præsentiâ roboraret. Redarguit eos de infidelitate suâ, confirmauit eos colloquio suo. Et sicut scriptum est, *Conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Quicunque igitur es qui sancti Spiritus promissionem expectas, noli ab Hierosolymis discedere, noli Ecclesiam relinquere, noli Sanctorum consortium deserere: ibi expecta, ibi mane, quia nulli extra Ecclesiam datur Spiritus sanctus: & eos etiam, qui habent, si ab eâ se separauerint, derelinquit. Redarguit autem eos propter duritiam suam, reprehendit eos de infidelitate cordis sui. Quamuis enim Simon Petrus, & Maria Magdalena, & duo illi discipuli, quibus in specie peregrini Dominus apparuerat, certissimè, firmissiméque nuntiarent Dominum resurrexisse, séque illum vidisse, cæteri tamen illis non credebant. Et quid mirum est, cùm nec sibi ipsis, nec suis oculis crederent, & eum videntes non viderent? Narrat enim Matthæus Euangelista, quòd *vndecim discipuli abierunt in Galilaam, in montem, vbi constituerat Iesus illis, & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* Non enim verum corpus, sed spiritum se videre putabant. Vnde ipse ait: *Palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et fortasse hæc tanta illorum dubitatio ex immẽso amore procedebat. Non enim facilè credimus, quod multum desideramus: sicut econtrà quod timemus, leuiter posse accidere credimus.

Marc. 16. v. 14.

Act. 1. v. 4.

Ab Hierosolymis nõ discendendum, vt accipias Spiritum sanctum.

Matth. 28. v. 16.

Luc. 24. v. 39.

Longa dubitatio discipulorum ex impensiori amore.

Et dixit eis, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Priùs enim dixerat, *In vias Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Non enim sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Nunc autem eos præcipit ire in vniuersum mundum. In quo Iudæorum abiectio, & Gentium electio apertissimè monstratur. Vnde & illi à Patre dicitur, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quod autem ait: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; alius Euangelista exponit, dicens, *Ite, docete omnes Gentes.* Idem enim per omnem creaturam, & per omnes gentes significatur. Sic enim Apostolus ait de charitate, *Quia omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: quod quidem verum non est, nisi aliter determinetur. Si enim charitas omnia credit, credit vtique Pharisæis, & Sadducæis, aliis affirmantibus, aliis negãtibus resurrectionẽ: quod fieri non potest. Non igitur charitas omnia credit. Sic ergo determinetur, omnia credit, quæ credenda sunt. Similiter igitur & id, quod dicitur: *Prædicate Euangelium*

V. 15.

Gentium electio, Iudæis reprobatis.

Matth. 10. v. 5.

Matth. 15. v. 24.

Psal. 2. v. 8.

Matth. 28. v. 19.

Omnis creatura, idẽ ac omnes gentes.

1. Cor. 13. v. 7.

Regula interpretandi Scripturas, vt vniuersalis accipiatur sensu accommoda-

omni creaturæ, determinandum est, vt sic dicatur: Omni creaturæ prædicate Euangelium, cui prædicandum est. Non enim est Euangelium prædicandum vel lapidibus, vel alijs quibuscunque rebus sensu, & ratione carentibus. Sunt autem qui hæc subtiliùs intelligentes, ea quæ plana sunt difficilia reddunt. Et multa quidem in Prophetis, & Apostolis, & in verbis Dominicis reperiuntur, quibus hæc vna determinatio sufficere potest. Quale est illud, *Cùm exaltatus fuero à terrà, omnia traham ad meipsum*: cui si addatur, quæ trahenda sunt, nihil erit inconueniens. Aliter autem, quanta inconuenientia sequuntur, quis non intelligat? Valde enim pauca sunt ea, quæ illuc trahuntur, ad comparationem illorum quæ ad se Dominus non trahet: siquidem solos homines, & ipsos non omnes traher ad se. His igitur & similibus facilè intelligitur, quid in eo significetur, quod dicitur, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*.

Gregoriū videtur carpere: nec enim auctor iste est illo antiquior.
Ioan. 12. v. 32.

V.16.
Matth. 22. v. 37.

Cui videlicet Euangelio *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. Dicit tibi Euangelium: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum*. Hoc enim consilium si credideris, & feceris, saluus eris. Dicit autem & alia multa, quæ & salutem parant, & vitam æternam. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quamuis enim homo baptizatus sit, & omnia peccata in baptismo sint ei remissa, condemnabitur tamen quicunque est ille, nisi Euangelio crediderit, eiusque consilijs assensum præbuerit.

Sine fide operante, baptismus non prodest.

V. 17.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, &c. Omnia enim hæc in primitiuâ Ecclesiâ non solùm Apostolos, sed & alios Sanctos fecisse legimus. Neque enim aliter ab idolorum culturâ homines infideles conuerterentur, nisi his tantis signis, & miraculis Euangelica prædicatio firmaretur. Prædicabant enim Christi discipuli (vt Apostolus ait) *Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Sed cùm subitò dæmonia ejicerent, linguis loquerentur nouis, serpentes solo verbo aut occiderent, aut fugarent, venenum sine læsione biberent: & non solùm tactu, verùm etiam sui corporis vmbrâ ægros sanarent, mox in admirationem Gentiles conuersi clamabant, Vnus Deus, quem Apostoli prædicant, vnus Dominus Iesus, qui talia operatur. Nobis autem signa, & miracula iam nunc necessaria non sunt, quibus ea, quæ facta sunt, solummodò legere, & audire sufficit. Credimus enim Euangelio, credimus & Scripturis ista narrantibus. Nemo modò in Ecclesiâ dicit, Non tibi credo nisi mortuos suscites, nisi cæcos illumines, & nisi hæc, & similia facias. Signa tamen in Ecclesiâ quotidie fiunt, quæ si quis attendere velit, multò maiora esse cognoscet, quàm illa quæ tunc ab illis corporaliter fiebant. Quotidie enim Sacerdotes populum baptizando, & ad pœnitentiam vocando, dæmonia ejiciunt: quotidie linguis loquuntur nouis diuinas Scripturas exponentes, dum literæ vetustatem in spiritalis intelligentiæ nouitatem conuertunt. Serpentes verò tollunt, quia concupiscentias malas, quia vitia, & peccata, suâ admonitione à peccatorum cordibus auertunt. Bibunt autem mortiferum, sed non eis nocet, quia Paganorum, & hæreticorum libros legentes, & amara, & venenosa conuitia sibi illata sæpiùs audientes, surdâ aure transeunt, & pro nihilo ducunt. Super ægros verò manus imponunt, & benè habent, quia animas infirmas suis orationibus sanant, & Deo reconciliant. Eadem signa igitur & nunc Sancti Dei faciunt, quæ tunc eos Dominus facturos esse promisit.

Miracula initio Ecclesiæ necessaria.
1. Cor. 1. v. 23
Signa spiritalia etiā nunc in Ecclesiā.

A Paschate.

V. 19.

Et Dominus quidem Iesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Qualiter autem assumptus est, liber Actuum Apostolorum ostendit, dicens: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Act. 1 v. 9.
V. 20.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et tunc quidem adimpleta est prophetia, quæ ait, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Psal. 18. v. 5.

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulg. superioris Euang. expositio.

Mar 16. v. 14.

POstea discumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit illis incredulitatem suam, &c. Vide mandatum Domini; *Prædicate omni creaturæ*. Non dixit, Prædicate his qui obtemperant, sed *omni creaturæ*, siue recipiant, siue non. *Qui crediderit*. Et non sufficit hoc: sed, *& baptizatus fuerit*. Nam qui crediderit, & non baptizatus fuerit, sed adhuc est catechumenus, non iam etiam saluatus est. Signa verò quæ sequuntur credentes, dicit dæmonia ejicere, linguis loqui nouis, serpentes tollere, hoc est, abolere serpentes, siue sensibiles, siue spiritales: sicut etiam dixit, *Super serpentes & scorpios calcate*, manifestè de spiritualibus intelligens. Potest item & sic intelligi, *Serpentes tollent*, sicut Paulus viperam in manu sustulit, nihil ab illâ offensus. *Etiam si mortale quiddam biberint, non nocebit eis.* Sæpe autem hæc facta sunt, vt in historijs inuenimus. Multi enim & venenum bibentes, per signaculum crucis illæsi conseruati sunt.

Omnis creatura, homines vniuersi.
Ad fidem, baptismus accedat necesse est.
Luc. 10. v. 19
Act. 28. v. 3.
Venenum impunè haustum vi signaculi crucis.

Hæc autem cùm dixisset, assumptus est, & sedet à dextris Dei. Illi autem prædicauerunt vbique, Domino, inquit, *cooperante, & sermonem confirmante per sequentia signa.* Vides vbique nostra primùm, deinde Dei adiutorium. Cùm enim nos operamur, & principium dederimus, Dominus cooperatur. Ita si nos non dederimus occasionem, non cooperatur. Considera autem & hoc, quia post sermonem, opera; & sermo per opera confirmatur, sicut & in Apostolis sermonem confirmabant opera quæ subsequebantur ac signa.

V. 19. & 20.
Similia quandoque Chrysostomus sanè intelligenda, vt non omnis gratia præueniens etiam intrinseca excindatur; alioqui esset Massiliensium reprobata doctrina.

EVTHYMII ZIGABONI
superioris Euangelij expositio.

Mar. 16 v. 14.

POstea discumbentibus ipsis vndecim apparuit, &c. *Postea*: Posteaquam videlicet certiores facti fuerant à Petro, veneràntque Cleopas & comes eius, ac narrauerant quæ sibi in viâ acciderant: & quomodo ab eis cognitus fuerat in fractione panis, sicut dixit Lucas. Ait enim ipse: *Hæc illis loquentibus ipse Iesus stetit in medio eorum, & ait illis: Pax vobis, &c.* Hoc autem etiam in eiusdem diei vesperâ accidit. Scripsit enim & Ioannes: *Cum serum esset die illo, qui erat vnus sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, stetitque in medio, & ait il-*

Apparitio hæc, ipsa quæ narratur à Lucâ & Ioanne die Paschæ facta.
Luca 24. v. 31.
Ioan. 20. v. 19.

lis, Pax vobis, &c. Tunc enim exprobrauit A incredulitatem eorum, cordisque duritiem, siue impersuasibilitatem: quia his qui viderant eum postquam resurrexerat, non crediderant, putà Magdalenæ & alteri Mariæ, ac iis duobus de quibus scripsit Marcus. Itaque Marcus dictam exprobrationem scripsit. Lucas verò & Ioannes prætermissâ, aliarum rerum quæ tunc factæ sunt, meminerunt.

V.15. *Et dixit eis, Euntes in mundum vniuersum, &c.* Hoc est, in vniuersum orbem. Dixit autem illis hunc sermonem, non tunc sanè, sed postmodum cùm profecti sunt in Galilæam in montem, in quo constituit illis Iesus, veluti circa finem B Euangelij secundum Matthæum scriptum est. Quæ verò sequuntur Matthæus quidem reliquit, horum narratione abbreuiatâ. Marcus verò retulit dilatato de his sermone.

V.16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Modò fidem ac baptismum impolluta conseruauerit: aut post contractas sordes emundauerit, ac purificauerit. Intelligitur autem verbum hoc & alio modo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: si ea quæ fidei sunt per baptismum susceptæ, demonstrauerit: illa verò sunt operatio mandatorum Dei, ac sumpsius custodia. Non dixit autem, Qui solùm crediderit: neque; Qui baptizatus fuerit tantùm: sed vtrunque coniunxit: alterum enim sine altero non saluum facit hominem.

Vide quomodò intelligenda sit fides saluare.

V.17. *Signa verò eos qui crediderint, hæc prosequentur. Eos qui crediderint*: non simpliciter, sed sicut diximus. Deinde ponit & signa, siue miracula. *Linguis loquentur nouis.* Linguis peregrinis idiomatis aliarum gentium.

V.18. *Serpentes tollent.* Delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt. *Et si mortiferum quippiam biberint, &c.* Multa talia plurimis contigerunt Sanctis, sempérque contingunt fidelibus, qui videlicet exercentur in Euangelicis præceptis: nam *fides sine operibus mortua est*, iuxta magnum illum Iacobum. *Super agros manus imponent, &c.* Per dicta signa, D etiam ea innuit quæ prætermissa sunt. Dixit enim in præcedentibus, quòd *omnia possibilia sunt credenti*.

Iacob. 2. v. 26.
Mar. 9. v. 22.

Act. 1. *Dominus itaque postquam loquutus est eis, &c.* Postquam loquutus est, non hæc solùm, sed & omnia verba quotquot eis loquutus est à die resurrectionis suæ, donec completi sunt quadraginta dies, in quibus apparebat discipulis, & conuersabatur cum eis. Dictum est autem de assumptione suâ etiam in fine Euangelij iuxta Matthæum. *Et sedit à dextris Dei.* Atqui Deus & Pater eius cùm sit incorporeus, nequaquam dextram habet, aut sinistram: hi namque habitus sunt corporum. Reliquum est ergo, vt E sedere ipsius, requiem manifestet, ac fruitionem diuini regni. Quod autem additur, *A dextris Dei*, familiaritatem denotat, ac æqualem cum Patre honorem.

Sedere à dextris Dei.

V.20. *Illi verò egressi prædicauerunt vbique, &c. Sermonem*, prædicationis. Vtinam autem & sermo doctrinæ nostræ confirmetur per subsequentia debitæ virtutis signa, vt in fine vitæ nostræ perfecti inueniamur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, Amen.

B. IVONIS CARNOTENSIS

Episcopi, In Ascensione Domini Sermo.

Hodie, fratres, victoria Christi completa est: Hodiè triumphalia vexilla eius eriguntur. De spoliatione suâ dolet cum principe suo tartarus; de restauratione damni sui gaudet cœlestis exercitus. Hodie caro illa quæ de terris subleuata est, ad dexteram Patris collocata est, quia omni creaturæ prælata est, & omnis principatus & potestas ante eam incuruata est. Hodie via noua, de quâ dicit Apostolus, nobis initiata B est, quia per carnem Christi, aditus cœli, per quem nulla priùs caro transierat, reseratus est: quam adhuc viuentem idem Apostolus dicit, quia membris Christi suo tempore per eandem intraturis præparata est. Hodie apertio libri perfecta est, quem nemo potuit aperire, nisi Agnus ille qui occisus est: quoniam sacramenta eius reuelata sunt, cùm ea quæ in Lege & Prophetis inueniuntur de Christo, consummatâ dispensatione humanitatis eius, hodie completa sunt. Descendit primò Christus, vt nostræ particeps fieret naturæ: postremò ascendit, vt suæ nos participes faceret gloriæ. Descendens, temporali conuersatione & visibilibus miraculis quasi lactauit infantes: *ascendens dedit dona homini-* C *bus*; quibus eruditi & quasi in virile robur educati, iam temporalem eius visionem non appeterent: sed quò eos præcesserat, toto cum desiderio sequi studerent.

Ascensionis pulchra ecologia.
Hebr 10. v. 20.
Reseratus nobis in Christo cœli aditus.
Apoc. 5. v. 5.
Fructus ascensionis Christi.
Eph. 4. v. 8.

Quia igitur temporali eius præsentiâ viduati sumus, ad æternam eius visionem totâ intentione festinemus: dicamus ei ex voce Psalmistæ: *Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me.* Tota enim dispensatio humanitatis Christi nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, nisi vt intentionem nostram ad superna dirigeret, & expleto tempore nostræ D mortalitatis, ad manifestam visionem sui perduceret; perductos æternâ vultus sui gloriâ satiaret, quia testante Apostolo, *Videbimus eum sicuti est.* Vnde Psalmista: *Satiabor cùm manifestabitur gloria tua.* Hæc sunt bona Hierusalem, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Hæc bona quantùm potuit in ænigmate contuebatur Psalmista, cùm diceret: *Quid enim est mihi in cœlo! & à te quid volui super terram?* Admirando dicebat, *quid mihi est in cœlo!* quia cœlestis gloriæ magnitudinem nec dicendo explicare, nec cogitando sufficiebat comprehendere. Hæc E ergo esuriamus, hæc sitiamus, quoniam ad hoc Pontifex summus pro nobis præcursor in vera Sancta sanctorum, ad dexteram scilicet Patris, ascendit, vt spem membrorum suorum confirmaret, eò secuturam gregis humilitatem, quò suum credit præcessisse pastorem. Sic enim ipse Dominus promittit discipulis: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Aquilas vocat sanctos, qui cupiunt *dissolui, & esse cum Christo.* Fertur enim natura esse aquilarum, vltra mare odoratu suo cadauera sentire, & eò celeri volatu suo ad saturandam esuriem suam festinare. Hæc ergo esuries aquilarum, desiderium significat sanctarum animarum,

Psal. 26. v. 8.
Dispensationis quò tendat tota intentio.
1. Ioan. 3. v. 2.
Psal. 16. v. 15.
1. Cor. 2. v. 9.
Psal. 72. v. 26.
Hebr 6. v. 20.
Matth. 24. v. 28.
Phil. 1. v. 23.
Aquilarum esuries figura desiderij Sanctorum videndi Deū.
Phil. 1. v. 23.

(A) quæ caput ſuum extra mundi turbines in ſummâ quiete locatum, fidei naribus ſentientes, ſpei volatu præſentiæ conditoris vellent aſſiſtere, & ſatietate vultus eius ſine fine gaudere. Hæc quippe huius ſolennitatis eſt ratio, vt Chriſtum ad dexteram Patris iam regnare credamus, & interim eum quaſi geminis virtutum alis, charitatis ſcilicet & ſpei, ſubſequamur, *vt cùm tradiderit regnum Deo & Patri*, cum eo ſine fine regnemus. [1. Cor. 5. v. 24.]

Igitur ſecundùm quod exhortatur Pſalmiſta, quia *Dominus regnauit, exultet terra*, id eſt, Eccleſia exultet in fide: *quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes deos.* Exultet in ſpe, quoniam *replebimur in bonis domus tua.* Exclamemus ex (B) medullis cordis cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an gladius?* Cùm enim de ſpe produxerit nos ad ſpeciem, *erit Deus omnia in omnibus*: ipſe cibus & potus, ipſe veſtitus & omnia, quæ honeſtè cogitari & deſiderari poſſunt ab omnibus. Hoc donatiuum Chriſti milites concupiſcant, & militiam non deſerant, donec hæreditatem immarceſcibilem ab Imperatore ſuo, completo agone, percipiant. [Pſal 96. v. 1. — Ibid. v. 10. — Pſal. 64. v. 5. — Rom. 8. v. 35. — 1. Cor. 15. v. 28.]

SANCTI BERNARDI ABBATIS,

In Aſcenſione Domini, De Euangelicâ lectione.

SERMO I.

Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis Ieſus. Apparuit verè *benignitas & humanitas Saluatoris.* Multam enim fiduciam præſtat, quòd libentiùs adſit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adeſſe. Apparuit, inquam, benignitas eius qui cognouit figmentum noſtrum, nec dedignatur neceſſitates noſtras, ſed miſeratur, ſi tamen curam carnis non in deſiderio facimus, ſed in neceſſitate. Quod conſiderans idem Apoſtolus, (D) *Siue manducamus*, inquit, *ſiue aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus.* Poteſt tamen quòd recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quòd alibi calumniantibus Iudæis aduerſus diſcipulos non ieiunantes, *Non poſſunt*, inquit, *filij ſponſi lugere, quandiu cum eis eſt ſponſus.* [Marc. 16. v. 14. — Tit. 3. v. 4. — Pſal. 102. v. 14. — Rom. 13. v. 14. — 1. Cor. 10. v. 31. — Matth. 9. v. 14.]

Et exprobrauit incredulitatem illorum, &c. Audiſtis Chriſtum diſcipulos increpantem; imò (quod durius ſonat) etiam exprobrantem, nec quandocunque, ſed eâ horâ quâ eis corporalem præſentiam ſubtracturus, videri poterat magis ab increpatione parcere debuiſſe. Noli ergo in(E)dignari de cætero, ſi te quoque aliquando Chriſti vicarius increpauerit. Id enim exhibet, quòd aſceuſurus ab eis in cœlum, ſuis Chriſtus legitur exhibuiſſe diſcipulis. Sed quid eſt, fratres, quod dicit, *His qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Aut qui fuere, quorum beati oculi glorioſum Reſurrectionis Dominicæ meruerunt videre miraculum? Neque enim reſurgentem illum quiſquam legitur, aut creditur vidiſſe mortalium. Reſtat ergo de Angelis accipiendum, quibus vtique reſurrectionis teſtimonium perhibentibus, Apoſtolorum puſillanimitas hæſitauit. [ἐγηγερμένον ſuſcitatum: eóque ruit hæc Bernardi, ac aliorũ obſeruatio de Angelis.]

Iam verò vt faciat quod ſcriptum eſt, *Bonitatem, & diſciplinam & ſcientiam doce me*; viſitationis gratiam, exprobrationis cenſuram, prædicationis quoque doctrina ſequatur, & dicat, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Sed quid ad hæc dicimus, fratres? Magna nimis videtur ſæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, verebórque ne dare eam incipiant in occaſionem carnis, blandientes ſibi plus quàm oporteat ſine operibus de baptiſmo & credulitate. Veruntamen conſideremus quod ſequitur, *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur*; nec minor fortaſſe videbitur ipſis quoque Religioſis ex hoc verbo prouenire deſperatio, quàm ex verbo priore vanæ ſpei data ſæcularibus occaſio videretur. Quis enim ea quæ in præſenti loco ſcripta ſunt ſigna videtur habere credulitatis, ſine quâ nemo poteſt ſaluari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*; &, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo?* Quis, inquam, dæmonia eijcit, linguis nouis loquitur, ſerpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauci noſtris videntur habere temporibus, aut nemo ſaluabitur; aut hi ſoli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita ſunt, quàm indicia meritorum; adeò vt multi dicentes, *Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in iudicio, *Neſcio vos, diſcedite à me operarij ini(C)quitatis.* Vbi eſt quod ait Apoſtolus, cùm de iuſto iudice loqueretur, *Qui reddet vnicuique iuxta opera ſua*; ſi, quod abſit, quærenda ſunt in iudicio ſigna potius, quàm merita? [Pſal. 118. v. 65. — V. 16. — V. 17. — Hebr. 11. v. 6. — Matth. 7. v. 22. — Rom 2. v. 6.]

Sunt tamen & ipſa merita ſigna quædam certiora vtique & ſalubriora. Nec difficile arbitror noſſe quemadmodum intelligi ſigna poſſint præſentia, vt ſint indubitata ſigna credulitatis, ac per hoc & ſalutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio eſt, in quâ ſine dubio *eijciuntur dæmonia*, cùm eradicantur è corde peccata. Exinde, qui in Chriſtum credunt, *linguis loquuntur nouis*, cùm iam recedunt vetera de ore eorum, ne de cætero vetuſtâ protoparentum linguâ loquantur declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Vbi verò compunctione cordis, & oris confeſſione priora ſunt deleta peccata, ne recidiuam patiantur, & iam ſint poſteriora peiora prioribus, ſerpentes tollant neceſſe eſt; id eſt, vt venenatas ſuggeſtiones extinguant. Quid tamen agendum, ſi qua fortè radix pullulet, quæ tam velociter nequeat extirpari, ſeu ſtimulat animum concupiſcentia carnis? Profectò *ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*; quoniam iuxta Saluatoris exemplum, cùm guſtauerint, nolent bibere; id eſt, cùm ſenſerint, nolent conſentire. Sic enim non eis nocebit, quia *nulla damnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, concupiſcentiæ ſenſus abſque conſenſu. Quid tamen? Moleſta certè & periculoſa ſic corruptæ & infirmæ affectionis lucta: ſed, qui crediderint, *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*; id eſt, ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur. [Merita, ſigna credulitatis certiora. — Signa ſpiritualia expoſita. — Pſal. 140. v. 4. — Matth. 27. v. 34. — Rom 8 v. 1.]

A Paſchate.

EIVSDEM, QVOMODO *ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.*

SERMO II.

SOlennitas ista, Fratres chatissimi, gloriosa est; & , vt ita dicam, gaudiosa, in quâ & singularis Christo gloria, & nobis spiritalis lætitia exhibetur. Consummatio enim & adimpletio est teliquarum sulennitatum, & felix clausula totius itinerarij Filij Dei. *Qui enim descendit, ipse est qui ascendit* hodiernâ die *super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Iam enim cùm se Dominum vniuersorum quæ sunt in terrâ, & in mari, & in inferno probasset, non restabat nisi vt aëris & cœlorum se esse Dominum, argumentis similibus, vel certè potioribus approbaret. Tetra enim cognouit Dominum, quia ad vocem vittutis eius cùm clamasset voce magnâ, *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Coguouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita vt Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognouit infernus, cuius ipse portas æreas & vectes ferreos confregit; vbi & ligauit illum insatiabilem homicidam qui vocatur diabolus & satanas. Profectò qui mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit, claudos firmauit, & omnes exsufflauit infirmitates, Dominus omnium fuit: & eadem manu quâ fecerat, quæ defecerant, reficiebat. Sic & qui in ore piscis staterem inueniri prædixit, patet proculdubiò quia maris, & omnium quæ in mari mouentur, Dominus fuit. Qui verò traduxit aëreas potestates, & affixit eas cruci, claret quia super infernales officinas potestatem accepit. Hic est enim qui *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo:* qui stetit in loco campestri, vt doceret turbas: ante præsidem, vt alapas sustineret; tempore quo in tetris visus est, & cum hominibus conuersatus, in laboribus multis, stans & operans salutem in medio tetræ.

Eph. 4. v. 9

Christus vniuersorũ Dominus agnitus.

Ioan. 11. v. 43.

Matth. 14. v. 26.

Psal. 106. v. 16.

Apoc. 12. v. 9.

Matth. 17. v. 26.

Col. 2. v. 15.

Act. 10. v. 38

Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsutilem Domine Iesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat, vt videntibus discipulis per medium aëris sicut aëris Dominus ascendas super omnes cœlos. Ex tunc probabitur quia Dominus vniuersorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti. & iam profectò tibi debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloriâ, & in dexterâ Patris. In hac dexterâ sunt delectationes vsque in finem: & ideo monet Apostolus, vt quæramus quæ sursum sunt, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens; quia illic profectò thesaurus noster est Iesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Ascensio Christi clausula laborũ eius.

Phil. 2. v. 10.

Psal. 15. v. 11.

Col. 3. v. 1.

Luc. 12. v. 34.

Col. 2. v. 3. & 9.

Quid autem putatis, fratres, quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora, cùm eum viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adiutum, non subleuatum funibus; etsi Angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? Impletum est quod eis dixerat, *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Quocunque enim terratum iisset, eum indiuisibiliter se- A quererentur: mare (sicut Petrus fecit aliquando) cum eo etiam submergendi intrarent: sed hac sequi non poterant; quia *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Dolor ergo nimius erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, à suis sensibus & aspectibus tolli, vt non possent ablato à se sponso, filij sponsi non lugere: timor, quia orphani relinquebantur in medio Iudæorum nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo eis ferebatur in cœlum, fortè concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cùm miseros suos & B pauperem suam scholam relinqueret; nisi quòd veniebat parare eis locum, & quia expediebat vt præsentiam eis subtraheret corporalem. Quàm felix, quàm digna ista processio, ad quam nec ipsi quidem adhuc Apostoli digni fuerunt admitti, cùm & animarum sanctarum, & cœlestium Virtutum triumphali pompâ deductus ad Patrem, sedet à dextris Dei. Nunc verè adimpleuit omnia, qui visus est inter homines, cum hominibus conuersatus est, ab hominibus & pro hominibus passus & mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Agnosco tunicam desuper contextam per totum, quã superna illa mansio clausit, vbi adimpletus est & adimpleuit omnia Dominus Iesus Christus.

Dolor & timor Apostolorum, Christo ascendente.

Ioan. 13. v. 33.

Matth. 14. v. 28.

Sap. 9. v. 15.

Domini in cœlum processio Angelis stipantibus, & beatis animabus.

Adimpletus Dominus & ad impleuit omnia in Ascensione.

C Veruntamen quid mihi & solemnitatibus istis? Quis me consolabitur, Domine Iesu, quia te non vidi in cruce suspensum, plagis liuidum, pallidum morte; quia non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, vt saltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodò me dereliquisti insalutatum, cùm formosus in stolâ tuâ Rex gloriæ in alta cœlorum te recepisti? Prorsus renuisset consolari anima mea, nisi me Angeli in voce exultationis præuenissent, qui dixerunt, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Sic, inquiunt, veniet. Ergóne veniet quærere nos in illâ tam singulari D quàm vniuersali processione, cùm præcedentibus omnibus Angelis, & subsequentibus hominibus vniuersis descendet iudicare viuos & mortuos? Proculdubio veniet, sed quomodò ascendit, non quomodò antè descendit. Humilis enim priùs venit animas saluare, sublimis autem veniet cadauer istud resuscitare, & configurare corpori claritatis suæ: vt infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum potestate magnâ & maiestate, qui priùs in infirmitate carnis latuerat. Intuebor & ego eum, sed non modò: videbo eum, sed non prope: ita vt hæc secunda glo- E rificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifestè prælucear.

Act. 1. v. 11.

Secundus Domini descensus, qualis ascensus.

Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est, ad dexteram Patris assumptus, & assistit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem ad dexteram, habens in dexterâ misericordiam, in sinistrâ iudicium: & misericordiam multam nimis, & iudicium multum nimis: in dexterâ aquam, in sinistrâ ignem immobiliter tenens. Et quidem corroborauit misericordiam super timentes se secundum altitudinem cœli à terrâ, vt maiores cumulos miserationum Domini sentiant quàm sit spatij inter cœlum & terram. Propositum namque Dei super illos manet immobile; &

Dei misericordiam multam nimis, & iudiciũ; erga prædestinatos & reprobos.

Psal. 102. v. 11.

misericotdia Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper rimentes eum. Ab æterno per prædeſtinationem; in æternum, per glotificationem. Similiter & in reprobis terribilis eſt ſuper filios hominum, & vtrinque ſtat fixa ſententia æternitatis, & in his qui ſalui fiuot, & in his qui pereunr. Quis ſeit ſi omnium veſtrûm quos hîc video, nomina ſcripta ſunt in cœlis, & in libro prædeſtinationis anootata? Vocationis enim & iuſtificationis veſtræ aliqua ſigna mihi videor intueri in conuerſatione huius tantæ humilitatis. Quantò putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret? Sed neſcit homo vtrum ſit dignus amore, an odio.

Eccl. 9. v. 1.

Sola humilitas via ad ſublimitatem.

Propterea dilectiſſimi perſeuerate in diſciplinâ quam ſuſcepiſtis, vt per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis; quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potiùs quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cùm per naturam diuinitatis non haberet quò creſceret vel aſcenderet, quia vltra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodò creſceret inuenit, veniens iocarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: proptet quod Deus exaltauit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Vade, & tu fac ſimiliter. Neque enim aſcendere potes, niſi deſcenderis; quia vt æternâ lege fixum eſt, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* O peruerſitas, ô abuſio filiorum Adam, quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi, & leuiter aſcendunt, & difficiliùs deſcenduot, parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum ipſis etiam Angelicis humeris formidandas: ad ſequendum autem te Domine Ieſu vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur; qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Alij enim trahuntur, qui poſſunt dicere, *Trahe me poſt te.* Alij ducuntur, qui dicunt, *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Alij rapiuntur, ſicut Apoſtolus raptus in tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientiâ ſuâ poſſident animas ſuas: ſecundi feliciores, qui ex voluntate ſuâ confitentur ei: tertij feliciſſimi, qui in profundiſſimâ Dei miſericordiâ, quaſi quodammodò ſepultâ iam arbitrij ſui poteſtate, in diuitias gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur, neſcientes ſiue in corpore, ſiue extra corpus; hoc ſolùm ſcientes, quòd rapti ſunt. Beatus qui vbique te ducem habet Domine Ieſu, non illum refugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & totâ diuinitatis dexterâ percuſſus eſt. Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ ſequamur te, per te, ad te, quia *tu es Via, Veritas, & Vita;* via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Verba enim vitæ æternæ habes; & nos cognoſcimus & credimus quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui es ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Luc. 14. & 18.

Ambitio graduum Eccleſiaſticorum.

Cant. 1. v. 3. & 2. v. 4.

Trahi ad Chriſtum, duci, rapi.

2. Cor. 12. v. 2.

Ioan 14. v. 6.

Ioan. 6. v. 69

EIVSDEM, IN ASCENSIONE *Domini, De intellectu & affectu.*

SERMO III.

HOdie cœlorum Dominus, cœlorum alta cœleſti potentiâ penetrauit: & infirma carnis tanquam nubila quædam excutiens, induit ſtolam gloriæ. Eleuatus eſt Sol in ortu ſuo; incaluit, & inualuit. Dilatauit & multiplicauit radios ſuper terram, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Redit ad regionem Sapientiæ ſapientia Dei, vbi omnes bonum & intelligunt & requirunt, intellectu perſpicaciſſimi, affectu paratiſſimi ad audiendam vocem ſermonum eius. Nos autem in regione iſtâ ſumus, vbi plurimum eſt malitiæ, ſapientiæ parum: quia *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Per ſenſum ego hîc arbitror intellectum deſignari: qui nunc verè deprimitur cùm multa cogitat, cùm non colligit ſe circa illam vnam & vnicam meditationem, quæ concipitur de ciuitate illâ cuius participatio eius in idipſum. Huiuſmodi intellectum oportet deprimi & diſtrahi per multa, multis & multiplicibus modis. Animam verò hîc exiſtimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diuerſis paſſionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam poſſunt (ne dicam ſanari) donec voluntas vnum quærat, & tendat ad vnum.

A Paſchate.

Sap. 9. v. 15.

Pſal. 121. v. 4.

Purganda in nobis intellectus & affectus.

Duo ergo ſunt quæ in nobis purganda ſunt, intellectus & affectus: Intellectus, vt nouerit; affectus, vt velit. Felices, & verè felices illi duo viri Elias & Enoch, quibus omnes materiæ & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, quia ſoli Deo viuentes nec nouerunt niſi Deum, nec cupiunt niſi Deum. Denique & de Enoch legitur, *Quia raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Intellectus noſter turbatus erat, ne dicam cæcatus: affectus inquinatus erat, & multum inquinatus: ſed Chriſtus intellectum humiliat, Spiritus ſanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus eſt, vt non immeritò intellectum noſtrum ab omnibus mundanis rebus auocaueris; vt ſemper cogitemus, & nunquam cogitare ſufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latiſſimos nobis ad ſpatiandum intelligentiæ campos dereliquit: & torrens cogitationum iſtarum profundiſſimus eſt, qui iuxta Prophetam, non poſſit tranſuadari. Quis enim ſufficiat cogitare qualiter rerum Dominus præuenerit nos, venerit ad nos, ſubuenerit nobis; & ſingularis illa maieſtas, voluerit mori, vt viueremus; ſeruire, vt regnaremus; exulare, vt repatriaremur; & vſque ad ſeruiliſſima opera inclinari, vt conſtitueret nos ſuper omnia opera ſua?

Sap. 4. v. 11.

Nec ſatis aptè Horſtius, vt & ſer. 5. negat ſpecialiter de Enoch dici. Nullus enim ille alius *placuit Deo*, niſi Enoch, eo nomine Scripturis clarus.

Ezech. 47. v. 5.

Deus fit in carne viſibilis.

Talem ſe obtulit Apoſtolis Apoſtolorum Dominus, vt iam non inuiſibilia per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicerent, ſed ipſe facie ad faciem videretur, qui omnia fecit. Et quia diſcipuli carnales erant, & Deus Spiritus eſt, nec bene conuenit ſpiritui & carni, vmbrâ corporis ſui temperauit ſe eis, vt obiectu viuificæ carnis viderent Verbum in carne, ſolem in nube, lumen in teſtâ, cereum in laternâ. *Spiritus enim oris noſtri Chriſtus Dominus, cui diximus, In vmbrâ tuâ viuemus inter Gentes.* In vmbrâ, inquit, tuâ inter Gentes, non inter Angelos, vbi puriſſimum lumen puriſſimis oculis intuebimur. Vnde & virtus Altiſſimi obumbrauit Virgini, ne nimio ſplendore præſtricta, diuinitatis fulgur etiam illa ſingularis aquila tolerare non poſſet. Ad hoc autem carnem illis propoſuit, vt omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem ſuam (quâ & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret; & ſic de carne transferret ad ſpiritum, *quia Spiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.*

Thr. 4. v. 20.

Luc. 1. v. 35.

Ioan. 4. v. 24.

Luc. 24. v. 25. & 31.

Non tibi videtur eis intellectum illuminasse, cùm apetuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, ostendens quia hæc opottebar Christum pati, & resurgere à morruis, & ita intrare in gloriam suam?

Mœsti discipuli de discessu Domini, nondum purgato affectu.

Sed illi sanctissimæ eius carni assuefacti, verbum de discessu eius audire non poterant, vt eos relinqueret, pro quo oionia reliquissent. Quare hoc? Quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus. Vnde & benigous Magister blandè eos ac dulciter consolabatur, dicens,

Ioan. 16. v. 7.

Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implenit cor vestrum. Quid est quòd Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non potuit? B An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso & per ipsum io Virgine, & de Virgine matre concepta erat & nata? Absit: sed vt ostenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem

Illi purgando subtracta eius corporalis præsentia.

illis plorantibus eleuatus in cœlum Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est, voluntatem mundauit; imò potiùs alterauit, vt iam magis Dominum velint ascendisse, quàm priùs detinuisse voluerant. Impletum est quod eis

Ioan. 16. v. 20.

prædixerat; *Vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Sic ergo eorum intelligentia per Christum illuminata est, & voluntas emundata per Spiritum sanctum, vt sicut bonum oouerint, sic & velint, quod solum C perfecta religio, vel religiosa perfectio est.

Recordor nunc Elisæi sancti, cui cùm Elias dixisset, vt in discessu vel ascensu suo postularet quod vellet, respondit,

4. Reg. 2. v. 9.

Oro vt fiat spiritus tuus duplex in me. At ille, Rem difficilem postulasti: attamen si videris quando tollar à te, erit quod petisti. Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam; Elisæus verò chorum Apostolorum in Ascensione Christi anxiè suspirantem? Sicut enim Elisæus ab Eliâ nullo pacto auelli poterat, sic nec Apostoli à Christi præsen-

Spiritus duplex Eliæ; illuminatus intellectus, purgatus affectus.

tiâ poterant separari. Vix enim tandem eis persuasit, quia sine fide impossibile esset placere Deo. Quis est ergo spiritus iste duplex qui quæritur, nisi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? D Res difficilis, quia rarus in terris est qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit, *si videris quando tollar à te, erit quod petisti.* Nihil est quod propter hoc habeant perdere vel debeant alumni tui Domine Iesu, quia videntibus illis es eleuatus in cœlum, & desiderantibus oculis te secuti sunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ. Vel certè spiritum duplicem dicere possu-

Ioan. 14. v. 12.

mus, illud quod Saluator ad discipulos ait, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet.*

Maiora Petri opera, quam fecit Christus.

Nonne maiora Christo, per Christum tamen, fecit Petrus, de quo legitur, quia

Act. 5. v. 15.

in plateis ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis? Nusquam enim Dominus vmbrâ suâ inuenitur infirmitates sanasse.

Vitæ religiosæ cultorum quanta animorum diuersitas.

Non dubito ego intellectum omnium vestrum, qui hîc estis, illuminatum esse: sed non affectum æquè esse purgatum, manifestis approbabo coniecturis. Omnes quod bonum est oostis, & viam per quam incedere, & quomodo in eâ incedere debeatis; sed voluntas non vna est. Quidam enim ad omnia vitæ huius exercitia non solùm A ambulant, sed & currunt, imò potiùs volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni suaues; labores non solùm tolerabiles, sed & appetibiles videantur. Alij autem non sic, sed corde arido & affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frōs mulieris meretricis facta est, & nolunt erubescere. Suot iterum multi inter nos qui de vno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, vtpote socij tribulationis, sed consolationis noo ita. Nunquid abbreuiata est manus Domini, vt omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione? Quid ergo io causâ est? Istud omninò, quia non vident Christum cùm tollitur ab eis; id est, non cogitant quomodò eos orphanos reliquerit, quòd peregrini & aduenæ sint super terram; quòd tandiu fæculenti corporis horrido carcere teneantur, & non sint cum Christo. Huiusmodi autem si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur & succumbunt, aut quodammodò in inferno sunt, vt nunquam ad plenum respirent in locem miserationum Domini, nec io libertatem spiritus, quæ sola facit iugum suaue & onus leue.

Perniciosa vnde tepiditas.

Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id est, voluntas eorum oondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut nouerunt, à propriâ concupiscentiâ abstracti grauiter & illecti.

Iacobi. 1. v. 14

Amant enim in carne suâ terrenas coosolatiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo alio: & hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est quòd rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continuo, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ distractionibus subiacet: & quantò magis illis euacuabitur, tantò ampliùs istis implebitur: si multum, multum; si parum, parum.

Diuinæ consolationes non ferunt humanæ.

Vel certè si magis probas, neutiquam istæ illis misceri poterunt io æternum; quia vbi vasa vacua non inuenit oleum, stare necesse est: nec mittunt vinum nouum oisi in vtres nouos, vt ambo conseruentur. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas io vno domicilio commorantur: præsertim cùm tepiditas ipsi soleat vomitum prouocare.

4. Reg. 4. v. 6. Matth. 9. v. 17. Mar. 2. v. 22. Luc. 5. v. 37. Apoc. 3. v. 16

Si enim Apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum, erat, Spiritu sancto repleri nequiuerunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, & diuersarum spurcitiarum phantasijs repleta, adstrictus & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te putas posse suscipere, nisi carneis istis consolatiunculis funditus renuntiare tentaueris? Reuerâ cùm incœperis, tristitia im- E plebit cor tuum; sed si perseueraueris, tristitia tua conuertetur in gaudium.

Respuere humanas delicias graue primùm, mox suaue.

Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potiùs noua creabitur: vt omnia quæ primò difficilia, imò impossibilia videbantur, cum multâ percurrantur dulcedine & auiditate. *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

Psal. 103. v. 30.

Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso ergo Spiritu creatur, & renouatur facies terræ, id est, terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum citiùs obedire. Beati

qui tales sunt: qui non solùm malum non sentiunt, sed in mirâ quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos supra commemorauimus, terribiliter ait Deus, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt;* id est, carnales; & quicquid in eis spiritus fuerat, in carnem euanuit. *Gen.6.v.3.*

Quia igitur, charissimi, hodierna dies est in quâ sponsus aufertur à nobis, & non sine tumultu aliquo animorum nostrorum: ad hoc tamen vt mittat nobis Spiritum veritatis, ploremus & oremus, vt dignos nos inueniat, vel potiùs efficiat, & repleat domum istam, vbi sumus sedentes; quatenus non vexatio, sed vnctio eius doceat nos de omnibus: sicque & intellectu clarificato, & affectu purificato veniat ad nos, & apud nos faciat mansionem. Et sicut serpens Moysi deuorauit omnes serpentes magorum, sic iste cùm venerit, absorbebit omnes carnales affectiones, & delectationes nostras & consolationes, ita vt de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumeliâ gloriam habeamus; sicut illi quos repleuerant, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Spiritus enim Iesu Spiritus bonus, Spiritus sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis, quicquid in hoc sæculo nequam videtur difficile & angustum leue facit & latum: opprobrium gaudium iudicat, despectionem exultationem esse persuadet. Scrutemur ergo, iusta Prophetam, vias nostras, & studia nostra: leuemus corda nostra cum manibus, vt in solennitate sancti Spiritus gaudeamus, & abundantiùs gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Deus Filius, veritatem.

1. Ioan 2. v. 27. *Exod.7.v.12.* *Act. 5.v.41* *Thr.3.v.40*

EIVSDEM IN EODEM FESTO,

De tribus malis Ascensionibus, dæmonis & primi hominis, & sex bonis, Christi & nostris.

Festi Ascensionis elogia.

SI Natiuitatis & Resurrectionis Dominicæ dignâ deuotione solennia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus deuotè conuenit celebrari. In nullo siquidem à festiuitatibus illis ista degenerat; sed finis earum & adimpletio est. Meritò quidem solennitatis & lætitiæ dies agitur, quando Sol ille supercœlestis, Sol iustitiæ nostris se præsentauit obtutibus, nube carnis & mortalitatis sacculo fulgorem suum & lucem temperans inaccessibilem. Magna quoque lætitia & exultatio multa nimis quando conscisso sacco, lætitiâ circundatus est; factáque de medio sacci ipsius non quidem substantiâ, sed vetustate, sed corruptione, sed miseriâ, sed vilitate, nostræ dedicauit primordia resurrectionis. Veruntamen quid mihi & solennitatibus istis, si conuersatio mea vsque adhuc detinetur in terris? Quis verò vel desiderare præsumeret ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis, non multò mihi tolerabilior videretur exilij huius habitatio, quàm gehenna, nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ & expectationis, quando eleuatus est in nubibus, & spem fecit credentibus. Denique, *Nisi ego abiero,* inquit, *Paracletus non veniet ad vos.* Quis Paracletus? Vtique per quem diffunditur charitas, & iam spes non confundit; ille Paracletus, per quem

Ioan. 16. v. 7.

A in cœlis sit conuersatio nostra; virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra. *Vado,* inquit, *parare vobis locum: & si abiero, & praeparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum. Vbi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Videsne quemadmodum cæterarum solennitatum ea quam hodie celebramus & consummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiam?

Ioan. 14. v.2. *Matth. 24. v.28.*

Sicut enim cætera omnia eius qui nobis natus est, & nobis datus, ita ipsa quoque eius Ascensio propter nos facta est, & facit pro nobis. In nostrâ siquidem vitâ, multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate; sed Dei virtus & Dei sapientia neutri potuit subiacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret, B aut quid ageret Dei sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contigerit, non sic audiendum est tanquam si inuentitium quippiam proferamus, sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret nequaquam sine causâ fuisse. Sicut enim qui scribit certâ ratione collocat vniuersa; ita quæ à Deo sunt, ordinata sunt, maximéque ea quæ præsens in carne est operata maiestas. Sed væ angustæ cognitioni, væ paupertati scientiæ nostræ, C qui tantùm ex parte cognoscimus, & parte modicâ. Vix scintillulæ quædam nobis eluceant de tantâ luminis copiâ, de lucernâ positâ super candelabrum. Sanè quantò minus singuli capimus, tantò fideliùs cæteris communicanda sunt quæ singulis reuelantur. Et ego, fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de Ascensione, imò de Ascensionibus suis donare ipse dignatur, nec volo nec debeo subtrahere vobis, præsertim quòd hæc sit spiritalium prærogatiua donorum, vt communicata non minuantur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter reuelata sunt; sed propter eos qui fortè non aduerterunt sublimioribus intenti, aut alijs occupati, D seu etiam propter eos qui minùs capacis intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui, quæ sentio.

Christi omnia, certo gesta consilio. *Al. cogitationi.*

Christus qui ascendit, ipse est & qui ascendit, &c. Apostoli verba sunt. Ego autem credo, eum, in hoc ipso quod descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum ascendere, vt nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, & magni cuiusdam animi; ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait, *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* E Heu miser, in lateribus aquilonis! Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen vsque hodie fœda sequuntur, infelicia que vestigia; imò quàm pauci euaserunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc est, quòd benefici vocantur, qui potestatem habent; hinc quòd laudetur peccator in desiderijs animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, inuident omnes. Quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem? Nonne iste est mons, in

Eph. 4. v.10. *Sua nos Christus ascensu, docet ascendere.* *Isai.14. v. 13.* *Diaboli mons ascensionis, ambitio potestatis, & eminentiæ.* *Luc 22. v. 24* *Psal. 10. v. 3.*

quem ascendit Angelus, & diabolus factus est? Vel illud aduertite, quòd post casum suum inuidiâ eruciante malè solicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere, in quo omirum pro inani ascensu tam immane præcipitium cognoscitur expertus.

Gen. 3. v. 5.
Mons præcipitij Adã, appetitus inflantis scientiæ.

Sed non defuit versuto hosti qoid ageret. Similem ei montem alterum demonstrauit; *Eritis*, inquiens, *sicut dij, scientes bonum & malum.* Perniciosa etiam hæc ascensio; imò magis descensio est de Hierusalem in Hierico. Pessimus mons inflans scientia, in quem tamen vsque hodie videas tantâ concupiscentiâ plurimos repere filiorum Adam, ac si non nouerint, quantum pater illorum in illius montis ascensu descenderit;
B imò quàm grauiter ceciderit; quantum tota deiecta sit & conquassata posteritas. Nondum sanata sunt vulnera quæ tibi in ascensu montis illius inflicta sunt, licet adhuc in patre lateres; & nunc iterum in propriâ personâ conaris ascẽdere, vt sit error nouissimus peior priore? Quænam miseris tã dira libido? *Filij hominum vsquequo graui corde; vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* An ignoratis, *quoniam infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & stultos mundi elegit Deus, vt confundat sapientes?* Non vos Dei comminantis terror reuocat, perdituri sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobaturi? Non patris exemplum, non denique sensus ipse noster, & duræ experientia necessitatis, cui sumus addicti per insipientem scientiæ appetitum.

Psal. 4. v. 3.
1 Cor. 1. v. 27. & 19.

C Ecce vobis fratres montem demonstrauimus alium, non in quem ascendatis, sed quem fugiatis. Ipse est in quem ascendebat qui voluit esse sicut Deus, sciens bonum & malum: ipse quem vsque hodie filij eius accumulant & eleuant, nihil inuenientes tam vile, vnde non montem velint eleuare scientiæ. Videas alium literarum, alium mundialis curæ, istum placitationum displicentium Deo, illum seruilis cuiuslibet artis tam vehementer affectare scientiam, vt laborem
D non reputet, tantummodò vt possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant ad Dei se peruenire similitudinem; sic concupiscunt quod non expedit, quod expedit omittentes. Quid vobis & montibus istis, in quorum ascensu tanta difficultas est, & tam grande periculum: aut cur eum deseritis montem, cuius & facilis est ascensus & perutilis? Potestatis ambitio Angelum felicitate priuauit Angelicâ; scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliauit. Conetur quis ascendere in montem potestatis: quantos putas contradictores habebit, quantos inueniet repulsores, obstacula quan-
E ta, quàm difficilem viam? Quid si tandem eum adipisci contigerit quod optabat? *Potentes*, ait Scriptura, *potenter tormenta patientur*; vt præsentes solicitudines & anxietates quas potestas ipsa parit, omittam. Cupidus alter est inflantis scientiæ; quantum laborabit, quantum anxiabitur spiritus eius? Et tamen audiet, Nec si te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus tuus, quoties videre contigerit, cui se posteriorem iudicet, aut putet ab alijs reputari. Quid cùm intumuerit multum? *Perdam*, inquit Dominus, *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

Sap. 6. v. 7.
Potestatis cupiditas, & scientiæ inflantis quantis obnoxia?
1. Cor. 1. v. 19.

Iam ne multis immorer, vidistis (vt arbitror)
A quàm fugiendus nobis sit mons vterque, si præcipitium Angelorum, si casum hominis expauescimus. *Mons Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos.* Quid tamen agimus? Ascendere sic non expedit, & ascendendi tenemur concupiscentiâ. Quis docebit nos ascensum? Quis, nisi de quo legimus, *Quoniam qui descendit, ipse est & qui ascendit?* Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne doctoris, imò seductoris iniqui aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quò ascenderet, descendit Altissimus, & suo nobis descensu suauem ac salubrem dedicauit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circundatus: descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo
B per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet paruulo, qui sola matris vbera nouerit? Quis impotentior eo, cuius omnia membra clauis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, & quæ non rapuit tunc exoluebat? Vides quàm multum descenderit, quantum à potentiâ suâ, quantum à sapientiâ suâ exinanierit semetipsum. Sed non potuit altiùs montem bonitatis ascendere, nec suam commendare expressius charitatem. Nec mirum si descendendo Chri-
C stus ascendit; quando priorum vterque cecidit ascendendo. Et mihi quidem videtur montis huius ascensorem quærere, qui dicebat, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Fortè etiam Isaias ascensionis desiderio cadentes intuens homines, ad hunc reuocabat montem, exclamans, *Venite, ascendamus in montem Domini.* An non manifestè eos de priorum montium ascensione redarguens, montis huius prædicat vbertatem; qui ait, *Vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons coagulatus, mons pinguis.* Hic est igitur mons domus Domini præparatus in vertice montium, super quo salientem sponsum inspexerat, quæ dicebat,
D *Ecce venit is saliens in montibus.* Docebat enim ignarum viæ, trahebat paruulum, infantulum deducebat: ideoque velut quibusdam passibus ibat, vt de virtute in virtutem videretur Deus deorum in Sion. *Iustitia* enim *eius sicut montes Dei.*

2. Reg. 1. v. 21.
Salutaris ascensus Christo initiatus descensus humilitate.
Eph. 4. v. 10
Mõs bonitatis Christo consensus.
Psal. 23. v. 3.
Isai. 2. v. 3.
Psal. 67. v. 17.
Cant. 2. v. 8.
Psal. 35. v. 7.

Sed iam (si placet) saltus etiam ipsos intueamur, quibus exultauit vt gigas ad currendam viam, & cuius egressio à summo cœli, per gradus quosdam vsque ad summum eius occurrit. Primum ergo constitue montem illum in quem ascendit cum Petro & Iacobo & Ioanne, vbi &
E transfiguratus est ante eos. Resulsit facies eius vt sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Resurrectionis gloria ista est, quam in monte spei contemplamur. Vt quid enim ascendit vt transfiguraretur, nisi vt doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Felix cuius meditatio in conspectu Domini est semper; qui in corde suo delectationes dexteræ Domini vsque in finem sedulâ cogitatione reuoluit. Quid enim graue illi poterit videri, qui semper mente retractat, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terrâ viuentium, semper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum* (Propheta lo-

Psal. 18. v. 6.
Matth. 17. v. 1.
Luc. 9. v. 27.
Mons trãsfigurationis cœlestis gloriæ, ac resurrectionis in spe contemplatio.
Psal. 26. v. 8

A quitur Domino) *tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Quis mihi tribuat, vt omnes surgentes stetis in excelso. & videatis exultationem, quæ ventura est vobis à Domino.

Non sit molestum vobis, obsecro, quòd io monte hoc aliquantò diutius immotamur. Poterimus enim cæteros festinanniùs pertransire. Veruntamen in isto quem nun detineat sententia illa sancti Petri, quam in eo protulit, & de eo;

V. 4. *Domine*, inquiens, *bonum est nos hîc esse?* Quid est, bonum est; imò quid aliud videtur bonum, quàm in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non potest? Puto quòd eius

Psal 41. v. 6 qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis vsque in domum Dei, in voce exultationis,

B sonus epulantis fuerit; *Bonum est nos hic esse.* Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, sed lætitiam, sed iucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei: quis, inquam, talia tranquillâ secum cogitatione voluens, non continuò de plenitudine intimæ suauitatis eructat, *Domine, bonum est nos hîc esse?* Non sanè in hac ærumnosâ peregrinatione vbi corpore detinemur, sed in suaui ac salubri illâ cogitatione, in quâ corde versatur. *Quis mihi*

Psal. 54. v. 7 *dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Vos autem filij hominum, filij hominis qui descendit de Hierusalem in Hierico, filij ho-

C minum vsquequo graui corde? Ascendite ad cor altum, & exaltabitur Deus. Hic est enim mons in quo transfiguratur Christus. Ascendite, & scietis quoniam Dominus Sanctum suum mirificauit.

Ad supernæ gloriæ contemplationem elegãs exhortatio. Obsecro vos, fratres mei, non grauentur corda vestra in curis sæcularibus: nam de crapulâ & ebrietate (gratias Deo) non magnopere necesse habeo vos admonere. Exonetate, obsecro, corda vestra graui mole terrenarum cogitationum, vt sciatis mirificatum à Domino Sanctum suum. Leuate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, vt transfiguratum Do-

D minum videatis. Formate in cordibus vestris non modò Patriarcharum tabernacula, sed omnes domus illius cœlestis multiplices mansiones se-

Psal. 26. v. 6 cundum eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantans,

Psal. 83. v. 2. & Psalmum illum dicens Domino, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini!* Circuite & vos, charissimi, cum pietatis & deuotionis hostiâ, visitantes animo sedes supernas, & multas, quæ in domo Patris sunt, mansiones; humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni, cum reuerentiâ supplicantes

E singulis ordinibus Angelorum; Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & senatum Apostolicum salutantes; coronas Martyrum suspicientes purpureis rutilantes floribus; redolentes lilijs choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum noui cantici sonum, (quantum præualet infirmitas cordis) erigentes auditum.

Psal. 41. v. 5. *Hæc recordatus sum* (Propheta loquitur) *& effudi in me animam meam.* Quæ? *Quoniam*

Psal. 76. v. 4. *transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.* Et item, *Memor fui*, inquit,

Conspectus Dauidi Christus gloriosus, qui & Apostolis. *Dei, & delectatus sum.* Quem viderunt Apostoli, vidit & iste, nec dissimili, vt arbitror visione: nisi quòd spirituale totum habuit huius visio, corporeum nihil. Omninò non vidit eum sicut is, qui dicebat, *Vidimus eum, & non erat illi* Isai. 53. v. 2.

species, neque decor. Transfiguratum proculdubio vidit, & speciosum formâ præ filijs hominum, qui delectatum se esse perhibet, sicut & Apostoli, *Bonum est*, inquiunt Domino, *nos hîc esse.* Et vt nihil desit propositæ similitudini, illi quidem proni cecidisse leguntur, hic verò suum fatetur Spiritū defecisse. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timētibus te!* Psal. 30. v. 20. Ascendentes igitur in hunc montem, & reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, haud dubium quin clamare habeatis & vos, *Trahe me* Cant. 1. v. 3.

post te. Quid enim prodest scire quò sit eundum, siquidem quà debeas ire non noueris?

Alterum proinde montem ascendas necesse est, Mons Christi prædicationis.

in quo prædicantem audias, & scalam erigentem octo distinctam scalaribus, cuius summitas Matth. 5. v. 10.

cœlos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Iam si primum ascenderis montem meditatione supernæ gloriæ, istum nihilominus montem ascendere non graueris, vt in lege eius mediteris die ac nocte; sicut idem Propheta non solùm meditabatur in præmijs, sed & in mandatis Domini, quæ dilexit. Psal 118. v. 48. Sic enim audies & tu, *Et quò eam, scitis,* propter ascensionem primam: Ioan 14. v. 4.

Et viam scitis, propter secundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne

C fortè sis de eorum numero, qui viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Magis autem solicitus esto ascendere non modò cogitatione cœlestis gloriæ, sed & conuersatione quæ cœlestem gloriam mereatur.

Tertium nimirum montem dico, in quem ascendit solus orare. Mons Christi orationis Vide ergo quàm bene sponsa in Canticis, *Ecce*, inquit, *venit iste saliens in montibus.* Matth. 14. v. 23. In primo, transfiguratus est, vt scires Cant. 2. v. 8.

quò tenderes: in secundo, verba vitæ locutus est, vt scires quà peruenires: orauit in tertio, vt eundi & perueniendi bonam obtinere studeas voluntatem. *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Iacob. 4. v. 17.

D Propterea sciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cùm videris quæ agenda sunt, vt conualescas ad agenda, quæ videtis, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseueranter, sicut ille pernoctabat in oratione; Luc. 6. v. 12. & dabit tibi Pater bonus Spiritum bonum Secretum orationis Christo cōmendatum. petenti se. Et vide quàm vtiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quando hoc ille non solùm docuit verbo; *Intra,* Matth. 6. v. 6.

inquiens, *in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum:* sed & commendauit exemplo, nec domesticorum quempiam admittens, sed solus ascendens ad orationem.

E Putas poterimus aliquid amplius de eius ascensionibus inuenire? Ascensiones mysticæ. Poterimus vtique. Volo enim vt nec iumenti ipsius sis immemor, super quod legitur ascendisse. Volo vt nec ipsam crucis Ascensionem omittas: Nam & in illâ exaltari oportebat Filium hominis. *Et ego*, inquit, Ioan. 3. v. 14 & 12. v. 32.

si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum. Itaque cùm iam & cognitio suppetit, & velle adiacet, quid agis quòd perficere bonum non inuenis? sed asinini quidam & bestiales motus legem contrariam habent, & captiuare te volunt. Quid, inquam, facies super concupiscentijs irrationalibus, quæ sunt in membris tuis? Vrget te etiam cùm ieiunare consentis gulæ illecebra: cùm vigilare proponis, somnolentia premit. Quid faciemus huic alieno? Asininum

enim istud est, commune cum asinis: quia homo *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ascende Domine super asinum istum, conculca hos bestiales motus, quia domari debent, ne dominari præualeant. Nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; nisi premantur, opprimunt nos. Propterea sequere anima mea, & in hac ascensione Christum Dominum, vt sub te sit appetitus tuus, & tu dominetis illius. Nam vt in cœlum ascendas, priùs necesse est leuare te super te, calcando carnalia desideria quæ in te militant aduersum te.

Psal. 48 v. 14.
Ascensio super asinũ.

Sequere etiam Ascendentem in crucem exaltatum à terrâ, vt non solùm super te, sed & super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, vniuersa quæ in terris sunt deorsum aspiciens & despiciens, sicut scriptum est, *Cernent terram de longè.* Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ aduersitates deijciant. Absit tibi gloriari nisi in cruce Domini tui Iesu Christi, per quam tibi mundus crucifixus est: vt quæ mundus appetit, crucem reputes; & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

Ascensio in crucem.
Isai. 33. v. 17
Gal. 6. v. 14

Iam verò quid ex hoc restat, nisi vt ad illum ascendas, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula? Dissolui iam, & esse cum Christo, multò magis optimum. *Beatus vir cuius est auxilium abs te*, ait Propheta ad Dominum, *ascensiones in corde suo disposuit: ibit de virtute in virtutem, vsque ad videndum Deum deorum in Sion.* Hæc est vltima ascensio, in quâ implentur omnia, sicut ait Apostolus: *Christus, qui descendit, ipse est & qui ascendit, vt adimpleret omnia.* Sed de illâ ascensione quid dicam? Quò ascendemus, vt vbi Christus est, & nos simus? Quid ibi erit? *Oculus, Deus, non vidit absque te qua præparasti diligentibus te.* Desideremus hanc, fratres mei, suspiremus ad eam iugiter, & eò magis affectus vigeat, quò deficit intellectus.

Ascensio ad Deum, & in cœlum.
Psal. 83. v. 6.
Eph. 4. v. 9.
1. Cor. 2. v. 9.

EIVSDEM, IN ASCENSIONE *Domini, De Intellectu & Affectu.*

SERMO V.

HOdie sedenti in throno Antiquo dierum, consessurus pariter, oblatus est Filius hominis; & erit deinceps non modò germen Domini in magnificentiâ & gloriâ, sed & fructus terræ sublimis. Felix vnio, & amplectendum ineffabilibus gaudijs sacramentum. Idem enim & germen Domini, & fructus terræ: idem & ipse Dei Filius, & fructus ventris Mariæ est. Idem Filius Dauid & Dominus, de quo hodie gaudium eius impletum est, vnde olim præciniens aiebat, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Quomodò enim non Dominus germen Domini? idem tamen & filius eius, vtpote fructus terræ sublimis, fructus virgæ, quæ de radice Iesse processit. Hodie igitur suum hunc & hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit priusquam mundus fieret apud ipsum. Hodie veritatem, quæ de terrâ orta est, cœlum sibi redditam gloriatur. Hodie sponsus aufertur à filijs; & lugendum eis est, sicut ipse prædixit. Non enim poterant filij sponsi lugere, donec sponsus cum eis erat: sed venit dies vt auferatur ab eis, vt de cætero lugeant, & ieiunent. Vbi illud iam Petre quod di-

Dan. 7. v. 13
Isai. 4. v. 2.
Christus germẽ Domini, & terræ fructus.
Psal. 109. v. 1
Festi Ascẽsionis elogia.
Math. 9. v. 15.

A xeras, *Domine, bonum est nos hîc esse: faciamus hîc tria tabernacula?* Ecce enim ingressus est amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis.

Math. 17. v. 4.

Quomodò ergo iam bonum est nos hîc esse? Imò verò molestum est, graue est, periculosum est. Nimirum vbi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum; si tamen vel modicum inuenitur: vbi viscosa omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: vbi periclitantur animæ, vbi spiritus affliguntur sub sole; vbi tantùm vanitas, & afflictio spiritus est. Leuemus igitur, fratres mei, leuemus in cœlum corda cum manibus: & ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus deuotionis & fidei contendamus. Erit enim cùm sine morâ, sine difficultate obuiam illi in nubibus rapiemur; & id poterunt B corpora spiritualia, quòd meritò interim nequeũt spiritus animales. Nunc enim quantis orationibus corda leuare necesse est? quæ quidem (vt miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) & corruptio corporis aggrauat, & terrena inhabitatio deprimit.

In mundo esse, nõ bonum, sed graue &c.
1. Thes. 4. v. 16.
Cor sursum leuare nunc difficile.

At fortè tradendum est, quid sit leuare cor, aut quemadmodum illud oporteat eleuari: sed tradendum sanè tam ab Apostolo, quàm à nobis. *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dexterâ* C *Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ac si manifestiùs dicat: si consurrexistis, & coascendite: si conuiuitis, & conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit: sequamur patientem, sequamur & resurgentem; sequamur multò libentiùs ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, vt destruatur corpus peccati: vt vltrà non seruiamus peccato, mortificatis nimirum membris nostris, quæ sunt super terram. Sed & quomodò ipse resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus est, & resurrexit, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.

Col. 3. v. 1.
Christus ascendens sequendus.

D Cæterùm quoniam vitæ nouitas locum exigit tutiorem, & resurrectionis dignitas altiorem expetit gradum, sequamur etiam ascendentem: quærere videlicet & sapere quæ sursum sunt vbi ille est, non quæ super terram. Quæris quis ille sit locus? Apostolum audi: *Quæ sursum est*, inquit, *Hierusalem libera est, quæ est mater nostra.* Vis scire quænam ibi sint? Visio pacis est. *Lauda Hierusalem Dominũ, lauda Deum tuum Sion: qui posuit fines tuos pacem.* O pax quæ exuperas omnem sensum! ô pax etiam super pacem! ô mensura super mensuram, conferta & coagitata & supereffluens! Compatere igitur Christo anima Christiana: consurge, coascende: quod E est, *Declina à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam.* Sic nimirum Paulus in Actibus Apostolorum de continentiâ & iustitiâ & spe vitæ æternæ memoratur docuisse discipulos. Sic Veritas ipsa monet in Euangelio, præcingere lombos, lucernas accendere, & deinceps hominibus expectantibus Dominum suum similes inueniri.

Gal. 4. v. 26
Psal. 147. v. 12.
Psal. 33. v. 15
Act. 13. v. 10.
Luc. 12. v. 35

Cæterùm gemina quædam (si bene aduertistis) Ascensio nobis ab Apostolo commendatur, in eo quòd & quærere, & sapere monuit non infima, sed superna. Quam fortè distinctionem nec ipse quoque Propheta prætermisisse omninò videbitur, dicens, *Inquire pacem, & persequere eam:*

Intellectus Ascensio & Affectus.

vt hoc

vt hoc sit pacem sequendam quætere, persequi A inquisitam quod est sapienda quætere, quæsita sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nimirum donec diuisa sunt corda, & multos interim sinus inueniuntur habere, nec sibi omniòò cohærere videntur, vel particularim ea & membratim quodammodò leuare necesse est, vt io superna illâ Hierusalem colligantur, cuius participatio eius in idipsum. vbi non tantùm singuli, sed & omoes pariter incipiant habitare io vnum: non modò scilicet non diuisi in semetipsis, sed nec inter seipsos. Ecce enim, vt tanquam principalia cordis membra distinguam; est intellectus in nobis, est & affectus: & hi quoque sæpius sibi inuicem aduersantes; vt alter summa petere, alter appetere iofima videatur. Quantus verò is dolor, quàm grauis animæ cruciatus, dum sic distrahi- B tur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à seipsâ, vel ex eâ saltem, quam omnibus experiri in promptu est corporis scissione conijciat: si quis in suo spiritu animaduertere perniciosâ insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominum crura, & longioris obice ligni remouentur ab inuicem pedes: & dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille est cruciatus?

Cordis plena pax & vnio in supernâ Hierusalem.

Distractionis membrorũ cordis cruciatus.

Sic, sic affligi plangimus miseros, qui corporaliter inter nos conuersantes, illuminati fortè similiter, sed dissimiliter inueniuntur affecti. Intelligunt pariter bona quæ faciant, sed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorātiâ, fratres, quænam excusatio nobis quibus nunquam do- C ctrina cœlestis, nunquam diuina lectio, nunquam spiritualis eruditio deest? Quæcunque vera sunt, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc discitis & accipitis, hæc auditis pariter & videtis, in exemplis videlicet & verbis eorum, qui ioter vos sunt perfecti, quorum & hortatio & coouersatio pleniùs erudit vniuersos. Vtinam autem hæc vt intellectum admonent, moueant & affectum; ne sit intus amarissima contradictio & diuisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum.

Plangendi tepidi religiosi.

Nimirum aduertere potes in omnibus fere re- D ligiosis congregationibus, viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, solicitos obseruatores conscieotiæ, & deuotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique huius conuersationis austeritas refrigerium videatur. Contrà sanè iouenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pu- E sillanimis tristitia est; quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sioe deuotione, sermo sine circunspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione; qoos denique (vt vidimus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet. Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu iotellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur, socij planè tribulationis,

Religiosi feruentes & deuoti; hisque oppositi.

sed non consolationis? Exurgamus obsecro, quicunque huiusmodi sumus, spiritum recolligamus, abijcientes perniciosam tepiditatem; etsi non quia periculosa est, & à Deo solet (vt interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum prouocare: certè quia molestissima, plena miseriæ & doloris, & inferno planè proxima, vmbra mortis iurè censetur.

Si quærimus quæ sursum sunt, etiam sapere & prælibare interim studeamus. Fortè enim poterit intellectui & affectui non inconuenienter aptari, quòd & quærere quæ sursum sunt, & sapere admonemur: vt io principalibus (quemadmodum supra dictum est) membris suis nostra corda manibus quibusdam pij conatus & exercitij spiritualis leuare studeamus ad Deum. Omnes (ni fallor) quæ sursum sunt quærimus intellectu fidei & iudicio rationis, sed non æquè forsitan sapimus omnes quæ sursum sunt, tanquam inescati his, quæ sunt super terram, violento quodam præiudicio affectionis. Vnde enim ea, quam paulò antè osteodimus, animorum diuersitas, tanta disparilitas studiorum, conuersationum tanta dissimilitudo? Vnde spiritalis gratiæ ioopia tanta, cùm alijs copia tanta exuberet? Profectò nec auarus nec inops est gratiæ distributor; sed vbi vacua desunt, stare oleum necesse est. Vndique se ingerit amor mundi: com consolationibus, imò desolatiooibus suis obseruat aditus, per feoestras irruit, mentem occupat, sed non eius qui dixit, *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Præoccupatum nempe sæcularibus desiderijs animum delectatio sancta declinat, oec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.

Ariditas mentis, & inopia gratiæ vnde?

4. Reg. 4. v. 6.

Psal. 76. v. 4

Felices nimirum viri illi per quos Dominica Ascensio legitur præsignata, Enoch raptus, translatus Elias. Felices planè, qui soli iam Deo viuunt, soli vacant, intelligendo, diligeodo, fruendo. Neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illas aggrauant animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscontur. Factum est impedimentum omne de medio, occasio vniuersa sublata, materies nulla relicta est quæ eorum affectum aggrauet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem ob hoc raptum Scriptura commemorat, oe fortè viocat malitia sapientiam, & intellectus eius vel anima vltrà decipi valeat aut mutari.

Eccl. 44 v. 10.

4 Reg. 2 v. 11

Sap. 4 v. 11.

Hebr. 11. v. 5.

Nobis autem vnde in his teoebris veritas, vnde charitas io hoc sæculo nequam, in hoc mundo qui totus positus est in maligno? Putasoe erit qui iotellectum illumioet, qui inflammet affectum? Erit vtique si conuertamur ad Christuio, vt velamen de cordibus auferatur. Hic est enim de quo scriptum est, *Habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis.* Siquidem prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus, annuntiauit hominibus vt omnes vbique agerent pœnitentiam, secundùm quod Paulus Athemensibus tradit. Memento etenim Dei Verbum & Sapientiam incarnatam; cuius vtique opus erat toto illo tempore, quo videri in terris, & inter homines conuersari dignata est ineffabilis illa virtus, illa gloria, illa maiestas, illuminare oculos cordis, etiam suadere fidem hominibus prædicatione pariter & ostensione signorum. Denique *Spiri-*

Isai 9. v. 2.

Act. 17. v 30

Isai. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18.

tus Domini, inquit, *super me, ad euangelizandum pauperibus misit me.* Et Apostolis loquebatur, *Adhuc modicum lumen in vobis est; ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Nec modò ante passionem, sed & post resurrectionem in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei: quando & sensum eis vt Scripturas intelligerent, legitur aperuisse, intellectum potiùs informabat, quàm purgabat affectum.

Ioan. 12. v. 36. Act. 1. v. 3. Luc. 24. v. 45.

Amor Apostolorum erga Christum in carne.

Quando enim ad spiritalia affici possent animales? Imò verò ne ipsam quidem meram lucem poterant aliquatenus sustinere; sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testâ, mel in cerâ, cereum in laternâ: Spiritus ante faciem illorum Christus, sed non vtique sine vmbrâ in quâ viuerent interim inter Gentes. Vnde & Virgini legitur obumbrasse ne vehementiori reuerberata splendore ad candidissimam illam lucem, purissimumque fulgorem diuinitatis, etiam illius aquilæ posset acies hebetari. Minimè tamen vel nubes ipsa leuis esse potuit otiosa, sed eâ quoque vsus est in salutem; & discipulorum animos, qui nec ad fidei intellectum sine aliquâ mutatione affectus poterant promoueri, nec assurgere adhuc ad spiritualia præualebant, in suæ carnis prouocauit affectum: vt amore quodam humano operanti mira, mira loquenti homini adhærerent amore vtique carnali adhuc, sed tam valido, vt cæteris omnibus præualeret. Nimirum hic erat ille Moysi serpens qui serpentes Magorum Ægypti omnes pariter deuorauit. Denique, *Ecce nos*, inquiunt, *reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Beati siquidem oculi, quia videbant Dominum maiestatis in carne præsentem, auctorem vniuersitatis inter homines conuersantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæmonijs imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem: mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem; Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipsius incarnati Verbi ore percipere merebantur; quibus enarrabat Vnigenitus qui est in sinu Patris, & nota faciebat quæcunque audisset à Patre; vt quæ fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, vniuersis postmodum Gentibus propinanda, imò eructanda potarent.

Thren. 4. v. 20. Luc. 1. v. 35.

Præsentiæ Dominicæ in discipulos munera.

Exod. 7. v. 12. Matth. 19. v. 27.

Quid mirum, fratres, si implebat tristitia cor eorum, cùm ab eis se prænuntiaret iturum, & adderet, *Quò ego vado, vos non potestis venire modo?* Quidni concuterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hæreret vultus, paueret auditus, nec omninò æquanimiter discessionis eius sermo posset admitti; vt relinqueret eos, pro quo omnia reliquissent? Cæterùm non vt maneret in carne, sed vt transferretur ad spiritum, totus ab eo in illam carnem discipulorum fuerat collectus affectus, vt dicere esset aliquando, *Etsi cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* Vnde & benignissimus ille Magister blandis eos refouens consolationibus, ait, *Rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, qui vobiscum maneat in æternum.* Et item, *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Grande mysterium, Fratres mei. Quid enim sibi vult, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Itáne inuisa Paracleto præsentia Christi, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus sanctus horrebat, quæ (sicut Angelo prænuntiante cognouimus) nec concipi quidem nisi eo superueniente potuerit? Quid ergo est, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non agnoscit, non recipit animus, non capit affectus.

Ioan. 16. v. 6. Ioan. 13. v. 33.

Collectus in Christū hominem affectus, in Christum Deum trāsferendus.

2. Cor. 5. v. 16. Ioan. 14. v. 16. Ioan. 16. v. 7.

Spiritus cōsolatio, non dedita carnis illecebris.

Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita sunt, imò quia ita sunt, audeat quis de cætero phantasticis quibusdam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis vtique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetæ peccatis, in quâ denique bonum non est; illum pariter expectare Paracletum? Audeat, inquam, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fouet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrentem voluptatis illum, illam sperare gratiam Spiritus vehementis, quam (vt Veritas ipsa testatur) nec cum ipsâ quidem Verbi carne percipere vllatenus Apostoli potuerunt? Errat omninò si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur. Falleris Thoma sancte, falleris si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat; id est, disciplinâ & vitâ communi, communibus studijs delectatur. Vsquequo miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid facio, inquit? *Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Nulla (vt dictum est) conuentio veritati & vanitati, luci & tenebris, spiritui & carni, igni & tepiditati.

Vitæ communis prærogatiua.

Gen. 21. v. 10.

Sed dum ille moratur, inquies, sine aliquâ consolatione esse non possum. Imò verò si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu. Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Nouit Dominum figmentum tuum: fidelis est, non te patietur tentari supra quàm possis. Confido in ipso, quòd si fideliter expectaueris, nec diem decimum expectabit. Præueniet certè in benedictionibus dulcedinis desolatam animam & orantem, vt feliciter & non ad insipientiam tibi consolari reuuens, in ipsius memoriâ delecteris inebriatus ab vbertate domus eius, & voluptatis eius torrente potatus. Sic nimirum & Elisæus quondam orasse legitur, cùm dulcissimum illud solatium, Eliæ præsentiam sibi plangeret subtrahendam. Sed considera diligentiùs quid orauerit, quidue responsum sit postulanti. *Oro*, inquit, *Domine, vt fiat spiritus tuus duplex in me.* Nimirum duplicati ei Spiritum oportebat, vt magistri abeuntis absentiam gratia duplicata suppleret. Vnde & Elias ad eum, *Si videris*, inquit, *quando tollar à te, fiet quod petisti.* Duplicauit enim Spiritum visio abeuntis, cùm euidenter raptus in cœlum, vniuersa pariter eius desideria secum tulit: vt inciperet ipse quoque iam sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram. Duplicauit Spiritum

Habac. 2. v. 3. Act. 2.

Orationis instantiâ expectandus Spiritus sanctus.

4. Reg. 2. v. 9. Duplex Eliæ spiritus.

visio abeuntis, vt intellectui spiritualis iungeretur affectus, cum ipsâ vtrique eui potissimum inhætebat carne raptus in cœlum.

Quod euidentiùs in Apostolis inuenitur impletum. Vbi enim videntibus illis suus ille Iesus tam manifestè eleuatus est, & ferebatur in cœlum, vt nemo eorom opus haberet interrogare, *Quò vadis*; ipsâ iam (vt ita dicam) oculatâ fide edocti sunt supplices in cœlum leuare oculos, puras tendere manus, promissa sibi dona charismatum postulantes, donec fieret repente de cœlo sonus aduenientis spiritus vehementis; aduenientis vtique ignis, qoem Dominus Iesus mittebat in terram, volens vehementer accendi. Constat quidem eos & priùs Spiritum accepisse, cùm videlicet insufflauit eis, & dixit, *Accipite Spiritum sanctum*; sed spiritum planè fidei & intelligentiæ, non feruoris, quo magis illuminaretur ratio, quàm inflammaretur affectio, dum duplicati vtique Spiritus opus fuit. Quos enim Verbum Patris disciplinam & scientiam antè docuerat, & intellectu adimpleuerat corda eorum, adueniens vtique postmodum ignis diuinus, & inueniens iam receptacula munda, infudit vberiùs dona charismatum, & in spiritualem omninò mutauit amorem; vt accensa in eis charitas fortis vt mors, iam non modò fores, sed ne ipsa quidem ora propter metum Iudæorum claudere dignaretur. Cuius nos gratiæ pro nostræ exiguitatis modulo præparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, & à delectationibus miseris, & caducis consolationibus euacuare studeamus, dilectissimi, corda nostra, maximéque instante nunc die festo; & feruentiùs & fiducialiùs vnanimiter perseueremus in oratione, vt suâ nos visitatione, suâ consolatione & confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, Spiritus dulcis, Spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans: qui cum Patre & Filio idipsum, sed non is ipse est: vt tres vnum, & vnum tres esse verissimè prorsus & fidelissimè catholica Ecclesia fateatur, à Patre adoptata, à Filio desponsata, à Spiritu sancto confirmata; quibus vt vna substantia, sic eadem nihilominus gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 12. v. 49
Spiritus duplex datus discipulis.
Ioan. 20. v. v. 22.

GVERRICI ABBATIS, DE *Ascensione Domini.*

SERMO.

Ioan. 17. v. 24.

P*Ater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum, vt videant charitatem meam.* O felices, quorum aduocatus ipse iudex est, pro qoibus orat: qui pari honore cum eo quem adorat, adorandus est. Voluntate labiorum eius non fraudabit eum Pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omninò quod Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus, qui de omnibus quæ sunt, *dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Volo*, inquit, *vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium; tantùm non abijciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum credituri sunt in Dei Verbum. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Vobis* autem, fratres, *donatum est*, vt ait Apostolus, *non solùm vt credatis, sed etiam vt patiamini pro eo*: quos scilicet fides promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens feruentiores, in quotidiano vitiorum conflictu martyrio coronat assiduo. Assiduo, sed facili; facili, sed sublimi. Facilè est, vbi supra naturam nihil imperatur: sublime, vbi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile, suaue Christi iugum portare? an non sublime, in regno eius excellere? Quid faciliùs rogo quàm portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimiùs quàm supra omnem cœlorum altitudinem, quò Christus ascendit, euolare? Planè Sancti, quorum sicut aquilæ iuuentus renouabitur, assument pennas sicut aquilæ, & volabunt. Quò volabunt? *Vbicunque*, inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* Sed quid putamus, fratres, quomodò tunc repente de terris ad cœlos euolare poterit, qui nunc exercitio & vsu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce; nunquid non Christus sicut aquila prouocabat hodie ad volandum pullos suos, cùm scilicet videntibus illis eleuaretur, diúque sequerentur oculis euntem in cœlum? Poterat vtique repente in ictu oculi ex oculis eorum rapi, & vbi vellet constitui. Sed planè, *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*; & corda sursum leuare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse subleuari pollicebatur exemplo sui corporis: sicut & Apostolus ait æterni conscius mysterij, quia & nos baiulis nubibus, *rapiemur obuiam Christo* redeunti. Ipse quidem *ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum*; id est, supergressus est Virtutes Angelorum: tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, & assumet te, atque portabit in humeris suis: si modò pullus degener non existas, vt à terrâ leuari, & aurâ puriori perfrui non extimescas. Alij volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente excedit, & ad tertium vsque peruolat cœlum: Ioannes ad id, quod in principio erat, Verbum: tu saltem humi degenerem non trahas animum, nec patiaris obrutum inertiâ, in terrâ putrescere cor tuum: sed clamanti, Sursum corda, Pontifici magno (qui hodie *introiuit in Sancta, æternâ redemptione inuentâ*, vbi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter, Habemus ad Dominum. Sed & si aliquando quæsiuisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram: iam teipsum increpa, & dic Domino cum Prophetâ, *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Heu quàm miserè errabam! Tam magnum est illud in cœlo mihi repositum, quod contemnebam: tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam. Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cœlum, ibi sit & cor tuum. Inde ducis originem; ibi habes Patrem & hæreditatem, inde expectas Saluatorem, Amen.

Psal. 32. v. 9
V. 20.
Phil. 1. v. 29
Martyrium assiduum, facile, ac sublime.
Math 24. v. 28.
Dominus ascẽsu prouocans ad volandum.
Deut. 32. v. 11
1. Thes. 4. v. 17
Psal. 17. v. 11.
2. Cor 5. v. 13.
Hebr. 9. v. 12.
Psal. 72. v. 25.

S. LAVRENTII IVSTINIANI, *in festo Annuntiationis Domini.*

SERMO.

COelitus Prophetæ sancti afflati in Spiritu, quemadmodum percipere meruerunt, ita Redemptoris nostri mysteria, quæ ad humanitatem attinent, pro fidelium conditione sub cumpendio insinuare curarunt. Non enim humano studio, sed à Deo didicere per Spiritum; neque pro se tantùm, sed vt posteris generationibus fidei notitia, atque exhibitæ charitatis præclara pateret cognitio. An non ædificatur plurimùm fides, cùm ea, quæ facta conspicimus, prænun- B tiata longè antè fuisse cognoscimus? Hinc futura priùs monstrata sunt, vt suo tempore completa

Eccl.36.v.18

credantur. *Da*, inquit vnus Prophetarum, *mercedem sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Nempe nulla est alia expectantium merces, quàm vt quod præstolantur, excipiant. Prædicabat Vates Dominum Christum in carne venturum, & de spiritali seruitute erepturum esse populum Israël. Ob hoc plebium accendebantur corda illum videre, & beneficiorum eius participes fieri. Quis non meritò inardesceret, agnoscere Deum verum, & hominem conceptum sine semine, natum de Virgine, adoratum à Gentibus, C præsentatum in templo, baptizatum in fluuio, faciendorum miraculorum potestate præditum, verbum vitæ prædicantem turbis, à discipulo traditum, illusum, coronatum spinis, confixum ligno, felle potatum, mortuum, resuscitatum post triduum, cœlosque ascendisse post modicum? Huic planè tanquam humani generis Redemptori omnium Prophetarum voces testimonium perhibent. In hunc omnium Patriarcharum figuræ concordant, vtpote promissum cœlitùs, & in temporis dispositione ostensum.

Prophetarũ de Christo oracula.

Quid Prophetę de ipso Christo vaticinati sunt, oro, diligenter attende, nec de accepto pignore in fide dubius, vel inueniaris ingratus. Conceptũ D quippe Virginis, & ipsius partum eorum vnum

Isai.7.v.14.

differentem audi. *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Gentium ergo seruitutem Christo fidelem

Psal.71.v.10

agnosce prænuntiatam in Psalmo: *Reges Tharsis*, ait Psaltes præcipuus, *& insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Cœlestis Patris testimonium super ipsum baptizatum si scire concupiscis, obserua Prophetam

Psal.28.v.4

dicentem, *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ.* E De prædicatione & miraculorũ exhibitione audi

Isai.61.v.1

quid idem per Prophetam dicat. *Spiritus*, inquit, *Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me: sanare contritos, remissionem prædicare captiuis, cæcis dare visum, dimittere confractos, prædicare annum acceptum Domino, & diem retributionis.* Quòd à disci-

Psal.40.v.10.
Citant ex Ier. Acta ãtiqua sancti Siluestri.

pulo sit traditus, ipse in Psalmo dicit, *Homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, ampliauit super me supplantationem.* De illusione eius sic legitur, *Illusio factus sum populo huic, canticum tota die.* Quòd spinis esset coronandus per Prophetam idem inquit, *Spinis peccatorum suorum circundederunt me populus hic.* De cruci- A fixione eius Propheta inquit, *Vinxistis me, non sicut patrem, qui liberaui vos de terrâ Ægypti: clamantes ante tribunal iudicis humiliastis me; suspensum in ligno, tradidistis me.*

Eadem citant ex Esdrâ.

Psal.68.v.22.

Quòd felle potatus sit, ait Psalmographus, *Et dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potauerunt me aceto.*

Ier.11.v.19.

De morte ipsius apud Prophetam habetur, *Dixerunt impij, Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terrâ viuentium: & nomen eius non memoretur amplius.* Quòd resuscitatus

Psal.15.v.10

sit, inquit Dauid, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Psal.3.v.6

Ipse autem in Psalmo dicit, *Ego dormiui & soporatus sum, & resurrexi, quia Dominus suscepit me.*

B Ascensionem quoque ipsius Propheta memoratus, apertissimè pronuntiauit, inquiens,

Psal.46.v.6

Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Signanter tamen illum ascendisse perhibuit, ne

Gen.5.v.24.
4.Reg.2.v.11.

sublatum vt Enoch, vel curru igneo, vt Eliam raptum fuisse putares. Ascendit planè, non Angelico fultus præsidio, sed potestate propriâ, quemadmodum ore Prophetico dicitur,

Psal.20.v.14.

Exaltare Domine in virtute tuâ, cãtabimus, & psallemus virtutes tuas. Ascendit, inquam, hodie nonnullis ex beatis Spiritibus mirantibus, atque dicentibus,

Isai.63.v.1.

Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosrâ, formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine virtutis suæ? Mirabantur non modicum, quonãmo- C dò humana natura delicto priorum parẽtum deprauata, vulnerata, ac de cœlorum exulans regione, illuc tanto cum honore conscenderet. Neminem mortalium eo vsque ascendisse perspexerant, tametsi præcessissent multi, quorum vitam gratissimam Deo extitisse cognoscerent. Verùm vt Dominum cognouerunt esse Iesum, festiuâ cum exultatione eidem obuiam processere, dicentes,

Ioan.12.v.13.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Nemo autem dubitet supernorum ciuium vniuersa agmina, Angelorum videlicet, Archãgelorum, Virtutum, Principatuũ, Potestatum, Dominationũ, Thronorum, Cherubim & Seraphim Domino D occurrisse, illumque ineffabilibus spiritualium canticorum extulisse laudibus, atque vsque ad diuinitatis sacrosanctum comitata esse solium. Hãc profectò Mediatoris nostri sublimem gloriã Propheta contemplatus, aiebat,

Istud in introitu Dominicæ per Octauam Epiphaniæ, ex libro non canonico

In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum psallentium in vnum. Ecce cuius imperij nomen est in æternum. Psallebant vtique pariter, & cœlestem aulam dulcisonâ modulatione replebant: eorum tamen singuli vota propria & præconia specialia depromebant.

Angelorum hominumque lætitia Christi ascensu.

Nouum planè illic exortum est gaudium, insueta celebrata solennitas, pax reformata antiqua, regium paratum conui- E uium, munera prærogata amplissima, atque iubilatione quàm maximâ hominum & Angelorum ora completa. Erat omnium vna laudandi voluntas, concors charitatis affectus, eadem contemplationis visio, simul fruitio maiestatis, atque interminabilis causa lætitiæ.

Fort. speciale.

Verùm quoddam hominibus spiritale tripudium infundebat amoris, dum supra cunctam cœli militiam propriam in Christo naturam intuebantur euectam.

Hominum speciale tripudium.

Hinc Christum ampliùs degustabant in Christo, atque præcipuo eidem dilectionis vinculo inhærebant. Ingrediebantur quippe nunc ad contemplandas inenarrabilis Verbi delicias, eius diuinam generationem, & Patris & Filij sacratissimum osculum.

Nuoc supereminentem plenitudinem gratiarum ipsius percipiebant in atumâ, Vetbi vnionem, capitis excellentiam, prærogatiuam singularis personæ, ptæcelsam sibi traditam potestatem, amoris vehementiam, patilitatis scientiam, gloriam deitatis, & dona quædam præcipua, quæ obtutus nequit humanus attingere. Egrediebantur autem interdum, & delectabiliter intuebantur bumanitatis illius elegantiam, ptæclaram formam, radiantem faciem, imperiale decus, & honorabilem statutam. Sicque amoris, admirationis & gaudij mellisiua in eo inueniebant pascua. O quanta illic singularis lætû ia inerat, qoàm læti ducebantut choti, quantus exultationis petsonabat cooceptus, qualisue hatmoniæ cœlestis illabebatur gustus. Ipsorum namque vociferatio laudis etat *sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis*. Vniuersotum etenim præcipuum opus existebat Deum honorificè magnificate & colere, benedicere & laudate, illique medullitùs ac sincero venerationis affectu ignitas gratiarum habere actiones: copiosiùs tameo Mediatori ipsi, pro quo hæc celebritas tam soleoniter agebatur. Nam quemadmodum cæteros dignitate excedebat & gratiâ, ita eius speciale sacrificium plus reliquis in conspectu redolebat Altissimi. Omnem quippe locum replebat fragrantiâ, singulosque suauitate reficiebat & contemplationis iubilo. Dies ille factus est præclarior cæteris, sanctior vniuersis, sine occasu, sine mœtore, & absque vicissitudine. Facundia profectò explicate non sufficit, humanus non attingit sensus, non capit oculus, neque ingenium penetrat, huius diei quanta sint gaudia. Coniuncta sunt ima summis, & humaoa sunt copulata cœlestibus. Factus est vnus bominum & Angelotum paties in Christo Iesu angulari lapide pretioso atque prtfecto. Nempe in hoc die tota ciuitas cœlestis Hierusalem rosis coronata est, respersa odoribus, floribus redimita, ornata monilibus, decorata gemmis, auro depicta, & circunquaque septa cantoribus, adeò vt pet omnes vicos & plateas, atque super ipsius muros dulcisonæ laudantium perstreperent voces.

Apoc. 14. v. 2.

Christi peculiaris exultatio.

Tantus siquidem exultatiotus in eadem effundebatut sonus, vt etiam discipulorum Christi corda compleret. Quamobrem pro tam insolito prodigio & iosueto iubilationis gaudio admitantes stupebant, ita vt mutuò sibi loqui non possent. Præpedierat quippe linguæ officium, delectationis internæ nimietas, & mixta cum admiratione lætitia. Portò io personâ istorũ Citharœdus egregius decantando dicebat, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.* Metiò propter vtriusque hominis glorificatá in Christo natutam cor & caro exultasse pethibentur. Vt igitur omnia in omnibus fieret Christus, tota hominis deificata est species, atque super omnem Principatum & Potestaté feliciter sublimata. Istiusmodi autem diuini operis irradiatâ splẽdore sanctâ hodiernâ solennitate, vndique mater canit Ecclesia: *Omnes*, inquit, *Gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.* Vninersos in hac Domini Ascensione iubilationis inuitat ad plausũ, quatenus illi gratulentur, & se agnoscant in ipso; atque quò ille, festinent ascendere. Ipsi sanè congratulãdum est, qui in huius peregrinationis campum pugnaturus adueniens, post mortalis corpo-

Apostolorũ admirata ex stupore triumphi Christi.

Psal. 83. v. 3.

Psal. 46. v. 2.

A ris necessitates perlatas, post vsquequaque verbi Dei diffusum semen, post ignominiosæ passionis perpessum agoné, post tenebrarum priocipis triũphum exbibitum, postque gloriosissimæ tesurrectionis consummata mysteria, visibilibus oculis in cœli palatium perenniter regnaturus intraoit. Quantum autem rationalis spiritus percipiat gaudium, cùm suæ côsiderationis in Christo figit obtutus, nemo sufficienter explicat verbis. Se quippe videt in illo: naturam suam excellentiùs, quàm in primâ conditiooe fuerat condita, teformatam agnoscit in melius, dona cumulata, additam gratiam, & supererogatam sibi cum exultatione fatetur gloriam. Hinc gaudet in spiritu, corde tri pudiat, charitate flammescit, exoluit grates, occupatur in laudibus, depuratur méte, meditatione pin- B guescit, illucque festinat ascendere, quò sponsum suum ascendisse non dubitat. Asceodit, inquam, in huiusmodi castissimi amoris præludio, vbi Christus est in dexterâ Dei sedens, oon corpore, non vehiculo, non humano suffragiu, sed spiritu, sed cogitatione, sed desiderio, sed intentione, sed corde. Per se namque concupiscentiâ impellente, ferente voto, sponsoque trahente rapitur super se Rapitur quidem interdum ex supereffluente gratiâ, ex feruore spiritus, ex suauitate amoris, ex abundantiâ luminis. Ascendit autem frequenter vittute corroboratus & gratiâ per spirituales, internosque gradus, vt eius quem diligit, valeat delectari præsentiâ.

Dulcis cõtemplatio Christi in gloriâ recepti.

Raptus, & ascensus.

C Istiusmodi studia spiritualia Propheta considerans atque commendans, aiebat Domino, *Beatus cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarũ, in loco, quem voluit. Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Videsne, quàm rationabiliter in corde per dispositos virtutum gradus ad Dei valeat visioné ascendi? Verùm ne pro ignorantiâ te, quòd noo ascendas, excuses, præceptorem cœlestem in montis vertice cum discipulis residẽtem, perfectionisque monita proferentem, audi quàm disertè spirituales quosdam instituerit gradus. *Aperiens* quippe *os suum, inquit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites,* D *quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabũtur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ascensionibus istis eo vsque peruenit, vt diceret, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Propheta quoque ait, *Beatus, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum* Nempe ab illo *videbitur Deus deorum in Sion.* Optimè Propheta & Dominus Prophetarum, quoniam vno loquebantur E spiritu, in eadem conueniebant sententiâ. Quamobrem si recto cupis ad cœlum scandere ordine, humilitatis iace fundamentum, quatenus à Domini timore initians, terram viuentium hæreditario iure per mãsuetudinem & pietatis affectum valeas possidere. Disce etiã pręsentis exilij deplorare ærũnas, atque diabolicę fraudis agnoscere laqueos, vt lumine in te præeunte scientię, assuescas esurire & sitire iustitiam. Hoc dum tu diligenter perfeceris, diuino fretus coosilio nõ solùm aduersa perferes fortiter, verùm etiam misericordię viscera indues, perquæ gaudete cum gaudentibus,

Psal. 83. v. 6

Ascensionis in corde dispositi gradus.

Matth. 5. v. 2.

Rom. 12. v. 15

A Paschate.

atque veraciter poteris flere cum flentibus. In his A exercitatus, intellectus percipies donũ, per quod internos omnes animi tui compones motus, & arbitrium tuum subijcies ratioui, fiesque pacificus, & Patris tui cœlestis deputatam, quemadmodum eam sortitus es, habebis imaginem. Tũc planè sapientiæ diuinæ tibi suauissimus exhibebitur gustus: tunc sacramentorum cœlestium arcana pandentur, atque immortalis sponsi spirituali potiêris præsentiâ, quę purgato cordis prospicitur intuitu.
Matth. 5. v. 8. *Beati* proculdubio *mundo corde*, qui per spirituales ascensus prouecti super sidera, immaculati Agni spiritualiter intersunt nuptijs, & in amabili ipsius delectanter aspectu.

Istiusmodi ô quantis exuberant delicijs, qualibusue fruuntur gaudijs? Expertum audi.
Psal. 15. v. 8. *Prouidebam*, ioquit, *Dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi ne cõmouear: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.* Et hoc illi vnde? quo studio? quâ intentione? *In matutino*, inquit,
Psal. 100. v. 8. *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini virtutum, omnes operantes iniquitatem.* Cordis insinuauit se vacasse muoditiæ, dum in exordio perniciosæ vel noxiæ cogitationis se reluctatum esse declarat. Hinc planè beatus erat, quoniam sui cordis tenebat custodiã, & paruulos suos allidebat ad petram, non sineos interioris hominis obtenebrare obtutum. Hinc etiam ad supernam patriam se asceosurum esse sperabat. Psal. 136. v. 9.
Quamobrem alio loco quasi requisitus, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* sententiam protulit, dicens, *Innocens manibus, & mundo corde.* Psal. 14. v. 7
Istius igitur Prophetæ eruditus oraculo, atque prouocatus exemplo, peruigilem cordi tuo adhibeto custodiam, ne curis sæculi, ebrietate grauetur & copulâ: ne inordinato B illud deprauetur affectu, ne maligni seducatur fraude, ne vitiorum labe fœdetur, neque carois subuertatur illecebris. Cœlestem quippe quò hodie Christus ascendit, corde conscendens in arcem, si muodus ab ijs, quæ dicta sunt, mentis tuæ seruabis intuitum; Mediatoris nostri nihilominous suffragante clementiâ, qui humanitatem nostram importauit sideribus, eandemque beatæ Trinitatis collocauit in solio, in quâ viuit & regnat gloriosus in sæculu sæculorum, Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS.

IOAN. XV.



a Sponte vt Deus.
N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, Cùm [a] venerit
b Vt sit fiducia consolationis. c Ecce, quod & Filius mittit a Patre à quo ipse est.
[b] Paracletus, quem ego [c] mitto vobis à Patre Spiritum veri-
d Vt sit fiducia prædicationis. Ecce quòd Pater mittit. e Manifestatione sui, quia tanto miraculo, quod qui putabatur mortuus, resurrexisse & viuere probatus est.
f Quod non modò, quia non adest plenitudo illius temporis.
tatis, qui à [d] Patre procedit, [e] ille testimonium [f] perhibe-
g Per eum. h Prædicationis meæ, ideo prædicare poteritis quod nostis.
bit de me. Et vos testimonium [g] perhibetis, quia ab [h] initio mecum estis. Hæc loquutus sum vobis, vt non scandalize-
i Quasi dicat, Sed ne timeatis solitudinem, quia tot acquiretis vt pro eis ad gloriam Dei videamini occidendi.
mini. Absque synagogis facient vos. [i] Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos,
k Zelum Dei habere, sed non secundum scientiam, sed ex stultâ ignorantiâ.
[k] arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt
l Esse. m Filium. n Hæc fient: Sed ego prædixi, ne ignaros hæc & improuisa turbarent, sed præuisa patienter ferantur.
o Tenebrosa. Opportunitas.
[l] Patrem, neque [m] me. Sed hæc [n] loquutus sum vobis, vt cùm venerit [o] hora eo-
p Malorum. q Et caueatis vobis.
rum, [p] reminiscamini, quia ego dixi vobis.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*



Ioan. 15. v. 26. *VM autem venerit Paracletus.* Nunc videntes opera, oderunt gratis & me Patrem. Sed cùm venerit Paracletus, manifestiore testimonio conuincet eos qui viderunt & oderunt: sed & quosdã eorum compunctos de tanto scelere conuertet.

Quem ego mittam. Die Pentecostes venit Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, cum quibus erant omnes Apostoli in domo vbi cœna fuerat. *Qui à Patre procedit.* Spiritus procedit à Patre & Filio: sed Filius dicit à A Patre procedere, quia ad Patrem solet referre: & quòd ipsius est, de quo ipse est. A quo ergo habet vt sit, ab illo habet, vt de illo procedat Spiritus. *Hæc loquutus sum vobis.* Postquam Ioan. 16. v. 1.
exemplo suo docuit ferre odia, in quo sciunt quid debeant facere, sed noo possunt: postquam etiam promisit Spiritum quo poterunt resistere, etiam addit: *Hæc loquutus sum*, de odio mei, quod est exemplum de Spiritu, qui confirmabit: vt ita Rom. 5. v. 5.
charitate diffusâ in cordibus vestris, sit vobis multa pax, & non scandalum. Vnde enim scandalum? Quia passuri.

V. 2. *Absque synagogis facient vos.* Id est, extra synagogas facient vos: quia non erat alius populus Dei nisi Israël, si Christum reciperet, non

esset alia Ecclesia Christi, nec alia synagoga Israël. Sed quia isti semper volunt esse sine Christo, volentes constituere suam iustitiam, pellunt eos qui nunquam volunt esse sine Christo, iustitiæ eius subiecti. Nec erubescunt pulsi, sicut illi qui credentes in Iesum, propter metum, non audebant confiteri, ne pellerentur de synagogis, diligentes gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

Rom. 10. v. 3. — Ioan. 12. v. 42.

Sed venit hora. Quod sic pulsi ab eis tot acquiretis mihi (vnde vobis gaudendum) vt non satis sit eis vos pellere: sed non sinent viuere, ne omnes acquiratis, vt à Iudaismo auertatis, in quo Deum Israël credunt deseri & sancta sua.

CATENA AVREA, *in idem Euang.*

Ioan. 15. v. 26. Hom. 76. in Ioan.

C*Vm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, &c.* CHRYS. Possent discipuli Domino dicere, Si verba à te audierunt quæ nullus dixit, si opera viderunt quæ nullus alius fecit, & tamen non profuerunt. Si oderunt & Patrem tuum & te cum eo, cuius gratiâ nos mittis? qualiter digni fide erimus? Ne igitur hæc cogitantes turbentur, consolationem inducit, dicens, *Cùm autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Tract. 92. in Ioan. — Tract. 93.

AVG. Tanquam diceret, Odio me habuerunt, & occiderunt videntes: sed tale de me testimonium Paracletus perhibebit, vt eos faciat in me credere non videntes: Et quia ille perhibebit, & vos perhibebitis. Vnde sequitur, *Et testimonium perhibebitis.* Ille cordibus vestris inspirando, vos vocibus vestris sonando. Vnde poteritis prædicare quod nostis; *Quia ab initio mecum estis*: quod modò non facitis, quia illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis. Dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui dabitur vobis. Ille quippe testimonium perhibens, & testes fortissimos faciens, abstulit amicis Christi timorem, & inimicorum odium conuertit in amorem.

Rom. 5. v. 5.

Libr. 2. inter opera Hieron. c. 9. Spiritus sanctus quomodo consolator dictus.

DIDYM. de Spiritu sancto. Spiritum autem sanctum venientem, consolationem dicit, ab operatione ei nomen imponens: quia non solùm eos quos se dignos esse reperit ab omni perturbatione reddit alienos, verùm incredibile quoddam gaudium eis tribuit. Sempiterna quippe lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus sanctus habitator est. Iste Spiritus consolator à Filio mittitur, non secundum Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum ministerium, sed vt mitti decet à sapientiâ & virtute Spiritum Dei indiuisam habentem cum eadem sapientiâ & virtute naturam. Etenim Filius missus à Patre non separatur atque disiungitur ab eo, manens in illo, & habens illum in semetipso. Quin Spiritus sanctus supradicto modo missus à Filio de Patre egreditur, non aliunde ad alia transmigrans. Quomodò enim Pater non consistit in loco, cùm vltra omnem corporum sit naturam; ita & Spiritus veritatis nequaquam locorum fine clauditur, cùm sit incorporalis, & excellens vniuersam creaturarum essentiam.

Hom. 76. in Ioan.

CHRYS. Propterea verò non Spiritum sanctum, sed *Spiritum veritatis* eum vocauit, vt

A Paschate.

A ostendat quòd erit fide dignus: dicit autem quòd à Patre procedit; hoc est, omnia certissimè nouit, quemadmodum ipse ait de seipso: *Quoniam noui vnde venio, & quò vado.*

Libr. 2. vbi supra. Spiritus à Patre vt est Pater.

DIDYM. Sed cùm posset dicere à Deo, siue omnipotente, nihil horum tetigit; sed ait, *A Patre*: non quòd Pater à Deo omnipotente sit alius, sed secundum proprietatem Patris intellectum patientis, egredi ab eo dicitur Spiritus veritatis. Mittente autem Filio Spiritum veritatis, simul mittit & Pater, cùm eadem voluntate Patris & Filij Spiritus veniat.

In hoc loco.

THEOPH. Et aliàs quidem Patrem dicit mittere Spiritum, nunc autem cùm se missurum dixit, æquipollentiam denotat. Ne autem censeretur teniti contra Patrem, velut ab aliâ potestate
B transmittens Spiritum, addidit, *A Patre*; quasi acceptante Patre, & pariter destinante. Cùm autem audis quòd procedit, ne intelligas processum missionem esse illatam extrinsecus, quâ mittuntur administratorij spiritus: sed singularem quandam & separatam proprietatem processum appellat, vni principali Spiritui attributum: Originalis enim consistentia Spiritus, est processus: Non ergo procedere pro mittere sumendum est; sed ex Patre naturalem essentiam obtinere.

Tract. 76. in Ioan.

AVG. Hîc aliquis forsitan quærit, vtrum & à Filio procedat Spiritus sanctus: Filius enim solius
C Patris est Filius, & Pater solius Filij est Pater. Spiritus autem sanctus non est vnius eorum Spiritus, sed amborum, quandoquidem dicit ipse Christus, *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et dicit Apostolus, *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Nec ob aliud æstimo ipsum propriè vocari Spiritum, cùm etiam si de singulis interrogemur, non possimus nisi & Patrem & Filium spiritum dicere: Quod ergo communiter vocantur & singuli, hoc propriè vocari oportuit eum, qui non est vnus eorum, sed in quo communitas apparet eorum amborum. Cur ergo non credamus quòd etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filij quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, nec post
D resurrectionem discipulis suis insufflasset, dicens, *Accipite Spiritum sanctum.* De hac quoque virtute credendus est dicere Euangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Si ergo & de Patre & de Filio procedat Spiritus sanctus, cur Filius dixit, *De Patre procedit*, nisi quemadmodum solet ad eum referre, quòd & ipsius est de quo ipse est. Vnde illud est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit.* Si igitur hæc intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quantò magis intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi sic ait, *De Patre procedit*, vt non diceret, De me
E non procedit. A quo autem habet Filius vt sit Deus, ab illo habet vtique vt procedat ab eo Spiritus sanctus. Hinc vtcunque etiam illud intelligitur, cur non dicatur natus esse, sed potiùs procedere Spiritus sanctus; quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur; quod absurdissimum est; Filius quippe nullus est duorum nisi patris & matris. Absit autem vt inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid suspicemur: quia nec filius hominum simul ex patre & ex matre procedit, sed cùm in matrem procedit ex patre, non tunc procedit & ex matre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Fi-

Matth. 10. v. 20. — Gal. 4. v. 6. — Tract. 99. in Ioan. & etiam libr. 15. de Trin. c. 27. — Ioan. 20. v. 22. — Luc. 6. v. 19. — Ioan. 7. v. 16.

lium & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit. Neque enim possumus dicere quòd non sit vita Spiritus sanctus cùm vita Pater, vita sit Filius: ac per hoc sicut Pater cùm habeat vitam in semetipso, dedit & Filio vitam habere in semetipso; sic ei dedit vitam procedere de illo sicut procedit & de seipso.

Cap 16. v. 1. Tract. 93. in Ioan. *Hæc loquutus sum vobis, vt non scandalizemini, &c.* AVG. Meritò promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit, *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Rom. 5. v. 5. Cùm enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, vt non sit illis scandalum. Deinde quæ passuri essent exprimens, ait, *Absque synagogis facient vos.*

Hom. 76. in Ioan. CHRYS. Iam enim composuerant, vt si quis confessus fuerit Christum, extra Synagogam fieret.

Tract. 93. in Ioan. AVG. Quid autem mali erat Apostolis expelli de Iudaicis Synagogis, quasi non fuerint inde exituri etiam si eos nullus expelleret. Sed hoc voluit denuntiare, quia Iudæi Christum non fuerant recepturi, à quo isti non fuerant recessuri. Nam quia non erat vllus alius populus Dei quàm illud semen Abrahæ, si cognoscerent Christum, non aliæ fierent Ecclesiæ Christi, aliæ Synagogæ Iudæorum. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi vt remanentes extra Christum, extra Synagogam facerent eos qui non reliquerunt Christum? Deinde cùm hoc eis dixisset, adiecit, *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Quæ verba ita subiecit tanquam ex hoc consolaretur eos, qui de Synagogis Iudaicis pellerentur. An fortè de Synagogis illa separatio sic eos fuerat turbatura, vt mori vellent potiùs quàm in hac vitâ sine Iudæorum congregationibus morari? Absit vt sic turbarentur, qui Dei non hominum gloriam requirebant. Iste itaque sensus est in his verbis. *Extra Synagogam facient vos:* sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe à congregationibus eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, vt illi metuentes ne templum quod erat apud eos, & omnia legis veteris sacramenta deserantur; sic interficient vos, vt Deo arbitrentur se præstare obsequium: zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Hoc enim de Iudæis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, *Extra Synagogam facient vos.* Nam testes (id est, Martyres) Christi, etiam si occisi sunt à Gentibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se præstare. Iudæorum autem omnis qui occidit prædicatores Christi, Deo se putauit præstare obsequium; credens quòd desererent Deum Israël, quicunque conuerterentur ad Christum. Hinc ergo accensi, & zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, obsequium se Deo præstare credentes, occidebant eos.

Hom. 76. in Ioan. CHRVS. Deinde consolationem inducit, dicens, *Et hæc omnia facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Quasi dicat, Sufficit vobis in consolationem, propter me & Patrem hæc pati.

Tract. 93. in Ioan. AVG. Ne autem ignaros atque imperitos animos mala improuisa, quamuis citò transitura turbarent; hanc fuisse causam vt hæc eis prænun- A tiaret, ostendit subdens, *Hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum, reminiscamini quia dixi vobis.* Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna; sed nox Iudæorum separatum à se diem Christianorum, nullâ confusione fuscauit.

Hom. 76. in Ioan. CHRYS. Sed & propter aliam causam, hoc prædixit; vt non dicerent quoniam non præuidit futura: Et hoc significat, cùm dicit, *Reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Et vt non possent dicere, quoniam blandiens nobis ea quæ ad gratiam sunt dicebat solùm: cuius autem gratiâ hoc à principio non dixit, ostendit dicens, *Hæc autem ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram:* B Quia scilicet in custodiâ meâ eratis, & licitum erat interrogare quando volebatis: & super me totum prælium vertebatur. Vnde superfluum erat hoc à principio vobis dicere: Non autem quia hæc tunc non noueram, propterea non dixi.

Tract. 94 in Ioan. AVG. Sed alij tres Euangelistæ eum prædixisse ista demonstrant antequam ventum esset ad cœnam, quâ peractâ secundum Ioannem ista locutus est. An fortè hinc ista soluitur quæstio, quia & illi eum narrant proximum fuisse passioni cùm hoc diceret? Non ergo ab initio quando cum illis erat. Sed Matthæus non solùm imminente passione, verumetiam ab initio hæc denun- C tiata esse commemorat. Quid sibi ergo vult quòd hîc dicit, *Hæc autem ab initio non dixi*, nisi quia ea quæ hîc dicit de Spiritu sancto, quòd sit venturus ad eos, & testimonium perhibiturus quando mala passuri sunt, hæc eis ab initio non dixit, quoniam cum ipsis erat, & eius præsentiâ consolabantur? Abscessurus autem oportebat vt diceret illum esse venturum, per quem charitate diffusâ in cordibus suis, verbum Dei cum fiduciâ prædicarent.

Hom. 77. in Ioan. CHRYS. Vel prædixit quidem quoniam flagella patientur. Non autem quòd mors eorum reputaretur vt Dei cultura, quod maximè poterat eos attonitos facere. Vel quia illic ea quæ à Gentibus debebant pati, dixit; hîc autem & D Iudaica adiecit.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex Catena Corderij. Ioan. 15. v. 26. *QVi à Patre procedit, ille testimonium perhibebit.* THEOD. MOPSVEST. Non ad gratiam dicta hæc esse, testimonium perhibebit Spiritus, qui ex ipsâ Patris substantiâ existentiam habet. Nisi enim per vocabulum illud *procedit*, naturalem processionem intelligeret, incertum E esset de quonam spiritu diceret, cùm multi sint Spiritus communi ratione in ministerium missi, vti Paulus Apostolus, ait, *Nonne omnes sunt ministratorij spiritus, in ministerium missi?* Hebr. 1. v. 14. Hîc verò proprietatem denotat, & vt quantum satis est is Spiritus insigniatur, qui solus ex Patre procedit, ac in Scripturâ sacrâ Spiritus propriè, ac absolutè solet nuncupari. Quin *& vos*, inquit, v. 27. *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Nam ex eo quòd semper mecum fueritis, necesse est dignum fide fore testimonium, vobis quidem loquentibus, ac Spiritu his quæ vobis dicenda erunt adstipulante, per miracula quæ patranda erunt.

Ioan. 16. v. 1. *Hæc locutus sum vobis, vt &c.* AMMONII.

A Corroborans eos contra pericula, prænuntiat quæ eos exceptura sint grauia. Tanta, inquit, erit occidentinm vos, non tantùm Iudæorum, sed & Gentilium, & Hæreticorum vesania, vt religiosi obseqnij vim, ac diuini cultus rationem necem vestram habere existiment.

V.14.
Cord. faciliter lepide, *Quia non vos, &c.*

Sed hac locutus sum vobis, &c. Vt me noueritis, velut qui naturâ Deus sim, scire omnia, prædico quæ sunt futura; & vt credatis posse me vos liberare, ab iis, quæ vos sunt appetitura, periculis.

SANCTI IOANNIS CHRYSOstomi, *Episcopi Constantinop. in superius Euang.*

B

HOMIL.

Ex Hom. 76. in Ioan. 15.
V. 26.
Ioan. 8. v. 14.
Quid, Qui à Patre procedit.

NE discipuli superioribus auditis perturbarentur, vide quam affert consolationem. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, &c.* Ille dignus fide erit, propterea non Spiritum sanctum, sed *veritatis* appellauit. Illa autem particula, *Qui à Patre procedit*: hoc est, qui omnia certò nouit, sicut & ipse de seipso inquit: *Scio vnde venio, & quò vado*, cùm ibi quoque de veritate loqueretur. *Quem ego mittam.* Ecce quòd non Pater C solus, sed & Filius Spiritum mittit. Et vos quoque, qui mecum fuistis, neque ab aliis audistis, fide digni habebimini. Hinc & Apostoli fidem

Act. 10. v. 41

astruebant, dicentes: *Qui cum eo comedimus & bibimus.* Quod autem non ad gratiam dictum sit, Spiritus dictis testimonium perhibet.

Cap. 16. v. 1.
V. 2.
Ioan. 9. v. 22

Hac locutus sum vobis, vt non scandalizemini, Hoc est, cùm multos incredulos, & vos persequentes videritis. *Extra synagogam facient vos. Iam enim hoc decreuerant, vt si quis Christum confiteretur, extra Synagogam fieret. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Si vos interficient, rem D piam & Deo gratam facturos se existimabunt.

V. 3.
Matth. 5. v. 11.

Inde iterum consolatur; *Et hac facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Hoc vos satis consoletur, quòd propter me & Patrem hoc patiemini. Hic iterum eos beatitudinis admonet, vt in principio: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & vos persequuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

V. 4.
Prædicta mala, discipulis duplici de causâ.

Hæc locutus sum vobis, vt cùm hora venerit, eorum reminiscamini. Itaque ex his, & reliqua E crederis. Neque dicere poteritis me ad gratiam loqui, aut vt vos fallam. Neque enim decepturus, quæ deterreant ac possint reuocare, prædicerem. Propterea igitur prædixi, ne in non expectata incidentes, perturbaremini, ac etiam ne me non præuidisse futura diceretis. *Reminiscamini ergo, quia ego dixi vobis.* Etenim semper Iudæi vmbrâ quadam persecuti sunt discipulos, ac si mali essent: non tamen illi perturbati sunt, cùm à Magistro præsciuerint id futurum, scientque quorum gratiâ ista paterentur. Sufficiens namque erat causa eorum quæ fiebant, vt eos

Quorum discipuli memoriâ animati, ad mala perferenda.

confirmaret. Ideo frequenter hoc meminit, quòd non nouerunt me: & propter me facient, & propter nomen meum, & propter Patrem, & primus passus sum, & non iustâ causâ id ausi sunt.

Horum & nos in tentationibus reminiscamur: cùm à malis hominibus aliquid patimur, *in principem nostrum aspicientes & fidei perfectorem*; quòd à malis, quòd propter virtutem, quòd propter Christum mala patimur. Quòd si hæc animo voluerimus, omnia facilia, omnia tolerabilia nobis videbuntur. Nam si quis pro charissimis aliquid passus, etiam gloriatur: si quis propter Deum quid tolerat, quam sentire molestiam putandum est? Si ipse crucem rem ignominiosam, gloriam propter nos appellat, multò magis hoc in ipsum animo esse debemus. Etsi illata mala ita nobis licet contemnere, multò magis pecunias & cupiditates. Oportet enim in rebus grauibus & molestis, non labores, sed præmia considerare. Quemadmodum enim mercatores non maris pericula, sed lucrum spectant: ita & nos cœlum, & Dei præsentiam. Et si tibi diuitiæ dulces videntur, id Deum nolle tibi in mentem veniat, & continuò displicebunt. Rursum si molestum est pauperibus aliquid dare, noli impensam duntaxat intueri, sed transfer mentem ad seminis illius fructum. Et si graue erit alienæ vxoris amorem contemnere, præmium tibi succurrat, & æquo animo perferes. Quòd si hominum metus ab indebitis rebus nonnunquam abducit, longè magis Christi desiderium.

Morale de patientiâ.
Hebr. 12. v. 2.
Gloriæ ducitur pati aliquid pro amico.
Crux, Christi gloria appellata.
Ioan. 12. v. 23.
In rebus molestis, considerandum præmium.

Difficilis virtus, sed magnas futurorum promissiones ei comparemus. Boni enim & studiosi etiam sine præmij respectu, ipsius pulchritudinem intuentur, & propterea eam complectuntur: & vt Deo placeant, non propter mercedem rectè agunt: & magni faciunt castitatem, non ne puniantur, sed ne offendant Deum. Quòd si quis imbecillior est, etiam in præmiū spectet. Ita & nos in eleemosynâ faciamus, & gentilium nostrorum misereamur, neque fame confectos despiciamus. Quomodò enim non absurdum vt alij risu & delitijs soluti, ad mensam saturentur, aliorum autem mendicantium eiulatus audiant, neque misericordiâ moueantur, sed ægrè ferant, & deceptores appellent? Quid dicis, homo? Propter vnum panem quis decipit? Quid ni? inquis. Propter hoc ergo hæc tollenda est necessitas. Quòd si dare nihil placet, noli tamen maledictis prosequi. Si non vis naufragio liberare, noli in profundum demergere. Scias velim cùm accedentem pauperem expellis, qualiter tibi Deum affectum reddas. *Quâ enim mensurâ mensi fueritis*, inquit, *remetietur vobis.* Considera quo ille animo repulsus abeat, oculis in humum deiectis, conquerens vnà cum paupertate plagam etiam ab iniuriâ accepisse. Nam si mendicare maledictum putatis, qui petit si non modò non accipit, sed contumeliâ afficitur, considera quantùm perturbetur. Quousque feris similes erimus, & naturam nostram propter cupiditatem ignorabimus? Multi his auditis gemunt. Verùm nolim modò, sed vt semper misericordiam hanc habeatis. Cogita mihi diem illum, quo Christi Iesu tribunali adstabimus: cùm vt nostri misereatur rogabimus, cùm his in medium aduocatis Christus ad nos conuersus dicet, quòd propter panem vnum, & obolum tantis miseriis eorum animos affecerimus, quid dicemus? quid excusabimus? Quòd enim illos in medium adducturus sit, audi quid dicat; *Quandiu non fecistis vni de minoribus his, neque mihi fecistis.* Neque enim illi quicquam nobis ampliùs dicent, sed Deus pro illis nos reprehendet. Nam & Lazarus à Diuite

Studiosi, ipsam propter se virtutē amant, non intuitu præmij.
Imbecilles, saltem ament præmio illecti.
Exhortatio ad Eleemosynam.
Abstinendum à maledictis in pauperes.
Matth. 7. v. 2.
Prodocendi paupere in iudicio aduersus immisericordes diuites.
Matth. 25. v. 40.
Luc. 16. v. 23

A visus est, non tamen quicquam ei dixit, sed Abraham eius vices suscepit: ita & pauperibus eueniet, qui nunc à nobis contemnuntur. Neque enim supplices manus miserabili quadam specie tendentes intuebimur, sed existentes in pace: nos autem eorum speciem induemus, & vtinam speciem tantùm, & non longè grauius supplicium. Neque enim diues micis impleri illic desiderabat, sed ardebat, & cruciabatur miserè, & audiuit: *Recordare quia accepisti bona tua in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala.*

Ibid. v. 25.

Diuitiæ negligentibus viaticum supplicij, paupertas diligentibus, incrementum cæli.

Nolimus ergo vt magnum quiddam diuitias admirari: hæ namque viaticum erunt nobis supplicij, nisi cauerimus: quemadmodum si cauerimus, paupertas & delitiarum & requiei erit incrementum. B Abluentur enim peccata, si æquo animo tolerabimus, & apud Deum fiduciam obtinebimus. Nolimus ergo in hac vitâ otium quærere, vt in cœlo eo fruamur: sed labores pro virtute subeamus, superflua recidamus, & nihil aliud quæramus, sed in pauperes omnia nostra dispergamus. Quæ nobis erit excusatio, cùm ipse quidem nobis cœlum pollicetur, nos ne panem quidem ei exhibemus? Cùm ipse tibi solem oriri facit, & omnis creaturæ ministerium tibi largitus est, tu nec nodum induis, neque ei domum communicas? Et quid ego solem & creaturam memini? Corpus tibi suum tradidit, & pretiosissimum sanguinem; tu, nec potum das. At semel dedisti? non est hæc eleemosyna. C Nisi enim quousque habes indigenti subueneris, nunquam debitum impleueris. Nam & virgines habentes lampades habebant oleum, sed non ad sufficientiam. Sanè decebat etiamsi de tuo daturus eras, non tam parcum esse: nunc autem cùm Domini tibi creditæ sint facultates, cur tam tenax es? Vultis causam dicam huius inhumanitatis? Hi per auaritiam facultates congregant, & ad eleemosynam pigri sunt. Qui enim ita lucrari didicit, nescit expendere. Quomodò enim qui rapinæ inhiat, ad contrarium te formabit? Qui aliena accipit, quomodò sua dare poterit? Etenim canis qui nimiâ carnis voracitate tangitur, D non benè potest gregem custodire: idcirco pastores eiusmodi interficiunt. Quod ne nobis accidat, à tali gustatu abstineamus. Etenim carnibus vescuntur, qui miseros fame mori patiuntur. Nónne vides quomodò omnia nobis communia statuit Deus? Nam si pauperes abundantibus aliis diuitiis esse permisit, etiam hoc diuitum gratiâ factum est, vt per eleemosynam peccata possint abluere. Tu autem & in hoc crudelis, & inhumanus es. Vnde constat, quòd si etiam in maioribus hanc accepisses potestatem, innumeros interemisses, & lumen & vitam omnem excluderes. Quod ne fiat, opus est hanc excidere insatiabilitatem. Quòd si hoc audiendo ægriùs fertis, E ego longè magis videndo. Quandiu tu diues, ille pauper? Vsque ad vesperam, vlteriùs non licet, adeò breuis vita est, & iam omnia sunt in ianuis, vt vel breuis hora omnia existimanda sint. Quid opus est arcâ exundanti? Quid seruorum & familiarium multitudine? Quare non potiùs multos eleemosynæ præcones tibi comparas? Arca nullam emittit vocem, sed latrones & fures allicit. Arcæ pauperum ad ipsum Deum ascendent, & suauem vitam præsentem facient, & omne soluent peccatum, & gloriam à Deo, & honorem ab hominibus ferent. Quid ergo tibi tot bona inuides? Non enim illis, sed tibi consules longè

Dandum indigenti quousque facultas suppetit.

Matth. 25. v. 1.

Auarus piger ad eleemosynam.

Simile.

Pauper in diuitum gratiam.

Fugaces diuitiæ.

Eleemosyna quid præstet?

A magis. Illis largiendo in hac vitâ subuenis: tibi autem futuram gloriam, & fiduciam repones: quam vtinam omnes consequamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in superius Euang.

HOMILIA I.

DOminus Iesus in sermone quem locutus est discipulis suis post cœnam proximus passioni, B tanquam iturus & relicturus eos præsentiâ corporali, cum omnibus autem suis vsque in consummationem sæculi futurus præsentiâ spiritali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupauit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, vt scirent se Dei gratiâ esse quod sunt, suis autem vitiis fuisse quod fuerunt. Deinde persecutores & suos & ipsorum Iudæos euidenter expressit, vt omninò appareret etiam ipsos mundi damnabili appellatione conclusos, qui persequuntur Sanctos. Cúmque de illis diceret, quòd ignorarent eum à quo missus est, & tamen odissent & Filium & Patrem: hoc est, & eum qui missus est, & eum à quo missus est, de quibus omnibus in aliis sermonibus iam C disseruimus: ad hoc peruenit, vbi ait, *Vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Deinde tanquam consequenter adiunxit, vnde modò disputare suscepimus. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat, *Nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis?* An D quia Paracletus quando venit Spiritus veritatis, eos qui viderunt & oderunt, testimonio manifestiore conuicit? Imò verò etiam aliquos ex illis qui viderunt, & adhuc oderant, ad fidem quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione conuertit. Hoc vt intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti cùm linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui oderant, tanto miraculo stupefacti, (quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque diuinum testimonium perhiberi de Christo, vt ille qui occisus ab eis inter E mortuos deputabatur, resurrexisse & viuere probaretur) compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi, indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus, dicebat: *Odio me habuerunt gratis. Cùm autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Tanquam diceret, odio me habuerunt, & occiderunt videntes: sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, vt eos faciat in me credere non videntes.

Tract. 92. in Ioan. 15. Series Euangelici contextus.

Al. *persequuntur.*

V. 25.

V. 26.

Spiritus sanctus incredulos testimonio manifestiore cõuicit.

Gal. 5. v. 6.

Act. 2. v. 2.

Al. *aderant.*

V. 27.

Apostoli testes Christi post Pentecostem.

Et vos, inquit, *testimonium perhibebitis, quia* A *ab initio mecum estis.* Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis & vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis: quod vt modò non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis. *Ille* ergo *testimonium*

Rom. 5. v. 5.

perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris, per Spiritum sanctum qui dabitur vobis. Quæ

Matth. 26. v. 75.

vtique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum testimonium perhibere; sed contra suam * pollicitationem timore magno cõpulsus est ter negare. *Timor* autem iste *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Denique B ante passionem Domini, seruilis timor eius interrogatus est à fœminâ seruitutis, post resurrectionem verò Domini liberalis eius amor ab ipso principe libertatis: & ideo ibi turbabatur, hîc tranquillabatur: ibi quem dilexerat, negabat; hîc quem negauerat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus sanctus. Qui postea quam illi est abundantiâ gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quondam eius frigidum pectus accendit, atque illa priùs trepida, quæ veritatem suppresserant, ora reserauit: vt cùm omnes in quos venerat Spiritus sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Iudæorum circunstantibus turbis, C solus ad testimonium de Christo perhibendum præ cæteris promptiùs emicaret, eúsque interfectores de illius resurrectione confunderet. Si quem delectat tam suauiter sanctum tale spectaculum intueri, Actus Apostolorum legat: ibi beatum Petrum quem negantem doluerat, stupeat prædicantem. Ibi linguam illam videat ad fiduciam à diffidentiâ, & ad libertatem à seruitute translatam, tot linguas inimicorum conuictere ad Christi confessionem, quarum non valendo vnam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta D Spiritus sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretiosissimæ veritatis pondera procedebant: vt ingentis multitudinis aduersarios interfectores Christi Iudæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit Spiritus sanctus tunc missus, antè promissus. Ista Dominus magna atque miranda sua beneficia præuidebat, quando dicebat, *Et viderunt & oderunt & me & Patrem meum, vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis: cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Ille quippe testimonium perhibens, E & testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem, & inimicorum odium conuertit in amorem.

* Salutem & 1 Ioan. 4. v. 18.

Petri interrogatus timor, & amor.

Petri amor ante aduentum Spiritus sancti adhuc infirmus.

Petri sermonis vis cùm Spiritum accepisset.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMILIA II.

Tract. 93. in Ioan. 16. v. 1.

IN his quæ præcedunt huc Euangelij capitulum, Dominus discipulos suos ad inimicorum odia perferenda confirmans, suo quoque præparauit exemplo, vt eum imitando fierent fortiores: addens & promittens eis, quòd venturus esset Spiritus sanctus, qui de illo testimonium perhiberet, & adiiciens quòd & ipsi fierent testes eius, hoc vtique in eis operante Spiritu sancto. Sic enim ait, *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis*: vtique quia ille perhibebit, etiam vos perhibetis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando, vos sanando: vt possit impleri, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret Spiritu sancto. Denique Apostolus Petrus cùm iam verba eius audisset, vbi dixerat, *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur*, & hoc in illo iam videret impleri, in quo patientiam Domini sui, si exemplum sufficeret, debuit imitari: succubuit & negauit, non vtique ferens quod illum ferre cernebat. Cùm verò accepit donum Spiritus sancti, quem negauerat, prædicauit: & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Priùs enim exemplo quidem fuerat eductus, vt quod fieri conueniebat nosset: sed nondum fuerat virtute fultus, vt quod nouerat faceret. Instructus erat vt staret, sed non erat firmatus ne caderet. Quod posteaquam per Spiritum sanctum factum est, annuntiauit vsque ad mortem, quem negauerat timens mortem. Ideo Dominus in hoc consequenti capitulo, de quo nunc nobis loquendum est. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Cantatur quippe in Psalmo, *Pax multa diligentibus legem tuam [Domine] & non est illis scandalum.* Meritò itaque promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit, *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini*: Cùm enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, vt non sit illis scandalum.

Ioan. 15. v. 27.

Spiritus sancti testimonium, & Apostolorũ de Christo.

Psal. 18. v. 5.

Christi exemplum non sufficit, nisi adsit Spiritus gratia.

Ioan. 13. v. 16.

Psal. 118. v. 165.

Rom. 5. v. 5.

V. 2.

Deinde quæ passuri essent, iam exprimens ait, *Extra Synagogas facient vos.* Quid autem mali erat Apostolis expelli de Synagogis Iudaicis, quasi non inde fuerant se separaturi, etiam si eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare, D quia Iudæi Christum non fuerant recepturi, à quo isti non fuerant recessuri: & ideo futurum erat vt foras mitterentur cum illo, ab eis, qui esse nollent in illo, hi qui esse non possent sine illo. Nam profectò quia non erat vllus alius populus Dei quàm illud semen Abrahæ, si agnoscerent & reciperent Christum, tanquam rami naturales in oliuâ permanerent: nec aliæ fierent Ecclesiæ Christi, aliæ Synagogæ Iudæorum: eædem quippe essent, si in eodem esse voluissent. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi vt remanentes extra Christum, extra Synagogas facerent eos qui non relinquerent Christum? Accepto quippe Spiritu sancto testes eius effecti, non vtique vt E tales essent, de quibus dicitur, *Multi principes Iudæorum crediderunt in eum, sed propter metum Iudæorum ne repellerentur de Synagoga, non audebant confiteri eum: dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm Dei.* Crediderunt ergo in eum, sed non sic quomodò eos volebat credere, qui dicebat, *Quomodò potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes?* Discipulis ergo sic in eum credentibus, vt impleti Spiritu sancto, hoc est, dono gratiæ Dei, non sint de numero eorum qui *ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti*: nec de

Apostoli extra synagogas facti, etc. à Iudæis non recipientibus Christum.

Rom. 11. v. 17.

Ioan. 12. v. 42.

Ioan. 5. v. 44.

Rom. 10. v. 3.

illorum, de quibus dictum est, *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei*, illa congruit

Psal. 88 v. 16.

prophetia quæ de ipsis inuenitur impleta, *Domine in lumine vultus tui ambulabant, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in tuâ iustitiâ exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Meritò eis dicitur, *Extra Synagogas facient vos:* illi scilicet qui *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.*

Rom. 10. v. 2.

Propter quod *ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere*, eos expellunt, qui non in suâ, sed in Dei iustitiâ exaltabuntur: nec expulsi ab hominibus erubescunt, quoniam gloria virtutis eorum ipse est.

V. 3.

Denique cùm hoc eis dixisset, adiecit, *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non cognouerunt Patrem, neque me.* Hoc est, non cognouerunt Deum nec eius Filium, cui se in vobis occidendis præstare arbitrantur obsequium. Quæ verba Dominus ita subiunxit, tanquam ex hoc consolaretur suos, qui de Synagogis Iudaicis expellerentur. Prænuntians enim quæ mala essent pro eius testimonio perpessuri: *Extra Synagogas*, inquit, *facient vos.* Nec ait, & venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Quid ergo ait? *Sed venit hora*: quemadmodum diceret, si aliquid boni post ista mala prædicaret. Quid sibi ergo vult, *extra Synagogas facient vos: Sed venit hora?* Tanquam hoc dicturus fuisset, Separabunt quidem illi vos, sed ego vos colligam: aut, separabunt quidem illi vos, sed venit hora lætitiæ vestræ.

Quid illa verba, *Sed venit hora*, aduersatiuè posita, & consolantis specie.

Quid ergo ibi facit hoc verbum quod ait, *sed venit hora*, quasi consolationem eis promitteret post tribulationem: cùm magis dicere debuisse videatur indicatiuo modo, & venit hora? Sed non ait, & venit, cùm tribulationem super tribulationem, non consolationem post tribulationem venturam illis esse prædicaret. An fortè sic eos illa de Synagogis separatio fuerat turbatura, vt mori mallent, quàm in hac vitâ sine Iudæorum congregationibus immorari? Absit vt sic turbarentur, qui Dei, non hominum gloriam requirebant. Quid ergo est, *extra Synagogas facient vos, sed venit hora?* cùm potiùs dicere debuisse videatur, & venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo? Neque enim saltem dictum est, sed venit hora vt interficiant vos, quasi vt eis mors pro consolatione illius separationis accideret: *sed venit hora*, inquit, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Al. accederet.

Prorsus non mihi videtur aliud significare voluisse, nisi vt intelligerent atque gauderent tam multos se Christo acquisituros, cùm de Iudæorum congregationibus pellerentur, vt eos quidem non sufficeret pellere, sed non finerent viuere: ne omnes ad nomen Christi suâ prædicatione conuerterent, & ab obseruatione Iudaismi, tanquam diuinæ veritatis, auerterent. Hoc enim de Iudæis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, *Extra Synagogas facient vos.* Nam testes, id est, Martyres Christi, etiam si occisi sunt à Gentilibus: non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se præstare, cùm hæc facerent. Iudæorum autem omnis qui occidit prædicatores Christi, Deo sese putauit præstare obsequium: credens quòd desererent Deum Israël, quicunque conuerterentur ad Christum. Vt enim & ipsum Christum occiderent, istâ ratione commoti sunt, nam eorum de hac re etiam verba conscripta sunt, *Videtis quia totus mundus post eum abiit. Si dimiserimus eum viuere, venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem.* Et quod Caiphas dixit, *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.*

Al. sufficerent.

Ioan. 12. v. 19.

Ioan. 11. v. 48.

Et in hoc ergo sermone, suo discipulos suos erexit exemplo, quibus dixerat, *Si me persecuti sunt & vos persequentur*: vt quemadmodum illum occidendo, Deo se præstitisse obsequium putauerunt, sic etiam illos. Iste itaque sensus est in his verbis, *Extra Synagogas facient vos*, sed nolite solitudinem formidare: separati quippe à congregatione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, vt illi metuentes ne templum quod erat apud eos, & omnia legis veteris sacramenta desererentur, interficient vos, sic fundentes sanguinem vestrum, vt Deo se præstare arbitrentur obsequium. Ecce est illud quod de his dixit Apostolus, *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*: obsequium se putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus! Itáne vt placeas Deo, percutis placentem Deo? & templum Dei viuum te feriente prosternitur, ne templum lapideum deseratur? O execrabilis cæcitas! *Sed ex parte [in] Israël facta est, vt plenitudo Gentium intraret*: ex parte, inquam, facta est, non ex toto. Non enim omnes, sed *aliqui ex ramis fracti sunt, vt insereretur oleaster.*

Rom. 10. v. 2.

Zelus Iudæorum non secundum scientiam.

Rom. 11. v. 25 & 16.

Nam Spiritu sancto implente discipulos Christi, cùm linguis omnium gentium loquerentur, cùm per eos diuina miracula frequentarentur, & diuina eloquia spargerentur, etiam occisus ita dilectus est Christus: vt eius discipuli expulsi à congregationibus Iudæorum, ex ipsis quoque Iudæis ingentem multitudinem congregarent, & nullam solitudinem formidarent. Hinc ergo accensi cæteri reprobi & cæci, *zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam*, & obsequium se præstare Deo credentes, occidebant eos. Sed pro illis occisus colligebat eos, qui de his futuris antequam occideretur instruxerat eos: ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata & improuisa, quamuis citò transitura turbarent, sed præcognita & patienter accepta, ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam vt hæc eis prænuntiaret, etiam ipse demonstrauit adiungens, *Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna. Sed *in die mandauit Dominus misericordiam suam*, & in nocte declarauit, quando nox Iudæorum separatum à se diem Christianorum nullâ confusione fuscauit, & quando carnem occidere potuit, fidem tenebrare non potuit.

Rom. 10. v. 2.

Psal. 41. v. 9.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,

Euangelij eiusdem expositio.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

CVm autem venerit Paracletus, &c. Vbi se pariter ac Patrem à væcordibus Iudæis odio habitum dixisset, idque gratis, ac nullâ iustâ causâ, commodùm Spiritum sanctum inducit; tum sanctam Trinitatem sermone absolutam tradens, tum pariter Spiritum iniuriâ vicinum significans: vt illi rerum mirandarum spectatores, quibus Filium contumeliis imperierunt, supremæ quoque omnium substantiæ, sic eximiæ potestati iniuriam

Ioan 15. 25. & 26.

iniuriam esse arguantur, nedum eo nomine
quòd Christum, etsi stupendis miraculis sibi fi-
dem astruentem, minimè suscipiendum duxe-
sunt, sed & quòd iam in eum deliquerunt. Tan-
tâ enim in eum impietate bacchati sunt, vt vel
nudus ipse cogitationis sensus horrorem incutiat.
Atqui, ô væcors Iudæe, dicat aliquis, eorum
tibi Christus miraculorum effector fuit, quibus
tum Mosis gloriam, tum omnium retro Sancto-
rum splendorem superauit. Quod enim Domi-
nus ait, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo*

V.24.

alius fecit, istiusmodi nobis sensum facit. Tú-
ne ergo Mosen illum inferiorum ministrum tam
claris laudibus effers; qui verò citra omnem
comparationem antecellit, & longè præstan-
tiorum est artifex, tam stultè repudiare non
erubescis, licet Mosaicis oraculis finem olim
prænuntiatum apponat, ac demum vmbram
intra veritatem includat? Itaque Dominus no-
ster Iesus Christus, vnà secum ac cum Patre et-
iam Spiritus necessariò mensionem intulit; si-
mulque id quod dictum est, verum esse osten-
dit; nempe si quis Filium oderit, simul quoque
omninò Patrem, ex quo ille sit, odio prosecu-
turum: quo pacto autem, aduerte rursus.

Spiritus Veritatis, i. Filij; à Patre per Filium.

Ecce enim, ecce, cùm Spiritum Veritatis,
id est, suum, Paracletum dixerit, ipsum à Pa-
tre procedere ait. Sicut enim proprius est Fi-
lij Spiritus naturâ, & in ipso existens, ac per
ipsum procedens; sic est & Patris. Quibus au-
tem communis est Spiritus, eorum planè nec
substantia discreta sit. Ne nos enim stultis suis
sermonibus impij quidam ad ea quæ nefas ab-
ducant, vt cogitemus Filium ministri vices im-
plendo, Spiritum qui à Patre est, creaturæ mini-
strare. Quin potiùs consentaneè credamus, cùm
eius proprius sit, vti nimirum etiam Dei ac

Mittit Filius vt suû.

Patris, ipsum eum sanctis suis discipulis sancti-
tate imbuendis mittere. Quòd si lepidum quid,
ac acutum sentire se ac dicere existimant, dum
hîc quoque Filium nobis ministrum & executo-
rem inducunt, qui non dicere conuenit, O stul-
ti ac cæci, non sentitis quò præcipites iterum
ruitis, & aduersus Vnigeniti gloriam insurgitis,
miseris ex imperitiâ vestrâ contextis rationibus?
Nam si Filius ministri omninò ordine ac loco
computatus Spiritum à Patre impartitur, quo-
modò non necesse fateri, esse illum ab ipsius
substantiâ penitus alienum, aut fortè etiam ipso
præstantiorem, longéque potiorem, si res ita
sit, vt stultè sentitis. Nam si Filius ex Patre non
procedit, hoc est, ex eius substantiâ, vt vos
vultis, quomodò non præstantior Filio Spiri-
tus censebitur? Deinde quid dicemus cùm au-
dierimus ipsum de se dicentem, *Ille me clari-*

Ioan. 16. v.14.

ficabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit
vobis? Ad hæc illud quoque tandem necessariò
succurret; nempe si ministri vicem Filium im-
plere putatis, qui nobis alienum, à Deo sci-
licet & Patre existentem, sanctum naturâ Spi-
ritum largitus sit, non erit Filius sanctus na-
turâ, sed participatione, vti nos sumus. Di-
citur enim, vt impiorum inscitia effutit, à
Patris substantiâ alienus, à quâ etiam quem
per eum subministratur, procedit Spiritus.
Fieri ergo poterit, si non sit Filij Spiritus pro-
prius, sed ipse quoque aduentitiam, haud se-
cus ac creatura, nactus sit sanctificationem, vt
eam quâ præditus est sanctitatem quandoque
amittat. Quod enim accessionis loco partum est,
quomodò deperdi non possit? Atquis ab istius-
modi dogmatis procul non fugiet?

Nos itaque quibus amica veritas, ac verita-
tis dogmata, nequaquam illos sequemur, sed
sanctorum Patrum fidei vestigijs insistentes,
proprium esse Filij Paracletum dicemus, hoc est,
Spiritum sanctum, nec aliundè ascitum, ipsi-
què comparabilem, sicut est in iis qui sunt san-
ctitatis capaces, ac qui ex nihilo orti sunt; sed
eius consubstantialem sicuti nempe & Patris.
Sic enim non in vanas deorum fabulas cedet
Ecclesiasticorum dogmatum vis, sed in vnam
Trinitas sancta rationem constringitur. Simul
ergo tum substantiæ vnitatem, sui nimirum
Deique ac Patris, ostendendo, tum Spiritum
Veritatis, quem à Patre ait procedere, Para-
cletum dicendo, apertè & indubitatè arguit
Dei hostem in solidum esse, qui Christi sit ho-
stis. Nam qui Filium ludibrio velit habere, me-
ritò quoque in eum ex quo ille est peccare cen-
sebitur. *Cùm ergo venerit Paracletus*, inquit,

Paracleti de Christo testimoniû, ac discipulorum.

Spiritus Veritatis, id est, meus, *qui à Patre*
procedit, ille testimonium perhibebit de me. Per-
hibebit autem, quæso, quomodò? Operando
nimirum in vobis, & per vos stupenda, iustus
erit ac verax testis diuinæ meæ potestatis, ac in
virtute magnificentiæ. Meus enim Spiritus est,
qui in vobis efficax erit. Atque vt meus, sic &
Dei ac Patris. Simul itaque iniuriâ affectos co-
gitandum eos, qui per vnum illum bonum Spi-
ritum ad fidem astruendam in Christi personâ,
stupenda illa ediderunt; in quo scilicet, Paulo
auctore, non pars quædam arcanæ Deitatis,
sed *plenitudo* tota *corporaliter inhabitauit*. Te-

Col.2. v.9.

stimonium autem perhibente Spiritu, etiam vos
ipsi inquit, pariter testimonium perhibebitis.
Ipsi enim vidistis, ac spectastis quæ apud neces-

V.27.

sarios peracta sunt, qui velut discipuli mihi sem-
per adhæsitis.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalize-

Cap.16.v.1.

mini. Cùm Iudæorum furorem suis Christus
discipulis exposuisset, par quodammodò vide-
batur fore, vt & his ita dictis adiungeret, ad
tantam scilicet miseros euasuros peruicaciam,
atque ita obstructuros aures, tantumque odij in
Deum concepturos, ac veritatis doctrinam sic
probro habituros, vt quamuis duo essent ipsius
gloriæ testes, ne sic quidem ipsam suscipere ve-
lint; quanquam Lex disertè clamat, credi ac

Deut.7.v.6 & 19.v.15.

indubitatè suscipi debere, quod duorum aut
trium testium ore comprobatum sit. Verùm il-
lud quidem in præsens vtili consilio tacet: nec
enim mediocrem eis animi languorem allaturus
erat; fractísque quodammodò desperatione dis-
cipulorum animis, formidini ac inertiæ peruios
planè reddidisset. Par enim erat secum cogita-
turos, Si nulli penitus obtemperabunt ceruicosi
Iudæi, sed & ipsum pro nihilo habebunt Para-
cletum, quamuis prodigijs signísque attonitos
faciat; at nihilominus in Christi odio, ac cum ipso
Patris perseuerantes deprehensi sunt, quid fru-
stra laborem impendimus? quidni hac molestiâ
liberari nos conuenit, silentio potiùs erga præ-
fractos quàm doctrinâ vtentes? Hæc apud se co-
gitaturos discipulos cùm vtique haud ignoraret,
artificiosè contrahit quæcunque explicaru grauia
videbantur, quæque à doctrinâ per timiditatem,
ac torpore quodam deterrendo erant; vimque
ac sationem sermonis, ad præparandos ac mu-
niendos animos, fortique armandos constantiâ,

adoersus casus iis infestis ingruentes commodum conuertit. Quod enim repente, ac improuisum irruit, constantem etiam animum, ac firmiorem turbare possit: prouisum verò, ac certò expectatum, leuiùs fertur; tanquam scilicet iam præscitom, ipsáque expectioois vsorpatione mollitum, Existimo verò Christum oonnihil istiusmodi sigoificare velle. Si enim ego, inquit, tanta iam, idque vobis testibus, miracula edidi, ac Paracletus in vobis quoque editurus est, neque Iudaici furoris infringetor audacia, sed ijdem rursus, ac deteriores adhuc futuri sunt, nolite scandalizari, cùm & boc vobis contigisse comperietis; sed vbique eorum quæ ex me audistis memeotote.

Matth. 10. v. 24. *Non est enim discipulus supra magistrum, neque seruus supra Dominum suum.*

v. 2. *Absque Synagogis facient vos. &c.* Extremom omnium (vt verbo dicam) ijs prædicit malorum periculum; noo vt eorum imbelli meni animos frangeret (oec enim id eum facere decuisset, qui discipulos ad intrepidam Euangelij prædicationem omnino instigaret) sed vt grauissimo eò quòd præuisus leuiore facto atque depulso, ad subeunda quæuis pericula audaciores euaderent, & difficillima quæque cooremnerent. Qui eoim quod grauius est non metuit, quid ei ad iacturam quod leuius est? Ac qui maximos terrores superare nouit, quibusnam alijs perturbandus sit? Vt igitur paratum ad omnia lubentissimè perferenda animum habereot, sicque strenuè aduersus Iudæorum in ipsos ooxam omnem animis insurgerent, vt ne crudelissimam quidem necem, si res ita ferret, metuerent; oon vulgaria solùm eis euentura ait, nec Iudæorum insidias, furorémqoe hacteous compescenda, si modò eos Synagogis mouerint; sed eò crudelitatis eoruoı processuram impietatem prænuntiauit, vt summam ıoeos immanitatem, pietatis in Deum semitam, ac compendium ducant. Quòd autem Christi sectatoribus Synagogâ à Iudæis interdictum sit, eaque pœnâ initio fuerint mulctati, perspicuom sit, dicente Euangelistâ, Multos quidem etiam ex Principibus in eum credidisse, cùm tamen propter Pharisæos non confitereotur, ne extra Synagogam fierent. Ac rursus, *Iam enim conspirauerant Scribæ & Pharisæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Verùm licet conspiratio hæc Iudæorum, inquit, nooonullis grauissima videatur, sciendum tameo vos grauiora manere. Ne enim, inquit, quamuis istud acciderit, indignè tuleritis. Eò quippe improbitatis prorumpet illorum audacia, vt religiosi cultus loco vestram oecem habeant. Quod certè factum reperiemus, tum io sancto Stephano Martyrum Principe, tum in beato Paulo. Stephanum quippe impietatis reum accessentes, atque hinc religiosum zelum prætexentes, saxorum ei grandine mortem consciuerunt. Io sanctissimum verò ac sapientissimum Paulom sic Iudæorum quidam riogebaor, vt seipsos iureiurando obstrinxerint, ac deuouerint, non se priùs manducaturos, aut bibituros, quàm eum occidissent. Sic eoim io libro qui Acta Apostolorum prænotatur, scriptum reperimus. Optima ergo & vtilissima est illa prædictio, grauiorum malorum metum mitigans, ac quasi iam experios ad robur animi dorans. Refrigescit enim propemodùm occupatò periculi æstus laborantibus præuisus, ac mitiùs inuadit.

B C D E

Ioan. 12. v. 42.

Ioan. 9. v. 22.

Act. 6. & 7.

Act. 23. v. 12.

v. 3. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Ostendit Iudæorum zelum, haud sanè secuodom scientiam, vti Paulus ait, sed erroneum valde, ac à rectâ procul viâ exorbitantem, quamuis eorum seosu, ac proposito in Dei gratiam fieri videretur. Existimabant eoim quà datum à Mose mandatum propugnabant, rem se Deo legis datori gratam præstare, ac Christi doctrinæ repugnaodo, multum sibi spleodoris conciliatum iri miseri putabant. Eam enim ob rem in Euangelicæ doctrinæ præcones ferociùs inuadebaot: at ignorabant in immanem se delapsos amentiam, ac Filio detrahendo, in ipsum se delinquere Deum ac Patrem; quio oe id quidem penitus scire arguebantur, quid sit Pater, ac quid rursus, qui ex eo effulsit, Filius. Ac quod stupendum, sapientissimum Mosen summis honoribus oroare videbaotur, Legis per Angelos traditæ ministrum; Dominum verò nostrum Iesum Christum, arcanum Patris consilium explicantem, ac palam dicentem, *A me ipso facio nihil, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar,* extremis probris afficere oon dubitatunt, tametsi Deus ac Pater vnà cum ipso miracula ederet, ac voce seosum tangeote è cœlo testimonium deferret, clamarétque diserè ac diceret, *Hic est Filius meus clarissimus, in quo mihi benè complacui.* Citra igitur cootrouersiam est, si quis diuini præcones verbi acerbiùs insectetur, in totius simul sanctæ ac consubstantialis Trinitatis ignoratione versari. Nec enim Patrem oouit, qui Verbum ex ipso procedens, quod io ipso est, conuenienti gloriâ priuare conteodit. Nunquid enim indubitatò fatendum est, ijs, qui rerum naturam cordatiùs iotueri possuot, cùm sit Patris consubstantialis, ea planè locuturuo, quæ ex Patris voluntate sint; ac cùm is suæ gloriæ consortem habeat, simul quoque omninò molestè habiturum, quòd io illum quidam deliquerint. His verbis itaque Dominus noster Iesus Christus tantum non accusat nefarios Iudæorum ausus, acerbam inde atque funestam in eos sententiam ferens, quòd quâ crudelitate deseuiunt in sanctos Apostolos, eâ ipsum iniuriâ violant. Nec enim in ipsos propriè sceleris ratio conuertetur, sed in eum ascendet, qui diuini Apostolatus munus eis imposuit, quemadmodum etiam ad sanctum Samuelem quondam aiebat, de filijs Israël, *Non te contempserunt, sed me contempserunt.* Res itaque pleoa periculi est, nolle sanctis qui maximè eos deceat, honorem impartiri. Quod enim io eos delinquitur, in ipsum recurret à quo missi sunt.

Rom. 10. v. 2. Iudæorum zelus sine scientià.

Ioan. 8. v. 28. & 12. v. 49.

Matth. 3. v. 17.

Prædicatorum iniuria, Dei ipsius violatio.

1. Reg. 8. v. 7.

v. 4. *Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Non aliam ob causam se hæc prosecutum affirmat, quàm vt exploratum haberent, siquidem omninò ipsius causâ tentationibus obluctari fuerint, inde gloriam coosequuturos. Non enim, inquit, prædixi, vt vim & robur mentis vestræ eneruarem, nec vt præcocem vobis immioentium malorum terrorem incuterem, sed vt potiùs ea præscire tribuerem, quâ ex notitiâ duplicem fructum reporretis. Primùm cùm succurret memoria, hæc me prædixisse, mirabimini qui præsciuerim; ac ipsum periculi tempus, certæ vobis fidei indubitatum argumeotum fiet. Nam qui futura nouit, quomodò noo Deus per naturam fuerit? Deinde, qui paratus præuiè est, ac sibi mala euentura oouit, leuiore metu afficietur, facilèque

Prædictorum malorum fructus.

quicquid graue esse videtur superabit, ac inconcussum ipsis in laboribus animum retinebit. Improuisè enim ac insperatò malis affici, acriùs pungit. Quocirca ait Psaltes, *Paratus sum, & non sum turbatus.* Iubet itaque discipulos meminisse sibi prædicta fuisse futura, vtiliter ac necessariò, Dubium quippe non erat, quin inde tum Deum verum credituri essent (proprium enim eius qui verè Deus sit nosse omnia) tum se facilè ab eo malis liberatum iri existimarent.

Psal. 118. v. 60.

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in superius Euang.

HOMILIA.

EX multis sancti Euangelij lucis inuenimus, quia discipuli ante aduentum Spiritus sancti minùs capaces erant ad intelligenda arcana diuinæ sublimitatis, minùs fortes ad toleranda aduersa humanæ prauitatis: sed eis adueniente Spiritu, cum augmento diuinæ cognitionis data est etiam constantia vincendæ humanæ persecutionis. Vnde illis Dominicâ promissione nunc dicitur: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis.* Notandum autem in primis, quòd Dominus Spiritum veritatis & à se mittendum esse testatur, & eundem mox à Patre procedere subiungit: non quia idem Spiritus aliter à Patre procedit quàm à Filio mittitur, aut alio tempore à Patre procedit, quàm cùm à Filio mittitur: sed ideo Filius eum à se mitti, & à Patre dicit procedere, vt aliam Patris, aliam esse suam personam designet, atque in eadem distinctione personarum vnam esse operationem ac voluntatem suam cum Patris voluntate & operatione denunciet. Cùm enim eiusdem spiritus gratia datur hominibus, mittitur profectò Spiritus à Patre, mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio: quia & eius missio ipsa processio est, quâ ex Patre procedit & Filio. Venit & suâ sponte, quia sicut coæqualis est Patri & Filio, ita eandem habet voluntatem cum Patre & Filio communem. *Spiritus enim vbi vult spirat.* Et sicut Apostolus enumeratis donis cœlestibus ait, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.*

Data Apostolis per Spiritum cum augmento cognitionis, constantia.

Ioan. 15. v. 26.

Missio Spiritus, ipsa eius processio.

Ioan. 3. v. 8.

1. Cor. 12. v. 11.

Aduenient autem Spiritus testimonium perhibuit de Domino, quia discipulorum cordibus aspirans, omnia quæ de illo erant scienda mortalibus, clarâ illis luce reuelauit: quòd videlicet æqualis & consubstantialis erat Patri ante sæcula, quòd consubstantialis nobis factus est in fine sæculorum, quòd de Virgine natus sine peccato vixit in mundo, quòd quando voluit, & quâ voluit morte transiuit de mundo, quòd veraciter resurgendo mortem destruxit; veram, in quâ passus & resurrexit, carnem ad cœlos ascendendo leuauit, atque in Paternæ gloriæ dexterâ constituit, quòd omnia Prophetarum scripta illi testimonium perhibent, quòd confessio nominis eius vsque ad fines erat propaganda terrarum, cæteráque fidei illius mysteria Spiritus sancti testimonio sunt reserata discipulis. Neque illis tantummodò, sed & omnibus qui per verbum eorum credunt in Dominum, quicquid rectè sapiunt eiusdem Spiritus est munere concessum: *Ille ergo,* inquit, *testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis*, quia quæ Spiritu intus docente perceperunt, hæc abiecto timore pristino foris loquendo & alijs ministrabant. Ipse namque Spiritus corda eorum & scientiâ veritatis illustrauit, & ad docenda quæ nossent culmine virtutis erexit. Vnde rectè apud Esaiam Spiritus idem fortitudinis & scientiæ nuncupatur. Est enim Spiritus scientiæ, quia per ipsum quæ rectè agere, vel etiam cogitare debeamus, agnoscimus: est & fortitudinis, quia etiam per ipsum, vt quæ benè nouimus operemur accipimus, ne aduersitate aliquâ à bonis quæ cœpimus, repellamur.

Spiritus testimonium de Filio.

Isai. 11. v. 2. Spiritus idẽ scientiæ & fortitudinis.

Et vos, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Cum darâ Spiritus gratiâ etiam hoc fiduciam discipulorum iuuit, quòd ab initio erant cum Domino, ideóque quæ apud illum viderunt & audierunt, absque vllâ ambiguitate prædicare valebant. Vnde benè Petrus alium pro Iudâ ordinare volens Apostolum, non hunc neophytum, sed probatum ex tempore curabat eligere, dicens: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Hinc ipse Gentibus Christum euangelizans, confidenter aiebat: *Hunc Deus suscitauit tertiâ die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* Sed quia crescentibus electorum meritis, statim crescere solet antiqui hostis inuidia, quâ vel per seipsum latenter, vel per homines suæ malignitati subditos patenter, inchoata pietatis germina conetur obruere: rectè Dominus promissâ discipulis prædicandi fiduciâ, persecutionem quoque eorum qui eidem prædicationi resisterent, pariter exorturam ostendit, dum subdidit.

Apostolis fiducia prædicandi ex assiduâ cum Christo cõsuetudine.

Act. 1. v. 21.

Act. 10. v. 40.

Inuidia diaboli in electos.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos. Curauit namque pius Magister futura discipulis prauorum bella prædicere, quo minus hæc eos venientia possent offendere, quia solent nimirum leuiùs ferri aduersa, quæ possunt antè prænosci. Nam quæ imparato, ac non præuidenti animo mala ingeruntur, grauiùs hunc sæpe ab integritatis suæ statu deiiciunt. Vnde bene Salomon admonet, dicens: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitiâ & timore Domini, & præpara animam tuam ad tentationem.* Non solùm verò discipulos Saluator à contribulium societate pellendos, sed ab eis etiam mortis pericula passuros fuisse præmunuit. Nam sequitur.

Cap 16 v. 1. Mala præuisa leuiùs feruntur.

Eccl. 2. v. 1.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Arbitrabantur autem obsequium se Deo præstare Iudæi in eo quòd ministros noui testamenti odiis insequebantur & mortibus, quia sicut illis testimonium perhibet Apostolus, *æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et de se ipse loquitur: *Ego quidem existimaueram me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis.* Prædictis ergo pressuris aduersantium, repente quasi consolans discipulos adiunxit: *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ac si apertè dicat, Bella quidem tribulationum à contribulibus vestris estis passuri, sed eò tolerabiliùs hæc suscipite, quò non tam odio vestri, quàm diuinæ legis æmulatione vobis in-

V. 2.

Rom 10. v. 2.

Act. 26. v. 9.

Discipulorum consolatio, quòd passuri mala æmulatione diuinæ legis.

gerentur. Cuius memor admonitionis beatus martyr Stephanus, flexis genibus pro his qui se interficiebant piâ voce supplicabat, diceos: *Domine, ne statnas illis hoc peccatum.* Arbitrabantur ergo legis æmulatores obsequium se præstare Deo, dum præconibus gratiæ neces ioferrent: sed frustra legem quæ per famulum data est, defendunt, qui gratiam quam ipse Filius offert accipere renuunt. Incassom se Deo Patri placere æstimant, qui Dei Filium cootemnere, imò etiam persequi ac blasphemare laborant. Vnde rectè subiungitor.

Act. 7. v. 59.

Et hac facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Quia enim Filius io Patre, & Pater est in Filio; &, qui videt Filium videt & Patrem: patet profectò quia quicunque Filij credulitati obstinatâ mente resistunt, oec Patrem nosse probantur. Vnde etiam idem Ioannes veritatem diuinæ vnitatis insinuans, ait: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Et iterum: *Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo.* Verùm quia discipuli, qui Patrem benè nouerant & Filium, multa pro eiusdem scientiæ defensione ac propalatione fuerant passuri, prouidâ Dominus admonitione subiungit.

V. 3. Ioan. 14. v. 10.

1. Ioan. 2. v. 23. 1. Ioan. 5. v. 1.

Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Magnopere peosandum est, quod ait, *Ego dixi vobis*, ego qui pro vestra vitâ ac salute moriturus sum, qui vos meo sanguioe redempturus, qui vos in tribulatione semper adiuturus, qui æternoa vobis præmia post tribulationem daturus sum. Magnum quippe certantibus leuamen, magnam consolatioois gratiam præstat: quando ille certamina eadem futura prædixisse reminiscitur, qui & milites suos ne vioci possint adiuuare, & ne incassum vincant immortalem post prælia solet rependere palmam. Qui enim hîc horam persecutionis venturam præmonuit, ipse paulò pòst in eadem persecutione suum fidelibus auxilium pollicetur, diceos: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Ipse alibi legitimè certantibus coronam vitæ repromittit, dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

V. 4. Consolatio Apostolorum, prædicta eorum certamina, ab ipso qui adiuuare potest, & coronare.

Ioan. 16. v. 33.

Matth. 5. v. 10.

Hæc de Euaogelicâ lectione, fratres charissimi, breuiter explanando transcurrimus, nunc libet de ipsâ, quam colimus, Quinquagesimæ solennitate subtiliùs aliquid loqui. Sicut enim imminentibus solenniis Paschalibus Quadragesimam ieiuniorum obseruantiâ celebramus, sic eisdem peractis, Quinquagesimam noo sine certi causâ mysterij festâ deuotiooe agimus. Nam quia sancta Ecclesia in quibusdam suis membris adhoe pro æternâ requie laborat in terris, in quibusdam verò omni finito labore cum Christo iam regnat in cœlis: in memoriam vtriusque vitæ constituere Patres nostri gemina hæc congruè religionis solennia; Quadragesimam videlicet afflictionis & ieiuniorum, instante iam Domioicæ resurrectionis tempore, gaudiisque Paschalibus, vt per eam nobis sæpiùs ad memoriam reuocarent, quia pee labores & continentiam, per vigilias & orationes, & per cætera, quæ Apostolus commemorat, arma iustitiæ, ad vitæ immortalis præmia debeamus attingere. Porrò Quinquagesimam ab ipso Dominicæ resurrectionis die inchoare, &

Quinquagesima post Pascha, vti ante ipsum Quadragesima; ambarumque institutio.

2. Cor. 6. v. 7.

A gaudiis potios laudibúsque diuinis, quàm ieiuniis voluerunt esse celebrem: quatenus annuis eius festis dulciùs admoneremur, desiderium oostrum ad obtinenda festa quæ non sunt aonua sed continua, non terrena sed cœlestia semper accendere, fixumque tenere, quia non io tempore mortalitatis huius, sed in æternitate futuræ incorruptionis vera oobis quærenda felicitas, vera est inuenienda solennitas, vbi cessantibus cunctis languoribus tota io Dei visione ac laude vita geritur: Iuxta hoc quod Propheta corde pariter & carne in Deum vioom exultans, aiebat: *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in secula seculorum* B *laudabunt te.* Vode meritò Quinquagesimæ diebus io memoriam huius nostræ quietissimæ ac felicissimæ actionis crebriùs ac festiuiùs Alleluia canere solemus. Alleluia oamque Hebræus sermo est, & interpretatur Latinè, *Laudate Dominum*, pro hoc verbo apud Hebræos semper Alleluia canitur. Quod Euangelista Ioannes io Apocalypsi suâ cœlestium agmina Virtutum cantantia se audisse perhibet. Sed & venerabilis ipse Thobias ex visione Angelicâ intelligens qualis supernorum ciuium gloria, quanta ipsius Hierusalem cœlestis sit claritas, hæc mysticâ voce dicebat: *Ex lapide pretioso & mundo omnes platea eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur.* Rectis- C simè autem & pulcherrimè generalis sanctæ Ecclesiæ mos iooleuit, vt hoc diuinæ laodatioois carmeo propter reuerentiam primæ auctoritatis à cunctis per orbem fidelibus Hebræâ voce canetur. Quod ideo fit, vt per talis consonantiam deuotionis omnis admooeatur Ecclesia, qoia & nunc in vnâ fidei coofessione ac dilectione Christi consisteee debeat, & ad illam in futuro patriam festinare, in quâ oulla diuersitas mentium, nulla est dissonantia linguarum. Nam quomodò in Hierosolymis quondam, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & erant illis omnia communia*: ita io illâ summæ pacis visione multitudinis videntium Deum, erit cor vnum & anima vna, videlicet diligendi ac laudandi eum, cuius se gratiâ viderint esse saluatos: & ibi veraciter erunt omnibus omnia communia, quia sicut Apostolus ait, *erit Deus omnia in omnibus.* In cuius typum temporis ac laudabundæ nostræ quietis, vltimi septem Psalmi qui specialiter io Domini laudē canuntur, Alleluia titulo prænotantur. Septima quippe dies sabbati, id est, requiei, per legē vocari & haberi præcepta est. Et aptè liber Psalmorum post taota cœlestium præceptorum instituta, tot arcanorum spiritalium mysteria decantata, tantas saluberrimæ confessionis ac deprecationis humillimæ voces editas, semper Alleluia titulis finitur: quia quicquid in hac vitâ boni gerimus, quicquid in obsequium Redemptoris nostri linguâ exultante proferimus, quicquid pro æternæ patriæ desiderio cogitamus, cuncta hæc nimirum eâ nobis mercede recompensantur, vt io requie sempiternâ & audire vocem laudis eius, & ipsi cum Saoctis eum beoedicere, gloriam regni eius dicere, & potentiam virtutis eius loqui mereamur.

Psal. 83. v. 5.

Alleluia per Quinquagesimã festiuius decantatũ.

Apoc. 19. v. 1.

Tob. 13 v. 22

Cur retentâ vbique vox Hebraica.

Act. 4. v. 32.

1. Cor. 15. v. 128.

Septem vltimi Psalmi, Alleluia titulo prænotati.

Idcirco autem plores Magistri Ecclesiæ decantationem Alleluia tempore Quadragesimæ intermittendam esse sanxerunt, qoamuis in Ecclesiâ nuoquam à diuinâ laude cessatur, sed alius verbis, quę idipsum perfectè significant, eius quotidie dona canuntur, vt uoua eius repetitio maiorem gratiorémque Paschalibus solennius

Alleluia in Quadragesimâ cur intermittatur.

honotificentiam reddar & splendorem. Sed & hoc in eo mysterium maximè designare voluerunt, quòd in huius exilij peregrinatione, sicut ex parte nouimus, & ex parte prophetamus, ita etiam ex parte Dominum laudamus dicentes cum Prophetâ, *Quomodò cantabimus canticum Domini, in terrâ alienâ?* Cùm verò nostram patriam, terram scilicet viuentium, domúmque regni cœlestis nobis olim à Domino repromissam intrare meruerimus, tunc vt illum & perfectè intueri, sic etiam perfectè valebimus laudare, iuxta illud Psalmistæ: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Vnde & alibi dicit: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Cœlos quippe cœlestis patriæ ciues appellat. Et quidem terrigenæ gloriam Dei narrare possunt, non autem hanc enarrare nisi cœli ciues sufficiunt, qui quò hanc viciniùs vident, eò certiùs valent eloqui.

1. *Cor.* 13. *v.* 9.
Psal. 136. *v.* 4.
Psal. 28. *v.* 9.
Psal. 18. *v.* 1.
Cœli, patriæ cœlestis ciues.

Vtranque sanè hanc solennitatem, scilicet & Quadragesimæ & Quinquagesimæ, non quorumlibet hominum, sed ipsius Domini ac Saluatoris nostri patria nobis sanxit auctoritas: Quadragesimam videlicet in eo, quòd quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit in deserto, victáque tentatoris versutiâ, ministeriis fruebatur angelicis: vbi suo nos informauit exemplo, quia per macerationem carnis aduersarij spiritalis machinas euitare, & ad Angelorum debeamus peruenire consortium. Porrò Quinquagesimæ nobis gaudia in eo seruanda monstrauit, quòd post resurrectionem seipsum discipulis viuum in multis argumentis per dies quadraginta præbuit, apparens eis, & loquens de regno Dei, & conuescens, vt in eorum Actibus legimus, quia illos suæ frequentiâ visitationis lætabundum hoc tempus habere fecit ac festiuum. Sed & in cœlum ascendens nequaquam eis priscæ suæ præsentiæ dulcedinem abstulit, sed eandem potiùs promisso Spiritus sancti charismate cumulauit. Denique cùm promitteret eos Spiritu sancto baptizandos post dies non multos, eisque benedicens ascenderet ac ferretur in cœlum, quadragesimo vtique die suæ resurrectionis: mox illi *adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Hoc quoque nobis gaudio ac laude & benedictione cœlesti, quâ Spiritus sancti præstolabantur aduentum vsque ad diem quinquagesimum, quem Græci Pentecosten appellant, solennitatis huius lætitiam docuerunt esse protelandam.

Quadragesimæ ac Quinquagesimæ solennitas diuinâ Christi auctoritate sancita.
Matth. 4. *v.* 2.
Luc. 4. *v.* 2.
Marc. 1. *v.* 13.
Act. 1 *v.* 3.
Ascensione Domini nō oblatū gaudium præsentiæ eius, sed cumulatum.
Ibidem.
Luc. 24. *v.* 52.

Inter hæc verò solertiùs intuendum, fratres charissimi, quòd Dominus hac quadraginta dierum conuersatione cum discipulis, non solùm futuri sæculi gaudia, quæ cum illo sumus habituri præsignauit, verùm etiam ineffabilem circa nos suæ pietatis ostendit affectum: qui depositâ iam infirmitate corporis, imò finitâ, & per resurrectionis virtutem in cœlestem gloriam commutatâ, dignatur tamen adhuc discipulorum interesse conuiuio, vt eos socios habere possit in cœlo: vt præcepta quibus ad regnum Dei perueniant, viuaciùs ipsâ familiaritate commendet. Quid enim, fratres mei, quid sibi vult horum coniunctio verborum, quâ dicitur, *Apparens eis & loquens de regno Dei, & conuescens*, nisi quia patenter ostenditur, quòd ob hoc maximè conuictui sociebatur eorum cùm de regno Dei loqueretur, vt terrenas inter eos epulas sumens, quibus cœleste corpus monstrabat, arctiùs eos vinculis suæ charitatis obligaret, atque illius temporis memoriâ robora-

Cur tanto tépore dilata post resurrectionem.

A Paschate.

ret, de quo eis ante passionem suam promittendo prædixerat: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Meritò ergo sacrosanctis diebus his nos quoque maioribus epulis atque hymnis cœlestibus vacamus, ob reuerentiam nimirum Dominicæ resurrectionis, ob memoriam Dominici conuictus cum discipulis, simul ob spem futuræ nostræ quietis ac vitæ immortalis. Sed & genu in oratione minimè iuxta morem flectimus, quia pro certo genuum inflexio pœnitentiæ & luctus indicium est. Quod etiam in omnibus Dominicis diebus obseruandum propter eiusdem resurrectionis, vel Dominicæ vel nostræ sacramenta Patres instituerunt.

Luc. 22. *v.* 29.
In Quinquagesima maiores epulæ atque cātica.
Non flectimus in eā genua, nec Dominicis diebus.

De sacramento autem quinquagenarij vel quadragenarij numeri multipliciter à Patribus disputatum est. Sed quia nos in longum duximus sermonem, breuiter modò fraternitati vestræ dicere sat est, quòd rectè ieiuniorum ceremoniæ quadragenario dierum numero obseruantur: vt scilicet per hoc insinuetur, quòd toto huius vitæ tempore pro æternæ vitæ perceptione laborare debeamus. Quater enim deni quadraginta sunt: & vita præsens congruè quaternario numero figuratur, vel quia quatuor annuis temporibus tota variatur, vel quia mundus ipse in quo viuimus, quatuor elementis subsistit, videlicet igne, aëre, aquâ & terrâ. Futuræ autem vitæ beatitudo denario numero non inconueniēter exprimitur. Hinc est enim quòd Dominus operarios vineæ denario remuneratos esse perhibet. Operarij quippe vineæ, cultores sunt sanctæ Ecclesiæ. Denarius autem vitæ cœlestis perfectionem designat, in quâ *gloriam Dei*, summi videlicet Regis, *speculantes, in eandem imaginem transformamur*: non solùm in eo quòd Regis imaginem habet & inscriptionem, verùm etiam in eo quod decem obolis, qui perfectus est numerus constat, vnde & nomen accepit. Rectè ergo quadragenario, hoc est, quater denario dierum numero, ieiunium annuè celebramus: vt per hoc specialiùs admoneamur, quia quamdiu viuimus in mundo, pro cœlestium præmiorum adeptione semper laborare debeamus. Rectè etiam quinquagenario dierum numero statum futuræ nostræ beatitudinis in imagine veneramur, ieiunia videlicet relaxando, Alleluia canendo, stantes orando, quæ sunt aptissima perpetuæ quietis, resurrectionis, & laudis præsagia. Septies enim septem, quadraginta nouem faciunt. Et quidem per septem sæpe requiem designari luce clarius est. Septem verò septies ducta, eiusdem requiei perfectionem insinuant, quæ nullo vnquam fine clauditur, nullâ labe maculatur: sed vbi dies iudicij vniuersalis ac resurrectionis aduenerit, ampliori corporum receptorum gratiâ perficitur. Quod enim ad septem septimanas monas additur, id est, ipsa dies Dominica Pentecostes, quâ Spiritum sanctum accepit Ecclesia primitiua, & ita quinquagenarius numerus perfectè completur, ipsum iudicij & resurrectionis omnium tempus ostendit, quando sanctarum requies animarum, quæ nunc in illâ vitâ geritur, etiam corporum immortalium receptione geminabitur, & ille Apostoli sermo adimplebitur: *Quòd si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Quadragenarius numerus vitæ præsenti accommodatus.
Quinquagenarius futuræ.
Operarij vineæ.
Matth. 20. *v.* 9.
Denarius.
2. *Cor.* 3. *v.* 18.
Matth. 22. *v.* 19.
Rom. 8. *v.* 11.

Verùm hoc quoque quòd non statim peractâ

Non flectimus genua, & Alleluia solenniter canimus totâ Pentecostes hebdomadâ.

die quinquagesimâ genu ad adorandum curuamus, A sed & illâ adhuc septimanâ stantes Domino supplicamus, & quamuis intermissa repetentes ieiunia, tamen Alleluia quotidie personamus, nemo absque discretione aptâ & congruâ ratione mysterij putet actitari. Quia enim Spiritus sancti septiformis est gratia, iurè solennitas aduentus eius per septem dies laude hymnorum debitâ, simul & Missarum celebratione colitur. Quia tempore Pentecostes Ecclesia toto orbe nouos semper Deo populos per aquam regenerationis aggregare consueuit, meritò saluti eorum congaudentes, quousque albis induuntur stolis, & nitorem purificatæ mentis splendore habitus præ- B monstrant, hymnum Deo deuotæ laudis offerimus, iuxta præceptum ipsius piissimi Pastoris ac

Luc. 15. v. 6.

Redemptoris nostri, quo ait: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Meritò etiam tunc stantes oramus, ob significantiam videlicet liberationis eorundem, quia per donum Spiritus sancti de morte animæ ad vitam resuscitari, ac resurgere meruerunt: cuius donante gratiâ, etiam carnis immortalitate nos in nouissimo die vestiendos, atque ad gaudia beatæ resurrectionis perducendos esse speramus, iuxta hoc

Rom. 8. v. 11.

quod paulò antè Apostolo teste docuimus.

Ieiunium repetitur, prima ratio.

Quòd verò inter hæc ieiuniorum castigatio re- C petitur, de ipsorum Apostolorum exemplo sumptum credere debemus, qui accepto Spiritu quò perfectiùs nouâ cœlestium bonorum suauitate fruebantur, eò altiùs mentem à memoriâ delitiarum abstulere terrestrium. Iam enim aduenerat tempus illud, de quo Dominus prædixit, quia discipuli ipso secum conuersante ieiunare non possent, ablato autem eo ieiunarent. Nam cùm interrogarent eum discipuli Ioannis, dicentes: *Quare*

Matth. 9. v. 14.

nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Ait illis: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, D *& tunc ieiunabunt.* Quia ergo & ante passionem & post resurrectionem Dominicam propter ipsius Domini præsentiam lugere ac ieiunare nequiuerant, constat profectò quia post ablationem eius spontaneis sese subdidere ieiuniis. Namque vbi sancti Spiritus sunt acceptione recreati, sicut à cæteris mundialibus illecebris, sic & ab epularum appetitu mentem prorsus auerterant: animæ potius quàm corporis alimoniâ gaudentes, & præ memoriâ patriæ cœlestis orationibus

A ac lacrymis insistentes salubribus. Denique Lucâ referente, cognouimus de illis tribus millibus

Secunda ratio.

virorum, qui ipso die Pentecostes Petro prædicante crediderunt, quàm parco victu contenti fuerint, quàm sobriam cœlestémque in terris egerint vitam. *Et erant*, inquit, *perseuerantes in*

Act. 2. v. 42.

doctrinâ Apostolorum, & communicatione fra-

Ibid. v. 46.

ctionis panis, & orationibus. Et paulò post: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum*: & cætera huiusmodi. Ad quorum nos exemplum, vitam moresque solerter B aptare necesse est, quia perfectum vitæ magiste-

Ecclesia primitiua incitanda.

rium est, Ecclesiæ primitiuæ semper actus imitari: illámque ædificij spiritalis normam ad finem vsque seruare, quam ab ipsis Apostolis in fundamento fidei liquet esse propositam. Nec dubitandum, quia quorum nunc vestigia sequimur, ad eorum in futuro sumus præmia peruenturi.

Et quidem, fratres mei, pulcherrimam etiam in præsenti futuræ beatitudinis figuram gerimus, de quâ modo aliquanta perstrinximus: sed ita nobis viuendum est, vt quæ exteriùs in imagine colimus, ante interni arbitri oculos veraci corde seruemus. Perseueremus ergo & nos in doctrinâ san- C ctorum, vt videlicet discendo, & operibus exercendo quæ docent, orationibus incumbamus assiduis. Dominici panis communione digni satagamus existere, vnanimiter in Ecclesiâ horis persistamus canonicis, panem indigenti proximo, vel quicquid valemus piæ consolationis porrigamus, & ita cibum corpori indulgeamus, vt memoria viui panis potius mentis intima lætificet: simplicitatem cordis in omnibus teneamus, quod est solâ intentione supernæ retributionis bona operari: & quod præsentia festa maximè decet, hymnum diuinæ laudis consonâ voce simul & mente personemus. Sic enim solummodò Deo nostro D iucunda fit laudatio, si quod ore canimus, non impugnamus opere: si cùm labiis Alleluia proferimus, à turpi & malignâ cogitatione præcordia casta gestamus. Ea tantùm ratione suauis erit ei laudatio nostra, si non in rebus caducis & infimis, sed delectemur in Domino. Quod ipse præstare dignetur, qui tanta nobis tamque præclara beneficiorum pignora per Paschalia sacramenta prærogauit Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

IOAN. XIV.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Si diligitis me,

a Vt faciatis quæ ego facio, & faciam quæ petitis. b In quo euidenter ostenditur dilectio mandantis. Rogat vt homo, inquantum Deus dat.

[a] mandata mea seruate. Et ego rogabo [b] Patrem, & alium

c Aduocatum vel consolatorem, sicut ego sum vobis præsens in carne. d Hic, vt quædam illustret, & alia huiusmodi faciat: postea vt ad videndam speciem introducat.

[c] Paracletum dabit vobis, vt [d] maneat vobiscum in æternum,

e Scilicet Spiritum sanctum qui Patri & Filio coæternus est & consubstantialis. f Remanens amator mundi, cum quo nunquam est amator Dei. g Non habet inuisibiles oculos quibus inuisibiliter videtur Spiritus sanctus.

[e] quem [f] mundus non potest accipere, quia non [g] videt eum,

h In Ne sciendo intelligit.

nec [h] scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis

i Indicat se patrem illis. k Post resurrectionem carne, & præsentiâ deitatis. l Sed. m Tempus.
erit. [i] Non relinquam vos orphanos, [k] veniam [l] ad vos. Adhue [m] modicum & mun-
n Suam vitam etiam illis promittit.
dus me iam non videt. Vos autem videbitis me: quia ego viuo, & vos [n] viuetis. In
o Quod modò creditis. p Vt radius in sole vnum cum ipso. q Vt palmites in vite. r Vt ait Apostolus: Si autem Christus in nobis.
illo die vos [o] cognoscetis, quia ego sum in [p] Patre meo, & [q] vos in me, & [r] ego in
s Hoc enim opere ostenditur dilectio.
vobis. [s] Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem
t Quis fructus? u Pater & Filius inseparabiliter diligunt. x Hæc visio erit merces fidei.
diligit me, [t] diligetur à [u] Patre meo, & ego diligam eum, & [x] manifestabo ei meipsum.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Ioan. 14. v. 5. *I diligitis me mandata, &c.* Quomodo monet diligere & seruare mandata, vt accipiant Spiritum sanctum, quem nisi habeant non possunt diligere & seruare. Sed quod habebant occultè, accepturi erant ampliùs & manifestè, vt eis innotesceret quod habebant.

V. 17. *Quia non videt eum.* Non habent spirituales oculos mundi amatores quibus Spiritum sanctum videant. Nec verò carnalibus oculis possunt videre, quia Spiritus sanctus non apparuit indutus humanitate. *Et in vobis erit.* Erit in vobis vt maneat, non manebit vt sit: quia prius est esse alicubi quàm manere. Ne quis ergo putet sic manere, vt hospes apud alium visibiliter: sed in eis est, & ideo ab eis cognosci potest, non ab alijs. B

V. 18. *Non relinquam vos orphanos.* Non ita dabitur Spiritus pro me, vt ego etiam non sim vobiscum. Orphani Græcè, Latinè pupilli.

V. 19. *Adhuc modicum.* Sic mundus qui modò videt oculis carnis, post modicum non videbit, quia resuscitatus se eis non ostendit. Sic totum tempus modicum est, quo finito auferetur impius, ne videat gloriam Dei, quam iusti videbunt.

Quia ego viuo. Præsenti vtitur, quia mox futura est eius resurrectio. Ad illos vtitur futuro, C quorum in fine futura resurrectio. *Et vos viuetis.* Hoc modò est, & cognoscetur per speciem, quandò hæc coniunctio perficietur quæ modò inchoatur.

V. 21. *Qui habet mandata.* Non solùm vos Apostoli viuetis, & cognoscetis: sed & quicunque habet in memoriâ, & seruat in vitâ. Vel, habet faciendo, seruat perseuerando. Vel, qui habet in sermonibus, seruat in moribus. Vel, habet audiendo, seruat faciendo.

Et ego diligam eum. Ad hoc diligam, vt manifestem; quia & nunc diligit, sed non ad hoc, sed potiùs vt credamus, & mandata seruemus, vt mereamur quod pòst capiamus.

Et manifestabo. Qui habet meum mandatum, D ille me cognoscit, & hoc est ibi: *Manifestabo ei.* Sed præmittit causam mandati, quia diligit me, & qui me diligit, Pater meus diliget eum; & quia Pater tunc ego diligam eum, & inde est manifestatio.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Ioan. 14. v. 15. Hom. 74. in Ioan. *SI diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, &c.* CHRYS. Quia Domi-
A Paschate.

A nus dixerat; *Quodcunque petieritis hoc faciam,* vt non æstiment omnem simpliciter petitionem valere, induxit, *Si diligitis me, mandata mea seruate:* quasi dicat, Tunc faciam quod petitis. Vel quia audientes quoniam ad Patrem vado, consequens erat eos turbari, dicit, Non est hoc me amare vt turbemini, sed vt faciatis mandata mea. Hoc est enim amor obedire, & credere ei qui diligitur. Quia verò consequens erat eos vehementer inquirere carnis præsentiam, & illam habere consolationem quam priùs habuerunt, subiungit, *Et ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis.*

AVGVST. In quo ostendit & seipsum esse paracletum. Paracletus autem Latinè dicitur Aduo- Tract. 74. in Ioan.
B catus: & dictum est de Christo, *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.*

ALCVI. Vel Paracletum, id est, consolatorem: habebant enim & tunc vnum consolatorem, qui miraculorum dulcedine & prædicatione eos erigere & confortare solebat.

DYDIMVS de Spiritu sancto. Sed Spiritum sanctum alium Paracletum nominauit, non iuxta naturæ differentiam, sed iuxta operationis diuersitatem. Cùm enim Saluator mediatoris & legati personam haberet, ex quâ Pontifex deprecaretur pro peccatis nostris, Spiritus sanctus secundum aliam significationem Paracletus, ab eo quòd consolatur in tristitiâ positos, nuncupatus est. Verùm noli ex Filij & Spiritus sancti operatione diuersâ varias æstimare naturas, siquidem C in alio loco reperitur Paracletus Spiritus legati apud Patrem personâ fungi, vt ibi, *Ipse Spiritus interpellat pro nobis.* Saluator quoque consola- Rom. 8. v. 26
tionem operatur in cordibus eorum qui a indigent. Scriptum est enim, *Et humiles populi sui consolatus est.* 1. Mach. 4. v 14.

CHRYS. Ait autem, *Rogabo Patrem,* vt fide dignum faciat eis sermonem. Quoniam si dixisset, Ego mittam, non simpliciter credidissent. Hom. 74. in Ioan.

AVG. cont. sermonem Arrianor. Qui tamen vt inseparabilia sua & Patris opera demonstraret, alibi ait, *Cùm abiero, mittam eum ad vos.* Cap. 4. & 6.

CHRYS. Quid autem Apostolis plus haberet, si Patrem solùm rogaret vt Spiritum alijs daret? Hom. 74. in Ioan.
quoniam illi multoties & sine oratione osten- D duntur hoc facientes.

ALCVI. *Rogabo* igitur dicit, vt inferior secundum humanitatem: *Patrem meum,* cui sum æqualis & consubstantialis secundum diuinam naturam.

CHRVS. Dicit autem, *Vt maneat vobiscum in æternum,* quoniam neque post mortem recedit: Hom. 74. in Ioan.
per hoc etiam occultè insinuat, quòd Spiritus sanctus non patietur mortem, vt ipse, neque abibit. Ne autem Paracletum audientes rursus incarnationem aliam suspicentur, & oculis putarent eum videre, subiungit, *Spiritum veritatis,*

quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.

[Tract. 74. in Ioan.] AVGVST. Hic est vtique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & Filio consubstantialem & coæternum fides catholica profitetur.

[Hom. 74. in Ioan.] CHRVS. Spiritum autem veritatis eum vocat, per hoc quòd figuras veteris Testamenti manifestat. Mundum autem hic malos dicit: visionem autem, certissimam cognitionem dicit, quia visus est apertior sensus.

BED. Nota etiam quòd cùm Spiritum sanctum, Spiritum Veritatis dicit, Spiritum sanctum esse Spiritum suum ostendit. Deinde cùm à Patre eum dari narrat, Patris etiam eum Spiritum esse declarat: ac per hoc Spiritus sanctus à Patre procedit & Filio.

[Cap. 19. in nouis exẽp. 20. in antiq.] GREG. 5. Mo. Spiritus autem sanctus omnem quem repleuerit, ad desideranda inuisibilia accendit: & quoniam mundana corda solùm visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuisibilia non assurgit. Sæculares etenim mentes quantò se foras per desideria dilatant, tantò ad receptionem illius sinum cordis angustant.

[Tract. 74. in Ioan.] AVG. Sic autem mundum (id est, mundi dilectores) dicit non posse accipere Spiritum sanctum, velut si dicamus, Iniustitia iusta esse non potest. Mundus ergo, id est, mundi dilectores, non potest eum accipere, quia non videt eum. Non enim habet inuisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus nisi inuisibiliter non potest. Sequitur, *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit.* Sed ne putarent quod dictum est, *Apud vos manebit*, ita dictum quemadmodum apud homines hospes visibiliter manere consueuit, adiecit: *In vobis erit.*

[Hom. 74. in Ioan.] CHRVS. Quasi dicat, Non ita apud vos manebit sicut ego, sed in vestris habitabit animabus.

[Tract. 74. in Ioan.] AVGVST. Prius autem est esse alicubi, pòst manere. Sed exposuit quod dixerat, *Apud vos*: cùm adiunxit, *In vobis.* Si enim non sit in vobis, non potest esse in vobis eius scientia, sic enim à vobis videtur in vobis & vestra conscientia.

[Cap. 28. in nou. exẽpl. 41. in antiq.] GREGOR. 2. Mor. Si autem Spiritus sanctus in discipulis manet, quomodò iam singulare signum erit quòd in mediatore permanet? secundum illud, *Supra quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat*: quod tamen citiùs cognoscimus, si dona eiusdem Spiritus discernamus. [Spiritus sanctus in Christo peculiariter vt maneat.] In his enim donis sine quibus ad vitam perueniri non potest, Spiritus sanctus in electis omnibus semper manet. In illis autem quibus non nostra vita seruatur, sed aliorum quæritur, nequaquam semper manet. Aliquando enim se à signorum ostensionibus subtrahit, vt eo humiliùs virtutes eius habeantur: Christus autem in cunctis eum & semper habet præsentem.

[Hom 74. in Ioan.] CHRVS. Hic autem sermo oppositas hæreses velut vno ictu sustulit: nam dicere alium, ostendit eius, id est, Spiritus, hypostaseos differentiam: dicere verò Paracletum, substantiæ cognationem.

[Cap. 19. à med. illius 5. 6.] AVG. con. sermonem Arria. Consolatorem enim (quod officium tanquam personæ infimæ, in Trinitate spiritui sancto deputant) Deum dicit Apostolus, secundum illud: [2. Cor. 8. v. 6] *Is qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Deus est itaque Spiritus sanctus qui consolatur humiles: aut si hoc de Patre vel Filio dictum ab Apostolo volunt accipi, desinant consolationis tanquam proprio munere separare à Patre & Filio Spiritum sanctum.

[Tract. 74.] AVGVST. super Ioan. Si cùm charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, quomodò diligemus & mandata Christi seruabimus vt eum accipiamus? quem nisi habuerimus, diligere & mandata seruare non possumus: An fortè præcedit in nobis charitas quâ diligamus Christum; vt diligendo Christum, eiúsque faciendo mandata, mereamur accipere Spiritum sanctum? vt charitas Dei Patris diffundatur in cordibus nostris. Peruersa est ista sententia. Qui enim se Filium Dei diligere credit, & Patrem non diligit, profectò nec Filium diligit, sed quod sibi ipsi confixit. Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli quem Dominus promittebat, sed dandus eis erat ampliùs: habebant occultè, accepturi erant manifestè: proinde non solùm non habenti, verùm etiam habenti non incassum promittitur: non habenti quidem vt habeatur, habenti autem vt ampliùs habeatur.

[Hom. 74. in Ioan.] CHRYS. Quando igitur discipulos purgauerat per sacrificium passionis, & peccatum solutum erat, & ipsi ad pericula & agones mittebantur, oportebat Spiritum sanctum venire abundanter. Non autem statim post resurrectionem, vt in multo eius constituti desiderio, cum multâ eum suscipiant gratiâ.

[v. 18.] *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos, &c.* [Tract. 75. in Ioan.] AVGVST. Ne quisquam putaret quòd ita Spiritum sanctus Dominus daturus fuerat, velut pro seipso, vt non & ipse futurus cum eis, adiecit & ait, *Non relinquam vos orphanos.* Orphani pupilli sunt. Illud enim est Græcum, hoc Latinum. Quamuis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptauit filios, tamen in hoc etiam ipse erga nos paternum ostendit affectum.

[Hom. 74. in Ioan.] CHRVS. Et quidem à principio dixerat, Venietis quò ego vado: sed quia hoc longum tempus erat, promisit Spiritum. Et quia nesciebant quid est hoc, promittit eis suam præsentiam, quam maximè quærebant, cùm dicit, *Veniam ad vos.* Ne tamen rursus eandem quærant præsentiam, qualem & priùs habuerunt, occultè hoc excludit, cùm subdit, *Adhuc modicum, &c.* ac si diceret: Veniam quidem ad vos, non tamen vt priùs vobiscum per vnamquamque diem consistens. Et ne dicant, Qualiter igitur Iudæis dixisti, *Amodò non videbitis me?* soluit opinionem, dicens: *Ad vos* solus *veniam.*

[Tract. 75 in Ioan.] AVG. Videbat enim tunc eum mundus carneis oculis in carne conspicuum, non autem videbat quod in carne Verbum latebat: sed quoniam post resurrectionem etiam carnem suam quam non solùm videndam, verumetiam contrectandam demonstrauit suis, noluit demonstrare non suis, hinc dictum est: *Adhuc modicum & mundus iam me non videt; vos autem videbitis me.* Sed quoniam in iudicio eum mundus videbit, quo nomine significati sunt à regno eius alieni, meliùs intelligitur illud etiam tempus significare voluisse, quando in fine sæculi auferetur ab oculis damnatorum, vt eum de cætero

videant diligentes. Modicum autem dixit, quia A id quod prolixum videtur hominibus, breuissimum est ante oculos Dei. Sequitur. *Quia ego viuo, & vos viuetis.*

In hoc loco. THEOPH. Quasi dicat: Et si mortem subiero, tamen resurgo: *vos quoque viuetis*, hoc est, cùm videritis me lætabimini, & tanquam mortui renouiscetis in apparitione meâ.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Mihi autem videtur vitam non præsentem dicere, sed futuram: ac si dicat, Mors crucis non distare faciet vos à me in finem, sed momento paruo occultabit me à vobis.

Tract. 75. in Ioan. AVGVST. Cur autem de præsenti se dixerit viuere, illos autem de futuro esse victuros? nisi quia & vitam carnis resurgentibus qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus secuturam? & quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis temporis ponit verbum, propter significandam celeritatem. Illorum autem, quoniam sæculi differtur in finem, non ait, viuitis, sed *viuetis*.

Expositio anagogica. Quia verò viuet ille, ideo & nos viuemus: *per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Sequitur: *In illo die*, de quo scilicet ait, *Et vos viuetis. Vos cognoscetis*, contemplando (quamuis & nunc credendo nouerimus) *quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis*: quia quando viuemus eâ vitâ quâ mors absorbetur, tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est iam per ipsum, vt sit in nobis & nos in ipso.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Vel in illo die cùm resurgam, cognoscetis: quia cùm viderunt eum resurrexisse, C & esse cum eis, tunc certissimam fidem didicerunt. Magna enim erat virtus Spiritus sancti quæ omnia eos docebat. Quòd autem dictum est, *Ego sum in Patre*, humilitatis est. Quòd autem dicit, *Et vos in me, & ego in vobis*, humanitatis est & auxilij quod est à Deo. Consueuit enim Scriptura multoties eisdem verbis in Deo, & hominibus positis non similiter vti.

Ante med. HIL. 8. de Tri. Vel hoc dicit, vt cùm ille in Patre per naturam diuinitatis esset, nos autem in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per sacramenti mysterium inesse crederetur. Ipse enim testatus est, *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me* D *manet, & ego in eo.*

ALCV. Per dilectionem autem & obseruantiam mandatorum eius tunc perficietur hoc ipsum, quod nunc inchoatum est per ipsum, vt sit in nobis, & nos in ipso. Et vt omnibus, non tantùm Apostolis hanc beatitudinem promisisse videatur, adiungit, *Qui habet mandata mea, &c.*

Tract. 75. in Ioan. AVGVST. Qui habet in memoriâ, & seruat in vitâ: qui habet in sermonibus, & seruat in operibus: qui habet audiendo, & seruat faciendo: qui habet faciendo, & seruat perseuerando, ipse E est qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio.

In hoc loco. THEOPH. Ac si dicat, Vos putatis quòd ex affectione quadam tristamini de morte meâ, sed ego signum dilectionis reputo, mandata mea seruari. Qualem autem prærogatiuam obtineat qui diligit, ostendit subdens, *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.*

Tract. 75. in Ioan. AVGVST. Sed quid est, *diligam*, tanquam nunc non diligat? exponit per id quod sequitur, *Et manifestabo ei meipsum*, id est, ad hoc diligam vt manifestem, & ipsam visionem merce-

dem fidei capiamus. Nunc enim ad hoc nos dilexit vt credamus, tunc ad hoc vt videamus: quia & nos nunc diligimus credendo quod videbimus. Tunc autem diligemus, videndo quod credidimus.

Epist. 111. cap. 10. in fine. AVGVST. ad Paulinam de videndo Deo: Sic autem promisit ostensurum seipsum dilectoribus suis cum Patre Deum vnum, non quomodò in hoc sæculo visus est in corpore & à malis.

In hoc loco. THEOPH. Vel quia post resurrectionem apparaturus illis erat in corpore magis repræsentante diuinitatem, ne credant ipsum spiritum fore seu phantasma, ob hoc prædixit illis, vt tunc videntes illum non diffidant, sed reminiscantur quia propter mandatorum suorum custodiam apparet eis, atque ideo tenentur semper custodire illa, B vt perpetuò eis appareat.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Catenâ Corderij.

F. FRANCISCO COMBAFIS Interprete.

Ioan. 14. v. 15. *SI diligitis me, mandata mea seruate.* APOLINARII. Alia quidem Domino debemus, quæ etiam præcipit: alia verò ipse nobis præbet, quæ promittit. Putà, nostrum est vt seruemus mandata, ijsque seruandis nostræ in eum dilectionis specimen exhibeamus: ab ipso verò, diuinæ nobis participatio indulgetur, vbi per obedientiam communionis eius capaces extiterimus. Dicitur autem rogare Patrem, prout fraternè pro nobis intercedit. Ipse enim alioqui largitor est herili potestate, ac quâ Paternas omnes voluntates facit.

V. 17. Diuini Spiritus habitibus nota præsentia. *Spiritum veritatis.* EIVSDEM. Spiritus veritatis incorporeos est, exque incorporeo præsentiam prodit, cùm in corpore animo, ipse conspicitur. Porrò rei incorporeæ, inuisibilis præsentia est. Quocirca etiam ijs, qui ea dumtaxat esse putant quæ oculis vsurpantur, illius deprehendi præsentia non potest: in nullum enim sensum cadit, eamque ob rem ignota est. Quod enim oculis non videot, vt nec cognoscunt, nec esse censent. Eius verò præsentiam sensu tangunt, qui illius esse participes possunt. Hi nempe præstantiorem sensu naturam ex participatione agnoscunt; ex alijs semet comprehendentes, vbi Spiritu pleni fuerint; ac quo aucti sunt diuino statu eius auctorem diuinam virtutem intelligunt. Velut qui sapientiam, aut artem aliquam nactus est, id quo fulget intelligit, tametsi proximis ignoretur.

Sapientia aliàsque diuini scilicet Spiritus. Cordi optimam sensus naturam.

THEOD. HERACLEOTÆ. Æquum puto etiam Phrygas interrogare, nom Apostoli Dominum dilexerint, atque eius mandata seruauerint, quemadmodum eis dixit, *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Quòd si impudenter affirmare ausi fuerint, illos neque dilexisse, neque eius mandata seruasse; vel hinc eorum impietas argui poterit, cùm nullis mortalium non perspicuè notum sit, sanctos Domini discipulos, nedum operibus, ac disciplinâ reliquâ, verùm etiam suso martyrij agone cruore, veram erga Magistrum dilectionem declarasse. Quænam enim hac dilectione maior reperiri possit, quâ morte ipsâ contemptâ, pro Domino animas promptè posuerunt? Quòd si propter rei euidentiam dicere cogantur, dilexisse eos Dominum, ac eius mandata seruasse; quomodò non sit consequens, vt fateantur, ip-

V. 21. Cataphrygarum exagitata hæresis.

sum etiam ijs factam promissionem statim imple- A uisse, rogando Patrem, ac alium eis Paracletum mittendo? Nam si illis non diligentibus solùm, sed & vltrò mortem pro ipso appetentibus, pro eo ac pollicitus erat, Paracletum non misit, vt hæreticorum è Phrygiâ impietas sentit, in sacris mentitus Euangelijs comperietur. Sin autem, veritas cùm sit, sanctum ijs Spiritum misit, temere errantes comminiscuntur, ac per Montanum & Priscillam, qui ducentis triginta circiter annis Apostolicâ sequiores gratiâ emerserunt, missum Paracletum dicunt.

Ammonii. Dicendo *alium*, personarum distinctionem significat: dicendo verò, *sicut me*, B substantiæ ostendit cognationem. Dicit autem se Patrem rogaturum, quòd ij imperfecti essent. Nam quomodò ipse rogando mittit, cùm Apostoli manuum impositione ipsum fidelibus darent? Quin nec mittitur Spiritus, sed pro potestate præsidet, cùm vbique sit: Verùm dixit hoc, vt præsentiæ tempus ostenderet. Nisi enim Christus immolatus esset, ac dissolutum peccatum, Spiritus in fideles nusquam aduenisset. Vocantur Filius ac Spiritus Paracletus, tanquam qui consolentur; ac velut qui Patrem pro nobis deprecentur. Vox enim illa ad consolationem facit, non distinctam Spiritus ac Patris substantiam ostendit. C

Paracletus à consolando & obsecrando seu interpellando.

Theodori Mopsvesteni. Vos, inquit, primùm rogare oportet, diligendo, ac mandatorum obseruatione dilectionem prodendo: sicque affectis, Spiritus gratiam præbebo, vt illum semper vobiscum habeatis, ac vos veritatem docentem; cuius munere omnium participes bonorum efficiemini. Alium autem Paracletum dicit, pro eo ac dicat, alium Magistrum: Paracletum appellans doctrinam, quæ rebus molestis ijs dedita erat: quòd videlicet futurum esset vt suâ Spiritus gratiâ, quæ ab hominibus mala ingruebant leuiora redderet, & faciliùs ferenda præstaret; vti etiam reipsâ in discipulis patuit. Nam quos sic antè mortis timor anxios habuerat, post Spiritus descensum, quiduis mali accidisset, gaudio D ferebant.

Ammonii. Dicendo, *vt maneat*, ostendit ne post obitum quidem deserere Spiritum, qui velut diuinitatis qualitas quædam in nobis concrescat, ac in Sanctis semper maneat; dum illi virtutis cultu ac munditiâ, in se munus seruare studuerint.

V.19.

Adhuc modicum. Ammonii. Quia solis discipulis post resurrectionem apparitus erat, omnibus dixit *Modicum*: sic appellans tempus vsque ad secundum aduentum. Modicum enim Deo est, tametsi nobis longum. Vos autem Sancti per inhabitantem Spiritum cognoscetis me, non qui ea quæ sæculi sunt, diligunt.

In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo. Theon. Mopsvesteni. Tunc reipsâ E comperietis vera esse quæ dixi, de quibus etiamnum dubitare videmini: quòd nimirum tum ego in Patre sim per similitudinem eum eo ac necessitudinem, tum vos in me per fidem ac dilectionem: ad hæc etiam, quòd per Spiritûs donum mei participes efficiamini, tum ego in vobis, vti par est. Nam coniunctio hoc præstat, vt regeneratis vobis Spiritus virtute, mihique quodammodò incorporatis, in me caput habeatis.

Eadem verba, altero eiusdem lemmate Cod. *in Actu Apostolorum*; sic sibi cohæret.

Ammonii. Christo ex mortuis suscitato, ac cùm Spiritum consecuti essent discipuli, cognouerunt, Filium eadam ac Pater potestate præditum, ab eo non diuelli, quòd amborum vna substantia sit; ac semper, ijs opitulaturum, cum ipsis versari. Ego, cùm naturâ vita sim, me Patri, qui & ipse vita existat, coniunxi. Sed & vos, per inhabitantem Spiritum diuinæ factos naturæ, Patri copulaui. Nam ego quidem in Patre naturâ vt eius fructus; vos autem in me, quâ ratione factus sum homo; & ego in vobis, per inhabitationem Spiritus.

SANCTI IOANNIS CHRYSOstomi, *Episcopi Constantinop. præcedentis Euang. explicatio.*

SI diligitis me, mandata mea seruate. Semper nobis agendum est, semper operibus inuigilandum, non verborum ostentationi. Dicere enim & promittere, omninò facile est: operari autem, non itidem. Quorsum hæc à me dicta sunt? Quoniam nunc multi sunt qui se Deum timere, & diligere profitentur, re autem contrà omninò faciunt. Deus autem per opera diligi quærit, ideo ad discipulos dicebat: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Cùm enim dixisset: *Quodcunque petieritis, ego faciam:* ne simplicem petitionem valere arbitrarentur, addidit: *Si diligitis me*, tunc, inquit, *faciam*. Et cùm credibile esset, eos etiam audiendo quòd iret ad Patrem, perturbandos fore, inquit, Quòd nunc perturbemini, non est amoris indicium, sed quòd verbis meis fidem adhibeatis. Dedi vobis mandatum, vt diligeretis inuicem, & ita alter alteri faceretis, sicut ego feci vobis. Hæc est dilectio ista credere, & parère dilecto.

Est hom. 74 in Ioan. 14. v. 15.

Dei amor operibus exhibendus.

Supra v. 13.

Ioan. 13 v. 34. & 15.

Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Iterum ad audientium imbecillitatem condescendit. Cùm enim par esset nondum ipsum intelligentes, vehementer illam inquirere consuetudinem ac familiaritatem, Verbi carnalem præsentiam, & nullam absente eo capere consolationem, quid ait? *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis:* hoc est, alium qualis ego sum. Pudeat Sabellianos, & qui de Spiritu non rectè sentiunt: etenim hoc mirum est, quòd diuersas è regione hæreses vno ictu deiecit. Dicendo enim, *Alium*, personæ differentiam: dicendo, *Paracletum*, substantiæ cognationem demonstrat. Sed cur inquit, *Rogabo Patrem?* Quoniam si dixisset mittam, non ita fidem adhibuissent: nunc autem id ei curæ est, vt credant: postmodum verò ipse se eum mittere ait: *Accipite Spiritum sanctum*: Hîc autem rogaturum se Patrem ait, vt credibilem suam faciat orationem. Nam & Ioannes de eo inquit, *Quòd de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quod autem habet, quomodò ab alio accepit? Et iterum: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Quid autem ampliùs haberet quàm Apostoli, si ad mittendum Spiritum esset Patrem rogaturus, quod illos nonnunquam etiam sine precibus fecisse apparet? Quomodò autem si precum gratiâ à Patre mittitur, ipse à seipso infunditur? Quomodò ab alio mittitur, qui vbique adest, & diuidit propria vnicuique sicut vult? & suâ ipsius auctoritate dicit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam?* Atqui ministrantes Deo ministrabant; attamen imperiosè in proprium eos opus vocauit, non quòd ad aliud opus aduocaret, sed vt suam ostenderet potestatem,

V.16.

Spiritus sanctus & alius personâ, & consubstantialis.

Ioan. 20. v. 22.

Ioan 1. v. 16.

Matth. 3. v. 11.

Spiritus sancti auctoritas

1. Cor. 12. v. 11.

Act. 13. v. 2.

Quid ergo sibi vult, *Rogabo Patrem?* Aduentus eius tempus significat. Quando enim eos per sacrificium mundauit, tunc aduenit Spiritus sanctus. Et quid tandem cùm esset cum ipsis non venit? quia nondum oblatum erat sacrificium; cùm autem iam peccatum deletum esset, & ipsi ad pericula mitterentur, & certaminibus se accingerent, hortatorem mitti oportuit. Sed cur non statim post resurrectionem Spiritus venit? Vt expectationis desiderio maiori gratiâ eum acciperent. Quousque enim cum ipsis Christus versatus est, non affligebantur: eo autem abeunte, tanquam deserti formidantes, maiorem in modum eum accipere auebant. *Vt vobiscum maneat:* hoc signat, quòd neque post mortem abscedit. Et ne audiendo Paracletum, aliam opinarentur incarnationem, & oculis eum cernere expectarent, inquit: *Quem mundus non potest capere, quia non videt eum.* Non enim ita vobiscum erit, vt ego, sed in vestris animis habitabit: inquit enim, *Et in vobis erit.* Spiritum autem veritatis appellat, per hoc veteris testamenti figuras significans. *Vt vobiscum sit.* Quid est, *vt vobiscum sit?* quod & ipse inquit, *Quia ego vobiscum sum.* Præterea & aliud quiddam signat, non passurum quæ ipse, neque discessurum.

Missus Spiritus post passionem, & cùm adeunda essét certamina. Non statim venit post resurrectionem; vt maiori desiderio susciperetur.

V. 17.

Spiritus veritatis.

Matth. 28. v. 20.

Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum. Quid enim, dic mihi, estne aliàs visibilis? Minimè: sed hîc cognitionem dicit: addidit ergo; *Neque cognoscit eum.* Solet enim certam cognitionem visionem appellare. Cùm enim sensuum limpidissimus sit visus, per hunc semper certam ac accuratam cognitionem significat. Mundum autem hoc in loco malos appellat: hacque ratione discipulos consolatur, dando eis donum illud præcipuum. Vide quàntopere verbis ipsum extollat. Dixit alium esse qualis est ipse, dixit non dimissurum eos, dixit ad eos, tantùm venturum, quemadmodum & ipse: dixit apud eos mansurum: neque tamen mœrorem ipsorum abstulit. Ipsum enim adhuc, ac eius consuetudinem quærebant: quod respiciens, inquit.

Certa omnis cognitio, visio.

Neque ego relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Nolite timere, inquit. Non propterea dixi alium Paracletum me missurum, & apud vos mansurum, tanquam in finem ad vos non rediturus, & vos non visurus. Nam ipse veniam ad vos. *Non relinquam vos orphanos.* Cùm superiùs filiolos appellasset, ideo orphanos non relicturum se pollicetur. A principio quidem dixerat venturos quò iret, & in domo Patris mansiones multas esse: hîc autem cùm illud diu pòst esset futurum, dat Spiritum: sed cùm quid diceret non intelligerent, neque ideo multum consolarentur, non relicturum se eos orphanos dicit: quod illi magis quærebant. Sed cùm id verbum, *Veniam ad vos,* præsentiam significaret, ne iterum eandem ac superiùs præsentiam requirerent, vide quomodò non id quidem manifestè dixit, sed tamen subobscuriùs significauit. Cùm enim dixerit, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt:* subsequitur, *Vos autem videbitis me:* quasi dicat, Veniam quidem ad vos, non tamen vt priùs quotidie vobiscum versans. Et ne dicerent, Quomodò ergo Iudæis dixisti, *Iam non videbitis me?* hanc soluit obiectionem, quòd cum ipsis tantùm futurus sit. Nam & Spiritus talis est. *Quia ego viuo, & vos viuetis.*

V. 18.

Ioan. 13. v. 33. Supra v. 3. & 2.

Non relicti Apostoli, orphani.

V. 19.

A Crux vos à me vsque ad finem non diuidet, sed ad breue duntaxat momentum me abscondet. Vitam autem mihi dicere videtur, non præsentem solùm, sed & futuram.

In illâ die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. In Patre enim substantiâ, in ipsis concordiâ & auxilio est. Et quamnam hoc rationem habet, dic quæso, inquit? Ecquamnam verò contrarium habet rationem? Magna sanè & incomparabilis differentia Christi & discipulorum. Quòd si ita verba iacent, noli admirari: solet enim Scriptura iisdem nonnunquam verbis & in Deo & hominibus non eodem modo vti. Nam & dij dicimur, & filij Dei. Quod verbum non eandem in nobis, quam in Deo vim habet. Et imago Filius & gloria dicitur, atque etiam nos, sed longè aliter. Et iterum: *Vos autem Christi, Christus autem Dei:* non similiter autem Dei Christus, & nos Dei. Quid autem hoc signat? Cùm resurrexero, inquit, tum me non alienum à Patre, sed eiusdem potestatis esse cognoscetis, & me semper vobiscum esse, rebus ipsis meum in vos auxilium clamantibus, inimicis repressis, vobis audenter loquentibus, molestijs propulsatis, prædicatione in dies florente, omnibus piæ doctrinæ & veræ religioni patentibus, *Sicut misit me Pater, & ego misi vos.* Vides quòd hoc in loco idem verbum non eandem vim habet? nam si hoc ita acciperemus, nihil inter Apostolos & Christum interesset. Sed cur ait, *tunc cognoscetis?* quia tunc eum resurrexisse, & secum versari viderunt: tunc certò crediderunt. Magna enim erat Spiritus vis, omnia eos docens.

V. 20.

Eorundem in Deo & nobis nominum, nō eadem ratio.

Psal. 81. v. 6.

1. Cor. 11. v. 7.

1. Cor. 3. v. 23.

Ioan. 20. v. 21.

B

C

Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me. Non enim habere satis est, nisi diligenter seruentur. Sed quare idem sæpe repetit? Nam superiùs: *Si diligitis,* inquit, *me, mandata mea seruate:* & nunc: *Qui habet mandata mea, & seruat ea:* &, *Si quis sermonem meum audiet, & seruabit eum, ille est qui diligit me: qui non audit sermones meos, non diligit me.* Puto ex hoc eorum mœrorum significari. Nam cùm multa de morte disputasset, inquiens: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et, *Nisi quis acceperit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus:* & alia plura dicturus esset, exprobrans eis inquit, Putatis ex amore tristes esse? contrà res se habet: non tristari equidem potiùs amoris est indicium. Quòd autem hoc semper intendat, id insequentibus reperit. *Si diligeretis me,* inquit, *gauderetis vtique, quia ad Patrem vado.* Nunc autem metu perturbamini. Quòd enim ita mortis formidine afficiamini, non est mandatum meum: oporteret enim vos crucifigi, si verè me diligeretis: ego enim vos admoneo ne timeatis eos, qui corpus interficiunt. Tales Pater diligit, talibus meipsum manifestabo.

V. 21.

V. 15. 21. & 23.

Ioan. 1. v. 25. Matth. 10. v. 38.

V. 28.

Matth. 10. v. 28.

D

E

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in superius Euang. expositio.

SI *diligitis me, mandata mea seruate, &c.* Audiuimus fratres, cùm Euangelium legeretur, Dominum dicentem: *Si diligitis me, &c.* Multa sunt quæ in istis paucis verbis Domini requiruntur. Sed multum est ad nos, vel omnia quæ hîc quærenda sunt quærere, vel omnia quæ

Tract. 74. in Ioan. 14. v. 15.

hîc quærimus iouenire. Veruntamen quantum nobis Dominus donare dignabitur, pro nostra & vestrâ capacitate, quid dicese debeamus, & qoid audire debearis, attendentes, per nos charissimi quod possumus sumite, & ab illo quod non possumus postulate. Spititum Paracletum Christus promisit Apostolis: quo autem modo ptomiserit aduertamus. *Si diligitis me*, ioquit, *mandata mea seruate, & ego regabo Patrem, & alium Paracletum dabie vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Hic est vtique io Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & Filio consubstantialem & coæternum fides catholica confitetur. Ipse est de quo dicit Apostolus, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quomndò ergo Dominus dicit, *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego regabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: cùm hoc dicat de Spiritu sancto, quem oisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec eius maodara seruare Quomodò diligimus vt eum accipiamus, quem nisi habeamus diligete non valemus? Aut quomodò mandata setuabimus, vt eum aceipiamus, quem nisi habeamus, mandata setuare non possumus? An fortè præcedit in nobis charitas, quâ diligimus Christum, vt diligendo Christum eiúsque mandata faciendo, meteamur accipere Spititum sanctom: vt charitas non Christi, quæ iam præcesserat, sed Dei Patis diffundatur io cordibus nostris per Spiritum sanctum, qoi datus est nobis? Peruersa est ista senientia. Qui enim se Filium diligere csedit, & Patrem non diligit: profectò nec Filium diligit, sed quod sibi ipse confinxit. Deinde Apostolica vox est: 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Et quis Dominum Iesum, nisi qui eum diligit, dicit, si eo modo dicit quo Apostolus intelligi voluit. Multi enim voce dicunt, cotde autem & factis negant, sicut de talibus ait, Tit. 1. v. 16. *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.* Si negatur factis, proculdubio etiam dicitur factis. Nemo itaque dicit Dominus Iesus, animo, verbo, facto, corde, ore, opere: nemo dicit Dominus Iesus, nisi io Spiritu sancto. Et nemo sic dicit, nisi qui diligit. Iam itaque Apostoli dicebant Dominus Iesus, & si eo modo dicebant vt non fictè dicerent, ore confitentes, corde & factis non negantes: protsus si veraciter hoc dicebant, proculdubio diligebant. Quomodò igitur diligebant, nisi io Spiritu sancto? Et tamen eis priùs imperatur vt diligant eum, & eius mandata conseruent, vt accipiant Spiritum sanctom: quem nisi haberent, perfectè diligere & mandata seruare oon possent.

Spiritus sanctus vt promittatur diligentibus Christum, cùm sine illo nó diligatur.

Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs, dandus erat eis ampliùs. Habebant occultè, accepturi fuerant manifestè: quia & hoc ad maius donum sancti Spiritus pertinebat, vt eis innotesceret quod habebant. De quo munere loquens Apostolus ait: 1. Cor. 2. v. 12. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est,* A *vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Nam & ipsam manifestam impertitionem Spiritus sancti non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim vt resurrexit à mortuis insufflans ait: Ioan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum sanctum.* Nunquid igitur quia tunc dedit, ideo non misit etiam posteà quem promisit? Aut non idem ipse est Spiritus sanctus, qui & tunc est insufflatus ab ipso, & posteà ab ipso missus è cœlo? Quaptopter cur ipsa quæ facta est euidentes donatio eius, bis facta fuerit, alia quæstio est: fortassis enim propter duo præcepta dilectionis, hoc est, proximi & Dei, vt commendaretur ad Spititum sanctum pertinere dilectio, hæc eius gemina est in manifestatione facta donatio. Etsi alia causa quærenda est, non B nunc eius inquisitione in longiorem quàm oportet modum sermo iste mittendus est: dum tamen constet, sine Spiritu sancto Christum nos diligere, & mandata eius seruare non posse, & id nos posse atque agere tantò minùs, quantò illum percipimus minùs: tantò autem ampliùs, quantò illum percipimus ampliùs.

Ante Pentecostem habebant Apostoli Spiritum sanctum, & habendo plus accipere meruerunt.

Bis datus Spiritus, propter duo præcepta dilectionis. 1 sent. dis. 17. ca. *Vt autem certius.*

Proinde non solùm non habenti, verumetiam habenti non incassum promittitur: non habenti quidem, vt habeatur: habenti autem, vt ampliùs habeatur: Nam nisi ab alio minùs, ab alio ampliùs haberetur, sanctus Helisæus sancto Heliæ non diceret: 4. Reg. 2. v. 9. *Spiritus qui est in te, duplex sit in me.* Al. *duplo.* C Quando autem ait Ioannes Baptista, Ioan. 3. v. 34. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, de ipso Dei Filio loquebatur, cui non est datus Spiritus ad mensuram, quia *in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* Col. 2. v. 9. Neque enim sine gratiâ Spiritus sancti est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: 1. Tim. 2. v. 5. nam & ipse dicit de se fuisse propheticum illud impletum: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Isai. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Quòd enim est Vnigenitus æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ: quòd autem io vnitatem personæ Vnigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ, confitente Euangelio atque dicente, Luc. 2. v. 52. *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientiâ, & gratia Dei* D *erat in illo.* Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur: donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. Vnde & monet Apostolus, Rom. 12. v. 3. *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, vnicuique sicut Deus partitus est mensuram fidei.* Neque enim ipse diuiditur Spiritus, sed dona per Spiritum: 1. Cor. 12. v. 4. *nam diuisiones donationum sunt, idem Spiritus.*

Datus Spiritus etiam homini Christo.

1. sent. dis. 17. ca. *Ad quod dicimus.*

Quod verò ait, *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Ostendit & seipsum esse Paracletum. Paracletus enim Latinè dicitur adE uocatus: & dictum est de Christo, 1. Ioan. 2. v. 1. *Aduocatum habemus ad Patrem Iesum Christum iustum.* Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est: Rom. 8. v. 7. *Prudentia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest*: velut si dicamus, iniustitia iustitia esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores, quæ dilectio non est à Patre. Et ideo dilectioni huius mundi, de quâ satagimus vt minuatur & consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5. v. 5. *Mundus ergo eum accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum.* V. 17. Non enim habet inuisibiles oculos mun-

Christus & ipse Paracletus: id est, aduocatus.

Quid Mundum non posse accipere Spiritum sanctum? Al. *iusta.*

dana

dana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus A potest, qui videri nisi inuisibiliter non potest. *Vos autem*, inquit, *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Erit in eis vt maneat, non manebit vt sit: priùs est enim esse alicubi, quàm manere. Sed ne putarent quod dictum est, *apud vos manebit*, ita dictum quemadmodum apud hominem hospes visibiliter manere consueuit: exposuit quid dixerit, *apud vos manebit*, cùm adiunxit & dixit, *in vobis erit.* Ergo inuisibiliter videtur. Nec si non sit in nobis, potest esse in nobis eius scientia: sic enim à nobis videtur in nobis & nostra conscientia. Nam faciem videmus alterius, nostram videre non possumus: conscientiam verò nostram videmus, alterius non videmus. Sed conscientia nunquam est nisi in nobis: Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis. Datur quippe vt sit & in nobis: sed videri & sciri quemadmodum videndus & sciendus est, non potest à nobis, si non sit in nobis.

Spiritus sanctus in suis.

EIVSDEM IN IDEM *expositio.*

Tract. 75. in Ioan. 14. v. 18.

POst promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret quòd ita eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso, vt non & ipse cum eis esset futurus, adiecit atque ait, *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Orphani, pupilli sunt: Illud enim Græcum eiusdem rei nomen est, hoc Latinum: nam & in Psalmo vbi legimus: *Pupillo tu eris adiutor*, Græcus habet *orphano*. Quamuis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptauerit filios, & eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui eius Pater est per naturam: tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodò demonstrat, cùm dicit: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Hinc est quòd etiam sponsi filios nos appellat, vbi ait: *Veniet hora vt auferatur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt filij sponsi.* Quis autem sponsus nisi Dominus Christus? Deinde sequitur, & dicit.

Psal. 9. v. 14. Christus etiam Pater noster.

Matth. 9. v. 15.

V. 19.

Adhuc modicum & mundus me iam non videt. Quid enim? Tunc eum videbat mundus, quandoquidem mundi nomine vult intelligi eos, de quibus superiùs locutus est, dicens de Spiritu sancto, *Quem mundus accipere non potest, quia non videt eum, neque cognoscit eum.* Videbat eum planè mundus carneis oculis in carne conspicuum, non autem videbat quod in carne Verbum latebat. Videbat hominem, non videbat Deum: videbat indumentum, non videbat indutum. Sed quoniam post resurrectionem etiam ipsam carnem suam, quam non solùm videndam, verumetiam contrectandam demonstrauit suis, noluit demonstrare non suis: hinc fortasse intelligendum est esse dictum: *Adhuc modicum & mundus me iam non videt. Vos autem videbitis me: quia ego viuo, & vos viuetis.* Quid est, *quia ego viuo, & vos viuetis?* Cur de præsenti se dixit viuere, illos autem de futuro esse victuros: nisi quia vitam etiam carnis vtique resurgentis, qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus securam. Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem: illorum autem quoniam sæculi differtur in finem, non ait viuitis, sed *viuetis.* Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuitérque promisit. *Quia ego*, inquit, *viuo, & vos viuetis:* quia ille viuit, ideo & nos viuemus. *Per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur:* quoniam nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per Christum. Quia nobis viximus, mortui sumus: quia viuit ipse, viuemus nos. Mortui sumus illi, quando viximus nobis: quia verò mortuus ille pro nobis, & sibi viuit & nobis. Quia enim viuit ille, & nos viuemus: nam sicut per nos mortem habere potuimus, non sic & vitam per nos habere possumus.

Supra v. 17.

Quomodo mundus nō videbat Christum.

Viuere se ait Christus, non promittit victuros.

Quia viuit ille, & nos viuemus.

1. Cor 15. v. 21.

B *In illo die*, inquit, *vos cognoscetis, quia ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* In quo die, nisi de quo ait, *& vos viuetis?* Tunc enim erit, vt possimus videre quod credimus. Nam & nunc est in nobis, & nos in illo: sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus, quamuis & nunc credendo nouerimus, sed tunc contemplando noscemus. *Quandiu enim sumus in corpore* quale nunc est, id est corruptibili, *quod aggrauat animam, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Tunc ergò per speciem, *quoniam videbimus eum sicuti est.* Nam si etiam nunc Christus in nobis non esset, non diceret Apostolus: *Si autem Christus in nobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum,* C *spiritus autem vita est propter iustitiam.* Quia verò & nos etiam nunc in illo sumus, satis ostendit vbi dicit, *Ego sum vitis, vos palmites.* In illo ergo die quando viuemus eâ vitâ, quâ mors absorbebitur, cognoscemus quia ipse in Patre, & nos in ipso, & ipse in nobis: quia tunc perficietur hoc ipsum, quod & nunc inchoatum est iam per ipsum, vt sit in nobis & nos in ipso.

V. 20.

1. Cor 5. v. 6.

Sap. 9. v. 15.

1. Ioan. 3. v. 2.

Rom. 8. v. 10.

Ioan. 15. v. 15.

Qui habet, inquit, *mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in memoriâ, & seruat in vitâ: qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & D seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando; *Ipse est*, inquit, *qui diligit me.* Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. *Et qui diligit me*, inquit, *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quid est, *diligam*, tanquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligat? Absit. Quomodò enim nos Pater sine Filio, aut Filius sine Patre diligeret? Quomodò cùm inseparabiliter operentur, separabiliter diligunt? Sed ad hoc dixit; *Diligam eum*, ad quod sequitur, *& manifestabo ei meipsum.* Diligam & manifestabo, id est, ad hoc diliE gam vt manifestem: Nunc enim ad hoc dilexit, vt credamus, & mandatum fidei teneamus: tunc ad hoc diliget vt videamus, & ipsâ visione mercedem fidei capiamus: quia & nos nunc diligimus credendo quod non videmus: tunc autem diligemus videndo quod credimus.

V. 21. Quid est habere & seruare mandata.

Opere demonstranda dilectio.

Diligit nūc Dominus ad fidem, dilecturus ad visionē.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI,
Euangelij eiusdem expositio.

F. FRANCISCO COMBAFIS Interprete.

Ioan. 14. v. 15.

S*I diligitis me, mandata mea seruate.* Cùm ijs qui precantur operæpretium iniunxerit vt in suo nomine petaot, & petentibus largiturum se quicquid velint accipere polliceatur, id imprimis cauet ne mentitus esse videatur, propter impias calumniantium voces. Liquet enim, & ex ipsis maximè sacris literis licet perspicere, nonoullos esse qui adeant, ac in eius nomine petant, nec tamen accipiant; Deo scilicet oon ignotante quid cuique cooueniat, & quid petentibus conducat. Vt igitur palam ostendat Dominus noster Iesus Christus ad quosnam verba hæc fecisset, ac quibus deberetur promissionis gratia; in quemoam illa, ac verè finem foret, statim diligentium personam intulit, ac legis exactam custodiam adiungit, osteodens noo ad alios quàm ipsos fieri benignitatis promissionem, & spiritalium booorum largitiooem. Nam contrahi sæpe manum Dei, & eorum quæ spetantur exitum bis intercludere, qui vt rectè petant minimè in animum inducunt, facilè intelliges ex his quæ Christi Discipulus scribit in hunc modum. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris consumatis.* Idcirco & de animo duplicibus ait, *Non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino: vir enim duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.* Petentibus enim supernam gratiam oon ad virtutem perficiendam, sed ad carnis libidinem, ac sæculi cupiditates fruendas tantum nooo tcludit Deus aurem, ac protsus elargitur nihil. Quæ enim abnuit, ac tanquam detestanda abijcit, quomodò nonoullis largietur? aut quomodò fons omnis dulcedinis, amarum laticem profuderit? Quòd autem spiritalium gratiarum amatoribus diuite ac promptâ manu bona largiatur, facilè perspicies, cùm per Esaiam Prophetam ad eos loquentem audies, *Adhuc loquente te, dicam, Quid est?* Et per Psalmistæ vocem, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.*

Orationum efficacitas iustis solùm promissa, & diligentibus.

Iacob. 4. v. 3 & 1. v. 7.

Isai. 65. v. 24.
Psal 33. v. 16

Vera dilectio in quo posita.

Postquam ergo statuit, ac palam & apertè dixit, diligentes se supernorum bonorum delicijs iurè donandos esse, quas nimirum à Patre, præbente ipso coosequantur, charitatis vim statim describit, & quo pacto eam rectè & inculpatè colamus commodiùm docet, ac tradit. Nec enim si qois Deum amare se dicat, omninò etiam veræ dilectionis gloriam reportabit, cùm non io nudis verbis virtutis consistat vis, nec in solis vocabulis pietatis in Deum formetur decus; sed ex bonis operibus, ac obsequenti animo maximè dignoscatur; diuinorumque obseruatio mandatorum charitatem in Deum optimè depictam reddat, viuamque prorsus ac veram virtutem repræsentet, non oudis tantùm linguæ vocibus, vti diximus, adumbratam, sed claris veloti coloribus virtutum vario ornatu èmicantem exhibeat. Et quidem Dominus noster Iesus Christus istud nobis clarè ostendens, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine,* inquit, *intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis.* Nec enim io vanis verborum osteotationibus fides, sed operum qualitatibus probatur. Vode mortuam haoc esse, nisi eam opera comitentur, diuina Scriptura tradit. Scire enim, inquit, qood vnus Deus sit, noo mentis duntaxat humanæ esse comperiemus, sed & impurorum dæmonom, qui & inuiti Creatoris virtutem perhorrescunt. Sed claritatem operum eum fide coniungere, eos solùm decet, qui Deum verè diligunt. Quocirca dilectionis probaoo, ac fidei perfectissima ratio, Ecclesiasticorum dogmatum firma professio, diuinorumque mandatorum obseruatio est. Non esset difficile alia his affinia proferre, haud tamen ea huius temporis esse arbitror. Idcirco ad ea tedeundum quæ sunt magis congrua proposito.

Matth. 7. v. 21.

Iacob. 2. v. 26.

Si diligitis me, inquit, *mandata mea seruate.* Animaduerte enim rursus, ac animo recole, eum sæpius cùm discipulos alloqueretur, ipsosque adeò Iodæos dixisse, *Verba, quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius qui misit me.* Et rursus, *A me ipso non loquor, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Et iterum, *Quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius qui misit me.* Nunc autem licet Dei ac Patris esse verba quæ nobis locotus est, sus deque professus sit, sua mandata esse ait, quæ nobis locutus est. Neque verò quisquam sanæ meotis eum falsa loqui putabit: neque enim illud vnquam in aoimum venerit, sed verè rursus loquetur, cùm & ipse veritas sit. Non eoim ceu vnus aliquis vulgi Prophetarum, velut pro ministri, seruique partibus, sermonem nobis à Patre atque doctrinam detulit, sed vt qui cum ipso tantam habet similitudinem, vt nec forsan ratione discerni videatur; sed ita loqui comparatus sit, ac si fortè loquens Pater ipse sit. Incommutabiliter enim eadem substantia adigit, vt eadem cum Genitore loqui Filium credamus. Quòd autem & Verbum, & sapientia, ac Dei & Patris voluntas sit, mandatum se accepisse ait, quid dicat, & quid loquatur. Nam & nos ipsi, nostram quisque mentem sermoni verbis enuntianti tantum oon iubere videmus, foras erumpenti, vt quæ in eâ sunt promat, ac ioterpretetur. Quanquam ieiuna quidem est exempli vis, & ratio ad Deum relata. Ab humanis tamen simulacrum ducentes ad maioribus astruendam fidem, velut in speculo, & in ænigmate mysteria diuina cognoscimus.

Ioan. 14. v. 10.

Ioan. 12. v. 49.

Domini mandata; cùm & loquatus quæ Pater iubet.

1. Cor. 13. v. 12.

Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum &c. Rursus quod humanum est quodqoe diuinum miscet, ac oec ad puram deitatis gloriam assurgit, oec intra humanitatis modos prorsus hæret, sed per vtrumque meat, mirabiliter simul, ac temperatè, quippe qoi Deus simul ac homo est. Deus enim naturâ est, quatenus ex Patre fructus, & eius splendor substantiæ est: homo autem rursus, quatenus caro factus est. Loquitur ergo vt Deus simul & homo: sic enim ritè conuenientes dispensationi cum carne sermones seruare licebat. Verumtamen propositi loci sensum ioquirentes, dicimus ounc etiam necessariò Domioum oostrum Dei ac Patris mentionem intulisse, in ædificationem fidei, ac auditorum maximam vtilitatem, qoemadmodum io sermonis progressu demoostrabimus. Quia enim petere nos iusserat io nomioe suo, & inusitatum precationis modum inter cætera præscripserat, pollicitus se prompto animo daturum, quæ velimus: ne videretur per hæc Dei ac Patris personam excludere, seu ea

V. 16.

Fructus ex Patre Dei Filius.

potestatem largiendi Sanctis adimere, vtilem se conlargitorem fore, ac Paracletum simul se daturum professus est; illam rursus vocem *Rogabo*, vt homo vsurpans; toti scilicet diuinæ ac arcanæ naturæ peculiariter vendicans, tanquam in personâ Dei ac Patris, quod eam maximè decet. Id enim ei moris esse, iam antea sæpe nobis dictum est. Alium porrò Paracletum, Dei ac Patris substantiæ Spiritum vocat, id est, suæ. Vna enim in ambobus est substantiæ ratio, quæ nec ipsum excludit, eâ duntaxat in eo distinctione vt in propriâ detur, ac intelligatur existere personâ. Nec enim Filius Spiritus est, sed reuerâ & propriè id esse quod est, ac existere, certâ admittemus fide. Spiritus quippe est Patris & Filij: sed cùm se Filius & ipse reuerâ Paracletum esse nosset, ac in sacris literis ita nuncupatum, Paracletum alium Spiritum vocat: non quasi aliud quid in Sanctis operari nouerit, quam quod & ipse, cuius & est, & dicitur Spiritus. Quòd autem etiam Filius Paracletus dictus sit, existatque, testis Ioannes erit, qui scribat. *Hæc dico vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit,* παράκλητον *habemus* (Latinè *aduocatum*) *apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Alium itaque Paracletum Spiritum vocat, in propriâ quidem volens personâ intelligi, qui tamen tantam cum eo habeat similitudinem, tamque per omnia simili ratione valeat operari, quæ & ipse operatur, vt videatur ipse esse Filius, nec aliud quicquam. Spiritus enim eius est. Vnde etiam Veritatis Spiritum illum nominauit, seipsum veritatem esse significans.

Alius Paracletus, Spiritus.

1. Ioan. 2. v. 1.

Aduersus Arianos pro Filij deitate.

Enimuerò ijs qui Filium à Dei ac Patris substantiâ alienum esse putant, dicat meritò aliquis: Quâ, quæso, ratione, veritatis Spiritum, id est, Filij, dat Pater, non tanquam extraneum aut alienum, sed vt proprium Spiritum, cùm vestrâ sententiâ eius à Filio discreta sit substantiæ ratio, sitque nemine ambigente Filij Spiritus? Rursus verò si diuersæ Filius substantiæ est, quomodò Patris Spiritum tanquam suum dat? Scriptum enim est, insufflasse discipulis: dicendo, *Accipite Spiritum sanctum.* Nunquid verò iurè putabit aliquis, imò verò firmiter credet, cùm naturalium Dei ac Patris bonorum substantialiter consors sit Filius, eo modo Spiritum habere quo & Pater intelligatur, non aduentitium, ac exteriùs ascitum (dementia est, quin & furor vt ita sentiamus) sed quomodo quisque nostrum suum in se spiritum continet, & ex intimis visceribus foras profundit? Idcirco enim Christus insufflauit corporaliter, vt ostenderet, quâ ratione ex ore humano spiritus corporaliter procedit, sic etiam ex diuinâ substantiâ qui ex ipsâ est, diuinè Spiritum manare. Cùm ergo Spiritus ipse, tum Dei ac Patris, tum Filij sit, quomodò non vna amborum penitus substantia sit, distinctè simul atque coniunctim? Pater enim Pater est, & non Filius, Filius quoque Filius est, & non Pater. Veruntamen Pater in Filio, & Filius in Patre est. Dat verò Paracletum, id est, Spiritum sanctum, non seorsim Pater, seorsimque Filius, quin à Patre per Filium Sanctis subministratur. Idcirco enim cùm Pater dare dicitur, dat Filius per quem omnia; ac cùm Filius dicitur dare, dat Pater ex quo omnia.

Ioan. 20. v. 22.

Manat Spiritus ex diuinâ Patris Filijque substantiâ.

A Paschate.

A Quòd autem etiam Spiritus diuinus sit, nec diuersæ à Patre Filioque substantiæ, nemini sanæ mentis dubium esse puto; atque vt id credamus, necessaria nos adiget ratio. Si quis enim ex Dei illum substantiâ esse eat inficias, quâ demum ratione creatura Dei particeps Spiritûs impartitione fiat? aut quomodò Dei templa nuncupabimur, erimusque, si creaturam aut alienigenam Spiritum, non autem eum qui ex Deo est, accipiamus? quomodò diuinæ naturæ consortes, iuxta Sanctorum voces, qui sunt Spiritus participes, si in creatorum numero collocatur, ac non potiùs ex diuinâ ipsâ naturâ nobis procedit, nec vt alienus ab ipsâ in nos ministratur, sed velut deitatis qualitas quædam, vt sic loquar, in nobis inolescit, ac in Sanctis B habitat, manetque semper, dummodò integriorem mentis oculum omni modestiâ ac probitate, omnisque virtutis indefesso studio purgantes, gratiam sibi seruauerint. Ipsum quippe ab ijs qui in mundo sunt (qui scilicet quæ sunt mundi sapiunt, ac lubentes terrena diligunt) capi non posse, atque videri profitetur Christus; cùm tamen Sanctis capi, ac facilè perspici possit. Quamobrem verò? Quòd nimirum illi impuritate quæ vix elui possit, inquinati, ac quadam veluti lippitudine suffuso mentis oculo, diuinæ naturæ decus non perspiciunt, at neque Spiritus legem suscipiunt, carnis scilicet libidinibus modis omnibus manC cipati: probi verò ac sobrij, quorum animus sæculi malis vacuus sit, propensâ voluntate in se Paracletum inducunt, pectorisque exceptum domo custodiunt, ac quantùm concessum hominibus est, mente conspiciunt, præclarum inde, ac magnum, beatumque operæpretium referentes. Sanctificabit enim eos, omniumque simul bonorum strenuos factores efficiet; ademptoque humanæ seruitutis probro, adoptionis dignitate conuestiet. Cuius rei testis nobis Paulus, dicens, *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.*

Spiritũ sanctum Deũ esse.

Spiritus velut deitatis qualitas.

v. 17.

τῶ ἀνθρώπου κόσμου. Malè nouo interpr. *sua natura:* cùm de Spiritu sermo sit.

Gal. 4. v. 6.

Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. v. 18.

Necessariò nunc quoque Dominus noster IeD sus Christus de sanctâ & consubstantiali Trinitate sermonem contexit. Iam enim quidem priùs, sermonibus rebusque ad certiorem fidem adductis, his qui se diligunt, tum se Deum naturâ existere ostenderat, tum ex Deo Patre genitum esset, parique potentiâ, ac iuris arbitrio ac ille pollere. Idcirco enim etiam aiebat, modò quidem, *Quia ego quod loquor, à meipso non loquor:* modò verò rursus, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Sin autem facio, etsi mihi non creditis, operibus meis credite.* Sed necesse erat præterea, nec id leuiter, vt & de ipso Spiritu sancto, quid rectè ac inE culpatè sentiendum esset, acciperent. Sic enim auditorum mentes ad rectam fidei amussim vsquequaque dirigi poterant. Quid ergo nos Christus hocce contextu doceat, paucis exponam.

v. 10.

Ioan. 10. v. 37.

Alium nobis à Deo & Patre missum iri dicens, certâ rursus consilij ratione fidei doctrinam format. Par enim erat fore quosdam qui non rectè quod dictum esset intelligentes, dicere ipsum existimarent, non esse Spiritum ex Dei substantiâ, vti sanè nonnullis insipientibus visum

est, sed quid naturâ diuersum ipsum existere. A Nam quòd *alium* dixit, in causâ fortè fuerit, cur id sentiant imperiti. Vt ergo liquidò monstraret alium à se dici, non aliâ ratione quàm quòd & ipse propriè subsistit. (Spiritus enim Spiritus est, & non Filius; vti etiam Filius Filius est, & non Pater) vbi Paracletum missum iri dixisset, ipse se venturum pollicetur, non aliud quid Spiritum esse significans, quàm quod ipse est, quandoquidem proprius ex Patre Spiritus est, eiusque esse intelligitur; eamque ob rem Mens eius, seu Sensus nuncupatus est. Vnde & Paulus idipsum significans, ait, *Nos autem Sensum Christi habemus.* Rectè itaque & B inculpatè sentientes, idque cauentes ne quóquam ab eius quod deceat lineâ exerremus, ac diuinæ Scripturæ doctrinam sequentes, dicimus, non esse diuersum quid ab ipso, quod scilicet ad eandem attinet naturam, distinctè tamen, ac in personâ propriâ existere. Hoc enim, puto, diuinus quoque Paulus intelligens haud rarò commiscet, ambosque ceu idem quid existentes inducit, Paracletum, Filiumque. Inuenies quippe sic loquentem, *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et statim rursus, *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus verò viuit propter iustitiam.* Audis quo pa- C cto Christum habere apertè profiteatur eos, qui Spiritum eius susceperint? Quin & alibi quoque ait, *Puto enim quod & ego Spiritum Dei habeam.* Isque nihilominus id ad nos locutus, *An experimentum*, inquit, *quæritis eius, qui loquitur in me, Christus?* Sed & in fidelibus habitare Christum per fidem sæpius precatur, licet Spiritum sanctum accipiant. Neque verò quisquam dicere nos existimet, eum stata vtraque nomina aut personas euertere, vel Filium non esse Filium, sed Spiritum contendere; siue Spiritum, Spiritum non agnoscere, sed Filium esse dicere. Non enim is illi animus erat, neque porrò nos ita credimus. Nouit enim sanctæ ac consubstantialis Trinitatis enumerationem, ac D singula nomina in suâ quodque personâ docet existere; tametsi eam in eadem incommutabiliter substantiâ apertè prædicat sitam esse. Alioqui quomodò Spiritus Deus est & nominatur? *Nescitis* enim, inquit, *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Quòd si eâ ratione quòd Spiritus in nobis habitat, Dei templa facti sumus, quomodò non ex Deo Spiritus, ex eius nimirum substantiâ, quo ipso præstante Deus in nobis inhabitet? Quocirca non alienum à suâ naturâ Vnigenitus ostendens Spiritum, cùm à Patre missum iri Sanctis Paracletum dixisset, venturum se ipse pollicetur, ac Patris loco ijs futurum, ne velut pupilli quidam tutoris præsidio destituti, idcirco iam diaboli laqueis, ac E mundi scandalis, etsi ijs multis, ac velut necessitate quadam ingruentibus, præ eorum à quibus inferuntur effreni furore, faciles pateant. Arma itaque, infractumque munimentum, nostris Pater animis dedit Christi Spiritum, eius in nobis gratiam implentem & præsentiam, atque virtutem. Nusquam enim fiat, vt hominis animus boni quicquam peragat, seu libidines suas superet, aut subtiles diaboli laqueos euitet, quin Spiritus sancti gratiâ munitus, in se illum, ac proinde Christum habeat. Vnde & diuinus

ἕτερόν τι *diuersum aliquid* Malè nouo interpr. *alium* quæ esset Sabellij hæresis.

1. Cor. 2. v. 16.

ὡς ταὐτὸν ὄν Malè idem, idemque lapsus. *Velut eundem.*

Rom. 8. v. 9. 10.

1. Cor. 7. v. 40.

2. Cor. 13. v. 3.

Malè *accipiat*: vt & Græca, λαβόντων de fidelibus sermo, qui Spiritum accipiunt, etsi ad eos Filius veniat.

1. Cor. 3. v. 16

Christi gratiæ commendatio.

A Psaltes gratulatoria nobis eo nomine pro suâ sapientiâ condens carmina, ad Deum clamabat, *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*: scutum bonæ voluntatis aliud nihil dicens, quàm Spiritum sanctum nos prætegentem, propensoque robore bonæ voluntatis in eo confirmantem, quod Deo placiturum est. Igitur affuturum se, ac opem laturum in se credentibus Spiritus operâ nihilominus pollicetur, quamuis in cœlos ascenderit suscitatus à mortuis, *vt*, iuxta Pauli vocem, *appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

B *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: &c.* Cùm iam in foribus esset passio, vnàque secum tempus assumptionis adduceret fore se mundo inaspectum ait; hoc est, ijs qui temporalium bonorum libidinem diuinis anteponunt, ac terrena cœlestibus pluris faciunt. Et nos quidem germanum superioribus, ijsque cohærentes texentes sensum, haud temere dicemus, Deum ac Patrem, Paracletum (nempe Spiritum sanctum) per Filium nimirum, dedisse. Omnia quippe per ipsum à Patre. Venit tamen non in omnes bonos ac malos promiscuè, sed in quos eum venire par erat. Quantùm quidem ad dantis locupletissimam & abundantissimam gratiam attinet, nullus mortalium eius C remansit expers. Ait enim in Prophetis, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Vnusquisque tamen sibi ipse auctor est, vt diuinum illud munus consequatur, vel vt prorsus non accipiat. Quicunque enim per omne probitatis genus animum minimè purgatum reddunt, sed quàm lubentes sæculi malis volutantur, diuinâ vacui gratiâ remanebunt; ij in se Christum non videbunt, quis Spiritu in eorum animis hospitante, destituti sint. Idcirco etiam qui pupillorum præsidi ac defensori pupillorum loco habeantur, cuiusuis (vt ita dicam) quod sit inferendo iniuriam, labe diripiuntur, libidinis, dæmonis, seu cuiuuis alterius mundanæ cupiditatis, ac rei omnis quæ ad peccatum trahit quodam- D modò ac cogit. Verùm Sanctis, ac qui suscipiendo idonei sint, ac comparati meritò aiebat, ceu horum nihil perpessuris, *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Igitur inaspectum admodùmque inuisibilem ijs se fore ait, qui ea quæ mundi sunt sapiunt, postquam hinc migrauerit; postquam nimirum in cœlos redierit: sed Sanctis conspicuum, ac visibilem inuentum iri; nempe Spiritu sancto diuinum quendam ac spiritalem ipsorum mentis oculis fulgorem immittente, bonamque omnem notitiam inferente. Vel enim hoc eum sensu isthæc dicere arbitrabimur, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me*: aut certè ad aliam quandam obscurationem conuersi, maximè E quòd istud præcedentibus adiungitur, *Quia ego viuo, & vos viuetis*, istiusmodi quidpiam reputabimus. Nempe post resurrectionem ex mortuis, reuocatâ in statum pristinum naturâ nostrâ, ac homine à corruptione liberato, vt in primitijs, ac primo templo suo ad Patrem qui in cœlis est, ipsum ascendisse: exacto autem modico temporis interuallo, vti credimus, rursus descensurum, ac ad nos denuo in Patris sui maiestate stipantibus Angelis sanctis reuersurum esse; tremendissimumque cunctis, malis pariter ac bonis tribunal positurum esse (quippe

Psal. 5. v. 9.

Malè ἀθετοῦσι palam ἐνδεχεται scriptum Cyrillo allusione ad Psaltis vocem, ἐνδοκίας.

Hebr. 9. v. 24.

V. 19.

Ioel. 2. v. 28.

τοῦ ὀρφανοῦ· quid si ὀρφανοῦ ex Psal 67. vox malè omissa Interpreti: Christum significat, sic malos deserentem.

Christus vt videndus per Spiritũ bonis.

Matth. 16. v. 27.

omnem creaturam iudicio sistendam) ac pro vitæ merito quæ sint debita, retribuentem, his, qui à sinistris erunt, qui scilicet sapuerunt quæ in mundo sunt, dictutum, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius* : ijs autem qui à dextris erunt, id est, Sanctis & bonis, *Venite benedicti Patris mei; possidete, paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Futuri enim cum Christo sunt, ac congregandi, bonisque cœlestibus summo gaudio fruituri, conformes facti resurrectionis eius, veterisque corruptionis exempti laqueis; longâ, omnemque animi cogitatum superante vitâ circundati; ac cum Domino semper viuente immortali æno potientur. Quòd enim cum Christo indesinenter versaturi sint, qui religiosam, ac præstantem coluerint vitæ disciplinam, contemplantes nimirum diuinam eius ac arcanam pulchritudinem, declarabit Paulus, dicens, *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Et rursus ad eos qui mundi cupiditates mortificare studuerint, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ.*

Matth.25. v.41.& 34.

1. Thes. 4. v.15.

Col.3.v.3.

Quocirca, vt vim ac sensum loci huius summâ resumam: Qui mundi mala depereunt, in infernum abibunt, ac procul à Christi cõspectu amandabuntur: erunt autem cum ipso, ac cum eo in sempiternum viuent, virtutis cultores, ac qui inuiolabilem atque integrum Spiritus arrhabonem seruauerunt; pariter versantes, ac diuinam eius pulchritudinem citra omne impedimentum videntes. *Erit enim tibi*, inquit, *Dominus lux æterna, & Deus gloria tua.* Quod quidem vele significare Dominus videtur, cùm dicentem eum audimus, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis.* Nec verò quicquam mentitur, cùm exiguum ac breue tempus intercedere ait, vsque dum reueletur. Quod enim nobis longum tempus est; Deo, qui semper est, tanquam nihil fit, habetur. Ac testis erit psaltes Dauid, dicens, *Mille anni in oculis tuis Domine, sicut dies hesterna quæ præterijt, & custodia in nocte.*

Isai.60.v.19.

Tempus omne Deo pro nihilo.

Psal.89.v.4

In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, &c. Difficilis est loci huius intellectus, & acrem requirens indaginem, ac in quo enodando mens multum laboret, fore tamẽ vt nos Christus rursus dirigat ad veritatem, credimus. Quidam sanè, ijque inter impios hæreticos prima quondam vifi ferentes; cùm, sceleſtiſſimi hominum, ex Dei ac Patris substantiâ Filium confiteri nollent, eaque ratione in eo existere, vnionem quandam quæ affectu est, non quæ naturalis, excogitauerunt. Adeoque scripserunt, eructantes quæ ex suo animo essent, non quæ ex Spiritu sancto, propterea quia Filius à Patre diligatur, vicissimque ipse diligat Patrem, secundum hunc modum ipsum in eo esse. Ad quod demonstrandum, inuictum veluti quoddam argumentum stulti proponunt, id quod huic dicto de nobis & ipso subinngitur, veluque arundineam quandam virgam quibus sic blasphemant, supponunt; nempè, quòd sicuti nos in eo esse dicimur, ipsumque in nobis habemus; neque tamen substantiæ ratione vnimur: sed vnionis modus in eo positus est, vt diligamus, ac vicissim diligamur: ita, inquiunt, etiam Filius non vtique in Dei ac Patris substantiâ est, sed discretus omninò ratione naturæ; cùmque diuerso planè modo se habeat, solâ, inquiunt, dilectionis lege in Patre esse concipitur. Id enim illorum finis est, hic scopus, vti modò dicebam, vt Vnigenitum factutam ac creaturam, creaturis quidem alijs eminentiâ dignitatis præstantem, at extraneum tamen à Dei ac Patris substantiâ, statuant. Cùm autem prolixè eo iam argumento disputauerimus, ac quanta facultas fuit ostenderimus esse Filium naturâ in Patre, ac substantialem cum eo habere vnionem, eâ de re in præsens hactenus contendere omittemus: haud tamen omninò quasi vadimonio relicto aduersarios inuehi in doctrinâ finemus, sed instructâ ex aduerso acie, paucis, quoad licuerit, detestabile eorum improbitatis artificiũ, malignitatis & imperitię plenum ostendemus. Atque in hunc modum dicemus.

V.20.

Aduersus Arianos pro Filij deitate.

Si tantummodò eâ ratione quòd diligitur ac diligit, Filius in Patre est; eademque ipsa nos in ipso, & ipse in nobis; nec aliud vllum reperitur vinculum quod vel Patri Filium nectat, vel nos ipsi, vel ipsum nobis: quomodò, quæso, quáue ratione fore dicit, vt in illo die mysterium eius cognoscamus? Nondum enim, vt videtur, cognouimus quidem diligere Patrem Filium, huncque adeò diligere Patrem. Sed ne nos quidem fortè ipsius cognoscimus; sed nos vana ratio deludit, qui putamus Filium nos dilexisse, ac proinde Patri acquisiuisse, nosque eum dilexisse. Dicendo enim, *In illo die cognoscetis*, cognitionis tempus nondum aduenisse ostendit.

Ratio ab absurdo, si communi illa ratione Filius in Patre, quòd diligat ac diligatur.

Ad hæc, Quid frustra nobis Dominus insonat, dicens, *Pater diligit Filium.* Nam quòd & ipse Patrem diligat, quis non dixerit? Quomodò verò etiam, quæso, suæ in nos dilectionis manifestũ indicium offerebat, quòd pro nobis pati voluisset? *Maiorem* enim, inquit, *hac dilectionem nemo habet vt animã suam ponat quis pro amicis.* Cur autẽ nostram in ipsum manifestè dilectionem, atque vt eâ ratione volũtatem ipsius impleremus petebat? *Qui enim diligit me*, inquit, *mandata mea seruabit.* Quando enim diuinũ mandatum seruabimus, qui in præsens neglexerimus? Cùm ergo necesse sit credere Filium diligere Patrem, nosque ab ipso, & ipsum à nobis diligi, quomodò non cogitandum sequitur aliud quiddam significare voluisse Filium, & vnionis modum non dilectionis lege definite, sed aliâ quadam ratione clarè intulisse, cùm ait, *In illo die cognoscetis, quia ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis?*

Ioan.3.v.35 & 5.v.20.

Ioan.15.v.13

Sed forsan ad hoc dicet aduersarius, Christum ante passionem quidem hæc ad nos locutum esse, nempe quòd ipse Patrem, diligat, & vicissim diligatur à Patre; adeoque nos ipse diligat, & nos ipsum: Sed post passionem, & resurrectionem à mortuis, postquam agnouimus eum mortis abrupisse vincula, cognouimus esse eum in Patre, quippe qui diligatur, eiusque ipsius dilectionis munere à mortuis excitatus sit. Idcirco etiam eum in nobis esse, & nos in ipso, secundum eandem dilectionis rationem. Nos porrò respondemus, Maximè anilis, friuola, ac putida prorsus vestra obiectio est. Veruntamen considerate rursus, ô boni, non fuisse nobis opus vt post resurrectionem disceremus, quod ante resurrectionem verè cognouimus. Si enim imperfectè credebamus diligi Filium à Patre, huncque vicissim Pa-

Instantia, & confutatio.

trem diligere, expectanda vtique erat resurrectio, vt perfectam inde cognitionem nanciscerentur. Quòd si verax erat Pater, cùm & ante resurrectionem diceret, *Hic est Filius meus charissimus*; sed & ipse Saluator verax est, cùm ait, *Pater diligit Filium*; dilectioois autem rationem perfectissimam planè censeri decet, cur nos friuolis sermonibus obtundiris? aut cur veritatis pulchritudine reiectâ, infame nobis mendacium fingiris, de substantiâ Patris eum qui ex ipso, & per ipsum est, excogitatis putidis rationibus, & absurdorum argumentorum strophis, Filium detrudentes? Quòd enim dilexerit nos Vnigenitus, nosque eum dilexerimus, cuiuis proclinè perspicere liceat, qui ipsam veritatis naturam velit contueri. Nam *cum in formâ Dei* ac Patris *esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* At quænam, obsecro, horum causa fuit? Nonne dilectionis erga nos ratio? At cuinam dubium istud esse possit? Quòd autem nos etiam pro Christo ipsam vltrò animam persecutoribus tradimus, ac exponimus, ne Dominum nostrum abnegemus, num eius dilectioois certum indicium, atque argumentum damus? Atqui vel istod verum esse fateberis, vel sanctos Martyres damnabis, quasi frustra pro Christo passi sint, tantúmque periculum gratis, ac mercede vacui obierint. Cùm igitur perspicuè admodùm demonstratum sit, Patrem perfectâ dilectione Filium prosequi, parique & ipsum ratione Patrem ipsum diligere, nosque ipsum, ac ipsum nos adamare, quid rationis demum est, vt ad alia tempora mysterij huius cognitionem putemus deuolare, cùm Dominus ait, *In illo die cognoscetis quia ego in Patre; & vos in me, & ego in vobis?* Enimuerò facessant illorum nugæ: nos autem diuini Spiritus illustratione confisi, dicere non verebimur, quæ ad huius quæstionis explicationem rectè se habere videbuntur.

Matth. 3. & 17.
Ioan. 3. v. 35 & 5. v. 20.
Phil. 2. v. 6
Christi in nos dilectio, nostra que in ipsum claris argumentis prodita.

Cùm ergo præmisisset, Ego viuo, & vos viuetis; statim his subiungit, *In illo die cognoscetis quia ego in Patre; & vos in me, & ego in vobis.* At cuinam eorum qui sunt, vtque sentiant rectè comparati sunt, non valde etiam perspicuum sit, huiusce cognitionis tempus definiri, quo nos ipsi ad eum reformati, mortis ditis absoluti, ad vitam æternum sumus ascensuri? Et quidem mihi tale quid videtur Paulus significare, cùm diuinum nobis pandens mysterium, ad quosdam scribit. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Quando ergo Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. Reformabit* enim *corpus humilitatis nostræ* (istud planè, & non aliud) *vt fiat conforme corpori claritatis suæ;* transmutabitque arcanâ virtute in pristinum naturam humanam, cuncta facilè transferens, in quod libuerit. *Deus* enim *verus est, qui facit omnia, & transmutat*, vti scriptum est. *Ille* igitur *die*, seu tempore, quo *& vos ipsi viuetis.* (viuo enim ego, etsi factus sum homo vobis similis, ac corpus naturâ suâ corruptioni obnoxium indui) clarè, inquit, *cognoscetis, quia ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Porrò statuemus hæc ad nos Dominum dixisse, non vt esse eum in Patre existimemus dilectionis ratione, vti sibi aduersarij sentiendum putarunt, sed altissimi sacramenti potentiâ, quod & con-

Col. 3. v. 3.
Phil. 3. v. 21.
Amos 5. v. 8.

cipere animo arduum, nec facilè verbis explicatur. Quoad tamen licebit conabor explicare. Quamuis ergo cuiusuis mortalium mentem longè imparem existimem, quàm vt ad amussim ac exactè satis possit explicare: feruore tamen charitatis, vt vel mediocriter videre liceat ac eloqui, enarrantes, Vnigeniti quòd homo factus est nunc scopum, ac finem videamus.

Age causam scrutemur, ob quam *in formâ Dei* ac Patris *cùm esset*, vt pote Deus, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, ac confusione contemptâ sustinuit crucem* Sic enim vix tandem, quoad licet, propositi textus altitudo conspicua erit; sciemusque quemadmodum Filius in Patre sit, naturâ scilicet, non eâ quam commenti sunt aduersarij affectione, in eo positâ vt diligatur atque diligat. Similiter & nos eodem modo in ipso, & ipse in nobis. Quocirca vnam ceu veram vniuersalissimamque causam cur Vnigenitus homo factus sit, nobis sapientissimus Paulus exponens, aiebat, *Placuit enim Deo* ac Patri *instaurare omnia in Christo*; eò scilicet, quòd vox ipsa, resque eâ significata, sit iterum reficere, ac in pristinum statum, quæ in diuersum planè exitum ceciderant, reuocare. Præterea instaurationis modos sigillatim nobis volens explicare, modò quidem aiebat, *Nam quod impossibile erat legi, quâ parte infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Modò verò rursus, *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini; & ipse similiter participauit eisdem; vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Et quidem duos hos nobis instaurationis modos, Incarnationis Vnigeniti rationem necessariò continentes Paulus exposuit. sed sapientissimus Euangelista Ioannes, modum præterea qui alios complectitur, addidit. Sic enim scribit de Christo. *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Liquet ergo, ac cunctis, puto, manifestum est, eas maximè ob causas cùm Deus esset & ex Deo per naturam, hominem factum esse, vt scilicet damnaret peccatum in carne, suâque morte mortem extingueret, ac nos terrenos ad dignitatem naturâ superiorem in Spiritu regeneratos, filios Dei efficeret. Hoc enim vtique modo licebat instaurare, & in pristinum statum reuocare lapsum genus humanum. Rursus vnamquamque dictarum causarum sermone exponentes, de ijs consentanea dicamus.

Phil. 2. v. 6.
Hebr. 12. v. 2.
Eph. 1. v. 10.
Instauratio, ac ceu recapitulatio omnium in Christo.
ἀνακεφαλαιώσαι.
Rom. 8. v. 3.
Hebr. 2. v. 14.
Ioan. 1. v. 11.
Causæ cur Deus homo factus sit.

Quærendum enim quo pacto intelligendum sit, quòd damnauit peccatum in carne Deus ac Pater, eâ ratione, quâ Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Nempe Deus naturâ cùm esset, & ex ipsius substantiâ effulsisset, ac proprietate naturaliter immutabili polleret, proindéque in peccatum labi penitus, seu in vitium deflectere, nesciret, fecit vt sponte in carnem obnoxiam peccato descenderet, eandem suam carnem faciens, ad suam eam ac

Damnatum peccatum in carne.
Edit. εἰς τὴν ἰδίαν τῇ σαρκί

ἀφθαρσίαν. redditum Nouo Interpr. peccatum in carnis subiectum: quod suadeat nunquam. Vetus Interp. suo more defugit, breuiansque non satis auctorem reddit.

natioam proptietatem (non peccandi scilicet) transfarret. A Haud enimuerò existimabimus, si rectè censeamus, idcirco dnntaxat Vnigenitum factum hominem esse, vt suo id templo præstaret (quì enim eius ad nos aduentûs magnificentia & vtilitas patesceret, si suo tantummodò corpori salutem attulisset?) sed eredemus potiùs idcirco Vnigenitum factum hominem nobis similem, vt per se ipse, ac in se primùm velut in natnræ humanæ primitijs, bona vendicaret. Quemadmodum enim non mortem solùm, sed & vniuersos carnis affectus ac eupiditates, in primo vtique homine ob præuaricationem, ac diuinam maledictionem sequuti sumus; eodem opinor modo, omnes Christum sequemur, multis saluantem modis, ac qui carnis naturam in seipso sanctificet. B Idcirco etiam aiebat Paulus, *Et sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Tetreoi enim imago (hoc est, Adami) in vitijs est ac corruptione versati, imago autem cœlestis, (id est, Christi) à vitijs immunem esse, ac incorruptione fulsiri. Damnauit igitur peccatum in carne suâ, Verbum Deus naturâ, iubens eam cessare, & vt potiùs ex Dei voluntate, non ex propriâ iam moueatur, componens; inque eum modum quod asset animale, fecit corpus spiritale. Vnus igitur instaurationis hic modus est.

1 Cor. 15. v. 49.

Nouo Interpr malè, *illud*, referens ad peccatum, quod adeò dicendum moueri πρὸς τὸ ἀρχὴν τῷ Θεῷ quod nimis absurdum.

Subit verò alter maximè ille conueniens, ac propositi textus explicationi, sensuique debitus. C Existimabimus itaque de æternâ vitâ, ac mortis extinctione dicere; quâque ratione Vnigenitus, præuaricatione contractam ab humano genere corruptionem depuletir. *Quoniam igitur pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse simili modo participauit eisdem*, vt mortem destrueret; atque vt, *qui creauit vt essent omnia, & salutares fecit generationes mundi*, quemadmodum scriptum est, rerum formam in pristinum denuò statum reuocarat. Ac quidem paulò quàm oportet curiosiùs, necessariò tamen de antiquo nostro statu verba faciemus. Rectè quippè quid considerandum sit complecti velle, pigritiæ probro prorsus vacabit. Factum est igitur animal istud rationis compos, à principio ad Creatoris imaginem, vt perhibent sacræ literæ. D Ac quidem diuersa ratio imaginis est. Imago namque non vno modo, sed pluribus est. Eius porrò cum Creatore exactæ similitudinis illustrissima portio est, corruptione nimirum ac interitu vacare. Haud enimuerò axistimo, potuisse vnquam vt eo modo se haberat, à seipso suæque vi naturæ, animal sufficere. Quomodò enim terrenus homo naturâ suâ incorruptionis vnquam dote gloriaretur, nisi ab eo qui naturâ incorruptibilis, semperquia se eodem modo habet, (Deo scilicet) vti bonorum reliquorum similitudinem, sic hoc quoqua consecutus esset? E *Quid enim habes, quod non accepisti*, imè merito, ac verè ad nos quodam loco diuinus Paulus ait? Ne igitur id quod è nihilo in ortum deductum esset, ad principium suum rediens, in nihilum rursus abiret, sed potiùs sospes ac incolume iugiter perlisteret (hic enim Creatoris scopus, is finis est) ipsum Deus participem reddit suæ naturæ. *Insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ*, Filij scilicet Spiritum. Etenim ille Vita est cum Patre, inesse continens omnia. In eo quippe mouentur ac viuunt, iuxta Pauli vocem, quæ sunt capacia vitæ. Neque verò quisquam hic nobis obganniat, nec

Hebr. 2. v. 14.
Sap. 1. v. 14.

Incorruptio, diuinę imaginis pars illustrissima, incorruptio.

1. Cor. 4. v. 7.

Gen. 2. v. 7.

Act. 17 v. 28.
Spiraculum Dei. Filij

A sibi persuadeat nos dicere inflatum illum animali animam extitisse. Nam si diuinum inflatum non nulli animam factum esse putant, dicant nobis vtrum à naturâ suâ desciuerit, sitque in animam mutatus, an idem in se remanserit. Nam si immutatum esse dicunt, & suæ naturæ legem prætergressum, blasphamiæ renabuntur: planè enim mutabilem dicent immutabilem illam, & eodem se modo semper habentem naturam. Sin autem nullo modo mutatus est, sed remansit quod erat semper ex Deo procedens ille eius inflatus, quomodò dagenerauit in peccatum, & tantæ malorum, vitiorúmque diuersitatis capax euasit? Nec enim puto, inesse omninò dicant diuinæ naturæ, vt peccare possit.

Spiritus, non ipsa hominis anima.

B Sed ne longis hîc demonstrationibus vtentes, debitam textui doctrinam omittamus, illud denuò repero, neminem sanæ mentis existimaturum vnquam, inflatum ex diuinâ substantiâ procedentem, animali animam extitisse; sed animato potiùs, & perfectæ naturæ proprietatem ex ambobus (animâ scilicet & corpore) adepto, naturæ suæ quoddam veluti signaculum Spiritum sanctum (id est, spiraculum vitæ, per quod ad archetypi pulchritudinem formatum, & ad Creatoris imaginem perfectum est, atque ad omna virtutum genus vi in eo inhabitantis Spiritus firmatum) Creatorem ei impressisse. Sed postquam suæ spontis cùm esset, suæque voluntatis habenas teneret (nam & ista imaginis portio est quippe suarum Deus arbiter voluntatum est) C mutatum est, ac cecidit (quo pacto verò, diuina Scriptura docear, in quâ id manifestè conscriptum habetur) in pristinum rursus statum instantare humanam naturam in Christo, Deus ac Pater decreuit, ramque aggressus, ac fultus voluntate, perfecit. Quonam igitur modo id factum sit, commodùm perpiciamus.

Arbitrij libertas pars diuinæ imaginis.

Non poterat homo naturæ cùm esset corruptibilis, mortem affugere, nisi veterem illam gratiam reciperet, ac Dei (qui continet omnia & viuificat per Filium in Spiritu) particeps fieret. Communicauit igitur carni & sanguini; id est, D homo factus est, cùm sit Deus per naturam, exque vitâ per naturam, (Deo scilicet ac Patre) vnigena Verbum natum sit; vt carni, quæ naturæ suæ ratione corruptibilis est, arcanâ nullisque verbis explicabili ratione, ac quam solus ipse nouit, se ipse vniens, ad propriam vitam eam instauraret, suoque munere Dei ac Patris participem faceret. *Mediator* enim est *Dei & hominum*, sicut Scriptum est; Deo quidem ac Patri naturaliter vt Deus, exque eo existens, coniunctus; ac rursus hominibus vt homo: ac quidem in se Patrem habens, ac qui ipse sit in Patra. Est enim figura, & splendor substantiæ eius, non E diuisus à substantiâ eius est figura, & ex quâ procedit vt splendor; sed in eâ tum ipse existens, tum in se illam habens; ac nos rursus habens in seipso, quatenus gestauit nostram naturam, ac corpus nostrum Verbi audiit corpus. *Verbum enim caro factum est*, iuxta Ioannis vocem; nostramque induit naturam, ad suam ipsam vitam reformans. Est autem etiam ipse in nobis: omninò enim illius participes facti sumus, ac per Spiritum eum in nobis habemus. Idcirco enim etiam diuinæ facti sumus consortes naturæ, & filij appellamur; eâ quoque ratione Patrem in nobis per Filium habentes, vti & Paulus testatur, dicens, *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum*

In nobis destructa mors, & vita instaurata, Christi incarnatione.

1. Tim. 2. v. 5.

Hebr. 1. v. 3.

Ioan. 1. v. 14.

2. Petr. 1. v. 4.

Gal. 4. v. 6.

Filij sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater. Non enim diuersum quid à Filio eius Spiritus est, quod scilicet ad eandem attinet naturæ rationem. His ita expositis, textus sensum proferentes, Saluatoris vocibus ipsum accommodemus.

In illâ die, inquit, *cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Nam *ego* quidem, inquit, *viuo*; quippe qui sim Vita per naturam, meoque templu vt viuat contulerim. At cùm vos ipsos, qui naturæ corruptibilis sitis, viuere vos ipsi videritis, ad mei scilicet similitudinem; tunc vtique manifestè cognoscetis, quòd cùm Vita sim per naturam, Deo & Patri qui & ipse per naturam Vita sit per me ipse vos coniunxerim, illius quodammodò reddens immortalitatis ac incorruptionis consortes. Sum ego quidem naturâ in Patre, quippe eius substantiæ fructus, ac vera proles, in eo existens, ac ex eo effulgens, Vita ex Vitâ: *Vos autem in me, & ego in vobis*; quatenus homo apparui, ac vos diuinæ consortes naturæ, meo vobis indito Spiritus feci. Christus enim in nobis est per Spiritum, transmutans ad incorruptionem quod naturâ corruptibile est, & à morte ad immortalitatem

Christus in Patre & nobis, ac nos in ipso.

traducens. Vnde & Paulus ait, *Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificauit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Etsi enim Spiritus sanctus ex Patre procedit, venit tamen per Filium, ac eiùs proprius existit. Quòd enim per Spiritum in vitam æternam reformati simus, diuinus nobis Psaltes testis erit, cùm velut ad vniuersi Deum clamans, ait, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Audis quomodò Adæ præuaricatio, ac diuinorum mandatorum repudiatio humanum nobis genus destruxerit, ac in terram suam reuerti fecerit? At postquam misit Deus Spiritum suum, ac nos naturæ suæ comparticipes reddidit, eiusque munere terræ facies renouata est, in nouitatem vitæ reformati sumus, depositâ peccati corruptione, ac æternâ denuo vitâ receptâ: gratiâ & humanitate Domini nostri Iesu Christi, per quem, ac cum quo Deo & Patri gloria, cum sancto Spiritu in sæcula, Amen.

Rom. 8. v. 11.

Psal. 103. v. 28.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

IOAN. XIV.



a Apostolus, vel quicumque.
N illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Si [a] quis diligit
b Causa est dilectionis, quæ probatur in custodiâ sermonum.
me, [b] sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum,
c Ego & Pater & Spiritus sanctus. d Et erit interna visio & mansio, non transitoria, sed æterna.
& ad eum [c] veniemus, & [d] mansionem apud eum faciemus.
e Hi sunt qui nunquam vident Patrem & Spiritum, sed nec Filium in formâ Dei, & si in formâ serui.
[e] Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermo-
f Quia non est suum Verbum, sed Patris. Et quia se voluit intelligi, singulariter dixit qui prius pluraliter dixerat, sermones meos.
nem quem audistis non est meus, [f] sed eius qui misit me, Pa-
g Corporali præsentiâ, quæ si iam aufertur, ne timeatis quia Paracletus.
tris. Hæc loquutus sum vobis [g] apud vos manens. Paracletus autem Spiritus san-
h Docebit, vt sciatis: suggeret, vt velitis. i Ab occulto, non ministrabit, quòd inferior. aliàs commemorabit vobis. id est, faciet vos memores omnium. Ecce hoc etiam gratia Spiritus est, quòd non obliuiscimur.
ctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos [h] docebit omnia, & [i] suggeret, vo-
k Iturus ad Patrem. l Perducturus ad Patrem.
bis omnia quæcunque dixero vobis. [k] Pacem relinquo vobis, pacem meam [l] do vo-
m Vt sine molestiâ mundo fruantur, quæ non est vera vbi diuisa sunt corda.
bis. [m] Non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum neque
n Quod plus est. o Si dixi: vado, quod vos terret: dico, venio, quod mulcet. p A vobis corpore. q Corpore in iudicio.
[n] formidet. Audistis, quia ego [o] dixi vobis: [p] vado, & [q] venio ad vos. Si diligeretis
r De eo quod s Secundum quod minor vadit & veniet iudicare.
me, gauderetis vtique [r] quia [s] vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc
t Quia vado ad Patrem.
[t] dixi vobis priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Iam non multa loquar
u Acceptâ licentiâ à Deo. x Diabolus y Id est, peccatorum non creaturarum. z Quod ad se pertineat. a Nullum omninò peccatum suum.
vobiscum. [u] Venit enim [x] princeps [y] mundi huius, & in me non [z] habet [a] quidquam.
b Quasi diceretur: Cur ergo moriteris, si non habes peccatum? quia Pater mandauit.
Sed vt cognoscat mundus quia [b] diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Ioan. 14. v. 23. *D eum veniemus.* Venit Deus ad hominem, dum homo venit ad Deum. Venit homo credendo, obediendo, intuendo, capiendo; Deus venit subueniendo, illuminando, implendo.

Et mansionem. Charitas facit habitare in domo, in quâ Pater, & Filius facit mansionem. Vnde & dabit manifestationem de quâ ille quæsierat.

V. 25. *Hæc locutus sum vobis.* Hæc de mansione in dilectoribus suis: in quo significatur Ecclesia futura spiritualis, in quâ beati, à quibus non recedit. *Apud vos manens.* Hic Ecclesia præsens corporalis, in qua visitat liberando, & redit.

V. 26. *Paraclетus.* Consolari cum sit opus Trinitatis, ad personam tamen maximè Spiritus sancti pertinet, quia in Scripturâ nomine bonitatis, Spiritus sanctus designatur. Per bonitatem ergo Deus nos consolatur; per eam omnia bona sua nobis tribuit. Vnde cùm ipse Filius doctrina sit Patris, de Spiritu dicit, *Ille vos docebit omnia.* Quia & si Filius doceat nos & reuelet Patrem, hoc totum facit per suam bonitatem. *Ille vos do-* C *cebit omnia.* Docebit quæ dixero: non quòd dicat Filius, & Spiritus doceat: quia quod dicit & docet, & ipsa Trinitas dicit & docet. Sed quia Trinitas est, oportet singulas personas insinuari: quas nos distinctè audire, inseparabiliter intelligere debemus. Cùm ergo dicimus, Pater & Filios & Spiritus sanctus, non eos simul dicimus, cùm non possint esse non simul.

Pacem relinquo vobis. Iturus ad Patrem. Et

V. 27. repetens in eodem, *Pacem meam do vobis.* Et

Isa. 27. v. 6. hoc est qood Propheta dicit, *Pacem super pacem.* Pax est in hoc sæculo, in quâ manentes hostem vincimus, inuicem diligimus, & de occultis in- D uicem non iudicamus. Pax etiam in futuro, cùm sine hoste regnabimus: vbi alter ab altero non poterit dissentire, vbi omnia aperta, & *laus vni-*

1. Cor. 4. v. 5. *cuique.* In illo autem, & ab illo est vtraque pax.

Eph. 2. v. 14 *Ipse* enim *est pax nostra*, & eum credimus, quia

1. Ioan. 3. v. 2. est: & eum videbimus, sicuti est. Vnde quòd dicit *meam*, à posteriori, etiam ad prius subaudiendum est. Vel pax in hoc sæculo est nostra,

Dei pax, & nostra. quæ est aliqua & non plena: & ab illo in futuro sua est pax, vbi nihil repugnat qualiter ipse habet.

Non turbetur cor vestrum. Quia in pace vos relinquo, non turbetur cor vestrum de eo quòd dixi, Vado; quia si pastoris absentiâ lupus inuadit, E quia sicut homo vado, vt Deus præsens sum.

V. 28. *Si diligeritis.* AVGVST. Hoc erat ire ad eum, & recedere à nobis: mutare atque immortale facere, quod suscepit ex nobis mortale; & leuare in cœlum, per quod fuit in terrâ pro nobis. Naturæ ergo humanæ gratulandum est, eo quòd sic est assumpta à Verbo, vt immortalis constitueretur in cœlo: atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris. *Gauderitis vtique.* Quia humanæ naturæ congratulandum est, quæ leuatur ad dexteram Patris, in quo idem sibi sperant cæteri.

Credatis. Non quòd factum videritis: quia

V. 29. non est laus vel meritum fidei; imò nec fides est de eo quod videtur, sed de eo quod non videtur. Sed credatis me Filium Dei; non nouâ fide,

A quia etiam priùs crediderant: sed auctâ fide & refectâ: quia & modò cùm hæc diceret parua erat; & cùm moreretur, nulla.

Et in me non habet quicquam. Noluit Domi- V. 30.
nus habere quod perderet: pauper venit, ne haberet diabolus, quod auferret.

CATENA AVREA,
in eidem Euang.

R*Espondit Iesus & dixit eis, Si quis &c.* Ioan. 14. v. 23.
GREG. in hom. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Nunquam amor Dei est Hom. 30. in Euang.
B otiosus. Operatur enim magna si est: si verò operari renuerit, amor non est.

AVGVST. Dilectio autem Sanctos discernit Tract. 76. Ioan.
à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo, in quâ facit Pater & Filius mansionem; qui donant & ipsam dilectionem, quibus in fine donabunt suam manifestationem. Est enim quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impij non nouerunt, qoibus Dei Patris & Spiritus sancti manifestatio nulla est: Filij verò esse potuit, sed in carne, quæ nec talis est qualis illa; nec semper illis adesse potest, sed ad modicum tempus: & hoc ad iudicium, non ad gaudium: ad supplicium, non ad præmium: vnde sequitur, *Et ad* C *eum veniemus.* Veniunt quidem ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subueniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna: & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna: vnde sequitur, *Et mansionem apud eum faciemus.*

GREG. in hom. In quorumdam etenim cor- Hom. 30. in Euang.
da venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem respectum Dei percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quòd compuncti fuerunt, obliuiscuntur; sicque ad perpe- D tranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, in eius cor- Vera dilectio.
de Dominus & venit, & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille enim verè amat, cuius mentem dilectio praua ex consensu non superat.

AVG. An fortè putabit mansionem in dilectore Libr. 1. de Trin. c. 9. à med.
suo facientibus Patre & Filio, exclusus esse ab hac mansione Spiritus sanctus? Quid est ergo quod superiùs ait de Spiritu sancto, *Apud vos manebit, & in vobis erit*: nisi fortè quisque sic absurdus est, vt arbitretur cùm Pater & Filius venerint, discessurum inde Spiritum sanctum tanquam locum daturum maioribus? Sed & huic carnali cogitationi occurrit Scriptura, cùm dicit, *Vt maneat vobiscum æternum.* In eadem ergo mansione cum ipsis erit in æternum, quia nec ille sine ipsis venit, nec illi sine eo: sed propter insinuationem Trinitatis, personis singulis nominatis dicuntur quædam, non tamen aliis separatis intelliguntur, propter eiusdem Trinitatis substantiam.

GREG. in hom. Tantò autem quisque à su- Hom. 30. in Euang.
perno amore disiungitur, quantò inferiùs delectatur: vnde subditur: *Qui non diligit me, &c.* De dilectione ergo conditoris lingua, mens, & vita requiratur.

CHRYS. Vel aliter totum: Æstimauit Iudas Hom. 74. in Ioan.
sicut mortuos videmus in somno, ita & se eum

esse visuros, vnde quærit, *Quid est quòd debes te manifestare nobis, & non mundo?* Quasi dicat, Væ nobis quoniam morieris, & mortuus debes nobis assistere. Ne igitur hoc suspicentur, dicit, *Ego & Pater ad eum veniemus*: quasi dicat: Sicut Pater manifestabit seipsum, ita & ego: *Et mansionem apud eum faciemus*; quod somniorum non est. Sequitur, *Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me, Patris*: Quasi dicat Non me solùm, sed neque Patrem amat, qui hunc non audit sermonem. Dicit autem hoc, quoniam nihil extra Patrem loquitur: neque præter id quod illi videtur.

Tract. 76. in Ioan. AVG. Et fortasse propter aliquam distinctionem, vbi suos dixit, pluraliter sermones dixit, B dicens; *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Vbi autem Sermonem (hoc est, Verbum) non suum esse dixit, sed Patris, seipsum intelligi voluit: Non enim suum, sed Patris est Verbum; quomodò nec sua imago, sed Patris: nec suus Filius, sed Patris. Rectè igitur auctori tribuit quod facit æqualis, à quo habet hoc ipsum quòd illi est indifferenter æqualis.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Quia verò eorum quæ dixerat, quædam manifesta erant, & quædam non intellexerunt, vt non turbarentur, subiungit: *Hæc locutus sum vobis apud vos manens.*

Tract. 77. in Ioan. AVG. Alia est illa mansio quam promisit futuram, alia verò hæc quam præsentem esse testa- C tur: illa spiritualis est, atque intrinsecus mentibus redditur: hæc corporalis forinsecus oculis atque mentibus adhibetur.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Vt tamen eius corporalem recessum faciliùs sustinerent, præparat eos; promittens quòd eius recessus magnorum eis esset futura causa bonorum: quia donec ipse apud eos corporaliter manebat, & Spiritus non venerat, nihil magnum poterant scire: vnde sequitur, *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.*

Hom. 30. in Euang. GREG. Græcâ locutione παράκλητος, Latinâ aduocatus dicitur vel consolator. Qui idcirco ad- D uocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam Patris interuenit, dum eos quos repleuerit, exorantes facit. Consolator autem idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem leuat.

Hom. 74. ante med. CHRYS. Continuè autem eum Paracletum vocat, propter continentes eos tribulationes.

Libro paulò ante med. t. 9. inter opera Hier. DYDYM. de Spiritu sancto: Spiritum autem sanctum à Patre in suo mitti nomine Saluator asfirmat; cùm propriè nomen Saluatoris sit Filius: siquidem naturæ consortium, & (vt ita dicam) proprietas personarum ex istâ voce significatur: Filij quippe tantummodò est in nomine Patris venire, saluâ proprietate Filij ad Patrem: Nullus autem alius venit in nomine Patris, sed verbi gratiâ: In nomine Domini Dei & omnipotentis. Quomodò igitur serui qui in nomine Domini veniunt, per hoc ipsum quòd subiecti sunt & seruiunt, indicant Dominum (serui quippe sunt Domini) sic & Filius qui venit in nomine Patris, portat eius nomen per hoc quod vnigenitus Dei Filius approbatur. Quia ergo Spiritus sanctus in nomine Filij à Patre mittitur, ostendit quia vnitate sit iunctus ad Filium: vnde & Filij dictus est Spiritus; per adoptionem suam filios faciens eos, qui se recipere voluissent. Iste autem

A Spiritus sanctus qui venit in nomine Filij missus à Patre, docebit omnia eos qui in fide Christi perfecti sunt. Omnia autem illa quæ spiritualia sunt & intellectualia veritatis & sapientiæ sacramenta. Docebit verò non sicut qui artes aliquas & sapientiam studio, industriáque didicere; sed quasi ipsa ars atque doctrina & sapientia, veritatis Spiritus inuisibiliter menti insinuat scientiam diuinorum.

GREG. Nisi autem idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit; quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Sed & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem Spiritus non loquatur. Hom. 30. in Euang.

AVG. Nunquid autem dicit Filius, & docet Spiritus sanctus: vt docente Filio verba capiamus, docente autem Spiritu sancto eadem verba intelligamus? Omnis igitur & dicit & docet Trinitas. Sed nisi etiam singillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere vtcunque posset infirmitas. Tract. 77. in Ioan.

GREG. Requirendum verò nobis est, cur de eodem Spiritu dicatur, *Suggeret vobis omnia*, cùm suggerere soleat esse minoris: Sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, inuisibilis Spiritus suggerere dicitur: non quòd nobis scientiam ab imo inferat, sed ab occulto. Hom. 30. in Euang.

AVG. Vel quòd addit, *Suggeret vobis* (id est, commemorabit vos) intelligere debemus etiam quòd iubemur non obliuisci saluberrima monita ad gratiam pertinere, quæ nos commemorat Christus. Tract. 77. in Ioan.

THEOPH. Spiritus itaque tempus & docuit, & commemorauit: docuit quidem quæcunque non dixerat Christus, tanquam non valentibus portare. Commemorauit verò quæcunque Dominus dixerat, sed obscuritatis causâ vel intellectus tarditate commendare memoriæ nequiuerunt. In hoc loco.

CHRYS. Quia verò & hæc audientes turbabantur, excogitantes odia & prælia sibi imminente post eius recessum, rursus eos consolatur dicens, *Pacem relinquo vobis, &c.* Hom. 74. in Ioan.

AVG. Pacem nobis relinquit in hoc sæculo, in quâ manentes hostem vincimus, & vt etiam hic in inuicem diligamus: pacem suam nobis dabit in futuro sæculo, quando sine hoste regnabimus, vbi nunquam dissentire possumus. Pax autem nobis ipse est, & cùm credimus quia est, & cùm videbimus eum sicuti est. Sed quid est quòd vbi dicit; *Pacem relinquo vobis*, non addit, meam: vbi verò ait, *Do vobis*, ibi dicit, *meam*? Vtrum subaudiendum est meam, & vbi dictum non est: an fortè & hic aliquid latet? Pacem enim suam eam voluit intelligi, qualem habet ipse. Pax E verò ista quam nobis reliquit in hoc sæculo, nostra potiùs dicenda est, quàm ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, quia nullum habet omninò peccatum: nos autem talem pacem nunc habemus, in quâ adhuc dicamus, *Dimitte nobis debita nostra.* Itémque inter nosipsos est nobis pax: quia inuicem nobis credimus, quòd inuicem diligamus. Sed nec ipsa plena est quia cogitationes cordis nostri inuicem non vidimus. Nec ignoro ista Domini verba etiam sic accipi posse, vt eiusdem sententiæ repetitio videatur. Quod verò Dominus adiunxit, *Non quomodò mundus dat,* Tract. 77. in Ioan. Pax quam relinquit & quam dat Christus.

ego do vobis, quid est aliud, nisi non quomodò A homines dant qui diligunt mundum? qui propterea sibi dant pacem, vt sine molestiâ mundo perfruantur. Et quando iustis dant pacem, vt non eos persequantur: pax esse non potest vera, vbi non est vera concordia, quia disiuncta sunt corda.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Pax etiam exterior ad malum fit multoties, & eis qui habent eam nihil prodest.

Serm. 57. in princip. AVG. de ver. Do. Est autem pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Nec poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare: nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano.

V. 27. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, &c.* B

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Quia dixerat, *Pacem relinquo vobis*, quod recedentis: hoc poterat eos conturbare: ideo dicit, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*: quoniam hoc quidem ex dilectione, illa verò ex formidine patiebantur.

Tract. 78. in Ioan. AVG. Hinc autem turbari & formidare poterat cor illorum, quòd ibat ab eis, quamuis venturus ad eos, ne fortitan gregem lupus hoc interuallo inuaderet pastoris absentiâ. Vnde sequitur, *Audistis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos.* Ibat autem per id quòd homo erat, & manebat per id quòd Deus erat. Cur itaque turbaretur & formidaret cor, quando sic deserebat oculos vt non desereret cor? Vt autem intelligerent secundum id quod homo erat eum dixisse, *Vado, & venio,* C ad hoc subiecit, atque ait, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, &c.* Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc erat iturus ad Patrem, à quo & venturus est iudicaturus viuos & mortuos. Per illud autem in quo est æqualis gignenti, nunquam recedit à Patre, sed cum illo est vbique totus pari diuinitate, quam nullus cõtinet locus. Ipse ergo Filius Dei æqualis Patri in formâ Dei, quia semetipsum exinaniuit, non formã Dei amittẽs, sed formam serui accipiens: maior est etiã seipso, quia maior est forma Dei quæ amissa nõ est, quàm forma serui, quæ accepta est. Hæc igitur est forma serui in quâ Dei Filius minor est, non Patre D solo, sed etiam Spiritu sancto: Secundũ hanc formam serui, puer Christus etiam parentibus minor erat, quando parentibus maioribus, sicut scriptum est, subditus erat. Agnoscamus igitur geminam substantiam Christi; diuinam scilicet, quâ æqualis est Patri; & humanam, quâ maior est Pater. Vtrumque autem simul, non duo, sed vnus Christus, ne sit quaternitas, sed Trinitas Deus. Ideo ergo dixit, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem*, quia naturæ humanæ gratulandum est, eo quòd sic assumpta est à Verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cœlo: E atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, vt suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque idipsum se speret futurum esse per Christum?

Lib. 9. aliq. à med. HILAR. 9. de Trin. Vel aliter: Si donantis auctoritate Pater maior me est, nunquid per doni confessionẽ minor Filius est? Maior itaque donans ast, sed minor iam non est cui vnum esse donatur.

Hom. 74. in Ioan. CHRYS. Vel aliter: Nondum nouerant Apostoli quid sit resurrectio quam prædixerat, dicens, *Vado, & venio ad vos*: neque qualem oportebat de eo opinionem habebant; Patrem verò magnum esse æstimabant. Dicit igitur eis, Etsi de me formidetis vt non sufficiente mihi ipsi assistere, neque confiditis quòd post crucem rursus vos videbo, tamen audientes quoniam ad Patrem vado oportebat lætari, & de reliquo quoniam ad maiorẽ vado, & potentem omnia molesta dissoluere. Hæc autem omnia ad imbecillitatem discipulorum dicebantur. Et ideo subdidit, *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.*

AVG. Quid est hoc, cùm magis credere homo debeat antequam fiat id, quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur. Nam & ille cui dictum est, *Quia vidisti, credidisti*: aliud vidit, aliud credidit: vidit hominem, credidit Deum. Sed si dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit vnusquisque oculis suis se credidisse: non tamen ipsa est quæ in nobis ædificatur fides; sed ex rebus quæ vidẽtur, acquiritur in nobis vt ea credantur, quæ non videntur. Illud itaque dicit, Cùm factum fuerit, quòd eum post mortem visuri erant viuentem, & ad Patrem ascendentem, quo viso fuerant credituri quòd ipse esset Christus Filius Dei, qui hoc potuit facere, & prædicere antequam faceret. Credituri autem hoc non fide nouâ, sed auctâ; aut certè cùm mortuus esset, defectâ; cùm resurrexisset, refectâ. Tract. 79. in Ioan.

HILAR. de Trin. Gloriæ autem resumendæ meritum continuò subiecit, dicens, *Iam non multa loquar vobiscum.*

BED. Ideo dicebat, quoniam iam instabat tempus vt comprehenderetur, & ad mortem traderetur. Vbi supra.

Venit enim princeps mundi huius. AVG. Quis nisi diabolus? Non autem creaturarum, sed peccatorum princeps est diabolus. Vnde Apostolus cùm dixisset, *aduersus rectores mundi*: sequenti verbo exposuit quid dixisset *mundi*, cùm subiungit, *tenebrarum harum*, id est, hominum impiorum. *Et in me non habet quicquam.* Quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine Virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur, Cur ergo moreris si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuò subiungit, *Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Discumbens enim discumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit, ad illum locum vnde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat vt moreretur, mandatum Patris. Tract. 79. in Ioan.

AVG. contra sermonem Arria. Quòd autem voluntati & præcepto Patris obediens est Filius, nec in hominibus demonstrat diuersam imparẽmque naturam patris præcipientis, & filij obedientis. huc accedit quòd Christus non tantùm Deus est, quâ naturâ æqualis est Patri: sed etiam homo, quâ naturâ minor est Patre. Cap. 11. ante med. t. 6.

SANCTI AMBROSII MEDIOlanensis Episcopi de eodem.

HOMILIA I.

Est serm. 61. habetur & nomine S. Maximi, cũ duobus sequentibus. Festum Pẽtecostes pari cum Pascha habetur celebritate.

NOsse credo vos, fratres, quæ sit ratio quòd venerabilem hanc Pentecostes diem non minore lætitiâ celebremus, quàm sanctum Pascha curauimus: & quòd eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modò fecimus, ieiunauimus Sabbato,

vigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter institimus: vnde necesse est similis obseruantia similem lætitiam subsequatur. Est lætitia planè consimilis: tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus Saluatorem, modò autem Spiritum sanctum expectamus è cœlis. Tunc anxii, vel solliciti Christi prædicabamus aduentum, modò trepidi vel ieiuni Paracleti desideramus aduentum. In omnibus enim Deus saluti prouidit humanæ Tunc enim nobis ad resurgendum tartara Saluator aperuit, modò nobis ad regnandum Paracletus cœlestia reserauit: & quibusdam quasi profectuum gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autem de terris ad cœlos meditamur ascendere. Hęc autem omnia operatur in nobis Christus Dominus, qui priùs quàm rediret ad cœlos, promisit discipulis suis dicens: *Cùm autem ascendero, rogabo Patrem meum, & mittet vobis alium Paracletum, qui vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis.* Vnde credendum est ad Patrem peruenisse Christum, cùm videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credendum, inquam est, sicut ait de Saluatore Dauid, in Dei dexterâ considere, quia cernimus Spiritum sanctum sicut promisit Dominus, in discipulis exultare. Ait ergo Propheta Psalmorum. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Secundum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratiâ promeretur, vt sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus, passione suâ diabolum superans, resurrectione suâ inferna reserans, tanquam perfecto opere ad cœlos victor adueniens, audit à Deo Patre, Sede ad dexteram meam. Nec mirum si vnius sedis offertur Filio consessus à Patre, qui vnius est substantiæ & naturæ cum Patre. Cur autem ad dexteram Filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dexteram sedet Filius, non quò præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram Filius, quia secundum Euangelistam ad dexteram oues, ad sinistram verò constituentur hœdi. Necesse est ergo partem ouium primus agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi dicens: *Hi sunt qui sequuntur Agnum, quocunque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt.*

Ioan 14. v. 16. — Argumento est Christũ ascendisse, Spiritus sãcti aduẽtus. — *Psal. 109. v. 1.* — Christo vt victori oblatus consessus. — Cur ad dexteram. — *Matth. 25. v. 33.* — *Apoc. 14. v. 4.*

Refert ergo Propheta Dauid: *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam:* hoc est, Dominus Pater Domino Deo Christo Filio throni sui offert sublimem consessum, & honoris gratiâ ad dexteram suam illum æternâ sede constituit. Legimus autem in Actibus Apostolorum dicente beato Stephano cùm lapidaretur à Iudæis: *Ecce video cœlos apertos, & stantem Dominum Iesum ad dexteram Dei.* Videamus ergo quæ sit ratio quòd idem Dominus à Dauid sedens prophetatur, stans verò à Stephano prædicatur. Primò omnium Deus qui incorporalis est & inuisibilis (Est enim spiritus sicut ait Dominus; *Deus autem spiritus est*) sedere aut stare quomodò potest? Deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est & immensus, & intra se ipse magis creaturam cunctam contineat? Hæc autem propterea à sanctis viris dicta arbitror esse de Domino, non quò sint contraria sibi, sed vt modò eius omnipotentia, modò misericordia describatur. Nam vtique pro potestate Regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus, *Quia aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Iudex ergo est Christus cùm residet, aduocatus est cùm assurgit. Iudex planè Iudæis, aduocatus Christianis. Hîc enim stans apud Patrem Christianorum licet peccantium causas exorat, ibi residet cum Patre Pharisæorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer vlciscitur, bis interueniens leniter miseretur. Hîc stat vt suscipiat Stephani Martyris spiritum, ibi residet vt condemnet Iudæ proditoris admissum.

Psal. 109. v. 1. — *Act. 7. v. 55.* — *Ioan. 4. v. 24.* — Sedere Christus dicitur vt iudex, stare vt aduocatus & intercessor. — *1. Ioan. 2. v. 1.*

EIVSDEM DE EODEM.

HOMILIA II.

SCire debet sanctitas vestra fratres, hanc sanctam Pentecostes diem quâ ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas: ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus: sed sicut Dominicâ solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est atque solennis, quia in eâ Saluator velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit: ac propterea ipsa dies ab hominibus sæculi dies Solis vocatur, quòd ortus eam Sol iustitiæ Christus illuminet. Instar ergo Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut Dominici deputantur. Resurrectio enim Dominica est. Nam in Dominicâ resurgens Saluator reuersus ad homines est, & post resurrectionem totâ quinquagesimâ cum hominibus commoratus est. Necessarium ergo vt æqualis eorum sit festiuitas, quorum æqualis est & sanctitas. Sic enim disposuit Dominus, vt sicut eius passione in Quadragesimæ ieiuniis contristaremur, ita eius resurrectione in Quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur ieiunamus in Quinquagesimâ, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Non inquam ieiunamus præsente Domino, quia ipse ait: *Nunquid possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus?* Cur enim abstineatur corpus à cibo, cùm anima præsentiâ Domini saginatur? Non potest enim esse ieiunus, qui reficitur gratiâ Saluatoris. Societas enim Christi, quodammodò esca est Christiani. Reficimur ergo in Quinquagesimâ, nobiscum Domino conuersante. Cùm autem post hos dies ascendit ad cœlum, iterum ieiunamus, sicut ait idem Saluator, dicens: *Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Cùm enim Christus ascendens ad cœlum nostris aufertur obtutibus; famem patimur non corporis, sed amoris, & non tam cibi ieiunio quàm desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum non perspiciunt quem requirunt, sicut ait Propheta: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deo meo.* Defecerunt enim Prophetæ oculi, quia nondum videbat quem sperabat se esse visurum. Sic namque Apostolorum defecerunt oculi, cùm euntem ad cœlum Dominum nequeunt intueri, secundum quòd ait Lucas, dicens: *Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Stabant enim beati Apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad cœlum Dominum, quia

Est sermo 61. in nou. 60 perinde habetur nomine S. Maximi *Dist. 76. c. Scire debet.* — Dies Dominica, dies Solis piè appellata: Manichæorum tamen hæresim in ieiunio diei Dominicæ, & 2. feriæ carpit S. Leo hom. 4. de Quadr. c. 1. Imo assumptus est die quadragesimâ, nec tamẽ ieiunamus sequẽtibus decẽ diebus ob lætitiã Ascensionis discipulorũ exẽplo, qui regressi sũt cum gaudio magno. *Luc. 24.* — *Matth. 9. v. 15.* — *Luc. 5. v. 34.* — Societas Christi esca Christiani. — *Ibidem.* — *Psal. 68. v. 4.* — *Act. 1. v. 9.*

quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur: & licet ad deducendum Saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio non deficit. Vsque ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cœlos autem cum Christo fidei deuotione comitantur. Vnde ait Apostolus, sciens fidem nostram in cœlis esse cum Domino: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.*

Phil. 3. v. 20.

Nubes suscipiens, ipse occurrens Filio.

Nubes ergo ab oculis Apostolorum suscepit Saluatorem. Videamus ergo quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur. Neque enim poterat obscura esse ac tetra vel tenebrosa, quia scriptum est: *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes quæ ascendentem suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit, de quâ ait Euangelista: *Vox in nube audita est, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus Pater recepit Filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio mollione complectitur. Nam ideo Pater dicitur suscipere Filium nubis vmbraculo, vt ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quòd virtute diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Altissimus ergo Pater, qui nascente Christo obumbrauit in virtute Mariæ, ascendentem eum suscepit in nube. Semper enim Deus, quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo: sicut filios Israël liberatos de Ægypto nubis columnâ protexit, & vt post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo, sicut ait Propheta: *Expandit nubem ad protegendum eos.* Expandit enim nubem, ne cum siccitate eremi fatigarentur etiam Solis ardore.

Ioan. 1. v. 5.

Matth. 17. v. 5.

Luc. 1. v. 35.

Exod. 13. v. 21.

Psal. 104. v. 39.

Pascha & Pentecostes affinis solennitas.

Lætemur ergo in hac sanctâ die, sicut in Paschâ lætati sumus. Est enim in vtraque die similis, eademque solennitas. In Paschâ enim omnes gentes baptizari solent; in Pentecoste autem Apostoli baptizati sunt, sicut ait Dominus discipulis suis ascensurus ad cœlum: *Ioannes baptizauit aquâ, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis non post multos hos dies.* Et ideo dicit Lucas: *Cum autem complerentur dies Pentecostes, factus est subitò sonus de cœlo tanquam aduenientis spiritus validi, sedit que super singulos eorum.*

Act. 1. v. 5.

Act. 2. v. 1.

EIVSDEM DE EODEM.

HOMILIA III.

Est Serm. 63 in nou. 16. perinde habetur inter sancti Maximi sermones. Ioan. 19. v. 41.

NOn incommodè ante dies complures, sicut retinetis fratres, prædicatio nostra processit, in quâ descripsimus quòd caro Domini rediuiua velut in nitore floris de tumulo germinauerit: quem tumulum situm in hortulo Euangelista testatus est, vnde non incongruè prosecuti sumus. Conueniens enim erat, vt flos pretiosior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatum solo semen, intra septa domestica, vitentia tamen, salutem omnium pullularet. Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorum. Ergo in hortulo Saluator redditum corpus assumit, & inter florentes arbores & candentia lilia carne iam mortuâ resflorescit: & ita germinat de sepulchro, vt germinantia & nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam quodammodò sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, vt resurgente Domino & ipsa consurgerent. Nam vtique ex resurrectione Christi aër salubrior est, sol candidior, terra fœcundior, ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem. Si igitur cùm reflorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur: necesse est vt cùm idem fructum affert, etiam vniuersa fructificent, sicut ait idem Dominus: *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: cùm autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Refloruit igitur Dominus, cùm resurrexit è tumulo: fructificat, cùm ascendit ad cœlum. Flos est cùm de inferioribus terræ gignitur: fructus est, cùm altissimâ sede reconditur. Granum est, sicut ipse ait, cùm solus crucem patitur: fructus est, cùm plurimâ Apostolorum credulitate circundatur. His enim post resurrectionem quadraginta diebus cùm discipulis conuersatus, totâ illos sapientiâ maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni disciplinarum fœcunditate conuertit. Deinde ascendit ad cœlum ad Patrem, secum fructum carnis perferens, in discipulis iustitiæ semina deselinquens.

Christi resurrectio, seflorescentes eius carne in horto.

A Paschate.

Ioan. 12. v. 24.

Christus flos, idemque fructus.

Ascendit ergo ad Patrem Dominus. Meminit sanctitas vestra, quòd aquilæ illi de Psalterio, cuius innouatam iuuentutem legimus, comparauerim Saluatorem. Est enim similitudo non parua. Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit: ita & Saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetrauit. Et sicut aquila relictis terrenis sordibus sublime volans purioris aëris salubritate perfruitur: ita & Dominus terrenorum fæcem deferens peccatorum, in Sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio conuenit Saluatori.

Christus ascendens aquilæ comparatus. Psal. 102. v. 5. Supra Serm. 57. Aquila sublimè volans.

Sed quid facimus, quòd aquila prædam facit frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est Saluator. Prædam enim quodammodò sustulit, cùm hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum: & alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis seruum, de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in Prophetâ: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quæ sententia vtique sic intelligitur, eò quòd captiuitatem hominis, quem sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo sibi Dominus captiuarit: & ipsam (sicut ait) captiuitatem captam ad cœlorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur, sed non æqualis vtraque est. Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit: Christi autem captiuitas restituit libertati.

Alienum prædans.

Psal. 67. v. 19. Eph. 4. v. 8.

Christi captiuitas, & diaboli, nomen vnum, dispar res.

Ascendens, inquit, *in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Quàm benè triumphum Domini Propheta describit! Solebat (sicut dicunt) Regum triumphantium currus captiuorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas: non ante vehibulum ducitur, sed ipsa euehit Saluatorem. Quodam enim mysterio dum Filius Dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captiuitas portatur, & portat. Quòd autem ait, *Dedit dona hominibus*: hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur, & pro-

Triumphus Christi ascendentis.

Filius Dei, filium hominis in cœlum sustulit.

Triumph-

secuta largitio, & linguarum donum.

A ptio regno residens seruulorum gaudia muneratur. Sic Christus Dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram Patris, hodiernâ die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed Spiritus sancti cœlestia munera: vt inter cætera Apostoli etiam linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebrææ nationis homo Christi gloriam Rumanæ facundiæ eloquentiâ pertonaret, & redemptionem generis humaui peregrinæ aures, quia Iudæâ prædicante linguam non caperent, propriâ loquelâ cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluitur, vt maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait sanctus Dauid: *Non sunt loquela neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Ne miremini autem, quòd ad dexteram Patris residere dixi Filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior Patre, sed ne minor Patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentiæ gradum nescit, ita Scriptura sancta nouit obuiare blasphemiis.

Psal 18. v. 4

Sedet Filius ad dexterã Patris, vt æqualis illi, non vt maior.

B

S. GREGORII NAZIANZENI, *in eodem festo.*

ORATIO.

DE festo pauca disseramus, vt spirituali modo festum diem agiremus. Aliud namque alij festum est: Verbi autem cultori sermo, & ex sermonibus is, qui tempori maximè congruit. Nec vlla pulchritudo pulchritudinis amantem perinde delectat, vt festi amantem spiritualis celebrandorum festorum ratio. Quod vt perspicuum fiat, ita rem consideremus. Festus dies Iudæus etiam agit, verùm iuxta literam. Legem enim corpoream consectans, ad spiritualem legem non peruenit. Festos quoque dies Gentilis agit, verùm pro eo ac corpus decet, deósque suos & dæmones: quorum alij obscœnarum rerum effectores atque architecti sunt, quemadmodum ipsimet asferunt, alij ex obscœnis rebus honorem consecuti sunt. Ac proinde modus etiam ille, quo festa celebrant, cum vitiosis affectionibus coniunctus est, vt hoc ipsum quod peccant, in Dei honorem cedat, ad quem vitium quasi res quædam honesta & prædicanda confugit. Festos dies nos quoque agitamus, verùm vt Spiritui gratum est. Gratum est porò eam à nobis rationem initi, vt eorum quæ in rem sunt, vel aliquid dicamus, vel agamus. Nec feriari nostrum quicquam est aliud, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma ac stabilia sunt, & manibus tenentur, non autem suffugiunt & dilabuntur, leuitérque duntaxat sensum demulcent: magna autem ex parte, meo quidem iudicio, labefactant, noxámque inferunt. Sufficit enim corpori malitia sua. Quid flammæ ampliore materiâ opus est, aut belluæ copiosiore alimento, vt effrænatior reddatur, ac ratione violentior? Quocirca nobis spiritualiter feriandum est. Orationis porrò principium erit huiusmodi. Liceat enim hinc auspicari (etsi ab instituto argumento disputatio hæc nonnihil digredi videatur) atque in studiosorum gratiam elaborare, vt velut condimentum quoddam huius diei solennitati admisceamus.

C

Iudaica festorum ratio.

Gentilitia.

D

Christiana.

E

Septenarium numerum ex legis Mosaicæ præscripto in honore habent Hebræi, quemadmodum postea Pythagorei quaternarium, per quem iusiurãdum concipiunt: atque octonarium & tricenarium Simoniani ac Marcionistæ, quibus etiã & parem Æonum numerum assignant. Et quidem quã proportionis ratione, aut propter quã huius numeri vim ac potentiam eum in pretio habeant, haud scio, sed habent tamen. Quãquam ea perspicua causa afferri potest, quòd cùm Deus sex dierũ spatio materiam produxisset & formasset, atque omnis generis speciebus ac mixtionibúsque exornasset, mundúmque hunc, quem nunc cernimus, condidisset, septimo die ab operibus conquieuit, velut ipsum quoque sabbati nomen indicat, quietem Hebræâ linguâ significans. Quòd si circa hæc sublimior quædam est ratio, alij eam explicent.

Septenarius numerus in lege commendatus.

Numeri alij, sectis alijs & hæresibus sacri.

Diei septimæ honor à Dei quiete, absolutâ creatione.

Porrò hic honor apud eos, non in diebus tantum est, sed ad annos quoque porrigitur. Ac dierum quidem honor sabbatum est, hoc inquam, quod apud illos assiduè celebratur, cui etiam fermenti sublatio atque submotio pari dierum numeru respondet. Annorum autem honor, septenarius ille remissionis annus. Nec verò in hebdomadis solùm, sed etiam in hebdomadarum hebdomadis in diebus iuxtà atque annis. Enimuerò dierum hebdomades Pentecosten pariunt, sanctum diem apud illos nuncupatum: annorum autem septimanę, Iubilæum annum, sicut ipsi nominant, æquè tum terræ remissionem, tum seruorum manumissionem habentem, emptáque prædia pristinis dominis postliminio reddentem. Nam hæc nano non modò frugum & primogenitorum, sed dierum etiam & annorum primitias Deo consecrat.

Pentecoste, dies sanctus Iudæis.

Annus Iubilæus.

In hunc modum veneratione celebris septenarius, Pentecostes honorem inuexit. Septenarius enim in seipsum ductus, quinquagenarium progignit, vno die dempto, quem ex futuro sæculo assumpsimus, Octauum eundem & primum, vel vt rectiùs loquar, vnum & sempiternum. Illic enim præsens animarum nostrarum sabbatismus, desinat necesse est, vt detur pars septem, atque adeò octo, quemadmodum iam nonnulli maiorum nostrorum hunc Salomonis locum exposuerunt. Quanquam autem de septenarij honore multa sint Scripturæ testimonia: nobis tamen pauca è multis producere satis erit.

Eccle. 11. v. 2.

Septem itaque præclari Spiritus nominantur. Esaias enim vt opinor, Spiritus operationes, Spiritus appellare solet. Eloquia item Domini iuxta Dauidem septuplo purgata sunt. Atque iustus de necessitatibus sexies liberatur, in septimo autem ne leuiter quidem percutitur. Peccatori autem non septies tantùm, sed septuagies etiam septies noxa remittitur. Ac rursus ex aduersâ parte (nam improbitatis quoque pœna laudabilis est) de Cain quidem septies supplicium sumitur, hoc est, fraternæ cædis ab eo pœnæ repetuntur: de Lamech autem septuagesies septies: nempe quia post legem & condemnationem, cædem perpetrauit. Eodem pertinet, quod de prauis vicinis scriptum est, eos septuplum in sinum suum recipere: quod etiam de septem columnis, quibus sapientiæ domus nititur; quod de totidem oculis, quibus Zerobabelis lapis ornatur. Quinetiam septies in die laudatur Deus. Atque adeò sterilis septem filios, qui perfectus est numerus, parit, illa, inquam imperfectæ in filijs opposita.

Septenarius in Scripturis.

Esai 11. v. 2.

Psal. 11. v 7.

Iob. 5. v. 19.

Matth. 18. v. 22.

Gen. 4. v. 24

Psal. 78. v. 12.

Pro. 9. v. 1.

Zach. 3. v. 9.

Psal. 118. v. 164.

1. Reg. 2. v. 5.

Quòd si veteres etiã historiæ expendendæ sunt, animaduerto septimum inter primæuos homines Enoch translationis honore affectum. Perspicio item vicesimum primum Abraham Patriarchatu

Gen. 5. v. 24

Gen. 11. v. 26

ornatum, mysterij maioris accessione. Septenarius enim ter in se ductus numerum hunc efficit. Ausit autem fortasse quispiam iuuenili animi impetu feruens ad nouum quoque Adamum venite, Deum inquam meum & Dominum Iesum Christum, qui iuxta Lucæ descriptionem à veteri, & sub peccato constituto Adamo, septuagesimus septimus numeratur. Tum septem illas Iosue filij Naue tubas mecum reputo, totidémque circuitus, & dies, & Sacerdotes, à quibus muri Hierico labefactantur ac deijciuntur. Consimili modo septenam Eliæ Prophetæ conuersionem, mysticámque illam triplicem insufflationem, quâ Sarephtanæ viduæ filio vita inspirata est: eiusdémque numero parem lignorum prolutionem, tum cùm igni diuinitus immisso sacrificium absumpsit, ignominiæque prophetas, qui inuocando idem facere nequiuerant, morti addixit. Quo etiam in genere ponenda est septenaria illa nubis speculatio, puerulo imperata, & æqualis Elizæi circum Sunamitidis filium inflexio, quâ vitalis halitus suscitatus est. Ad eandem quoque, ni fallor, doctrinam pertinet (vt septem hastilibus & lucernis instructum templi candelabrum prætercam) quòd, & Sacerdos septem diebus initiatur, & septem item leprosus purgatur, ac totidem diebus templum dedicatur. Eodem denique referendum, quòd septuagesimo anno populus ex captiuitate reducitur: vt quam vim in vnitatibus habet hic numerus, eandem quoque in decadibus habeat, ac perfectiori numero septenarij mysterium honoretur.

Luc. 3. v. 23.
Iosue 6. v. 4.
3. Reg. 17. v. 21.
3. Reg. 17. v. 34.
Prophetæ Baal; αἰσχύνης· confusionis.
Ibid. v. 43.
4. Reg. 4. v. 34.
Exod. 25. v. 37.
Exod. 29. v. 35.
Leuit. 14. v. 8.
3. Reg. 8. v. 65.
2. Par. 36. v. 21.

Quid autem longinqua colligo? Iesus ipse qui pura perfectio est, quinque panibus in deserto quinque hominum millia aluit, ac rursus septem panibus quatuor millia. Atque expletâ populi fame reliquiæ collectæ sunt, illic duodecim cophini, hîc septem sportæ: neutrum opinor temere, nec aliter quàm Spiritu dignum erat. Quo per te quoque ipse Scripturas peruoluens, multos numeros obseruaueris, qui profundius aliquid habeant, quàm quod primâ fronte præ se ferunt. Quod autem præsenti tempori commodissimum est, ob has fortasse, vel his proximas, vel etiam sublimiores quasdam, ac diuiniores rationes, Pentecostes diem Hebræi colunt, ac nos item colimus: quemadmodum & nonnullos alios Hebraicos ritus obseruamus, qui apud illos quidem typicè celebrantur, à nobis autem mysticè peraguntur. Atqui hæc de die nobis dicta sint: nunc ad ea, quæ sequuntur, pergat oratio.

Ioan. 6. v. 9.
Matth. 15. v. 34.

Pentecosten celebramus, ac Spiritus aduentum, & præfinitum pollicitationis exequendæ diem, spéique impletionem. Ac, Deus bone, quantum est hoc mysterium, quàm magnum & venerandum! Corporea Christi finem habent, vel, vt rectiùs dicam, ea quæ ad corporeum ipsius aduentum spectabant (vereor enim dicere res ad corpus pertinentes, quo ad mihi cuiusdam oratio persuaserit, præclarius esse corpus exuisse ac deposuisse) Spiritus autem actiones principium capiunt. Quænam porrò ea erant, quæ ad Christum spectabant? Virgo, natiuitas, præsepe, fasciatio, Angeli laudantes, pastores accurrentes, stellæ cursus, Magorum adoratio & munerum oblatio, Infantium cædes ab Herode patrata, ipse in Ægyptum fugiens, ex Ægypto rediens, circuncisus, baptizatus, supernum testimonium consecutus, tentatus, lapidibus propter nos impetitus (vt pote quibus afflictionis pro fide ac

Pentecostes mysterium magnum & venerandũ.
Perstringit Origenem, sic malè corpora abijcientem.
Christi in carne mysteria.

A Paschate.

A rectâ doctrinâ subeundæ exemplum dari oportebat) proditus, clauis confixus, sepultus, vitæ restitutus, ascendens. Quorum nunc etiam plurima patitur, ab impiis quidem & Christi osoribus ea, quæ ignominiam habent, ac pro suâ lenitate patienter fert: à piis autem & Christi amore præditis, ea quæ cum honore coniuncta sunt. Atque vt illis iram, eodem modo nobis quoque benignitatem differt: hoc fortasse consilio, vt & illis pœnitentiæ tempus concedat, & nostrum amorem ac desiderium probet atque exploret; num scilicet in calamitatibus & certaminibus pietatis causâ susceptis, animis frangemur; quemadmodum iam olim diuinæ dispensationis & B imperuestigabilium ipsius iudiciorum, quibus res nostras sapienter moderatur, est ratio. Atque huiusmodi quidem sunt, quæ ad Christum pertinent: quæ autem sequuntur, gloriosiora spectabimus, vtinamque & ipsi spectemur: sunt autem illa mysteria Spiritus. Adsit verò ipse mihi Spiritus, tantámque mihi dicendi facultatem suppeditet, quantam cupio: aut si non tantam, at certè quæ huic festi celebritati par sit. Ac profectò aderit heriliter, non seruiliter, nec iussum atque imperium, vt quibusdam videtur, expectans. Spirat enim vbi vult, & super quos vult, & quando, ac quantum. Sic nos Spiritu afflati, & cogitamus & loquimur.

Christus eadem nunc à piis, vel impiis sustinet, quæ in vitâ.
Inuocatio sancti Spiritus.
Spiritus, Dominus.
Ioan. 3. v. 8

C Qui Spiritum sanctum in rerum creatarum ordinem deijciunt, contumeliosi sunt & mali serui, atque adeò malorum pessimi. Malorum enim seruorum est imperium aspernari, & aduersus dominationem insurgere, atque id quod liberum est, in eandem secum seruituris classem redigere. Qui autem Deum eum censent, diuini profectò viri sunt, atque illustri mente præditi. Qui verò etiam appellant, siquidem apud æquos & probos auditores, sublimes & excelsi sunt: sin autem apud abiectos & humi prouolutos, haud satis prudentes, vt pote qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitrui sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc vtentibus solidum cibum D committant: cùm eos paulatim ad vlteriora promouere, atque ad subliniora prouehere conueniat, lumini lumen impertiendo, ac veritati veritatem conciliando. Quocirca nos quoque perfectiori interim sermone misso facto, nondum enim tempus id postulat, ad hunc modum cum ipsis disseremus.

Macedoniani, serui pessimi.
Cautè, nec passim omnibus loquendum de obscurioribus mysteriis: hæc de Spiritus deitate pro Gregorij illâ ætate, cùm & Basilius non abnueret in eo supprimi nomen Dei.

Siquidem, ô viri, nec increatum, nec temporis expertem Spiritum sanctum creditis, spiritu aduersario haud dubiè afflamini: dabitis enim veniam, si zelo permotus asperius aliquod verbum extulero. Quod si hactenus saltem rectè sentitis ac bellè valetis, vt manifestam impietatem fugiatis, atque eum, qui nos quoque liberos efficit, à seruili ordine eximitis, quod sequitur, vnà E cum Spiritu sancto ac nobis expendite. Vos quippe aliquatenus ipsius participes esse confido, ac iam velut cum iis qui à nostris partibus stant, simul rem considerabo. Aut mihi aliquid, quod inter seruitutem & dominationem interiectum sit, date, vt illic Spiritus dignitatem collocem: aut, cùm seruitutis nomen fugiatis, non obscurum erit, quo loco atque ordine id quod exquiritur, collocetis. At syllabas molestè fertis, atque ad vocem impingitis, lapisque offensionis & petra scandali hoc vobis efficitur, (nec mirum cùm Christus quoque ipse nonnullis scandalo fuerit.) Humanus is quidem affectus. Verùm spiritualiter

Nempe, ad vocẽ, Deus, quam ægrè ferebant Macedoniani Spiritui tribui.

inter nos hanc controuersiam transigamus: fraternæ potius charitatis studium, quàm nostri amorem præ nobis feramus. Vim diuinitatis ac potentiam nobis date, & nos vicissim diuinitatis vocem vobis concedimus. Naturam aliis vocibus, quibus plus tribuitis, confiteamini, ac vos vt infirmos curabimus, nonnulla vobis grata ac iucunda velut furtim elargientes. Sanè quidem turpe illud est, turpe inquam, & perabsurdum, cùm animo optimè valeatis, circa vocis sonum ieiunos & minutos vos præbere, ac thesaurum occultare, quasi aliis eum inuidentes, aut metuentes, ne linguam quoque vestram sanctificetis: turpius autem nobis est eodem vitio teneri quod vobis obiicimus, atque, cùm animam vestram de minutis vocibus contemnonem damnemus, literarum tamen minutias anxiè vrgere. Trinitatem, ô viri, vnius deitatis esse fateamini, aut, si magis placet vnius naturæ: atque hanc vocem, Deus, à Spiritu vobis postulabimus. Dabit enim profectò secundum, qui primum dedit, idque potissimum, si id de quo pugnatur, spiritalis quædam timiditas fuerit, ac non diabolica contentio. Atque, vt apertiùs & compendiosiùs loquar, sic inter nos agamus, vt nec vos sublimioris vocis ergo nos in crimen vocetis (nec enim iniquâ & reprehensione premi debet huiusmodi assensus) nec nos vicissim eam vocem, cuius adhuc capaces non estis, vobis obiiciemus: quandiu alio itinere ad idem diuersorium feremini. Non enim victoriam ambimus, sed vt fratres, quorum secessione distorquemur, ad nos redeant laboramus. Atque hæc ad vos dicta sunt: apud quos vitale quidpiam reperimus, quippe qui sanè atque integrè de Filio sentiatis: quorum, cùm vitam torrificè probemus, doctrinam tamen non omni ex parte laudamus: qui cùm ea quæ sunt Spiritus habeatis, Spiritum quoque insuper assumite, vt non solùm certetis, sed etiam legitimè (nam hinc coronæ decus comparatur.) Hoc vobis morum & vitæ præmium detur, vt Spiritum plenè perfectéque confiteamini, ac nobiscum, immò etiam ante nos, quantùm æquum est, prædicetis. Atque etiam maius quiddam vestrâ causâ dicere, illúdque Apostoli proloqui non dubitabo. Adeò vos amplector atque exosculor, adeò concinnam hâc vestram & compositam vestem tueceor, & continentiæ colorem, & sacros hos cœtus, & venerandam virginitatem ac purgationem, & noctes, quas in Psalmis decantandis insomnes transigitis, & propensum in pauperes, & fratres, & hospites studium atque amorem, vt anathema etiam à Christo esse, ac nonnihil, vt damnatus, perpeti non recusem, modò nobiscum adiungamini, communibúsque animis Trinitatem concelebremus. Nam quid de aliis dicam perspicuè mortuis & exstinctis (quos ad vitam reuocare Christi solius est, qui suâ potentiâ mortuos viuificat) qui locorum spatiis scelerate distrahuntur, cùm doctrinæ vinculo constricti sint, tantumque inter se contendunt, quantum distorti oculi vnam eandémque rem cernentes, ac non obtutu, sed situ duntaxat inter se dissidentes: si tamen illis distortio ac peruersitas, non autem cæcitas obiicienda est. Postquam autem ad vos vtcunque disseruí, agedum ad Spiritum iam ipsum redeamus: ac vos iam, vt opinor, dicentem sequemini.

Modus disputandi cũ hæreticis.

Macedonianorum vitam laudat. 2. Tim. 4. v. 8.

Gregorius Pauli more, anathema cupit esse pro fratrũ salute. Rom. 9. v. 3.

Gregorij œconomia, eadem atq; Basilij.

Nonatianos fortè perstringit, quorum error disciplinæ magis erat, quàm fidei: nec iam hæresis, quàm schisma.

Spiritus sãctus æternitas, ac dotes aliæ.

Spiritus sanctus & semper erat, & est, & erit, nec vllo ortu generatus, nec finem habiturus, sed semper cum Patre & Filio coniunctus atque connumeratus: nec enim conueniebat, vt vel Pater Filium, vel Filius Spiritum sanctum aliquando desideraret. Nam alioqui maximum dedecus diuinitati conflaretur, vt quæ ad perfectionis cumulũ velut ex pœnitentiâ venisset. Erat igitur semper, participans, non particeps: perficiens, non ab alio perfectus: explens, non expletus: sanctificans, non sanctificatus: deificans non deificatus: ipse semper, & secum, & cum iis, quibus adiunctus est, idem & æqualis: inuisibilis, temporis expers, nullo spatio circunscriptus, immutabilis, qualitate, quantitate, formâ & tactu carens, suopte & sempiterno motu agitabilis, arbitrij libertatem & potestatem à se habens: omnipotens (tametsi ad primam causam, vt omnia ea quæ sunt Vnigeniti, ita etiam quæ Spiritus sancti sunt, referantur) vita, & viuificus, lux, & lucis largitor, bonitas ipsa, & fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis, Dominus, mittens, segregans, templum sibi extruens, viam præmonstrans, arbitratu suo afflans, gratiásque diuidens, Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, prudentiæ, scientiæ, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, quemadmodum superius commemorauimus, per quem Pater cognoscitur, & Filius glorificatur, & à quibus solis ipse cognoscitur, vna classis, vna adoratio, potentia, perfectio, sanctitas. Quid pluribus verbis opus est? Omnia quæcunque Pater habet, sunt Filij, præterquam quòd ingenitus non est. Omnia quæcunque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Hæc porrò nequaquam substantiam secernunt, vt quidem ipse sentio, verùm circa substantiam secernuntur. Partuis obiectiones: at ego orationis cursum. Diem Spiritui factum honori habe: linguam paululum, si fieri potest, comprime. De aliis linguis oratio nobis instituta est: has reuerere, vel extimesce, vt quæ cum igne conspiciantur. Hodie doceamus, cras argutè & artificiosè disseremus. Hodie festum agamus: cras inhonestè ac indecorè nos geremus. Hæc mysticè, illa theatricè: hæc Ecclesijs, illa foro: hæc sobriis, illa temulentis: hæc seriò agentium sunt, illa aduersus Spiritum ludentium. Postquam autem alienos submouimus, age nostros instauremus.

Honorandus dies sãcto Spiritui sancto.

Primùm igitur Spiritus sanctus in Angelicis & cœlestibus copiis, iisque, quæ post Deum primæ sunt, eumque circunstant, vim suam exercebat: neque enim aliunde perfectionem atque splendorem habent, idque præterea, vt ad malum ægrè vel nullo prorsus modo moueri queant, quàm à Spiritu sancto. Deinde in Patribus & Prophetis, quorum alij Deum per imaginem viderunt, aut cognouerunt, alij autem etiam res futuras præsciuerunt, impressam nimirum per Spiritum sanctum principem animi partem habentes, & futura quasi præsentia cernentes. Huiusmodi quippe Spiritus vis est ac potentia. Tum in Christi discipulis (Christum enim prætermitto, cui aderat, non vt operans, sed vt bonorem æqualem comitans) iisque trifariam (prout ipsorum captus ferebat) tribusque temporibus, nempe antequam Christus per passionem glorificatus esset, postquam per resurrectionem glorificatus fuit, ac denique post eius ad cœlos ascensionem siue restitutionem, siue quocunque alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicuè ostendit, tum prima illa morborum spirituumque depulsio, quæ certè non absque Spiritus numine fiebat: tum illa post expletum

Angelorum perfectio, à Spiritu sancto.

Patrum illustratio, ac præscientia Prophetarum.

Tripharium in Apostolis vim suam exeruit.

salutis nostræ negotium insufflario, quæ diuinioris proculdubio inspirationis specimen babebat, tum postremò præsens hæc ignearum linguarum diuisio, quam etiam solenni festo celebramus.

Spiritus in Pentecoste velut essentialiter venit, & vt corporaliter appareret.

Verùm primò quidem obscurè, secundò expressiùs, nunc verò perfectiùs, vt pote qui non iam operatione solâ præsens sit, vt priùs, sed essentiâ, vt sic loquar, adsit, simulque versetur. Nam cùm Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritum quoque corporeo modo cerni conueniebat: & cùm Christus ad sese reuersus esset, Spiritum quoque ad nos descendere, & quidem ita, vt & tanquam Dominus veniret &, tanquam Deo nequaquam oppositus, mitteretur.

Missio, cōcordiā denotat.
Ioan. 14. v.16.
Alios Paracletos, honore Filio æqualis.

Etenim huiusmodi voces non minus concordiam declarant, quàm naturam distrahunt. Idcirco post Christum quidem accedit, ne Paracletus nobis desit: alius autem, vt tu honoris æqualitatem cogites. Hæc enim dictio, *Alius*, alium mihi æqualem constituit. Hoc porrò nomen parem imperij gradum indicat, non ignominiam. Vox enim, Alius, non de alienis, sed de iis quorum eadem est substantia, prædicatur.

Cur in linguis, iisque igneis.
Deut. 4. v.24.

Iam verò in linguis apparet propter cognationem eam, quam cum Verbo habet. Cur autem in linguis igneis? vtrùm propter purgationem (ignis enim purgantis Scriptura meminit, quemadmodum cuiuis volenti discere promptum est) an verò propter essentiam? *Deus* enim *noster ignis est*, & quidem ignis improbitatem absumens, discrucieris rursus licet, propter consubstantialitatem in angustias redactus.

Cur in dispertitis.
Cur sedentibus.
Cur in cœnaculo.

Atque in dispertitis quidem linguis apparet, ob gratiarum diuersitatem: sedentibus autem, propter regiæ dignitatis excellentiam, eiúsque super sanctos requiem, quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubinos habet. In cœnaculo verò (nisi fortè curiosiùs quàm par sit, ista persequi videor) propter eorum, qui accepturi sunt, ascensionem atque à terrâ subuectionem: nam & cœnacula quædam diuinis aquis teguntur, à quibus Dei quoque laudes celebrantur.

Psal. 148. v.4.
Dan.3.v.60
Mar.14.v.15.
Institutum corporis Christi mysterium in cœnaculo.
Exod. 19. v.12.

Atque ipse Iesus cùm sublimioribus discipulos initiaret, mysterium ipsis in cœnaculo impertiit, vt illud ostendatur, partim Deum ad nos descendere oportere, quemadmodum olim in Mose contigisse scimus, partim nos ad eum subuehi, sicque inter Deum & homines consortium iniri, vtriusque videlicet dignitate inter se commixtâ. Quandiu autem & ille in suâ speculâ, & homo in humilitate & depressione suâ manserit, nec bonitatem ipsius vllo modo misceri, nec beneficentiam communicari posse: chaos enim vastum atque imperuium interiectum esse, non modò diuitem à Lazaro, & expetendo illo Abrahæ sinu dirimens, verùm etiam procreatam & fluxam atque caducam naturam ab increatâ & stabili.

Luc 16. v.26

Spiritus sāctus variè celebratus in Scripturâ
Isai.61. v.1.
Isai 11. v. 2.
Exod.31.v.2
Isai. 63. v.10.
4. Reg. 2. v.11. & 9.
Psal.142. v.10. & 50. v 14.
Promissus à Ioële, & ipso Christo.
Ioel.2. v.28.
Ioan.7. v.39.
Ioan. 14. v.16.

Hic à Prophetis quidem prædicatus est, quemadmodum ex his Scripturæ locis patet, *Spiritus Domini super me, propterea vnxit me*. Et, *Requiescent super eum Spiritus septem*. Item, *Descendit Spiritus Domini, & deduxit eos*. Ad hæc, Spiritus scientiæ, à quo Beseleel tabernaculi architectus impletus est. Ac præterea Spiritus ad iracundiam prouocatus. Insuper Spiritus qui Eliam in curru extulit, ac duplex ab Elisæo postulatus est. Adde Spiritum bonum & principalem, qui Dauid ducitur atque confirmatur. Promissus autem est, priùs quidem à Ioële in hæc verba loquente: *Et erit in nouissimis diebus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, scilicet fide præditam, *& super filios vestros & super filias vestras*, & quæ sequuntur. Postea autem ab ipso quoque Iesu, qui, vt à Spiritu glorificatur, ita vicissim quoque ipsum glorificat: quemadmodum & Patrem glorificat, & à Patre glorificatur. Et quidem quàm larga & effusa promissio! fore vt in æternum permaneat, siue nunc cum his qui ad tempus digni erunt, siue in posterum cum his, qui alterius sæculi bonis digni habebuntur: posteaquam videlicet ipsum per honestam ac præclaram vitæ rationem integrum seruauerimus, ac non hactenus amiserimus, quatenus in peccatum prolapsi fuerimus.

A Paschate.

Creatio, ac instauratio Spiritui cōmunis cum Filio.
Psal.32 v.6.
Iob.33. v.4.
Psal. 103. v.30.
Ioan.3.v.5

Hic Spiritus, & cum Filio rerum creationem ac resurrectionem fabricatur, quemadmodum his Scripturæ locis comprobatur; *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Et, *Spiritus diuinus, qui fecit me, flatus omnipotentis, qui docet me*. Et rursus, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*. Spiritualis quoque regenerationis auctor est. Huius rei tibi fidem faciat, quòd Christus ait, Neminem regnum videre aut accipere posse, nisi qui supernè per Spiritum progenitus fuerit, ac per diuinam & lucidam creationem, quâ per sese quisque fingitur, à priori generatione, quæ noctis arcanum est, purificatus fuerit.

Spiritus beneficia in homines.
1. Reg. 16. v. 13.
Amos 1.v.1.
Dan 13. v. 41. & 14. v. 30.
Matth 4. v. 19. & 21

Hic Spiritus vtpote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, Psaltem facit prauos spiritus excantantem, atque Israëlis Regem designat. Si caprarium moros vellicantem, Prophetam efficit. Dauidem & Amos cogita. Si adolescentem bonæ indolis acceperit, presbyterorum iudicem constituit, idque suprà quàm ætatis ratio ferre videatur. Testis est Daniel, qui leones in lacu superauit. Si piscatores inuenerit, Christo irretit, orbem vniuersum sermonis retibus complectentes. Petrum mihi, atque Andream accipe, tonitruíque filios qui spiritualia intonuerunt. Si publicanos, ad discipulatum eluctatur, atque animarum negotiatores efficit, Testis Matthæus, heri publicanus, hodie Euangelista. Si feroces persecutores, aelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit, nec minus pios reddit, quàm impios offenderat. Hic & lenitatis est Spiritus: & tamen in eos qui peccant, incitatur. Proinde lenem ipsum, & clementem, ac non iracundum experiamur, dignitatem ipsius confitentes, ac blasphemiam fugientes, nec eum implacabiliter irascentem videre in animum inducamus. Hic me quoque hodierno die præfidentem vobis ac audacem præconem reddit: si nihil propterea perpessurum, Deo sit gratia; si autem perpessurum, sic quoque Deo gratia: alterum, vt iis parcat, qui nobis infesti sunt: alterum, vt nos sanctificet; hoc videlicet sacræ Euangelij functionis præmium consecutos, vt cruentâ morte consummemur.

Gregorius martyrij cupidus.
1. Cor. 14. v. 21.
Isai 28.v.11

At verò linguis externis, ac non vernaculis Apostoli loquebantur, singularique miraculo sermo ab his, qui non didicerant, proferebatur: signúmque illud infidelibus erat, non fidelibus, vt infidelium accusator esset: sicut scriptum est, *Quoniam in alijs linguis, & in labijs alijs loquar populo huic, ac ne sic quidem exaudient me, dicit Dominus. Audiebant* autem. Verùm hic paulùm consiste, atque addubita quomodo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, in-

A

terpunctione dirimendam. Vtrùm enim audiebant suâ quisque dialecto, ita vt, verbi gratiâ, vox quidem vna resonaret, multæ autem audirentur, sic videlicet pulsato ac perstrepente aëre, pluribúsque vocibus, vt magis perspicuè dicam, ex vnâ voce effectis: ao potiùs in hoc verbo, *Audiebant*, punctum statuendum est, atque hæc verba, *Loquentes suis linguis*, cum his quæ sequuntur, iungenda sunt: vt sic legatur, *Loquentes linguis*, propriis scilicet audientium, hoc est, externis: qui sensus mihi magis arridet, Nam illo quidem modo, eorum potiùs qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit: at hoc sensu, eorum qui loquebantur: qui etiam temulentiæ insimulantur, haud dubiè quia ipsi Spiritus afflatu noui miraculi aliquid circa voces designabant.

Linguarum donum in eo positum, vt externis linguis Apostoli loquerentur.

B

Quanquam autem præclara quoque ac laudabilis fuit vetus illa linguarum diuisio (cùm scilicet nefariè impiéq; inter se concordes erant, qui turrim extruebant, quemadmodum nunc quoque quidam facere non verentur) animorum enim & voluntatum consensio cum linguarum distinctione soluta, susceptum negotium abrupit: præclarior tamen laudabiliórque est ea, quæ nunc insigni miraculo patratur. Ab vno enim Spiritu in multos diffusa, ad vnum concentum rursus connectitur. Atque gratiarum diuersitas est, aliâ granâ opus habens, ad discernendum quænam sit præstantior: quandoquidem nulla est, quæ laude careat. Quin præclara quoque illa diuisio dici possit, de quâ loquitur Dauid, *Præcipita Domine, & diuide linguas eorum.* Quid ita? Quoniam *dilexerunt omnia verba præcipitationis, linguam dolosam*: modò non apertis verbis huiusce loci ac tempestatis linguas accusans, quæ diuinitatem scindunt. Ac de his quidem hactenus. Quoniam autem habitantibus Hierusalem religiosissimis Iudæis, Parthis, Medis & Elamitis, & Ægyptiis & Libycis, Cretensibus & Arabibus, Mesopotamitis & Cappadocibus meis, linguæ loquebantur, atque ex omni gente quæ sub cœlo est, Iudæis, illic (si cui intellectus hic placet) congregatis, operæpretium fuerit videre, tum quinam hi erant, tum cuius captiuitatis. Nam illa Ægyptiaca & Babylonica præter quàm quòd circumscripta ac certo loco definita erat, iam etiam olim per captiuorum reditum soluta fuerat. Illa autem Romana, quâ sceleris ac vesanæ aduersus salutis auctorem audaciæ pœna ab ipsis expetebatur, nondum acciderat, sed imminebat. Relinquitur igitur, vt hanc captiuitatem Antiochicam esse censeamus, iis temporibus non multò antiquiorem. Quòd si cui hæc expositio minùs probatur, vt curiosiùs alienisque petita (neque enim captiuitatem hanc veterem esse, neque in multas orbis partes diffusam) ac probabiliorem quærit, illud fortasse rectiùs fuerit existimare, quòd cùm sæpe atque à multis hæc natio exilij causâ solum vertere coacta sit, quemadmodum Esdras literarum monumentis prodidit, aliæ quidem tribus in patriam restitutæ fuerint, aliæ verò in exilio relictæ: quibus, vt verisimile est, in multas nationes dispersis, tum temporis quidam adfuerint, Apostolicíque miraculi participes extiterint. Atque hæc à nobis perpensa & considerata sunt, quæ etiam eiusmodi esse arbitramur, vt literarum studiosi, ea pro superfluis superuacaneisque nequaquam habituri sint. Quòd si quis aliud quidpiam

Gen. 11. v. 6.

C

Psal. 54. v. 10.

Psal. 50. v. 6

Præcipitationis verba, scindentium deitatem.

D

E

Iudæi dispersi ab Antiochicâ captiuitate; vel à superioribus ex quibus non redierunt integrè.

ad huius diei solennitatem contulerit, nobis quoque id collegerit. Sed iam concio quidem soluenda est (satis enim longè se porrexit Oratio) festi autem celebratio nunquam abrumpenda. Quin potiùs festum agendum est, nunc quidem corporeo quoque modo, paulò post autem prorsus spirituali. Illic nimirum, vbi rationes harum rerum puriùs apertiúsque cognoscemus, in ipso Verbo & Deo & Domino nostro Iesu Christo, vero eorum, qui salutem consequuntur, festo & exultatione, cum quo gloria & veneratio Patri cum sancto Spiritu, nunc & in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM, EX ORATIONE *trigesima septima, quæ est postrema de Theologiâ.*

SIc res se habet. Vetus Testamentum Patrem apertè prædicat, Filium obscuriùs. Nouum autem, nobis Filium perspicuè ostendit, & Spiritus diuinitatem subobscurè quodammodò indicauit. Nunc verò Spiritus nobiscum versatur, seséque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat, Patris diuinitate nondum confessâ, Filium apertè prædicari: nec, Filij diuinitate nondum admissâ, Spiritum sanctum, velut grauiorem quandam nobis sarcinam, si ita loqui fas est, imponi: ne alioqui, velut cibis vltra vires grauati, ac Solis radijs hebetes oculos adijcientes, ijs quoque quibus præditi eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, &, vt Dauid loquitur, ascensionibus, atque à claritate in claritatem progressionibus & incrementis, Trinitatis lumen splendidioribus effulgeret. Ob hanc causam, vt opinor, ad discipulos quoque paulatim se confert, ad excipientium videlicet captum, modulumque sese impertiens; nimirum Euangelio inchoante virtutes perficiens; post Christi passionem insufflatus; post ascensum, in igneis linguis apparens. Quin etiam ab ipso Iesu paulatim declaratur, vt ipse quoque comperies, si animum diligentiùs aduerteris. *Rogabo*, inquit, *Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Quæ quidem verba eò dixit, ne Dei aduersarius esse, aut quasi de aliâ quadam potestate sermonem facere videretur. Postea, *Mittet* quidem, cæterum, *in nomine meo.* Hîc, omisso Rogandi verbo, Mittendi verbum retinuit. Tum denique, *Veniet*: quo verbo Spiritus potestas indicatur. Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nos quoque tenere præstiterit: vt nec repente atque confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem vsque occultemus. Illud enim inconsultum, atque ab arte alienum fuerit, hoc impium. Illud extraneos offendere queat, ac percellere: hoc nostros à nobis abalienare.

Enimuerò id, quod quibusdam quoque aliis fortassis in mentem venit, ego tamen animi mei fœtum esse existimo, superioribus adiungam. Habebat quædam Saluator, quæ à discipulis, licet alioqui multiplici doctrinâ implerentur, nunc tamen portari posse negabat, ob eas fortasse, quas attuli, causas: atque idcirco ea ipsis occultabat. Ac rursus dicebat fore, vt ab adueniente Spiritu omnia edocerentur. Ego vnum ex eorum numero esse censeo, ipsam Spiritus sancti deitatem, in posterum apertiùs declarandam, tum videlicet, cùm post Saluatorem vitæ, cœlóque redditum,

Sanctæ Trinitatis cognitio paulatim, certisque accessionibus inuecta.

Simile.

Psal. 83. v. 6.
2. Cor. 3. v. 18.

Κατὰ μέρος· quibusdam velut gradibus τὸ sigillatim Billij non placet.

Matth. 10. v. 1.
Ioan. 20. v. 22.
Act. 2. v. 1.
Ioan. 14. v. 16. & 26. & 15. v. 26.

Ioan. 16. v. 12.

Diuinitas Spiritus apertiùs cognita post Iesum clarificatum.

matura iam, & perceptibilis esset, ipsius cognitio, vtpote cui deinceps ob tam insigne miraculum fides non abrogaretur. Quid enim hoc maius, vel ille polliceri, vel hic docere potuisset: si modò magnum aliquid existimandum est, Deique magnificentiâ dignum, quod promittebatur, vel quod erat docendum. Ac de his ita sentio, vnusquisque sentiat, & quisquis mihi amicus est, colamusque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; tres proprietates, vnam Deitatem, nec gloriâ, nec honore, nec essentiâ, nec regno diuisam, vt quispiam, diuino numine afflatus, non ita pridem philosophatus est. *Nec Luciferum exorientem videat*, vt cum Scripturâ loquar, *nec cælestis splendoris claritatem*, quisquis aliter sentit, aut tempori obsequitur, aliam aliamque subinde formam assumens, putidumque de maximis rebus consilium capiens. Si enim Spiritus adorandus non est, quomodò me Deum per baptismum facit. Si autem adorandus, an non colendus ac numen? Porrò si numen an non Deus? Vnum enim vni cohæret, ac verè aurea quædam & salutaris est hæc catena. Et quidem à Spiritu regenerationem habemus, à regeneratione instaurationem, ab instauratione cognitionem dignitatis illius, qui auctor nobis est instaurationis. Atque hæc sunt, quæ ab eo afferi queant, qui Spiritus diuinitatem nullo Scripturæ loco niti concesserit. Iam verò tibi auctoritatum examen prodibit, ex quibus Scripturæ testimonio admodum confirmatam esse Spiritûs diuinitatem ostendetur, ijs quidem certe, qui non nimis stolidi & obtusi fuerint, atque à Spiritu auersi.

Trinitatis confessio. Gregorius Thaumaturgus, inquit Elias.

Iob. 3. v. 9.

Catena aurea, Deum Spiritum astruens.

Sic autem expende. Nascitur Christus: præcurrit Spiritus. Baptizatur ille: hic testimonium fert. Tentatur ille: hic adducit. Miracula edit ille: hic comes est. Ascendit ille: hic succedit. Quod enim adeò magnum & diuinum est, quod non ipse possit? Quod tam diuinum nomen est, quo (excepto Ingeniti & Geniti nomine) non appelletur? Patris enim & Filij proprietates incolumes atque integras ipsis manere conueniebat: ne alioqui penes Deitatem confusio extaret, quæ & reliqua in ordinem formamque adducit. Equidem ipse ad tantam nominum copiam, aduersus quam frontem perfricant, qui Spiritui aduersantur, totus cohorresco. Spiritus Dei dicitur, Spiritus Christi, Mens Christi, Spiritus Domini, ipse Dominus: Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis. Spiritus sapientiæ, prudentiæ, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Dei, horum omnium efficiens, omnia essentiâ suâ implens, omnia continens, mundum quantum ad essentiam implens, interim ipse maior quàm vt mundus vim illius ac potentiam capere possit: bonus, rectus, principalis, naturâ non gratiâ: sanctificans, non sanctificatus; metiens, non dimensus; impertiens, non ipse particeps; implens, non qui impleatur; continens, non qui contineatur: qui hæreditate habeatur, clarificetur, Patri & Filio connumeretur, minaciter denuntietur: Dei digitus, ignis tanquam Deus, ad ostendendum, vt opinor, quòd eiusdem essentiæ sit: Spiritus qui condidit; qui per baptismum, & resurrectionem denuo creat: Spiritus omnia cognoscens, docens, vbi vult, & quantum vult spirans, ducens, loquens, mittens, segregans: Spiritus qui ad iram incitatur, qui tentatur, qui reuelat, qui lucem ac vitam affert; immò qui ipsa lux ac vita est: qui templa efficit, deitate donat, perficit, vt & baptismum anteuertat, & post baptismum requiratur: qui omnia efficit, quæcunque Deus ipse: qui in igneis linguis diuiditur, qui dona distribuit, qui Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores facit. Spiritus intelligens, multiplex, apertus, clarus, incontaminatus, quem nemo prohibeat (quod idem valet ac si dicerem) sapientissimus, agendique facultate varius & multiplex, omnia explicans ac declarans, arbitrij libertate præditus, immutabilis) omnipotens, omnia lustrans, per omnes spiritus penetrans, intelligentes, puros, tenuissimos (hoc est, per Angelicas, vt opinor, Virtutes) quemadmodum & per Propheticos & Apostolicos: eodem tempore, nec tamen in ijsdem locis (alij enim eorum alibi fusi ac sparsi erant) quod quidem perspicuè ostendit eum nullius loci circunscriptione coërceri. Qui hæc dicunt ac docent, atque insuper Paracletum alium, velut alium Deum, nominant; qui solam in eum blasphemiam inexpiabilem norunt; qui tremendo adeò dedecore Ananiam ac Sapphiram mulctarunt, perinde ac Deo, non homini mentiti essent, quid tandem tibi videntur, Spiritumne Deum prædicare, an aliud quid? Quàm crassi es ingenij, atque à Spiritu procul remoti, si de hac te dubites, ac doctore opus habeas. Ac tot nominibus, tam viuis & expressis, in Scripturâ Spiritus appellatur. Quid enim testimonia ipsa tibi ad verbum producere attinet? Quæcunque autem hîc quoque humiliùs dicuntur, velut quod detur, mittatur, distribuatur; charisma, donum, insufflatio, promissio, intercessio, & si quid aliud huiusmodi, ad primam causam referri debent; vt, ex quo sit, ostendatur, ac non tria principia diuisa, proindeque plures dij admittantur. Paris enim impietatis est, vel Sabellij more personas nectere, vel instar Arij naturas separare.

Spiritus Christi operibus comes.

Appellationes, ex quibus Deus comprobetur.

1. Cor. 2. & 3.
Rom. 8. v. 9. & 11. v. 34.
Isai 11. v. 1. &c.

Matth. 12. v. 31.

Iob. 33. v. 4.

Ioan. 3. v. 8.

Act. 10. v. 44. & 19. v. 6.

Ioan. 15. v. 26.

Matth. 12. v. 31

Act. 5. v. 3.

Enimuerò cùm mentis curiositate multum diuque mecum considerassem, atque rationem vndequaque explorassem, rei tantæ imaginem quandam exquirens, cui tandem rerum inferiorum diuina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamuis enim exiguam aliquam similitudinem inuenerim: maior tamen me pars fugit, humique me cum meo exemplo relinquit.

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI, *Episcopi Constantinop. præcedentis Euang. explicatio.*

TVm Iudas: *Quid factum est*, inquit, *quia manifestaturus es nobis teipsum?* Ecce quantâ formidine tenebantur: commotus enim & perturbatus erat eorum animus, & vt mortuos in somnijs, ita eum visuros se arbitrabantur. Ad quam suspicionem tollendam, audi quid respondeat: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c.* Tantùm non dicens: Sicut Pater manifestat seipsum, ita & ego: neque hoc tantum, sed dicendo; *Mansionem apud eum faciemus*, aufert suspicionem non in somnijs se manifestaturum. Tu autem contemplare perturbatum discipulum, neque apertè sententiam suam dicere audentem. Non enim dixit, Væ nobis quòd morieris, & mortuus nobis appariturus es: sed, *Quid factum est, quòd manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?* Dicit ergo se eos charos

Hom. 74. in Ioan. 14. v. 22.

V. 23.

Emendata discipulorũ existimatio de futurâ Christi apparitione.

habere, quia mandatum ipsius seruant: vt enim A videntes eum postmodum phantasma non existimarent, ideo hæc prædicit: & ne ita, vt dixi, sibi appariturum putarent, affert etiam causam, quòd ob ipsius mandatorum obseruationem Spiritum quoque sic eis appariturum dicit. Quòd si tam diuturnâ illius consuetudine vsi, necdum illam præsentiam ferre, imò ne intelligere quidem possunt: quidnam futurum esset, si à principio ita eis apparuisset? Ideo etiam cum his comedit, ne phantasma putaretur. Nam si super aquas ambulantem videntes id opinati sunt, cùm eum non multum distantem viderent; quidnam existimaturi erant, si repentè resurgentem vidissent, quem tentum viderant & institis ligatum? B Ideo frequenter se appariturum, & quare, & quomodò prædicit, ne phantasma existimaretur.

Matth. 14. v. 26.

V. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c.* Itaque me non solùm non diligit, sed ne Patrem quidem, qui hæc verba non audit. Nam si hoc amoris indicium est, audire mandata; hæc autem Patris mandata sunt: qui illa audit, non Filium solùm, sed & Patrem diligit. Et quomodò sermo hic tuus est, & non tuus? hoc est, quod nihil alienum à Patre loquor, neque proprium aliquid quàm quod illi placitum est.

Argumentū dilectionis, audire mādata, quæ & Patris.

V. 25. *Hæc loquutus sum vobis apud vos manens.* Cùm hæc obscuriora essent, & partim non intelligerent, partim & plura dubitarent, ne iterum C perturbarentur, & quæ mandata diceret sciscitarentur, hanc amouit solicitudinem, inquiens:

V. 26. *Paracletus autem, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit.* Fortasse quæ dixi, non intelligitis, sed ille manifestus magister erit. Illa autem particula, *Apud vos manebit,* signat quòd ipse abeat. Deinde ne tristentur, ait, quousque ipse apud eos maneat & Spiritus non veniat, fore vt nihil magnum, nihil altum possint intelligere. Quod dicit, vt ad ipsius discessum magno animo ferendum eos disponat, tanquam magnorum bonorum causam futurum. Frequenter autem Paracleti meminit, propter eam, quâ af- D ficiebantur tristitiam: & cùm his verbis perturbarentur intelligentes molestias, bella, Magistri discessum; vide quomodò iterum eos consolatur inquiens: *Pacem relinquo vobis.* Tantùm non dicens; Quid mundi perturbationibus mouemini, cùm pacem mecum habeatis? Neque enim huiusmodi est pax mundi, quæ in malo fit sæpenumero, & nihil ipsam habentibus confert. Ego do pacem, vt inuicem eam habeatis, & vos fortiores efficiat.

Supra v. 17.

Paracleti repetitum sæpius nomen, ad cōsolandos mœstos discipulos pro Magistri discessu.

V. 27.

Pax mundi sæpe in malo, & inutilis.

Sed cùm iterum dixisset; *Relinquo:* quod verbum discedentis est, & par esset eos perturbari, ideo rursus dixit:

V. 28. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Ecce quòd partim amore, partim metu mouebantur. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado, &c.* Et quódnam gaudium hoc eis allaturum erat? quam consolationem? Quid hoc signat? Nondum resurrectionem intelligebant, neque quam par erat de eo opinionem habebant. Et quomodò poterant, cùm neque scirent quòd resurrecturus esset? Patrem autem magnum esse existimabant. Dicit ergo: Si mihi timetis, quòd me defendere nequeam: neque confiditis quòd post mortem iterum vos videam: tamen audiendo quòd ad Patrem vado, lætandum vobis est, quòd ad maiorem vado, & qui omnia potest molesta dissoluere. *Vos audistis, quia ego dixi vobis.* Quare hoc posuit? quasi dicat: vt intelligatis quantum verbis meis tribuam, cùm prædicere non sim veritus. *Hoc ergo,* & quæ sequuntur, *dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Quasi dicat: Non sciretis, nisi ego dicerem; neque dicerem, nisi mihi confiderem. Vides sermonem imbecillitati accommodatum? Nam & cùm diceret: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* ad auditorum opinionem locutus est. Neque enim illud diceret quispiam vel stultissimus, quòd sibi ipse auxilio esse non potuerit, sed Angelorum ope eguerit. Veruntamen cùm eum tanquam hominem arbitrarentur; ideo dixit, *duodecim legiones Angelorum.* Atqui simpliciter Iudæos interrogans, reiecit retrorsum. Quòd si quis maiorem Filio Patrem, inquantum principium Filij diceret, neque hoc contradicemus: non tamen hoc alterius facit Filium esse substantiæ. Quòd autem dicit, eiusmodi est: Quoad hîc sum, par est vt vos arbitremini, quòd non periclitemur: si autem illuc abiero, confidite, quia securi sumus: illum enim nemo vincere potest. Quæ omnia ad discipulorum imbecillitatem dicta sunt: ipse enim confido, neque curo mortem: ideo enim inquit, *Hæc dixi vobis, priusquam fierent.* Cùm enim nondum hunc ser- C monem capere possitis, à Patre, quem existimatis magnum esse, vos consolor. Cùm ergo eos consolatus esset, iterum tristia admiscet.

Matth. 26. v. 53

Domini sermo accommodatus imbecillitati auditorum.

Ioan. 18. v. 6.

Pater maior vt principium Filij: sic & Hilar. Athan. Gregor. Nazianz.

V. 30. *Iam non multa loquar vobiscum.* Quare? *Venit enim princeps mundi huius, &c.* Principem mundi diabolum: & malos homines, mundi nomine appellat. Non enim cœlo & terræ imperat, alioqui omnia strauisset ac pessumdedisset: sed imperat his, qui se ei in seruitutem tradunt: ideo & *principem tenebrarum seculi huius,* appellat: hîc iterum tenebras mala opera appellans. Quid ergo? diabolus te perdit? Minimè, *nihil enim in me habet.* Cur ergo te Iudæi interficiunt? Quoniam volo, &

Mūdi princeps diabolus; id est, malorum.

Eph. 6. v. 12.

V. 31. *vt cognoscat mundus quia di-* D *ligo Patrem.* Non enim quòd sim reus mortis, atque ei obnoxius, sed ob meam in Patrem dilectionem hoc patior. Hoc autem ait, vt iterum eorum animos excitet, & intelligant non inuitum, sed vltrò mortem subire, & diabolum contemnere. Neque satis habuit dicere; *Modicum vobiscum sum;* sed id ipsum quod molestum erat, frequenter repetit, nec iniuriâ: quousque enim tristitiam eorum molliat, & faciliorem toleratu reddat, lætiora annectit, idcirco ait: *Vado & venio:* &, *Vt vbi ego sum, & vos sitis:* &, *Non potestis me sequi modò, sequemini autem postea:* &, *Ad Patrem vado:* &, *Pater maior me est:* &, *Priusquam fierent dixi vobis:* &, Non necessa- E riò hæc patior, sed propter Patris dilectionem: vt cognoscant, non esse rem exitiosam, & quæ damnum habeat, siquidem tum qui valde diligit ipsum, tum qui ab eo diligitur, ita vult: idcirco læta hæc admiscens, etiam tristia assiduè dicebat, vt eorum exerceret animum. Nam quòd dixit: *Apud vos manebit:* & vtilem suum fore discessum; consolandi gratiâ dixit: propterea multa iam de Spiritu dixerat; vt est illud; *In vobis erit:* &, *Quem mundus non potest accipere:* &, *Ille suggeret omnia:* &, Spiritum veritatis, & Spiritum sanctum & Paracletum: & *expedit vobis;* ne ægrè ferrent, ac si eis nullus præses foret & auxiliator. Dicit autem, *Expedit,* osten-

Ioan. 13. v. 33

Hic v. 28.

Supra 13. v. 30.

Hic v. 28.

V. 17.

Ioan. 16. v. 7

Ioan. 15. v. 17.

Ibid. v. 26.

Ioan. 16. v. 7

dens ipſum eos ſpiritales effecturum, vt vſu veniſſe non ignoramus. Qui enim priùs tremebant & formidabant, poſt acceptum Spiritum in media pericula proſilierunt: ferro, igni, beſtijs, pelago, ac ſupplicijs omnibus ſe intrepidi expoſuerunt: & illiterati & idiotæ ita audenter diſputabant, vt auditores in admirationem adducerent & ſtuporem: ex luteis enim ferreos reddiderat Spiritus; inque cœlum erigens, nulli humano affectui ſuccumbere permiſit.

Quales effecti diſcipuli aduentu Spiritus ſancti.

Talis enim eſt illa gratia; tametſi mœrorem, inueniat, diſſoluit; tametſi malas cupiditates, conſumit; tametſi ignauiam, pellit; nec ſinit ampliùs hominem eſſe quem afflat: ſed tanquam in ipſum cœlum tranſlatum, illic omnia contemplari facit. Quamobrem *nemo aliquid eorum quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat; ſed erant perſeuerantes in orationibus in exultatione, & ſimplicitate cordis.* Hoc maximè opus eſt Spiritus ſancti. *Fructus enim Spiritus; gaudium, pax, fides, manſuetudo.* Sed triſtantur nonnunquam ſpiritales homines. Verùm triſtitia illa lætitia ſuauiſſima eſt. Nam & Cain triſtatus, ſed mundi triſtitiâ: & Paulus, ſed Dei. Quicquid enim ſpiritale eſt, lucrum habet maximum: vt & mundana omnia, maximum diſpendium. Attrahamus ergo inſuperabile Spiritus auxilium ſeruando mandata, & neque Angelis quicquam erimus inferiores. Neque enim illi, quoniam corpus non habent tales ſunt: ita enim nullus eorum malus euaſiſſet: ſed voluntas omnium vbique cauſa eſt. Propterea ex his qui corpore carent, etiam brutis peiores inuenti ſunt; & ex corporeis, etiam incorporeis præſtantiores. Sanè iuſti omnes, cùm terram habitarent, & corporibus ſociati eſſent, præclarè facta ſua geſſerunt. Tanquam enim hoſpites & peregrini terram habitant, cœlum verò vt ciues.

Act. 4. v. 32. & 2. v. 46.
Gal. 5. v. 22.
Spiritalium triſtitia ſuauiſſima lætitia.
Gen. 4. v. 5.
2. Cor. 6. v. 10.
Etiam Angeli, boni aut mali voluntate; quâ adiutâ, poteſt homo illis æquari.

Noli ergo & tu dicere: Carne circundatus ſum, non poſſum vincere, nec labores pro virtute capeſcere. Noli rerum opificem accuſare. Si enim carnem ferre virtuti prorſus viam præcluderet, nullum noſtrum crimen eſſet. Quòd autem id non faciat, Sanctorum cœtus oſtendit; neque enim carnis natura Paulo fuit impedimento, quin qualis fuit euaderet: non Petro, vt cœli claues acciperet. Et Enoch cùm geſtaret carnem *tranſlatus eſt, & non inueniebatur.* Ita & Elias cum carne raptus eſt. Et Abraham, Iſaac & Iacob in carne claruerunt. Ioſeph in carne impudicam illam mulierem ſuperauit. Et quid carnem dico? quam ſi etiam catenis deuincias, nihil ei nocueris. Nam etſi ego ligatus ſum, inquit Paulus, *at ſermo Dei non eſt alligatum.* Et quid vincula, quid catenas memini? Addas & carcerem & vectes, nihil horum vllum afferre virtuti impedimentum. Ita docet Paulus. Vinculum animæ non ferrum, ſed timor, & cupiditas pecuniarum, & paſſiones innumeræ: hæc ſunt vincula, licet corpus ſolutum ſit. Sed à corpore hæc veniunt, inquies. Nugæ hæc, & vanus prætextus: nam ſi ita eſſet, omnes iiſdem ſubderemur affectibus. Vt enim laſſitudinem, ſomnum, famem, ſitim euitare non poſſumus, quoniam naturalia ſunt: ita & illa neminem immunem, & ſibi non obnoxium relinquerent. Quòd ſi multi his non ſubijciuntur, conſtat pigritiæ noſtræ quicquid perperam faciamus adſcribendum. Omnia igitur vitia abſcindamus, neque corpus accuſemus, ſed ſubijciamus animæ gubernaculis, vt facilè ſempiterna bona conſequamur, gratiâ & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cùm quo Patri ſimul & Spiritui ſancto gloria, in ſæcula ſæculorum: Amen.

Caro, non neceſſariū virtutis impedimentū.
Hebr. 11. v. 5.
4. Reg. 2. v. 11.
Gen. 39. v. 12.
2. Tim. 2. v. 9.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE
in Epiſtolam ſecundam ad Timoth.

Ex hom. 9.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

S*Ed & omnibus qui diligunt aduentum eius.* Quónam quis modo diligat Chriſti aduentum? Si de eius aduentu ac præſentiâ gaudeat. Qui autem de eius gaudet præſentiâ, digna gaudio facit. Is, ſubſtantiam omnem, ſi neceſſe ſit, ipſamque profusè animam dabit, vt æterna bona conſequatur; vt decore congruo, ſecundum ipſius aduentum eum fiduciâ, cum claritate, ac ſplendore, videre mereatur. Hoc eius aduentum diligere eſt. Qui illius aduentum diligit, omnia faciet, vt ante vniuerſalem illum, ſingularis ad eum fiat Saluatoris aduentus. Qui verò iſtud fiat? Audi Chriſtum dicentem, *Qui diligit me, mandata mea ſeruabit: & veniemus ego & Pater, & manſionem apud eum faciemus.* Cogita quantum ſit, quàm eximium, eum qui communiter omnibus adueniet, ſingulariter nobis aduentum ſuum polliceri. *Veniemus* enim, inquit, *& manſionem apud eum faciemus.* Si quis diligit eius aduentum, omnia faciet, vt eum ad ſe inuitet, & habeat, vt ei ſplendor illuceat. Nihil indignum ſit eius aduentu, & continuò ad nos veniet, ac nobiſcum morabitur. Dicitur autem aduentus iſte Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quòd ſcilicet appareat deſuper, ac supernè oriatur. Inquiramus ergo quæ ſurſum ſunt, & celeriter illos ad nos radios attrahemus.

2. Tim. 4. v. 8.
Domini ſingularis aduentus.
Ioan. 14. v. 23.
Ad eum vt præparandus animus.

Nullus qui inferioribus defigat obrutus, ſeque ipſum humi ſepeliat, Solis lucem aſpicere poterit. Nemo qui ſeipſum ſæculi negotijs inquinet, intendere aciem in liquidiſſimum iuſtitiæ Solem valeat. Nullis adueniet, ac fiet conſpicuus, qui in hiſce verſantur. Ex hoc parumper profundo emerge, exque ſæculi turbine ac tempeſtate te recipe, ſi Solem intueri cupis, ſi superni aduentus gratiam appetis. Dum hoc interim ſuauiſſimo fruaris aduentu, magnâ tunc ipſum fiduciâ videbis. Nunc itaque philoſophare, ac enitere, vt non ſit in te arrogantiæ ſpiritus, ne te acriùs colaphizet, ac deijciat. Non ſit tibi cor lapideum & tenebroſum, ne illic plenam mercibus nauem allidas: ne te aliquis lateat dolus, quippe & ſcopuli & cæca ſaxa naufragia grauiſſima operantur. Caue nutrire feras belluas, vitia ſcilicet, ac perturbationes, quæ feris omnibus ſæuiores ſunt. Noli fluxis rebus confidere, vt poſſis firmiter conſiſtere. Nullus in aquâ firmo gradu ſtat, ſed in petrâ omnes tutò conſiſtunt. Aqua, huius ſæculi res ſymbolo repræſentat. *Venerunt,* inquit, *aquæ vſque ad animam meam;* quaſi torrens præterfluens. Petra, ſpiritalia ſunt. *In petrâ* enim, inquit, *exaltaſti pedes meos.* Lutum ac cœnum ſunt ſæcularia. Ab ijs nos ipſos auellamus: ſic enim Chriſti aduentu frui poterimus. Quicquid ſuperuenerit forti animo feramus. Luculenta in omnibus conſolatio atque leuamen, quòd Chriſti causâ patiamur. Diuinum hoc carmen occinamus, omniſque vulneris ceſſabit dolor.

Pſal. 68. v. 2.
Pſal. 39. v. 3.
Pati propter Chriſtum ſolida conſolatio.

Et quomodo, inquis, propter Chriſtum? Vl-

trò te aliquis iniuriâ lacessiuit, non propter Christum? Si forti animo feras, si gratias agas, si bene preceris, hæc omnia propter Christum facis: sin maledicas, si feras grauiter, si iniuriam, tametsi conatu irrito, coneris vlcisci, non hæc propter Christū, sed damno affectus, omni te fructu, tuæ vitio voluntatis, priuas. Penes enim nos est, vt ex malis commodum, damnumque referamus. Non ex malorum ipsâ id indole oritur, sed ex propensâ nostrâ voluntate. Vt sub exemplo loquar: Tanta Iob passus est, gratè sustinuit, iustificatus est, non idcirco quòd passus est, sed quòd in gratiarum effusus actionem tulit. Alius eadem passus; imò non eadem (nec enim quisquam talia passus est) sed multò minora; blasphemauit, indignè tulit, cunctis maledixit, in Deum commotus est, illi succensuit. Hic damnatus est, atque reprobus habitus, non quòd sit passus, sed quòd in blasphema verba, sensumque proruperit: prorupit autem, non vllâ vi necessitatis compulsus. Nam si id aduersorum casuum necessitas faceret, Iob quoque necessariò in blasphemiæ verba os soluisset. Quòd si ille duriora passus nihil tale patrauit, non necessitate vllâ, sed imbecillâ voluntate ista contigere. Forti igitur ac robusto animo opus est, & nihil nobis graue durumque videbitur: sicut è contrà, si ille infirmus sit, nihil erit quod non grauissimum videatur. Ex nostro itaque proposito, animique affectione, & tolerabilia & intolerabilia videntur. Hanc itaque muniamus, & cuncta constanter ac fortiter feremus. Nam & arbor cùm altas radices miserit, eam ne vehemens quidem procella concusserit: si verò superficie tenus fibras porrexerit, neque ad profunda descenderit, vel si paruus venti flatus irruat, à radicibus eam euulserit: ita & in nobis, si Dei timore carnes nostras confixerimus, nullâ vi emoueri poterimus: sin autem leuiùs adiungamur, vel exiguus flatus totum euerterit, ac perdiderit. Quocirca moneo, magnâ animi alacritate cuncta feramus, ac Prophetam imitemur, dicentem, *Adhæsit anima mea post te.* Non quouis modo accessit, sed, *adhæsit.* Ac rursus, *Sitiuit te anima mea.* Non simpliciter desiderauit; vt desiderij ardorem ac vehementiam ijs proderet vocibus. Iterumque, *Confige timore tuo carnes meas.* Sic enim vos ipsi adhærere, ac colligari cupio, vt nunquam ab eo abscedatis. Si ita Deo cohæserimus, si illi nostras mentes affixerimus, si eius desiderio sitientes erimus, tum cuncta nobis erunt quæ voluerimus, tum futura bona consequemur; in Christo Iesu Domino nostro &c.

Propter Christum, vndequaque sit iniuria dum patienter feras.

Simile.

Psal. 62. v. 9 & 2.

Psal. 118. v. 120.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE *in Acta.*

HOMIL. I.

EODEM Interprete.

ET *dum compleretur dies Pentecostes, erant vnanimiter congregati in vnum. Et factus est repente de cælo sonitus.* Quæ est hæc Pentecoste? Cùm falx, messi immittenda cùm fructus colligendi essent. Vidisti figuram? Vide deinceps veritatem. Cùm sermonis falx mittenda, cùm fruges colligendæ essent, tunc Spiritus in falcis acutæ morem inuolat. Audi enim Christum dicentem, *Attollite oculos vestros, & videte regiones, quòd iam alba sunt ad messem.* Ac rursus, *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Vnde ipse prior falcem misit. Ipse namque ceu primitias, assumptam naturam nostram in cælum subuexit: atque hanc ob causam rem eiusmodi etiam messem vocat.

Act. 2. v. 1.
Pentecoste, messis spiritalis.

Ioan. 4. v. 35

Luc. 10. v. 2.

Dum compleretur, inquit, *dies Pentecostes* Hoc est, non ante Pentecosten, sed circiter, vt sic loquar, Pentecosten. Operæpretium enim erat, vt hæc rursus, cùm festum esset, fierent; vt qui cruci Christi interfuerant, ijdem hæc quoque spectarent. *Et factus est repente de cælo sonitus.* Quid in absque signis sensibilibus res gesta est? Quoniam, si cùm hoc accidisset, musti eos plenos dicebant: nisi signum accessisset, quid non dixissent? Nec quouis modo factus sonitus est, sed *de cælo.* Sed & quòd factus *repente*, illis excitandis fuit. *Et repleuit totam domum.* Vberem vim Spiritûs dicit. Porrò animaduerte. Illuc omnes congregauit, vt & qui aderant, crederent; & vt discipulos dignos ostenderet. Neque id modò, sed & quod longè ad stuporem maius, subiungendo, *Et apparuerunt eis*, inquit, *dispertita linguæ tanquam ignis.* Rectè vbique addita ea vox, *tanquam*, ne quid sensibile de Spiritu suspicareris. *Tanquam ignis*, inquit, &, *tanquam flatus.* Non ergo ventus erat temere per aërem fusus. Ac quidem cùm Ioanni innotescere Spiritus deberet, velut columbæ specie in caput Christi venit: nunc verò cùm multitudo conuertenda esset, venit in specie ignis.

Malè hæc confusa ac deprauata Interpreti, siue Erasmus, siue quis alius est.

V. 3.

Ioan. 1. v. 32

Et insedit singulis eorum Hoc est, mansit in eis, ac requieuit. Nam sedendi verbum stabilitatem, ac manendi actum ostendit. Quid autem? an in Duodecim duntaxat, non etiam in reliquos venit? Nequaquam: verùm etiam in centum viginti. Non enim frustra Petrus Prophetæ testimonium adduxit, dicens, *Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus Deus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* Ac quæso attende, vt non solùm obstupescas, sed vt etiam gratiâ impleatis. Idcirco etiam, *In Spiritu sancto & igni.*

Act. 1. v. 15.

V. 17.
Ioel. 2. v. 8.

Matth. 3. v. 11.

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat illis loqui. Non aliud signum accipiunt, nisi hoc primum: Erat enim nouum, ac insolitum; nec signo alio opus erat. *Insedit*, inquit, *singulis eorum.* Ergo & illi qui omissus fuerat: quamobrem etiam nihil iam dolet se non fuisse assumptum, quemadmodum Mathias. *Et repleti*, inquit, *sunt omnes.* Non quouis ac vulgari modo nacti sunt Spiritûs gratiam, sed eo vsque vt implerentur.

Ineptè Interpres Ideo venit in &c.

V. 4.

Et cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat illis loqui. Cùm & Apostoli illic adessent, haudquaquam dixisset *Omnes*, nisi & reliqui impartiti essent. Præterea, cùm superiùs seorsim, ac nominatim expressetit, minimè iam vno ipso negotio turbę reliquę ipsos coniunxisset. Siquidem enim cùm id vnum incumbebat, vt præsentes eos diceret, seorsim Apostolorum meminit, multò magis hoc ipsum hîc illi præstandum erat. Illud autem considera, quemadmodum dum precibus assidui essent, ac colerent charitatem, tum Spiritus venerit. Aliam quoque ijs visionem in memoriam reuocauit, dicendo, *tanquam ignis*: quandoquidem & in

Discipuli reliqui cum Apostolis Spiritu donati.

Exod 3.v.2. rubo velut ignis apparuit. *Prout Spiritus dabat* A *illis loqui*: ἀποφθέγγεσθαι. Erant enim sententiæ, dictaque grauia quæ loquebantur, ac velut oracula.

Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, viri religiosi. Ipsum hoc quòd habitarent, religionis erat indicium. Qui verò? Quòd omnium ex tam multis nationibus, relictis patriâ, domo, cognatis illic sedes haberent. *Erant enim*, inquit, *Hierosolymis habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione, quæ sub cælo est. Factâ autem hac voce, conuenit multitudo, & confusa est.* Quòd in domo gesta res esset, meritò è foris concurrebant. *Confusa est multitudo.* Quid est, *confusa est?* Turbata, admiratione suspensa. Deinde declarans quid causæ esset cur admirarentur, adiungit, quòd audiebant singuli eos loquentes B propriâ cuiusque ipsorum linguâ. *Et conuenit multitudo, & dicebant* inter se, *Nonne ecce isti omnes qui loquuntur, Galilæi sunt?* Confestim conuersi ad Apostolos omnium oculi, atque animi. *Et quomodò*, inquiunt, *nos audimus vnusquisque propriâ nostrâ linguâ, in quâ nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam quoque & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen; & qui adsunt Romani; Iudæique & Proselyti, Cretenses quoque & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis, magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & hæsitabant inter se, di-* C *centes, Quidnam vult hoc esse?* Vides quemadmodum ab Oriente ad Occidentem currant? *Alij autem irridentes, dicebant, Musto pleni sunt.* Verùm à principio quæ dicta sunt, videamus.

Repleuit, inquit, *domum flatus*: Velut aquæ piscina effecta est. Gratiæ abundantis, ac vehementis, certum ignis indicium est. Nusquam eiusmodi aliquid in Prophetis gestum est. Verùm sic tum quidem discipulis, alio autem modo Prophetis. Nam Ezechieli libri capitulum datum est, ac, quæ erat prædicaturus, edebat. Eoque
Ezech.3.v.3. dictum est, *Factum est in ore meo vt mel dulces-*
Ier.1.v.9. *cens.* Rursusque Dei manus Prophetæ alterius D linguam contingit: hîc verò, ipse Spiritus sanctus. Tanta eius cum Patre & Filio æqualitas est. Et rursus alibi, *Lamentatio, & canticum, & væ.*
Ezech. 2.v.9 Illis meritò in libris. Adhuc enim ijs, opus exemplis erat. Ad vnam duntaxat gentem destinabantur, atque ad eos qui necessarij essent: isti verò ad vniuersum terrarum orbem, ac nationes hactenus incognitas. Elisæus pellis ouillæ symbolo
4. Reg. 2. v. 13. gratiam accipit: alter olei vnctione quemad-
1. Reg. 16. v. 1. modum Dauid. Moses, per Rubi ignem vocatur:
Exod. 3.v.3. at hîc non item; sed ignis ipse insedit.

Quid verò causæ est, cur non apparuerit ignis domum totam implens? Fortè exterriti essent. E Ostendit tamen id ipsum factum esse. Ne enim dispertitas linguas dixisse attenderis, sed quòd illæ essent ignis. Tam magnus ignis immensam syluam potest incendere. Ac rectè dixit, *dispertita*: ex eadem namque radice erant, vt intelligas afflatum esse à Paracleto missum. Vide verò illos quoque primùm dignos effectos, ac tum Spiritu donatos esse; velut fere se res habuit in Dauide. Nam quæ pascendo greges faciebat, hæc & post victoriam, functusque trophæo gerebat, quò videlicet illius nuda ac simplex fides eniteret. Rursus considera Mosem, qui & ipse

Spiritûs afflatu donati, qui antè virtuti functi essent.

A aulâ spretâ, post annos quadraginta populi regimen, ac profecturam suscepit: Samuelem in templo educatum atque versatum: Elisæum, cuncta relinquentem, nec non Ezechielem. Quòd autem ita contingeret, ex ijs quæ deinceps secuta sunt, conspicuum est. Nam & hi cuncta sua reliquerant. Quamobrem tunc Spiritum accipiunt, cùm suæ virtutis specimen dederant. Etiam humanam infirmitatem dedicerant, ex his quæ illis acciderant. Non se hæc frustra gessisse cognouerant. Sic & Saul cùm prius viri probi testimonio fulgeret, tum Spiritum accepit. Pari verò munere ac discipuli, nemo alius: quin ne Moses quidem Prophetarum maximus. Cùm enim alios Spiritu afflari oporteret, de illo ei decedebat. Haud verò ita hîc: sed sicut in igne, quot- B quot volet quis lucernas accendit; cùm nulla ignis incommoda sentiat: ita & in Apostolis tum temporis accidit. Per ignem enim nedum gratiæ largitas, sed & fontem Spiritus quisque accipiebat. Vti etiam ipse fontem aquæ salientis in vitam æternam ait habituros, qui in ipsum crederent. Ac planè meritò. Neque enim cum Pharaone disputaturi abierunt, sed cum diabolo luctâ congressuri: quodque sanè maiorem habet admirationem, cùm mitterentur, nihil opposuerunt, neque dixerunt se voce gracili, ac linguæ inexplanatæ esse: siquidem illos Moses câre erudierat. Non sunt causati se esse iuniores: quippe Ieremias castigauerat: tametsi tremenda audie- C rant, multóque præ illis maiora; at verebantur quicquam contradicere. Ex quo liquet lucis eos nuntios fuisse, ac cœlestium rerum administros. Ac quidem illis nullus è cœlo apparet, cùm terrenâ adhuc consectarentur: postquam verò homo in cœlos ascendit, etiam Spiritus è cœlo fertur; *quasi*, inquit, *ferretur flatus vehemens.* Per hoc perspicuum facit, fore vt nemo posset illis resistere, sed vt aduersarios tanquam puluerem ventilent.

Exod.2.v.15 Ineptâ Interpres côplexione, quæ sunt Mosis, Samueli tribuit.

1. Reg.9.v.2 Maximâ discipuli donati Spiritus gratiâ.

Num 11.v. 25.

Ioan. 4. v. 14.

Eorũ prompta obediẽtia.

Exod. 4 v. 10.

Ier.1.v.6.

V. 2. *Et repleuit totam domum.* Domus, mundi typum gerebat. *Et sedit super singulos illorum: & conuenit multitudo, & confusa est.* Vides illorum modestiam, & quomodò non illico pro- D nuntiant, sed hæsitant? Alij verò improbi pro-
V. 13. nuntiant, dicentes, *Musto pleni sunt.* Quoniam per legem ter in anno apparere in templo concessum erat. Ideo habitabant illic ex omnibus nationibus viri religiosi. Hinc perpende quàm illis non adulctur qui hæc scribit. Non enim dixit, eos pronuntiasse: sed quid? *Factâ autem hac*
V. 6. *voce conuenit multitudo, & confusa est.* Meritò. Existimabant enim ipsis rem ad extrema venisse, ob facinus quod in Christum ausi essent. Ad hæc verò etiam conscientia illorum animos perturbabat, cùm cædes adhuc in manibus esset; cunctáque ijs pauorem inferebant. *Nonne ecce*, in-
V. 7. E quit, *omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?* Pulchrè hoc dixit, nam se illi id profitebantur. Sic eos sonitus attonitos fecerat, quòd & orbis partem quàm maximam hîc comprehenderat. Id verò Apostolis animos addebat; quòd quid tandem esset Parthicè loqui non nouerant, sed tunc ab illis discebant. Porrò Gentium meminit, quæ illis hostes erant, Cretensium, Arabum, Ægyptiorum, Persarum, fore indicans, vt illarum omnium potiantur. Cùm enim Iudæi per id tempus in captiuitate agerent, par erat vt tum cum eis plures ex Gentibus adessent; siue quòd etiam dogmata iam ad Gentes disseminata erant: idque

in causâ fuerit, vt & ex illis complures Hierosolymis essent, eorum memoriæ affuturi, quæ audierant. Certissimum itaque vndique testimonium à ciuibus, ab hospitibus, à proselytis.

V.11. *Audiuimus eos loquentes linguis nostris magnalia Dei.* Neque enim quidlibet garriebant, sed
admiranda quædam loquebantur. Vnde meritò animis ancipites erant: quippe nihil vnquam
tale acciderat. Vide hominum modestiam. *Stu-*
V.12. *pebant, ac ambigebant, dicentes, Quid vult hoc*
V.13. *esse? Alij vero irridentes dicebant, Musto pleni sunt.* O impudentiam! si ob hoc irridebant. Et
Ioan. 7. 8. 10. &c. quid mirum? cùm & ipsum Dominum dæmonia eiicientem, habere dæmonem dicant. Vbi enim impudentia est ac improbitas, vnum hoc duntaxat studet, vt quiduis tandem dicat: non vt aliquid è ratione loquatur, sed vt omninò verba effutiat. *Musto pleni sunt.* Prorsus sanè; quòd homines in tantis periculis constituti, extrema metuentes, in tantâ versantes mœstitiâ, talia audent loqui. Ac vide; quòd à fide res abhorreret, vt audientibus imponant, persuadeantque tumulentos esse, rem totam potiùs qualitati adscribunt, ac dicunt, Musto plenos esse.

τοῦ γλεύκους. Musti scilicet, quâ facile fit inebriari. Nec bene Erasm. *hebetudini crapulaque.*

V.14. *Stans autem Petrus cum Vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis.* Vides illic curam; hîc verò fortitudinem? Nam si admirabantur, ac stupebant, nonne & illud æquè mirandum erat, in tam numerosâ multitudine potuisse hominem illiteratum & idiotam in verba prorumpere? Nam si quis inter necessarios dicturus, turbatur; quantò magis hoc accidere debuit apud hostes ac vociferantes. Quod autem minimè ebrij essent, ex ipsâ statim voce declarauit: quòd non mente moti ac furore acti vatum more; quòd nullâ vi constringerentur. Quid autem est, *cùm Vndecim?* Communem vocem edebant; & ipse cunctorum os erat, astabantque Vndecim testimonio comprobantes quæ Petrus dicebat. *Leuauit vocem suam*, inquit: Hoc est, clarè admodum, multáque fiduciâ locutus est. Id autem facit, vt Spiritûs gratiam nouerint; cùm is qui vilis puellæ percontationem non tulerat, nunc in medio populi, cunctis vociferantibus, tantâ cum fiduciâ disserat; vt esset hoc Resurrectionis indubitatum argumentum; quòd nempe inter irridentes, taliáque scommata in eos iactantes, tantâ dicendi libertate vtitur. Quantæ id putas improbitatis, quantæ impietatis, quantæ impudentiæ, linguarum miraculum temolentiæ adscribere? Verùm nihil id Apostolos mœstitudine deiecit, nihil audaciam infregit, quòd ea tunc in se scommata iactari audirent: Iam enim præsentiâ Spiritus immutati erant, atque corporeis omnibus superiores euaserant. Quoscunque sanè Spiritus sanctus accesserit, pro luteis aureos reddit. Iam mihi Petrum considera, ac reputa timidum illum, illum intelligentiæ expertem quemadmodum Christus ait,

Petri excellentia.

Matth. 15. v. 16. *Adhuc & vos stulti, ac imperiti estis*, illum, qui
Matth. 16. v. 23. post mirandam illam confessionem, Satan vocatus esset, qui vir post Spiritûs accessionem eiusque largam suppeditationem factus sit. Quin & Apostolorum animaduerte concordiam, qui Petro concionandi partes cesserint. Neque enim decebat omnes loqui. *Et leuauit*, inquit, *vocem suam, & locutus est eis*: multâ scilicet vsus libertate dicendi. Tale quid virum esse spiritalem.

Tantùm & nosipsos cœlesti dignos gratiâ præbeamus, ac cuncta erunt facilia. Quemadmodum enim igni concretus homo si in medias stipulas incidat, nihil ipse læderur, sed magis vim exeret suam: non enim ille quicquam mali patitur, sed qui reluctantur, ipsi sibi labem conciscunt; sic & nunc euenit: Imò potiùs, ac si quis fœnum importans, cum eo luctetur qui igne instructus sit: ita videlicet & Apostoli multâ hostes fortitudine adorti sunt. Quid enim, obsecro, illos tanta hæc multitudo læsit? Num enim cum egestate ac fame non pugnabant? num cum ignominiâ ac infamiâ? Quippe impostores audiebant. Num astantis turbæ irrisionibus, ac conuiuijs dediti erant? Nam vtráque hæc simul in illis occurrebant, eò quòd alij irridebant, alii scommatis incessebant. Nonne populorum ac ciuitatum furoribus, seditionibus, insidiis expositi erant? Nonne igni, ferro, bestiis? Nonne illos vndique innumera bella vallabant? Nonne perinde afficiebantur, ac si in somnis, aut picta coloribus dira hæc viderent? Quid verò? Nonne illorum iras consumpserunt? Nonne animi anxietatem in illos retorserunt? Nonne illi omnium maximè irâ metúque tenebantur? Nonne pauidi erant, timebãtque, atque tremebant? Audi enim quid loquantur: *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius?* Atque illud interim mirabilius, quòd Apostoli nudo corpore aduersus armatos, aduersus præsides vitæ ius in eos habentes, constitere; quòd imperiti, elingues ac simplices idiotæ, aduersus impostores ac seductores, aduersus Sophistarum, Oratorum, Philosophorum turbam (homines scilicet qui in Academiâ, in Porticibus ætatem triuissent) velut dispositâ acie depugnabant. Qui in paludibus versatus esset, hos ita superauit, ac si cum mutis piscibus certamen habuisset. Nec enim aliter quàm piscator mutos pisces, ita hic illos superauit. Ac Plato quidem ille multa nugari solitus, obticuit: hic verò nedum apud suos, verùm & apud Parthos, Medos Elamitas, Indos, ac vbique terrarum, vsque ad orbis terminos loquitur. Vbi nunc Græciæ fastus? vbi Athenarum nomen? vbi Philosophorum nugæ? Ille Galilæus, ille Bethsaidâ natus, ille rusticanus, vniuersorum illorum victor enituit. Agedum, num vel ad victoris vestri, patriæ nomen erubescitis? Quòd si nomen ipsum hominis audieritis, quodque is Cephas diceretur, multò magis pudore vultus obtegeritis. Siquidem hoc vos, hoc, inquam, perdidit, quòd rem probro ducitis; ac linguam expolitam habere, laudem existimatis; dicendi rudem, dedecori habetis. Non quam decuit viam tenuistis, sed omissâ regiâ, facili illâ ac planâ, asperam, arduamque ac difficilem inistis; eamque ob rem ad regnum cœlorum minimè peruenistis. Cur igitur, dixerit aliquis, non Platonem, non Pythagoram Christus afflauit? Quòd nimirum Petri mens multò erat, quàm illorum ad philosophiam accommodatior. Nam illi reuerâ pueri erant, inani vbique gloriâ insanientes: Hic verò vir fuit philosophus, & gratiæ comparatus. Sin hæc audiendo rides, mirum non est; nam & illius ætatis homines deridebant, ac eos musto plenos esse dicebant: postmodum autem vbi acerba illa perpessi sunt, eiusmodi scilicet, vt vim omnem malorum excedant: cùm desolatam ciuitatem atque succensam, eruta

Apostolorû Spiritu auctore victoria.

Act. 5. v. 28.

Hæc tamen falso semper Dei misericentis alteriori consilio.

A eruta mœnia, ac quas nemo diceodo aſſequi poſſit varias illas bacchationes, tunc minimè ridebant. Similiter & vos tunc non ridebitis, cùm judicij dies aduenerit, cùm gehennæ ignis accenſus fuerit.

Sed quid loqnor de futuris? Vis oſtendam qui vir ſit Petrus, qui Plato? Interim verò, eorum ſi placet, expendamus ingenia; ac quibus vtrique delectati ſint, videamus. Plato, vitæ omne tempus, circa dogmata inutilia, ſuperuacancáque ſeſe diſtorquens, inſumpſit. Quid enim prodeſt ſcire, quòd Philoſophi anima ſit muſca. Reuerâ muſca; non in muſcam conuertebatur, ſed in animam in Platone babitantem hæc inuadebat. Quanti bæc ſtultiloquij? Vnde tales ougari nugas illi venit in mentem? Homo plenus B diſſimulationis erat, ac innidentiâ aduerſus omnes laborabat. Itaque velut in hoc eniteretur, vt nec ipſe à ſe vtile quicquam doceret, nec ab alio traditum afferret, ſic ab alio mutuatus eſt animarum tranſmigrationem, à ſe verò Rempublicam commentus eſt, in quâ leges ſanxit, multâ refertas turpitudine. Vxores, inquit, communes ſuoto: Nudæ virgines ſub oculis amatorum luctantor. Communes parentes, ac qui gignuntur filij ſunto. Quæ tam inſignis dementia eſt, quam iſta non ſuperent? Inque eum modum ſe Platonis ſcita legeſque habuere. Hîc autem non natura communes parentes facit, ſed Petri Philoſophia. Nam illud Platonis, etiam C parentes ſuſtulerat. Nihil enim ille aliud præſtabat, niſi vt qui pater eſſet tantum non neſciretur, ac qui non eſſet, illius locum arriperet. In ebrietatem quandam, ac colluuiem animam coniecit. Omnes, inquit, audacter mulieribus vtantur. Eóque non expendo Poëtarum dogmata, ne quis me dicat fabulas expendere: ſed alias affero ſabulas, Poëticis longè magis ridiculas. Vbinam Poëtæ quicquam tam prodigioſum prodidere? Verùm ille Philoſophorum Anteſignanus, vt habebatur, etiam arma mulieribus adbibet, & galeas, & ocreas, nec humanum genus quicquam à canibus differre eius doctrina eſt. Poſteaquam enim, inquit, canis fœmina maſque in operibus communicant, etiam D mulieres communicent, ac cuncta ſus deque miſceantur. Semper enim per illos hoc egit diabolus, vt bumanum genus oſtenderet nihil brutis præſtare; quando nonnulli in opinionem tam peregrinam & abſurdam venerunt, vt muta animalia ratione prædita dicerent. Ac vide quàm variè in illorum bacchatus ſit mentibus. Eorum namque principes, atque auctores, animam noſtram in muſcas, & canes, mutaſque animantes commigrare dixerunt: ſucceſſores autem, ac diſcipuli, cùm eos rei puderet, in aliud pudendum magis, atque abſurdum delapſi ſunt, E rationis ſcientiam omnem mutis animantibus cum hominibus communem facientes, ac vbique quæ propter nos condita ſunt, nobis meliora monſtrantes. Non ſolùm autem boc, ſed & præſcientiam, ac religionem apud illa eſſe prædicant. Cornus, inquit, nouit Deum, & cornix, & prophetiæ habent dona, ac futura prædicunt. Quin & iuſtitia apud illa viget; & reſpublica, legeſque obtinent: canis denique æmulatione ducitur ex Platonis ſententiâ. Fortè non creditis, ijs, quæ dicuntur. Nec iniuriâ, quippe qui ſanis educati dogmatis ſitis. Nam & ſiquis cibo boc nutritus ſit, haud facilè

Muſca pro diabolo velit, alluſione ad Βελζεβὲλ, celebre Idolum Accaronitarum. 2. Reg. 1. v. 2. quod eſt *Dominus muſcarum.*

Platonis leges turpiſſimæ.

Poëticis fabulis abſurdiora Platonis placita.

Pythagoras, ipſeque Plato tranſmigrationẽ docent, diſcipuli, animalia quæque ratione prædita eſſe.

His plena nugis Apollonij Tyanei vita auctore Philoſtrato.

A Paſchate.

A in animum inducat, eſſe hominem cui ſtercorum guſtus ſuauis ſit. Proinde quoties illis dicimus, Iſtæ fabulæ ſunt dementiæ plenæ, Non intellexiſtis, inquiunt. Vtinam nec intelligamus vnquam veſtra ſic ridicula. Non multò ſanè intellectu, altóque ſenſu opus eſt, vt nouerimus quid ſibi velit tanta impietas, ac confuſio. Nolite dementes eorum linguâ loqui, veluti infantes. Nam reuerâ infantes eſtis, quemadmodum illi. Petrus verò nihil tale dixit: ſed vocem miſit; ac velut denſis tenebris effulgens lux magna, ab orbe caliginem diſpulit. Verùm eius mores quàm manſueti erant? quàm modeſta indoles? quàm omni ſuperior inani gloriâ? quàm ab omni alienus faſtu in cœlum aſpectabat, tametſi mortuos excitabat? Quòd ſi cui dementium B illorum eiuſmodi aliquid, non ipsâ re, ſed fallaci ſpecie, præſtare contigiſſet, an non protinus aram ac templum popoſciſſet, ac diuinos, dijs cooptatus, honores ambiuiſſet. Maximè; cùm etſi nihil horum ſuppetat, ſemper talia ſomnient. Quid enim illis volunt, Minerua, Apollo, Iuno? Nempe dæmoniorum genera, quæ apud illos ſunt. Eſtque rex apud illos, ideo muri non recuſans, vt dijs æqualis habeatur. Verùm Apoſtoli non item, ſed contrà fecerunt. Audi enim loquentes vbi claudum ſanaſſent. *Viri Iſraëlitæ, quid nobis intenditis, quaſi noſtrâ virtute, aut pietate hunc fecerimus ambulare.* Rurſuſque alibi, *Et nos homines ſumus, iiſdem obnoxij qui-* C *bus vos.* Illic ergo multus faſtus eſt, multa arrogantia: omnia propter humanos honores, nihil philoſophiæ gratiâ. Vbi enim aucupandæ gloriæ causâ quidpiam geſtum ſit, manent omnia vilia. Quanquam enim cuncta quis habeat, hanc niſi ægritudinem vicerit, totius iacturam philoſophiæ fecit; qui nimirum violentiſſimo, turpiſſimoque vitio obnoxius ſit. Inanis ſcilicet gloriæ contemptus omnem abundè virtutem docere poſſit, mox namque omnem animo exterminet cupiditatem, ac libidinem. Quapropter hortor vt & vos magno ſtudio adnitamini, quò morbum hunc veſtris ex animis radicitus euellatis. Alioqui fieri nequeat vt Deo placeatis; eiuſque ocu- D li, qui neſcit obdormiſcere, beneuolentiam vobis concilietis. Omnem igitur curam adhibeamus, vt illius fauorem ac opem conſequamur, quò tum præſentium malorum ſenſum effugiamus, tum futura bona promereamur: gratiâ & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto gloria, poteſtas, honor, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Petri præclari mores ac dotes.

Act. 3. v. 12. ἰδίᾳ εὐσεβείᾳ ex quo non ſit Vulg. *poteſtate.*

Act. 14. v. 14.

EIVSDEM EX EADEM *expoſitione.*

HOMILIA ALTERA.

EODEM Interprete.

V.14. V*Iri Iudæi, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea.* Quos ſuperiùs peregrinos dixit, ad illos ſermonem hic conuertit. Et videtur quidem illos alloqui, verùm reipsâ emendat irriſores. Propenſiori quippe conſilio factum eſt, vt quidam irriderent; vt inde defenſionis ducto exordio, eius ſpecie, ac occaſione doceret. Magnæ ſanè laudi deputabitur ipſam

hoc, quòd Hierosolymis habitarent. *Hoc vobis*, inquit, *notum sit, & auribus percipite verba mea.* Hactenus attentiores facit, tumque satisfactionem instituit.

V. 15. *Non enim sicut vos existimatis, hi ebrij sunt.* Vides quàm placida sit satisfactio? tametsi plebis maxima pars sauerer, leniùs tamen illis loquitur: ac priùs amolitur quod malè suspicabantur, ac deinde quod sit defendo statuit. Idcirco etiam non dixit, Non enim sicut vos subsannatis, nec sicut vos irrideris; sed, *sicut existimatis:* quò scilicet id illos non deditâ operâ dicere ostendat; ac magis illos ignorantiæ velamento honestet, quàm malitiæ notet crimine. *Non enim sicut vos existimatis hi ebrij sunt; cùm sit hora diei tertia.* Quid tum verò? An non etiam horâ tertiâ licet inebriari? Licet vtique. At non in hoc diutius hæsit. Nec enim sic se illi habebant, vt irrisores aiebant. Hinc discimus, haud longiorem insumendum sermonem, in ijs quæ minus necessaria sunt. Præterea etiam istud probant, quæ adiecta sunt. Iamque ad omnes communis sermo habetur.

τῦτυ συςατικά· Illepidè Interpres, *Huius nobis commendationem faciunt.*

V. 16. Ioel. 2. v. 28. *Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel, Et erit in nouissimis diebus, ait Dominus Deus.* Nusquam hactenus Christi nomen, eiusue promissio auditur, sed Patris. Vide prudentiam. Non prætetijt, ac statim quæ erant Christi exécutus est; quòd postquam crucifixus fuerat, hæc pollicitus esset. Alioqui ita loquendo cuncta euertisset. At, inquit, abundè hæc erant ad eius declarandam deitatem. Planè, si fidem illis habuissent. Quod verò hactenus quærebatur id erat, vt bis eam accommodarent: quâ negatâ, vel ad lapidandum ipsos impulissent.

Plana hæc: nullus in Interprete, qui extat, sensus est.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. His quoque bonas spes facit, si modò voluerint: nec suam ipsorum esse excellentiam sinit, quod & inuidiam creet; hac quoque liuoris labem succidens. *Et prophetabunt*, inquit, *filij vestri.* Neque vestra, inquit, hæc virtus, neque laus: ad filios vestros transijt munus. Quibus verbis, illorum se filios, ac illos Patres vocat.

φιλοτιμία· nos l'amantage: nõ quod Int. illorum amuritia.

V. 18. *Et iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Hactenus ostendit se probatos esse ac laudem assecutos, quippe qui Spiritu donati sint; illos autem minimè, eò quòd crucifixerint. Sic & Christus vt illorum mulceret furorem, *Filij vestri*, aiebat, *in quo eijciunt dæmonia?* Non dixit, discipuli mei. Etenim visus esset adulari. Ita & hîc, non dixit esse ebrios, sed Spiritu loqui. Neque id simpliciter, sed ad Prophetam confugit, eiusque induens personam rem astruit. Sic quidem eos à se crimine absoluit, ac doni testem Prophetam adducit. *Et seniores vestri somnia somniabunt.* Sic dixit, quòd alijs quidem per somnia, alijs verò manifestè effusa gratia sit. Nam & per somnia viderunt Prophetæ, ac diuinas accepere reuelationes. Tum prophetiam, tremendum quidpiam habentem, prosequitur.

Matth. 12. v. 27.

V. 19. *Et dabo*, inquit, *prodigia in cælo sursum, & signa in terrâ deorsum.* Hæc tum de futuro iudicio, tum de Hierosolymitanâ captiuitate, excidioque insinuat: *Sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Vide quemadmodum eam vastitatem, ac excidium descripsit.

V. 20. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Ab eorum affectione dixit, qui mala hæc perpessuri erant. Quin & multa id genus in cœlo facta dicuntur, vti Iosephus tradit. Simul quoque etiam tenebrarum, quæ factæ essent, mentione terruit, & ad futurorum expectationem inducens. *Antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.* Nec enim, inquit, quòd nunc multi peccatis, temere confidatis. Hæc sanè exordio præeunt magno cuidam ac funestissimo diei. Vides quomodò eorũ concussit animum, atque perculit, ac risum in defensionem conuertit. Nam si hæc diei illi exordio præeunt, necesse est extremum periculum impendat. Num verò tremenda hæc dicendo perseuerat? Minimè. Quid ergo? Iterum permittit respirare, atque, *Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Hoc dictum quidem est de Christo, sicut Paulus ait. Hîc autem rem clarè manifestare non audet. Resumamus igitur à principio quæ dicta sunt.

V. 21. Rom. 10. v. 13.

V. 14. *Notum sit omnibus vobis, & auribus percipite verba mea.* Exordio dicebat, *Viri Iudæi.* Iudæos arbitror dicere, qui in Iudæâ habitabant. Ac si lubet, verba illa proponamus, quæ in Euangelio habentur, vt nouerit quis repente Petrus euaserit. *Exijt*, inquit, *puella*, dicens, *Et tu cum Iesu Nazareno eras. At ille respondit, Nescio hominem. Ac rursus interrogatus cùm esset, cœpit deuouere, ac iurare.* Hîc verò, vide eius libertatem dicendi, summamque licentiam. Non laudauit eos qui dixerant, *Audimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*; quin & ferè contristat, quà in illos morosior etiam istos diligentiores facere studet, ac omni vacantem adulationis labe orationem ostendere. Vbique enim operæpretium obserues, indulgentiæ quadam specie, sermonem ab omni tum adulatione, tum iniuriâ ac procacitate (quod arduum est) immunem esse. Quod autem etiam horâ tertiâ contigerint, haud temere, nulloque propensiore consilio gestum est. Tunc enim lucis se splendor profert, non curiosiùs homines prandium accurant; clara dies est, omnes in foro versantur. Vides & libertate plenam orationem? *Auribus percipite verba mea.* Quo dicto, suum nihil addidit, sed adiecit, *Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel, Et erit in nouissimis diebus.* Ostendit iam è propinquo instare consummationem. Sic quod ait, *in nouissimis diebus*, vim quandam habet ac expressionem. Deinde ne putetur, quòd hæc ad solos filios pertineant, subdit, *Et seniores vestri somnia somniabunt.* Vide ordinis seriem. Priùs filij; vti etiam Dauid dicit, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et Malachias. *Conuertens corda patrum in filios.*

Matth. 26. v. 70.

Horæ tertiæ opportunitas.

V. 16.

V. 17. Psal. 44. v. 17. Mal. 4. v. 6.

V. 18. *Et super seruos meos, & super ancillas meas.* Et hoc virtutis indicium est. Serui enim illius facti sumus liberati à peccato. Copiosum verò etiam donum, cùm & in alterum sexum transeat, nec velut olim in vnâ aut alterâ cõsistit, vti in Debborâ & Oldâ. Neque dixit esse Spiritum sanctũ; neque Prophetæ verba interpretatus est; sed duntaxat prophetiam suas ipsam partes agentem adduxit. Nec de Iodâ interim quicquam loquitur, quippe cunctis manifestum erat, qualem dedisset pœnam; sed silet, sciens scilicet nihil abs se pro concione prophetiâ fortius afferri posse. Eius sanè etiam maior quàm rerum vis erat. Signa

Iud. 4. v. 4. 4. Reg. 22. v. 14.

enim facienti Christo, hand tarò contradixerunt. A
Vbi autem Prophetam adhibuit, dicentem, *Di-*
Math. 22. *xit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,*
v. 44. ita silnerunt, vt nemo postea ipsum interroga-
re ausus sit. Passim etiam in Scripturis ipse me-
Ioan. 10. v. 35 minit, dicens, *Si illos deos ait, ad quos sermo*
Dei factus est. Imò vbique ita se rem habere quis
V. 17. inueniat. Idcirco etiam hoc loco ait, *Effundam*
de Spiritu meo super omnem carnem; hoc est, Gen-
tes. Sed nondum manifestat, neque exponit:
nam neque conducebat: quippe id etiam obscu-
V. 19. rum erat, *Dabo in cælo prodigia superne.* Magis
verò obscuritate terrebat. Sin autem esset inter-
pretatus, magis illis obstitisset. Deinde etiam
pertransit velut clarum esset; talem volens dare
opinionem. Denique post hæc illis interpreta-
tur, vbi cum illis de resurrectione disputat; tunc B
nimirum, cùm iam sermoni viam præstruxisset.
Idcirco sciens, lubensque prætermittit; quippe
cùm bona haud satis attrahendo essent. Atqui
ea nunquam res contigit: tunc enim nemo eua-
sisset. Nunc autem Vespasiano fideles euasere.
Math. 24. Et hoc est quod dicit, *Nisi breuiati fuissent dies*
v. 22. *illi, non seruata esset omnis caro.* Quod grauius
erat prius euenit. Primùm enim contigit capti-
uari ciues; tumque erui ciuitatem, ac incendio
absumi. Deinde insistit metaphoræ ob audito-
rum fermè oculos vrbis euersionem ponens, ex-
cidiumque. *Sol conuertetur in tenebras, & luna*
V. 20. *in sanguinem.* Videtur mihi ijs verbis cladis im-
manitatem innuere, deque industriâ anxij timo- C
V. 21. ris sermonem implere. *Et erit, omnis qui inuo-*
cauerit nomen Domini, saluus erit. Dixit, ac nec-
dum manifestat, *Siue liber, siue seruus,* inquit.
Gal. 3. v. 28 *Non enim est masculus, neque fœmina in Christo*
Iesu: non seruus, non liber. Meritò. Hoc enim
hîc discrimen est, vbi cuncta vmbra sunt. Nam
si in Regum aulis nullus nobilis est aut ignobilis,
sed ab operibus quisque splendorem habet, ac
opus artificem commendat, multò magis in eo
Math. 7. v. statu. *Omnis quicunque inuocauerit,* non sim-
22. pliciter, *non* enim *omnis,* inquit, *qui dicit mihi*
Domine, Domine; sed qui animi affectione, op-
timâ vitâ, conuenienti fiduciâ, dicit. Iam mitio-
rem facit sermonem, de fide agens; terroremque
eximit, supplicium abscondens. Quo id modo? D
Nempe salutem positam in inuocatione osten-
Vocatio à dens. Quid, amabo te, dicis? Salutis meministi
cruce, Chri- post crucem? Sustine interim. Ingens enim Dei
sti deitatis clementia est. Nec quòd hos vocet, id minùs re-
argumentũ surrectione signisque Deum esse ostendit. Quod
maximum enim supra modum exuperans bonum est, hoc
Luc. 18. v. 19 Dei maximè proprium est. Idcirco etiam ait, *Ne-*
mo bonus, nisi vnus Deus. Verùm ne Dei boni-
tatem in desidiæ occasionem atripiamus. Etenim
etiam vindex est, ac punit vt Deus. Ille certè ip-
sa hæc fecit, qui dixit, *Quicunque inuocauerit*
nomen Domini, saluus erit; nempe excidium
Hierosolymitanum, ac grauissimum illud suppli- E
cium, de quo pauca nunc vobis loqui mihi con-
stitutum est, operæpretium nobis futura aduer-
sus Marcionitas, ac plerisque alios hæreti-
cos.

Nam quia bonum Deum Christum dicunt,
illum autem malum, videamus quis hæc fece-
rit. Quis igitur hæc fecit? Num malus hunc vl-
ciscens? Haudquaquam. Nam quomodò ab eo
alienus? Num verò bonus? Verùm & Pater fe-
Math. 22. cisse monstratur & Filius. Pater quidem multis
v. 7. in locis, vt cùm exercitus suos in vineam mitte-
A re dicitur: Filius verò quando dicit, *Inimicos* Luc. 19. v. 27
meos adducite, & occidite coram me: eos qui no-
luerunt me esse illorum Regem. Præterea, ipse
etiam futuras dicit tribulationes, ac mala, qui-
bus nihil vnquam gestum crudelius: ipséque
hæc pronuntiauit, ac decreuit fore. Vis igitur
audire quæ facta sunt? Verubus illos transfixe- Hierosoly-
runt: quid ad spectaculum grauius? Vis mulieris mitanum
casum, eamque narrem tragœdiam, quæ cala- excidium
mitatis vim omnem obscurauit? An fames, luesque Christi se-
que dicam? Omitto etiam his grauiora. Ignota- ueritatis
ta apud illos natura est; ignorata lex: bestias fe- argumen-
ritate superarunt. Porrò omnia hæc belli vis in- tum.
uexit, Deo volente ac Christo. Operæpretium
ista, tum aduersus Marcionitas, tum aduersus
eos qui gehennæ fidem detrahunt. Sunt enim
B eiusmodi, quibus illorum impudentiæ os satis oc-
cludatur. Num hæc malis quæ in Babylone per-
pessi sunt, grauiora? Num illâ hæc atrocior fames?
De his ipse etiam Christus pronuntiauit, dicens,
Erit tribulatio qualis non fuit, neque erit. Quo- Math. 24.
modò igitur dicunt quidam, quòd eis Christus v. 21.
peccatum dimisit? Fortasse videtur vulgaris quæ-
stio, & ipsi soluere potestis. Nullus vel fictâ nar-
ratione talia ostendere possit, qualia reipsâ acci-
dere. Ac siquidem Christianus esset horum scri-
ptor, suspecta forsan esset narratio. At cùm Iu-
dæus sit, atque id æmulator, qui post Euange- Iosephi
lium floruit, quomodò non omnibus manifesta Hierosoly-
quæ gesta sint? Nam ipsum etiam res Iudaicas mitano ex-
C vbique efferentem conspexeris. Igitur tum ge- cidio nar-
henna est, tum est bonus Deus. Num vobis au- rando ma-
dita horrorem iniecerunt? Verùm hæc quæ hîc xima fides.
fiunt nihil sunt, ad ea quæ illic, æuóque futuro
erunt. Iterum cogor videri iniucundus, onero-
sus & grauis. At quid me fiat? In hoc positus sum, Episcopus
vel pædagogus paulò seuerior in hoc positus est, ac Sacerdos
vt cum quos erudit odio prosequantur: sic sanè munus exe-
& vos. Quomodò enim non absordum sit, vt quendo fe-
qui à Regibus munus aliquod adepti sunt, quan- rè mole-
quam molestum est quod iubentur, continuò ta- stior subdi-
men imperatum faciant; nos verò idcirco quòd tis.
vos reprehendaris, officium atque ordinem
quem nacti à Deo sumus, deseramus? Alius aliud
munus habet. Porrò vestrûm plerisque id mune-
D ris est, vt misereamini, humanitatem colatis,
suaues & blandi sins, ijs, in quos beneficium
confertis: nos verò quorum rebus consulamus,
ijs & graues, & onerosi, & iniucundi videmur.
Non enim ipsis oblectando, sed & mordendo
consulimus. Talis est medicus: at ille quidem
non valde iniucundus. Statim enim commo-
dum ab arte præbet: nos autem in futuro. Talis
est & iudex, inuisus laborantibus ac seditiosis: ta-
lis & legislator, molestus his quibus leges sancit.
At non item qui vocat ad delicias, neque qui
festa publica ac solennes conuentus edit, qui po-
pulum coronat: tales enim blandi ac amici sunt,
E qui omnis generis spectaculis ciuitates accipiant,
ac profusâ sumptûs liberalitate conferant. Id-
circo quos sic demerentur, vicissim laudibus ce-
lebrant, atque tapetis, lampadum copiâ, coro-
nis, splendidâ veste exornant. Sin autem ægro-
ti medicum videant, tristes ac mœsti efficiuntur:
ac similiter iudicem seditiosi vt conspexerint,
metu contrahuntur, non gaudio diffunduntur,
autue gestiunt: idque adeò quòd hoc eius mu-
neris sit. Videamus igitur quinam maximè vr-
bibus prosint, num ij qui publica hæc conuiuia,
festáque, & mensas opiparas, ac delicias exhi-

bent; ant ij qui illis omnibus compressis atque sublatis, palum, fasces, lictores, formidolosos apparitores inferunt, vocemque terroris plenam emittunt, animadvertuntque, ac triste silentium faciunt; virgáque submouent qui in foro sunt? Videamus igitur quónam tandem euadat commodum. Nam hi quidem insuaues, illi dulces ac amori sunt. Quid igitur ab illis qui oblectant prouenit. Nempe frigida quædam voluptas ad vesperam manens, & in crastinum diffluens; risus incompositus, verba iniucunda ac dissoluta. Quid verò ab ijs qui molestiores sunt, ac contristant? Timor, castitas, modestia animi, lenitas, desidiæ extinctio, frenum verè earum affectionum quæ in animo sunt, murus aduersus eas quæ foris insultant. Horum præsidio, quisque suas possidet facultates: per illas autem festas, cum damno eas dilapidamus, non inuadentibus latronibus, sed vanâ gloriâ, cui luxuria comes atque libido, latrocinantia. Videt quisque latronem exportantem omnia, & oblectatur. Nouus latrocinandi modus. Persuasit spoliatis rem gaudio ducere: verùm illic nihil tale, sed aduersus omnia tum aspectabilia, tum inaspectabilia ceu communis Pater velut obiecto muro Deus communiuit. *Videte* enim, inquit, *ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus.* Hisce animus verbis iniustitiam fugere docetur. Iniustitia enim est non solùm per auaritiam, atque rapinâ diuitias quærere, sed & ventri supra modum constituti tibi indulgere, exque terminis iucunditatem efferre, atque ad insaniam gaudium mentis transferre. Illinc discit castitatem, hinc libidinem. Non enim solùm fœminæ misceri incontinentia est, sed & impodicis oculis videre. Illinc animi modestiam docetur, hinc fastum ac arrogantiam. *Omnia* enim *mihi*, inquit, *licent; sed non omnia expediunt.* Illinc honestatem, hinc turpitudinem. Omitto enim ea, quæ in theatris fiunt. Quòd autem ne voluptas quidem sint, sed iniucunditas ac dolor, ostendite mihi post vnum diem, tum qui sumptus fecerunt, tum qui accepti ludis ac spectaculis sunt; cunctósque mœstitiâ correptos videbis; præ cunctis tamen eum qui sumptus fecit. Et meritò: nam pridie quidem is vulgus oblectauit. Ac quidem vulgus æquo animo erat, ingentique gaudio fruebatur. Hactenus enim splendido vestitu gaudebat: cùm tamen proprius illius non esset. eo se exuendum videns, dolebat ac discruciabatur. Qui autem sumptus impendebat, suam se minorem præ illius felicitatem videre existimabat. Idcirco sequenti die sibi mutuò accepta reddunt; maioremque ægri animi partem sibi retinet, cut ludos exhibuit. Sin autem ijs in rebus quæ ex sæculi vsu sunt, ea quæ oblectant tantam iniucunditatem, quæ verò adstringunt ac mordent, vtilitatem atque commodum habent; multò magis in spiritalibus. Eapropter nullus succenset legibus, sed omnes ad communem vtilitatem spectare eas censent. Non enim peregrini aliunde aduenientes, neque hostes eas ciuibus statuere; sed ipsi ciues, ipsi præsides ac curatores: salutisque ac beneuolentiæ indicium esse putant leges condere; tametsi pœnarum plenæ sunt leges; nec quæ his careat lex inueniri possit. Quomodò igitur non absurdum, eos qui leges exponunt seruatores, & beneficos atque præsides vocari, nos autem tetricos quosdam ac morosos haberi, si leges Dei loquamur? Quando enim de gehennâ disserimus, illas versamus leges. Et sicut Iurisperiti leges de homicidijs, & de manicularijs, & de nuptijs, & omnes eiusmodi; ita & nos, quas non homo, sed Dei ipse Vnigenitus condidit. Qui non est misericors puniatur: hoc enim sibi parabola vult. Qui tenax iniuriarum est, extremum luat supplicium. Qui temere irascitur, in ignem conijciatur. Qui dicterijs incessit, pœnam in gehennâ pendat. Sin existimatis vos nouas audire leges, nolite turbari. Nisi enim nouas positurus erat, vt quid etiam Christus venisset? Sunt enim hæc nobis manifesta, homicidæ, adultero, dandas esse pœnas. Si igitur eadem et amus auditur, quid opus erat cœlestis Magistri? Propterea non dicit, Adulter puniatur; sed, qui impudicis videt oculis; addítque vbi, ac quando pœnas daturus sit. Neque quadrangulis, aut triangulis tabulis leges inscripsit, siue erectis columnis æneis in eis exarauit: sed duodecim nobis Apostolorum animos excitauit, in quorum mentibus stylo Spiritûs hasce literas scripsit. Has nos vobis iure merito legimus. Siquidem enim Iudæis leges pellegere licebat, atque audire, ne quis excusando ignorantiæ velamen prætenderet, multò magis id nobis licet. Sin autem aliquis dicat, Neque audiam, neque damnationem habebo. Planè quidem si omnis deesset doctor ad hæc tibi consugere liceret. Cùm autem adsit qui doceat, non item. Vide sanè quomodò omni Iudæos veniâ priuet, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Et iterum Paulus, *Sed dico, Nunquid non audierunt? Quinimmò in omnem terram exiuit sonus eorum.* Tunc enim venia est, cùm qui loquatur, nemo est. Vbi autem ea mens sedet, ac ita res agitur, nullus iam veniæ locus est. Imò noluit nos Christus in eas nos statuas, titulósque respicere, quin & nos ipsos hæc esse. Quoniam verò ijs nos literis indignos reddidimus, vel saltem ad illos titulos spectemus. Quemadmodù tituli alijs comminantur, cùm ipsi non sint rei, vt nec leges, sic & beati Apostoli. Ac vide non vno loco constituisse hunc titulum, sed Scripturam vbique locorum circumferri. Sive ad Indos proficiscaris, ipsam audies: etiamsi ad Hispanos, & ad ipsos terminos terræ, qui non audiat, nemo est, nisi cui sua ipsius segnities auditum præcluserit. Ne quæso ægrè feratis, sed his quæ dicuntur animum attendite, vt possitis opera virtutum apprehendere, ac æterna bona consequi. In Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patri simul ac Spiritui sancto, gloria, potestas, & honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Math 6. v. 1.

Matth. 5. v. 28.

1. Cor. 6. v. 12

Matth 18. v. 34.

Matth. 5. v. 22.

Matth. 5. v. 28.

εἰς ὄψιν εἰς κυλίσεις.

Christi leges Apostolis seu tabellis scriptæ.

Ioan. 15. v. 22.

Rom. 10. v. 18

Psal. 18. v. 5.

Ipsi nos statuæ; ac tituli diuinarum legum.

EIVSDEM DE SANCTA *Pentecoste, & cur iam non fiant miracula, quodque ea quæ geruntur, ac dicuntur à nobis, perscribuntur.*

FRONTONE DVCÆO Interprete.

RVrsus festiuitas, rursusque festus conuentus, ac rursus Ecclesia filiorum multitudine gloriatur, hæc multorum filiorum parens, eademque filiorum amans. Sed quid prodest amor filiorum, quandoquidem in festis solùm, non perpetuò dilectos filiorum vultus intuetur; non secus ac si quis pulchram vestem habeat, nec ei séper illâ vti permittatur? Est enim Ecclesiæ vestis

astantium multitudo, ficut etiam ait Propbeta sic olim Ecclesiam alloquntus, *Omnes istos circundabis tibi vt ornamentum sponsi, & vt stolam sponsa.* Vt igitur honesta quædam & ingenua mulier, cui tunica sit rectè composita & ad talos vsque demissa, multò apparet elegantior & præstantior: sic etiam Ecclesia multò splendidior hodie redditur, dum corporum vestrorum obtegitur multitudine, ac rectè compositâ veste amicitur. Nulla enim pars eius hodie nuda sicut in superioribus diebus cerni potest: sed illius nudationis auctores fuerunt ij, qui bodie tantùm adfuerunt, qui non perpetuò matrem obtegunt. Cæterùm non mediocriter periculosum esse nudam matrem negligere probè intelligemus, si veteris historiæ recordemur; si illius qui parentem nudum vidit, & visionis illius pœnas dedit: tametsi non ille quidem patrem nudum reddidit, sed vidit solùm patrem, cùm nudus esset; & ne sic quidem supplicium effugit, quia vidit solùm: at qui adsunt bodie non nudam matrem cernunt, sed nudam ipsam efficiunt. Quòd si is qui nudationis spectator fuit, supplicium non euitauit; qui nudationis sunt auctores, quam tandem veniam merebuntur? Hæc verò dico non vt eos percellam, sed vt pœnam effugiamus; vt maledictionem Cham vitemus, vt Sem & Iaphet beneuolentiam imitemur, ac matrem nos quoque nostram obtegamus.

Isai. 49. v. 18 Ecclesiæ vestis ac ornatus, filiorū cœtus.

Gen. 9. v. 22 Maledictus Cham, ob visam patris nuditatem.

Iudaici sensus est ter in anno tantùm apparere Deo: ad illos dictum est: *Ter in anno apparebis Domino Deo tuo*: nos autem semper sibi vult Deus apparere. Enimuerò, locorum etiam interualla efficiebant, vt tot solummodò conuentus illi agerent, quòd vno tum loco Dei cultus conclusus esset: propterea rarò admodum congregari poterant & adesse: nam Hierosolymis adorare necesse fuit, alibi nequaquam: idcirco præcepit vt ter in anno Deo apparerent; & excusabat eos itineris interuallum: nos verò, nullum excusationis genus teget. Atque illi quidem vbique locorum dispersi erant. *Erant* enim, inquit, *in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est*: nos verò ciuitatem vnam habitamus omnes, intra eadem mœnia consîdemus, ac sæpenumerò ne vno quidem angiportu ab Ecclesiâ distinguimur, & perinde ac si longa mœnia nos dirimerent, adeò conuentus istos rarò celebramus. Atque illis quidem, tribus solùm temporibus, vt festum agerent, imperauit; nobis autem vt semper id præstemus imperauit: semper enim nobis est festiuitas. Vt igitur intelligatis festiuitatem nobis semper esse, festiuitatum dicam occasiones, & diebus singulis festum esse cognoscetis.

Exod. 23. v. 17. Iudæis ter in anno indictus festus conuentus; nos semper habere debemus.

Act. 2. v. 5.

Itaque prima festiuitas apud nos sunt Epiphania: quæ porrò est festi occasio? Quoniam Deus *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: quandoquidem Vnigenitus Dei Filius Deus nobiscum erat: at hoc est semper. *Ecce* enim, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; ideo singulis diebus Epiphania possumus celebrare. Quid sibi vult festum Paschæ, & quænam illius est occasio? Mortem Domini tum annuntiamus, & hoc est Pascha: sed ne hoc quidem definito tempora agimus. Cùm enim vellet nos Paulus à temporum necessitate liberare, atque ostendens semper nos posse Pascha celebrare: *Quotiescunque enim*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quando igitur semper Domini mortem possumus annuntiare, Pascha semper possumus celebrare.

Epiphaniorum ratio. *Bar. 3. v. 38.* *Matth. 28. v. 20.* *Paschatis.* *1. Cor. 11. v. 26.*

Vultis nosse festiuitatem banc etiam hodiernam singulis diebus impleri posse, immò verò singulis diebus esse? Videamus, quænam illius sit occasio, & cuius rei gratiâ ipsam agamus. Quia nimirum Spiritus sanctus ad nos venit: nam quemadmodum cum fidelibus est hominibus Vnigenitus Dei Filius, ita quoque Spiritus Dei. Vnde boc constat? *Qui diligit me, mandata mea seruabit: & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis.* Vt igitur de seipso dixit Christus, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, ac semper Epiphania possumus celebrare, ita quoque de Spiritu sancto dixit, *Vobiscum est in æternum*, semperque possumus Pentecosten celebrare. Atque vt intelligatis nobis festum semper agitare licere, neque determinatum esse tempus, neque nos temporis necessitate coarctari, quid Paulus dicat, audite. *Itaque festum agitemus*: tametsi non erat festum quando hæc scripsit; non erat Pascha; non erat Pentecoste, sed indicat non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere: nihil enim aliud est festum quàm lætitia: spiritualem verò lętitiam nihil aliud gignit, quàm conscientia bonorum operum: porrò is, cui bona sit conscientia, & talia opera, festum semper agere potest. Hoc igitur ipsum indicans Paulus dicebat: *Itaque festum agitemus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Vellem equidem totum in hoc sermonem consumere: qui enim quosdam post longum temporis interuallum in manus sumpserint, eos facilè non dimittunt: quando igitur vos, qui post annum adestis intra retia cepimus, hodie dimittere minimè volumus: sed ne sermonis de hoc festo recedatis expertes, ab hac cohortatione ad festiuitatis occasionem oratio traducenda est.

Pentecostes festiuitas, quotidie est. *Ioan. 14. v. 15.* *Matth. 28. v. 20.* *1. Cor. 5. v. 8.* Festum facit non tempus, sed munda conscientia.

Multa quidem sæpenumerò de cœlo in terram generi humano delapsa sunt bona: qualia verò demissa sunt hodierno die, nunquam antea; cognoscite igitur qualia priùs & qualia hodierno die, vt & vtrorumque discrimen animaduertatis. Pluit in terram manna Deus, & panem cœli dedit eis; *Panem* enim *Angelorum manducauit homo*: res procul dubio magna est, Deique digna benignitate: postea de cœlo demissus est ignis, & Iudaicum populum errantem correxit, ac sacrificium abripuit ab altari. Omnibus rursus fame tabescentibus demissa est pluuia, multamque frugum attulit vbertatem. Magna sunt hæc & admirabilia, sed multò maiora sunt præsentia. Non manna, ignis, & pluuia demissa est hodie, sed imber spiritalium donorum: nimbi de cœlo sunt deiecti, quibus non iam ad fruges proferendas tellus excitatur, sed naturæ persuadetur humanæ, vt virtutis fructum hominum agricolæ reddat: quique guttam inde exceperant, naturæ suæ confestim obliuiscebantur, & Angelis omnis terra subitò implebatur; Angelis non cœlestibus, sed qui humano in corpore Potestatum incorporearum virtutem exhiberent. Non enim illi in terram descenderunt, sed quod mirabilius fuit, qui in terrâ erant, ad illorum virtutem ascenderunt. Non enim carne depositâ nudis ani-

Nulla talia data de cœlo munera, qualia in Pentecoste. *Psal. 77. v. 24.* *3. Reg. 18. v. 38. & 45.* Homines aduentu Spiritus facti Angeli.

mabus incedebant, sed natoram retinentes animi proposito Angeli fiebant.

Gen. 3. v. 19.
Maior virtutis eius ostensio, quòd terreni talia præstarent.

Atque vt intelligas, ne priorem quidem illam pœnam fuisse pœnam, quando dixit, *Terra es, & in terram reuerteris*, propterea manere te permisit in terrâ, vt ampliùs potentia Spiritus ostenderetur, quæ talia per terrenum corpus efficeret. Nam videre etat luteam linguam dæmonibus imperantem: videre erat luteam manum morbos sanantem: immò verò non manum tantùm loteam videre erat, sed quod multò mirabilius erat, luteotum corporum vmbras, & mortem, & incorporeas potestates, dæmones, inquam, snperantes. Nam quemadmodum B apparente sole, tenebræ discutiuntur, feræ latibula sua ingrediuntur; homicidæ, latrones, & tumulotum prædones ad montium vertices recurrunt: sic apparente vocemque emittente Petto, erroris tenebræ discutiebantur, recedebat diabolus, fugiebant dæmones, corporum morbi tollebantur, animarum ægritudines sanabantur, malitia omnis arcebatur, in terras virtus reducebatur.

Simile.

Et quemadmodom regijs ex ærarijs, in quibus aurum & lapides pretiosi sunt, si quis vel minimum quid efferre poterit eotum, quæ honorificè sunt recondita, licet vnum lapillum tantùm, multis opibus auget possessorem: sic ex ore Apostolorum (etenim regia quædam erant ætaria C illorum ora, in qoibus sananonum reconditus erat thesaurus) vel vnumquodque verbum exiens spirituales multas opes pariebat. Tum verò licebat intueri desiderabilia esse Domini eloquia super aurum, & lapidem pretiosum multum: quod enim autum non poterat, neque pretiosus lapis, hoc Petri verba faciebant. Quot enim auri talenta Claudo à natiuitate rectum incessum reddere potuissent? sed nunc tollere naturæ defectum potuit verbum Petri. Dixit, *In nomine Iesu Christi surge, & ambula*, & sermo factus est opus. Vides vt desiderabilia sint super aurum, & lapidem pretiosum multum? Vides vt ætaria fuerint regia illorum ora? Verè medici orbis terrarum fuerunt D illi, & agricolæ, & gubernatores: medici quidem, quoniam ægritudines curabant; agricolæ, quoniam verbum religionis seminabant: gubernatores, quoniam erroris procellam sedabant. Idcirco nonnunquam dicit, *Euntes, infirmos curate*, tanquam medicos alloquens: nonnunquam, *Ecce mitto vos metere, quod vos non laborastis*, tanquam agricolas alloquens: & alibi rursus, *Faciam vos piscatores hominum*: & Petro, *Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens*, tanquam ad gubernatores & piscatores verba faciens: & videre etat miraculis succedentia miracula. Etenim natura nostra ante decem dies ad regium thronum ascendit, & hodiernô die Spiritus sanctus ad oatiuitam nostram descendit; primitias nostras Dominus in cœlum enexit, & Spiritum E sanctum demisit.

Psal. 18. v. 11.
Act. 3. v. 6.
Apostoli, orbis terrarum medici agricolæ, & gubernatores.
Matth. 10. v. 8.
Ioan. 4. v. 30
Matth. 4. v. 19.
Luc. 5. v. 10.

2. Cor. 3. v. 17.

Alter est Dominus, qui hæc dona distribuit: nam *Spiritus sanctus est Dominus*; & dispensationem nostrâ causâ susceptam Pater & Filius & Spiritus sanctus inter se diuiserunt. Nondum decem elapsi dies erant, ex quo Christus ascenderat, & spiritualia nobis dona misit, reconciliationis illius munera. Nam vt ambigeret nemo, & quæreret, quid tandem in cœlos ascendens Christus egisset, num Patri nos reconciliasset? num propitium ipsum reddidisset? vt nobis ostenderet se naturæ illum nostræ placatum red- A didisse, confestim nobis reconciliationis illius dona misit. Cùm enim vniti sunt & recoociliati inter se inimici, post reconciliationem sequuntur statim inuitationes, conuiuia, & munera. Misimus ergo nos fidem, & inde recepimus dona: misimus obedientiam, & iustitiam recepimus. Atque vt intelligatis reconciliationis Dei donum esse, quòd Spiritus sanctus est datus, ex Scripturis id persuadere vobis conabor: ac primùm à contrarijs probationem rei petam, & ostendam, cùm iratus est, eum Spiritus gratiam inhibere: vt cùm credideris eius iræ argumentum esse, quòd non adsit Spiritus sanctus, rur- B susque demissum videris Spiritum sanctum, discas, nisi reconciliatus fuisset, Spiritum sanctum nequaquam illum fuisse missurum.

Aduentus Spiritus sancti, reconciliatos homines Deo ostendit.

Simile.

Heli offensa, indulgentiâ in filios.

Vnde igitur hoc intelligemus? Heli senex vir fuit, aliàs quidem æquus & probus, sed qui filiorum improbitatem nesciret corrigere, verùm vltra modum liberos amaret. Audite quotquot filios habetis, vt amori vestro pudorique modum faciatis: hinc enim Heli cùm Deum irritasset, in tantam illum iracundiam impulit, vt totam gentem fuerit auersatus. Itaque vt indicaret is, qui hæc scripsit, Deum illos admodum auersatum esse, dicebat: *Verbum erat pretiosum, & non erat visio distinguens*: pretiosum hoc loco C ratum appellans: per hæc enim ostendit rarum fuisse tum donum prophetiæ: ac rursus lugens alius & lamentans ob iram Dei, dicebat, *Et non est in hoc tempore princeps neque Propheta*. Et rursus ait Euangelista: *Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Quoniam enim nondum fuerat crucifixus, non erat Spiritus sanctus in hominibus datus. Illud quippe *glorificatus*, idem valet quòd crucifixus. Nam etsi res est naturâ suâ ignominiosa, quia tamen eorum causâ fiebat quos amabat, gloriam illam Christus appellat. Quare verò, dic quæso, ante passionem non est Spiritus datus? quoniam in peccatis erat orbis terrarum, in offensionibus, odio & ignominiâ, cùm nondum oblatus Agnus D esset, qui mundi tollit peccatum. Quoniam igitur nondū crucifixus fuerat Christus, reconciliatio nōdum facta erat: cùm verò nondū facta esset reconciliatio, meritò neque Spiritus mittebatur; ita vt reconciliationis indicium Spiritus missus sit. Propterea dicit etiam Christus, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, ille non veniet*. Si non abiero, & Patrem reconciliauero, inquit, Paracletum vobis non mittam. Videtis quàm multis ex locis vobis demonstrarim, illud iræ diuinæ signum esse, quòd non sit in hominibus Spiritus sanctus? *Verbum erat pretiosum, & non erat visio distinguens: Non enim est princeps neque Propheta in tempore isto: Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat E glorificatus: Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, ille non veniet*. Itaque signum est iræ diuinæ, quod non sit Spiritus sanctus. Cùm ergo copiosè missum videtis Spiritum sanctum, nihil de reconciliatione dubitetis ampliùs.

1. Reg. 3. v. 1.
Dan. 3. v. 38
Ioan. 7. v. 39
Crux, Christi dicta gloria.
Ioan 16. v. 7.

Verùm vbi nunc est Spiritus sanctus? dicet aliquis. Nam tum quidem rectè dicis, cùm signa fiebant, & mortui suscitabantur, & leprosi omnes mundabantur: iam verò vnde planum faciemus adesse nobis Spiritum sanctum? Nolite timere; ostendam enim in nobis esse nunc quoque Spiritum sanctum. Quâ tandem ratione? Nam si non esset in nobis Spiritus sanctus, quomodò isti,

Baptismus nocte sacrâ Pentecostes

A qui hac sacrâ nocte baptizati sunt, à peccatis liberari potuissent? Non enim absque Spiritus efficacitate possumus à peccato liberari, quod quéadmodum doceat Paulus, audite. *Eramus enim aliquãdo & nos insipiẽtes, increduli, errantes, seruientes desiderijs varijs: cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.* Et rursus alibi, *Nolite errare, neque fornicarij, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque* B *rapaces regnum Dei possidebunt.* Vides omnia genera improbitatis? *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis:* quo pacto? hoc enim est quod quæritur, num per Spiritum sanctum nequitiam deposuerimus; audi ergo. *Sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Vidésne Spiritum sanctum omnem illam improbitatem deleuisse? Vbi nunc sunt qui Spiritus maiestatem blasphemant? Si enim peccata dimittit, frustra blasphemiis ab hæreticis incessitur.

Tit. 3. v. 3.

Peccatorum remissio ab Spiritu sancto.

1. Cor. 6. v. 9.

Ibid. v..

Nisi esset Spiritus sanctus, Dominum Iesum dicere non possemus: *Nemo enim potest dicere* C *Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Si non esset Spiritus sanctus, Deum orare fideles non possemus: dicimus enim, *Pater noster qui es in cælis.* Vt igitur Dominum vocare non possemus, sic neque Patrem Deum vocare possemus. Vnde id constat? ex eodem Apostolo, qui ait: *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.* Itaque dum Patrem vocas, recordare Spiritu animam commouente illâ te fuisse appellatione donatum. Nisi esset Spiritus sanctus, sermo sapientiæ ac scientiæ in Ecclesiâ non esset: nam *alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ,* D *alij verò sermo scientiæ.* Nisi esset Spiritus sanctus, Pastores & Doctores in Ecclesiâ non essent: nam & isti per Spiritum fiunt, sicut & Paulus dicit, *In quo vos Spiritus sanctus posuit Pastores & Episcopos.* Vides hoc quoque per Spiritum fieri? Nisi esset Spiritus sanctus in hoc communi Patre ac Doctore, cùm paulò antè sacrum hoc in tribunal ascendit, ac vobis omnibus pacem dedit, non simul ei omnes acclamassetis, *Et cum Spiritu tuo.* Idcirco non cùm ascendit tantùm, neque cùm vos affatur, neque cùm pro vobis orat, hac illi voce acclamatis; sed cùm huic sacræ mensæ assistit, E cùm tremendum sacrificium est oblaturus (nam quid dicam, norunt, qui sunt mysterijs initiati) non prius attingit proposita, quàm vobis ipse gratiam fuerit precatus à Domino, vosque illi acclamaueritis, *Et cum Spiritu tuo*; quâ responsione vobismetipsis in memoriam reuocatis nihil eum præstare, qui adest, neque naturæ humanæ rectè facta esse proposita bona, sed præsentem Spiritus gratiam, & ad omnia aduolantem, mysticum illud perficere sacrificium. Licet enim homo sit is, qui adest, Deus est tamen, qui per ipsum operatur. Noli ergo naturam attendere illius, quem cernis, sed gratiam eius considera, qui cerni non potest: nihil humanum est eorum, quæ in hoc sacro geruntur sanctuario. Nisi Spiritus adesset, Ecclesia non consisteret: si verò consistit Ecclesia, dubium non est, quin adsit Spiritus.

1. Cor. 12. v. 3.

Dona alia.

Matth. 6. v. 9.

Gal. 4. v. 5.

1. Cor. 12. v. 8.

Act. 20. v. v. 28.

Flauianum Episcopum indicat.

Quid populi illa acclamatio Sacerdoti, Et cum Spiritu tuo.

Spiritus sanctus in mysterijs omnia operatur.

A Paschate.

A Cur igitur, dicet aliquis, nunc signa non fiunt? Hîc mihi vos animum diligenter attendite: à multis enim & frequenter & semper hanc mihi propositam audio quæstionem: Quare tum linguis loquebantur omnes qui baptizabantur, iam verò non item? Dicamus prius, quid sit loqui linguis, ac deinde causam dicemus. Quid igitur est loqui linguis? Qui baptizabantur, statim linguâ loquebantur Indorum, Ægyptiorum, Persarum, Scytharum, Thracum, ac vir vnus linguas multas assumebat; & isti nunc si baptizati tunc fuissent, statim illos diuersis linguis loquentes audisses. Nam Paulus inuenit, vt ait, quosdam in B Ioannis baptismate baptizatos, dixitque ad eos: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? Dicunt illi: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus; statimque iussit eos baptizari; & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis omnes.* Cur igitur subducta est, & ex hominibus sublata illa nunc gratia? Non quòd ignominiâ nos afficiat Deus, sed quòd honorem etiam deferat. Quo tandem pacto? ego dicam.

Linguarum donum.

Act. 19. v. 2.

Honoris est, quòd sublata iam externa signa.

Stolidiores erant tum temporis homines, non ita pridem ab idolis abducti, ac porrò crassior & stupidior mens illorum adhuc erat, omnibúsque corporalibus intenti erant & addicti, neque dum C incorporea illis dona in mentem venerant, neque nouerant, quid esset gratia spiritualis, quæque solâ fide percipitur: idcirco signa fiebant. Nam ex donis spiritualibus alia quidem inuisibilia sunt, & solâ fide comprehenduntur: alia verò signum quoddam sensibus obiectum exhibent ad faciendam fidem infidelibus. Exempli causâ, remissio peccatorum res est spiritualis, inuisibile donum est: quomodò enim peccata nostra purgentur, carnis oculis non videmus. Quid ita? Quoniam anima est, quæ purgatur: at corporis oculis nequaquam cernitur anima. Est igitur spirituale donum quoddam purgatio peccatorum, quæ cor- D poris oculis patere non potest. At varijs loqui linguis est illud quidem spiritualis etiam Spiritus operationis: veruntamen sensibus obiectum signum præbet, quodque facilè ab infidelibus perspici potest: nam quæ fit intus in animâ operatio, inuisibilis inquam, per exteriorem linguam, quam audimus, manifestatur & ostenditur. Idcirco etiam dicit Paulus: *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Itaque signis equidem non indigeo. Quid ita? Quippe qui absque signi largitione Domino credere didici. Nam qui incredulus est, pignore indiget. Ego verò qui credam, pignore minimè indigeo neque signo: E sed licet linguâ non loquar, à peccatis purgatum esse me scio: at illi tum non credebant, nisi signum accepissent; propterea signa tãquam pignus quoddam fidei, quâ credebant, illis dabantur. Itaque non vt fidelibus, sed vt infidelibus dabantur signa, vt fierent fideles. Sic etiam ait Paulus: *Signa sunt non fidelibus, sed infidelibus.* Videtis Deum signorum manifestationem subduxisse, non vt ignominiâ nos afficeret, sed vt honorem deferret? Nam cùm fidem nostram vellet ostendere: quòd absque pignoribus aut signis illi credamus, hoc fecit. Siquidem illi, nisi prius signum & pignus accepissent, ei de rebus minimè apparentibus non credidissent. At ego, etiam sine hoc omnem fidem exhibeo: hæc igitur causa est, cur iam signa non fiant. Voluissem equidem de festiuitatis occasione verba facere, ac docere, quid

1. Cor. 12. v. 7.

Externa signa fidei quædam pignora.

1. Cor. 14. v. 22.

tandem sit Pentecoste, cur in hac festiuitete donum Spiritus datum sit, cur in linguis igneis, & cur post decem dies: sed prolixiorem doctrinam esse video: quamobrem, vbi pauca quædem addidero, finem faciam dicendi.

Act.2.v.1.

Cùm complerentur dies Pentecostes, apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis: non ignis, sed *tanquam ignis*, vt nihil sensile de Spiritu sancto suspiceris. Sicut enim ad fluenta Iordanis non columbe descendit, sed *in specie columba*: ite & hîc non ignis, sed in specie ignis. Et rursus superius ait; *Tanquam aduenientis spiritus vehementis*: non spiritus vehemens, sed *tanquam aduenientis spiritus vehementis*. Cur igitur Ezechiel quidem donum accipit prophetiæ, non in similitudine ignis, sed per librum: Apostoli verò per ignem dona recipiunt? Nam de illo quidem eit Scriptura, datum fuisse in ore eius capitulum libri, & scriptam fuisse querimoniam, & carmen, & væ: & fuisse posteriore & anteriore scripta, & comedisse illud, & factum esse in ore quasi dulcescens. De Apostolis verò non ita: sed, *Apparuerunt eis lingua tanquam ignis*. Cur igitur ibi liber & literæ; hîc verò lingua & ignis? Quòd ille quidem abiret insectaturus peccata, & Iudaïcas calamitates deploraturus: hi verò peccata orbis terrarum absumpturi exirent: propterea libellum hic accipit, qui futuras calamitates memoriæ suggereret: ignem illi accipiebant, vt orbis terrarum peccata exurerent, & cuncta delerent. Nam quemadmodum si incidat ignis in spinas, illas facilè delet omnes: sic & Spiritus gratia peccata hominum absumebat. Verùm stupidi Iudæi, dum hæc fierent, cùm illos percelli oportuisset ac tremere, denique largitorem adorare, rursus amentiam suam ostendunt, & Spiritu repletos Apostolos ebrietatis accusant. *Isti* enim, inquiunt, *musto pleni sunt*. Animaduerte nequitiam hominum, & Angelorum probitatem contemplare. Nam Angeli quidem cùm primitias nostras ascendentes viderent, lætabantur, & dicebant, *Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*: homines verò descendentem ad nos Spiritus gratiam videntes, dicunt ebrios esse, qui gratiam receperunt, & ne anni quidem tempestas eos repressit; nam veris tempore reperiri mustum minimè potest: atqui tum ver erat. Verùm illi quidem relinquantur: nos autem benigni Dei retributionem consideremus.

Luc.3.v.22.

Ezech.2.v.9.

Ezechiel cur libri symbolo donatus Spiritu, Apostoli ignis symbolo.

Iudæorum calumnia.

Act.2.v.13.

Psal.23.v.9.

Accepit Christus primitias naturæ nostræ, ac Spiritus gratiam nobis retribuit. Et quemadmodum longo in bello fit, cùm dirempte pugne fuerit, & confecta pax, qui sibi inuicem infensi erant, pignora mutuo sibi dant & obsides: sic & inter Deum & naturam euenit humanam: pro pignoribus & obsidibus ipsa primitiæ misit, quas in cœlum tulit Christus: nobis ille Spiritum sanctum pignoris & obsidis loco remisit. Nam ex genere regio pignore & obsides esse oportet; idcirco etiam Spiritus sanctus ad nos missus est, vt qui maximè regiæ sit substantiæ, quemadmodum & qui à nobis sursum euectus est ex genere fuit ortus regio, quippe qui ex Dauidis esset semine. Quamobrem non ampliùs pertimesco, quandoquidem sursum primitiæ nostræ sedent: idcirco licet immortalem mihi vermem obijcias, licet ignem inextinctum, licet alias pœnas ac supplicia, non ampliùs reformido. Imò verò reformido equidem, veruntamen de salute meæ non desspero. Nisi enim magna in genus nostrum congerere bona statuisset Deus, primitias nostras in cœlum non assumpsisset. Antea quidem nos suspicientes in cœlum, incorporeas illas cogitantes Virtutes, vilitatem nostram sectâ cum supernis Virtutibus comparatione cernebamus: tam verò cùm nobilitatem nostram cernere voluerimus, in cœlum suspicimus, ad regium ipsum thronum: illic enim ex nobis sumptæ primitiæ consident.

Simile.

Mutua pignora Spiritus datus, & assumptus Christus.

Ita quoque veniet è cœlis, vt nos iudicet Dei Filius: quamobrem parati simus, ne ab illâ gloriâ excidamus. Omninò enim veniet, & non tardabit communis Dominus noster: veniet exercitus secum trahens, Angelorum agmine, turmas Archangelorum, Martyrum classes, Iustorum choros, Prophetarum & Apostolorum cœtus; & in medio spiritualium illorum exercituum inefabili quadam & inexplicabili gloriâ Rex circondatus apparebit. Omnem igitur operam adhibeamus, vt eb illâ gloriâ non excidamus. Vultis dicam etiam ea, quæ terrorem incutient? non vt tristitiam afferam, sed vt ad meliorem frugem traducam. Tum flumen ignis ante tribunal illud trahitur, tunc aperiuntur libri, iudicium exercetur formidabile ac tremendum: propterea tanquam in iudicio vitæ nostræ diaria leguntur, & commentarij, multéque de libris istis loquuntur Prophetæ. Ac Moyses quidem ait: *Siquidem remittis eis peccatum, remitte: sin autem, me quoque dele de libro, quem scripsisti*. Christus verò rursus ad discipulos dicebat: *In hoc nolite gaudere, quod dæmonia vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis*. Et rursus Prophete Dauid: *In libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis*. Et rursus: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*. Vides alios quidem deleri, alios verò inscribi? Vis discere non iustos modò in illis libris scribi, sed etiam peccata nostra illic esse perscripta? Festiuitatis tempus est, discamus ea, quibus possumus à supplicio liberari. Terribilis est oratio, sed vtilis & fructuosa: siquidem impedit, ne reipsâ pœnas experiamur: ergo discamus.

Act.1.v.11.

Futuri aduentus terror.

Dan.7.v.10

Exod.32.v.31.

Luc.10.v.20.

Psal.138.v.16.

Psal.68.v.29.

Perscribuntur peccata, & quicquid hîc loquuti fuerimus, illuc statim defertur & perscribitur. Vnde verò id constat? non enim talia sunt simpliciter affirmanda. Malachias ad Iudæos ait: *Væ qui prouocatis Dominum. Et quomodò*, inquiunt, *prouocauimus eum? In eo quod vos dicitis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini*. (Improborum seruorum sunt ista verba) *& in his ipse sibi complacuit*: in perditis, inquit, in ijs, qui non seruierunt ei. *Ecce custodiuimus custodias eius, & beatos dicimus alienos*. Nos enim, inquit, quotidie seruimus, & alij bonis potiuntur. Talia nimirum sæpenumerò de dominis serui loquuntur: sed hominem quidem de homine ista dicere, non ite graue est, tametsi est graue: de communi verò totius terrarum orbis Domino hæc proferre, de misericordi ac benigno Domino, nullâ non grauiori mulctâ, nullo non extremo supplicio vindicandum est. Sed vt intelligas huiusmodi verba perscribi, audi quid dicat Prophete: *Ecce scripta sunt hæc in libro viuentium in monumentum in conspectu Dei*. Scribuntur autem, non quòd Deus in memoriam seducet diem, vel tanquam criminis probandi causâ, & accusationis firmamentum librum proferat.

Peccata perscribuntur.

Mal.2.v.17.

Mal.3.v.14.

Consuetæ multis murmurationes.

Ibid.v.16.

Fortasse mentem vestram timore concussi; non

vestram, sed meam prius: age agitur orationem absoluam, vel potius timorem exoluam: immò verò non exoluam, sed leniam. Volo enim maneat, & mentem vestram purget; sed imminuam illum, ne sit intolerabilis. Quanam ergo ratione poterimus imminuere? Si non modò perscribi peccata, sed etiam deleri demonstrauerimus. Nam in iudicio quæcunque dixerit ille qui litigat, in commentarijs omninò scribuntur in perpetuum, nec ampliùs deleri possunt: at in illo libro, licet mala quæpiam dixeris, si volueris, rursus delentur. Vnde hoc liquet? ex Scripturâ.

Perscripta semel deleri possunt.

Psal. 50. v. 11.

Auerte enim, inquit, *faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. At nemo quod scriptum non est delere potest: itaque quia scripta erant, deleri precatur. Docet autem & alius quidam, quonam pacto deleantur, ita dicens:

Pro. 15. v. 27.

Eleemosynis & fide purgantur peccata. Non tantùm delentur, sed etiam purgantur, sic vt nec vllæ reliquiæ maneant deletionis. Neque verò quæ post baptismum scripta sunt, tantum delentur, sed etiam quæ ante lauacrum scripta fuerant, illa omnia baptismi aquâ & Christi cruce delentur, sicut & Paulus ait:

Col. 2. v. 14.

Delens, quod aduersus nos erat, chirographum, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Vides quo pacto deletum fuerit illud chirographum? neque deletum tantùm, sed etiam diruptum est, cùm illud claui crucis conscideriint, sic vt inutile redderetur. Verùm illa quidem gratiâ & benignitate virtutis Christi crucifixi cuncta deleta sunt: quæ verò post baptismum commissa sunt, multo indigent studio, vt rursus deleantur, quandoquidem neque secundum est lauacrum, sed lacrymis indigent nostris, confessione, eleemosynâ, precibus, aliisque generibus omnibus pietatis. Sic & post baptismum delentur peccata, multo cum labore & fatigatione. Omnem igitur adhibeamus diligentiam, vt ea deleamus ex hoc tempore, & in alterâ vitâ subeundis probris ac supplicijs liberemur. Licet enim sexenta peccata commiserimus, si velimus, has omnes poterimus sarcinas peccatorum deponere. Velimus ergo; multò enim melius est vt modico hîc exantlato labore ab ineuitabili supplicio liberemur, quàm vbi hoc perbreui tempore otio ac desidiæ indulserimus, in pœnas illas æternas incidamus.

Peccata post baptismum commissa delenda lacrymis, &c.

Sed iam tempus est, vt quæ dicta sunt recenseamus. Obiurgauimus eos, qui semel tantùm per annum huc veniunt, quòd denudatam matrem esse sinant; veterem illis historiam, maledictionem, & benedictionem in memoriam reuocauimus. De Iudaïcis festiuitatibus disseruimus, & quâ de causâ ter in anno sibi apparere iubeat Deus Iudæos. Diximus festiuitatem esse quouis tempore, Pentecosten pariter, & Pascha, & Epiphania. Diximus conscientiam puram efficere festiuitatem, non dierum temporúmve conuersionem: inde digressi sumus ad dona de cœlo demissa; reconciliationis hoc indicium esse diximus. Ostendimus adesse Spiritum sanctum ex remissione peccatorum, ex responsione factâ Pastori, ex sapientiæ scientiæque sermone, ex ordinationibus, ex mystico sacrificio. Diximus obsides mutuos ac pignora nos retinere: causam addidimus, ob quam sublata nunc sunt è medio signa. Tremendi postea iudicij memoriam renouauimus, ac eorum qui tunc aperientur, librorum, & quemadmodum omnia peccata nostra perscribantur. Ostendimus, rursus ea deleri, si velimus. Horum omnium recordamini: si verò non potest fieri, vt omnium, sermonis illius de libris omnium loco recordamini; & quæcunque responderitis, tanquam habeatis eum qui adsit, & ea scribat, ita cautè loquimini, ac semper recentem horum verborum memoriam conseruate: vt eorum quidem, quorum nomina scripta sunt in libro iustorum, rectè factorum numerum augeatis; quorum autem multa inibi peccata sunt scripta, hîc ea nemine sciente delentes, diuulgationem illam effugiamus. Possumus enim, vt ostendimus, adhibito studio, precibus, ac feruenti deuotione, quæ scripta sunt, omnia peccata delere. Hoc igitur quouis tempore studeamus, vt cùm illuc abierimus, aliquam obtinere veniam possimus, & omnes ineuitabiles pœnas effugere: quibus nos vtinam omnes liberatos regnum cœlorum obtinere contingat, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, &c.

EIVSDEM, DE EADEM *sanctâ Pentecoste*.

SERMO.

EODEM Interprete.

Magna sunt, dilectissimi, nec vllâ possunt humanâ ratione comprehendi, quæ nobis hodierno die à benignissimo Deo impertita sunt dona. Quamobrem omnes communiter gaudeamus, & lætitiâ exultantes Dominum nostrum laudemus. Festiuitas enim publicúsque conuentus nobis est dies hodiernus. Nam quemadmodum in quatuor anni tempestatum ac solstitiorum vicissitudine alteri succedit altera: sic nimirum & in Ecclesiâ Domini festiuitas dum festiuitati succedit, ad sese mutuò nos transmittunt. Nuper itaque festum crucis celebrauimus, passionis, resurrectionis, ac deinde Domini nostri Iesu Christi ad cœlos ascensus; hodie tandem ad ipsum culmen bonorum prouecti sumus; ad ipsam metropolim festorum euasimus; ad fructum ipsum Dominicæ promissionis peruenimus.

Festorum metropolis, Pentecoste.

Ioan. 16. v. 7.

Si enim abiero, inquit, *ego, alium Paracletum mittam vobis, & non relinquam vos orphanos*. Videtis sollicitudinem? videtis ineffabilem benignitatem? Ante hos dies in cœlum ascendit, regium thronum recepit, sedem ad Patris dexteram recuperauit; & hodie nobis sancti Spiritus aduentum largitur, ac per ipsum de cœlis sexcenta nobis bona suppeditat. Quid enim, quæso, eorum, quibus salus nostra continetur, non per Spiritum dispensatum est nobis? Per ipsum à seruitute liberamur; in libertatem vocamur; in adoptionem deducimur; ac denuo, vt ita dicam, fingimur; graue fœtidúmque peccatorum onus deponimus.

Spiritus omnium nobis bonorum auctor.

Per Spiritum sanctum Sacerdotum cernimus choros; Doctorum ordines habemur: ab hoc fonte manant & reuelationum donationes, & gratiæ sanitatum, & reliquâ omnia, quibus Ecclesia Dei condecorari solet, inde promuntur, Hoc est illud quod clamat Paulus, his verbis,

1. Cor. 12. v. 11.

Hæc omnia operatur vnus atque idē Spiritus, diuidens priuatim singulis prout vult: prout vult, inquit, non prout iubetur: *diuidens*, non diuisus; auctorem se præbens, non auctoritati subiectus. Eandem quippe potestatem quam Patrem habere testatus est, hanc & Spiritui sancto Paulus attribuit. Et quemadmodum de Patre dicit, *Deus verò est, qui opera-*

Ibid. v. 6.

tur omnia in omnibus: sic de Spiritu sancto, *Hæc omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens priuatim singulis prout vult.* Viden' tu perfectam potestatem? Quorum enim natura est vna, baud dubium quin eorum vna sit auctoritas: & quorum æqualis honoris est maiestas, eorum & virtus & potestas est vna. Per hunc peccatorum remissionem obtinuimus, per hunc sordes omnes absterlimus; per huius donationem ex hominibus Angeli facti sumus, qui ad gratiam accurrimus, non naturâ mutati, sed quod multò est mirabilius, in naturâ permanentes humanâ Angelorum conuersationem exhibemus. Tanta siquidem virtus est Spiritus sancti: Et quemadmodum ignis iste qui sensu percipitur, vbi molle lutum ceperit, rigidam illud testam efficit: sic nimirum & ignis Spiritus cùm animam probam occupauerit, licet eam luto molliorem receperit, ferro duriorem reddit. Etenim eum qui paulò antè peccatorum fæce pollutus erat, continuè sole ipso efficit clariorem. Atque hoc illud est, quod beatus nos docebat Paulus, cùm clamaret ac diceret, *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et cùm omnia ferme improbitatis genera enumerasset, eósque qui se his peccatis obstrinxerint, alienos fieri à regno Dei docuisset, continuò subiecit: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Quo pacto, quáve ratione? dic quæso: hoc enim est quod quæritur. *In nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

Spiritus vis nos confirmandi.

1. Cor. 6. v. 9.

Ibid. v. 11.

Vides vt omnem hanc iniquitatem Spiritus sanctus deleuerit, eósque qui priùs à peccatis suis proditi erant, subitò ad summos honores euexerit? Quis ergo pro merito lugeat ac deploret eos, qui blasphemijs Spiritus sancti apperunt maiestatem, ac numen; qui tanquam furiosi quidam & amentes ne beneficiorum quidem magnitudine ab hac suâ ingrati animi improbitate reuocantur? imò aduersus propriam ipsorum salutem omnia machinati non verentur, atque à Domini maiestate deiectum, quantum in ipsis est, in creaturarum redigere ordinem moliuntur? Quos equidem lubens sic interrogauerim. Quid tandem causæ est, heus vos, cur bellum tam acerbum aduersus Spiritus maiestatem indictum habeatis, vel potiùs aduersus vestram ipsorum salutem; neque vobis in mentem venire patiamini, quæ discipulis à Saluatore sunt dicta? *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Vides æqualem honore maiestatem? Vides concordiam exactè descriptam? Vides vt indiuisa sit Trinitas? Num vspiam discrimen, aut immutatio, imminutióue? Quid vos Domini verbis noua quædam mandata adiungere audetis? An verò nescitis in negotijs etiam humanis siquis fortè conatus sit, aut eò progressus sit audaciæ, vt à Rege missis literis quicquam adiiciat, detrahátve, qui eiusdem alioquin est generis nobiscum, eiusdemque consors naturæ, solere illum extremo supplicio mulctari, nulláque posse ratione à meritâ pœnâ vindicari. Quòd si tantum in humanis negotijs periculum imminet, quam tandem veniam obtinebunt, qui vsque eò prosiliunt audaciæ, vt quæ à communi nostro Saluatore sunt dicta, corrumpere moliantur; neque Paulum, qui loquentem

Aduersus Pneumatomachos ac Macedonianos.

Matth. 28. v. 19.

Simile.

A in se Christum habet, audire dignentur clarâ voce clamantem, ac dicentem, *Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum?* Si ergo neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque cor capere potuit cognitionem bonorum, quæ ipsum diligentibus sunt parata; vnde quæso fieri poterit, ô beate Paule, vt nos eorum cognitionem assequamur? Expecta paulisper; tum tu illum audies etiam hoc dicentem. Itaque adiecit, dicens: *Nobis autem reuelabit Deus per Spiritum suum.* Neque verò hîc stetit: sed vt potentiæ magnitudinem indicaret, & quo pacto eiusdem sit substantiæ cum Patre Filioque: *Spiritus enim*, inquit, *omnia scrutatur, etiam* B *profunda Dei.* Deinde cùm exemplis humanis accuratiorem doctrinam inserere animis nostris vellet, adiecit: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? sic & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei?* Vides eximiam perfectamque doctrinam? Quemadmodum, inquit, ea quæ in mente sunt hominis fieri nequit, vt alter nouerit, sed ipse res suas nouit solus: sic & quæ Dei sunt nullus nouit nisi Spiritus Dei; quod maximum est valdéque idoneum ad ostendendum Spiritus dignitatem. Exéplum enim attulit, quasi hoc innueret: Fieri nó potest, vt quis hominum ea quæ in suâ mente C sunt, vnquam ignoret. Vt igitur fieri hoc non potest: sic & ea quæ Dei sunt tam exactè Spiritus sanctus nouit. Sed negari non potest, quin his etiam verbis beatus iste illos tangat, qui ob anticipatam suam opinionem cum salutis suæ detrimento tantum bellum Spiritus diuinitati se indixisse declarant, quantúmque situm in ipsis est, eum supremi dominatus dignitate priuant, atque ad creaturarum deiiciunt vilitatem. Veruntamen licet illi contentionis studio ducti Scripturæ sacræ verbis aduersarios sese opponant, nos diuina documenta velut oracula de cœlo missa suscipientes, debitas Deo laudes offeramus: & cum rectâ fide, etiam veritatis exactam cognitionem D præ nobis feramus: atque ad eos quidem reuincendos, qui ea, quæ Spiritus sancti responsis contraria sunt, ducere non dubitant, sufficiunt ea quæ dicta sunt:

1. Cor 13. v. 3.

1. Cor. 3. v. 9.

Ibid. v. 10.

Verumenimuerò cuius rei gratiâ tantorum causam bonorum non statim post suam in cœlos ascensionem Dominus sit largitus, sed paucos dies priùs siuerit expectare, ac solos manere discipulos domi, tum deinde Spiritus gratiam demiserit, operæpretium facturi videmur, si dilectioni vestræ referamus: non enim temere, neque sinè causâ factum est illud. Nam quoniam genus humanum vidit non tanto in pretio habe E re, quæ sunt in manibus bona, neque pro dignitate ea colere, quæ iucunda simul & magna videantur, nisi etiam contrariorum occursus irrepserit. Exempli causâ (dicendum est enim apertiùs) qui sano est ac vegeto corpore, neque sentit, neque scire potest exactè, quanta illi sanitas bona largiretur, nisi infirmitate obrepente morbum etiam fuerit expertus: & qui diem rursus aspicit, lumen tanti non facit, nisi succedentes noctis tenebras senserit. Etenim contrariorum experientia magistra nos apertè docet, qualia sint ea, quibus antea fruebamur. Idcirco nimirum tum quoque, quandoquidem præsente illo sexcentis bonis discipuli potiti erant, & quòd cum illo versarentur, dies iucundissimè transigebant. Omnea

Spiritus sanctus, cur non statim post Ascensionem datus.

Simile.

enim inculæ Palæstinæ tanquam ad luminaria quædam oculos suos ad eorum ora conuertebant, & leprosos mundabant, dæmonea expellebant, morbos curabant, aliáque multa miracula edebant: quoniam igitur illustres erant & celebres, propterea ad tempus eos permisit ab eius virtute seiungi, cuius auxilio nitebantur: vt cùm eo fuissent destituti, tum quantum illis eius præsentia prodesset, edíscerent; & cùm præteritorum bonorum magnitudinem, perspixissent: maiori cum studio Paracleti donationem exciperent. Etenim illos mœrentes consolatus est, & propter Magistri discessum lugentes ac tristitiâ repletos, suæ lucis radiis illustrauit; propè iacentes erexit, mœroris caliginem discussit, & anxietatem omnem depulit.

Quandoquidem namque Dominicam vocem audierant, *Euntes, docete omnes gentes*, dubitabant autem deinceps & ignorabant, quò proficisci quemque oporteret, & in quanam orbis terrarum regione verbum Dei prædicare; in specie linguarum Spiritus sanctus aduenit, singulis orbis terrarum regiones docendas distribuit, atque impertita linguæ operâ tanquam in tabulâ eorum fidei commissi magistratus ac magisterij leges descripsit. Propterea in specie linguarum Spiritus aduenit: neque idcirco tantùm, sed vt & alterius etiā historiæ memoriam nobis refricaret. Cùm enim olim homines superbiâ elati turrim extruere voluerint, quæ ad cœlum vsque pertingeret, & inuectâ diuisione linguarum prauam illorum coïtionem & concordiam dissiparit Deus: idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eus aduolat Spiritus sanctus, vt per illum orbem terrarum diuisum coniungat. Et accidit res noua simul ac mira: vt enim tum antiquitùs linguæ terrarum orbem diuiserunt, & malam concordiam in dissidium conuerterunt; ita nunc quoque terrarum orbem linguæ copularunt, & quæ dissidebant in concordiam reduxerunt. Itaque in specie linguarum idcirco aduenit: tanquam ignis autem linguæ erant, quòd syluescentes in nobis peccatorum spinæ succreuissent. Nam quemadmodum terra fertilis ac pinguis, si minimè colatur, magnam spinarum syluam profundit: sic & natura nostra, quæ à creatore suo bona est condita, & ad virtutis fruges idonea, eò quòd neque pietatis aratrum, neque cognitionis Dei semen excepisset, quasi spinas quaidam & aliam inutilem syluam impietatem produxit. Et quemadmodum sæpe propter spinarum multitudinem, ac malorum graminum terræ facies ne apparet quidem: sic & animæ nostræ nobilitas puritásque minimè apparebat; quousque naturæ humanæ agricola venisset, & ipsam immisso Spiritus igne perpurgasset, atque, vt ad excipiendum cœleste semen idonea redderetur, effecisset.

Matth. 28. v. 19.

Cur linguarum specie venerit.

Gen. 11. v. 3.

Cur ignearum.

Tanta sunt, hisque multò plura, quæ nobis huius diei beneficio bona obuenerunt. Quæ cùm ita sint, oro, obtestorque vos, pro dignitate congestorum in nos bonorum, festum nos quoque celebremus, non ianuam coronantes, sed animas comentes; non forum tapetibus ornantes, sed animam splendidam virtutis amictu reddentes, vt hoc pacto possimus & Spiritus gratiam suscipere, & fructus inde pullulantea decerpere. Quis porrò ille fructus est Spiritus? audiamus Paulum dicentem: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax*. Vide quanta sit vis in verbis, quanta in doctrinâ conuenientia. Præmisit charitate, tum deinceps ea quæ consequuntur commemorauit. Radicem fixit, ac deinde fructum indicauit. Fundamentum iecit, ac deinde ædificium imposuit. A fonte initium duxit, & mox ad fluuios deuenit. Non enim fieri potest, vt gaudij materia nos commoueat, priusquàm aliorum prosperitatem nostram ducamus, & proximi bona propria reputemus. Hæc verò non aliunde promanare queunt, quàm quòd charitatis vis præualuerit, atque dominatus. Charitas radix est, & fons matérque cunctorum bonorum: etenim tanquam radix sexentos virtutum ramos germinat: quasi fons, multos latices profundit, & vt mater gremio suo ad se confugientea arctè complectitur. Quod quidem cùm beatus Paulus probè nosset, fructum Spiritus eam appellauit. Alibi verò tantam detulit ei prærogatiuam, vt eam legis plenitudinem appellarit: *Plenitudo* enim, inquit, *legis est dilectio*. Enimuerò ipse omnium Dominus tanquam descriptionem sufficientem, & fide dignum specimen, vt quis se ipsius discipulum probaret, non aliud quàm quod à charitate petitur, nobis proposuit, cùm dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*.

Morale.

Gal. 5. v. 22.

Charitas radix reliquorum fructuum Spiritus.

Rom. 13. v. 10.

Ioan. 13. v. 35.

Quamobrem ad ipsam, quæso, confugiamus omnes, eique adhæreamus, & cum ipsâ festiuitatem hanc excipiamus. Vbi enim charitas, animæ cessant defectus. Vbi charitas, alieni à ratione mentis insultus sedati sunt. *Charitas*, inquit, *non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa: charitas malum* proximo *non infert*. Vbi charitas dominatur, nuspiam Cain cernitur, qui fratrem occidat. Tolle fontem inuidiæ, & malorum omnium flumen sustulisti; exscinde radicem, & fructum simul exscidisti. Hæc verò eò dicuntur à me, quòd de his qui inuident magis sim solicitus, quàm de his quibus inuidetur. Illi enim sunt, qui maximam faciunt iacturam, multamque sibi perniciem inuehunt. Nam illis quidem quibus inuidetur, illud (siquidem velint) materiam affert coronarum, quòd inuidiam patiantur. Ac vide, quæso, quo pacto iustus Abel celebretur laudibus, & in dies præconiis efferatur, quòd cædis causa celebris nominis occasionem attulerit. Atque hic quidem post obitum etiam per sanguinem audacter loquitur, & clarâ voce patricidam accusat: ille autem, superstes videlicet, operum fructum per operum mercedem recepit, & gemens tremensque vitam in terris traduxit. At hic interfectus & iacens in terrâ, post obitum etiam maiore cum fiduciâ loquendi facultatem ostentabat. Et quemadmodum illum sic afficiebat peccatum, vt etiamnum viuens infeliciùs mortuis vitam degeret; sic & istum post mortem etiam virtus illustriorem reddidit.

1. Cor. 13. v. 4.

Gen. 4. v. 8.

Inuidia malorum fons.

Inuido nocet, non iis cui inuidetur.

Hebr. 11. v. 4.

Quocirca nos quoque vt maiorem & hîc & illic fiduciam gratiámque nobis conciliemus; vt ampliorem ex hac festiuitate lætitiam decerpamus, omnia quidem animæ sordida vestimenta reijciamus, præcipuè verò nos inuidiæ veste spoliemus. Licet enim sexcentorum rectè factorum meritum cumulasse videamur, si nobis hæc acerba terráque lues negotium facessat, in nihilum cuncta recident. Faxit Deus vt eius nos omnea expertes simus, atque illi maximè qui hodiernâ die per gratiam lauacri veterem peccatorum amictum abiecerunt, & ipsius Solis radiis æmulum lumen iam effundere possunt. Vos igitur hortor, qui hodie in adoptionem

Apostrophe ad recens baptizatos.

transcripti estis, qui candore micantem hunc amictum induistis, omni custodiâ, quo nunc præditi estis, splendorem conseruate, atque omni ex parte diabolo aditum intercludite; vt copiosiori Spiritus sancti gratiâ perceptâ, fructificare possitis vnum triginta, & vnum sexaginta, & vnum centum: vt efficiamini digni qui cum fiduciâ Regi cœlorum occurratis, quando venturus fuerit, omnique sermone sublimiora distributurus illis, qui præsentem vitam cum virtute transegerunt; in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potestas &c.

Matth. 13. v. 8.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE *in secundam ad Corinthios.*

Hom 3. in c. 1. v. 21.

QVi autem confirmat vos nobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus. qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Rursum per præterita, futuris fidem conciliat. Nam si ipse est qui nos in Christo confirmat (hoc est, qui à fide, quæ in Christum est, nos dimoueri non sinit) atque ipse etiam est, qui nos vnxit, Spiritúmque in cordibus nostris dedit, quì tandem futura quoque non dabit? Nam cùm principia, & materiam, atque radicem, ac fontem (hoc est, veram sui cognitionem, ac Spiritus participationem præbuerit) quì fiat, vt non ea præbeat, quæ sunt ex ipsis? Nam cùm illa horum causâ donentur, multò magis is qui hæc dedit, illa quoque præbebit. Et cùm hæc adhuc inimicis dederit, multò magis in gratiam receptis illa donabit. Ac proinde ne Spiritum quidem simpliciter dixit, sed *arrhabonem* nominauit: vt huius pignore, totum te accepturum confidas. Neque enim si totum præbiturus non esset, arrhabonem præbere, frustráque ac temerè perdere, in animum induxisset. Ac vide quæso Pauli probitatem, atque animi gratitudinem. Quid enim, inquit, dicere attinet, promissionum veritatem in nobis minimè sitam esse? Immò hoc ipsum, quòd vos firmos ac immobiles statis, non in nobis nostræque facultatis, sed Dei muneris est. *Qui* enim *confirmat vos*, inquit, *Deus est*. Non enim scilicet nos sumus, qui fulcimus: nam ipsi quoque confirmantis ope indigemus. Quocirca non est, quòd quisquam prædicationem Euangelicam in nobis periclitari existimet. Ipse totum hoc in se recepit: ipsi totius negotii cura est.

Spiritus arrha, pro certâ futurorum expectatione.

Dei confirmatio auditorum, nõ prædicantis

Quid autem est, *Qui vnxit, & signauit*? Hoc est, qui Spiritum dedit, per quem horum quodlibet effecit; nimirum simul Prophetas, & Sacerdotes, & Reges constituit. Siquidem hæc hominum genera olim vngebantur. At nos, non vnam, sed tres istas dignitates præstantiore conditione obtinemus. Nam & futurum vt regno potiamur; & cùm corpora nostra hostiam offerimus, Sacerdotes efficimur (*Exhibete* enim, inquit, *membra vestra hostiam viuentem, placentem Deo*) atque insuper Prophetæ instituimur: *Quæ* enim *oculus non vidit, nec auris audiuit*, ea nobis patefacta sunt.

Spiritus vnctione Prophetæ, Sacerdotes, Reges effecti.

Rom. 12. v. 1.

1. Cor. 2. v. 9.

Quamquam etiam aliâ ratione Reges efficimur, si improbas & absurdas cogitationes in potestate tenere voluerimus. Nam quòd is, qui talis est, regnet, & quidem magis quàm qui diademate cinctus est, liquidò iam vobis demonstrabo. Multos ille exercitus habet: at nos quoque plures illis cogitationes habemus. Neque enim infinita cogitationum, quæ in nobis sunt, multi-

Rex morali intellectu.

A tudo enumerando percenseri potest. Nec verò multitudinem duntaxat intueri licet, sed etiam multos in hac cogitationum copiâ duces, tribunos, turmarum præfectos, sagittarios, fundibularios. Quid aliud est quod Regem efficiat? Vestesne? At hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est, quam nec tinea exest, nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoque coronam habet, nempe, & miserationum Dei (*Benedic enim*, inquit, *anima mea Domino, qui coronat te in misericordiâ & miserationibus:*) & gloriæ (*Gloriâ* enim, inquit, *& honore coronasti eum*:) & bonæ voluntatis (*Vt scuto* enim, inquit, *bonæ voluntatis coronasti nos*) & gratiarum: *Coronam* enim, inquit, *gratiarum accipies capiti tuo*. Videsne quàm variè textum, quantóque gratius ac B venustius sit istud diadema? Verumenimverò altiùs rursum & accuratiùs horum Regum statum expendamus. Ille stipatoribus dominatur, & cunctis imperat, omnesque ipsi parent & obsequuntur. At ego hîc maius præstantiusque imperium tibi ostendo. Nam multitudo quidem par est, aut etiam amplior. Superest autem vt subiectionem ipsam consideremus. Ac ne mihi in medium afferas eos, qui regiâ dignitate exciderunt, & ab ipsis suis satellitibus trucidati sunt. Ne, inquam, eos in medium producamus: verùm eos conquiramus qui in vtraque parte pulchrè regnum administrarunt. Ac tu quidem, quos libuerit, pone: C ego autem Patriarcham vnum cunctis oppono. Nam cùm ipse filium mactare iuberetur, cogites velim quantæ aduersus eum cogitationes insurrexerint. Et tamen omnes subegit: omnes eum magis, quàm Regem satellites, extimescebant: ac vel solo obtutu omnes comprimebat, ita vt ne hiscere quidem earum vlla auderet: verùm cunctæ caput submitterent, ac velut Regi cederent, quamuis alioqui acerrimæ essent atque imprimis acerbæ. Neque enim hastarum cuspides tam horrendæ sunt, cùm à multis militibus surriguntur, quàm tum formidabiles erant illæ cogitationes. An non enim hostis atrocior erat illa, quam natura ciebat, commiseratio? Ac proinde animam illam, magis quàm præacuta cuspis, exscindere D poterat. Nec enim vlla hasta tam acuta vnquam esse queat, quàm cogitationum illarum aculei, qui ab intimis visceribus acuebantur ac surrigebantur, viríque iusti animum transigebant. Nam hîc, & tempore, & consilio, plagaque & dolore opus est: ac tum mors sequitur: illic autem nihil horum requirebatur: adeò tum celeriora, tum acriora vulnera erant. Et tamen, cùm aduersus eum cogitationes arma induissent, ingens erat tranquillitas: omnesque compositè stabant, ornantes potiùs ipsum, quàm terrore afficientes.

Psal. 102. v. 4. & 8. v. 6. & 5. v. 13.

Pro. 4. v. 9.

Patriarcha Abraham exemplo præclarissimi bellatoris, ac Regio victoris præsidio Spiritus, inductus.

Eum enim gladium extendentem ante oculos E tibi pone, ac quos volueris, Reges, Augustos, Cæsares in medium profer. Nihil enim simile dixeris, nec vllam eiusmodi speciem, tamque amplam & insignem, ac cœlis dignam ostendere poteris. Tum enim vir ille iustus de potentissimâ tyrannide triumphum egit. Nihil enim ad tyrannidem, vimque maius naturâ est. Atque vt sexcentos, qui necem tyrannis intulerint, proferas, nullum tamen eiusmodi nobis ostenderis. Etenim hæc palma, Angeli veriùs quàm hominis tunc erat. Sic quippe considera. Natura cum armis suis, cum militaribus omnibus copiis suis humi iacebat: ipse autem stabat extentâ manu, non coronam, sed gladium, quauis coronâ illustrio-

rem

tem tenente : atque Angelorum agmen applau- A debat, ac Deus e cœlis victorem proclamabat. *Phil.3.v.20.* Quoniam enim illi in cœlis municipatus erat, idcirco cœlesti quoque præconio celebrabatur. Quidnam hoc splendidius? Imò quidnam cum *Dei è cœlo præconiū.* hoc trophæo conferri queat? Nam si, cùm athleta vicisset, non præco quidam ex inferiori loco, sed Rex ipse è superiori subsellio assurgens victoris laudes prædicaret, an non hoc ille coronis ipsis illustrius honorificentiúsque sibi esse duceret, omniúmque spectatorum oculos ad se conuerteret? Cùm igitur non mortalis quispiam Rex, sed Deus ipse, non in hoc theatro, sed toto orbe, nec non Angelorum & Archangelorum populo inspectante, altâ è cœlo voce clamans, victorem ipsum pronontiet, vbi nam, quæso, iustum illum B collocabimus? Quin, si placet, vocem ipsam audiamus.

Gen.22.v.15 Quænam ergo hæc vox est? *Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam in Isaac, nec facias illi quicquam. Nunc enim cognoui quòd tu timeas Dominum, quoniam non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Quid hoc verò? Isne qui omnia nouit antequam fiant, nunc de- *Dan.13.v.42.* mum cognouit? Atqui hominibus quoque perspecta iam & explorata erat ipsius pietas. Tot suæ erga Deum beneuolentiæ argumenta dederat, cùm Deus ad eum dixisset, *Egredere de terrâ* *Gen.12.v.1. & 13. v. 10. 12. v. 15.* *tuâ, & de cognatione tuâ*: cùm ob ipsum, atque honoris ipsius causâ nepoti suo primas cessisset; cùm eum è tot tantisque periculis extra- C xisset : cùm in Ægyptum ipsius iussu profectus fuisset, atque vxore sibi ademptâ haudquaquam propterea indignationem concepisset. Quibus ex rebus homo etiam, vt iam dixi, pietatem ipsius compertam & exploratam habere potuisset, nedum Deus, qui non expectat dum finem ex rebus discat. Quonam autem modo illum iustum pronuntiasset, si voluntatem ipsius igno- *Gen.15.v.6.* tasset? *Credidit* enim, inquit, *Abraham Deo; & reputatum est illi ad iustitiam.* Quid igitur est istud, *Nunc cognoui?* Syrus quidem sic habet, *Nunc declarasti*; subaudi, hominibus. Nam ipse iam pridem, atque ante omnia illa iussa, id norat. Cur autem nunc quoque hominibus? An non illa ad declarandam ipsius erga Deum beneuolentiam sufficiebant? Sufficiebant sanè. Verùm hoc tantò illa omnia antecellit, vt præ eo nihil prorsus illa esse videantur. Quamobrem, vt præclarum hoc facinus amplificaret, atque reliquis omnibus præstantius esse ostenderet, his *Palmerium Abrahæ opus filij immolatio: idque significatum Angeli verbis.* verbis vsus est. Siquidem hoc etiam in hominum consuetudine positum est, vt in eximijs ac præcellentibus rebus, palmámque obtinentibus, ad hunc modum loquantur: Verbi gratiâ, cùm quis maius aliquod, quàm antea, munus à quo- E dam accipit, sæpe ita loquitur, Nunc demum perspexi, quòd me ille amet: non quòd his verbis id velit, se ante hoc tempus id nescijsse: sed vt hac ratione ostendat, munus istud, quo nunc affectus est, cæteris omnibus præstare. Ad eundem modum Deus quoque humano more loquens, *Nunc*, inquit, *cognoui*: nihil videlicet aliud hisce verbis, quàm singularem quandam certaminis magnitudinem exprimere volens: non autem quòd tum duntaxat, aut timorem, aut timoris magnitudinem cognosceret. Nam etiam *Gen.11.v.7. & 18.v.21.* cùm ait, *Venite, descendamus, ac videamus*, non idcirco hac oratione vtitur, quòd descensu A opus habeat, quippe qui omnia impleat, atque omnia apertissimè cognoscat: sed vt hinc discamus, de re aliquâ non temere pronuntiare. Atque item cùm ait Scriptura, *Deus de cælo prospe-* *Psal.13.v.2.* *xit*, per metaphoram ab hominibus ductam, exactissimam ac certissimam cognitionem intelligit. Eodem modo hîc quoque, *Nunc cognoui*, ait, vt hoc omnibus prioribus maius excellentiúsque esse demonstret.

Hoc ita esse probat ex eo, quod deinceps subiungit, *Quia non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Non solùm dixit, Filio tuo, sed, *Filio tuo dilecto.* Non enim aduersus naturam tantùm, sed etiam aduersus beneuolentiæ affectum, *Exaggerata Abraham erga Isaac, vis amoris.* qui, tum ob proprios mores, tum ob magnâ pueri virtutem ingens erat, intrepidū se præbuit. Quòd B si, ne vt improbos quidem filios aspernentur, facilè se parentes adduci sinunt, verùm eos quoque lacrymis & luctu prosequuntur: cùm & filius fuerit, & germanus, & vnigenitus, & dilectus, & Isaac, & ab ipso patre iugulandus sit, quisnam incredibilem animi illius magnitudinem vllis verbis complecti possit? Nimirum hoc certamen mille diademata, atque innumeras coronas splendore superat. Etenim ei, qui coronam illam gerit, plerúnque & mors superueniens infesta est, & mille etiam ante mortem tetum insidiæ. Hoc autem diademate quisque redimitus fuerit, id ei ne post mortem quidem quisquã eripere poterit, non suorum, non alienorum.

C Atque etiam pretiosissimum huius diadematis *Diadematis Abrahæ illustrissimū decus, quod propter Deum.* lapidem perspicias velim. Velut enim pretiosus lapis sic ipsum ad extremum nectit. Quinam autem hoc est? *Propter me.* Neque enim hoc est quod admirationem meretur, nempe quòd non pepercerit, sed, quòd propter eum. O dexteram beatam, quali gladio donata est! O admirandum gladium in quem vsum paratus est! quod munus obiuit, ac cui figuræ seruiuit! quonam pacto cruore tinctus est, & non tinctus? Nec enim scio, quo verbo vtar: adeò tremendum istud mysterium erat. Non delibauit pueri cutem, non Sancti illius guttur peruasit, nec iusti cruore rubuit: imò verò & delibauit, & peruasit, & cruore rubuit. Et immersus est, & non est immersus. Mentis errore affici fortasse vobis videor, qui ita pugnantia loquar. Et certè afficior, dum iusti illius miraculum animo contemplor; nec tamen pugnantia loquor. Etenim iusti viri manus, in pueri guttur gladium defixit: at Deus etiam infixum pueri cruore contaminari non siuit. Neque enim Abraham solus eum tenebat: verùm etiam Deus. Ille per voluntatem repellebat: hic per vocem inhibebat. Nam eadem vox illius dextram & ar- E mauit, & à cæde cohibuit: itáque Deo tanquam imperatori ac belli duci subdita, ad ipsius nutum omnia exequebatur: inque omnibus illius voci obsequebatur. Sic enim considera. Dixit, Occide, & statim armabatur. Dixit, Ne occidas, ac statim arma deponebat. Siquidem omnia parata iam erant. Tumque adeò Deus militem suum ac ducem orbi ostendit, victorem scilicet Angelorum theatro, Sacerdotem, Regem; gladio, quàm vllo diademate præstantius coronatum; eximium pugilem, ac sine pugnâ victorem. Quemadmodum enim si quis imperator strenuissimum militem habeat, etiam ipsâ gerendorum armorum dexteritate,

A ipſo ſtatu geſtuque, ipſo impetu & incitatione, hoſtem metu percellit: ſic Deus ſolâ viri iuſti voluntate, ſolo geſtu, pede ſolùm fixo communem omnium noſtrum hoſtem exterruit, atque in fugam vertit. Nam & illum exiſtimo tunc tremebundum receſſiſſe.

... actus ipſe ſtandi, ac pedis collatio, antequam pugil aduerſarium adoriatur.

At, dixerit fortaſſe aliquis, quid eſt quamobrem Deus dextram cruentari non permiſerit, ac poſtea mactatum repente ad vitam reuocarit? Quoniam fas non erat Deum huiuſcemodi cruorem excipere: ſed peſtiferos dæmones menſa hæc decebat. Atque hîc vtrunque declarabatur, nempe & Domini benignitas, & ſerui probitas. Ac priùs quidem de terrâ ſuâ egreſſus B fuerat: tum verò ab ipsâ quoque naturâ exceſſit. Eóque nomine fœtem cum fœnore accepit, idque admodum meritò. Patris enim nomen amittere maluit, quàm committere, vt à probi ſerui officio recederet. Eoque factum eſt, vt non modò Pater, ſed etiam Sacerdos exiſteret. Et quia Dei causâ à ſuis abſceſſerat: idcirco etiam Deus ſua ipſe cum illis ei largitus eſt. Ac quidem ipſe, cùm ab hoſtibus iuſidiæ creantur ad vſque ipſam rem miracula patrando progreditur; vt in fornace & leonibus viuuenit: cùm autem ipſe imperat, hactenus iubet dum animi alacritas, promptáque deuotio prodatur. Quid enim, rogo, in ſtrenuo hoc facinore vltra deſiderabatur? Num enim Abrabam, quod euenturum C erat, præſciebat? Num Dei clementiam vllo artificio captarat? Quanquam enim Propheta erat, non tamen, eò quod Propheta, omnia ſciebat. Itaque iam ſuperuacanea, ac Deo indigna trucidatio erat. Quod ſi illud operæpretium erat ſcire, num Deus mortuos ad vitam reuocare poſſet, multò ſcilicet admirabiliùs id intellexerat ex emortuâ vxoris vuluâ, imò ante hanc quoque probationem: quippe fidelis erat. Tu verò da operam vt virum iuſtum non ſolùm admireris, verùm etiam imiteris: cumque eum in tanto tumultu, ac tantâ fluctuum tempeſtate, non ſecus atque tranquillo æquore nauigare cernis, fac tu etiam obedientiæ ac fortitudinis clauum pari niſu arripias.

Dan. 3. v. 14.

Nec mihi tantùm illud commemora, quòd D altare extruxerit, & ligna parauerit: ſed pueri quoque vocem in mentem reuoca, tecumque illud reputa, quanta exercituum agmina impetum in eum fecerunt, pauorem ipſi inijcientia, cùm puerum in hæc verba alloquentem audiuit, *Pater, vbinam eſt victima?* Animaduerte, quot quantæque tum cogitationes commotæ ſint, non ferro, ſed igneis haſtis armatæ, atque vndique eum pungentes ac conſcindentes. Nam ſi nunc etiam multi, qui nec patres ſint, dolore franguntur, effuſique in lacrymas eſſent, niſi E rei exitum perſpectum haberent: imò etiam complures, quanquam eos ille non lateat, illugentes tamen intueor: quo tandem doloris ſenſu par eſt affectum eſſe eum, qui ipſum genuerat, educauerat, in ſenectute ſuſceperat, ſolum talem habebat, videbat, audiebat, iamiam è medio ſublaturus erat? Quæ verborum prudentia? quo reſponſionis manſuetudo? Quis verò tum afflabat? Num diabolus, vt doloris faces naturæ admoueret? Abſit: Verùm Deus, vt auream iuſti animam magis exploraret. Etenim tum quidem, cùm Iobi vxor verba faceret, diabolus afflabat. Tale quippa illud

V. 7.
Exaggerata Iſaaci immolandi mollia verba.

Illa à Deo; vxoris Iob à diabolo.

conſilium erat. Hic verò, nihil impiè loquebatur; ſed per quàm piè & circunſpectè: ac multa venuſtas in verbis efflorebat, magnáque mellis copia è ſermonibus manabat, à tranquillâ illâ & placidâ animâ fluens. Atque hæc verba tantam vim habebant, vt vel ſaxeum pectus emollire poſſent. Nec tamen adamantem illum perculerunt, imò nec concuſſerunt. Nec dixit, Quid patrem vocas, qui paulò pòſt pater tuus futurus non eſt, quique huius iam appellationis amiſit honorem? Quanam verò etiam causâ puer ſciſcitatur? Certè non quòd curioſitate, atque aliena temere inquirendi ſtudio duceretur, ſed quòd de holocauſto, reque Deo offerendâ ſolicitus eſſet. Sic enim ſecum cogitabat, Niſi pater rei gerendæ ſocium adhibere voluiſſet, haudquaquam ſeruis infra manere iuſſis, ipſum ſolum aſſumpſiſſet. Ob idque tum denique ipſum interrogat, cùm iam ſoli eſſent, nec quiſquam ea, quæ dicebantur, exaudiret: Tanta pueri prudentia erat.

Quid? an non omnes tam viri, quàm mulieres incaluiſtis? An non quiſque veſtrum puerum animo complexatur, ac exoſculatur, prudentiámque ſuſpicit, atque ipſius pietate commouetur, cuius ope fiebat, vt cùm etiam colligaretur, ac rogo imponeretur, non metu concuteretur, non reſiliret, nec patrem vt furore percitum accuſaret; verùm & vinculis aſtringeretur, & ſuſtolleretur, ac imponeretur, cuncta que velut agnus quiſpiam, vel potius, vt omnium communis Dominus, ſilentio ferret? Etenim illius manſuetudinem imitabatur, ac figuram tenebat. *Tanquam ouis* enim, inquit, *ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuit.* Atqui locutus eſt iſte. Sanè quidem: nam & Dominus quoque ipſius locutus eſt. Quonam igitur modo obmutuit? Hoc eſt, Nihil arrogans, nihil aſperum locutus eſt, ſed blanda omnia & manſueta: ac verba ipſa plus manſuetudinis præ ſe ferebant, quàm ſi obticuiſſet. Quandoquidem etiam Christus dicebat, *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis?* Et tamen hac oratione manſuetudinem magis declarauit, quàm ſi ſilentio vſus fuiſſet. Et quemadmodum hic patri ex altari, ſic ille etiam è cruce loquitur, *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Quid igitur ad iſta Patriarcha? *Deus prouidebit ſibi victimam in holocauſtum, fili.* Vterque naturæ vocabula vſurpat. Ille patrem, hic filium vocat: Ac graue vtrinque bellum excitatur, atque ingens tempeſtas: nuſquam tamen naufragium. Philoſophia enim vincit omnia. Deinde vt Dei nomen audiuit, nullum vltra verbum adiecit, nec curioſiùs quicquam inquiſiuit. Vſque adeò prudens erat hic puer, idque in ipſo ætatis flore. Vides quot exercitus Rex iſte ſuperauerit; quot irruentia bella compreſſerit? Nequa enim Hieroſolymitanæ vrbi tam formidabilea erant Barbari, cùm eam ſæpenumero aggrederentur, quàm hæ cogitationes vndique ipſum circunſidentes. Et tamen omnea fregit, & ſoperauit.

Iſai. 53. v. 7.

Locuti Dominus & Iſaac.

Ioan. 18. v. 23.

Luc. 23. v. 34.

Sententia.

Vis etiam Sacerdotem cernere? Non longuum exemplum eſt. Nam cùm eum ignem &

Abraham Sacerdos.

gladium habentem, & altari astantem intueris, quid est iam quòd de sacerdotio dubites? Quòd si victimam quoque videre vbi cordi est, duplicem cernas licet. Obtulit enim filium, obtulit ouem: vel, vt rectiùs loquar, ante omnia voluntatem suam. Atque per vnius quidem mortem, manum cædentem; per filij autem mactationem, animam sanctificauit. Atque ita per vnigeniti sanguinem, atque agni victimam, Sacerdos creatus est. Nam & Sacerdotes eatum, quæ Deo fiebant victimarum, sanguine solebant consecrari. Visne iam Prophetam quoque conspicere?

Propheta. Ioan.8.v.56 *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum. Et vidit, & gauisus est.* Ad eundem modum tu quoque in baptismo Rex, & Sacerdos,

Spiritales à baptismo Reges, Sacerdotes, Prophetæ. & Propheta efficeris: Rex, cùm omnes prauas actiones in terram proiecisti, ac peccata peremisti: Sacerdos, cùm teipsum Deo obtulisti, ac corpus immolasti, ipse que pariter immolatus es. *Si enim ei commortui sumus*, inquit, *& conuiuemus ei.*

2. Tim. 2. v. 11. Propheta denique cùm futura doceris, ac diuino nomine afflaris, atque obsignaris. Quemadmodum enim nota quædam militibus,

Istam paßim notam; quæ nunquam deleatur, Augustinus baptismo adscripserat: nec hic Chrysostomus satis distinguit. ita fidelibus quoque Spiritus imponuntur: quò sic, etsi ordinem deseteris, conspicuus omnibus efficiaris. Iudæi enim signi locu circuncisionem habebant, nos autem arrhabonem Spiritus. Hæc igitur perspecta habentes, ac dignitatem nostram considerantes, vitam gratiâ dignam exhibeamus, vt futuro quoque regno potiamur. Quod vtinam nos omnes consequamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, simulque Spiritui sancto, gloria, potestas honor, nunc & semper, & in infinita sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM, SERMO DE *Pentecoste.*

Incerto Interprete.

HOdie nobis terra facta est cœlum, non stellis de cœlo in terram descendentibus, sed Apostolis supra cœlos ascendentibus; quia effusa est copiosa gratia Spiritus sancti, & vniuersum orbem reddidit cœlum, non immutans naturam, sed voluntatem emendans. Inuenit namque publicanum, & Euangelistam effecit: inuenit blasphemum, & Apostolum reddidit: inuenit latronem, & in paradisum induxit: inuenit meretricem, & virginibus castiorem effecit: inuenit magos, & Euangelistas reddidit: fugauit malitiam, & induxit virtutem: exterminauit seruitutem, & induxit libertatem: concessit debitum, & intulit gratiam Dei. Ideò cœlum factum

Apostoli maius aliquid stellis. Col.3.v.1. est terra, & hoc sæpiùs dicens, non cessabo. Quid enim tales stellæ sicut Apostoli? Stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. *Quæ enim sursum sunt sapite*, inquit, *vbi Christus est in dexterâ Patris sedens.* Stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili: stellæ noctu lucent, in die A obscurantur: Apostoli in die & in nocte suis radiis, huc est, virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur, Apostoli Sole iustitiæ resplendente, suâ claritate lucescunt: stellæ in resurrectione cadent sicut folia, Apostoli in resurrectionis rapientur in aëra nubibus. Et in illis quidem

A Paschate.

A syderibus alius Hesperus, alius Lucifer appellatur: in Apostolis autem nullus Hesperus est, omnes Luciferi, & ideò stellis maiores Apostoli. Et quicunque eos luminaria vocauerit mundi, non peccabit: non solùm dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de hac vitâ migrarunt. Gratia enim & merita Sanctorum non minuuntur morte, non retardantur die, non dissoluuntur in terram, nec nocte obscurantur, nec tenebris obumbrantur: & hoc res ipsa demonstrat. Piscatores quippe erant, & piscatores mortui sunt, at illorum retia operantur. Testatur multitudo eorum qui quotidie salui fiont. Vinitores erant, & illis absentibus corpore, vinea florescit, & botros affert. Etenim vinitores erant, & pisca- Apostolorum dotes variæ, ac munia.

B tores, & turres, & medici, & duces, & doctures. Turres quidem, quoniam culmen fidei sustinent. Gubernatores, quoniam orbem terrarum viam rectam ad cœlum docuerunt. Pastores, quoniam lupos abegerunt, & oues consetuarunt. Aratores, quoniam spinas eradicauerunt. Vinitores, quoniam labruscas eradicauerunt, & semina pietatis plantauerunt. Medici, quoniam vulnera nostra curauerunt. Et vt discas me non incassum hæc dixisse, adducam Paulum in medium hæc omnia facientem. Vis eum plantatorem videre? audi: *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.* Vis eum structorem videre? 1. Cor. 3. v.6.

C *Sicut sapiens*, inquit, *architectus fundamentum posui.* Vis eum dimicantem videre? *Sic pugno, non vt aërem cadens.* Vis eum videre cursorem? *Ita vt ab Hierosolymâ & in circuitu vsque ad Illyricum*, & inde ad Hispanias, & in vltimas partes *repleuerim Euangelium Christi.* Vis eum videre athletam? *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Vis eum videre ducem? *Assumite arma Dei, & induite loricam fidei, & galeam salutis, & gladium Spiritus sancti.* Vis eum videre certantem? *Certamen bonum certaui, fidem seruaui.* Vis videre coronatum? *De cætero reposita est mihi corona iustitia.* Et cùm esset vnus, omnia fiebat, Dominum suum imitans: et- Ibidem. Rom. 15. v. 19. 1. Cor. 9. v. 26. Rom. 15. v. 19. 2. Tim. 4. b. Eph. 6. v. 12. Ibidem. 2. Tim. 4. v. 7.

D enim cùm sit diuinitas vnius substantiæ, & immutabilis, pro nostrâ salute omnibus omnia fit. Tu palmes factus es, & ipse tibi vitis: sicut ipse dicit: *Ego sum vitis, vos autem palmites.* Promouere gressum voluisti? factus est tibi via, dicens: *Ego sum via.* Ingredi voluisti? factus est tibi ianua: *Ego sum ostium; per me si quis intrauerit, & exierit, pascua inueniet.* Ouis factus es? ille tibi factus est pastor. *Ego sum pastor bonus: pastor namque bonus ponit animam suam pro ouibus.* Peccator effectus es? factus est tibi agnus: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Manducare voluisti? factus est tibi mensa. Bibere vo- Christus ipse simplex, nobis omnia factus. Ioan. 15. v. 5. Ioan. 14. v. 6 Ioan. 10. v. 7. Ioan. 10. v. 14. Ioan. 1. v. 29.

E luisti? factus est tibi poculum. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Vestiri voluisti? factus est tibi indumentum: *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sponsa fieri voluisti? factus est sponsus: *Qui habet sponsam, sponsus est*, sicut dixit Ioannes Baptista. Nubere voluisti? factus est tibi vir: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Meretrix eras, & facta es virgo. O noua & admiranda rerum commutatio! Apud sæculi homines nuptiæ virginitatem dissoluunt, apud spirituales autem nuptias meretricē ex Gentibus accepit Ecclesiam, & virginibus castiorem effecit. Inter- Ioan. 6. v. 57 Gal. 3. v. 27 Ioan. 3. v. 29. 2. Cor. 11. v. 2.

Gen.1.v.6.

Benè: siquidem verbum Dei ipso cœlo validius est, quia cœlum opus Verbi est. Dixit quippe Deus, Fiat cœlum: & verbum in opus apparuit. Currebat natura, & nemo impediebat, quia naturæ Dominus imperabat, qui & facere & immutare potest. Ego eam ædificaui, qui cœlum statui. Sed propter cœlum non sudi sanguinem, propter cœlum crucifixus non sum, nec propter cœlū cœleste corpus accepi. Et quid dicam cœli? Angelorum corpus non assumpsi, vt discas, quoniam cœlo & Angelis, & omni creaturâ honorabilior Ecclesia est. Ideò *cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Adsit Gentilis, adsit Iudæus, si hæc inania sunt verba, redarguat, si autem veritas est quæ dicta sunt, adoret virtutem Dei.

Cœlo, Angelisque honorabilior.

Dixit Christus: Cœlum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt. Quæ autem sunt verba eius? Addocamus in medium: videamus ne fortè interciderint; non dubitans dico, sed hæretico os occludo. Quæ ergo sunt verba? *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Qui sermones? quæ verba? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Super hanc petram; non dixit super Petrum, non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? *Tu es Christus Filius Dei viui.* Petram vocauit Ecclesiam, fluctûs suscipientem, & non titubantem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super petram? hoc est, super confessionem; super sermones pietatis. Si forsitan interrogabis vtrum hæc ædificatio suscipiat lapides, aut ligna, aut ferrum: non, inquit: nec enim sensibilis est ædificatio: quòd si talis esset, solueretur tempore: confessionem autem pietatis neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur Martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies! Paries effoditur, & thesaurus non aufertur: caro scinditur & fides non rumpitur: talis quippe Martyrum virtus. Etenim *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.* Attendite diligentiùs verba. Portas inferi pericula vocat quæ mortem pariunt. Quid ergo? In infernum intrabit quisque, quando periclitabitur? Etiam. Sicut enim portæ introitus ciuitatum sunt: sic pericula introitus mortis sunt. Et cur, inquit, non prohibet tentationes? vt ostendat virtutem suam. Si nemo eam impugnare posset, dicere poterant, quoniam si impugnaretur, vtique vinceretur. Propterea permittit eam impugnari, vt non defectui impugnantium, laus & gloria victoriæ imputetur. *Et portæ inferi.* Non dixit, Non impressionem facient in eam, sed, *Non prævalebunt aduersus eam.* Quid ergo? Impugnabitur quidem, non tamen vinci poterit. Tempestates suscipit Ecclesia, sed non demergitur: fluctuat, sed fluctibus non obruitur: iacula in eam mittuntur, sed non perforatur: machinamenta præparantur, sed turris non eliditur. Et quid dico Ecclesiam? vnum sermonem locutus est Pastor, & sicut turris immobilis perseuerat. Quanti tyranni verbum hoc delere conati sunt? sed non potuerunt? Supra petram enim fundatum erat. Considera tyrannos, reges, gladios acutos, bestiarum dentes mortem minantes, caminos, sartagines, manus ferreas, & vncos, & omnia machinamenta pa-

Matth.16. v.18.

Christi verba de Ecclesiâ.

Fides, petra supra quam ædificata Ecclesia.

Portæ inferi, mortis pericula.

Ἰσ. ἰσχύει.

A Paschate.

rata: Et pharetram quidem suam euacuauit diabolus, sed nihil læsit Ecclesiam. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Testatur res ipsa, testatur horum quæ fiunt, adstipulatio. Quanti impugnauerunt, & nemo præualuit? Et impugnatores quidem taciturnitati & obliuioni dati sunt: Ecclesia autem quotidie virtutibus augmentatur. Vbi nunc Claudius, vbi Augustus, vbi Nero, vbi Tiberius? Nomina sunt nuda: horum autem meminit nemo, nec vlla horum mentio. Et quia Ecclesiam impugnauerunt, ideo & memoriam perdiderunt. Ecclesia autem sole clarior resplendet. Vbicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hispanos, vsque ad vltimum finem terrarum, inuenies: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et vniuersa religione plena: Ante hoc enim vniuersa repleta erant impietate: nunc autem non solùm ciuitates religione florent, & fide Christi, sed etiam eremus in nomine Christi gloriatur. Antea namque & reginæ in conuiuiis virorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus: nunc verò vix famula dignatur hoc facere. Antiquitùs gentis Persarum filij parentibus sociabantur connubio, & soror fratri iungebatur imponè, nunc verò virginitatem appetunt. Ante hoc autem quoties in Britanniâ humanis vescebantur carnibus, nunc ieiuniis reficiunt animam suam. Massagetæ & Derbices, miseros putant, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectam venerint, iugulatos deuorant: rectius esse dicentes, vt à se potiùs quàm à vermibus consumantur: nunc verò post passionem Christi & resurrectionem eius, abstinentiâ & castitate deuotè militant Christo, & prope omnes gentes paratæ sunt pro nomine Domini fundere sanguinem suum. Ante hac etiam priuati erant impij, hodie pij sunt etiam Imperatores, & populi: Adest Imperator, & deposito diademate crucem accipit; ætate immutatâ, sed canitie dignam exhibes sapientiam, regiæque potestatis fastum in Ecclesiâ non agnoscens. Foris arma; hic mysteria: foris scuta, hîc sacramentorum celebratio. Theodosij filius, & pater Theodosij. Ideóque pro his omnibus gratias agamus Domino per Christum Dominum nostrum, cui est gloria & potestas cum Spiritu sancto, per immortalia sæcula sæculorum: Amen.

Ioan. 1. v. 1.

Morū mutatio per fidem Christi facta.

Mar.6.v 22.

Notatur Arcadius, Theodosij iunioris pater & senioris Filius.

Vastelius hunc tractatum Ioanni suo Hierosolymitano asserere nititur. Liquet esse auctoris Ioanni Chrysostomo æqualis, ac Imperatore Arcadio habitum. Quam esse Lectionem portentosam putat, *religione ac pietate insignes*; vt duo Augusti notentur, non vnus Arcadius; putem ego optimam ac cohærentem, sed tantùm mutatione in Græco, vt loco Θεοδοσίου esset Θεοδόσιος: quomodo in Latino esset, *Theodosius filius*; qui planè esset ille ἐν ἀωρῳ ἡλικίᾳ, *immaturâ ætate*; infans nimirum Theodosius, quem tamen pater Arcadius, velut iam imperij collegam, & socium sibi ipse velot præferebat; vt eius nomine voluerit sanciri demolitionem Marnæi templi, quam Gazæ Episcopus sollicitabat: quo facto, sene dignam, ac canis, infans Theodosius humana velut fictione exhibebat sapientiam: nec fortè auctor aliò alludit. Videntur illa verba, *religione ac pietate insignes*, vel *insignis*, ab antiquo adiecta Interprete, cum Græca non habeant; nec sint admodum necessaria, potiúsque planum sensum, quem indicant, obscurent: quæ proinde à Ducæo omissa, minimè duxi restituenda. Videtur verò dicta oratio Constantinopoli; & in præsentiâ noui Imperatoris: atque adeo sit alterius, quàm Ioannis Hierosolymitani, quem liquet per hæc tempora versatum Hierosolymis: vtque tractatus hic Ioanni præfato his coniecturis abiudicetur, abiudicandi erunt

qui illi cohærent, ac præferunt prodiisse ex eadem officinâ. Vide rectata à Baronio ex Marco Diacono, de edicto Theodosij, eiusque impetratione fauore Eudoxiæ.

EIVSDEM, IN SANCTAM *Pentecostem.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ex Regio Cod Lut. ex quo etiam Sauil. e. 5. inter dubia Chrysost.

ADuenit Spiritus sancti gratia: verax enim qui Spiritûs munus promiserat. Aduenit Paracletus, Christi Domini præconio nunciatus: B certæ enim fidei qui venturum prænuntiauerat: non seruus serui aduentum prædicens, sed Dominus, pari honore Domini nuntiator existens; magistérque bonus, bono concedens magistro: quia & cum illo qui adest pariter præsens, simúlque ascendens cum ascendente, ac cum veniente simul descendens. Sacræ enim Triadis gratia indiuisa est; ac neque ascendens discessit, neque cùm venit erat absens. Ascendit tamen vt homo Deus Verbum, adéstque: descendit verò Paracletus, nec cœlos reliquit, sed cum Patre regnat, ac terram illustrat: impleuítque dispensationem, ac Apostolis linguarum genera misit: audiebaturque repente vox grandis, ac vehementis auræ sonus obstrepebat, aduenienśque Spiritus toni- C trui speciem ingerebat. Nempe aduenerat super tonitrui filios. *Apparuerúntque illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Erat verò quod apparebat terribile; quod autem gerebatur, desiderabile erat. Flamma insidens, nec comburens: ignis capitibus hærens, nec consumens: ignis cœlestem sapientiam largiens: ignis in innumerabiles diuisus linguas; ignis in sexcentas verborum dissectus species. Flamma, quæ piscatores astutos efficeret, Coriariumque Oratorem absolutum redderet. Quinimmò nihil eiusmodi Sophistæ. Nam illi, vnius cuiusdam Gentis præceptores erant; hi, orbis totius effecti sunt magistri: Virque D Galilæus Medorum loquebatur linguam; quæ Parthorum erant, nouerat; nec ignorabat, quæ Elamitarum, sed in ore, vocis omnis rationes habebat: nemóque auditorum barbarum existimabat, aut sermones tanquam spurios audire detrectabat: sed vt Gentium omnium ciuis audiebatur, orbis vniuersi sibi ipse circumferens linguam: atque hunc primum pietatis accepimus fructum.

Mar. 3. v. 17.
Act. 2. v. 3.

In Turris quidem ædificatione diuisæ sunt linguæ, mutuoque homines quisque socij linguam ignorauere. Oportebat enim molitionis in Deum concordiam, ignoratione conturbari verborum: vtque ij, qui sibi malè inuicem adiuto- E res erant, linguæ mutatione dissiderent, alienique à ratione conatûs periculum sermone accipetent: ac neque loquens loqueretur, nec audiens intelligeret, frustráque iam tempus insumerent. Quodnam enim tuæ illius dementiæ commodum? Quis tibi magnificæ illius molitionis finis? Vt quid comprehendere niteris quod comprehendi non potest? Vtquid cœlum rapere contendis, qui ne terrâ quidem frui merearis? Quid cœlestia, celsaque animo agitas, qui ne proximi quidem obaudias vocem? Vocem diuido, ac molitionem dissoluo; non quia timeam ascensum tuum, vel quia metuam regno meo, sed quia tui, incassum laborantis, teque defatigantis, curam geram: nec enim turris lapidum extructione, ac multiplici fabrorum ope- A râ exurgens, nata est in cœlum subuehere: sed scientiæ Dei currûs, ac iustitiæ labores, vitáque luce purior, ac pennæ virtutis ad illud prouehunt iter. Atque illos quidem linguarum diuisio à conatu, audaciáque prohibuit; cùm sic Deus sapienter pariter, clementérque gubernasset: quod verò ab illis tanquam malis abstulerat, hoc Apostolis vt bonis dono concessit; ac qui per linguam punierat impios, ipse Sanctos linguæ vi clarificauit: ministrique sermonis, sermonis suscipiunt species, non ostentationis causâ munus consecuti, sed ad vsum necessitatemque donum adepti. Oportebat enim vt orbis terrarum B magistri, quæ erant orbis terrarum scirent. Planè enim imbecillus magister, qui discipulis obscurus sermone existit. Tanquam ergo quibus concredita essent tanta mysteria, linguarum priùs notitiam acceperunt. Nec enim fieri potest, vt quem quis erudiat, nisi ille priùs crediderit: nemo autem credat, quandiu rudis est, nec ea quæ dicuntur percipit. Hinc cœpit Spiritûs sancti gratia, eâque de causâ primum sonorum miraculum patrauit: *In omnem* enim *terram, exiuit sonus eorum*; erátque in vniuersum proferenda orbem, ac terræ coæquanda finibus, nullumque relictura doctrinæ exortem, ac sacræ tudem institutionis.

Gen. 11. v. 7.
Vt confusæ linguæ, iterúmque in Apostolis vnitæ.

Rom. 10. v. 18.

C Porrò apparuerunt illis dispertitæ linguæ ignis specie: Quippe cùm linguæ Apostolorum vim ignis essent habituræ, ac duplicem prodituræ vsum; vt nimirum, cùm diabolum comburerent, tum eos qui in tenebris sedebant, illuminarent. Vide mihi ignem quouis oleo fidelibus leniorem. Vide mihi linguam omni igne diabolo terribiliorem. Vide mihi linguam impietatis spinas concremantem, & pietatis segetes rore aspergentem. Vide mihi duodecim ex vno doctore discipulos: Vide mihi duces duodecim sub vno constitutos Rege: vide mihi splendidas duodecim faces ex vno orientes vertice: vide mihi duodecim lucidissimos radios ex vno prodeuntes sole: vide mi- D hi duodecim lampades ex vnâ accensas scintillâ: vide mihi duodecim palmites ex verâ germinantes vite: vide mihi duodecim cophinos ex eadem impletos mensâ: vide mihi duodecim flumina, ex eodem fonte manantia: vide mihi duodecim linguas, ex eadem loquentes granâ. Noli verò ebrios arbitrari, aut musti plenos; néve præ incredulitate donum contumeliâ affeceris; aut maledictos illos imiteris, vel Spiritûs vim, ac operationem, temulentiam dixeris. Non enim comparata est ebrietas, vt linguarum genera tribuat: quin ea cuiusque propriam linguam præpe- E diat, deque statu mentis deijciat. Abrumpit sermonis cursum, ac tanquam inter petras per noctis obscurum incedens, ad dentes offendit. Sensum inanem habet, animúmque turbat, & spectra ingerit, ac syllabas truncat: estque ebrietas vigilantis somnus, eiúsque insomnium, qui non dormit; furor sitibundus, & dæmon bibens: diabolus vino insidens, ac latro in conuiuiis insidias struens, meroque rationem incendens, ac animæ mœstioris remedium, venenum faciens. Hæc ebrietas comparata est facere. Hæc impij per calumniam de Apostolis iactabant: nec mirum, si sobrios Iudæi temulentos existimabant: nullæ enim Sanctorum iniuriæ in quibus educati non essent: nam & Prophetas tanquam ebrios subsannabant: ac si negauerint, dicemus ad eos: *Nunquid non sunt hæc, filij Israel, dicit Domi-*

Ignis vim habent Apostolorum linguæ.

Apostolorum elogia.

Ebrietatis turpia.

Amos 2. v. 11

nus? Et propinabatis sanctificatis meis vinum, & Prophetis mandabatis, dicentes: Ne prophetetis.

Spiritalis Sanctorum laudata ebrietas.

Enimuerò ipse quoque fateor ebrios, at non eâ, quâ dicis, ebrietate, sed diuiniori ac spiritali illâ, quâ potatus sapientiâ impletur; quâ potatus animo valet; quâ potatus vigil est, & sobrius ad virtutis labores; quâ potatus discit amare Deum: quâ potatus non sitiet in æternum: quâ potatus insanit cum Paulo, aduersusque ignem omnem, ac ferrum præsidit, inque pericula insilit, atque calamitatem omnem, vt delicias amplexatur; conuitijsque gestit, vt plausibus, ac faustâ acclamatione: iniurijs sibi placet, vt laudibus: denique vinculis Saluatoris causâ illatis velut Regum coronis gloriatur. Hic crater est, quo Apostoli ebrij sunt. Hoc poculum hauserunt Saluatoris discipuli, præclarissiméque inebriati, ac sacrâ saturati mensâ, in hæc verba cum beato Dauide loquuntur: *Parasti in conspectu meo mensam, ex aduerso eorum qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quàm præclarus est! Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

Psal. 22. v. 6

Qui enim ex hoc bibit calice, in Christo quidem sobrius est, at insanis ebrius reputatur, qui sapiat quæ sunt Saluatoris. Hunc nobis Christus Dominus craterem ex sanguine temperauit, multosque nobis conuocauit conuiuas: innumerabiles, inquam, conuocauit Euangelicos pisces, ac Petri reticulum impleuit: atque ei præter opinionem contemplatio cessit, ac tempestas capturam piscium clariorem effecit: quosque suadendo non licuerat capere, terrore perculsos capit, cùm ei fulgur ad capturam opportunè fauisset. Ne quis verò noui id gregis iniuriam appellet, vt terrente fulgure captus fuerit: Christus namque pullos recalcitrantes fulgetro frænare nouit: ac quisquis Pauli scit vocationem, pari cum Paulo euentu se vocatum gaudet, ac Christum Dominum fulgetri ope videns: ipsi gloria in sæcula sæculorum: Amen.

Sic sæpe Gentiles diuinis terroribus ad fidem vocati: quò autem hæc spectet, non liquet mihi. Sunt certè antiqua. Fortè nihil velit, nisi sonum illum quo in Actis legitur venisse Spiritus, quem auctor ipse, si tamen ipse, aliâ Oratione ex Cæsareo, tonitruum appellauit. Ex Cæsareo apud Saul. c. 5. inter Chrysost. dubia.

EIVSDEM IN SANCTAM *Pentecosten.*

EODEM Interprete.

Linguas hodie distribuens gratia, non sinit rimeam linguæ paupertatem, gratia, inquam, quæ literatum ignaros mundo magistros præfecit; quæ piscatores, Oratores fecit, mundique sapientes repentinâ, ac sponte natâ sapientiâ confudit. Quâ enim aliâ ratione idololatriæ morbo ægri hominum greges, ad pietatem cursuri essent? quomodò dæmonum seruitutem pluribus addicentem dominis, dedicissent? quomodò exiguus discipulorum numerus, aduersus hominum pariter atque dæmonum cuneus decertasset, nisi Deitatis igni armatus fuisset? Hodie per ignem, gratiæ manarunt fontes; flammaque, Spiritûs auris subsidit. Hanc Christus gratiam fausto discipulis nuntio pollicens, aiebat: *Non relinquam vos orphanos*: alium vobis Pater Paracletum mittet. Dominica enim in cœlum ascensio, Spiritûs sancti descensum de cœlo spondet. Par enim erat, vt qui Iesum recepissent, Spiritûs quoque aduentum susciperent, quò diuinæ cognitionis doctrina ad perfectiorem ascensum excurreret. Dominus quidem Iesus cùm naturam humanam assumpsisset, corpusque no-

Ioan. 14. v. 28.

Christi aduentus, ad suscipiendũ Spiritum præparauit.

A Paschate.

bis cognatum visibile induisset, hominum animos ad Spiritûs susceptionem erexit. *Multa enim*, inquit, *habeo loqui, sed non potestis portare: cùm autem venerit Paracletus, ille Spiritus veritatis, inducet vos in omnem veritatem.* Post me veniet, qui vt substantiam spectes, mei similis est. Veniet ad vos, qui ex Patre est, ac Patri substantiam æqualem habet. Quæ ergo verbis nuntiata essent, ea rebus agnouerunt exhibita. Quorum facta erat promissio, eorum periculum expectabant.

Ioa. 16. v. 12.

Dum compleretur dies Pentecostes. Modici temporis interiecto spatio ab ascensu, descendit Spiritus; Saluatorisque impleta promissio, accepit finem. Ac verò Apostolorum chorus, Dominicæ promissioni, ceu anchoræ cuidam firmiùs hærens, Spiritûs aduentum præstolabatur. Vbi itaque dierum cursus ad quinquagesimum numerum rediisset, quando septem hebdomadarum circuitus in se reflexus, ex legis statuto vtrinque gaudijs definitur, tunc diuini Spiritûs contigit descensus. Haud tamen Filij instar assumpsit carnem, aut ue humanâ se specie conspicuum fecit; vel etiam sicut in Iordanis fluuio, columbæ species aduentum Spiritûs indicauit. Apparet enim Domini substantia, vt libuerit: Verùm clangebat tuba de cœlo, vim omnem vocis suo sonitu vincens, flammaque volans linguas igneas edebat. Atque eiusmodi quidem modus apparitionis Spiritûs fuit.

Act. 2. v. 1.

Hanc diem eligit missis alijs: Nec verò immeritò, neque citiùs festum occupans, neque expectans diem transisse; descensum inducit. Quid ita? Tres tantùm illæ apud Iudæos totius populi conuentu celebres festiuitates agebantur: prima Paschatis, in quâ agnum immolantes, verum ignorauerunt Agnum, ac figuram colentes, scelestè se in figuræ causâ gesserunt. Cuius enim adorabant vmbrâm, eius præsentiam spreuerunt. Secunda post illam, quam Pentecostem dicebant, à quinquageno dierum interstitio sic appellatam: His accedebat vmbraculorum festum, quod vitæ in deserto actæ imitationem habebat. Festa hæc, vniuersos simul Iudæos in vnam ciuitatem necessitate cogebant. Quia ergo in priori crux fixa fuerat, ac passio exaltata, eiusque hactenus probri vniuersus Iudæorum populus spectator fuerat; resurrectionis autem miraculum sponte ignorabant; non credebant, celabant, calumnijs obscurare tentabant; post primam statim, quâ Iudæorum tribus omnes legali iterum necessitate eodem loco congregatæ erant, tempus opportunum captans gratia, sese in discipulos effundit, omniumque oculos, ac aures conuertit, vt quod in Christi discipulos donum impetu ferebatur, eius resurrectioni testimonio foret. Qui Christum resurrexisse negabant, lapsa de cœlis vident munera, refelluntur qui sepulchrum obsignauerant; cœlestium ipsi rerum spectatores constituuntur. Adest itaque tonitrui sonus, ignisque de cœlo, ac virtus, quâ Spiritûs sancti aduentûs fides astrueretur. Sic sanè olim in monte quoque Sina, flamma excutiebatur, Moysesque in ignis medio legum ferendarum modum docebatur. Alia nunc superni ignis flamma deuolans, Apostolorum summos vertices inequitat, ac oblambit. Qui enim per id tempus Moysen impulit ad leges Iudæis sanciendas, ipse hæc ad Gentilium salutem informauit. Idcircò etiam veterum miraculorum memoria nouis admiscebatur: rur-

Triplex Iudæorũ maior solennitas, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum.

Datus Spiritus in Pẽtecoste ad astruendam Christi resurrectionem.

Exod. 19. v. 16.

ſumque ignis medius eſt, vt ſpectaculo ſimili, eundem illum Deum eſſe aſtantibus oſtenderetur. In linguas autem diſpertitum donum velut torno formatur, vt ſuſceptores magiſtros efficiat; vt ambulantes in igne, orbis terrarum exiſtant præceptores.

Sanè olim, cùm vna omnium vox, ac lingua eſſet, antiqua moliendæ turris audacia diuiſit, viciſſimque ſubiit linguarum pugna, quæ bellum in cœlos ſuſceptum ſedaret: ac quidem linguæ innumerabiles, cùm ſonis innumerabilibus ferirent, nc vnam tamen autem offendebant auditis annuentem: qnin diuiſa lingua, diuiſit & animos; ſolutaque lingua, manûs nbligauit. Nunc verò gratiæ munus, ntium ſeptis diuiſas linguas, in vnius cuiuſque linguam collegit, doctrinæ dilatans fines, multaſque fidei vias ſecans. O noua miracula! Loquebatur Apoſtolus, Induſque docebatur: pronuntiabat Hebræus, Barbaruſque erudiebatur: reſonabat gratia, audituſque ſermonem capiebat. Gothi cognoſcebant vocem: Æthiopes linguam callebant; Perſæ admirationi loquentem habebant, gentéſque Barbaræ linguæ vnius fluentis irrigabantur. Quantum natura generibus hominum dilatabatur, tantùm gratia viciſſim linguis affluebat: ſanè verò. Ignis itaque ſecta natura atque diuiſa, actionem multiplicat: quippe affluentia gratiæ lucis ſons exiſtit. Ignis rurſus natura quòd accendatur, decrementa neſcit; qnin impartitione augeſcit: ſic effuſa Spiritus gratia fluentum multiplex reddit. Fax vna vbi innumeras accendit, cunctaſque lucis fulgoribus donauit, lucem ipſa non amittit: ſic Spiritus gratia ab alijs in alios commigrans, tum alios implet, tum illos à quibus procedit.

Primùm igitur gratia in Apoſtolos veniens, ac velut arcem eos occupans, inque fideles per eos exundans, cuncta replet, nec gratiæ fluenta contrahuntur. Et quidem ignea lingua aduolabat, erantque quique diſcipuli innumerabilium conceptaculum linguarum; præſentem coronam, Apoſtolica ineuntes certamina, alloquebantur. Qui aderant, miraculi ſpectatores erant: cœtuſque auditorum, cùm hominum genere diuiſus eſſet, nuſquam Apoſtolicâ linguâ cognatis ſuadente vocibus fruſtrabatur. Velut enim tincturâ quadam ignis illapſu vocem excipientes, nullâ temporis morâ ſcientiam ſumebant. Fideſque docebatur, & gratia miraculo erat. Deus noſcebatur, Iudæus verò ſubſannabat, ac miraculo temulentiæ crimen inferebat: myſterium gratiæ, muſti opus vocabat. *Muſto* enim, inquit, *pleni ſunt.* O improbitatem Iudæis coalitam! Tempus seputa, ô Iudæe, ac linguæ calumniam compeſce. Vbi enim muſtum, iam præteritâ æſtate: iamque otto vere vbi penitus extet muſti memoria? Horam cogita, & refrena linguam.

Quid igitur Petrus, Spiritus dono primus, ac gratiâ ſcatens, ignique plenus? Linguam linguarum patrocinio dimittit. *No[illegible] enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt: ſed hoc eſt quod dictum eſt per Ioelem Prophetam, Effundam de Spiritu meo.* Gratiarum pelagus Propheta annuntiat. *Effundam*, inquit, *de Spiritu meo.* At nunquid poſtea latex contractus eſt, vel ad Iudæos ſolùm arctatur donum, ac deficitur? Handquaquam. *Effundam*, inquit, *ſuper omnem carnem.* Qui prædictionem noueritis, cernite euentum. Præuertit linguam propheticam Spiritus lingua. Nobis quoque huius gratia vt ſtilla adueniat, votis expoſcamus: vt miraculorum memoriam ſeruantes, gratiæ lucrum demetamus. Procliue namque donum, dum animum volentem inuenerit. Idem Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus: ipſi virtus & poteſtas in ſempiterna ſæcula ſæculorum, Amen.

Act. 2. v. 16.
Ioel. 2. v. 28.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in ſuperius Euang.

HOMIL. I.

Tract. 76. in Ioan. 14. v. 23.

RESpondit Ieſus & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Ecce expoſita eſt cauſa, quare ſe ſuis manifeſtaturus eſt, non alienis, quos mundi nomine appellat: & ipſa eſt cauſa quòd hi diligant, illi non diligant. Ipſa cauſa eſt de quâ facet inſonat Pſalmus: *Indica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſanctâ.* Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur: qui verò non diligunt, ſi linguis hominum loquantur & Angelorum, fiunt * æramentum ſonans, & cymbalum tinniens. Et ſi habuerint prophetiam, & ſcierint omnia ſacramenta, & omnem ſcientiam, & habuerint omnem fidem vt montes transferant, nihil ſunt. Et ſi diſtribuerint omnem ſubſtantiam ſuam, & tradiderint corpus ſuum, vt ardeant, nihil eis prodeſt. Dilectio Sanctos diſcernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo, in quâ domo Pater & Filius manſionem faciunt, qui donant & ipſam dilectionem, quibus donent in fine etiam ipſam ſuam manifeſtationem. De quâ diſcipulus Magiſtrum interrogabat: vt non ſolùm illi qui tunc audiebant per os eius, ſed etiam nos per Euangelium eius hoc noſſe poſſemus: quærebat enim de Christi manifeſtatione, & audiuit de dilectione atque manſione. Eſt ergo quædam Dei manifeſtatio interior, quam prorſus impij non nouerunt, quibus Dei Patris & Spiritus ſancti manifeſtatio nulla eſt: Filij verò potuit eſſe, ſed in carne, quæ nec talis eſt qualis illa, nec ſemper illis adeſſe poteſt qualiſcunque ſit, ſed ad modicum tempus, & hoc ad iudicium, non ad gaudium: ad ſupplicium, non ad præmium.

Dilectio diſcernit inter bonos & malos.
Pſal. 42. v. 1.
1. Cor. 13. v. 1.
* ſicut.
Pſal. 67. v. 7.
Manifeſtatio interior pijs propria ac bonis.

Nunc eſt ergo vt intelligamus quantum aperiſe ille dignatur, quomodò dictum ſit: *Adhuc modicum & mundus me iam non videt, vos autem videbitis me.* Verum eſt quidem, quòd poſt paululum etiam corpus ſuum in quo poterant eum & impij oculis videre, oculis eorum fuerat ſubtracturus: quandoquidem poſt reſurrectionem, nemo illorum vidit eum. Sed quoniam dictum eſt teſtantibus Angelis, *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*, nec aliud credimus quàm eum in eodem corpore ad iudicium viuorum & mortuorum eſſe venturum: proculdubio tunc eum videbit mundus, quo nomine ſignificati ſunt à regno eius alieni: ac per hoc longè meliùs intelligitur iam illud tempus ſignificare voluiſſe, in eo quod ait; *Adhuc modicum & mundus me iam non videt*, quando in fine ſæculi auferentur ab oculis damnatorum; vt illi eum de cætero videant, apud quos diligentes eum facit Pater atque ipſe manſionem. Modicum autem dixit, quia & id quod prolixum videtur hominibus, breuiſſimum eſt ante oculos

Supra v. 19.
Act. 1. v. 11.
Modicum, totum hoc vitæ tempus vſque ad finem ſæculi.

1. Ioan. 2. v. 18.

Dei: de hoc quippe modico iste ipse Ioannes Euangelista, *Filioli*, inquit, *nouissima hora est.* Ne quis porrò existimet Patrem tantummodò & Filium sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat quod superiùs de Spiritu sancto dictum est: *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

Supra v. 17.

Dei in nobis mansio, tanquam in templo suo.

Ecce facit in Sanctis cum Patre & Filio sanctus etiam Spiritus mansionem, intus vtique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subueniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo: vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. Sic mundo non se Filius manifestat. Mundus enim dictus est hoc loco, de quibus continuò subiunxit atque ait, *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

V. 24.

Hi sunt qui Patrem & Spiritum sanctum nunquam vident: Filium autem non vt beatificentur, sed vt iudicentur, ad modicum vident: nec ipsum in formâ Dei, vbi est cum Patre & Spiritu sancto pariter inuisibilis, sed in formâ hominis, vbi esse voluit mundo patiendo contemptibilis, iudicando terribilis.

Al. ipsi.

Quod verò adiunxit, *Et sermo quem audistis non est meus, sed eius qui misit me, Patris*: non miremur, non paueamus: non est minor Patre, sed non est nisi à Patre. Non est impar ipsi, sed non est à seipso. Neque enim mentitus est dicendo, *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Ecce suos dixit esse sermones. Nunquid sibi ipse est contrarius, vbi rursus dixit, *Et sermo quem audistis, non est meus?* Aut quia secundum hominem non est suus? Et fortasse propter aliquam distinctionem, vbi suos dixit, pluraliter dixit, hoc est, sermones: vbi autem sermonem, hoc est, Verbum, non suum dixit esse, sed Patris, seipsum intelligi voluit.

Sermones, & sermo, quod est Verbum.

Ioan. 1. v. 1.

In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Non itaque suum, sed Patris est Verbum: quomodò nec sua imago, sed Patris est, nec suus Filius idem ipse, sed Patris. Rectè igitur tribuit auctori quicquid facit æqualis, à quo habet hoc ipsum quod illi est indifferenter æqualis.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMILIA II.

Tract. 77. in Ioan. 14.

IN præcedenti lectione sancti Euangelij, quam sequitur ista quæ modò recitata est, Dominus Iesus dixerat se & Patrem ad dilectores suos esse venturos, & apud eos mansionem esse facturos. Iam verò & superiùs dixerat de Spiritu sancto:

Supra v. 17.

Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit: vnde intelleximus in Sanctis tanquam in templo suo simul manere Trinitatem Deum: Nunc autem dicit, *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.*

V. 25.

Duplex Christi mansio, corporalis & spiritualis.

Illa itaque mansio alia est quam promisit futuram, hæc verò alia quam præsentem esse testatur. Illa spiritalis est, atque intrinsecus mentibus redditur: hæc corporalis forinsecus, oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos. Secundum illam Do-

A minus à suis dilectoribus non recedit, secundum hanc it & redit. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, apud vos manens*: vtique præsentiâ corporali, quâ cum illis visibilis loquebatur.

V. 26.

Paracletus autem, inquit, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & commemorabit vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Nunquid nam dicit Filius, & docet Spiritus sanctus, vt dicente Filio verba capiamus, docente autem Spiritu sancto eadem verba intelligamus? Quasi dicat Filius sine Spiritu sancto, aut Spiritus sanctus doceat sine Filio: aut verò non & Filius doceat, & Spiritus sanB ctus dicat, & cùm Deus aliquid dicit & docet, Trinitas ipsa dicat & doceat? Sed quoniam Trinitas est, oportebat eius singulas insinuare personas: eásque nos distinctè audire, inseparabiliter intelligere: Audi Patrem dicentem vbi legis, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: audi & docentem vbi legis: *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.*

Communia Trinitati personis assignata ad distinctionem.

Psal. 2. v. 7.

Ioan. 6. v. 45

Filium verò dicentem modò audisti: de se quippe ait, *Quæcunque dixero vobis.* Quem si docentem vis nosse, Magistrum recole. *Vnus est*, inquit, *Magister vester Christus.*

Matth. 23. v. 10.

Spiritum porrò sanctum quem modò audisti docentem, vbi dictum est, *Ipse vos docebit omnia*; audi etiam dicentem, vbi legis in Actibus Apostolorum, beato Petro dixisse Spiritum sanctum, *Vade cum illis, quia ego misi eos.*

Act. 10. v. 20

Omnis igitur & dicit & docet TriC nitas: sed nisi etiam sigillatim commendaretur; eam nullo modo humana capere vtcunque posset infirmitas. Cùm ergo omninò sit inseparabilis, nunquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur: nam & cùm dicimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non eos vtique dicimus simul, cùm ipsi non possint esse nisi simul. Quod verò addidit, *commemorabit vobis*, intelligere debemus etiam, quòd iubemur non obliuisci saluberrimos monitus ad gratiam pertinere, quà nobis commemorat Spiritus.

V. 27.

Pacem, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hoc autem est quod legimus apud ProD phetam, *Pacem super pacem*: pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus.

Pax relicta nobis à Christo, & ab eo danda

Pacem nobis relinquit in hoc sæculo, pacem suam nobis dabit in futuro sæculo. Pacem nobis relinquit, in quâ manentes hostem vincimus: pacem suam nobis dabit quando sine hoste regnabimus. Pacem relinquit nobis, vt etiam hîc inuicem diligamus: pacem suam nobis dabit, vbi nunquam dissentire possumus. Pacem relinquit nobis, ne de occultis nostris inuicem iudicemus, cùm in hoc sumus mundo: pacem suam dabit nobis, cùm *manifestabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

1. Cor. 4. v. 5.

In illo tamen E atque ab illo nobis est pax, siue quam nobis relinquit iturus ad Patrem, siue quam nobis dabit nos perducturus ad Patrem. Quid autem nobis relinquit ascendens à nobis, nisi seipsum dum non recedit à nobis? *Ipse est* enim *pax nostra, qui fecit vtraque vnum.*

Eph. 2. v. 4.

Pax ergo ipse nobis est: & cùm credimus quia est, & cùm videmus eum sicut est.

1. Ioan. 3. v. 2.

Si enim quandiu sumus in corpore corruptibili quod aggrauat animam, cùm per fidem ambulamus non per speciem, non deserit peregrinantes à se: quantò magis cùm ad ipsam speciem venerimus, nos implebit ex se.

Sap. 9. v. 15.

2. Cor. 5. v. 7

Sed quid est quòd vbi ait, *Pacem relinquo vobis*, non addidit meam: vbi verò ait, *pacem do*

vobis, ibi dixit meam? Vtrunque subaudiendum est meam, & vbi dictum non est: quia postea dictum est, potest referri ad vtrunque etiam quod semel dictum est. An fortè & hîc aliquid latet quod petendum est, & quærendum, & ad quod pulsantibus aperiendum? Quid si enim pacem suam eam voluit intelligi, qualem habet ipse? Pax verò ista, quam nobis relinquit in hoc sæculo, nostra est potiùs dicenda quàm ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum habet omninò peccatum: nos autem talem pacem nunc habemus, in quâ adhuc dicamus: *Dimitte nobis debita nostra*. Est ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem: sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ. Itémque inter nosipsos est nobis pax, quâ inuicem nobis credimus quòd inuicem diligamus: sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis nostri inuicem non videmus; & quædam de nobis quæ non sunt in nobis, vel in melius inuicem, vel in deterius opinamur. Itaque ista etiam si ab illo nobis relicta est, pax nostra est: nisi enim ab illo, non haberemus & talem, sed ipse non habet talem. Si tenuerimus vsque in finem qualem accepimus, qualem habet habebimus: vbi nihil nobis repugnet ex nobis, & nihil nos inuicem lateat in cordibus nostris. Nec ignoro ista Domini verba etiam sic accipi posse, vt eiusdem Domini sententiæ repetitio videatur. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: vt quod dixerat, *pacem*, hoc repetierit dicens, *pacem meam*; & quod dixerat, *relinquo vobis*: hoc repetierit dicens, *do vobis*. Vt volet quisque accipiat: me tamen delectat, credo & vos fratres mei dilecti, sic tenere istam pacem, vbi aduersarium concorditer vincamus, vt desideremus pacem, vbi aduersarium non habebimus.

Pax nobis relicta, non tam Christi, quàm nostra.

1. Pet. 2. v. 22.

Matth. 6. v. 12.

Rom. 7. v. 23.

Pax nobis aliqua, sed non plena.

Danda pax, qualis Christi est, & plena.

B

C

Quòd verò Dominus adiunxit, atque ait, *Non quomodò mundus dat, ego do vobis*: Quid est aliud, nisi non quomodò homines dant, qui diligunt mundum, ita do vobis? Qui propterea dant sibi pacem, vt sine molestiâ litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfruantur: & quando iustis dant pacem vt non eos persequantur, pax non potest esse vera, vbi non est vera concordia, quia disiuncta sunt corda. Quomodò enim consors dicitur, qui sortem iungit: ita ille concors dicendus est, qui corda iungit. Nos ergo charissimi, quibus Christus pacem relinquit, & pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille per quem factus est mundus, vt concordes simus, iungamus inuicem corda, & cor vnum sursum habeamus, ne corrumpatur in terrâ.

Non vera pax, quam mũdus dat.

D

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. III.

Tract. 78. in Ioan. 14. v. 27.

ACcepimus, fratres, verba Domini dicentis ad discipulos suos: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique: quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*. Hinc ergo turbari, & formidare poterat cor illorum, quòd ibat ab eis, quamuis venturus ad eos: ne forsitan gregem lupus hoc interuallo inuaderet, pastoris absentiâ. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat: & idem ipse Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: ibat per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat. Cur itaque turbaretur & formidaret cor, quando ita deserebat oculos, vt non desereret cor? Quamuis Deus etiam qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus, veniat ad eos, qui conuertuntur ad eum non facie, sed fide, & accedunt ad eum mente, non carne.

Christus recedens corpore, præsens manebat deitate.

A

Deus à cordibus discedit relinquentium ipsum.

Vt autem intelligerent secundum id quod homo erat eum dixisse, *Vado & venio ad vos*: adiecit atque ait: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*. Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem: à quo & venturus est viuos iudicaturus & mortuos. Per illud autem in quo æqualis est gignenti Vnigenitus, nunquam recedit à Patre: sed cum illo est vbique totus pari diuinitate, quam nullus continet locus. *Cum enim in formâ Dei esset*, sicut Apostolus loquitur, *non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo*. Quomodò enim rapina posset esse natura, quæ non erat vsurpata, sed nata? *Semetipsum autem exinaniuit, formam serui accipiens*: non ergo amittens illam, sed accipiens istam. Eo modo se exinaniens, quo hîc minor apparebat, quàm apud Patrem manebat. Forma quippe serui accessit, non forma Dei recessit: Hæc est assumpta, non illa consumpta. Propter hanc dicit, *Pater maior me est*: propter illam verò, *Ego & Pater vnum sumus*. Hoc attendat Arrianus, & hac attentione fit sanus: ne contentione sit vanus, aut quod est peius, insanus. Hæc est enim forma serui in quâ Dei Filius minor est, non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto. Neque id tantum, sed etiam seipso: quia idem ipse in formâ Dei maior est seipso. Neque enim homo Christus non dicitur Filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro meruit appellari. Nam quid aliud confitemur, cùm dicimus credere nos in vnigenitum Dei Filium, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus. Et quid eius nisi caro sepulta est sine animâ? Ac per hoc cùm credimus in Dei Filium qui sepultus est, profectò Filium Dei dicimus & carnem, quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus Filius Dei, æqualis Patri in formâ Dei, quia semetipsum exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiens, maior est & seipso: quia maior est forma Dei quæ amissa non est, quàm serui quæ accepta est. Quid itaque mirum, vel quid indignum, si secundum hanc formam serui loquens, ait Dei Filius, *Pater maior me est*: & secundum Dei formam loquens, ait idem ipse Filius, *Ego & Pater vnum sumus*? Vnum sunt enim secundum id quod Deus erat Verbum: & maior est Pater, secundum id quod Verbum caro factum est. Dicat etiam quod Arriani & Eunomiani negare non possunt, secundum hanc formam serui puer Christus etiam parentibus suis minor erat: quando paruulus maioribus, sicut scriptum est, subditus erat. Quid igitur hæretice? Cùm Christus Deus sit & homo, loquitur vt homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? Infidelis ingrate, ideóne tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus sit propter te? Æqualis enim

B

Christus vt homo, adeóque vt minor ad Patrem vadit.

Phil. 2. v. 6.

C

Ioan. 14. v. 28.

Ioan. 10. v. 30.

Communicatio idiomatum etiã in præcipuis partibus, vt carne eã animi.

Ioan. 10. v. 30.

E

Christus vt homo etiã minor parentibus.

Luc. 2. v. 51.

Patri Filius, per quem factus est homo, vt minor esset Patre factus est homo: quod nisi fieret, quid esset homo?

Dicat planè Dominus & Magister noster: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Cùm discipulis audiamus verba doctoris, non cum alienis sequamur astutiam deceptoris. Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet quâ æqualis est Patri, humanam quâ maior est Pater. Vtrunque autem simul, non duo, sed vnus est Christus: ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic vnus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus est, Deus, anima rationalis & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in formâ Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in formâ serui. Idem de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in animâ solâ. Quis resurrecturus in triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne solâ. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo vel tres, sed vnus est Christus. Ideo ergo dixit, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem:* quoniam naturæ humanæ gratulandum est, eò quòd sic assumpta est à Verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem: nam profectò ad illum ibat, qui cum illo erat. Sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere quod mortale susceperat ex nobis, & leuare in cœlum per quod fuit in terrâ pro nobis. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, vt & suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?

Eadem in Symbolo quod tribuitur Athanasio.

3. sent. dist. 22. ca. *Hic quæritur.*

Gratulandũ nobis, quòd sic in Christo natura nostra exaltata sit.

Al. *quis non sic diliget.*

EIVSDEM IN IDEM.

HOMIL. IV.

Tract. 79. in Ioan. 14. *V. 28.*

DOminus & Saluator noster Iesus Christus dixerat discipulis suis: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Quod ex formâ serui eum dixisse, non ex formâ Dei in quâ æqualis est Patri, nouit fides quæ religiosis est mentibus fixa, non à calumniosis & dementibus ficta. Deinde subiunxit: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* Quid est hoc, cùm magis homo credere debeat antequam fiat id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur. Nam quid magnum est, si id creditur quod videtur: secundum illam eiusdem Domini sententiam, quãdo discipulum arguit, dicẽs: *Quia vidisti [me] credidisti; beati qui non vident, & credunt?* Et nescio vtrum credere dicendus est quisque quod videt: nam ipsa fides in Epistolâ quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita: *Est autem fides sperantium substantia, & conuictio rerum quæ non videntur.* Quapropter si fides est rerum quæ creduntur, eadémque fides earum rerum est quæ non videntur: quid sibi vult quod Dominus ait: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis?* Nũne potiùs dicendum fuit, Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt credatis, quod cùm factum fuerit videatis? Nam & ille cui dictum est, *Quia vidisti, credidisti:* non hoc credidit quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum. Cernebat quippe atque tangebat carnem viuentem, quam viderat morientem: & credebat Deum in carne ipsâ latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporeis apparebat. Sed etsi dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit vnusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est quæ in nobis ædificatur fides: sed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis, vt ea credantur quæ non videntur.

V. 29.

3. sen. dist. 24. c. *Hic quæritur.*

Ioan. 20. v. 29.

Fides, eorũ quæ non videntur. Hebr. 11. v. 1

Ex viso aliquo, ad fidẽ ducimur nõ visi, vt Thomæ accidit.

Quocirca, dilectissimi, vnde nunc mihi sermo est quod Dominus ait: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis:* illud vtique dicit, cùm factum fuerit, quòd eum visuri erant post mortem viuentem, & ad Patrem ascendentem. Quo viso illud fuerant credituri, quòd ipse esset Christus Filius Dei viui, qui potuit hoc facere cùm prædixisset, & prædicere antequàm faceret. Creditur autem hoc non fide nouâ sed auctâ: aut certè cùm mortuus esset defectâ, cùm resurrexisset refectâ: Neque enim eum Dei Filium non & antè credebant: sed cùm in illo factum esset quod antè prædixit, fides illa quæ tunc quando illis loquebatur fuit parua, & cùm moreretur penè iam nulla, & reuixit & creuit. Deinde quid dicit?

Prædictionum euẽtu, aucta discipulorum fides atque refecta.

Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius. Quis, nisi diabolus? *Et in me non habet quicquam:* nullum scilicet omninò peccatum. Sic enim ostendit non creaturarum, sed peccatorum principem diabolum, quos nunc nomine mundi huius appellat. Et quotiescunque mundi nomen in malâ significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius amatores, de quibus alibi scriptum est, *Quicunque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituetur.* Absit ergo vt sic intelligatur diabolus princeps mundi, tanquam gerat vniuersi mundi, id est, cœli & terræ, atque omnium quæ in eis sunt principatum: de quali mundo dictum est, cùm de Christo Verbo sermo esset, *Et mundus per eum factus est.* Vniuersus itaque mundus à summis cœlis vsque ad infimam terram creatori est subditus, non desertori; redemptori, non interemptori; liberatori, non captiuatori; doctori, non deceptori. Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, euidentiùs aperuit Paulus Apostolus, qui cùm dixisset, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*, id est, aduersus homines: subiecit atque ait, *sed aduersus principes & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum.* Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset, *mundi:* cùm subiecit, *tenebrarum harum:* ne quisquam mundi nomine intelligeret vniuersam creaturam, cuius nullo modo sunt rectores angeli desertores. *Tenebrarum*, inquit, *harum*, id est, mundi istius amatorum: ex quibus tamen electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam, quibus dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Omnes enim fuerunt sub rectoribus tenebrarum harum, id est, hominum impiorum, tanquam tenebræ sub tenebris: sed gratias Deo, *qui eruit nos*, sicut dicit idem Apostolus, *de potestate tenebrarum, & transtulit in re-*

V. 30.

Mundus in malâ significatione, amatores mundi.

Iacob. 4. v. 4.

Ioan. 1. v. 10. Al. *cœli.*

Eph. 6. v. 12

Eph. 5. v. 8.

Col. 1. v. 13.

gnum Filÿ claritatis suæ. Io quo princeps huius mundi, hoc est, tenebrarum harum, non habebat quicquam, quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine Virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur, cur ergo moreris si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuò subiecit,

V. 31. *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc.* Discumbens enim discumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit: quò? nisi ad illum locum vnde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis? Sed habebat vt moreretur mandatum Patris, tanquam ille de quo prædictum erat: *Quæ non rapui, tunc exoluebam*: mortem siue debito soluturus, & nos à morte debitâ redempturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem præsumptione deceptus extendit: vt incommunicabile nomen inconcessæ diuinitatis inuaderet, quam Filio Dei natura contulerat, non rapina.

Mortuus Christus præcepto Patris.

Psal. 68. v. 5

EIVSDEM IN IDEM.

HOMILIA V.

Sermo 57. de ver. Domini in append. 7.

Ioan. 14. v. 27.

Pacis elogia.

DOmini vox est, fratres charissimi, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* De pace dicturi, priùs quæ pacis sint commoda videamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare quæ odisse non nouit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat: qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat: quoniam qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominus & à sancto Spiritu alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum. Nec poterit ad hæreditatem Dei peruenire, qui testamentum noluerit obseruare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est, quod iubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatum est declinare. Quid tibi commune cum discordiâ, Christiane? Quid simultates amas, quod auctori pacis placere non potuit? Quid exerces inimicitias, quas euadere non potuit, nec ille qui eas primus inuenit? Initio namque inimicitias in protoplastum, dum serpens exerit, interficitur; dum homini inuidet, ipse prosternitur. Dum Adam cupit decipere, ipse primitùs iugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere, Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum parem te esse cognosce.

Concordia cum Christo non stat cum discordiâ cum Christiano.

EIVSDEM IN FESTO PENTECOSTES, *de missione Spiritus sancti.*

HOMIL. VI.

Serm. 181. de temp. Est in append. 60.

SAnctitati vestræ, charissimi, votorum iam nota debet esse festiuitas. Quid enim quâ ratione curemus, ex ipsâ annuâ celebritate condiscimus. Nam cùm in vestigia sua iterum reuoluitur transacta solennitas, doctores efficimur, dum eam sæpius celebramus. Pentecosten ergo agamus hodie, hoc est, quinquagesimum diem à resurrectione Dominicâ: non quòd hac die, sicut plerique putant, ad cœlos Saluator ascenderit. Nam post resurrectionem cum Apostolis conuersatus, quadragesimâ die ad Dei Patris dexteram remeauit, sicut Lucas Euangelista ait, *Quibus etiam exhibuit seipsum viuum post passionem suam, per dies quadraginta apparens eis.* Quadraginta ergo temporum curriculo conuersationem suam discipulis suis Saluator exhibuit, scilicet vt tanto numero resurrectionis eius gratiâ lætaremur, quanto & passionis eius iniurias fleuerimus, totidemque temporum spatio eo reficeremur præsente, quo ieiunauimus absente.

Act. 1. v. 3.

Non igitur hodie Christus ascendit ad cœlum, sed Christi Spiritus descendit de cœlo, sicut ipse Dominus promittens ait: Cùm autem ascendero ad Patrem, mittam vobis Paracletum Spiritum veritatis, & ipse vos docebit omnia. Magna planè gratia, duplex gaudium, quòd abeuntem Christum non amisimus, & venientem Spiritum possidemus. Nam illum retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu. Cùm abiret, inquit, ad Patrem, mittam vobis Paracletum. Credimus enim ad Patrem peruenisse Filium, cùm videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credimus eum namque regnare in cœlis, quem cernimus munera sancta donare in terris, sicut scriptum est per Prophetam, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit bona hominibus.* Victor vtique muneratur, victor dona largitur. Vnde & Saluator victor diaboli, post triumphum discipulos quos liberauit à captiuitate, etiam benedictione ditauit. Liberauit autem nos, cùm ad resurgendum per seipsum tartara nobis aperuit: ditauit nos, cùm ad regnandum per Paracletum nobis cœlestia reserauit. Quibusdam enim quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autem de terris ad cœlos docemur ascendere, sicut scriptum est, *Ipse vos docebit omnia.* Quid docet Spiritus sanctus? Vtique hoc nouit docere quod sanctum est. Quid docet nos Paracletus? Illud vtique docet quod dicit Saluator, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia.* Bonus itaque magister est Paracletus, quia dicit quæ Christus dicenda seruauit. Hoc enim docet Spiritus sanctus, quod Dominus docendum habere se dicit. Bonus planè magister est, qui præceptorum executor est Saluatoris. Necesse est igitur, vt vnius sit substantiæ naturâ cum Christo, quem videmus vnius cum Christo esse doctrinæ.

Ioan. 16. v. 7. & 14. v. 26.

Duplex gaudium in Pentecoste, quòd Christus abiens non sit amissus, & quòd possideatur Spiritus sanctus.

Psal. 67. v. 19. Eph. 4. v. 8.

Liberauit nos Christus resurgens, misso Spiritu sancto ditauit.

Ioan. 14. v. 26.

Ioan. 16. v. 12.

Docet Spiritus, quæ Christus dicenda seruauit.

Et ideo, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, vt Spiritum sanctum promereri & accipere possimus. Si hunc mundum relinquimus, nos similem Paracletum, sicut Apostoli, id est, Spiritum veritatis, quem mittet nobis Pater, accipiemus: quoniam *non est personarum acceptio apud Deum* Patrem, sed promissa Apostolorum nobis proficiunt, si opera & desideria & actus gerimus quos Apostoli fecerunt. Si verò legem Domini immaculatam & conuertentem animas implendo mandata eius perficiamus, nosmetipsos hæredes Domini & cohæredes Christi ad hæreditatem sempiternam, & ad commorationem Angelorum cum gratiâ Christi committimus: quod ipse præstare

Rom. 2. v. 11.

Psal. 18. v. 8.

præstare dignetur, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN EODEM FESTO, *de missione Spiritus sancti.*

HOMIL. VII.

Serm. 184. de temp. Dubitant Louan. Discessurus è mundo isto, & ascensurus in cœlum Dominus noster atque Saluator, fratres charissimi, promisit Apostolis suis quòd Spiritum sanctum ad eos mitteret, quando ad Deum Patrem ipse remeasset. Sic enim vt nunc audistis, ad discipulos suos locutus est, dicens: Ioan. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Impleta est, B charissimi fratres, promissio Saluatoris. Ascendit Dominus Iesus Christus, descendit Spiritus sanctus. Superest vt vtrunque hoc impleatur in vobis, id est, vt habeatis Spiritum sanctum qui descendit, & per bonam vitam Christum sequamini qui ascendit. Misit ergo nobis Saluator Spiritum sanctum, sicut discipulis suis ipse promisit, dicens, *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quod dixit, *Mittam eum*, ne forte aliquis vestrum cogitet, quòd quasi de inferiore dixerit, Mittam: vel, sicut hæretici dicunt, quòd Spiritus sanctus quasi subiectus ac seruiens Deo, pateat imperanti. Absit à vobis ista suspicio. In Trinitate enim nô C minus aliquid, aut maius: quia si in Deo aliquid minus dicitur, imperfecta diuinitas accusatur.

Habendus Spiritus qui descendit; Christus sequendus qui ascendit. Ioan. 16. v. 7. Sic & in Symbolo Athanasiano.

Vnde obsecro vos fratres charissimi, vt fide integrâ vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate credatis, ne pedes vestrorum sensuum claudicent, aut oculi parum videant, aut manus aridæ fiant. Omnis enim qui fidem catholicam non benè sequitur, pedes debiles habet. Qui veritatis lucem non videt, oculorum caliginem patitur. Qui misericordiæ fructum non habet, manuum ariditate siccatur. Id ergo agite, id elaborate, ne aliqua membrorum vestrorum portio hac debilitate vitietur, ne aut gula in vos horreat, D aut auaritia displiceat, aut infidelitas langueat, vt emondati penitus ac purificati, habitaculum Dei efficiamini: vt Spiritus sanctus qui descendisse in Apostolos hodie legitur, in vobis semper esse dignetur: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN EODEM, *de missione Spiritus sancti.*

HOMIL. VIII.

Serm. 185. de temp. Dubitant Louan. Post illam singularem insignémque victoriam quâ publicus propugnator mundo & militauit & vicit: postquam fragilitatem conditionis nostræ non solùm de inferis eruit, sed etiam in regni sui excelsa subuexit, in hac die iuxta verbum suum sanctum Spiritum donauit, de quo iam Apostolis suis dixerat, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Alium vtique, non minorem. Alium Paraclemum, id est, similis gloriæ vel naturæ eiusdémque substantiæ: vt discipulorum fides veridicâ sponsione ad expectationem tanti muneris præparata, illum quem sibi à

Ioan. 14. v. 16. Spiritus sanctus Deilocomissus, verus Deus.

A Paschate.

Domino in locum Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret. *Et alium,* inquit, *Paracletum:* maiestatis intellige socium, quem maiestati prospicis comparatum. *Et ego rogabo,* inquit, *Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quàm benè sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis? Patet est qui indicatur rogandus: Filius est qui intelligitur rogaturus: Spiritus sanctus qui promittitur à Patre mittendus.

Quanta & quàm ineffabilis pietas Redemptoris? Hominem portauit ad cœlum, & Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum noua de supernis medicina mittitur: ecce iterum infirmos suos per seipsam maiestas visitare dignatur. Ecce iterum humanis diuina miscentur, id est, Vicarius Redemptoris: vt beneficia quæ Saluator Dominus inchoauit, peculiari Spiritus sancti virtute consummet: & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisiuit, iste custodiat: ac sic vnitas deitatis per voluntatem gratiæ ac muneris approbatur, vt Spiritus sanctus Deus in substantiâ vnus, in personâ alius, æquali miseratione vnicus, æquali reuerentiâ sit colendus. Spiritus vicarius Redemptoris.

Ergo Spiritus sanctus in hac die ad præparata sibi Apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est. Non iam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nam sicut de semetipso Apostolis suis dixerat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi:* ita etiam de Spiritu sancto, *Paracletum,* inquit, *dabit vobis Pater, qui vobiscum sit in æternum.* Affuit ergo in hac die fidelibus suis non iam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam maiestatis: atque in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti: ex cuius fragrantiâ latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes. Matth. 28. v. 20. Ipse Spiritus in personâ in Pentecoste datus.

Sedit ergo super singulos quasi ignis, de quo Saluator noster testatur: *Ignem veni mittere in terram.* De quo dictum est, *Deus noster ignis consumens est.* Ipse itaque Apostolos suos viuæ lucis fonte perfudit, vt ipsi postmodum vniuersum mundum tanquam duodecim Solis radij ac totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati nouo vino repleant atque irrigent sitientia corda populorum. Loquitamus hoc loco post resurrectionem vel ascensionem Domini, quid adhuc adijci possit Apostolorum perfectioni per participationem Spiritus sancti. Erat quidem in eis fides, sed fiduciæ constantia deerat. Iam quidem Christum per vniuersa poterant prædicare, sed adhuc pro Christo vsque ad mortem certare non poterant, vsque adeò vt nullum ex discipulis corona- E uerit palma martyrij ante aduentum Spiritus sancti. Præterea iam recesserat ex oculis eorum Dominus Iesus, qui eos prædicatione visibili os ad os loquens corroborabat, & virtutum miraculis instruebat: & dum cum eo erant, facilè credebant quæ videbant. Fides adiuuabatur aspectibus, præsentibus confirmabatur operibus, signis ac virtutibus pascebatur. Postquam verò Dominus Iesus sublatus ex oculis eorum recessit in cœlum, non sufficiebant attonitæ ac trepidæ eorum mentes, non sufficiebant, vt dignum erat, cœlestia & æterna cogitare: nec prævalebant adhuc portare angusta eorum pectora diuinorum sensuum magni- Act. 2. v. 3. Luc. 12. v. 49. Deut. 4. v. 24. Cur venit in ignis specie. Addita eius aduentu discipulis fiduciæ constantia. Aucta ac perfecta diuinorum cognitio.

Ioan.1 v.1.

Ioan.14. v. 12.

tudinem vt poſſent intelligere Chriſtum, quomodò etat Vetbum Deus apud Deum: ſicut eis ipſe Dominus adhuc in corpore conſtitutus euidenter inſinuat, dicens: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis ea portare modò: cùm autem venerit Spiritus veritatis ipſe vos docebit omnem veritatem.* Vides quòd poſt diſceſſionem adorandæ ſummæque Virtutis diſcipulorum pectora dilatata ſunt, ad ſuſtinendam magnitudinem diuini luminis, & intelligentiam veritatis? Deus itaque eſt, qui poteſt poſt munificentiam ſuam accumulare gratiam, augere ſapientiam, confirmare conſtantiam.

Spiritus Deus comprobatur ex ſuis donis.

Apoſtoli imperfecti ante aduentum Spiritus ſancti, ac quanti eius illuſtratione effecti.

Matth.14. v.26.

Ioan.1.v.1. & 9.

Col.1.v.17.

Videamus ergo ante viſitationem cœleſtis Conſolatoris, quantum eis de magnanimitate, quantum de perfectione defuerit. Nam primùm cùm B eum ſupra tumentia maris dorſa vidiſſent ſubſtratis fluctibus ambulantem, & cùm aquarum iter inſtabile ſub diuinis ſolidaret vnda famula veſtigijs, *turbati ſunt dicentes, Phantaſma eſt: & præ timore clamauerunt.* Poſt infuſionem verò Spiritus ſancti iam non dicunt, quia phantaſma eſt: ſed, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et iterum, *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Apoſtolus dicit, *Quia ipſe eſt ante omnes, & omnia per ipſum conſtant.* Vnus autem ex diſcipulis Thomas nondum huius muneris benedictione ditatus, cùm in corpore iam glorificato, in corpore C iam cœleſti per carnis vulnera Deum quæreret, & ad credendam incorruptibilem diuinitatem fixuris clauorum & cicatricum teſtimonijs indigeret: *Niſi videro*, inquit, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Alius verò iam ſancti Spiritus eruditione repletus, confidenter exclamat: *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ palpauerunt de verbo vitæ: & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et iterum alio loco Paulus Apoſtolus tantæ maieſtatis locupleratus illapſu, fiducialiter D proteſtatur: *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus.* Beatus Petrus Domini paſſione iam proximâ, nondum diuinâ Paracleti inſpiratione fundatus, nolens à ſe Chriſtum corporaliter ſeparari, in traditorem & gladiatores gladium ſtringit, & vim vi æſtimat repellendam: Stephanus autem plenus Spiritu ſancto, iam non in terrâ Chriſtum requirit, ſed aperto cœlo vidit gloriam Dei: neque iam de vindictâ cogitat, ſed pro perſecutoribus ſuis exorat & ſupplicat: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Ante aduentum verò Spiritus ſancti ſub ipſo crucis Dominicæ tempore, alij ex diſcipulis effugantur, alij vnius ancillæ voce terrentur, & metu E corda trepida penetrante, Dominum ſuum negare coguntur. Poſt illuſtrationem verò Spiritus ſancti & confirmationem, cuſtodijs excruciati, verberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati. Et qui antè negauerant cum iuramento, quia non nouimus hominem iſtum, nunc propter eum in ſupplicijs gloriantur, & operante in ſe Spiritu ſancto, parum putant eſſe quòd pro Chriſti amore patiuntur. Et qui antè verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur: & Chriſtum Dominum non iam vocibus, ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem ſanguinis effuſione teſtantur. Et inter hæc calefacti & accenſi mero Dominicæ charitatis exclamant, *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Ioan. 20. v. 25.

1 Ioan. 1. v.1.

2. Cor.5. v. 16.

Matth.26. v.51.

Act 7.v.59.

Act.5 v.4.

Matth.26. v.72.

Rom.8.v.18.

Ergo beati Apoſtoli illo fidei igne feruentes de quo ipſe Dominus dicit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* ab impiâ multitudine putabantur ebrij & muſto pleni. Et *dicebant* adinuicem, *quia muſto pleni ſunt iſti.* At verò nouo vino repleti erant, quia Spiritu ſancto iam fuerant innouati, & apparebat in eis quod ipſe Dominus dixerat, *Nouum vinum in vtres nouos mittendum eſt.* Iſtud verò nouum vinum non putemus ſolos tunc Apoſtolos ſuſcepiſſe. Hoc muſto inflammantur, & hoc præclaro poculo B quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animæ conuertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro deſiderio ſalutis ſuæ parentes & patriam ſuam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terrâ & de cognatione ſuâ, & mortui huic mundo, alios ſpiritaliter animarum inquirunt parentes, & liberi ſub iugo veniunt: & paulò antè elati atque ſublimes humilia affectant, ſuperba faſtidiunt, & cupiunt eſſe quod antè deſpexerant, & odiſſe incipiunt quod fuerant. Præſentium hoſpites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contemptâ temporalium falſitate ſuſpirant.

Luc.12.v 49

Act.2.v.13.

Muſtum Spiritus ſancti in Apoſtolis.

Matth.9. v.17.

Idem in his qui ſtatum religioſum arripiunt.

Hoc itaque muſto ſpiritales animæ inebriatæ, C & penitus commutatæ, abſtinentiam delicijs, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitijs anteponunt. Arduum contra vitia laborem, iucundiſſimam computant voluptatem. Dulceſcunt eis vilia, & quæ priùs fuerant pretioſa, vileſcunt. Diligunt inimicos ſuos, & benefaciunt his qui ſe oderunt: non conuitiantur indignantibus, non irritantur in opprobrijs, non franguntur in iniurijs: prorſus horum nihil ſentiunt propter feruorem Spiritus ſancti, & propter æternam retributionem.

Matth 5.v. 44.

Hoc ſpiritali mero calebant Martyres, quando abijcientes & poſt ſe iactantes omnia ſæculi blan D dimenta, ibant ad paſſiones, obliuiſcentes facultates & affectiones, patrimonia ac matrimonia ſua, & vincentes armatam contra ſe paruulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas auulſis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij non videbant, nec cognoſcebant ſuos: quia infuſo præcordijs ſuis Spiritu ſancto ad dolores, ad ſupplicia, tanquam ad conſolationes & ad præmia feſtinabant.

In Martyribus.

Itaque anniuerſarium quidem diem celebramus de aduentu Spiritus ſancti: ſed nos ita aga E mus, vt quotidie eum ad nos caſtis operibus & caſtis pectoribus inuitemus. Ita enim puri atque purgati ſenſibus & cogitationibus eſſe debemus: ita nos oportet ori & cordi adhibere cuſtodiam, vt nos dignos eius viſitatione & illuminatione faciamus, & videamur liberi eſſe ab omni immunditiâ cogitationum, quia vt dixi, *Peruerſa cogitationes ſeparant à Deo.* Studeamus liberi eſſe ab omni obtrectatione omníque malitiâ: *quia in maleuolam animam non ingreditur ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis.* Per iram ac ſuperbiam, animæ negligentium Spiritus ſancti cuſtodiâ & protectione nudantur. Non ergo per huiuſmodi paſſiones contriſtemus Spiritum ſanctum, ſed potius cùm ad

Morale.

Sap.1.v.3.

Ibid.v 4.

fedem cordis noftri per gratiam humilitatis, & pacis manfuctudinem euocemus, ac lætificemus cum operibus & profectibus noftris: quia ipfe dicit, *Super quem requiefcam, nifi fuper humilem & quietum, & trementem fermones meos?* [Ifai.66.v.2.]

Si ergo promereri cupimus tanti vifitatoris ingreffum, mundemus primùm domum animæ noftræ ab indignis carnalis concupifcentiæ paffionibus, à fuperbiæ dominatione, à fœtore iactantiæ, à teporis hortore, de quo ipfe Dominus dicit. *Vtinam*, inquit, *frigidus effes aut calidus: nunc verò quia tepidus es, incipiam te euamere ex ore meo:* id eft, ex vifceribus mei intimi cordis expuere. [Apoc.3.v.15.] Præparemus itaque hanc domum quotidie ad facri Regis aduentum, eámque diuerfis probabilium morum floribus adornemus: Repleamur iucundis prenofifque odoribus caftitatis, fidei & compunctionis incenfo, balfamo beneuolentiæ, & thymiamate charitatis: vt amputatis vitijs, & virtutibus infertis, deftructâ in nobis habitatione diaboli, mutemur in templum Dei, vt tam beatus hofpes nitido delectatus hofpitio, ftabilem ac perpetuam in nobis faciat manfionem. Propter hoc enim ad nos ille defcendit, vt nos ad illum poffimus afcendere: cui eft gloria cum Patre & Spiritu fancto, in fæcula fæculorum: Amen.

EIVSDEM IN EODEM *die, de aduentu Spiritus fancti.*

HOMIL. IX.

[Serm 186. de temp. Cap. 1. Solennitas, ab eo quod in anno folet.]

Hodierni diei folennitas Domini Dei magni, & magnæ gratiæ quæ fuperfufa eft fuper nos, recordationem facit. Deo enim folennitas celebratur: ne quod femel factum eft, de memoriâ deleatur. Solennitas enim ab eo quod folet in anno, nomen accepit: quomodò perennitas fluminis dicitur, quia non ficcatur æftate, fed per totum annum fluit: ideo perenne, id eft, per annum, fic & folenne quod folet in anno celebrari. Celebramus hodie aduentum Spiritus fancti. Dominus enim Spiritum fanctum de cœlo mifit, quem in terrâ promifit: & quia fic promiferat de cœlo effe miffurum. *Non poteft ille venire*, ait, *nifi ego abiero: dum autem abiero, mittam illum ad vos.* [Ioan.16.v.7.] Paffus eft, mortuus eft, refurrexit, afcendit: reftabat vt impleret quod promifit. Hoc expectantes difcipuli eius, *anima*, vt fcriptum eft, *centum viginti*, decuplato numero Apoftolorum: duodecim enim elegit, & centum viginti Spiritum mifit. [Act.1.v.15.] Hoc ergo promiffum expectantes in vnâ domo erant, orabant: quia defiderabant iam ipfâ fide, quod ipfâ oratione, ipfo fpiritali defiderio: vtres noui erant, vinum nouum de cœlo expectabatur, & venit. [Præparati difcipuli oratione ad aduentum Spiritus fancti.] Iam enim fuerat magnus botrus ille calcatus, & glorificatus. Legimus enim in Euangelio, *Spiritus enim nondum erat datus, quia Iefus nondum fuerat glorificatus.* [Matth.9.v.17. Ioan.7.v.39.] Iam quid refpondit, audiftis, magnum miraculum.

[Cap.2. Effufum linguarum donum.]

Omnes qui aderant, vnam linguam didicerant. Venit Spiritus fanctus, impleti funt, cœperunt loqui linguis varijs omnium gentium, quas non nouerant nec didicerant: fed docebat ille qui venerat, intrauit, impleti funt, fudit. Et tunc hoc erat fignum, quicunque accipiebat Spiritum fanctum, fubitò impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur, non illi folùm centum viginti. Docent nos literæ ipfæ, poftea crediderunt homines, baptizati funt, acceperunt Spiritum fanctum, linguis omnium gentium locuti funt. Expauerunt qui aderant, alij admirantes, alij irridentes: ita vt dicerent, *Ifti ebrij funt, mufto pleni funt.* [Act.2.v.13.] Ridebant, & aliquid verum dicebant. Impleti enim erant vtres nouo vino. Audiftis cùm Euangelium legeretur, *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres:* fpiritalia non capit carnalis. [Matth.9.v.17.] Carnalitas vetuftas eft, gratia nouitas eft. Quantocunque homo in melius fuerit innouatus, tantò ampliùs capit, quod verum fapit. Bulliebant mufto, & mufto bulliente linguæ gentium profluebant.

[Cap.3.]

Nunquid modò fratres non datur Spiritus fanctus? Quifquis hoc putat, non eft dignus accipere. Datur & modò. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, ficut loquebatur qui tunc Spiritu fancto implebatur? Quare? Quia quod illud fignificabat impletum eft. [Subftractû modò, quia impletum quod illo fignificabatur.] Quid eft illud? Quando celebrauimus Quadragefimam, recolite, quia commendauimus vobis Dominum Iefum Chriftum Ecclefiam fuam commendaffe, & afcendiffe. [Quadragefima i. Afcenfio Dominica.] Quærebant difcipuli, *Quando erit finis fæculi?* Et ille, *Non eft veftrum fcire tempora, vel momenta, quæ Pater pofuit in fuâ poteftate.* Adhuc promittebat quod hodie compleuit. *Accipietis virtutem Spiritus fancti fuperuenientis in vos, & eritis mihi teftes in Hierufalem, & in totâ Iudæâ, & Samariâ, & vfque in fines terræ.* [Act.1.v.7.] Ecclefia tunc in vnâ domo erat, accepit Spiritum fanctum: in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod prædicebat modò. Nam quòd illa Ecclefia parua linguis omnium gentium loquebatur: quid eft [nifi] quòd Ecclefia ifta magna à Solis ortu vfque ad occafum linguis omnium gentium loquitur? Modò impletur quod tunc promittebatur. Audiuimus, videmus. *Audi filia, & vide:* ipfi reginæ dictum eft, *Audi filia, & vide.* [Pfal.44.v.11.] Audi promiffum, vide completum. Non te fefellit Deus tuus, non te fefellit fponfus tuus, non te fefellit qui fuo fanguine te dotauit, non te fefellit qui de fœdâ pulchram, de immundâ virginem fecit. Tu tibi promiffa es: fed promiffa in paucis, impleta in multis.

[Cap.4.]

Nemo ergo dicat, Accepi Spiritum fanctum, quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum fanctum, intendite fratres mei: fpiritus nofter quo viuit omnis homo, anima vocatur: fpiritus nofter quo viuit fingulus quifque homo, anima vocatur: & videns quid faciat anima in corpore. [Quod in corpore anima, hoc facit Spiritus in Ecclefiâ; vt totam viuificet, & in fingulis operetur congrua.] Omnia membra vegetat, per oculus videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus fimul adeft membris, vt viuant: vitam dat omnibus, officia fingulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus: fed tamen viuit: viuit auris, viuit lingua: officia diuerfa funt, vita communis. Sic eft Ecclefia Dei, in alijs Sanctis facit miracula, in alijs Sanctis loquitur veritatem, in alijs Sanctis cuftodit virginitatem, in alijs Sanctis cuftodit pudicitiam coniugalem, in alijs hoc, in alijs illud: finguli propria operantur, fed pariter viuunt. Quod autem eft anima corpori hominis, hoc eft Spiritus fanctus corpori Chrifti, quod eft Ecclefia: hoc agit Spiritus fanctus in totâ Ecclefiâ, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis. Sed videte quid caueatis, videte quid obferuetis, videte quid

timeatis. Contingit vt io corpore bumano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes, ounquid præcisum sequitur anima? Cùm in corpore esset, viuebat, præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus catholicus est, dum in corpore viuit, præcisus hæreticus factus est membtum amputatum, noo sequitus Spiritus. Si ergo vultis viuere de Spiritu sancto, teoete charitatem, amate veritatem, desiderate vnitatem; vt peruenIatis ad æternitatem, Amen.

Precisa mēbra, vitam amittunt.

EIVSDEM DE EODEM FESTO.

HOMILIA X.

Serm. 187. de temp. Dubitant Louan. & aliĳ in quibusdam MMSS tribui Fulgentio: inter cuius nouos serm. est 51.

Ioan. 7. v. 37

DIes nobis, fratres, gratus illuxit, quo sancta Ecclesia fidelium fulget aspectibus, feruet in cordibus. Celebramus quippe eum diem, quo Domious Iesus Christus post resurrectionem, ascensione glorificatus misit Spiritum sanctum. Sicut enim scriptum est io Euangelio, cùm diceret, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aqua viua.* Euangelista secutus exponit, & ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Restabat ergo vt clarificato Iesu, cùm resortexit à mortuis & ascendit ad cœlos, iam daretut Spiritus sanctus ab eo missus à quo promissus, sicut & factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum discipulis conuersatus, ascendit in cœlum, & die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum sanctum, sicut scriptum est, *Factus est subito sonus de cœlo quasi ferretur flatus vehemens, & visa sunt illis linguæ diuisæ sicut ignis, qui insedit super vnumquemque, & cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare.* Flatus ille, à carnali paleâ corda moodabat. Ignis ille, fœnum veteris concupiscentiæ consumebat. Linguæ illæ quibus loquebantur à Spiritu sancto impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam designabant. Sicut eoim post diluuium impietas superba hominum turrim contra Dominum ædificauit excelsam, quando per linguas diuersas diuidi meruit genus humanum, vt vnaquæque gens linguâ propriâ loqueretur, ne ab aliĳs intelligeretur: sic humilis fidelium pietas earum linguarum diuersitate Ecclesiæ contulit vnitatem, vt quod discordia dissipauerat, colligeret charitas, & humani generis tanquam vnius corporis membra dispersa ad vnum caput Christum compaginata redigeret, & in sancti corporis vnitatem dilectionis igne cooflaret.

Act. 2. v. 2.

Flatus, ignis, linguæ in Pentecoste.

Gen. 11. v. 7.

Diuisio linguarum à superbiâ.

Ab hoc itaque dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui oderuot gratiam pacis, qui societatem non retinent vnitatis. Licet enim etiam ipsi hodie solenniter congregeotur, licet istas audiant lectiones, quibus Spiritus sanctus promissus & missus est: ad iudicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt, & eius diem celebrare, cuius lumen oderunt? Vos autem, fratres mei, membra corporis Christi, germina veritatis, filĳ pacis, hunc diem agite læti, celebrate securi. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus quando venit Spiritus sanctus, præsignabatur. Sicut enim tunc qui Spiritum sanctum percipiebat, etiam vnus homo linguis omnibus loquebatur: sic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa veritas loquitur, in quâ constituti Spiritum sanctum habetis, qui à Christi Ecclesiâ loquente omnibus linguis, nullo schismate dissidetis.

Alieni à dono Spiritus sancti, qui non retinēt vnitatem.

Al. vnitatis.

Al. vnitas.

EIVSDEM, IN DIE PENtecostes I.

Citat Beda ad Ephes. 4.

Ex nouis P. I. Sirm. in quibus est 20.

PRopter aduentum Spiritus sancti hodiernus dies solennis est nobis, à resurrectione Domini quinquagesimus, septem septimanis multiplicatus. Sed computantes septem septimanas, quadraginta nouem inuenietis. Vnus additur, vt nobis vnitas commendetur. Quid ipse aduentus sancti Spiritus; quid egit? præsentiam suam vnde docuit? vnde monstrauit? Linguis omnium gentium locuti suot omnes. *Erant autem in vno loco centum viginti.* Per decem duodenarius Apostolorum numerus sacratus mysterio est decuplatus. Quid ergo? Singuli, io qoos venit Spiritus sanctus, singulis linguis omnium gentium suot locuti, illi aliâ linguâ, & illi aliâ, & quasi diuiserunt ioter se linguas omnium gentium? Non: sed sicut vnusquisque homo, vnus homo linguis omnium gentium loquebatur. Loquebatur vnus homo linguis omnium gentium. Vnitas Ecclesiæ in linguis omnium gentium. Ecce & hîc vnitas Ecclesiæ catholicæ commendatur toto orbe diffusæ. Quis ergo habet Spiritum sanctum? Ideo enim Spiritus sanctus in omnium linguis gentium se demonstrare dignatus est, vt ille se intelligat habere Spiritum sanctum, qui in vnitate Ecclesiæ cootinetur, quæ linguis omnibus loquitur. *Vnum corpus*, Paulus dicit Apostolus, *vnum corpus, & vnus spiritus.* Membra vestra attendite. Multis membris constitutum est corpus, & vegetat membra omnia vnus spiritus. Ecce humano spiritu, quo sum ego homo, membra omoia colligo. Impero membris vt moueantur, intendo oculos ad videodum, aures ad audieodum, linguam ad loquendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum: officia membrorum dispartita sunt, sed vnus spiritus cootinet omoia. Multa iubeotur, multa fiunt: vnus iubet, voi seruitur. Quod est spiritus noster, id est, anima nostra, ad membra nostra: hoc Spiritus sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia. Ideo Apostolus, cùm corpus vnum oominasset, ne iotelligeremus mortuum corpus, *Vnum*, inquit, *corpus.* Sed rogo te, viuit hoc corpus? viuit. Vode? *de vno spiritu.* Attendite ergo, fratres, io nostro corpore, & dolete eos qui de Ecclesiâ præciduntur. In membris nostris, quamdiu viuimus, cùm sani sumus, implent omnia membra officia sua. Si vnum membrum dolet alicunde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore est, dolere potest, exspirare non potest. Quid est enim exspirare, nisi spiritum amittere? Iam verò si membrum præcidatur de corpore, nunquid sequitur spiritus? & tamen membrum agnoscitur. Quid est? digitus est, manus est, brachium est, auris est. Præter corpus habet formam, sed non habet vitam. Sic & homo ab Ecclesiâ separatus. Quæris ab illo sacramentum? inuenis. Quæris baptismum? inuenis. Quæris symbolum? inuenis. Forma es, quisquis es: nisi intus spiritu vegeteris, frustra foris de formâ gloriaris.

Act. 1. v. 15. Verùm id ad Mathiæ electionē: nihil tale de aduentu Spiritus sācti.

Ecclesiæ vnitas commendata in linguarum dono.

Eph. 4. v. 4

Charissimi, multum Deus commendat vnitatem. Hoc ipsum vos moueat, quòd in principio creaturarum, quando Deus cuncta constituit, fecit sidera in cœlo, in terrâ autem herbas & li-
Gen.1.v.11. gna. Dixit, *Producat terra*, & producta sunt ligna, & cuncta virentia. Dixit, *Producant aquæ natantia, & aër volatilia*, & factum est sic. *Producat terra animam viuam omnium pecorum & bestiarum*, & factum est sic. Nunquid Deus de aue vnâ fecit cæteras aues? nunquid de vno pisce omnes pisces? de vno equo omnes equos? de vnâ bestiâ omnes bestias? Nunquid non multas simul terra produxit, & multiplicibus fœtibus multa
Commendata & in primâ creatione. compleuit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est vnus, de vno genus humanum. Nec duos facere voluit separatim, masculum & fœminam: sed vnum, & de vno vnam. Quare sic? Quare ab vno genus humanum inchoatur, nisi
Vnitas virgo. quia generi humano vnitas commendatur? Et Dominus Christus ex vnâ. Vnitas virgo est: tenet virginitatem, seruat incorruptionem. Ipse Dominus Ecclesiæ vnitatem commendat Apostolis. Ostendit se, putant illi spiritum se videre:
Luc 24.v.37. expauescunt, confirmantur, dicitur, *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ecce adhuc illis turbatis præ gaudio, accepit cibum, non egestate, sed potestate: accepit coram illis: commendat contra impios corporis veritatem, commendat Ecclesiæ vnitatem. Quid enim
V.44. ait? *Nonne hæc sunt quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me? Tunc aperuit illis sensum*, Euangelium loquitur, *vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Ecce caput nostrum: ecce caput vbi membra? Ecce sponsus, vbi est sponsa? Matrimoniales tabulas lege: sponsum audi. Sponsam quæris? ab ipso audi: nemo illi tollit suam, nemo supponit alienam: ab ipso audi. Vbi quæris Christum? In fabulis hominum, an in veritate Euangeliorum? Passus est, resurrexit tertio die, ostendit se discipulis suis. Iam ipsum habemus. Illam vbi quæri-
V.46. mus? Ab ipso interrogemus: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die.* Ecce iam factum est, iam videtur. Dic ô Domine, tu dic
V 47. Domine, ne nos erremus, *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* Cœpit ab Hierusalem, & peruenit ad nos. Et ibi est, & hîc. Non enim vt ad nos veniret, inde discessit: exercuit, non migrauit. Hoc continuò commendauit post resurrectionem suam. Stetit cum illis quadraginta dies. Ascensurus in cœlum ipsam rursus Ecclesiam commendauit. Sponsus pro-
Commendata Ecclesia amicis sponsi. fecturus spōsam suam amicis suis commendauit: non vt amet aliquem ipsorum: sed ipsorum tanquam sponsum, illos tanquam sponsi amicos; & non eam admittant lasciuo amore corrumpi. Oderunt quando sic amant. Attendite zelantem amicum sponsi, cùm videret sponsam per amicos
1. Cor.1.v.11 sponsi quodammodo fornicari, ait, *Audio in vobis schismata esse, & ex parte credo. Nuntiatum est mihi de vobis, fratres, ab his qui sunt Chloës, quia contentiones sunt in vobis, & vnusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo; ego autem Cephæ, ego autem Christi. Di-*

A Paschate.

A *uisus est Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* O amicum! Amorem sponsæ alienæ repellit à se: non vult se amari pro sponso, vt possit regnare cum sponso. Commendata est ergo Ecclesia: & quādo ascendit in cœlum, sic illis dixit, qui quærebāt de fine sæculi, *Dic nobis quando ista fient, & quando* Act.1.v 6.
tempus aduentus tui? Et ille, *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Audi quid noueris à magistro discipule. *Sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos.* Et factum est. Quadragesimo die ascendit in cœlum; & ecce hodierno die adueniente Spiritu sancto impleuit omnes qui aderant: loquuntur linguis omnium gentiū. Item ipsa vnitas per linguas omnium gentium commendatur. Commēdatur
B à Domino resurgente, commendatur à Christo ascendente: confirmatur à Spiritu sancto hodie veniente. Conuersi ad Dominum &c.

EIVSDEM, IN DIE PENTECOSTES II.

Ex codice Bibliothecæ regiæ, & altero S. Victoris. Ex nouis P. I. Sir. in quibus est 31.

ADuentum Spiritus sancti anniuersariâ festiuitate celebramus. Huic solenni congregatio, solennis lectio, solennis sermo debetur. Illa duo persoluta sunt, quia & frequentissimi conuenistis, & cùm legeretur audistis. Reddamus & tertium. Non desit obsequium linguæ nostræ ei,
C qui & linguas omnes indoctis donauit, & linguas doctorum in omnibus gentibus subiugauit, & diuersas linguas gentium ad vnitatem fidei congregauit. *Factus est* enim *subitò de cœlo sonus, quasi* Act.2.v.2.
ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ velut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum, & cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare. Flatus enim ille non inflauit, sed vegetauit: ignis ille non cremauit, sed excitauit. Impletum est in eis quod fuerat tanto antea prophetatum, *Non sunt loquelæ,* Psal 18 v.4 & 5.
neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; vt deinde ad prædicandum Euangelium distributi quod sequitur facerent, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eo-*
D *rum.* Quid enim aliud Spiritus sanctus prænuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat eis, qui vnam tantùm suæ gentis linguam didice- Ecclesiæ vnitas in linguis commendata.
rant, quod indicium præsentiæ suæ tunc esse voluit, nisi omnes gentes Euangelio credituras? vt primò vnusquisque fidelium, postea verò ipsa vnitas Ecclesiæ linguis omnibus loqueretur?

Quid ad hæc dicunt qui Christianæ societati, quæ in omnibus gentibus fructificat & crescit, nolunt incorporari atque coniungi? Nūquidnam possunt negare, etiam nunc in Christianos venire Spiritum sanctum? Cur ergo nunc neque apud illos quisquam loquitur linguis omnium gētium,
E quod tunc erat aduentus eius indicium, nisi quia nunc impletur quod tunc significabatur? Tunc enim & vnus fidelis linguis omnibus loquebatur: nunc vnitas fidelium linguis omnibus loquitur. Ita etiam nunc omnes linguæ nostræ sunt, quoniam membra sumus corporis in quo sunt. Nec Hæretici & schismatici expertes Spiritus qui ab vnitate omnium gentium separati.
immeritò rectè intelligitur, quamuis ipsos baptismum Christi habere fateamur, hæreticos non accipere vel schismaticos Spiritum sanctum, nisi dum compagini adhæserunt vnitatis per consortium charitatis. Tunc enim gentium linguę etiam ipsorum erant: quia vbi sunt illæ, ibi & ipsi erant:

in eodem scilicet Christi corpore vbique crescẽte seruantes vnitatem in vinculo pacis. Hoc vinculum quem non alligat, seruus est. [*Rom. 8. v. 15*] *Non enim accepimus*, sicut Apostolus ait, *spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater*. Proinde veraciter sapimus, ideo linguis omnium gẽtium demonstrasse illo tempore præsentiam suam Spiritum sanctum, vt etiam hoc tempore, quo se non ita demonstrat, non eum intelligatur habere, quamuis sacramento baptismi imbuatur; quisquis ab vnitate omnium gentium separatur. Et ne putaretur consequens esse, vt quisquis baptismum Trinitatis habuerit, habeat etiam Spiritum sanctum: [Spiritus sãctus in ipsâ Ecclesiæ vnitate variè datus.] propterea etiam in ipsâ vnitate facta est tanta distinctio, vt inueniamus quosdam baptizatos Spiritum sanctum postea meruisse, cùm ad illos in Samariam venissent Apostoli, [*Act. 8. v. 15.*] quibus absentibus fuerant baptizati: alios autem, quod singulare occurrit exemplum, cum ante baptismum percepisse, [*Act. 10. v. 44*] loquente Petro Cornelio, & eis qui cum illo erant, supernâ potestate concessum est, cui homo contradicere nihil potest. Super alios mox baptizatos aduenit; sicut super illum spadonem, [*Act. 8 v. 38.*] cui Philippus ex Prophetâ Isaiâ euangelizauerat Christum. Super alios per manuũ impositionem Apostolorum, sicut maximè plurimos. Super alios, nullo manum imponente, sed cunctis orantibus, sicut eo ipso die, quem solenniter hodie celebramus, cùm essent in vno conclaui centum viginti animæ cum Apostolis. Super aliquos, nec aliquo manum imponente, nec orante aliquo, sed verbum Dei cunctis audientibus, sicut super illos, quos paulò antè commemoraui, Cornelium & domesticos eius. Cur igitur modò sic, modò autem sic, nisi ne aliquid hinc humanæ superbiæ, sed totum diuinæ gratiæ potestatíque tribuatur?

Hæc itaque distinctio inter acceptionem baptismi, & acceptionem Spiritus sancti, satis nos instruit, ne habere hos continuò Spiritũ sanctum putemus, quos habere baptismum non negamus. Quantò magis illos, quos non solùm nulla charitas Christianæ vnitatis armauit? [*Rom. 5. v. 5.*] *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris*: non vtique per nos ipsos, sed sicut sequitur, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quamobrem sicut tunc indicabant adesse Spiritum sanctum in vno homine linguæ omnium gentium: sic eum nunc charitas indicat vnitans omnium gentium. *Animalis autem homo*, [1. Cor. 2. v. 14.] Apostoli verba sunt, *non percipit quæ sunt Spiritus Dei.* Et vtique animales increpat, quibus ait, [*1. Cor. 3. v. 4.*] *Vnusquisque vestrũm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Sicut enim spiritales vnitate gaudent, sic animales dissensionibus student. [Spiritalium vnitas, dissentiones animalium.] De his & Iudas Apostolus apertissimè scribens: *Hi sunt*, inquit, *qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* [*Iud. v. 19.*] Quid euidentiùs? quid expressius?

Desinant itaque insipientes sibi blandiri, nobísque dicere, Quid accepturi sumus, cùm ad vos accesserimus, cùm iam nos baptismum Christi habere fateamini? Respondeamus eis, Habetis baptismum Christi? venite vt habeatis & Spiritum Christi. Timete quod scriptum est, [*Rom. 8. v. 9.*] *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, non est eius.* Induistis Christum formâ sacramenti? induite imitatione exempli. Quoniam Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. [*1. Pet. 2. v. 21*] Nolite esse habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. [Pietatis virtus, charitas vnitatis.] Quæ autem maior virtus pietatis, quàm charitas vnitatis? Dicitur in Psalmis, *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum valde.* [*Psal. 118. v. 96.*] Quod mandatum, nisi de quo dictum est, *Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis?* [*Ioan. 13. v. 34.*] Quare latum? nisi quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris?* [Mandatum nouum, & latum.] Quare omnis consummationis est finis, nisi *quia plenitudo legis est charitas*, [*Rom. 5. v. 5.*] Et, *Omnis lex in hoc sermone recapitulatur, in eo quod scriptum est, Diliges proximum tuum tanquam teipsum?* [*Rom. 13. v. 10. & 9. Leuit. 19. v. 18.*] Ita autem proximos tanquam vos ipsos diligitis, vt cùm mali aliquid, quod nec visum, nec probatum est in vobis, credi de vobis nolitis, id quod nec vidistis, nec probatum accepistis, de toto terrarum orbe credatis. [*Matth. 22. v. 30. Marc. 12. v. 31.*]

Videmini vobis dicere Dominus IESVS. Et fortè non intelligentes attenditis ad id quod Apostolus ait. *Nemo dicit Dominus* IESVS *nisi in Spiritu sancto.* [*1. Cor 12. v. 3*] Sed hoc quod ait *dicit* signarè positũ est, & proprio quodam modo. [Dicere Dominum Iesum.] Nemo enim dicit Dominus IESVS nisi in Spiritu sancto. Sed si dicit factis, non solis verbis. Nam possunt dicere Dominus IESVS, etiam de quibus ait, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* [*Matth. 23. v. 3.*] Omnes hæreses, quas vbique etiam vos improbatis, dicunt Dominus IESVS. Nec vtique segregaturus est de regno cœlorum eos, quos inuenerit in Spiritu sãcto; & tamen ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* [*Matth 7. v. 21.*] Sed nemo dicit Dominus IESVS nisi in Spiritu sancto? Nemo planè: sed eo modo quo dictum est, id est factis: vnde secutus adiunxit, *Sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Dicit enim & de quibusdam idem Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* [*Tit. 1. v. 16.*] Quemadmodum negatur factis, sic dicitur factis. Hoc modo dicendi nemo dicit Dominus IESVS nisi in Spiritu sancto. Si enim vnitati non accesseritis, segregantes vosmetipsos, animales eritis, Spiritum non habentes. Si autem fictè accesseritis, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* [*Sap. 1. v. 5.*] Tunc ergo vos sanctum Spiritum habere cognoscite, quando mentem vestram per sincerã charitatem vnitati consenseritis hærere. Hæc eis respondeamus dicentibus quid accepturi sumus? nósque ipsos, fratres, exemplum illis bonorum operum præbeamus, nec quia stamus superbientes, nec de iacentibus desperantes.

EIVSDEM, IN DIE PENTEcostes III.

Citatur à Beda 2. Cor. 8.

[Ex nouis I. Sir. in quibus est 32.]

QVoniam sanctam solennitatem celebramus diei tam sanctæ, vt hodie venerit ipse Spiritus sanctus, admonet nos tam festiua & grata solennitas, de ipso dono Dei, & abundantiâ nunc eius in nos, id est de ipso Spiritu sãcto aliquid loqui. In schola Domini cum discipulis loquimur. Magistrum enim habemus vnum, in quo omnes sumus vnum. Qui nos, ne fortè magisterio superbire audeamus, admonuit, & ait, *Nolite vocari ab hominibus Rabbi, vnus enim est Magister vester Christus.* [*Matth. 23. v. 8.*] Sub hoc ergo Magistro, cuius cathedra cœlum est, quia erudiendi sumus literis eius, aduertite pauca quæ dicam, donante ipso intus vt

A dicam. Qui nostis recolite, qui ignorabatis accipite. Sæpe mouet animum piè curiosum, si tamen admittatur humana fragilitas & infirmitas talia perscrutari: immò admittitur. Non enim quod in Scripturis sanctis tegitur, ideo clausum est vt negetur, & non potiùs vt pulsanti aperiatur, dicente ipso Domino, *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* (Matth. 7. v. 7.) Sæpe enim mouet studiosum animum, quare quinquagesimo die post Dominicam passionem & resurrectionem missus fuerit promissus Spiritus sanctus. Vbi primùm illud admoneo charitatem vestram, vt aliquantum vos considerare non pigeat, quare dictum sit ab ipso Domino, *Non potest ille venire, nisi ego abiero.* (Ioan. 16. v. 7.) Quasi aliquid, vt secundum carnalem sensum loquamur, quasi aliquid in supernis Dominus Christus B seruaret, & inde descendens hoc quod seruabat sancto Spiritui commendasset; & ideo ad nos peruenire non posset, nisi ille redisset qui commendatum reciperet: aut quasi nos vtrunque ferre non valeremus, nec vtriusque possemus tolerare præsentiam. Quasi verò alter ab altero separetur: aut cùm ad nos veniunt, ipsi angustias patiantur, ac non potiùs nos dilatemur. (Spiritus cur non venturus, nisi abeunte Christo.) Quid sibi ergo vult, *Non potest ille venire, nisi ego abiero.* (Ibidem.) *Expedit* enim, inquit, *vobis vt eò eam. Nam si non iero, Paracletus non veniet ad vos.* Hoc ergo quid sit, quantum vel capimus, vel æstimamus, vel ipso donante percipimus, vel quæ credimus loquimur, breuiter accipiat charitas vestra. C. Videtur mihi, quòd discipuli circa formam humanam Domini Christi fuerunt occupati, & tanquam homines in homine humano tenebantur affectu. Volebat autem eos affectum potiùs habere diuinum, atque ita de carnalibus facere spiritales, quod non fit homo nisi dono Spiritus sancti. Spiritales autem fieri non poteritis, nisi carnales esse destiteritis. Carnales verò esse desistetis, si forma carnis à vestris oculis auferatur, vt forma Dei vestris cordibus inseratur. (Carnalis discipulorũ amor in spiritalem mutandus.) Ex hac enim humanâ formâ Dominus, hoc est formâ serui, *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* (Phil. 2. v. 7.) Ex hac igitur formâ serui Petri etiam tenebatur affectus, quando eum quem multum amabat mori ti-D mebat. Amabat enim Dominum Iesum Christum sicut homo hominem, sicut carnalis carnalem, non sicut spiritalis Maiestatem. Vnde hoc probamus? Quia cùm interrogasset ipse Dominus discipulos suos, quis ab hominibus diceretur, & aliorum opiniones recolendo dixissent, quòd alij eum dicerent Ioannem, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, ait illis, *Vos autem quem me esse dicitis?* (Matth. 16. v. 16.) Et Petrus vnus pro cæteris, vnus pro omnibus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui.* Hoc optimè, veracissimè: meritò tale responsum accipere meruit, *Beatus es Simon Barjona, quia non tibi reuelauit caro &* E *sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi*, quia tu dixisti mihi: dixisti, audi: dedisti confessionem, recipe benedictionem. Ergo *& ego dico tibi, Tu es Petrus*: non enim à Petro petra, sed à petrâ Petrus: quia non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (Ignorantiâ linguæ Syriacæ dictum, in quâ eadem vox, etsi Interpres scitè variauit.) Non supra Petrum, quod tu es: sed supra petram, quam confessus es. Ædificabo autem Ecclesiam meam, ædificabo te, qui in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ.

Hæc & cætera, propter quod dixerat Petrus, A *Tu es Christus Filius Dei viui*, & audierat, vt meministis, *Non tibi reuelauit caro & sanguis*, id est humana mens, humana infirmitas, humana imperitia; *sed Pater meus qui est in cœlis.* Deinde cœpit Dominus Iesus suam prædicere passionem, & ostendere quanta esset ab impiis perlaturus. Hîc Petrus expauit, & timuit ne periret morte Christus Filius Dei viui. Vtique Christus Filius Dei viui, bonus de bono, Deus de Deo, viuus de viuo fons, & vera vita, perdere mortem venerat, non perire à morte. Tamen vt homo Petrus perterritus, cuius erat, vt dixi, circa Christi carnem humanus affectus, *Propitius tibi esto*, inquit, *Domine: absit, non fiat istud.* (Matth. 16. v. 22.) Et Dominus talia verba dignâ & congruâ responsione confutat. Quomodo illi confessioni B dignam laudem dedit: sic etiam huic trepidationi dignam correptionem. *Redi*, inquit, *retro satanas.* Vbi est illud, *Beatus es Simon Barjona?* (Ibid. v. 23.) distingue verba laudantis, & coërcentis: distingue causas confessionis, & trepidationis. Causa confessionis, *Non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Causa trepidationis, *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis.* Nollemus ergo vt talibus diceretur, *Expedit enim vobis vt ego vadam? Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Nisi aspectibus carnalibus vestris humana forma subtrahatur, diuinum aliquid capere, sentire, cogitare minimè poteritis. Hoc sit satis.

C. Inde oportebat, vt post resurrectionem & ascensionem Domini nostri Iesu Christi, eius de Spiritu sancto promissio compleretur. Sic enim & ipse Ioannes Euangelista ex personâ suâ dixerat, quando Iesus eundem significans Spiritum sanctum clamauerat, dicens, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.* (Ioan. 7. v. 37.) Secutus enim Euangelista ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant ij, qui in eum credituri erant. Nondum enim erat Spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus.* Glorificatus est ergo Dominus noster Iesus Christus resurrectione & ascensione, & misit Spiritum sanctum. (Act. 1.) Sicut autem didicimus ex li-D bris sanctis, quadraginta dies compleuit cum discipulis suis post resurrectionem, manifestans eis, ne aliquid fictum existimarent, resuscitati corporis veritatem, intrans cùm eis & exiens, manducans & bibens. Quadragesimo autem die, quem ante hos decem dies celebrauimus, in eorum conspectu ascendit in cœlum, promissus vt ibat ita venturus: hoc est, in formâ humanâ, quâ iudicatus est, in illâ iudicaturus. Potuit aliâ die quàm ascendit mittere Spiritum sanctum? non saltim post biduum, vel triduum, sed post decem dies? Hæc quæstio perscrutari & interrogare nos compulit nonnullas latebras numerorum. Quadra-E ginta dies quater habent decem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, sacramentum. (Tractatores Scripturarum.) Homines enim hominibus loquimur, & rectè Scripturarum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores. (Quadragenarius numerus.) Numerus ergo iste quadragenarius, quater habens decem, signat, vt mihi videtur, sæculum hoc, quod nunc agimus, & agimur, cursu temporum, instabilitate, decessione, successione, rapacitate volaticâ, & quodam fluuio rerum non consistentium. Sæculum ergo hîc significatur hoc numero, propter mundi quadripartita tempora, quæ impleta agunt annum: quadripartitos etiam cardines ipsius mundi, no-

tos omnibus, & sæpe ab Sctiptutâ sactâ commemoratos, ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Mari. Per hæc ergo tempota quadripartita, & permundum quadtipartitum, ptædicatur lex Dei, tanquam denarius numetus: vnde decalogus primitus commendatur. In decem enim præceptis lex constituta est. Ptæterea quia videtur in isto denario numeto quædam perfectio. Vsque ad eum quippe numetum progtessus est numerantis, & inde redit. Ab vno vsque ad decem, tursus ad vnum. Sic centena, sic millena: sic supta, denariis quibusdam complicantibus, infinitè ctescit silua numetorum. Perfecta itaque lex in denario, & lex prædicata per mundum quadripartitum: quater deni quadraginta fiunt. Docemur autem, in hac conuetsatione sæculi huius cùm sumus, abstinere nos à cupiditatibus sæcularibus: quod significabat ieiunium quadragenarium notum omnibus Quadragesimæ nomine. Hoe tibi præcepit Lex, hoc Prophetæ, hoc Enangelium. Ideo quia hoc lex, ieiunauit quadraginta diebus Moyses: quia hoc prophetia, ieiunauit diebus quadraginta Elias: quia hoc Euangelium, ieiunauit quadraginta diebus Dominus Christus.

Quinquagenarius adiuncto denario.

Impletis ergo post quadtaginta dies aliis decem diebus, denatio numero semel, denario numeto simpliciter, non quadrupliciter, venit Spiritus sanctus, vt lex impleatur per gratiam. Lex enim sine gratiâ litera est occidens. *Si enim data esset lex*, inquit, *quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu daretur credentibus*. Ideo *litera occidit, Spiritus autem viuificat*. Non vt aliud impleas, quàm tibi per literâ iubetur. Sed sola litera reum facit, gratia & à peccato liberat, & literam donat impleri. Vnde fit per gratiam remissio omnium peccatorum, & fides quæ per dilectionem operatur. Nolite ergo putare damnatam esse literam, quia dictum est, *Litera occidit*. Hoc est enim, litera reos facit. Datur præceptum, non adiuuaris gratiâ: continuò te tuuenis non solùm non operatorem legis, sed etiam reum præuaricationis. *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio*. Non ergo reprehêsa est lex, cùm dictum est, *Litera occidit, Spiritus autem viuificat*, quasi illam condemnaret, & istam laudaret: sed litera occidit, sola litera sine gratiâ. Exemplum accipite. Hac locutione dictum est, *Scientia inflat*. Quid est scientia inflat? scientia damnata est, si inflat, meliùs imperiti remanebimus. Sed quoniam adiunxit, *Charitas verò ædificat*; quomodo vbi adiunxit, *Spiritus autem viuificat*, dedit intelligi, litera sine Spiritu occidit, cum Spiritu viuificat, & impleri literam facit: sic scientia sine charitate inflat, charitas cum scientiâ ædificat. Ergo missus Spiritus sanctus vt lex impleretur, & fieret qnod ipse Dominus dixerat, *Non venit legem soluere, sed adimplere*. Hoc donat credentibus, hoe donat fidelibus, boc donat eis quibus dat Spiritum sanctum. Quanto fit eo quisque capacior, tanto ad operandam legem fit facilior.

Gal. 3. v. 21.

Beda.

2. Cor. 3. v. 6.

Litera occidit, si sola, & sine gratiâ; cum eâ viuificat.

Rom. 4. v. 15.

2. Cor. 3. v. 6.

1. Cor. 8. v. 1.

Matth. 5. v. 17.

Charitas legem implet.

Dico enim dilectioni vestræ, quod & vos considerare, & facile videre poteritis, charitas implet legem. Timor pœnarum facit hominem operari, sed adhuc seruiliter. Si enim propterea facis bonum, quia times pati malum; si aliquis tibi promitteret impunitatem, statim comprehenderes iniquitatem. Diceretur tibi, Securus esto, nihil patieris mali, fac, faceres. Timore enim pœnæ reuocabaris, non dilectione iustitiæ. Nondum enim de te charitas operabatur. Vide ergo quemadmodum charitas operetur. Sic amemus quem timemus, vt eum casto amore timeamus: nam & vxor casta timet virum. Sed discerne istos timores. Vxor casta timet, ne à viro absente deseratur: vxor adultera timet, ne à viro superueniente comprehendatur. Charitas ergo implet legem, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*. Timorem scilicet seruilem de peccato venientem: nam *timor Domini castus permanet in sæculum sæculi*. Si ergo charitas implet legem, vnde est ista charitas? Recolite, aduertite, & videte, quia donum Spiritus sancti est charitas. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Meritò itaque impletis decem diebus, quo numeto legis etiam perfectio commendatur, Dominus Iesus Christus misit Spiritum sanctum: quia gratia donat nobis implere legem, quam non venit soluere, sed adimplere. Spiritus autem sanctus in Scripturis sanctis septenario numero solet commendari, non denario: lex denario, Spiritus sanctus septenario. Quia lex denario, notum est: quia Spiritus sãctus septenario, commemoramus. Primò in ipso libro, in capite libri qui inscribitur Genesis, commemorantur opera Dei. Fit lux, fit cœlum, quod appellatum est firmamentũ inter aquam & aquam: nudatur arida, separatur mare à terrâ: datur terræ omnium stirpium fœcunda conceptio: fiunt luminaria maius & minus, sol & luna, & alia sidera: producunt aquæ fœtus suos, terra suos. fit homo ad imaginem Dei. Complet Deus opera sua omnia septimo die. In nullis operibus Dei tot enumeratis atque completis sonuit sanctificatio. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem, quia bona est*: non dixit, Sanctificauit Deus lucem. *Fiat firmamentum, & factum est: vidit Deus quia bonum est*: nec dictum est, quia sanctificatum est firmamentum. Ita & cetera, ne in rebus manifestissimis immoremur. Vsque ad illa quæ sextâ die facta sunt, cùm homine creato ad imaginem Dei enumerantur omnia, nihil sanctificatum dicitur. Ventum est ad septimum diem, vbi nullum opus factum est, sed vacatio Dei insinuatur, *& sanctificauit Deus diem septimum*. In septenario dierum numero prima sonuit sanctificatio, Scripturarum locis omnibus quæsita, & hîc primitus inuenta. Vbi quies commemoratur, quies etiam nostra insinuatur. Non enim laborauit Deus, vt quietis indigeret: & quasi post laborem die feriato gratularetur, sanctificauit eum diem, quo vacare permissus est. Carnalis est ista cogitatio. Insinuata est nobis quies post bona omnia opera nostra, sicut insinuata est Dei quies post omnia bona opera sua. Fecit enim Deus omnia, & ecce omnia bona valde. Et requieuit Deus in die septimâ ab omnibus operibus suis quæ fecit. Requiescere vis & tu? Fac primò opera bona valde.

Timor castus, & seruilis.

1 Ioan. 4. v. 18.

Psal. 18. v. 10.

Charitas donum Spiritus sancti.

Rom. 5. v. 5.

Gen. 1.

Diei septimæ prima benedictio.

Dei quies.

Sic data est Iudæis obseruatio Sabbati carnaliter, sicut cætera, significantibus sacramentis. Vacatio enim quædam imperata est: vacatio illa quod significat, tu age. Vacatio enim spiritualis tranquillitas est cordis: tranquillitas autem cordis prouenit de serenitate bonæ conscientiæ. Ergo ille verè obseruat sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur illis, quibus obseruandum sabbatum præcipitur, *Omne opus seruile non facietis. Omnis qui facit peccatum, seruus est pec-*

Sabbati vacatio quæ agenda.

Leuit. 23. v. 7.

Ioan. 8. v. 34.

Septenarius Spiritui sãcto dicatus. *Isai.11.v.2.*

cati. Septenarius ergo numerus dicatus est Spiritui sancto, sicut denarius legi. Hæc & Isaias Propheta insinuat hoc in loco, vbi dicit, *Implebit eum spiritus sapientiæ & intellectus*, numera, *consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritus timoris Dei.* Veluti descendens ad nos gratia spiritualis à sapientiâ incipit, terminat in timorem. Nos autem ascendentes, ab imo ad summa tendentes, incipere debemus à timore, & terminare ad sapientiam. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* Longum est, & supergreditur vires nostras, etiam si non vestram auiditatem, omnia testimonia commemorare de septenario numero, quod attinet ad Spiritum sanctum. Ista ergo suffecerint. Illud nunc attendite, quemadmodum, quoniam per gratiam Spiritus sancti lex impleB tur, & denarius numerus commemorandus fuit, & commendandus, sicut iam ostendimus, & septenarius propter ipsam gratiam sancti Spiritus. Commendabat Christus denario numero, post decem dies mittens Spiritum sanctum, ipsam legem quam iubebat impleri. Vbi ergo inuenies hîc commendationem numeri septenarij maximè propter ipsum Spiritum sanctum? Habes in Tobiæ libro ipsam festiuitatem, id est Pentecostem, constare de septimanis. Quomodo? Septenarium multiplica per ipsum, hoc est septem per septem, quod in scholis dicitur septies septem, fiunt quadraginta & nouem. Ad hanc septenarij C formam rationis, septem per septem, quoniam ipse Spiritus sanctus colligit nos, & congregat nos; vnde & ipsum aduentus sui primum signum dedit, vt illi qui eum acciperent, etiam singuli linguis omnibus loquerentur. Congregatur enim vnitas corporis Christi ex omnibus linguis, per omnes scilicet gentes toto terrarum orbe diffusas. Et quod vnus tunc omnibus linguis loquebatur, ipsam vnitatem in linguis omnibus futuram testabatur. Dicit autem Apostolus, *Sufferentes inuicem in dilectione, quod est charitas; satis agentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Quia ergo Spiritus sanctus ex multis in vnum colligit nos: capitur autem per humilitatem, repellitur D per superbiam. Aqua est enim, cor humile tanquam locum concauum quærens vbi subsistat: elatione autem superbiæ, tanquam tumore collis, repulsa labitur: vnde dictum est, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quid est dat gratiam? dat Spiritum sanctum, implet humiles, quia capaces inuenit. Ergo quia hæc ita sunt, ad quadraginta nouem, qui efficiuntur de septem per septem, vt fiat Pentecoste, vnus additur, & vnitas commendatur.

Psal.110. v.19.

2.Macch.12. v.31. Sicque in Augustino lapsus memoriæ.

Eph.4.v.3.

Iac.4.v.6.

Quia infirmitatem nostram adiuuat apud Dominum Deum nostrum studium charitatis vestræ, aliquid accipite, quantum mihi videtur, tanto E dulcius cùm expositum fuerit, quanto abstrusius si non exponatur. Ante resurrectionem Dominus iussit discipulis, vt in mare mitterent retia, quando eos elegit. Miserunt, ceperunt piscium multitudinem innumerabilem, ita vt retia rumperentur, & onerata nauigia mergerentur. Non autem præcepit in quam partem mitterent retia, sed tantùm ait, *Mittite retia.* Si enim præcepisset, vt in dexteram partem mitterent, solos bonos significaret capi: si in sinistram, solos malos. Quia verò passim missa sunt, nec in dexteram, nec in sinistram, & bonos & malos. Hæc est Ecclesiæ significatio præsentis temporis in hoc sæculo. Nam etiam illi serui missi ad inuitatos exie-

Luc.5.v.6. Prima piscatio, bonorum & malorum.

Matth.22. v.9.

A runt; & quoscumque inuenerunt bonos & malos adduxerunt, & impletæ sunt nuptiæ recumbentium. Congregantur ergo nunc & boni mali. Quare autem & schismata fiunt, si non retia dirumpunt? Quare plerunque turbarum carnalium malè tumultuantium scandalis vrgetur Ecclesia, si non & nauigia premunt? Hoc ergo Dominus ante resurrectionem. Post resurrectionem autem inuenit piscantes similiter discipulos suos: iussit idem mitti retia, non vtrinque & passim, quia iam post resurrectionem. Post resurrectionem enim iam corpus eius, quod est Ecclesia, malos non habebit. *Miserunt*, inquit, *retia in dexteram partem.* Missa sunt retia eo iubente in dexteram partem, & capti sunt pisces certi numeri. Nam B sine numero illi, illi quibus significabatur Ecclesia, quæ nunc agitur: tanquam ex illâ capturâ, *Annuntiaui & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.* Intelliguntur ergo quidam supernumerarij, quidam superflui: colliguntur tamen: vbi verò in dexterâ capiuntur pisces, & numerati, & magni. *Qui enim fecerit* inquit, *& sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Ergo capti sunt pisces magni numero centum quinquaginta tres. Quem non moueat non frustra istum numerum commemorari? Non enim verè nihil significans Dominus, aut hoc ipsum diceret, Mittite retia, aut pertineret ad eum vt in C partem dexteram mitterent. Significat etiam iste numerus centum quinquaginta tres: & pertinuit ad Euangelistam dicere, quasi respexisset primam illam capturam, vbi retia dirupta schismata significauerant; quia in illâ Ecclesiâ vitæ æternæ nulla erunt schismata, quia nulla dissensio: omnes magni, quia charitate pleni. Quasi ergo illud quod primò factum est, ad significanda schismata respexisset, pertinuit ad eum dicere in istâ secundâ captura, *Et cùm tam magni essent, retia non sunt dirupta.* Quid itaque dextera pars significauerit, dictum est, quia omnes boni. Quid magnitudo, dictum est, quia qui fecerit, & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Quid etiam D illud quòd retia non sunt dirupta dictum est, quia tunc non sunt schismata. Quid ergo centum quinquaginta tres? Numerus iste non vtique ipse erit Sanctorum numerus. Neque enim centum quinquaginta tres erunt Sancti: cùm soli illi, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt, duodecies duodena millia commemorentur. Sed iste numerus, tanquam arbor, à quodam semine videtur succrescere. Semen autem huius magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem & septem. Decem & septem faciunt centum quinquaginta tres. Si verò computes ab vno vsque ad decem & septem, & addas numeros om-E nes. Nam si ab vno vsque ad decem & septem numerans non addas quos commemoras septem, non erunt nisi decem & septem. Si autem ita numeras, vnum, duo, tria, sicut vnum, & duo, & tria, faciunt sex, sex quatuor & quinque faciunt quindecim: sic peruenis vsque ad decem & septem, portans in digitis centum quinquaginta tres. Iam ergo recole, quod paulò antè commemoraui, & commendaui, & vide quos, & quid significent decem & septem. Decem lex, septem Spiritus sanctus. Vnde quid intelligimus, nisi eos futuros in Ecclesiâ resurrectionis æternæ, vbi schismata non erunt, vbi mors non timebitur, quia post resurrectionem * futura est: eos ergo ibi futuros, & cùm Domino victuros in

Ioan.21.v.6 Secunda tantum bonorum.

Psal.39.v.6

Matth.5.v.19.

Apoc.14.v.4.

* Fort. *non futura est:* iuxta illud: *Et mors non erit vltra.*

æternum, qui legem impleuerint per gratiam Spiritûs sancti, & Dei Domini, cuius festa celebramus.

SANCTI CYRILLI ALEXANDRINI Archiepiscopi, Euangelij eiusdem expositio.

F. Francisco Combefis Interprete.

Ioan. 14. v. 23.

SI quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, &c. Cùm sermones suos haud satis discipulum capere intelligeret, ad id rursus reuertitur, quod initiò dictum erat; ac clarè docet, fore, vt non tâ duntaxat ratione se ijs manifestet, qui necessarij ac amici sint, vt sui notitiam, simplici eis notione præster, sed vt singularis quidam, nec alijs vsitatus illustrationis modus tribuatur. Nam qui vulgi sunt, ac recèns fortè ab idolorum errore recesserunt, suntque ad eius qui Deus naturâ est agnitionem vocati, in nudis ac indiscussis rationibus fidem habent; id nimirum sentire docti, nihil esse in mûdo idolum, sed vnum naturâ Deum. Qui verò omni virtutum genere mentem suâ egregiè excolunt, ac ad discenda diuina atque arcana mysteria scitè comparati sunt, Spiritus sancti fulgores nanciscentur, ac ipsum in seipsis manentem mentis oculis Dominum contuebuntur. Non ergo communis, ac qualis vulgi, Sanctorum cognitio, sed eximia, & distincta, ac quæ plurimum præstet atque excellat. Omni itaque modo, ac ratione nos Christus iuuat. Nam primùm quidem, quis eum quàm ritè diligat, definit; ostendens, vt existimo, ac insinuans, haud omnibus concessum, vt doni virtutem recipiant; sed ijs, qui mandata seruando, eius amici genuini esse comperiuntur. Deinde quonam modo ipsis affulgere debeat, atque in ijs habitare, declarat, dicens, *Pater meus diliget eum.* Qui enim fide in Filium, eique obsequendo Patrem honorauerit, fructum dilectionis demum consequetur. Postremò quid hinc commodum euenturum sit, planum faciens, *Veniemus*, inquit, *ad eum* (ego, & Pater) *ac mansionem apud eum faciemus.* Habitante enim in nobis per Spiritum Saluatore Christo, omninò etiam Genitor simul aderit. Nam Spiritus Christi, idem est & Patris. Sanè etiam admirandus Paulus, aliàs quidem Patris, aliàs Filij proprium Spiritum dicit: haud quidem secum ipse pugnans, sed in vtroque veri assertor. Sic namque se naturâ habet. Scribit itaque ad aliquos, *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum suum in vobis.* Tumque rursus, *Quoniam autem estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Vides, vt vnus sit Patris, ac Filij Spiritus? Inhabitante itaque in cordibus nostris Vnigenitu, nequaquam abest Pater: Habet enim Filius in se Genitorem, vnius ipse cum eo substantiæ existens: sed & ipse in Patre est naturaliter. Fidei ergo definitio, ac inculpata ratio hæc est.

1. Cor 8. v. 4.

Rom. 8. v. 11. ἀυτοῦ quod Cyrilli sensu, eoque plano refert Patrē: malè in nouo Interpretatione.

Gal. 4. v. 6.

Libenter autem hîc loci interrogauerim eos, qui præ multâ inscitiâ hæresim amplexi, aduersus Spiritus gloriam linguam instruunt. Quid enim responsuri sunt, cùm eis dicemus, Si Spiritus creatus est, atque (vt vos sentitis) à Dei substantiâ alienus, qui fiat vt per eum habitet in nobis Deus? aut quomodò Dei particeps existat, qui Spiritum acceperit? Nam si fieri potest vt per creatam aliquam substantiam diuinæ, ac arcanæ naturæ participes simus, quid vetabit, quominùs Deus ac Pater submoto Spiritu, per quam libuerit creaturam ad nos veniens, sanctitate impertiat? Verùm nequit fieri: nec enim Dei, qui naturâ est, quis vnquam per aliud, quàm per Spiritum, particeps fuerit. Deus igitur, & ex Deo est Spiritus; nec vsquam creatis, vti nonnullis visum, accensendus sit.

Spiritus sancti asserta deitas, quo deitatis participes efficiamur.

Discipulorum eximia ac singularis cognitio.

Sed & illud porrò considerandum venit. Quod particeps alicuius est, vt potiotis secundùm substantiam, diuersique ab eo generis, aliud sit necesse est secundum naturam, ab eo, cuius particeps existit. Si ergo creatus, ac quid factum est Spiritus, cuiusnam demum creaturæ particeps erit? Num omninò sui ipsius? Communis quippe in ambobus ratio creati cernitur. Nos enimuerò, qui naturâ creati, factique sumus, tanquam à nobis diuersi naturâ, Spiritûs participes sumus. Non ergo creatus est Spiritus. Quod si verum est, vt certè est, Deus & ex Deo, quemadmodum diximus, Spiritus est. Nihil enim non creatum putabitur vnquam, nisi solus naturâ Deus, ex quo nimirum arcanâ ratione procedens Spiritus sanctus, in nobis habitat, velut is ex quo procedit. Proprius enim est substantiæ eius, ac velut qualitas sanctitatis ipsius. Atque hæc quidem in istos dicta sunto: Aduersus Anomœos autem, qui Filio bellum indixerunt, quique affini ijs, quos modò diximus, insaniâ laborant, non nihil dicam, quod operæpretium sit.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Quid ergo respondetis, ô strenui, Si quis sciciterur à vobis, velique nosse; vtrum duos Deos in nobis habitantes habituri simus, Patrem scilicet ac Filium; an vnus in nobis Deus intelligatur, ac verè sit? Nam si naturâ omninò diuersus est Filius, ac in propriâ naturâ noscitur, qui non necesse vt existimemus duobus nos Dijs incessi, cùm mandata seruamus? Quòd si vnius, non autem duorum Deorum templa sumus, cùm in nobis Pater Filiusque morantur, quænam adhuc in nobis ratio duos illos in vnitatem constringit, cùm iuxta dementem vestram sententiam, nullus vni ac singulari essentiæ sit locus? Vel enim necesse dicamus Christum falsa ad nos locutum esse, solumque in nobis Patrem per Spiritum inhabitare; aut sanè inhabitare quidem ipsum, at Patrem abesse. Verùm hoc absurdum: sed vnus in nobis Deus est, cùm ambos suscepimus: Non ergo iam diuersæ à Patre substantiæ elucescet Vnigenitus, sed ex ipso, & in ipso, velut splendor in eo, ex quo est, lumine. Sic enim, nec alio modo vis mysterij consistet. Denique etiam diuinus Paulus, non duplicis, sed vnius eiusdem Dei nos templa vocauit. *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis; & Spiritus Dei habitat in vobis?* Vides, quemadmodum Patre ac Filio in vnam, ac eandem substantiam collatis, non Deorum, sed Dei nos templa factos esse dicit? Cur vanis igitur ratiunculis veritatis vim concutitis, ac iis, qui sacras diuinásque literas minùs auctâ ratione solent attingere, impietatis vestræ venenum infunditis?

Aduersus Anomœos, Filium Deū esse.

1. Cor. 3. v. 16.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. v. 24.

Postquam egregiè ostendit, ac ritè definiuit, quinam sint qui diligunt eum, & qualium bonorum futuri participes sint, ad alios statim se confert, qui vs diligant necdum in animum induxe-

tunt. Non enim, inquit, meorum verborum obseruatores erunt. Id enim sibi vult, quod ait, *Non sornabit sermonem meum*; quod quasi de voo dicitur, licet amplam quodammodò, & generalem significationem habeat. Valde autem consentaneè istud etiam ait. Nam si mandata, seu sermonem eius seruare dilectionis in ipsum manifestum argumentum ac indicium erit, vtique etiam verum omninò existat contrarium. Certo enim indicio sit auersi ab amicitiâ animi, spreta mandati religio, ac ceu iniuriam afferat, repulsâ præcipieotis iossio. Verùm quemadmodum in ijs qui legem obseruant vnà cum Deo ac Patre se inhabitaturum pollicitus est; eadem puto ratione ijs qui nonsunt eiusmodi, sese abstrahet, atque ab eis penitus recedet. Vera namque erit Salomonis sententia hæc, *In malignam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore obnoxio peccato.* Nam & in nobis ita se rei indolem habere comperies Nonne enim cum iis versari quisque maximè studet, quos iisdem secum moribus, ac in eadem seotentiâ esse nouerit. Quippe *omne animal diligit sui simile*, vti scriptum est, *& sui simili adhærebit vir.* Quòd si etiam apud nos ipsos quàm maximè operæpretium videtur, vt cum iis versemur, qui iisdem sint præditi moribus, quomodò non magis ita se in Deo rem babere putabimus? Qui enim sit naturâ bonus, omnisque virtutis caput & origo existat non eorum qui vitio studeor, sed qui virtutem præstant, hospitio vtitur; eosque qui sint impuri, iure optimo auersatur: vti sanè nos ipsi domos nostras cœno, ac sordibus purgare curamos, nec in ijs, si quid istiusmodi sit, habitare volumus; nunquid multò magis, purissimus ac sanctissimus Deus noster, pollutam sordibus animam auersabitur, ac cor oderit peccati cœno obrutum? Haud planè quicquam dubium. Talem quippe fore eum, qui mandatum non seruauerit, (impurus enim est, ac luti amans) ipsa te loci huius vis, & ratio docebit. Inde enim peccati origo, quòd non seruentur diuina mandata. Quemadmodum enim lucis priuatio contrarium infert, id est, tenebras; sic nolle virtutem exercere, vitium inducit, ac prauitatem. Nunquam enim (quæ contrariorum est ratio) in vno eodemque subiecto contingent ea, quæ inter se qualitate discrepant. Vitium & virtus contrarijs inter se qualitatibus, aut alio quouis contrarietatis modo, maximè distant; nec vlli vnquam simul inesse, aut actu impleri videantur. Aut enim malus est aliquis, aut bonus, licet nonsummam forsan nequitiam, aut bonitatem assecutus. Vno igitur in nobis prænaleote, alterum vtique deficiet, id est, contrarium. Quòd si seruando mandata virtutis ratio consistit, num manifestissimum est, non seruando vitium oriri? Sicut autem ei, qui mandata seruauerit, repositum est, vt in se Patrem ac Filium habeat, quod omnis felicitatis ac gloriæ origo, ac causa est: ita & ei qui non seruauerit, vt diuinæ ac arcanæ naturæ prorsus expers existat, hoc est, boni iucunditate omni careat. Si quis igitur præclarum ducit, atque optandum, vt diuinæ particeps naturæ efficiatur, vntoersotúmque Patrem ac Deum in cordis penetralibus versantem, atque inhabitantem per Filium in Spiritu sancto habeat; is, vitiorum sordes quibus possit modis, immò verò omne opus bonum præstando, abstergat. Tunc enim reuerâ Dei templum erit; ac, sicut scriptum est,

Sap. 1. v. 4.

Eccl. 13. v. 19. Syxi. Interpres, *sociabitur.* Malè nouo Interpr. *& omnis homo proximum suum.* quibus Græca alia respondent.

ἐνεργείας Male nouo Interpr. *vno actu.*

requiescet in eo, eiusque vtetur hospitio. Nec enim eius Legisperiti, cuius in Euangeliis mentio fit, erit similis, qui non expectatâ Saluatoris gratiâ, vltrò eum se secuturum professus, sicque præclarum sibi honorem arripiens, *Magister*, inquit, *sequar te quocunque ieris.* Quid verò ad eum Dominus, velut ænigmaticè, ac per parabolam? *Vulpes foneas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Vulpes autem, & cœli aues nuncupauit, malignos & impuros dæmones, hosque mundanos ac aërios spiritus, in libidiooforum cordibus morantes atque versantes, impletâ iis ipsorum voluntate, sicque miseros suscipientium animos in angustum cogentes, vt nullum prorsus in illis refectionis locum Deus inueniat: id enim significat, *reclinare caput.* Nostra igitur corda ab omni sorde emundemus. Sic enim, sic vtique etiam in nobis habitabit Deus, ac omni diabolico insultu superiores efficiet, beatosque ac felices reddet, atque diuinæ ac arcanæ naturæ participes.

Math. 8. v. 20. Moralis explicatio.

Et sermo, quem audistis, non est meus: sed eius qui misit me, Patris. Rursus necessarium aliquid, quodque ad rectam fidei regulam deducat, certâ consilii ratione inducit, ac ea rursus, quibus animus ad ministerii altitudinem ritè percipiendam paratior sit, in medium adducit. Confirmat autem auditorum mentem, ne Iudæorum inscitiâ abrepti, eorumque sensum ac opinionem secuti, sanctam ac Euangelicam doctrinam despuerent. Quod autem volo dicere, istiusmodi est. *Lex vmbram habens, ac figuram, vsque ad tempus correctionis*, iuxta Pauli vocem, *noster in Christo pædagogus fuit*, ac velut quoddam virtutis, quæ pietate præstatur, rudimentum induxit. Si quis igitur Mosaicam legem veri ac spiritalis cultus præexercitamentum dixerit, à decoro nihil abhorrebit. Idcirco enim *nihil adperfectum adduxit Lex.* Porrò autem Dominus noster Iesus Christus, non iam rerum simulacra, sed ipsam nobis apertè veritatem ostendit; non in figuris, ac typo virtutis speciem (quod Moses faciebat) depingens, sed nudam quodammodò & apertam statuens, atque hominem ad pietatem plenum perfectumque instituens. Christi igitur verborum disciplina, figurarum in veritatem transitus, ac transmutatio erat. Quòd autem elucente iam veritate, superfluum erat vmbram diutius vigere, præcipiebat Christus, his, qui fide accederent, ne legalibus deinceps figuris cultum exhiberent. Ea res Iudæos vehementer pungebat, ac venisse Christum opinabantur, vt veterem legem conuelleret, quanquam apertè clamantem audiebant, *Non veni soluere legem, sed adimplere. Dico enim vobis, quod iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quam enim Christus veram sanxit virtutem, vmbræ legalis habet plenitudinem. Quandoquidem enim præcipiti furore in incredulitatem lapsi, inque legis æmulationem non ex scientiæ ratione delati, repudiatâ Christi doctrinâ, sibi videbantur legi patrocinari; idcirco ne quibusdam videretur nouas quasdam, ac proprias leges præter Dei ac Patris voluntatem præscribere, necessariò adiunxit, *Sermo, quem audistis, non est meus: sed eius qui misit me.* Ne quis enim eorum, inquit, qui fide ad me accesserunt, existimet, aliquid me Deo ac Patri dissentaneum locutum esse; eius ipsius rursus, nec alte-

Hebr. 10. v. 1. & 10. Gal. 3 v. 24. Lex vmbra & figura; Euangelium veritas. Hebr. 7. v. 19.

Math. 5. v. 18.

Infulsè editum. Deo ac Patri leges præscribere, velut deest ἑτέραν· ac τι, διείζων,

τῷ, τῷ Θεῷ ἢ, Πατρὶ referat. rius, Euangelica prædicario est: non velot eum antiquarum legum puduerit, at oec tanquam præstaotius mundo mandatum occurrerit, sed Hebr. 4. v. 12. quòd opportuno tempore figura io veritatem translaia sit. Qui enim per me, tunoilla veteribus Isai. 9. v. 6. locutus est, hæc nunc quoque ad vos loquitur. Sum enim viuens Sermo Dei ac Patris arcanæ voluntatis interpres; quamobrem etiam vocatus sum, *Magni consilii Angelus.* Aut enim hac ratione dictum illud exponemus, nempe, *Sermo, quem audiois, non est meus: sed eius qui misit me, Patris*; aut certè aliter quoque intelligemus. Dei enim ac Patris sermonem suum dicit, vt qui eum seruant, Deum se colere nouerint, qui ipsius verbis obsecoti sint. Qui verò in contrarium lapsi sunt, nec quod datum est mandatum incredulitate violare verentur, in ipsam se peccare sciant naturam voiuersorum reginam. Duobus autem modis auditorum rursus confirmari poterat animus. Aut enim Dei colendi voluntas ad credendum vtique impulerit, aut certè illius offendendi metus id ipsum præstiterit. Vtrisque enim vtilis, atque commodi ratio procedit. Dicendo autem, *Non est meus sermo*, baudquaquam certè à suâ oos personâ auocat, quà Verbum est Deus: sed quia seruili formâ adhue præditus, ae humana figurâ apparens, nostrique reipsâ similis, eiusmodi ait, non vult sermonem suum humanum censeri, sed diuinum reuerâ atque regium, eum necessariò in Patris personam referens; ne, si seipsum diuideret, ansam præberet duos iam Filios cogitandi, cùm & ante, & post Incarnationem vnus Filius sit. Vnus enim Christus est, non duo, Ioan. 1. v. 14. vt quidam opinati sunt. Qui enim Deus ex Patre esset, *Verbum caro factum est*, iuxta Ioannis vocem: noo in carnem mutatum, sed cùm sibi carnem asciuisset, quod nempe ex sanctâ Virgine templum est. Ne igitur eius humanum sermonem atque doctrinam putemus, neue à diuinâ naturâ Euangelicam disciplinam remoueamus, sed Dei qui super omnes atque omnia est, eam esse credamus, singulari consilio, rectéque admodum (quippe cùm etiam in humanâ formâ appareret) diuinæ rursus naturæ eundem tribuit, velut in personâ Dei ac Patris, in quo, & ex quo secundum naturam, vt splendor & Verbum, ac eius Hebr. 1. v. 3. figura substantiæ, existit.

V. 25. 26. *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, &c.* Habet rursus hic sermo quod humanum sit, nec à nostro procul modulo abest, si loci huius sensum conuenientem spectemus. Quandonam enim, dicet iurè aliquis, non apud nos est Christus? Deitatis nimirum potentiâ; cùm omnia impleat, nullique prorsus absens sit, quin nullâ verborum vi explicabili virtute, terram cœlumque contineat, nec ab abyssi penetralibus absistat. Vbi enim Dei desideretur præsentia? Cùm igitur ait, *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens*, eâ dictum accipiamus ratione, quâ homo existebat. Et qoia reuersus ad cœlos, è nostris oculis euasurus erat, qood scilicet ad carnem spectat, idcirco talia infit: mysterii verò perfectissimam accuratissimamque reuelationem per Paracletum, boc est, Spiritum sanctum, à Patre io ipsius missum nomine, id est, Filii, factam dicit. Vt enim Christus in nobis, ita & Spiritus eius. Idcirco ait, *Ille docebit vos* Rom. 11. v. 34. *omnia, quæ ego dixi vobis.* Cùm enim sit Spiritus Christi, eiusque mens, ceu sensus, vti scriptum est, ooo aliud quiddam existens, qnod ad eandem naturæ rationem attinet, quanquam singulariter ioque propriâ personâ iotelligatur, atque existat, cuocta cognoscit quæ sunt in illo. Cuius rei testis nobis erit Paulus, dicens, *Quis enim scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* 1 Cor. 2. v. 11. Tanquam igitur omnium gnarus quæ sunt in voluntate Vnigeniti, omnia nobis annuntiat; non disciplinâ comparatam scientiam habens, ne ministri vicem implere videatur, ac alterius forsitao deferre sermones, sed velut ipsius Spiritus, vti modò diximus; ac qui citra doctoris operam eius omnia nouerit, ex quo, ac io quo existit, diuina Saoctis mysteria detegit; haud secus Simile. nimirum ac mens humana, quæ sunt in ipsâ cuncta cognoscens, animi voluntates (cuius etiam mens existit) prolatitio vtique sermone, foras ministrat: quæ nimirum aliud quid ab ipso, nomine ac concepto videatur, nec tamen per naturam alia sit, sed tanquam pars totum complere, inque ipso existere, ac ex eo enasci credatur. Supra hoc tamen rursus diuina, atque arcana natura posita est. Imbecills enim prorsus vis omnis exemplorum ad eam explicandam, quantumuis hæc subtilibus rationibus procedant. Perfecta itaqoe disciplina in Sanctis per Spiritum gignitur. Denique diuinus Paulus ad quosdam scribit, *Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, &c.* Eph. 1. v. 15. In istiusmodi enim reuelatione, quæ per Spiritum arcanâ in nobis ratione perficitur, dispensationis in carne altitudioem, & mysterii absconditi vim spectamus. Quòd antem ipsius Christi præsentiam, & virtutem impleat Spiritus eius, in Sanctis iohabitans, & cuncta doceat, quæcunque ipse ad oos locutus est, Paulus ipse nihilo secius nobis explicabit, dicens, *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terrâ, vt det vobis secundum diuitias gloriæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominē &c.* Eph. 3. v. 14. Obseruandum autem rursus, cùm omnia Sanctus per Spiritū reuelatū iri dicit, haud eos alii tradere Magistro (caue sic putaueris) sed sibi ipsi per Spiritum adhibere, qui oon amplius carnis oculis conspicous, sed spiritalibus cordis luminibus, pro eo ac Deum decet, aspectabilis sit futurus.

Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis, &c. V. 27. Sui in cœlos ascēsus memoriâ sanctis Apostolis illatâ, factâq; suspicione, fore, vt soli relinquerentur, ex eo quod dixerat, *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens*, sulerter admodum aduertit, vt qui etiam Deus naturâ esset, non mediocrem iis pauorem sermonem iniecisse, graoiterque turbasse, ac tristitiæ obrutam pondere, cuiusque mentem obtudisse. Quid enim illo dolore molestius, quidue tantum afferre mœroris possit, ac iocundissimis rebus orbari, eorumque quæ tibi maximè cordi sunt, inopinatâ iacturâ percelli. Componit igitur eos, dolore ac metu turbatos. Causa enim & radix doloris, quòd ab iis secedens ad Patrem reuersurus esset, iustissima propemodum erat: nec abs re suspicabantur, sibi vltima quæque parata, si corpore non adesset amplius is, qui posset incolumes præstare. Quonam verò modo componit, ac quâ ratione animæquiores

mæqniores facit, eorumque rursus mentes ad diuinam tranquillitatem reducit? *Pacem*, inquit, *do vobis; pacem meam relinquo vobis.* Sæpius, inquit, dixi, me vos non relicturum orphanos, sed neque vos in terrâ mansuros, eo qui opem ferat, destitutos. Ero enim rursus vobiscum, ac corpore absens, clementiâ ac placiditate muniam vt Deus; nec turbari vos sinam, aut animi vestri vim ac robur à quoquam superari. Nullus quippe animi vigorem timor inflectet, pauórque ac timiditas amandabitur, vobisque diuina quædam vis orietur, pacatâ scilicet mente, ac corde tranquillo ad eorum vos manifestationem, quæ humanam excedunt mentem, deducens. Interim pacem do vobis; nec quouis modo pacem, sed, *pacem meam.* Quòd sic verò loquebatur, aliud nihil erat, quàm vt diceret, Subministraturum se Spiritum, ac se cum iis qui essent suscepturi, futurum. Quod enim pax Christi eius Spiritus sit, haud longâ oratione probandum fuerit. Cùm enim ipse pax in cœlis, & in terrâ sit, quomodò iam non cuiuis liqueat, quòd pax eius omninò Spiritus sit? Sanè diuinus Paulus ad quosdam scribebat, *Et pax Dei, qua exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* At quis non iusè sibi persuadeat, non de hac pace, quam vulgò dicimus & intelligimus ista dici? Animus enim omni pugnæ, ac contentionis studio vacuus, in suâ propensione ac voluntate pacem habet, eámque colit. Neque verò pacem istiusmodi vnquam putabimus aliquam esse substantiam, sed in eorum animis qui ipsam diligunt habitu formatam. Quomodò igitur pacem eiusmodi, omnem superare sensum, seu mentem intelligemus? Quod enim nusquam omninò per se consistit, quonam modo præstantius, atque melius, hominibus putà, aut Angelis, siue his adhuc superioribus intelligatur; quos ipsos Mentes, dicimus? Quare pax illa quæ Principatus & Potestates, & Thronos, siue Dominationes, omnemque excedit Mentem, Christi Spiritus est, per quem Filius omnia Deo ac Patri reconciliauit; dum nihil aliud vult, sentit, aut facit, nec deflectione ad malum aliò ab ipso velut defectione deflectit.

Col.1.v.20.

Phil.4.v.7.

Spiritus sanctus pax Christi.

Nihil autem obest considerationem hîc porrò afferre non insulsam certè vel imperitam; Quemadmodum enim cùm Filius Vita sit per naturam, & Sapientia, & Virtus, ac Spiritus eius vocetur; Vitæ Spiritus, & Sapientiæ, ac Virtutis est: ita cùm sit ipse & non alius vera ac propria pax, iurè dicetur ac censebitur pax, sicut ipse, Spiritus eius. Idcirco etiam suæ ipse naturæ propriam peculiariter pacem tribuens, id est, Spiritum, de illo ait, *Pacem meam relinquo vobis.* Quòd autem etiam apud sanctos Prophetas Christi Spiritus ita nuncupatus sit, ex Esaiæ rectè verbis intelliges. Ait namque, *Domine Deus noster pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis.* Quasi enim Lex ad perfectum nihil adduxerit, neque adeò sufficiat eius iustitia, vt ad plenissimam pietatem hominem prouehat, diuinum dari Spiritum flagitat, per quem Deo ac Patri reconciliati, ad amicitiam reuocati sumus, qui regnante in nobis peccato fugitiui priùs eramus. *Da pacem* igitur *nobis, Domine: omnia enim reddidisti nobis.* Quod sibi vult, idem est ac dicat, Da nobis, Domine, pacem: tunc enim cuncta nos habere fatebimur; nihil iam boni, ei, qui Christi semel plenitudinem adeptus sit, deesse videbitur. Omnis quippe boni in eo posita plenitudo, vt Deus in nobis per Spiritum habitet. Quoniam igitur Spiritus, omnem animi turbationem sedare, omnémque in nobis formidinem quàm maximè compescere potest, ceu viaticum ac præsidium ad animi robur ac tranquillitatem aptissimum se daturum pollicetur, dicens, *Pacem meam relinquo vobis.*

Isai.26.v.12.

Hebr.7.v.19.

Boni omnis plenitudo, Dei in nobis per Spiritum inhabitatio.

V.28. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos.* Non ab alio, inquit, quàm à me audistis de meo discessu; ipsi quippe verba mea auribus vestris hausistis. Quid autem vobis promisi, qui nescio mentiri? *Ego vado, & venio ad vos.* Nam si discessus meus nihil consolationis esset habiturus, vosque in perpetuum essem relicturus, grauiter vtique id ferre, atque ob id animum despondere iurè videremini: sed cùm vobis dixerim non tantùm me abiturum; sed etiam quandoque rediturum, cur, inquit, id vnum animo suscipientes quod dolorem faciat, id quod recreando sit, ac conciliandæ lætitiæ explosum memoriâ, iniuriâ violatis? Pugnet remedium vulneri, & gaudii vis dolori resistat. Paratus quidem sum ad Patrem ac Deum ascendere; sed rediturum me denuo promisi. Sedat itaque quem in discipulis acerrimum dolorem offendit; ac, quemadmodum pater liberorum amantissimus, rerum necessariarum causâ longinquam peregrinationem suscipere coactus, cernens eos in lacrymas effusos, tenerrimas ac charissimas ipse genas lacrymis compluens, quibus potest rationibus solatur, ac futurum suo ex discessu bonum identidem replicans, spem rerum iucundissimarum dolori quodammodò opponit: sic etiam Dominus noster Iesus Christus, Sanctorum animi dolorem lenit. Notat enim, vtpotè cùm Deus verus esset, grauissimum iis fore, quòd eorum oculis esset subtrahendus, licet per Spiritum semper iis adesset. Id verò summæ charitatis, ac sanctitatis indicium est. Velle enim cum Christo versari, quomodò non verè sanctos maximè decet? Denique admirandus Paulus, eò spectans, *Melius*, inquit, *emigrare, & esse cum Christo.*

Simile.

Sanctitatis indicium velle cum Christo esse.

Phil.1.v.23.

V.28. *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem: Quia Pater maior me est.* Causam tristitiæ, in lætitiæ argumentum conuertit; palámque reprehendit, quòd non potiùs de quo dolor inceßerat, de eo delectentur. Simul autem docere conatus, operæpretium esse vt qui veram ac sinceram erga alios charitatem colunt, non id tantùm omninò quod sibi cordi sit ac voluptati quærant, sed & quo eorum, quos diligunt, pro temporis opportunitate commodis consulatur. Quocirca & Paulus ad quosdam scribit, *Charitas non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt.* Ad quosdam verò ait, *Non quærentes quæ sua sunt, sed quæ aliorum.* Veræ etenim charitatis munus est, vt non vtique nostris duntaxat rebus prospiciamus, sed vt etiam quod proximis vtile sit, spectemus.

Argumentum lætitiæ Christi sublimatio in cœlum.

1.Cor.13.v.4.

1.Cor.10.v.24.

Ita eoim discipulos affici, quibus sic loquitur hoe loco Saluator admonet. A Sed age rursus in nobis ipsis velut in tabulâ textus vim, ac rationem subtiliori penicillo depingentes, hinc ad Christi mysterium ascendamus. Haud rarò enim rerum tenuiorum exemplo id præstatur, vt & ea quæ citra comparationem maiora putantur, nancisci valeamus. Pauli igitur, verbi gratiâ, discipulis iucundum erat, vt cum ipso semper versarentur; at Paulo melius, atque satius emigrare, ac esse cum Christo, vti ipse literis confirmauit. Debebant ergo, qui ipsum diligebant, io hoc niti, vt quâ ei dilectione affecti erant, complereretur, ne id semper, quod iis vnis iucundum esset ac gratum, molestum redderetur; sed vt potiùs spectarent quod & doctori conduceret, vt oempe Christo sociaretur. Habes in nobis illius theorematis vmbram. Agedum ergo, Christi mysteriorum vim ceu varios quosdam colores vmbris inducentes, ipsam clarè demum veritatem monstremus.

Phil.1.v.23.

Cùm enim in Dei ac Patris formâ Vnigenitus esset, & io æqualitate quæ spiritu est, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed propter suam in nos charitatem exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens; idque sustinuit, vt nos omnes ad omnem virtutis cognitionem, dirigeret: vt per miraculorum comparatione maiorem claritatem, eius nus virtutis, ac gloriæ, eximiæque potentiæ quæ diuinæ inest naturæ, spectatores efficeret. C Sic enim in extremam lapsos inscitiam, ad sanam mentem denuo reuocare poterat, auctòrque esse, vt non amplius creaturam præ Creatore colerent, sed vt vnum verè ac oaturâ Deum asciscerent. Sed & aliis nos modis Vnigenitus iuuit, cùm homo factus esset. Destruxit enim mortis imperium, peccati vim resoluit; serpentes, & scorpiones, ac ioimici virtutem omnem conculcandam dedit. Erat igitur iucundissimum & optatissimum, cùm nobis ipsis, tum sanctis D discipulis, vt semper vnà cum tanto bonorum nobis largitore Christo ageremus, ipsumque semper præsentem, ac nobiscum versantem haberemus: verùm haud ei multum vtile videbatur, longis adeò temporibus in humilitatis formâ, quam suâ in nos dilectione assumpserat, vti dictum superiùs est, morari. Par enim erat nostræ iam salutis negotio consentaneâ ratione paracto, ad suam ipsum redire claritatem, ac cum carne propter nos assumptâ ad æqualitatem cum Deo ac Patre reuerti: quam non rapinam arbitratus (quippe cui eam ceu proprium bonum habere liceret) in hoE manam ignobilitatem, ac obscuritatem, propeosè descendisset. Quandiu enim adhuc io terrâ agebat, tametsi Deus verus, ac rerum vniuersitatis Dominus existebat, nec vni è vulgo præstare videbatur, quibus ignota eius gloria erat. Vnde & colaphis cæsus, & sputis oblitus est, ac io crucem actus; impiorúmque Iudæorum sannas tulit, qui dicere ausi sint, *Si Filius Dei es, descende nunc de cruce, & credemus tibi.* Postquam autem nostræ salutis mysterium expleuerat, ad cœlestem Patrem ac Deum se recepit, volontariæque exinanitionis peractis temporibus, Deus tandem supernis Potestatibus eluxit. Nec enim cœlum, vniuersorum Domioum ascendere latuit; quin iubebantur qui supernis portis præfecti erant, vt & carne indutum ascendentem, Potestatum Dominum admittereot; præcipiebátque Spiritus vt portas attollereot, diceos, *Tollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio; Dominus Virtutum ipse est Rex gloriæ.* Innotuit enim *Principatibus & Potestatibus multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo*, vti Paulus loquitur. Reuersus enim ad Patrem, licet is eo maior intelligatur, B eâ scilicet ratione, quòd Patre in quibus erat, semper manente, ipse se sponte exinaniens, in serui formâ descenderit, ad propriam rursus gloriam conscendit, audiuitque, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ne autem indebitum adusse honorem videretur, inuitumque forsitan cœlestem Patrem ac Deum à dextris Filium collocasse, ipse hoc Pater dicere introductus est, *Sede à dextris meis.* Neque verò cordatus quisquam dixerit, secundas honoris partes, quem à dextris habeat, Patrem Filio dedisse: quin illud potiùs secum reputabit, debuisse omninò dextrum, & nullius C immioutionis suspectum locum, haud planè Patri, sed Filio, tribui, ob sponte assumptam exinanitionem ac subiectionem, quippe cui ceu minori ij detraherent, qoi eius mysterium iotelligere non possent. Idcirco à dextris Patris, qui nulli obnoxius calumniæ sit, vt Filio honoris æqualitas seruetur. Atque hæc quidem à oobis commodùm, & vt textui conducat doctrina in præsens exposita sunt.

Phil.2.v.6

Id est, deitate: sic enim quandoque Patres.

2.Tim.1. v.6. Luc.10. v.19.

Matth.27. v.40. Marc.15. v.32.

Psal.23.v.7

Eph.3.v.10.

Psal.109. v.1.

Filius à dextris, ne ab incarnatione in minoribus, ac in æqualis Patri habeatur.

At denuò repetens, atque, vt verbo dicam, totum ab initio orationis scopum reooluens, dicam tandem, gratum nobis, ac votis prosequendum esse, vt semper cum Christo Saluatore versemur, quanquam se D ille nostri causâ exinanierit, vti scriptum est, inque seruili formâ, ac humanæ ignobilitate, seu obscuritate naturæ venerit. Quid enim est natura humana, si cum Deo contuleris? Haud tamen id Filio vtile, sed conducit potiùs vt ad Patrem ascendat, propriamque gloriam & potestatem, ac dignitatem diuinam iam palam, nec vltra obumbratè, ac rectè recipiat. Sedit enim à dextris, cùm & id Patri collibitum esset. Amat enim vt suam prolem, & vt fructum suæ substantiæ. Quocirca ait, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me E est.* Et certe dilectionis in eum argumentum fuisset, nequaquam tantum doloris, quòd se deseri putarent, obqoe necessariò illi assumptam profectionem, capere, sed in animum potiùs inducere, ad conuenientem, sibique debitam gloriam, ac antiquam dignitatem (diuinam scilicet) palam ascendere. Vnde & Psalmista, qui per Spiritum loquebatur mysteria, *Omnes gentes*, inquit, *plaudite manibus*; tumque festiuitatis causam exponens, Saluatoris in cœlos assumptionem protulit, dicens, *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ:* iubilationem & tubam nominans altisonam illam, ac penetrabilem Spiritus vocem, cùm

Psal.46. v.2.

Potestatibus iussit portas tollere, atque, vt modò dicebamus, Dominum Virtutum nuncupauit. Eodemque ipso nomine, ipsum quoque Sanctorum chorum comperiemus ingenti lætitiâ exultasse; ideoque dicebat, modò quidem, *Dominus regnauit, exultet terra*: modò autem rursus, *Dominus regnauit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

Psal. 96. v. 1
Psal. 92. v. 5

Qui enim nobiscum ante resurrectionem ex mortuis homo versabatur, postquam ad Patrem, qui in cœlis est, ascendit, decorem proprium induit, ac se pristinâ fortitudine præcinxit: quippe Patri in regni solio consedit. Æquum itaque, parque sit, gaudere omnes, quotquot eum diligunt; quòd ad Patrem in cœlis existen- B tem propriam gloriam recepturus, ac cum eo rursus regnaturus, sicut erat in principio, ierit. Maiorem autem Patrem dicit, non quòd à dextris, tanquam Deus consedit; sed quòd adhuc nobiscum esset, hoc est, in humanis ac nostri similis. Ista quippe ceu hactenus seruili formâ præditus dicit; ac cùm necdum tempus esset, vt pristinum suum statum reciperet. Vnde & cùm pro omnibus venerandam subiit crucem, offerentibus illi sitienti Iudæis acetum ac fel, cùm bibisset, *Consummatum est*, inquit. Impletum quippe iam erat humiliationis tempus: ac quidem crucifixus est vt homo: vicit autem mortis potentiam, non vt homo, sed potiùs vt Deus, C efficaciâ nimirum, atque vincendi claritate, ac potestate, non carnis naturâ.

Ioan. 16. v. 30.

Pater Filio maior quòd Filius minoratus carne.

Maior itaque est Pater Filio, vt qui adhuc seruus, ac in humanis constitutus sit: nam & Deum suum appellat, quod humanæ formæ adscriptum velit. Nam si credimus, ipsum se exinanisse, ac humiliasse, qui non eum de eminentiâ quadam in demissionem; quin ab æqualitate cum Patre, ad inæqualitatem descendisse vniuersis liquebit? Nihil autem horum Pater sustinuit, sed in iis mansit, ac perstat, in quibus ab initio fuit. Maior itaque est eo, qui certâ consilij ratione minorationem suscepit, quique tandiu in eâ fuit, donec proprium il- D lud ac natiuum bonum, in quo erat in principio, recepit. Locus autem ei quodammodò proprius ac naturalis iurè censebitur, illa cum Patre æqualitas, quam cùm nullo obstante habere liceret, haud propter nos rapinam arbitratus est. Porrò cùm de æqualitate Filij eum Deo ac Patre multa nobis in superioribus libris dicta sint, operæpretium forsan esset ad ea quæ sequuntur explicanda nos accingeremus, prolixiore de his in præsens disputatione omissâ. Sed quoniam non nemo ex insanis hæreticis, haud vulgarem apud Iudæos sacrarum literarum cognitionem adeptus, locum hunc explicare aggressus, intolerabiles blas- E phemias aduersus Vnigenitum scripto consignauit, rem nimis ineptem, nimisque pro genij ac personæ ratione incongruam me facturum putaui, si tantam eius hominis insaniam silentio præterirem. Ordine igitur ei occurrendum censeo, demonstrandumque putidas esse & aniles eius fabellas, & omni prorsus iudicio destitutas, inaniúmque duntaxat rationum strophis plenas. Ad verbum autem recitabo, quæ scribere ausus est, cùm visus est sibi textus huius sensum exponere.

Heretici blasphemię

» Maiorem se Patre dum palam prædicat, A non modò se dignam gratitudinem ac æqui- » tatem exhibuit, sed & eorum qui ambos » vnum esse putant, falsitatem coarguit. Qui- » bus verbis Sabellij opinione explosâ, infestus & acer, vt putat, ijs irruit, qui æqualem Patri Filium statuunt, in hunc rursus modum scribens: Eò dementiæ quidam rursus pro- » gressi sunt, vt dici non ferant, Vnigeniti » deitate Patrem esse maiorem, sed eum dun- » taxat præcellere existiment comparatione cum » carne; nec hoc quidem perspicere volentes, » quæ diuersi generis sint, ea nullo modo posse » comparari. Nemo enim dixerit vnquam ho- » minem iumento sapientiorem esse, neque » adeò equum velociùs currere testitudine, sed » hominem homini doctrinâ præstare, ac equum » equo velociùs currere. Cùm ergo ea duntaxat quæ vnius sunt generis inter se compara- » tionem, recipiant, necesse est eos fateri Pa- » trem ipsâ Vnigeniti deitate maiorem esse. » Nam qui errore contrarium sentiunt, in eo, » quòd ipsum cum carne comparant, quod ad » eos attinet, Patris dignitatem minuant. Hæ » quidem illius sunt nugæ. Videndum verò, quo pacto suis ipse verbis imprudens pugnet.

contra Filium. Sunt hæc fortè Eusebij. ἐν ἀμφοτέ- ροις non vt malè editum, ἐν ἀμφοτέροις ex quo imperitè nouo Interpr. *ambos æquales*: qui non error Sabellij, sed ipsa Catholica veritas fidei.

Laudat enim Filium, vt qui dignam se gratitudinem, ac æquitatem seruauerit, cùm ait, *Pater maior me est*; sed miror qui non in animum istud induxerit. Quid enim quæso eum adigebat, vt tunc de deitate sermonem arriperet, cùm nemo sanus vnquam tempus loquendi faciendique opportunum scire neglexerit? Quid, inquam, opus erat importunâ illâ de deitate doctrinâ, mœstis discipulis, eo scilicet nomine, quòd ad Patrem Deumque profecturus erat? Quam autem ob causam etiam propemodum accusat, dicens, *Si diligeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est?* Num enim istud, amabo te, discipulos recreare, aut tam pium eorum mœrorem sedare poterat, quòd ad Patrem se maiorem proficiscebatur? Quem verò hîc quis consolandi modum reperiat? Nam cùm Philippus eum compellaret, atque diceret, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; tunc opportunè admodum, quippe cùm diuinitatis declarandæ tempus adesset, Patrem in sese, ac se rursus in Patre, nulláque re minorem, sed omnimodâ æqualitate conspicuum ostendens, aiebat; *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me, Philippe? Qui vidit me, vidit & Patrem. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Ego, & Pater vnum sumus.* Verùm tunc quidem opportunè, eum texens sermonem, meritò admirationem habebat: nunc autem quàm opportunè istud dicitur, aut quid rationis habet, tristitiam discipulorum lenire velle, & consolatorium quoddam eis pharmacum adhibere, dum gaudere iubentur, quia vadit ad Patrem? An non vel ijs qui mentis admodum inopes sint, ac rudes, ex ipsâ rei indole liquet, quòd cùm ad propriam rursus cum Patre gloriam properaret, eam obrem suos cultores gaudere iubebat, hunc portò ipsum cum aliis præstantissimum consolationis modum excogitans? Verùm ista nunc omittemus, nec illius insaniam multis vrgebimus.

Ioan. 14. v. 8.

Ad illud potiùs veniendum censeo, quòd

putauit vanam esse comparationem, quâ deitatis naturæ caro comparatur, cùm exinanitum esse Filium factum hominem, dicimus. Verùm non ita se res habet; absit, sed cùm seruilis conditionis ac dignitatis diuinam gloriam dicimus, minorem Patre Filium, quâ ratione hominem induit, factum affirmamus; rumque rursus in Patris æqualitatem restitutum esse, postquam hinc ad cœlos ascendit, non nouâ, aut aduentitiâ, seu insuetâ gloriâ indutum, sed illâ denuo fruentem, in quâ initiò cum Patre erat. Vnde & Paulus diuinus ille doctor, haud illi iam post resurrectionem à mortuis, atque in cœlos ascensionem, eam, quæ homines deceat humilitatem tribuens, sic

2. Cor. 5. v. 16. scribit, *Etsi enim cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* B

Gal. 1. v. 1. Rursusque de se ipse, *Paulus Apostolus Iesu Christi, non ex hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.* Atqui verò, cùm ipsum

Phil. 3. v. 21. dicat ad nos rursus venturum, vt configuret corpus humilitatis nostræ conforme corpori claritatis suæ, cur modò negat, dicens, *Non ab hominibus, neque per hominem*, quanquam per Iesum Christum ad Apostoli fuerat munus ordinatus? Quid prorsus ait, non se eum nosse secundum carnem? Nunquid, amabo te, Dominum negauit qui se redemit?

Malè editum, nouo Interpr. atque redditum, *αὐτὸν* eam quasi referat *σάρκα*, Christi scilicet; non ipsum Paulum.

Absit: rectè enim is sapit. Iam enim absoluto, C atque expleto tempore exinanitionis, seu humiliationis Vnigeniti, non ex eo quòd exinanitus cernitur, quin ex eo potiùs, quòd est naturâ Deus, celebrare ipsum ac cognoscere nititur. Semel enim cognito, atque admisso hominem factum esse, illud demum fideles doceri oportebat, quòd & Deus per naturam esset; ideóque diuinis potiùs de eo sermonibus, quàm aliis oblectatur.

Miror autem quo pacto non erubescant, dicendo, quòd cùm ea duntaxat quæ eiusdem sunt generis inter se comparationem recipiant, necesse sit vt Patrem Filij deitate maiorem esse dicamus. Non sentit enim, vt videtur, sua se D verba in seipsum instruere. Respondeat enim commodùm id nobis sciscitantibus, Illæ rerum eiusdem generis comparationes, quibus ex rebus conuenientiùs peraguntur? An ex iis quæ iuxta communem naturæ rationem competunt an quæ vnicuique adueniunt, atque abscedunt, insuntque, ac non insunt certis, congruisque rationibus? Putà (idem enim exemplum afferam, quod ipse nobis inuexit) si quis hominem homini comparare velit, siquidem vnam ac communem substantiæ rationem spectauerit, nihil discriminis in iis reperierit. Nusquam enim homo ab homine differet, qua- E tenus animal ratione vtens mortale, intelligentiæ capax ac scientiæ est. Hæc enim in omnibus vna ipsius substantiæ definitio est. At neque equus ab equo distinguetur, quà nimirum equus est. Distingui verò hominem ab homine dicimus, quòd hic, verbi gratiâ, grammaticam calleat, ille non item, seu aliis quibusdam eiusmodi modis. Atqui hæc non attingunt substantiam, sed aliam potiùs nacta videntur causam. Sed & equus equo velocior est, aut corpore exilior, aut obesior: veruntamen hosce excessus, aut ve defectus, in communi sitos substantiæ ratione haudquaquam

A competiemus. Alioqui nihil inter se ea distarent, quæ mutuam comparationem inirent. Quomodò enim homo, verbi gratiâ, minor homine, aut maior omnino intelligatur, aut ve dicatur, inquantum homines sunt? Quapropter in omnibus homogeneis, æqualia naturalia sunt, diuersa autem reperiuntur, quæ insunt, ac secundùm accidentis rationem extrinsecus adueniunt. Igitur, cùm iuxta illius propositionem, seu sententiam (huic enim insistam) ea duntaxat quæ eiusdem generis sunt comparationem inter se propriè, germaniúsque recipiant, primùm fateatur Filium eiusdem esse cum Patre generis, id est, ei consubstantialem (Sic enim intelligendum quod

B eiusdem generis sit: hominem enim homini comparari debere fassus est, & equum equo) causamque demum aperiat, ob quam Filius, qui cum Deo ac Patre comparatur, vtpote eiusdem cum ipso generis, aliquâ ex parte illo minor sit. Vbinam verò minorem competiemus, cùm iis quæ vnius sunt generis vna substantiæ definitio sit? Ratio enim cuiusque substantiæ in quibusdam perfecta, in aliis imperfecta non cernitur, sed vna ac æqualis in omnibus videtur: causas tamen alias singula quæque accidentia habere dicimus, seu ea quæ quouis modo adueniunt: vtque dicta

C magis elucescant, quod iam initio allatum exemplum est, iterum adducam. Homo enim nihil prorsus ab homine differt, in quantum sunt homines: sed hic quidem est pius, ille nequam: hic infirmus ac leprosus, alter incolumis atque robustus; hic inuidentiâ pronus, ille probus. At si quis horum causas attentiùs inspexerit, non substantiæ rationem incusabit, sed corporis potiùs, siue animi affectibus, ægritudinibusque horum causas assignabit. Cùm ergo vna intelligatur, ac sit in Patre Filióque deitatis definitio siue ratio, aut quocunque modo eam nomines (comparantur enim tanquam eiusdem generis; vtar-

D que eorum verbis ob necessariam rei explicationem) doceant miseri, quidnam effecisse putent, vt Filius Deo ac Patre minor sit? num labem, num segnitiem, ac quæcunque iis accidere solent, quorum natura creata est? At quis ita delirus, & ab omni ratione alienus, vt tantam blasphemiam vel in aures admittere velit? Cùm igitur, velut qui eiusdem cum Deo naturâ generis sit, Deus vtique & ipse naturâ sit (comparatur enim Patri, nec quod eum eodem se modo ac Genitor, habere prohibeat quicquam est) quomodò minor existit?

Quoniam autem veritatis hostis textum edis-

E serens, præ summâ inscitiâ ac dementiâ haud veritus est dicere, esse Patrem Filij deitate maiorem; agedum assumptæ carnis doctrinam paululum contrahentes, atque à textus intelligentiâ euictionis causâ auellentes, deitatem Filij cum Patris deitate, iuxta quod hi loquuntur, conferamus; rogantes, vt qui talia dicere ausus est, primùm respondeat, vtrum Filius Deus cùm sit, Deum naturâ eum esse existimet, an aliquid alium diuersum, eiusmodi tamen vt deitatis appellatione honestatum sit, vti sanè multi in cœlo, quin & in terrâ, dii ac domini esse perhibentur. Nam si probetur Filium nudâ tantùm appellatione deitatis esse honesta-

tum, nec tamen ipsum id verè naturâ esse quod esse dicitur, iure merito occurremus, palamque vociferabimur, Heus vos, si naturâ Deus non est, etiamnum creaturam præ Creatore adoramus; nec nos modò, qui terrenum hunc orbem colimus, sed & ipse sanctorum Angelorum cœtus. Quin & Sanctos omnes accusabimus, qui Deum naturâ, ac verum dixerunt: cum primis verò beatum Ioannem, in hæc verba de eo locutum: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum; & sumus in vero Filio eius Iesu Christo: Hic est verus Deus, & vita æterna.* Quod si omnem simul diuinam Scripturam, eiusque conspirationem reueritus, verè ipsum Deum nuncupabit, sicque existere sentiet, ac Patre nihilominus minorem existimat, quâ quæso omninò ratione putat? Nunquid alium nobis inuexit Deum, à naturali cum Patre necessitudine penitùs abiunctum, eiusmodi scilicet, qui in propriâ quidem personâ, at non in Dei ac Patris substantiâ essa intelligatur. Nemini opinor obscurum istud est. Nam si nihil seipso maius est aut minus, sed aliquo minore maius, aut maiore aliquo minus, nunquid necesse est duos naturâ fateri Deos, ac veros, vt hic quidem maior intelligatur, ille verò eo minor? Igitur periit funditus, ac euersa est sic opinantibus, Ecclesiæ fides. Cuiusnam ergo iuxta Scripturas templa sumus? Num eius palam qui suum mentibus nostris Spiritum indidit? Cùm ergo inueniamus ex sacris literis non Patris solùm, sed & Filij Spiritum nuncupari, quid æstimabimus? aut quid nos sentire decebit? vtro amborum submoto, alterum Deum esse dicemus? Nam si duos Deos, maiorem & minorem admittemus, & ambos in nostris animis per proprios & peculiares Spiritus inhabitare dicemus, Deorum templa facti demum deprehendemur: ac duo in nobis Spiritus inhabitabunt, maior nimirum & minor, pro eorum naturæ ratione qui dederunt. Quis ergo talia euomentes ferat? quisve quòd ita sentiunt, atque loquuntur non summæ inscitiæ ac valde ridiculum aduertat, dum his quæ modò dicta sunt animum attenderit.

1. Ioan. 5. v. 20.

1. Cor. 3. v. 17. & 2. 6. v. 16.

At forsan coactus duos naturâ fateri Deos, si quidem alter maior, alter minor est, ad illud sibi tritum ac familiare se conferet, nempe vt propriam ac peculiarem Filium naturam habere dicat, cùm nec creatâ prorsus exolutus sit, nec à Dei ac Patris plenè excidat. Nam qui creaturam ac opus dicere apertè non verentur, ad istiusmodi verborum lepores confugiunt, elegantiorem quodammodò excogitantes blasphemiam. Cùm ergo ita se Filium habere dixerint, vt neque Deus naturâ in totum sit, nec inter creaturas penitus censeatur, sed medius quidam existat; ita scilicet, vt & à Dei ac Patris dignitate deficiat, ac creatorum gloriæ præcellat: primùm quidem dicemus, nihil iis iuris fuisse, vt decernerent, ac loquerentur, quod ipsis libitum esset. Aut enim fidem nobis ex sacris atque diuinis literis faciant, aut si nullâ ex parte doctrinam probare possunt, pudeat ipsos quòd ex suo sensu de fide statuant. Verùm cùm præ mentis inopiâ temere id effutierint, ad eorum propositionem accedam, sicque rursus eos aggrediar. Si ea duntaxat quæ eiusdem sunt generis comparationem inter se propriè admittunt, putauitque operæpretium Filius vt se Deo ac Patri compararet, apertissimè dicens, *Pater maior me est;* quomodò necesse non est Patrem quoque talem censeri, qualis à vobis dicitur Filius? Quidnam verò inde conficitur? Vt scilicet omnis illa vestra meditatio, ac commentatio in nihilum vertatur. Quandiu enim Pater à vobis maior Filio dicitur, creatura verò eo minor, media quædam ex vestrâ sententiâ Vnigeniti natura erit. Patris autem naturâ in Filij item naturam depressâ, cuiusnam tandem medius erit, cùm iam desit qui supra positus sit, ac emineat? Quòd si, vt aiunt, velut qui eiusdem generis sit, Patri comparatur, quomodò non vna in ambobus substantiæ ratio fuerit? Porrò, cùm Filium Patri consubstantialem fateri abnuentes, quin potiùs minorem statuentes, Patris vtique gloriam, ad eius qui vestrâ sententiâ minor est, ac summissior, depresseritis, nunquid spinarum more succresserе blasphemiam animaduertitis? Nonne radix amaritudinis sursum germinans, vestrum cor obturbat, qui ita sentitis? Cur igitur relictâ veritatis rectâ doctrinâ, in tantam rationum absurditatem deflectitis? Date quæso, date ei, qui in vestrâ sententiâ eiusdem generis sit, parem cum Deo ac Patre æqualitatem. Sic vnus erit Deus, qui in sanctâ ac consubstantiali Trinitate, nedum à nobis, sed & à sanctis Angelis adoretur, atque laudetur.

Caullatio Anomœorum.

Hebr. 12. v. 15

Et nunc dixi vobis priusquam fiat; vt cùm factum fuerit, credatis. Certum pignus eorum quæ futura speramus, ipsa prædictio est. Confirmat igitur Christus discipulorum animos, aptéque sentire suadet, se verè ad Deum ac Patrem qui in cœlis est, cum eo regnaturum, ac vnà consessurum, redire, vt qui Deus, ac ex eo naturâ tanquam Deus genitus sit. Ne enim, inquit, sic de meâ absentiâ secundum carnem, ac de sanctorum Prophetarum, existimate. Quippe semper vobiscum ceu Deus ero. Hi namque, velut de terrâ orti, ac qui naturæ suæ debitum soluerint, substracti sunt, ac in eum qui homines deceat, locum concesserunt. At ego qui naturâ Deus sim, haud pati iacebo sorte, resurrectionis tempus expectans, cum ijs qui per me conditi sunt. Viuo enim semper, qui sim Vita per naturam; mittamque Paracletum, ac meam abundè vobis pacem tribuam, neque mentiar: sed vt promissionis compotes effecti, ac sancti Spiritus gratiâ illustrati, verba mea vera esse fateamini, in recordationem, vti dixi, rei ipso periculo adducti; & vt firmiter credatis me vnà esse, ac cum Patre regnare, ista prædixi & locutus sum vobis. Veritatem igitur sermonum, exitus comprobabit. Nam si vita non sum, nisi vnà cum Deo ac Patre sedeo, quonam pacto diuina ac spiritalia dona dedero? Impartiar verò, vti pollicitus sum, ac tum Spiritum, tum pacem tribuam. At quomodò non certum & indubitatum, me Vitam esse, ac cum Patre regnare? Non enim eius qui non sit, aut possit nihil, opus est, quòd diligentes atque cultores diuinis compleam donis; sed eius qui est, ac potest, ac in perpetuum regno sublimis est. Quòd ergo non frustra rerum quæ futuræ essent prædictionem ediderit, hisce verbis Christus docuit. Vt enim certiorem eius rei fidem haberent, renouatâ rerum promissarum memoriâ, cùm donorum reipsâ facti compotes essent, hæc se illis ait disseruisse.

V. 24.

Editum νόμον a nouo Interpr. redditum: sed liquet esse librarii mendum.

v. 30. *Iam non multa loquar vobiscum: veniet enim* A *princeps mundi huius, &c.* Quasi scelestissimi Iudæi mox affuturi essent, cum eâ quâ stipandi erant cohorte, eiusque principe ac antesignano, qui se traditurum eum pollicitus erat, iamque comprehensuri, nec multò pòst in crucem, ac quæ crucem antecessura erant tormenta, abacturi, tandem se cum eis loquendi finem facturum ait. Breue enim esse tempus, ac vix quicquam eius superesse. Iudæorum enim etiam atque etiam in me auctâ, ac vigente sæuitiâ, iamque intra portas aspectante, non vos ampliùs alloquendi, sed ipsum patiendi tempus adest. Enimuerò, inquit, *veniet princeps mundi huius, & in me habet nihil.* Moriar tamen, atque id perlibenter, ac pro omnium vitâ sustinebo mortem; B nempe Patris reuerentiâ, eiusque dilectione, à quibus etiam abhorret animus, ea oppetens, & vt eius impleam voluntatem. Atque hic quidem loci propositi scopus, quàm maximè in his manifestus est: sed subtiliùs eum enodando, ita dicimus. Adamus generis nostri auctor, quòd datum mandatum violasset, diuinâ execratione morti datus est, cùm tum ipse sui, tum diabolus accusator existeret. Videtur porrò id passus esse iustis de causis: nec enim iniustè pœna ei comes est, qui segnitiâ animi peccatum admiserit. Secondus autem

1. Pet. 2. v. 22. Adam, nempe Dominus noster Iesus Christus, quem nulla noxa tangere posset, (nec enim fe- C cit peccatum, aut dolus inuentus est in ore eius) propter nos cruciatibus mortem obiit, sui ipse ratione prorsus innoxius, at qui seipsum pro omnium vitâ pretium redemptionis Patri obtulerit. Quòd enim Patrem, mundi salutem sitientem diligeret, spectétque ad eum qui Patrem diligat, vt quod ei visum sit, ac operæpretium illi habeatur, haudquaquam negligentiùs gerat, sed ad exitum conetur perducere (Quid verò istud est? Nempe voluit Filium suum, tametsi in eadem secum formâ, ac omnimodâ æqualitate conspicuum, in tantam venire demissionem, vt & nostri causâ homo fieret, nec vniuersorum vitæ causâ mortis eum puderet) id D Filius fecit, Patris dilectione, qui præcepisset, vt propriâ virtute per carnis passionem mortem perimeret, ac corruptionis potestatem euerteret, labéque corruptos viuificaret, ac pristinam rursus eis gloriam repararet. Idcirco angustum ait sermonis habendi tempus: instare enim passionem, ac succensum quod in ipsum Iudæis excogitatum facinus erat. Quippe Iubeos patiar, quando nimirum in eum finem veni. *Enimuerò veniet princeps mundi huius, & in me habet nihil.* Hoc est, nihil deliquisse conuincar: neque verò Iudæi suæ in me petulantiæ ac immanitatis iustam vllam sunt habituri causam. E Nihil in me habet diabolus, eorum, quæ eius propria sunt. Propria quippe illius sunt mala; & peccati origo eum auctorem agnoscit. Quòd autem verus sit ille Saluatoris sermo, vel ex ipsâ maximè rerum serie perspexeris. Quomodò enim peccauerit, qui peccatum non nouit; qui naturâ ac veritate Deus sit, nec vllam prorsus mutationem in id quod à recto auersum sit, suscipere possit? Neque verò id minus ex ipsis sanctorum Euangelistarum scriptis videbimus. Sapientissimus quippe Ioannes Pilatum induxit dicentem, *Ego nullam inuenio in eo causam.* Ac

Ioan. 18. v. 38.

rursus, posteaquam spineam coronam imposuerat, clamantem, *Ecce adduco eum vobis foras, vt sciatis quia nullam inuenio in eo causam.* Ioan. 19. v. 4 Matthæus verò sic eum scelus exhorruisse ait, vt & manus, deposcentibus ad necẽ Iudæis, abluerit, atque dixerit, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Math. 27. v. 24. Cumque ad Pontifices addoctum ostendisset, sic scribit. *Principes autem Sacerdotum, & omne consilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent.* Math. 26. v. 59. Tametsi enim per homines eius perdendi causæ quærebantur, iis tamen ceu organis ac ministris suæ malignitatis diabolus vtebatur, ipséque potissimùm, ac præ omnibus, in eo peccatum quærebat. Verum itaque est, nihil in eo habuisse diabolum, eorum, quæ eius propria sunt. Diabolus, vt mundi princeps dictus. Porrò etiam mundi principem in præsens appellauit, non tanquam verè illius dominus sit, sed quòd feri cuiusdam tyranni more, iniquâ vsurpatione ad se nullo pacto attinentia inuaserit. Hominem quippe per peccatum suæ fecerat ditionis, ac velut gregem pastore destitutum, à Deo procul abigens, qui alieni iuris essent, addixerat. Ideirco etiam sic parto principatu iurè excidit. In nos enim Christus regni iura extendit. Idcirco ait, *Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnes traham ad meipsum.* Ioan. 12. v. 31

SANCTI PROCLI PATRIARCHÆ Constantinopolitani in Sanctam Pentecostem.

ORATIO.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

HOdie, dilectissimi, aduenit Spiritûs sancti gratia: quæ quidem, cùm ab ipsâ hac die cœperit, ad vsque eandem hanc ipsam diem adulta, auctáque, magnificè colitur, ac celebratur. Affulsit Spiritûs sancti gratia, illicóque facunda euaserunt mutorum ora: ineruditorum linguæ disertæ, eruditæque redditæ sunt: piscatorum corda, in erectos, audentésque animos commotata. Proinde à meâ etiam animi imbecillitate, mentisque inopiâ, timiditatem, ignauiámque discutiet illa ipsa, quæ cœlitùs hodie aduenit, gratia. Sic quippe ante Spiritus sancti aduentum, Petrus pauore confectus coram ancillulâ negauit Dominum; post verò eiusdem descensum coram populis, & regibus magnâ animi securitate eum confessus, exertâ extulit voce: *Non possumus quæ audiuimus, & vidimus non loqui vobis.* Math. 26. v. 69. Act. 4. v. 20 Quocirca Iudæi quoque, Spiritûs sancti eloquentiam illam, temulentiam rati, musto eos plenos dixerunt. Act. 2. v. 13. Scitè autem eos refellit Petrus, à quo etiam probatum tempus, aptúmque mysterio à ternario confirmatum fuit. Quia enim horâ tertiâ crucifixio fuerat, horâ quoque tertiâ Spiritus sanctus in Apostolos ignis specie descendit, indicans Deum esse Spiritum: *Deus enim noster ignis consumens est.* Venit Spiritus, quâ horâ crux fuerat posita. Deut. 4. v. 24. Ac quidem Saluatoris aduentus, sicut pluuia in vellus fuit; eò quòd dispensationis symbolum esset.

Psal. 71. v. 6. *Aduentus Christi, & Spiritûs diuersus modus.* In Spiritûs autem aduentu, quò significaretur Deum esse Spiritum: *Factus est repente de cœlo sonus tanquam ruentis impetu flatûs vehementis.* Spiritum porrò Deum esse accipe. *Act. 2. v. 2.* *Isai. 6. v. 1.* Isaias namque ait: *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum. Et Seraphim stabant in circuitu eius. Et dixit ad me: Quis ibit ad populum istum, & quem mittam ad eum? Incrassatum enim est cor populi huius, &* *Spiritûs sancti probata diuinitas.* *auribus suis grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Vis ergo tu, qui Spiritum sanctum oppugnas, nosse fuisse Spiritum sanctum, qui supra thronum excelsum, ac eleuatum sedit? Paulum Apostolum audi, & crede. Adductus ille Romam ad Neronem, Iudæorum illic multitudinem inuenit, eisque verbum salu- *Act. 28. v. 24* tis exposuit. *Quidam autem credebant; quidam verò non credebant. Cumque inuicem non essent consentientes, discedebant dicente Paulo vnum verbum: Quia benè Spiritus sanctus locutus est de vobis per Isaiam Prophetam: Aure audietis, & non intelligetis.* Vides Spiritum sanctum Dominum ac Deum esse? Vsquámne enim in lege non glorificatum in Trinitate Spiritum sanctum inueneris? Audi Prophetam dicentem: *Verbo* *Psal. 32. v. 6* *Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Luc. 3. v. 22. Sed & gratiæ tempore, cùm Saluator ad salutare Baptisma accessit; Patre è cœlis testimonium perhibente Filio, Spiritus sanctus in co- *Act. 2. v. 3.* lumbæ specie aduenit. Hic, hodiernâ die Spiritus, in ignis specie supra singulos Apostolos sedit. Vides, Apostolos quoque sedes esse? *Deus,* *Psal. 46. v. 9* enim, inquit, *sedet super sedem sanctam suam.* Hic Spiritus, mentitum Ananiam morte mul- *Act. 5. v. 4.* ctauit. Hic Spiritus, charismatum distribuit do- *1. Cor. 12. v. 11.* na, *diuidens singulis priuatim prout vult.* Hoc Spiritu plenus Apostolus Paulus, Elymæ Mago *Act. 13. v. 11.* tenebras, ac caliginem offudit. Hunc Gabriel Spiritum, fausto nuntio Mariæ promisit, dicens: *Luc. 1. v. 35.* *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Qui idem nunc quoque *Baptismus in Pentecoste.* super nos adueniat, ac nos benedicat. Ipse enim se aquæ commiscet, atque in modum ignis, peccata conflat, absumitque: ac nuper illuminatos, lucis instar fulgoribus illustrat; nostrique misetur, vt Deus. Quoniam eum decet gloria ac potestas, in sæcula sæculorum: Amen.

SANCTI LEONIS PAPÆ
de Pentecoste.

SERMO I.

Cap. 1. HOdiernam solennitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam, omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium *Dies Pentecostes magnâ reuerentiâ habendus.* est, quanta huic diei reuerentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit. Nam ab illo die quo Dominus super omnem altitudinem cœlorum ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit, decimus *Quinquagesimus à Christi resurrectione* iste est, qui ab eiusdem Resurrectione quinquagesimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mysteria in se continens & veterum sacramentorum & nouorum: quibus manifestissimè declaratur, gratiam prænuntiatam fuisse per le-

A Paschate.

A gem, & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptijs li- *Exod. 19.* *Lex data die quinquagesimo ab agni immolatione.* berato, quinquagesimo die post immolationem agni, lex data est in monte Sina: ita post passionem, quâ verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione eius die, in Apostolos plebemque credentium, Spiritus sanctus illapsus *Act. 2. v. 1.* est: vt facilè diligens Christianus agnoscat initia veteris Testamenti Euangelicis ministrasse principijs, & ab eodem Spiritu conditum fœdus secundum, à quo primum fuerat institutum. Nam sicut Apostolica testatur historia, *Dum complerentur dies Pentecostes, essentque omnes discipuli pariter in eodem loco, factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis: &* B *repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* O quàm *Velox doctrina Spiritus sancti.* velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit Spiritu veritatis, propriæ sin- *Ioan. 3. v. 8.* gularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes.

Cap. 2. *Quid præstiterit adueniens Spiritus.* Ab hoc igitur die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum, & vni- C uersam aridam rigauerunt: quoniam ad renouandam faciem terræ Spiritus Dei ferebatur su- *Gen. 1. v. 2.* per aquas, & ad veteres tenebras abigendas, nouæ lucis fulgura coruscabant, cùm micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum consumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis inesset vrendi.

Cap. 3. Quamuis autem, dilectissimi, valde fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit, in illo omnium humanarum vocum exultante * con- ** conuentu.* centu, maiestatem Spiritus sancti fuisse præsen- *Spiritus sanctus in se & suâ substantiâ inuisibilis.* tem: nemo tamen existimet in ijs, quæ corporeis visa sunt oculis, diuinam eius apparuisse substan- D tiam. Natura enim inuisibilis, & Patri Filioque communis, qualitatem muneris atque operis sui, quâ voluit significatione monstrauit. Proprietatem verò essentiæ suæ in suâ deitate continuit: quia sicut nec Patrem nec Filium, ita nec Spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In *Nihil dissimile in personis diuinis, nihil impar.* Trinitate enim diuinâ nihil dissimile, nihil impar est: & omnia quæ de illâ possunt substantiâ cogitari, nec virtute, nec gloriâ, nec æternitate discreta sunt. Cumque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen alia deitas, nec diuersa natura est. Siquidem cùm & de Patre sit Filius E vnigenitus, & Spiritus sanctus Patris Filijque sit Spiritus, non sicut quæcunque creatura, quæ & Patris & Filij est; sed sicut cum vtroque viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater Filiúsque subsistens. Vnde cùm Dominus ante passionis suæ diem discipulis suis sancti Spiritus sponderet aduentum: *Adhuc,* inquit, *multa* *Ioan. 16. v. 12.* *habeo vobis dicere, sed non potestis modò illa portare. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & futura annuntiabit vobis. Omnia quæ*

Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. A Non ergo alia sunt Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed omnia quæcomque babet Pater, babet & Filius, habet & Spiritus sanctus, oec vnquam in illâ Trinitate defuit ista communio. Quia boc est ibi omnia habere, quod semper existere: oulla ibi tempora, oulli gradus, nullæ differeotiæ eogitentur, & si nemo de eo potest explicare quod est, nemo audeat affirmate quod non est. Excusabilius enim est de naturâ ineffabili oon eloqui digna, quàm defioire cootraria. Quicquid itaque de sempiternâ & incommutabili gloriâ Patris, pia possunt corda concipere, B boc simul & de Filio, & de Spiritu sancto, inseparabiliter atqoe iodifferenter intelligant. Ideo enim haoe beatam Trinitatem vnum confitemur Deum, quia in his tribus personis, nec substantiæ, nee potentiæ, nec voluntatis, oec operationis est vlla diuersitas.

C. 4. Arriani, Macedoniani.

Sicut ergo detestamut Arrianos, qui inter Pattem & Filium aliquam volunt esse distantiam, ita etiam Macedonianos pariter detestamur: qui licet Patri & Filio tribuant æqualitatem, Spiritũ tamen sanctum inferioris putant esse oaturæ, ooo cõsiderantes in eam blasphemiam se ineidere, quę C neque in præsenti sæculo, neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domioo, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* (Matth. 12. v. 32.) Permanens itaqoe io hac impietate, sioe veniâ est, quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri, nec vnquam perueoit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum sibi noo habet aduocatum. (Peccatũ in Spiritũ sanctum cur sit irremissibile.) Ab ipso enim est inuocatio Patris, ab ipso suot lacrymæ pœnitentium, ab ipso suot gemitus supplicantium. Et, *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* D (1. Cor. 12. v. 3.) Cuius æqualem cum Patre & Filio omnipotentiam, vnamque deitatem euidentissimè prædicat Apostolus, dicens: *Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* (Ibid. v. 4.)

C. 5.

His, dilectissimi, aliisque documentis, quibus innumerabiliter diuinorum eloquiorum coruscat auctoritas, ad venerationem Pentecostes vnanimiter iocitemur, exultantes in honorem sancti Spiritus, per quem omnis Ecclesia catbolica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, sigoaculum castitatis, & totius est causa virtutis. E Gaudeant fidelium mentes, quòd in toto mundo voos Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, omnium linguarum confessioue laudatur, quódque illa significatio, quæ io specie ignis apparuit, & opere perseuerat & munere. Ipse enim Spiritus veritatis, facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, & in templo suo, nec tenebtosum aliquid vult esse nec tepidum, de quâ ope atque doctrioâ, etiam ieiuniotum nobis atque eleemosynarum est collata purgatio. (Perseuerat in Ecclesiâ, quod ignis specie significatum est. Ieiunia è Spiritus sãcti doctrinâ.) Nam bunc veoerabilem diem sequitur saluberrimæ obseruantiæ consuetudo, qoam vtilissimam sibi omnes Sancti semper experti sunt, & ad quam sedulò celebrandam, pastorali vos solicitudine cohortamur: vt si quid macularum proximis diebus oegligeotia incaota cootraxerit, id & ieiunii (Ieiunium peccata purgat.) A censura castiget, & deuotio pietatis emeodet. Quartâ igitur & sextâ feriâ ieiunemus. Sabbato autem io id ipsum consuetâ deuotione vigilias celebremus: per Christum Domioum nostrum: Amen.

EIVSDEM, DE PENTECOSTE.

SERMO II.

C. 1.

PLenissimè quidem nobis, dilectissimi, causam atque rationem solennitatis hodiernæ diuinorum eloquiorum textus ostendit, quo sanctum Spiritum quinquagesimo post Domini re- B surrectionem die, qui ab Ascensione eius decimus est, infusum Christi Discipulis sicur promissus sperabatur, agnouimos. Sed ad nouos Ecclesiæ filios instruendos, addendum est etiam oostri sermoois obsequium. Non enim timemus, vt spiritales & eruditi nota fastidiant, ad quorum fructum pertinet, vt quàm plurimis insiouari velint, quod ipsi cum magnâ sui vtilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium, dispensatio munerum diuinorum, & seruitutem oris oostri, docti indoctique non spernant. Illi vt probent C se amare quod noruor: isti vt ostendant se desiderate quod nesciunt. Hoie enim præparationi nostræ aderit ipsius largitas, de euius loqui maiestate gestimus: vt ad profectum totius Ecclesiæ & vos capaces, & nos faciat abundantes.

C. 2. Quid de Spiritu sancto sentiendum.

Cùm igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti aciem mentis intendimus, nibil diuersum ab excellentiâ Patris & Filii cogitemus: quia in oullo ab vnitate suâ discrepat diuinitatis essentia. Sempiteroum est Patri, consempiterni sibi Filii sui esse genitorem. Sempiternum est Filio, iotemporaliter à Patre esse progenitum. Sem- D piternum quoque est Spiritui sancto, Spiritum esse Patris & Filii: vt nunquam Patet sine Filio, ounquam Filius sine Patre, nuoquam Pater & Filius fuerint sine Spiritu sancto: & omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit aoterior, nulla posterior. Huius enim beatæ Trinitatis & incommutabilis Deitatis, vna est substantia, indiuisa io opere, & coocors in voluntate, par in omnipotẽtiâ, ęqualis in gloriâ. (Indiuisa opera Trinitatis.) De quâ cùm sancta Scriptura sic loquitor, vt aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur conuenisse personis, nõ perturbatur fides Catholica, sed docetur, vt per proprietatem aut vocis aut operis, iosinuetur oobis veritas Trinitatis, & noo diuidat intellectus, quos distinguit auditus.

(al. Quod. Cap. 1.)

Ob hoc enim quædam siue sub Patris, siue sub E Filii, siue sub Spiritus sancti appellatione promũtur: vt confessio credeotium in Trinitate non erret. Quę cùm sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Benè ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem nostram cœlestis doctrioa oos adiuuat, vt quia in deitate Patris & Filii & Spiritus sancti nec singularitas est, nec diuersitas cogitanda, vera Voitas, & vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, sed non possit simul ore proferri. (Trinitas simul & Vnitas, mente sentiri non ore proferri potest.) Fuodatâ igitur in cordibus nostris, dilectissimi, fide, quâ salubriter credimus, quòd simul tota Trioitas vna virtus est, vna maiestas, vna substantia, indiscreta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate, simul implens omnia, simul contioens vniuersa. Quod enim est Pater, hoe

est & Filius, hoc est & Spiritus sanctus, & vera deitas, in nullo esse aut minor aut maior potest: quæ sic in tribus confitenda est personis, vt & solitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas. Hac, inquam, dilectissimi fratres, fide firmiter apprehensâ, non ambigamus, quòd cùm in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omnésque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratiâ, nulla vnquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: vt eadem semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorum.

Cap. 4. Ipsi quoque beati Apostoli ante passionem Domini Spiritu sancto non carebant, nec potentia huius virtutis aberat ab operibus Saluatoris. Et cùm discipulis daret infirmitatum curationem, & eijciendorum dæmonum potestatem, eius vique Spiritus largiebatur effectum, in quo ipsum immundis spiritibus imperantem Iudæorum negabat impietas, & diuina beneficia diabolo deputabat. Vnde taliter blasphemantes meritò illam Domini excepere sententiam, quâ ait: *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Vnde manifestum est, peccatorum remissionem sine Spiritus sancti * aduocatione non fieri, nec quenquam sine illo, sicut expedit, ingemiscere, aut sicut oportet, orare, dicente Apostolo: *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et, *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto*: quo vacuari nimis exitiabile est, nimísque mortiferum, quia nunquam veniam meretur, qui ab intercessore destituitur.

Matth. 12. v. 31.

* *inuocatione.*

Peccatorum remissio omnis à Spiritu sancto.

Rom. 8. v. 26.

1 Cor. 12. v. 3.

Cap. 5. Omnes igitur, dilectissimi, qui in Dominum Iesum crediderant, infusum sibi habebant Spiritum sanctum, & remittendorum peccatorum iam tunc Apostoli acceperant potestatem, quando post resurrectionem suam Dominus insufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur.* Sed & illi perfectioni, quæ erat Discipulis conferenda, maior gratia & abundantior inspiratio seruabatur, per quam & quæ nondum acceperant, sumerent, & excellentiùs possent habere, quæ sumpserant. Propter quod Dominus dicebat: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & futura annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.*

Ioan. 20. v. 22.

Maior eius effusio in Pentecoste.

Ioan. 16. v. 12.

Cap. 6. Quid ergo est, quòd Dominus promittens discipulis Spiritum sanctum, qui iam dixerat, *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis: Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem?* Nunquid sese Dominus veritatis inferiorem scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quàm Spiritum sanctum à Patre didicisse? cùm ipse sit veritas, & nihil Pater dicere, nihil possit dicere sine Verbo, ideóque dictum sit: *De meo accipiet*, quoniam quod accipit Spiritus Patre dante, dat Filius. Non itaque alia erat insinuanda veritas, nec alia prædicanda doctrina: sed oportebat capacitatem eorum qui docebantur, augeri, & multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod vtique Apostoli, postea quam Spiritus sancti nouâ abundantiâ sunt repleti, ardentiùs velle, & efficaciùs posse cœperunt, * proficientes à præceptorum scientiâ ad tolerantiam passionum: vt sub nullâ iam tempestate trepidantes, fluctus sæculi & elationes mundi, fide supergrediente calcarent, & morte contemptâ omnibus Gentibus Euangelium veritatis inferrent.

Ioan. 15. v. 15.

Ioan. 16. v. 12.

Aucta Apostolorum capacitas aduentu Spiritus sancti, & multiplicata constantia.

* *proficiscentes.*

Cap. 7. Quod verò addidit Dominus, dicens: *Quæcunque audierit, loquetur, & futura annuntiabit vobis*, non segni intellectu, dilectissimi, nec transitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones, quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertissimè sententiâ totum sacrilegæ falsitatis dogma prosternitur. Nam vt magnum quendam atque sublimem viderentur sequi auctorem, in magistro suo Manichæo apparuisse Spiritum sanctum crediderunt, promissúmque à Domino Paracletum non priùs venisse, quàm hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus sanctus manserit, vt non aliud fuerit Manichæus ipse, quàm Spiritus, qui per ministerium corporæ vocis & linguæ, discipulos suos in omnem induceret veritatem, & nunquam cognita præteritorum secreta sæculorum reseraret. Quod quàm sit ridiculum quámque vanum, tæderet ostendere, nisi adhuc quosdam non puderet hoc credere. Manichæus ergo magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore Paulinóque Consule, cùm octaua iam in Christianos ebulliret persecutio, & innumera Martyrum millia ipsis suis victorijs probauissent impletum esse, quod Dominus promiserat, dicens: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non ergo potuit promissio Domini tanta per ætatum interualla differri, nec ille Spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, vt tut Ecclesiæ generationes, sapientiâ, & intellectu, consilio, & fortitudine, scientiâ, & pietate, atque ipso Dei timore fraudaret; donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur, cui nec hoc quidem tribui potest, quòd vel exiguam diuinæ inspirationis acceperit portionem: quoniam & hic de illâ mundi extitit parte, quæ non potest Spiritum veritatis accipere. Repletus enim spiritu diaboli, Spiritui restitit Christi: & cùm Sanctis Dei hoc Paracleti doctrina contulerit, vt futura prædicerent, hic ne falsitatis ipse rerum processus argueret, ridendarum impudentiam fabularum in præteritas retorsit ætates. Et quasi nos nihil de sempiternitate Creatoris, nihil de ordine creaturæ in vniuersum mundum benè lex sancta, & diuinitùs inspi-

Manichæorum impietas, vt Spiritum sanctum Manichæum auctorem suū crederent.

Manes, quo extiterit tempore.

Matth. 10. v. 19.

Ioan. 14. v. 17.

Isai. 11. v. 2. Spiritus sancti dona septem.

Ioan. 14. v. 17.

rata prophetia docuisset, in contumeliam Dei, & omnium iniuriam naturarum, inexplicabiliom mendaciorum monstra enotexuit. Quibus tandem suas insinuaturus insanias, nisi multom incestis & nimium à lumine veritatis auersis, qui siue per ignorantium cæcitatem, siue per turpitudinis appetitum, ad illa non sacra, sed execramenta perueniunt: quæ propter communem verecundiam non sunt nostro sermone promenda, cùm iam abondantissimè ipsorum sint confessione patefacta.

Cap. 8.

Nulli ergo vestrûm, dilectissimi, suadeatur, quòd tantæ impietatis auctorem Spiritus sanctus aliquâ ex parte dignatus sit. Nihil ad istum prorsus de illâ virtute peruenit, quam Ecclesiæ suæ Christus & promisit, & misit. Dicente enim Ioanne: *Spiritus nondum fuerat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificatus*, Domini ascensio, dandi Spiritus fuit ratio, quem ille necesse est vt neget datum, qui ad consessum Paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse prouectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam æternitatem & animæ & carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimi istius festi diem, rationabili obsequio, & castâ lætitiâ celebremus, confitentes cum beato Paulo Apostolo, quòd Dominus Iesus Christus *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: vt Euangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, & *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloriâ est Dei Patris.*

Ioan.7.v.39
Eph.4.v.8.
Phil.2.v.11.

Cap. 9. Ieiunium post Pentecostem ex Apostolicâ traditione manat.

Ad præsentem autem solennitatem etiam ista nobis est assumenda deuotio, vt ieiunium, quod ex Apostolicâ traditione subsequitur, sanctâ obseruantiâ celebremus; quia & hoc inter maxima sancti Spiritus dona numerandum est, quòd nobis aduersum illecebras carnis & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia: quibus omnes tentationes Deo adiuuante vincamus. Quartâ igitur, & sextâ feriâ ieiunemus: Sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem Spiritu orationibus nostris, vt in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur: per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, viuentem & regnantem cum Patre & eodem Spiritu sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM, DE PENTECOSTE.

SERMO III.

Cap. 1.
Act.2.v.1.

HOdiernam, dilectissimi, festiuitatem toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti Spiritus consecrauit aduentus, qui post resurrectionem Domini quinquagesimo die in Apostolos populúmque credentium, sicot sperabatur, influxit. Sperabatur autem, quia illum Dominus Iesus promiserat adfuturum, non vt tunc primùm esse Sanctorum habitator inciperet: sed vt sacrata sibi pectora, & feruentiùs accenderet, & copiosiùs inundaret: cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo nouus opere, quia ditior largitate. Nonquam enim ab omnipotentiâ Patris & Filij Spiritus sancti est discreta maiestas, & quicquid in dispositione rerum omnium agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentiâ Trinitatis. Vna est ibi benignitas misericordiæ, vna censura iustitiæ: nec aliquid est in actione diuisum, vbi nihil est in voluntate diuersum.

Luc 24.v.49.
Act.1.v.4.
Ante Pentecostem dabatur Spiritus sãctus.
Opera Trinitatis indiuisa.

Cap. 2.

Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cúmque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & Vnitas manifestatur, & Trinitas: vt essentia habens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & eiusdem substantiæ, & non eiusdem intelligatur esse personæ. Quod ergo saluâ cooperatione inseparabilis deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus sanctus exequitur: nostræ dispositio redemptionis, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolicâ fraude deceptus, à lege sibi positâ per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam serui & similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suæ damno, & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet: diuisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Oportebat enim vt aliquid etiam saluandi pro se agerent, & conuersis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione desciscerent. Quoniam sicut Apostolus ait: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.*

Non futura incarnatio si Adam nõ peccasset.
Sap.2.v.24.
Reparationis nostræ opus diuisũ personis Trinitatis.
Gal.4.v.6.
2.Cor.3.v.17.
1.Cor.12.v.3

Cap. 3.

Si ergo duce gratiâ, dilectissimi, fideliter sapientérque noscamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostrâ proprium quidve commune sit: ea quæ pro nobis humiliter & corporaliter gesta sunt, ita proculdubio suscipiemus, vt nihil indignum de vnâ atque eadem Trinitatis gloriâ sentiamus. Quamuis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcunque illud est, quod humano intellectu de essentiâ Paternæ deitatis attingitur: nisi vnum atque idem est, cùm vel de Vnigenito eius, vel de Spiritu sancto cogitatur, non piè sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, & ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia à totâ Trinitate receditur, si in eâ vnitas non tenetur. Nullâ autem ratione verè est vnum, quod aliquâ est inæqualitate diuersum.

Æquales diuinæ personæ.

Cap. 4.

Cùm igitur ad confitendum Patrem, & Filium & Spiritum sanctũ aciem mẽtis intendimus: procul ab animo formas visibilium rerum, & ætatea temporaliũ naturarum, procul corpora locorũ, & loca corporũ repellamus. Discedat à corde, quod spatio extenditur, quod fine cõcluditur, & quicquid nec semper vbique, nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiã intelligat, nihil per gradus quærat. At si quid de Deo dignum senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ, tanquam honorificentiùs Patri ascribat, quod Filio Spirituíque non tribuat. Non est pietas Vnigenito præferre Genitorem: Filij contumelia, Patris est iniuria: quod vni demitur, vtrique detrahitur. Nam cum illis & sempiternas sit communis & deitas, nec omnipotens Pater nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.

De Sanctâ Trinitate quid cogitandum.

Cap. 5.

Ioan. 14. v. 28.

Ioan. 10. v. 30.

Ioan. 14. v. 9

A Dicit quidem Dominus Iesus discipulis suis, sicut Euangelicâ lectione recitatum est: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad Patrem vado, quia Pater maior me est.* Sed hoc illæ aures, quæ sæpiùs audierunt, *Ego & Pater vnum sumus*, &; *Qui me videt, videt & Patrem*, sine deitatis acciplunt differentiâ, necde illâ hoc essentiâ intelligunt, quam sempiternam cum Patre, & eiusdem naturæ nouerunt esse firmâ ratione. Commeodatur ergo sanctis Apostolis io incarnatione Verbi Dominici humana prouectio, & qui denuntiato sibi Domini turbabantur abscessu, ad æterna gaudia honoris sui incitaotur aogmento. *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis vtique, quia vado ad Patrem*: hoc est, si perfectâ scientiâ videretis, quid vobis gloriæ confertur per hoc, quòd ex Deo Patre genitus, etiam

Forrè *inclinatione*, quâ voce S. Leo lubens vtitur io proposito, vbi alij rudius dicunt condescensionem.

B ex homine matre sum natus, quòd Dominus æternorum, vnus volui esse mortalium, quòd visibilem me inuisibilis præbui, quòd formam serui in formâ Dei sempiternus accepi: *gauderetis, quia vado ad Patrem.* Vobis enim præstatur hæc ascensio, & super omnes cœlos ad Patris dexteram collocanda vestra in me humilitas eleuatur. Ego autem qui hoc sum cum Patre, quod Pater est, indiuiduus cum Genitore permanco, & sic ab illo ad vos veniens non recedo, quemadmodum & vos ad illum rediens non relioquo. Gaudete ergo quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Vniui enim vos mihi, & factus sum filius hominis, vt vos filij Dei esse possitis.

Humanæ oaturæ Christi ascensione sublimatio.

C Vnde licet vnus io vtroque sim, tamen quo vobis conformor, Patre sum minor. Quo autem à Patre non diuidor, etiam meipso sum maior. Natura itaque quæ minor est Patre, vadit ad Patrem, vt ibi sit caro, vbi semper est Verbum: & vna Ecclesiæ catholicæ fides, quem secundum humanitatem non diffitetur minorem, secundum deitatem credat æqualem.

Cap. 6.

* *sententia.*

Ioan. 16. v. 15.

Contemnatur igitur, dilectissimi, vana & cæca versutia hæreticæ impietatis, quæ sibi huius * scientiæ sæuâ ioterpretatione blanditur, ac dicente Domino, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, non intelligit se Patri demere, quicquid Filio audet negare. Et ita in ijs quæ humana

D sunt desipit, vt putet quòd ideo Vnigenito paterna defuerint, quia nostra suscepit. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec delata reconciliatio creaturæ, sempiternæ defectus est gloriæ. Quæ habet Pater, habet Filius, & quæ habet Pater & Filius, habet & Spiritus sanctus: quia tota simul Trinitas est vnus Deus. Hanc aotem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse vnigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit, de quo nihil est aliter, quàm de Patre & Filio sentiendum. Quia licet non sit Pater, non sit Filius, non tamen est à Patre Filióque diuisus: &

E sicut propriam habet in Trinitate personam, ita vnam habet in Patris & Filij deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, & cum Patre & Filio vniuersa moderantem, per infinita sæcula sæculorum: Amen.

A

S. PETRI CHRYSOLOGI

De Pace.

Est sermo 53.

SERMO.

Mira ex stylo colligit non esse hunc sermonem B. Petri Rauennatis, ac Chrysologi, sed vel sancti Barbatiani Presbyteri tum Rauennæ agentis, vel Germaoi Antissiodorensis, vel Proiecti Forocorneliensis, seu cuiusquam alterius, eius hortatu plebem Rauennatensem alloquentis, ac Pacis ei monita dantis. Mihi potiùs dictus videatur ab eo, qui ad ipsam suam plebem diceret, siue ad Rauennæ, siue quouis alio loco.

Matth. 5. v. 9.

BEati pacifici, ait Euangelista, charissimi, *quia filij Dei vocabuntur.* Meritò Christia-

B næ virtutes virescunt in eo, qui vnanimitatem Christianæ habet pacis: nec peruenitur ad vocabulum filij Dei, nisi per nomen pacifici. Pax est, charissimi, quæ spoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditiooe personam; ex famulo, filium; liberum facit ex seruo. Pax fratrum, voluntas est Dei, iocunditas Christi, perfectio est sanctitatis, iustitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum est, supplicationum facilis, atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis in-

Pacifici, Dei filij.

Pacis elogia,

C dicium manifestum; quæ sibi exigit de Deo, quod velit; quæ, quicquid voluerit, petit; quicquid petierit, sumit.

Matth. 18. v. 19.

Impetrationis fiducia.

Ioan. 14. v. 27.

Pax Christo discessuro commēdata.

Pax præceptis ragalibus conseruanda est, ipso Domino Christo dicente, *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis.* Hoc est dicere: In pace vos dimisi, in pace vos inueniam: proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus inuenire. Cœleste mandatum est seruare, quod dedit: vna vox est, inueniam quod dimisi. Plantare pacem radicitus est Dei: euellere penitus, inimici. Nam sicut amor fraternitatis ex Deo est, ita odium ex diabolo: quapropter damnanda sunt odia quoniam scriptum est, *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Videtis ergo,

1. Ioan. 3. v. 15.

D fratres dilectissimi, quare pax amanda est, & diligenda concordia: ista sunt enim quæ generant, & nutriunt charitatem. scitis autem secundum Apostolum, quia *charitas ex Deo est*: sine Deo ergo est, qui non habet charitatem.

1. Ioan. 4. v. 7.

Pax plebis, charissimi, est gloria Sacerdotis: & pacis plena lætitia est perfecta charitas filiorum. Sacerdotis est admonere, quod decet; plebis est audire, quod monet. Quicquid non licet, pastoris est prohibere, gregis audire, ac velle ne fiat: vtraque si conoeniant, salua sunt omnia: nec Deus inoenit io plebe, quod puniat; nec Sacer-

E dos potest habere, qood doleat.

Seruemus ergo, fratres, mandata, quæ vitæ sunt: teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas: & salutari vinculo charitatis mutuâ se dilectione constringat, quæ operit multitudinem peccatorum. Dilectio ergo omnibus desiderijs amplectenda est; quæ tot bona potest habere, quot præmia. Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Locum non demus inimico, ne in tritici segete valeat seminare zizania; & securo iam rustico, & spe longi laboris eluso, expectatos fructus ipsâ messis maturitate perdat: aut vinum vetusta-

te suaue in liquorem perfidiæ demusatum infusâ fæcis permixtione conturbet; ac inter dulcia mella, felle venena amariora confundat. Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur: & quia laqueus est mortis lingua susurronis, & bilinguis, parcat vnusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Amate pacem, & tranquilla sunt omnia, vt & vobis præmia, & nobis gaudia seseruetis: vt Ecclesia Dei in pacis vnitate fundata, perfectam in Christo teneat disciplinam.

Est ser. 174.
Luc. 12. v. 49

EIVSDEM IN EODEM *de igne cælesti, ad illud Lucæ,* Ignem veni mittere in terram, &c.

SIcut febrientibus amarus est semper salutaris cibus, ita & sæpè Dominicus sermo contrarius imperitis: vtrisque tamen aliter, aut ex corporis, aut ex mentis infirmitate contingit. Hodie Dominus exasperasse nonnullorum videtur auditum, dicendo, *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi vt accendatur?* Et infra: *Putatis, quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem.* Et vbi est illud, *Ecce Agnus Dei?* Vbi illud, *Sicut ouis ad occisionem ductus est; & sicut agnus coram tondente se mutus sic non aperuit os suum?* Sed & illud, *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus?* Et quid est, quòd Agnus iste tam durè in prædicatione percutit? Quid sic arietat in verbo, qui in passione tantâ patientiâ tacet: in morte totâ humilitate succumbit? Et reuerâ, fratres, mundum suum Christus per omnia mitis & mansuetus intrauit, dum nascitur nostro dulcis in germine: dum cunis blandè blandior ipse fouetur: dum paruulus in gremio se fundit, & resoluit humano: dum parentis in collo stringitur, & stringit toto charitatis amplexu: & vt enutriat toto dum nutritur affectu, per omnes sensim currit, & adolescit ætates: pauper agit semper; solitarius semper incedit: quia pauper communis est semper, patet omnibus solitarius semper. Et quid est, quòd tantum verbis spargit ignem, quòd tanta & talia inflammat, & dilatat incendia, dicendo, *Ignem veni mittere in terram?* Quid est?

Ioan. 1. v. 29
Isai. 53. v 7.
Zach. 9 v. 9
Matth. 21. v. 5.
Christi mansuetudo in human. s.

Ager quoties longâ incuriâ siluescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur, & purgatur incendio: ac studio benigno cultor ignis apponitur, vt exustis sentibus reueletur prima facies campi, præstetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, fit germinis ferax sterilis diu terra: & longa ac mœsta otia læto lætissima iam repenset in fructu. Ergo vbi Iudaicus cespis continuo aratro legis, & iugi cultu effectus ad inopiam, non respondit germini, non labori: sed pro tritico lolium reddidit, protulit pro vitibus spinas: Christus ad sata Gentium diuini cultus conuertit industriam; ac diu oppressa dumis Nationum cupiens noualia purgare, ignem mittit primùm maximus Magister in terram, & quicquid naturalis squallere fecerat luxus, quicquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat & consumit incendio: quatenus sola longo exhausta ieiunio ipso suo cinere saginata, pinguescerent, & post diuturnam duritiem tenera redderentur & mollia; ac sic Euangelico apta cultro semini redderentur commoda; & felici sulco iam redderent trigesimum, sexagesimum, ac centesimum fructum.

Similitudo de agricultura, ea-purgandi arua igni.

Sed hîc ipse cultus non est nouus agricolæ veteri & cælesti: nam legem pangere, gratiam serere volês, ignis semper vti opere consueuit. Daturus legem, ignem præmisit in rubo: sed diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tum aculeis plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans: & nunc ad arua Gentium cùm destinaret Apostolos, sic eos igneo imbre perfudit, & ignis consedit super eos, vt possent humecta siccare, sicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia: & in opere diuerso, vno eodemque igne ad cælestem copiam tota percolere deserta terrarum, dicente Prophetâ, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed ad illud iam quod sequitur transeamus.

Sparg. re.
Exod. 3 v. 3.
Act. 2. v. 2.
Ignis, vtraque lege promulgâdâ: eiusque effectus.
Psal. 18. v 5

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Sed baptismo habeo baptizari; & quomodò coarctor donec perficiatur? Vrget aqua ignem (cogitanda est talis, tam diuisa coniunctio.) Vrget vnda flammam: multiplicat flamma vndam. Quæ est talis, tam concors ista discordia? Geritur hîc, sicut diximus, agricolæ diuini species: plena namque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus, ignis & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæstuat, anhelat affectu. *Baptismo habeo baptizari.* Christus suo baptizatur in sanguine: vt quicquid ex nostrâ carne suscepit, diluatur, renouetur, & totam suæ diuinæ maiestatis redigatur in formam. Baptizatur Christus suæ baptismate passionis, qui totius peccatum mundi lauit, quod non nisi ab eo qui mundum fecerat, poterat aboleri.

V 50.
Aquæ socia opera in negotio salutis.
Christi baptismus.

Putatis, ait, *quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem.* Quare? Quia coniunctio cælestis est in istâ separatione terrenâ. Nemo potest connecti terræ, & iungi cælo. Grata ergo, & chara sit ista terrena separatio, quæ nos sic à terrenis separat, vt inserat nos diuinis.

V. 51.

S. FVLGENTII EPISCOPI *Ruspensis, de sancto die Pentecostes.*

SERMO.

Est sermo 50. inter nouos Inter August. serm de temp 188. in append. 61

ANniuersaria solennitas agitur, quâ die Dominus noster Iesus Christus Spiritum sanctum Paracletum misit, quem discipulis antè promisit. Dixerat enim: *Non potest ille venire, nisi ego abiero.* Quadragesimo itaque die post resurrectionem suam, cuius solennitatem ante decem dies egimus, ascendit in cælum, nec immemor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum sanctum, quem promisit centum viginti, qui simul fuerant congregati, tandémque Domini promissionem fideliter expectabant. Omnibus linguis locuti sunt: sic quippe tunc Deo placuit sancti Spiritus significare præsentiam, vt qui eum accepisset, omnibus linguis loqueretur.

Ioan. 16. v. 7.
Act. 1 v. 4.

Priùs itaque breuiter videamus, quando eum promisit, quare dixit: *Non potest venire ipse, nisi ego abiero.* Neque enim separabilis est à Filio Dei Spiritus sanctus, aut impotens erat eo præsente venire, à quo non potest discedere. Sed quoniam adhuc discipulis infirmis formam serui Dominus demonstrabat, in quâ *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* causam verò serui, id est,

id est, carnem Domini, etiam carnales poterant intueri: forma autem Dei, in quâ *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, non potest nisi ab spiritalibus cogitari: propterea dixit, *Non potest ille venire, nisi ego abiero*, tanquam diceret. Quandiu circa meam carnem occupatus est vester carnalis affectus, tandiu meam diuinitatem non suscipit vester spiritalis obtutus. Dono enim Spiritus sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est: *Fide mundans corda eorum. Beati autem mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* Abscessit itaque corporalis forma Domini à corporalibus oculis eorum, vt per Spiritum sanctum diuinitas Domini insinuaretur cordibus eorum.

Phil.2.v.6.
Ioan. 16 v.13.
Act 15 v.9.
Matth. 5. v.8.

Nunc deinde videamus, quare tunc hoc erat signum præsentiæ Spiritus sancti, vt qui eum accepissent, linguis omnibus loquerentur. Neque enim etiam nunc non donatur Spiritus sanctus, & tamen qui eum accipiunt, non loquuntur linguis omnibus; quo euidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Intelligendum est, fratres charissimi, hunc esse Spiritum sanctum quo charitas diffunditur in cordibus nostris. Et quoniam charitas Ecclesiam Dei congregatura fuerat toto orbe terrarum, quud tunc etiam vnus homo poterat Spiritum sanctum accipiens, linguis omnibus loqui, nunc Sancto spiritu congregata, ipsa vnitas Ecclesiæ linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrum: Accepisti Spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? Respondere debet: Loquor sane omnibus linguis, quia in eo sum Christi corpore, hoc est, in Ecclesiâ, quæ loquitur omnibus linguis. Quid enim aliud tunc Deus significauit per sancti Spiritus præsentiam, nisi Ecclesiam suam omnibus linguis locuturam? Impletum est itaque quod promiserat Dominus.

Rom.5.v.5.
Etsi nemo iam aliquis, Ecclesia tamē linguis omnibus loquitur.

Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & vtraque seruabuntur. Merito ergo cùm audirentur linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant, *Hi musto pleni sunt.* Iam enim facti fuerant vtres noui, sanctitatis gratiâ renouati, vt vino nouo, hoc est, Spiritu sancto repleti omnibus linguis loquendo feruerent, & Ecclesiam Catholicam per omnium gentium linguas futuram euidentissimo illo miraculo præsignarent. Ac per hoc rectè creduntur Hæretici Spiritum sanctum non habere, qui diuiduntur à corpore, quod per omnes gentes linguis omnibus meruit personare.

Matth. 9. v.17.
Act.2.v.4.
Hæretici non habent Spiritum sanctum, quia ab Ecclesiâ diuisi.

Hunc itaque diem sic celebrate, tanquam membra vnitatis corporis Christi. Non enim frustra celebratis, si hoc estis quod celebratis, illi Ecclesiæ cohærentes quam Dominus implens Spiritu sancto, toto mundo crescentem agnoscit suam, & agnoscitur à suâ. Tanquam sponsus sponsam non perdidit propriam, quia nemo ei supponit alienam. Vobis enim in omnibus gentibus constitutis, hoc est, Ecclesiæ Christi, membris Christi, corpori Christi, sponsæ Christi, Apostolus dicit, *Sufferentes inuicem in dilectione, studentes inuicem seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Videte, quia vbi præcepit vt sustineamus inuicem, ibi posuit dilectionem: vbi spem nominauit vnitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de viuis lapidibus fabricata, in quâ talem patremfamilias delectet habitare, cuius oculos ruina diuisionis non debet offendere.

Ecclesiæ integritas.
Eph.4.v.2.

A Paschate.

S. HILARII ARELATENSIS
Episcopi in eodem festo.

HOMILIA.

IN illis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Aduertamus summæ diuitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis. Sed quia diximus quod manus impositio, & confirmatio ei, qui iam renatus in Christo est, conferre aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, ministerium confirmantis? Aut quantum video non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione noui generis indigemus. Non ita est, dilectissimi: attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, vt cùm imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa, munitio est. Dedisti militem, da ei adiumenta militiæ. Nunquid prodest si quisquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita Paraclerus regeneratis in Christo & consolator, & tutor est. Ideo dicit sermo diuinus, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Ergo Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Quia hoc in mundo totâ ætate victuris inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo alimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos, confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos. Qui autem post baptismum cum acquisitâ innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem.

Ioel.2.v.29.
Act 2.v.17.
Nota Confirmationis vsum apud veteres, & impositionis manuū.
Simile.
Nota Confirmationis causas, & efficaciam.
Psal.126.v.1
Eadem ad verbum habentur in Epistolâ Decretali Melchiadis Papæ.

Hic si fortè illud etiam requirere velimus, post passionem, & resurrectionem Christi quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti, ipse Dominus eis hoc euidenter exponit: *Quæ dico*, inquit, *vobis, non potestis ea portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem.* Vides quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam dilatatur. Itaque ante descensionem Spiritus sancti vsque ad negationem Apostoli deterrentur, post visitationem verò eius vsque ad martyrium contemptu salutis armantur. Secundum hæc per Christum redimimur, per Spiritum verò sanctum dono sapientiæ spiritalis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consommamur, vt illam sancti Spiritus vocem audire possimus, *Intellectum tibi dabo, & instruam te in viâ hac quâ gradieris.* De Spiritu sancto accipimus, vt spirituales efficiamur, quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus inter bonum malúmque discernere, iusta diligere, iniusta respuere: vt

Spiritus, quid præstiterit Apostolis.
Ioan.16 v.12.
Psal.31.v.8.
1. Cor. 2. v.14.

malitiæ ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac (A) diuersis illecebris & fœdis indignísque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, vitæ amore & gloriæ ardore succensi, vt erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus: Ad hoc enim sensum rationabilem naturæ munere & secundæ natiuitatis reparatione suscepimus, vt secundum Apostolum magis *quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram.* Quia *sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum.*

Col. 3. v. 2. 1. Cor. 3. v. 19.

Mundana sapientia quę suadeat.

Quid autem suades, charissimi, sapientia huius sæculi, nisi nocitura quærere, amare peritura, negligere salutaria, pro nihilo putare perpetua? Cupiditatem commendat, de qua dicitur, *Radix omnium malorum est cupiditas.* Quæ in primis hoc malum habet, quòd dum ingerit transitoria, abscondit æterna: & dum à foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit: & dum aliena quærit, factori suo semetipsum reddit alienum. Ecce quid suadet sæculi sapientia, viuere in delicijs, de quibus dicitur: *Anima quæ in delicijs est, viuens mortua est.* Suadet ergo mollissimis suauitatibus, peccatis, vitijs & flammis nutrire carnem, cibi & vini intemperantiâ animam premere, ac viam spiritus intercludere, & contra se hosti suo de se gladium ministrare. Ecce quid suadet sæculi sapientia, vt qui boni facti sunt, mali esse malint: & per errorem mentis fieri etiam studeant peccatores, & non cogitent illam terribilem Dei vocem, cùm exurentur peccatores sicut fœnum. Quod audis sicut fœnum, (C) non hîc sceleris supplicij putes esse compendium; non hic quasi penitus arsurum & in nihilum redigendum hominem dixit: sed peccatorem vili materiei compasauit. Cùm exurentur peccatores sicut fœnum: Non hic intelligenda est in illo igne velocitas consumendi, sed violentia concremandi. Non hîc pœnæ terminum, sed flammæ voluit signare dominatum, & ideo contra aduersa mala futura prospiciens beatus Apostolus, dicit: *Si quis*, inquit, *vult esse sapiens inter vos, stultus fiat, vt sit sapiens.* Quid est hoc, *stultus fiat, vt sit sapiens?* An non videtur aliquantis stultus homo, quando amore salutis suæ & cœlestis timore iudicij, vitijs impletus diuersa vitæ huius oblectamenta quæ solebat ambire refugit, (D) quæ solebat congregare contemnit, imò per sinus pauperum seminantis more dispergit? Affluentiâ offenditur, inediâ pascitur, ieiunijs delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur: affectorem prodigum despiciens, & spem auidus sequens, dimittit quod possessione tenet, & quærit cogitatione quod non videt: animum cœlo inserens, quod amauit odit, studet velle quod noluit. Trahit enim post se cor illius eruditiones, & fidelium veridica promissa Sanctorum, de quibus dictum est, *Vt seductores, & veraces.* Quare seductores? Quia docent hominem despicere quod habet, (E) & sperare quod non habet. Quæ oculis exposita sunt auersis & clausis sensibus prætetire, & quæ ab oculis remota sunt inexplebilibus desiderijs explorare.

1. Tim. 6. v. 10.

1. Tim. 5. v. 6

2. Pet. 3. v. 10

1. Cor. 3. v. 18

Stultitia sanctorum.

2. Cor. 6. v. 8. Seductores.

B. GREGORII PAPÆ
in superius Euang.

HOMILIA.

Est hom. 30. in Euang.

Libet, fratres charissimi, Euangelicæ verba lectionis sub breuitate transcurrere, vt pòst diutiùs liceat in contemplatione tantæ solennitatis immorari. Hodie namque Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentésque carnalium in sui amorem permutauit: & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum ignis visione suscipiunt, per amorem suauiter arserunt. Ipse namque Spiritus sanctus amor est. Vnde & Ioannes dicit: *Deus charitas est.* Qui ergo mente integrâ Deum desiderat, profectò iam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet. Sed ecce vnusquisque vestrum si requiratur an diligat Deum, totâ fiduciâ & securâ mente, respondet; Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid Veritas dicit: *Si quis diligit me,* (B) *sermonem meum seruabit.* Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistolâ idem Ioannes dicit: *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Verè enim diligimus, si mandata eius seruamus. Verè diligimus, si à nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in suâ voluptate contradicit.

Spiritus sancti aduetus in linguis igneis.

Spiritus sanctus, amor. 1. Ioan. 4. v. 16.

Ipsum habet, qui diligit.

Ioan. 14. v. 23.

Probatio dilectionis, exhibitio operis. 1. Ioan. 2. v. 4.

Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista solennitas, habere in cordis hospitio aduentum Dei. Certè si domum vestram quisquam diues & præpotens amicus intraret, omni festinantiâ domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis. Sed videte quid Veritas dicat; *Veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* In quorundam etenim corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiont, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliuiscuntur: sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde Dominus & venit, & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille ergo verè amat, cuius videlicet mentem delectatio praua ex consensu non superat. Nam tantò quisque à superno amore disiungitur, quantò inferiùs delectatur. Vnde & adhuc subditur.

Preparanda Deo domus mentis.

Dei mansio in animâ.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat: Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, introrsum redite, si Deum verè amatis exquirite: nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris, lingua, mens, & vita requiratur. Nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, Patris.* Scitis, fratres charissimi, quia ipse qui loquitur vnigenitus Filius, Verbum Patris est: ideò sermo quem loquitur Filius non est Filij, sed Patris, quia ipse Filius Verbum est Patris.

V. 24.

Dei amor, nunquam otiosus.

Sermo Christi, nō eius sed Patris.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Quando non maneret apud eos, qui ascensurus cœlum, promittit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi?* Sed Verbum incarnatum & manet, & recedit: recedit corpore, manet diuinitate. Apud eos

V. 25.

Matth. 28. v. 20.

ergo tunc se mansisse perhibet, quia is qui inuisibili semper potestate præsens erat, corporali iam visione recedebat.

V. 26.

Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Nostis plurimi, fratres mei, quòd Græcâ locutione Paracletus, Latinâ aduocatus dicitur, vel consolator. Qui idcircò aduocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam Patris interuenit. Qui vnius substantiæ cum Patre & Filio exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleuerit exorantes facit, vnde & Paulus dicit: *Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed diceret quis; Minor est qui postulat, quàm qui postulatur. Quomodò ergo Spiritus postulare dicitur, qui minor non est? Sed ipse Spiritus postulat, quia ad postulandum eos, quos repleuerit, inflammat. Consolator autem idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem leuat. De quo rectè promittitur, *Ipse vos docebit omnia*; quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cùm ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia præter hoc quòd vox loquentis communiter admonet, est magister interior qui de vocis intelligentiâ quosdam specialiter docet? De hac vnctione Spiritus rursus per Ioannem dicitur: *Sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum non vngitur. Sed cur ista de doctrinâ hominum loquimur, quando & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem Spiritus non loquatur? Certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audiuit: *Peccasti, quiesce.* Sed quia culpis suis exigentibus voce est admonitus, non vnctione, audire Dei verba potuit, sed seruare contempsit. Requirendum verò nobis est, cur de eodem Spiritu dicatur, *Et suggeret vobis omnia*, cùm suggerere esse soleat minoris? Sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, inuisibilis Spiritus suggerere dicitur, non quò nobis scientiam ab imo inserat, sed ab occulto.

Paracletus, aduocatus, & consolator.

Rom. 8. v. 26.

Spiritus postulat, id est facit nos postulare.

Spiritus doceat interiùs necesse est.

1. Ioan. 2. v. 27.

Nec ipsa Dei vox prodest, nisi per vnctionem Spiritus homini loquator.

Gen. 4. v. 6.

V. 27.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hîc relinquo, illic do: sequentibus relinquo, peruenientibus do. Ecce, fratres charissimi, verba sacræ lectionis sub breuitate discussimus, nunc ad contemplationé tantæ festiuitatis animum transferamus. Sed quia cum lectione Euangelicâ nobis est etiam Actuum Apostolorum lectio recitata, ex eâ ergo aliquid in vsum nostræ contemplationis trahamus. Audistis enim quia Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit: quid scilicet hoc miraculo designans, nisi quòd sancta Ecclesia eodem Spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura? Qui verò contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem vnius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitæ sunt. Hîc ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusionem.

Act. 2. v. 1.

Ecclesiam omnium gentium linguis locuturam, in linguarum dono figuratum.

Gen. 11. v. 7.

Sed quærendum nobis est, fratres dilectissimi, cur Spiritus sanctus Patri & Filio coæternus, in igne apparuit, cur in igne simul & linguis, cur aliquando in columbâ, aliquando verò in igne monstratur: cur super vnigenitum Filium apparuit in specie columbæ, & super discipulos in igne, ita vt neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columbâ? Per quatuor itaque hæc, quæ proposuimus, soluendo redeamus. Patri namque & Filio coæternus Spiritus in igne monstratur, quia incorporeus, inuisibilis, atque ineffabilis ignis est Deus, attestante Paulo: *Deus noster ignis consumens est.* Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Terra enim vocata sunt corda terrena: quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, à malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cùm afflatu sancti Spiritus corda carnalium inflammat: & terra ardet, cùm cor carnale in suis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, & incenditur ad amorem Dei. Benè ergo in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suæ æternitatis accendit.

Spiritus sanctus, cur apparuit in igne.

Hebr. 12. v. 29.

Deut. 4. v. 24.

Luc. 12. v. 49

In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, & habet cognationem maximam lingua cum Verbo. Verbum quippe Patris est Filius. Et quia vna est Spiritus & Verbi substantia, idem Spiritus debuit monstrari in linguâ. Vel certè, quia per linguam procedit verbum, in linguis igneis apparuit Spiritus: quia quisquis Spiritu sancto tangitur, Dei Verbum, id est, vnigenitum Dei Filium confitetur, & negare Dei Verbum non valet, quia iam sancti Spiritus linguam habet. Vel certè in linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Ex audito quippe sermone exardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, à concupiscentijs terrenis aliena. Amor verus qui hanc repleuerit, in fletibus cruciat: sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur: audire ei libet præcepta cœlestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur: & quæ torpebat priùs per desideria, ardet postmodum per verba. Vnde benè per Moysen dicitur: *In dexterâ eius ignea lex.* Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram ponendi sunt: dextera autem Dei appellantur electi. In dexterâ ergo Dei ignea lex est, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, & mens illorum sibimet irata, internæ dulcedinis flamma concrematur.

Cur in linguis igneis.

Doctorum linguæ igneæ.

Luc. 24. v. 32

Deut. 33. v. 2

Lex ignea in dexterâ Dei.

In columbâ verò Spiritus sanctus & in igne monstratus est, quia omnes quos repleuerit, simplices & ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque enim placet Deo aut

Cur in columbâ, & in igne.

simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. [A] Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* (Matth. 10. v. 16.) Quâ in re notandum est, quòd discipulos suos nec de columbâ sine serpente, nec de serpente sine columbâ voluit Dominus admonere: quatenus & columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus.* (1. Cor. 14. v. 20.) Ecce prudentiam serpentis audiuimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur: *Sed malitiâ paruuli estote.* Hinc de beato Iob dicitur: *Erat vir simplex, & rectus.* (Iob. 1. v. 1.) Quæ est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ simplicitas [B] sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste Spiritus & simplicitatem, & in igne monstrari debuit, & in columbâ: quatenus omne cor quod eius gratiâ tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum fiat.

Prudentia & simplicitas in iustis sibi comites.

Ad extremum verò quærendum est, cur in ipso Redemptore nostro mediatore Dei & hominum, per columbam apparuit, in discipulis verò per ignem. Certè vnigenitus Dei Filius, iudex est generis humani. Sed quis eius iustitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem col- [C] ligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit: noluit peccatores ferire, sed colligere. Priùs voluit mansuetè corripere, vt haberet quos postmodum in iudicio saluaret. In columbâ ergo apparere super eum debuit Spiritus, qui non veniebat vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contrà super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, vt hi, qui erant simpliciter homines, atque ideo peccatores, eos contra semetipsos spi- [D] ritalis feruor accenderet, & peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent. Nec ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cœlesti magisterio, Ioanne attestante qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* (1. Ioan. 1. v. 8.) In igne venit ergo in hominibus, in columbâ verò apparuit in Domino: quia peccata nostra quæ piè Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conspicere, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam Spiritus in Redemptore monstratus est, per ignem verò in hominibus: quia quantò nobis nostri iudicis facta est seueritas temperata, tantò erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. [E]

Cur super Christum in colúbâ; in igne super discipulos.

Quatuor itaque propositionum expletâ ratione, ad eiusdem Spiritus dona contemplanda transeamus. De isto quippe Spiritu scriptum est; *Spiritus eius ornauit cælos.* (Iob. 26. v. 13.) Ornamenta enim cœlorum, sunt virtutes prædicantium, quæ videlicet ornamenta Paulus enumerat, dicens: *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia: alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* (1. Cor. 12. v. 7.) Quot ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Hinc rursum scriptum est; *Verbo Domini cæli firmati sunt.* (Psal. 32. v. 6.) Verbum enim Domi- [A] ni, Filius est Patris. Sed eosdem cœlos, videlicet sanctos Apostolos, vt tota simul Trinitas ostendatur operata, cuius virtus firmauerit, repentè de Spiritus sancti diuinitate adiungitur, *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cœlorum igitur virtus de Spiritu sumpta est, quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Spiritus sancti fortitudo solidasset.

Spiritus cœlos ornat, prædicatores virtutibus instruit.

Quales namque doctores sanctæ Ecclesiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint, scimus; & post aduentum illius cuius fortitudinis sint facti, aspicimus. Certè iste Pastor Ecclesiæ, ad cuius sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis [B] quantæque formidinis ante aduentum Spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat. Vnâ enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, Vitam negauit. Et pensandum, quia eum comprehensum Petrus negauit in terrâ, quem suspensum Latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum Spiritus existat, audiamus. Fit conuentus magistratus atque seniorum, cæsis denuntiatur Apostolis ne in nomine Iesu loqui debeant. Petrus magnâ auctoritate respondet: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* (Act. 5. v. 29.) Et rursum: *Si iustum est in conspectu* [C] *Dei vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* (Act. 4. v. 19.) *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* (Act. 5. v. 41.) Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui antè in verbis timebat. Et qui priùs ancillæ voce requisitus timuit, post aduentum Spiritus sancti vires principum cæsus premit.

Petri timiditas ante aduentum Spiritus sancti.

Eius post ipsum constantia animi.

Libet oculos fidei in virtute opificis huius attollere, atque sparsim Patres Testamenti noui ac veteris considerate. Ecce apertis eiusdem fidei [D] oculis Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsâ meâ consideratione deficio. Implet enim citharœdum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & Iudicem senum facit. Implet piscatorem, & Prædicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem Gentium facit. Implet publicanum, & Euangelistam facit. O qualis artifex est iste Spiritus! Nulla ad discendum morâ agitur. Id omne quod voluerit, mox vt tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò vt illustrat, immutat: abnegat hinc repentè quod erat, exhibet repentè quod [E] non erat. Pensemus sanctos Prædicatores nostros quales hodiernâ die reperit, quales fecit. Certè qui in vno conclaui propter Iudæorum metum residebant: natiuitatis suæ singuli linguam nouerant, & tamen nec eâ ipsâ linguâ quam nouerant, apertè Christum loqui præsumebant. Venit Spiritus, & in ore eos per diuersitatem linguarum docuit, in mente autem ex auctoritate roborauit. Cœperunt & in alienâ Christum eloqui, qui de illo priùs & in suâ linguâ loqui metuebant. Inflammatum enim cor despexit tormenta corporis quæ antè metuebat. Vicit vim carnalis formidinis, præ amore conditoris: & qui priùs suis aduersarijs succumbebant formidine, eis iam præerant auctoritate. Qui ergo in tantæ eos celsitudinis culmen erexit, quid aliud dixerim, nisi quòd mentes terrenorum hominum cælos fecit?

Mira Spiritus sancti operatio, ac vis.

Apostoli, aduentu Spiritus quales ex qualibus facti.

Incarnatio nis, & aduentus Spiritus solennis.

Pensate, fratres charissimi, post incarnationem vnigeniti Filij, qualis sit hodierna solennitas de aduentu Spiritus sancti. Sicut enim illa, ita quoque & hæc est honorabilis. In illâ quippe Deus in se permanens, suscepit hominem: in istâ verò homines venientem desuper susceperunt Deum. In illâ Deus naturaliter factus est homo: in istâ homines facti sunt per adoptionem dij. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc, fratres charissimi, viuificantem Spiritum amemus. Sed quia caro Spiritum nescit, dicat fortasse carnali cogitatione aliquis: Quomodò diligere valeo, quem ignoro? Hæc & nos concedimus, quia mens visibilibus intenta, videre nescit inuisibilem. Nulla enim nisi visibilia cogitat, eáque cùm non agit, eorum imagines introrsus trahit: dúmque in imaginibus corporeis iacet, surgere ad incorporea non valet. Vnde fit vt tantò deteriùs creatorem nesciat, quantò in cogitatione suâ familiariùs creaturam corpoream portat. Sed cùm Deum videre non possumus, habemus aliquid quod agamus, vnde iter fiat, quo ad eum nostræ intelligentiæ oculus veniat. Certè quem in se nullo modo videre valemus, hunc in seruis suis iam videre possumus: quos dum mira conspicimus agere, certum nobis fit in eorum mentibus Deum habitare. Inte autem incorporeâ à rebus corporalibus vsum trahamus. Nemo etenim nostrum orientem clarè Solem, in sphæram illius intendendo, valet conspicere, quia tensi in eius radijs oculi reuerberantur: sed sole illustratos montes aspicimus, & quia iam sol ortus est, videmus. Quia ergo Solem iustitiæ in seipso videre non possumus, illustratos montes claritate illius videamus, sanctos videlicet Apostolos, qui virtutibus emicant, miraculis coruscant, quos nati Solis claritas perfudit: & cùm in seipso inuisibilis sit, per eos nobis quasi per illustratos montes se visibilem præbuit. Virtus enim diuinitatis in se, quasi sol in cœlo est: virtus diuinitatis in hominibus, sol in terrâ. Solem ergo iustitiæ intueamur in terrâ, quem videre non possumus in cœlo: vt dum inoffenso pede operis per hunc in terrâ gradimur, ad intuendum illis ita, quandoque oculos & in cœlum leuemus.

Deus in se inuisibilis.

Videntur iã in seruis suis.

Simile.

Sed inoffenso pede iter nostrum in terrâ agitur, si Deus ac proximus integrâ mente diligatur. Nec enim Deus verè sine proximo, nec proximus verè diligitur sine Deo. Hinc est quòd sicut in alio sermone iam diximus, idem Spiritus secundò legitur discipulis datus: priùs à Domino in terrâ degête, posteà à Domino in cœlo præsidente. In terrâ quippe datur, vt diligatur proximus: è cœlo verò, vt diligatur Deus. Sed cur priùs in terrâ, postmodùm è cœlo, nisi quòd patentet datur intelligi, quia iuxta Ioannis vocem, *qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodò potest diligere?* Diligamus ergo proximum, fratres: amemus eum qui iuxta nos est, vt peruenire valeamus ad amorem illius, qui super nos est. Meditetur mens in proximo, quod exhibeat Deo, vt perfectè mereatur in Deo gaudere cum proximo. Tunc ad illam supernæ frequentiæ lætitiam perueniemus, de quâ nunc sancti Spiritus pignus accepimus. Ad istum finem toto amore tendamus, in quo sine fine lætabimur. Ibi supernorum ciuium societas sancta, ibi solennitas certa, ibi requies secura, ibi pax vera, quæ iam nobis non relinquitur, sed datur: per Dominum nostrum Iesum

Datus Spiritus in terrà, & è cœlo; vt diligatur proximus, tum Deus. 1. Ioan. 4. v. 20.

A Paschate.

Christum, qui viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI, in eodem festo.

HOMILIA.

Quia sancti Spiritus hodie, fratres charissimi, celebramus aduentum, debemus ipsi congruere solennitati quam colimus. Hoc etenim ordine tantùm festiuitatis huius dignè gaudia celebramus, si nos quoque Domino opitulante aptos reddiderimus, ad quos Spiritus sanctus aduenire, & in quibus habitare dignetur. Ea autem solummodò ratione aduentu & illustratione sancti Spiritus apti existimus, si & corda nostra diuino amore repleta, & corpora sint Dominicis mancipata præceptis. Vnde in exordio lectionis huius Euangelicæ discipulis Veritas ait: *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Paracletus quippe consolator interpretatur. Et Spiritus sanctus rectè Paraclitus vocatur, quia corda fidelium ne inter huius sæculi aduersa deficiant, cœlestis vitæ desiderijs subleuat ac reficit. Vnde in Actibus Apostolorum crescente sanctâ Ecclesiâ dicitur: *Eædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.*

Dies Pentecostes gaudia qui dignè celebrent.

Ioan. 14. v. 15.

Spiritus sanctus consolator.

Act. 9. v. 31.

Quod ergo ait, *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*; in ipsis quidem discipulis, qui eum verè dilexisse, verè mandatis eius obedisse non dubitantur, hodiernâ die completum est, quando illis in cœnaculo orantibus, repente Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, eosque & in ore per diuersitatem linguarum docuit, & in corde per amoris sui consolationem roborauit. Habebant autem & priùs Paracletum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem, cuius & miraculorum dulcedine, & ope prædicationis, ne infidelium persecutione scandalizati possent, erigi & confortari solebant. Verùm quia ille post resurrectionem ascendens in cœlum eos corporaliter deseruit, quibus tamen diuinæ præsentiâ maiestatis nunquam abfuit, rectè de hoc Paracleto, id est, Spiritu sancto subiunxit, *Vt maneat vobiscum in æternum.* In æternum namque manet cum Sanctis, quos & in hac vitâ semper inuisibiliter intus illustrat, & in futuro ad contemplandam perpetuò speciem suæ maiestatis introducit.

Impleta Christi promissio in discipulis.

Act. 2. v. 4.

Sed & nos, fratres charissimi, si Christum perfectè diligimus, ita vt eiusdem dilectionis veritatem mandatorum eius obseruatione probemus, rogabit etiam pro nobis Patrem, & alium Paracletum dabit nobis Pater. Rogabit Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per diuinitatem. Neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodò pro Ecclesiâ rogauerit, & non etiam nunc post ascensionem roget, cùm dicat de illo Apostolus: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Habemus autem & nos Paracletum Dominum nostrum Iesum Christum, quem & si corporaliter videre nequimus, ea tamen quæ in corpore gessit & docuit, in Euangelijs scripta tenemus. Et si his audiendis, legendis, inuicem conferendis,

Vt implenda in nobis.

Etiam nunc Christus vt homo rogat pro nobis.

Rom. 8. v. 34.

corde & opere conseruandis curam impendimus, (A) constat nimirum quòd ærumnas sæculi facillimè, quasi Domino nobiscum perpetuò commorante ac oos consolante, vincamus. Si ergo hunc Paracletum diligimus, eiúsque mandata seruamus, rogabir Patrem, & alium Paracletum dabit nobis, id est, Spiritus sui gratiam nostris cordibus clementer infundet, quæ nos inter aduersa præsentis exilij patriæ cœlestis expectatione lætificet, ita vt cum Prophetâ possimus dicere:

Psal. 93. v. 19 *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, paraclesis*, id est, consolationes, *tua Domine lætificauerunt animam meam*. *Alium* ergo, inquit, *Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*. Et addidit, (B)

V. 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere*. Mundum autem appellat homines mundi huius amori deditos, sicut è contrà Sancti qui cœlesti desiderio flagrant, cœli rectè vocantur,

Mundus, mundi amatores; cœli, Sancti.

Psal. 21. v. 32. dicente Psalmistâ: *Et annuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur*, quod est apertè dicere: annuntiabunt excelsi mente, voce, actione doctores iustitiam eius, populo qui ad fidem veniendo nuper in illo nasci desiderat. Quisquis igitur consolationem foris in mundi rebus inquirit, hic diuinæ consolationis munere intus reformari non valet. Quisquis infimis delectationibus inhiat, non potest accipere Spiritum veritatis. (C) Fugit enim Spiritus veritatis cor quod vanitati subditum cernit, solósque hos quos mandata veritatis per dilectionem operari conspicit, aduentus sui luce reficit. Vnde benè cùm diceret, *quem mundus non potest accipere*, mox addidit, dicens: *Quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Dominum namque Saluatorem & infideles ante passionem in carne viderunt, sed quia Dei Filius esset, quia Paracletus à Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit: sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, vt in ipsis (D) eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait, *Vos autem cognoscetis eum quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Qui autem inuisibiliter in hac vitâ manet cum electis, inuisibiliter vtique eis gratiam suæ cognitionis exhibet.

Mundani, Spiritum sanctum recipere non possunt.

V. 18. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*. Videbatur infidelibus quia moriens in cruce Dominus discipulos relinqueret orphanos, sed non reliquit orphanos,

Act. 1. v. 3. *quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta*, & post dies decem assumptionis suæ, hoc est, hodiernâ die, Spiritus sancti illos de cœlo charismate donauit. Vbi ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem (E) sanctæ Trinitatis naturam, virtutem, & operationem esse cognouit. Quod ipsum latiùs exequens, quantum causa illorum de gente non sanctâ sit discreta denuntiat.

Venit & Christus adueniente Spiritu.

V. 19. *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis*. Nam quia hæc ad passionem iturus loquebatur, modicum erat vsque ad tempus expletæ passionis, ex quo illum reprobi nunquam videre valebant. Soli etenim iusti qui morte illius erant contristati, gaudium resurrectionis eius videre meruerunt. At qui visâ morte eius exultabant, (A) nequaquam ipsi visâ eius resurrectione lætari, sed auditâ conturbari ac dolere, prout decebat, habebant. *Vos autem videtis me*, inquit, *quia ego viuo, & vos viuetis. Ego viuo*, præsentis temporis verbo posuit, *& vos viuetis*, futuri: quia nimirum in proximo esse cernebat, ideoque quasi præsentem nominabat horam, in quâ ipse morte destructâ in æternam resurgeret vitam: illorum verò vitam in futurum nouerat esse differendam, quos & vsque ad præfinitum mortis suæ tempus singulos pro ingressu vitæ perennis agonizari, & vsque ad finem sæculi resurrectionem sui corporis expectare oportebat. (B) Ait ergo: *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis*. Ac si apertè dicat: Adhuc modicum, & mundi amatores me mortalem vltra videre desistunt, resurgentem verò à mortuis cernere nequeunt: quia illam nesciunt vitam, cuius soli amatores gloriam meæ resurrectionis merentur intueri. Vos autem ideo me post hæc videre valetis, quia & ego viuo resuscitatus à mortuis, & vos digni estis meæ resurrectionis exemplo consortari, qui & ipsi ad perpetuam vitam, & beatæ resurrectionis estis gaudia venturi.

Ego viuo, & vos viuetis.

V. 20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. (C) Nouerant etiam tunc Apostoli Christum esse in Patre per vnitatem indiuiduæ diuinitatis, nouerant se esse in Christo per susceptionem fidei & sacramentorum eius, nouerant in se esse Christum per dilectionem & obseruantiam mandatorum eius. Dixit enim eis ipse:

V. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hæc vtique & tunc imbuti à Christo nouerant Apostoli, & nunc Apostolicis imbuta literis, nouit omnis Ecclesia Christi. Sed in illo nimirum die quo veraciter viuere incipiunt, longè meliùs ea iusti cognoscunt, hoc est, in die resurrectionis, quando eò perfectiùs cuncta quæ scienda (D) sunt sciunt, quò ipsum scientiæ fontem viciniùs sine fine conspiciunt. Quod etiam de quibusdam perfectioribus Sanctis, & ante tempus resurrectionis fieri dubium non est, illis videlicet qui fiduciâ bonorum operum dicere cum Apostolo valent:

Phil. 1. v. 23. & 21. *Cupio dissolui, & esse cum Christo: mihi enim viuere Christus est, & mors lucrum*.

Christum in Patre, & in nobis, nosque in illo, tum scitur, tum promittitur sciendum.

Hæc quidem omnia Dominus quasi Apostolis specialiter dicere videtur, sed ne putaremus eum illis solummodò & non etiam nobis, si illorum exempla sequeremur, beatitudinem diuinæ cognitionis polliceri, generalem post hæc sententiam subintulit, & omnibus se diligentibus eadem suæ visionis & cognitionis præmia promittit, dicens:

V. 21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* (E) *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Vbi omni intentione considerandum, quia Christum verè diligere est non ipsam dilectionem labijs profiteri, sed mandata Christi quæ discendo habemus, operando seruare. Vnde & Ioannes admonens, ait:

1. Ioa. 3. v. 18 *Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate*. Omni gaudio amplectendum est, quia merces veræ nostræ dilectionis illa erit, quâ esse maior nulla poterit, nos scilicet à Patre & Filio diligi, nobis contemplandam perpetuò Filij Dei gloriam reuelari. Non autem dubitandum,

Christi dilectionis merces, à Patre & Filio diligi, eiusque ac sanctæ Trinitatis visione donari.

quia qoibus gloria Filij reuelabitur, eisdem quoque Patris & Spiritus sancti liceat adesse conspectui: quia quorum vna ast diuinitas, vna vtique & inseparabilis visio est. Hinc enim dicit: *Qui videt me, videt & Patrem.* Et notandũ, quia cùm præsentis temporis verbis diceret, *Qui autem diligit me*, adiecit de futuro, *diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum Patre Filius, sed nunc diligit ad hoc vt rectè viuant ex fide, quæ per dilectionem operatur: tunc ad hoc diliget, vt perueniant ad visionem veritatis quam per fidem gustauerant, & pro quâ ad mortem vsque certauerant. Non autem frustra cum additamento ait, *& manifestabo ei meipsum.* Se enim cunctis hominibus, seipsum verò solis manifestabit electis. Nam & reprobi in iudicio Christum videbunt, sed sicut scriptum est, *Videbunt in quem transfixerunt*, soli autem Regem in decore suo videbunt oculi iustorum. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Sup. v. 9.

Dei præsens dilectio, & futura.

Gal. 5. v. 6.

Ioan. 19. v. 37.

Isai. 33. v. 17

Matth. 5. v. 8.

Hæc de lectione Euangelicâ fraternitati vestræ, charissimi, prout Dominus dedit, exponendo diximos. Videtur autem opportunum de solennitate adhuc hodiernâ breuiter aliqua disserere. In primis autem sciendum est, quòd hæc solennitas non Euangelicis tantum consecrata charismatibus, verùm etiam iam olim legalibus præsignata est mysteriis, ac Domino iubente per omnes annos sacris obseruata ceremoniis. Hodiernâ etenim die, vt nouimus, positis in cœnaculu discipulis, factus est repente de cœlo sonus, & Spiritus sanctus in visiona ignis apparens, scientiam illis omnium linguarum tradidit. Factâ autem hac voce, conuenere viri religiosi, qui de diuersis nationibus Hierosolymam Paschalis festiuitatis gratiâ confluxerant, stupebántque mirantes, quoniam audiebat vnusquisque linguâ suâ illos loquentes magnalia Dei. Exponentibus autem discipulis quia Spiritus sancti esset gratia, quam cernebant, olim quidem voce Prophetarum promissa, tunc autem Christi munere missa, crediderunt ex eis tria millia virorum, & baptizati acceperunt etiam ipsi donum Spiritus sancti. Hæc est diei huius annua celebritas, hæc granæ cœlestis semper grata festiuitas. Ob huius memoriam fidelium cordibus arctiùs imprimendam pulcherrimus sanctæ Ecclesiæ mos inoleuit, vt annis singulis in eâ baptismatis mysteria celebrentur, ablutísque fonte salutari credentibus, superuenienti Spiritu sancto templum venerabile paretur. Ac per hoc non solùm veteris facti recordatio, verùm etiam in nouos adoptionis filios nouus in eâ Spiritus sancti celebratur aduentus.

Act. 2. v. 1.

Christianorum Pentecoste.

Solennis Baptismus in Pentecoste.

Attendat ergo charitss vestra, fratres mei, qualiter huic nostræ festiuitati legalis festi typus & figura concinat. Liberati de Ægyptiacâ seruitute filij Israël per immolationem agni Paschalis, exierunt in desertum, vt veuirent ad terram repromissionis, peruenerúntqoe ad montem Sinai: & descendens Dominus in igne super montem, comitante sonitu buccinæ, tonitruis ac fulgoribus, quinquagesimo die peracti Pâschæ, legis decalogum eis apertâ voce disposuit, atqua in memoriam datæ legis statuit, eodem die per annos singulos sacrificium sibi nouum de frugibus eiosdem anni, panes videlicet primitiarum duos ad altare deferri. Quæ autem sit agni Paschalis immolatio, quæ Ægypriæ seruitutis absolutio, cunctis legentibus liquet, quia videlicet *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & ipse verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi: qui sui sanguinis pretio nos à peccatorum seruitute redemit, suæ resurrectionis exemplo nobis spem vitæ & perpetuæ libertatis ostendit. Quinquagesimo verò die post occisionem agni data est lex, descendente Domino super montem in igne, & quinquagesimâ æquè die post resurrectionem nostri Redemptoris, quæ est hodia, data est gratia Spiritus sancti discipulis in cœnaculo constitutis, quæ spparente foris igna visibili, inuisibiliter eorum pectora luce scientiæ irradiauit, ac inextinguibili charitatis ardore succendit. Et hîc autem altitudo cœnaculi, & ibi cacumen montis, sublimitatem præceptorum, & donorum indicat cœlestium: & quia nemo infimis adhuc desideriis inhærens, vel diuinis obtemperare mandatis, vel supernis possit dignus existere donis: sed hic in maioris signum perfectionis, omnes qui accipiebant Spiritum in cœnaculo erant positi: illic ad designanda infirmorum corda auditorum, populus quidem omnis infra montem stabat, at pauci seniorum montis partem conscenderant. Solus autem Moyses in ipsum eius verticem, vbi in igna & caligine diuinâ Maiestas præfulgebat, ascendit: quia nimirùm altiora & intima legis arcana perfectiores solùm capare & seruare nooerant, populus verò carnalis literæ superficie contentus, quasi exteriùs & infra positus verbi cœlestis astabant auditui: at nunc datâ latiùs gratiâ sancti Spiritus, ad intelligenda sublimiùs simul & implenda perfectiùs sancti Euangelij dicta, fidelium corda subleuantur. Ibi inter flammas igniom & micantia fulgura, fragor quoque tonitruorum, & clangor sonabat buccinæ: hîc cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de cœlu tanquam spiritus vehementis aduenit. Sed cùm in vtraque datione, & legis videlicet & gratiæ, foris auditatur sonitus: hîc tamen ampliori miraculo cum audito sonitus adfuit virtus doni cœlestis, quæ intus sine sotitu discipulorum corda doceret. Ibi auditis legalibus edictis, respondet omnis populus vnâ voce, dicens: *Omnia verba quæ locutus est Dominus, & audiemus & faciemus.* Hîc acceptâ illustrationa Spiritus, nascentis Ecclesiæ cœtus omnium nationum linguis Dei magnalia loquebatur, certè vtique discrationis gratiâ: quia legis obseruatio vni tantùm genti Iudææ data fit, verbum verò Euangelij cunctis per orbem gentibus prædicandum, cunctorum linguis populorum Christianæ fidei essent præconia dicenda, impletâ prophetiâ quæ dixit: *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini: excelsus super omnes gentes Dominus.*

Iudæorum Pentecoste, nostræ illius figura.

Exod. 12. v. 1.

Exod. 19. v. 16.

Leuit. 23. v. 16.

1 Cor. 5. v. 7

Pentecostes vtriusque parallela.

Cœnaculi altitudo, & montis cacumen.

Discipuli omoes in cœnaculo; solus Moyses in montis cacumine; pauci seniores in monte.

In legis datione ignes, tonitrua &c. in gratiæ, peculiaris doctrina interior.

Exod. 24. v. 3.

Lex data solis Iudæis; Euangelij gratia gentibus vniuersis.

Psal. 112. v. 3

Sed & hoc quòd in venerationem acceptæ legis omnibus annis sacrificium nouum Domino die Pentecostes offerri iussum est, in nostrâ quoque festiuitate spiritaliter agi ex acceptæ gratiæ tempore nunquam desiit. Nouum quippe in eâ sacrificium offert Ecclesia, cùm sabbato incipientis sanctæ Pentecostes, nouum adoptionis populum per baptisma Domino consecrat ritu verè decentissimo, sicut & sopra monuimus: vt non solùm populis Christianis veteris facti memoria innouetur, sed & in nouam renatorum sobolem, noua Paracleti à Patre missio celebretur. Nouum in eâ sacrificium Domino ipsi quoque Apostoli, mox accepto dono Spiritus obtulerunt, cùm euangelizantes his qui conuenerant, plurimos

Leuit. 23. v. 16.

Nouum sacrificium in Pentecoste nostrâ, consecratione.

ni populi per baptismum. Duo panes primitiarũ, Iudæi & Gentiles.

conuertetunr ad fidem: & hos fonte baptiſmatis renatos, ac Spiritus gratiâ ſanctificatos, viuas vtique noui Teſtamenti primitias ad commuoionem Dominici altaris obtulerunt. Benè autem duo panes primitiarum de nouis frugibus iubebantur offerri, quia nimirum Eccleſia de vtroque populo, Iudæorum ſcilicet & Gentium colligit, quos in nouam ſuo Redemptori familiam conſectet.

Quinquagenarius numerus ſacer in lege & gratiâ.

Inter hæc verò ſolertet intuendum eſt, quòd non ſine magno myſterio quinquagenarius numerus in datione vel legis, vel gratiæ obſeruatus eſt. Nam quinquageſimâ die Paſchæ & illa in monte populo data, & hæc diſcipulis in cœnaculo miſſa eſt. Sed hoc nimirum numero perpetuitas futuræ quietis oſtenditur, in quo rectè vel legis decalogus mandatur, vel Spiritus ſancti gratia datur hominibus, vt apertè monſtraretur quia quicunque diuinæ legis iuſſa iuuâte Spiritus gratiâ perficiunt, ad veram profectò requiem tendunt. Quia enim quinquageſimus annus in lege Iubilæus, id eſt, dimittens ſiue mutatus appellari iuſſus eſt, in quo populus ab omni operatione quieſceret, omnium debita laxarentur, ſerui liberi redirent, annus ipſe maioribus ſolenniis ac laudibus diuinis eminentior cæteris exiſteret, meritò per hunc numerum illa ſummæ pacis tranquillitas indicatur: quando, ſicut Apoſtolus ait, canente nouiſſimâ tubâ mortui reſurgent, & nos immutabimur in gloriam: vbi ceſſantibus huius ſæculi laboribus & ærumnis, dimiſſis omnium culparum debitis, in ſolâ diuinæ viſionis contemplatione cunctus electorum populus in æternum gaudebit, impleto illo deſiderabili Domini ac Saluatoris noſtri mandato, *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus.* Ad quam profectò vacationem, & viſionem incommutabilis veritatis, quia non niſi per obſeruantiam præceptorum cœleſtium ac Spiritus ſancti donum pertingitur, rectè & legem decalogi & eiuſdem Spiritus gratiam, in eo dierum numero, qui requiem deſignaret, dari decebat.

Leuit. 25. v. 8.
Annus Iubilæus, figura ſummæ in cœlo pacis.
1. Cor. 15. v. 52.
Pſal. 45. v. 11.

Quinquagenarij ſignificatio è ſeptenario oritur.

Neque hoc prætereundum, quòd ideo numerus quinquagenarius ſignificationi internæ quietis aptatur, quia ex ſeptem ſeptimanis & monade perficitur. Sex quippe diebus in lege populus operari, ſeptimâ quieſcere: ſex annis arate & metere, ſeptimo iuſſus eſt ceſſare: quia & Dominus ſex diebus mundi ornatum perfecerit, ſeptimo ab opere ſuo ceſſauerit. Quibus omnibus myſticè admonemur, quòd hi qui in hoc ſæculo, quod ſex ætatibus conſtat, bonis operibus pro Domino inſtant, in ſabbatum in futuro, id eſt, in requiem à Domino inducuntur æternam. Quòd autem ſeptem dies vel anni ſepties ducuntur, multiplicem eiuſdem requiei abundantiam deſignant, in quâ præmium illud ſublime datur electis, de quo Apoſtolus ait, *quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Cuius præmij cognitionem quia in cor hominis, id eſt, humana adhuc ſapientia aſcendere non poſſe teſtatur, aperit ſubſequenter vnde hoc diligentibus Deum poſſit oſtendi: *Nobis autem*, inquit, *reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Per Spiritum ergo reuelatur præmij magnitudo perennis, quia dum ipſe corda quæ implet appetitu inuiſibilium inflammat, eadem bona inuiſibilia quàm ſint præclara, quàm terrenis omnibus præferenda, manifeſtat. Vnde benè eiuſdem

Exod. 20. v. 9. & 23. v. 10.
Gen. 2. v. 2.
Ducti ſepties dies, vel anni, requiei indicant abundantiam.
Iſai. 64. v. 4.
1. Cor. 2. v. 9.
Ibidem.

A Spiritus gratia ſeptiformis à Prophetâ deſcribitur, quia nimirum & per eius inſpirationem ad requiem peruenitur, & in eius plenâ perceptione ac viſione requies vera poſſidetur. Porrò ipſe dies vel annus quinquageſimus, qui ſeptem ſeptimanis ſupereſt, & maiore præ cæteris erat ſolennitate venerabilis, tempus futuræ reſurrectionis indicat, in quo illa requies quâ nunc animæ fruuntur electorum, corporum quoque receptorum gloriâ cumulabitur.

Iſai. 11. v. 2.

Vbi ſolicitiùs intuendum eſt, fratres mei, quia Spiritus ſanctus non ſolùm in futuro præfatam, ſed & in præſenti maximam iuſtis quietem tribuit, cùm eorum mentes cœleſti igne charitas accendit. Dicit namque Apoſtolus; *Spes autem* B *non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et hæc eſt vera, imò hæc eſt ſola in hac vitâ requies animarum, diuinâ dilectione repleri, ſpe ſupernæ retributionis proſpera mundi ſimul & aduerſa contemnere, terrena à ſe deſideria funditus extirpare, concupiſcentiis renuntiare ſæcularibus, illatis pro Chriſto contumeliis & perſecutionibus gaudere, & cum Apoſtolo dicere poſſe: *Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Nam qui in rerum mundanarum delectationibus, & opulentiâ ſe requieſcere C poſſe confidit, fallitur: etenim & creberrimis eiuſdem mundi perturbationibus, & ipſo fine conuincitur, quia ſuper arenam fundamentum ſuæ quietis poſuerit. At quicunque ſancto afflati Spiritu, ſuauiſſimum illud Dominicæ dilectionis iugum ſuper ſe leuauerint, atque exemplo illius mites eſſe & humiles corde didicerint, nonnullâ etiam in præſenti futuræ quietis imagine fruuntur, dum à conturbatione hominum ſæcularium totâ mente ſecreti, vultum ſui conditoris ſemper reminiſci gaudent, atque ad perfectam eius contemplationem pertingere ſitiunt, dicentes ſibi cum Apoſtolo Ioanne: *Scimus quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, videbimus enim eum* D *ſicuti eſt.* Ad cuius præmium viſionis ſi peruenire deſideramus, oportet, fratres chariſſimi, vt huius Euangelicæ lectionis perpetuò memores, à mundi nos illecebris immunes exhibeamus, quatenus ad percipiendam Spiritus ſancti gratiam, quam mundus non poteſt accipere, digni exiſtere valeamus. Diligamus Chriſtum, eiuſque mandata quæ habemus incipiendo, ſeruemus perſeuerando. Fit enim iuſtâ mercede, vt illum diligendo diligi ampliùs mereamur à Patre; ſed & ipſe maiorem dilectionis ſuæ gratiam præſtare dignetur in futurum. Dat enim nunc diligendo nos, vt credentes ſperemus in eum, E nunc autem vt videamus eum facie ad faciem, manifeſtabitque ſeipſum nobis, hoc eſt, in claritate quam habuit priuſquam mundus eſſet apud Patrem, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 5. v. 5.
Vera requies animarum in hac vitâ.
Rom. 5. v. 2.
1. Ioan. 3. v. 2.
Ioan. 17. v. 5.

IACOBI MONACHI ORATIO

aduersus oppugnatores Spiritus sancti.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

In Codice Emin. Card. Mazarini est Epist. ad Irenem Augustam. 43. in quibus eã multis tum solatur ob aduersa, tum laudat ob fidem & pietatem; insectatur illius aduersarios, atque in illis Theophylactum quendam. Videantur hæc spectare ad Magnam Irenem, Constantini matrem, quæ ita cum filio turbas habuit, exutáque imperio à Nicephoro fuit. Vixisse ante exortam controuersiam de processione Spiritus sancti etiam ex Filio, liquet, tum ex hac Orat. tum ex aliis quæ passim inserta habet Epistolis περὶ Θεολογίας. Quinam verò sint Πνευματομάχοι quos impugnat, eâ ætate vigentes, me latet.

QVisquis fidei desiderio tenetur, bonom sibi vendicat, cupitque animi exultationem, ac io se videt quod desiderauit; nempe bonum illud arcanum, vimque omnem mentis soperans, ac nullis verbis explicabilem decorem: veram illam lucem, totius bonitatis fontem, potentiam vniuersis eminentem: de quâ qui dicat quicquid facultatis est, quod dicit nihil est. Itaque conabimur etiam nos quos immortalium cupido diuitiarum incessat, diuitias in apertum proferre, ac ex æquo in omnes thesaurum diuidere. Talis quippe nostræ fidei diuisio est, vt in omnes ijs studentes diuitiæ diuidantor. Sanè quidem terrenarum diuisioue diuitiarum, æquis partibus inter se distribuentes lædit, qui sibi ipse amplius corraserit. Planè enim socij partem minuit, qui sua maiora facit. Nostræ autem fidei spiritales diuitiæ idipsum ac sol præstant. Io omnes qui percipiunt, ac videut, æquis se partibus diuiduot, atque ad singulos integræ veniunt. A communi igitur coosuetudine animum auocate, qui de Spiritu sancto disceptatis, ac ab Ecclesiâ accuratam dogmatam traditionem accipite. Siquidem euim Ecclesiæ doctrinam, ac documenta accepissetis, haod vnquam in tantam opinionis de Spiritu sancto versi dementiam essetis, verúmque Scripturæ sensum nesciuissetis. Nec enim de leuibus, exiguique momenti periculum est. Duplex namqoe in eis velamen; alterum, quòd mentis suæ clauserint oculos; alterum quòd increduli sint Spiritoi sancto; eoque in contrarias impegere sententias, vt qui suis animi rationibos sint cæcati; proruerúntque in ignorantiæ barathrum, vacuos se monstrantes à fide Spiritûs sancti. Quid enim abiectius viro qui incredulus sit Spiritui sancto? Quippe incredulitas eius mentis est, qoam sensus probitásque deficiat. Idcirco etiam foris manent, ne illis illustratio Spiritus sancti affulgeat: quippe adeò ijs morantur locis, quæ Æternus non visitat. Qui auditores estis, iudicate. Christianorum namque fides, ad Patrem spectat. Cuncta verò Pater est, Altissimus, Omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium; quicquid denique sublimi hæret appellationi, Patris proprium est. Quæ autem Patris sunt, sunt & Filij omnia; ac quæ Filij, Spiritûs. Nostra hæc doctrina, ac Ecclesiæ Catholicæ propria, vt diuinam natoram omni credamus principio superiorem esse; subiectúmque habere, quicqnid io rerum naturâ intelligitur existere. Porrò diuina natura, Pater & Filius & Spiritus sanctus est. Pater enim per Spiritum noscitur, ac

ὁ αἰώνιος. potiùs Κύριος: vt & infra ea. Deut. 6. v. 12.

per Filiom clarificatur; estqoe vnus sanctæ Trinitatis ordo; ac vna trium personarum infinitæ virtutis potentia. Nullam Spiritus sanctus mutationem admittit ac vicissitudinem, vti nec Pater, nec Filius, quibus Spiritus accensitus est. Alia omnia aliunde quòd mouentor, habeot: Spiritus sanctus, qui Deus sit, nec ab aliquo productus est, nec ab vllo mouetur; sed à seipso mobilis, atque adeò ingiter mobilis, ac à se poteos, ex se habet quòd possit. Idcirco etiam omnia quæcunque vult, potest; qui sit vita, ac vitæ auctor. Quemadmodum igni inseparabilis calor, ac luci vt luceat comparatum est, sic Spiritui vt sanctificet, ac viuificet. Lux est, ac lucis largitor. Porrò lux appellatur Spiritus sanctus, quòd omnem ignorantiam, errorémque ab animis quibus affulserit, dispellat: quódque omnia in seipsum conuertat, quæcunque omninò ipsius radiis confouentur, ipsum reipsâ bonom, ac fons bonitatis est; nempe substantiale bonum, à quo etiam ceu fonte bona reliquis manant, vti & Dauid bonum ipsum Spiritum nuncupat, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Spiritus, vita, lux, bonum.

Psal. 142. v. 10.

Enimuerò vide rursus qui reniteris. Pater, Filius, atque Spiritus; Innascibilitas, Genitura, Processio: Omnia quæcunque est Pater Filii sunt, exceptâ innascibilitate: omniáque qoæ habet Filius, Spiritus sunt, exceptâ natiuitate: noo enim natus est Spiritus, sed processit. Quòd verò io iisdem diuinis operibus Trinitas collaudetur, eiusdem deitatis argumentum est. Cæterùm quòd extraneos, ac hæreticos repudiauimus, ac submouerimus, age nostros iam homines, ac qui eandem colant fidem, ædificemus.

Eadem Gregorius Theologus, ex quo ista, eiusque vetoribus exemplaribus.

Spiritus sanctus antequam produceretur creatura, quæ iu sensum cadit, vim suam exerebat in Angelis. Porrò Angelis abs Spiritu est consummatio ac perfectio. Augelorum verò consummatio ac perfectio, sanctificatio est, ac in eâ perseuerantia. Ab eo illustratio. Ac priùs quidem ad vitium ac malum ægrè mobiles erant; nunc verò, immobiles; non naturâ, sed gratiâ, atque hoc solùm quòd bono assidui sunt, eique adhærent. Quo enim pacto dicerent Angeli, *Gloria in altissimis Deo*, nisi Spiritu sancto corroborante? Quâ verò ratione primæ à Deo Potestates beatam enarrarent vitam, oisi continuè Patris, qui io cœlis est, faciem viderent? Quod autem videant, haud absque Spiritu est. Quemadmodum enim si noctu lumen domo sustuleris, cæci aspectus relinquuntur; at nec materiæ, quanta cuiusque dignitas sit, cognosci possunt; sic & in spiritali ornatu (Angelis scilicet) fieri nequit vt absque Spiritu sancto diuina vita perseueret. Quanam verò ratione dixerint, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sancta illa Seraphim, nisi docente Spiritu sancto? Cœlestis ergo compositio ac concentus, nusquam nisi Spiritus sancti curâ, ipsoqoe præside conseruari possit.

Spiritus gratia in Angelis.

Luc. 2. v. 14.

Matth. 18. v. 10.

Isai. 6. v. 3.

Tria igitur animo concipe; iubentem Dominum; quod creat, Verbum; ac qoi confirmat, Spiritum. Quidnam verò aliud confirmatio sit, quàm consummata sanctificatio, atque in bono firma constantia ac immutabilitas? Sanctificatio autem, non absque Spiritu sancto est. Viuit itaque Verbum, in quo cœli conditi sunt: Vita verò est Spiritus sanctus, qui cœlestibus Potestatibus præstet vt perfectæ sint. Neque enim Deus verbo eiusmodi quod ore proferatur, creat; ne-

Iubet Deus vt arti suæ ac rationi; sic Sancti expleant, nullo detrimento Filij ac Spiritus veræ deitatis.

Psal. 32. v. 6.

que spiritus aërii fusione ornantur cœli: sed Spiritus, viuens viuus est, ac diuina natura, viuenti Verbo accensita, vnà cum eo condens creaturum, vti ex Dauide didicimus. Sed & Iobus ait, *Spiritus diuinus qui fecit me*, tribuitque & ipse Spiritui sancto quòd in rerum naturam productus sit: Neque id modò, sed & sapientiæ in ipso munus eidem Spiritui sancto adscribit, dicens, *Flatus verò Omnipotentis, qui docet me.* Cogita originalem causam rerum quæ fiunt, ac creantur, Patrem; creatricem, Filium; consummatricem, Spiritum sanctum. Itaque Patris voluntate existunt administratorij Spiritus; Filij operatione in rerum naturam producti sunt; præsentiâ illapsúque Spiritus, consummantur. Consummatio autem Angelis, illustratio est, ac sanctificatio, atque in eâ perseuerantia.

Iob.33.v.4.

ἀρχηγετικὴν αἰτίαν malè ἀπλ-ῶν. Vox Magni Basilij. Vid. Concil. Florent.

Noueris itaque, qui aduersaris, quamcunque trium personarum minorem statuens, atque deitate deieceris, quicquid datum est, quod iuarum est partium, te euertisse, ac probro affecisse; téque ipsum perfectione priuasse. Necesse igitur est, quæ in viuificâ gratiâ indulta traditio est, inuiolabilem permanere; quippe cùm addere aliquid, aut subducere, sempiternæ vitæ iactura perspicuè sit. Planè *euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*; qui frustra ac temere de Spiritu sancto nugentur.

Rom.1.v.21.

Enimuerò veni nobiscum quisques es qui aduersaris, ac intelligamus, quænam vera lux, quænâ falsa, ne simus gladius acutus, aut nouacula dolosa, vel sub linguâ laborem versemus atque dolorem, velutque inter quos ac iumenta intersit: nihil, quæ Dei aduersa naturæ sint, sentiamus, qui exceptis ijs quæ sunt in pedibus, nihil ampliùs sciamus. Idcirco nos nostris fixi firmíque regulis, atque terminis, ingenitum docemus, & genitum, ac ex Patre procedens. Porrò Monarchia est, quod colimus. Monarchia verò, non quæ vnâ personâ definiatur, sed quæ paris naturæ dignitate consistat, vnáque voluntatis conspiratione, eodem motu; inque vnum, eorum quæ ex Deo sunt, nutu ac propensione. Etenim Vnitas à principio in Binarium mota, in Trinitatem stetit. Idque nobis Pater est, & Filius, & Spiritus sanctus: Ille quidem Genitor ac qui Spiritum emittit; nullâ scilicet passione, sine tempore, ac incorporeâ ratione; horum, alterum proles, seu genitura; alterum, processio.

Rursus qui aduersaris, interroga; ac iterum respondebo tibi. Quandonam Filium genitum ais? Quando Pater non genitus est. Quandonam Spiritum processisse? Quando Filius non processit, sed natus est sine tempore, ac eâ, quæ rationis vim omnem excedat, ratione. Porrò consequens est, vt Dei substantiam indiuisam eiusdemque rationis intelligamus. Tu verò, qui obniteris, Filium cogita qui à Patre nunquam recesserit, nec ab ipso Spiritus sanctus; velut pariter in mente cogitatio, notióque existit. Quemadmodum enim mentem inter ac cogitationem diuisio nulla, seu dissectio vnquam possit intelligi; sic nec inter Spiritum, & Filium, ac Patrem; quòd nempe spiritalium ac diuinorum indiuisa natura sit. Quemadmodum lucis radij, quorum inter se natura habitudo sit ac cohæsio, nec à luce separantur, nec à se mutuò abscinduntur, ac ad nos vsque lucis munus emittunt: pari quoque ratione Saluator noster ac Spiritus sanctus (Patris ille geminus radius) tum ad nos vsque veritatis lumen ministrant, tum Patri vniti sunt. Nihil enim iacturæ Pater sustinuit, quòd ij ad nos venerint: sed & ad nos vsque processerunt, nihiloque seciùs à Patre indiuisi perstiterunt. Sic quidem qui de Filio Dei, ac de Spiritu sancto sermo est, lapidantes vitauit. Sermo enim, ac Spiritus sanctus non lapidantur. Quin potiùs lapidant, fundáque rotante petunt hæreticas bestias Theologiæ montem inuadentes, ne limpidiùs Dei Filium cognoscant, ac Spiritum sanctum.

Ita fere Dionysius, & Maximus, malè eo loquendi modo, ceu patronus erroris sequiorum Græcorum Lanselio & Cordesio sugillatus.

Tu mihi quæso, pars aduersa, Patris innascibilitatem edicito, & ego tibi Filij generationis, ac processionis Spiritus sancti vim, naturamque enarrabo. Nullis partibus naturam, quæ vna sit, pariterque venerationem habeat, circuncidas. Nimirum si quid trium abstuleris, quicquid est te sustulisse noueris: Nam & vnius adoratio, trium adoratio est, quòd in tribus vnus parque dignitatis, atque naturæ cultus sit. Non enim aduersarij Trinitatis splendorem ferunt, totâ deitate fulgentem, nobisque eius veris præconibus ac cultoribus honestatem, ac decus conciliantem. Enimuerò in eorum vertatur capita quòd Spiritum sanctum blasphemant, vt in tenebris mentis suæ serpentum ac bestiarum (prauarum scilicet cogitationum) lustra conspiciant.

Exod. 19. v. 13. Hebr. 12. v. 18. Perinde ludit ferè Theologus.

Enimuerò ij tales sunt, ac talibus nobiscum doctrinis disputant; miseri scilicet nefastique homines pietatis loco, ac Spiritus sancti splendore, qui veritatis fulgorem suspectare nequiuerint: prophani sanctorum iudices, ac nequitiæ sophistæ. Quocirca etiam ego vt furiosos auersor. Qui enim non credit Spiritum sanctum esse verum Deum, sed mendacij accusat veritatem, quomodò non aperti furoris indicium, incredulitatem profert? Verùm qui contrarium sentitis, illuminate vobis lumen scientiæ, clariusque ac limpidiùs Trinitate illustramini, vno ex vnâ deitate fulgore. Quod me attinet, needum vnum intellexi, cùm tribus circumfulgeor: needum distinxi tria, cùm in vnum assurgo. Si tantisper abs Spiritu sancto deuiaueris, ad teipsum reuertere, nouusque è veteri efficere, ac animi encænia cole.

Verùm sermonem denuo resumamus. Idcirco procul consiste, qui aduersarius es, ac à Theologiæ monte, ne durorum grandine lapidum conteraris, recede. Lapides enim sunt, iis qui in Spiritum sanctum bestiales sunt, veri solidique sermones. At, siue pardalis sit, cum macularum varietate moriatur; siue leo rapiens & rugiens, ac quærens quem animorum nostrorum, quámve dictionum deuoret; siue sus, pulchros ac pellucidos veritatis margaritas conculcans; siue lupus Arabicus, ipsque sophismatum struе velocior; siue vulpes, dolosa anima, ac incredula. Amat enim sermo ab his remotus, in tabulis firmioribus ac lapideis, ipsque ab vtraque parte scribi, tum eius ratione quod lex conspicuum habet, tum eius quod latens atque occultum; alterum quidem in vulgi vsum, ac eorum qui in inferioribus maneor; alterum verò, vt paucis cedat, ac iis qui ad superiora euadunt. Atque hæc quidem hactenus. Mihi verò Theologiam aggredi constitutum est. Contestor autem aduersarios, vt rationes quæ fœminei sexus sint, in infirmis relinquant, sicque vix tandem tubæ huius vocem capiant, vocem scilicet magnum quid, ac eximium sonantem, quodque eorum excedat

Ier. 13. v. 23. Ezech. 22. v. 25. Matth. 7. v. 6. Habach. 1. v. 8. Vbi Vul. vespertinis, Luc 13. v. 32. Exod. 32. v. 18.

facultatem; vocem denique, quam ipsa securitatis caligo (in qua Pater, Filius, & Spiritus sanctus) premat. Nec inæquale distinctis substantijs; nec ita vt Pater Filio præcellat, vel Spiritus sit Filio minor, vt qui minimè genitus sit; vel Filius Patre, quòd non est ingenitus; sed vndique æquale, velut vna cœli moles, æqualis vndequaque elucens. Quemadmodum enim tria infinita ac incomprehensa, ita etiam eorum coniunctio. Ac rursus Deus tria secum mutuò intellecta, quòd vnus idemque motus sit atque natura. Deus quidem singula, quòd vna substantia; triáque rursus vnus Deus, quòd monarchia est; hoc est, vnus principatus. Non possum cuiusque trium personarum lumē separare, sed ob coniunctionem ac æqualitatem vnum fulgorem, luménque conspicio. Hæc porrò tum continuè dico, tum aduersarios obseruare rogo, idcirco nimirum quòd & peregrinam audiunt vocem, quâ seducantur, ac dispergantur à veritate, ad montes, & deserta, atque barathra, locáque, quæ non visitat Dominus. *Dominus autem Spiritus est*, vti ait Apostolus.

Deut. 11. v. 2.
2. Cor. 3. v. 17.

Vt itaque vos quoque præclaram hanc rectæ fidei confessionem noueritis, dirumpite vincula incredulitatis, & à diaboli laqueo resilite. Si enim creaturam colerem, aut in creaturam baptizatus essem, haudquaquam Spiritus munere deitatem consecutus essem; nec primam natiuitatem commutassem. Nam etiam Spiritus sanctus pari cum Patre & Filio ordine locatur, simulque laudatur; per quem nimirum etiam diuinus afflatus impleatur. Vna namque etiam inspectricis, ac spectatricis potentiæ ratio est, in Patre & Filio & Spiritu sancto; ex Patre ceu fonte quodam oriens ac manans Filio operante, ac in Spiritus virtute gratiam consummans: nullaque priuatim penes personas operatio, virtusque discernitur, & vt seorsim peragatur, absque eâ quæ illi comes intelligitur: sed omnis prouidentia, ac cura, rerumque vniuersitatis gubernatio, tum in iis quæ sensu noscuntur, tum in natarâ mundo superiore, quæ & rerum conseruatio, delictorumq; castigatio, atque ad virtutem præstandam institutio normáque sit, vna est, non triplex. Rem porrò ex vno quodam exemplo cognoscamus ab ipso nimirum diuinorum præcipuo. Vitam consecuti sunt, quæcunque eo munere fuere impartita. Scrutantes ergo vnde huiuscemodi bonum prouenerit, inuenimus Scripturâ duce, prouenire ex Patre, Filio, & Spiritu sancto. Nec propterea quia tres personas tenemus atque nomina, idcirco etiam tres seorsim vitas dicimus; sed vnâ nos à quouis ipsorum donatus arbitramur. Eadem quippe vita tum à Patre efficitur, tum à Filio præparatur, tum denique abs Spiritus pendet voluntate. Discant igitur aduersarij, quæ spectant ad rectam fidem, caueántque sibi absolutè opinionis labe de Spiritu sancto, discant, inquam, fuisse semper Spiritum sanctum, esséque, ac fore, cùm neque cœperit, nec sit desiturus, sed eiusdem semper cum Patre & Filio classis, atque ordinis sit. Nam neque decebat vt Patri vnquam Filius deesset, aut vt Filium Spiritus deficeret. Maximo enim res deitati probro cederet, quæ velut pœnitudine ad complementum perfectionis venisset.

Indiuisa Trinitatis opera.

Spiritus Theologia.

Semper igitur eiusmodi erat, vt impartiret, non impartiri posset; vt consummaret, non consummationem acciperet; vt impleret, non impleretur; sanctificaret, non sanctificaretur; deitate imbueret, nō ipse imbueretur; idem semper secū ipse, ac cum iis quibuscum eandē classem tenet; inuisibilis, temporis expers, incomprehēsus, nulli noxæ obnoxius, qualitatis, quantitatis, formæ expers, tactúm fugiens, à se mobilis, semper mobilis, liber, à se potens, omnia potens, Vita ac vitæ auctor; lumen, ac qui lumen præbeat; ipsum bonum, ac fons bonitatis; Spiritus rectus principalis, vti loquitur Dauid: Dominus, mittens, segregans, sibi fabricans templum atque addicens, ducatum præbens, operans sic afflans, donans, diuidens prout vult. Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, intelligentiæ, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, quæ diuinæ literæ recensita habent; per quem noscitur Pater, & Filius clarificatur, & à quibus duntaxat cognoscitur. Vnus ordo, vnus cultus, adoratio, potentia, consummatio, sanctitas. Quid verò necesse sermonem prolixius ducere? Omnia quæcunque habet Pater, Filij sunt exceptâ innascibilitate; omnia quæcunque Filius, Spiritus sunt exceptâ natiuitate. Pater namque Pater manet, nec fit Filius; Filius item Filius manet, nec fit Pater: Spiritus denique Spiritus manet, ac neque Filius, neque Pater est, sed Spiritus sanctus. Gignit enim Pater Filium, Filiusque genitus Verbum est, ac manet Filius. Simili quoque ratione Spiritus sanctus, ex Patre procedens, Spiritus sanctus est, per quem omnia creantur, vti etiam ait Dauid, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cedo, quæso, aduersarie, quo Verbo? quóve Spiritu? Neque enim Verbum, nuda oris prolatio; nec Spiritus, flatus ac spiratio: alioqui enim diuina substantia in morem naturæ humanæ figuratur. Nam etiam potentia quædam, & vita, & sapientia circa hominem cernitur, nemo tamen ex nominum nudâ similitudine, eiuscemodi etiam vitam & potentiam & sapientiam in Deo vpicaluitit: verùm pro nostræ modulo naturæ, eiuscemodi etiam nominum significata deprimuntur. Quia enim natura nostra corruptioni obnoxia, ac infirma est, idcirco vita caduca, inconsistens potentia, nutans verbum ac sermo est. In supremâ autem ac eminente naturâ, quicquid dicitur, pro subiectæ rei maiestate attollitur. Quanquam igitur Dei Verbum seu Sermo dicatur, ne ipsum in impetu loquentis existentiam habere, tu qui aduersaris, ac nostri more in nihilum cedere, æstimaueris: quinimmò, sicut natura nostra quæ sit mortalis, mortale etiam verbum habet; sic & incorrupta semperque consistens natura, sempiterno, ac quod verè existat Verbo fulgebit. Impium enim Dei Verbum eiusmodi existimare, cui substantia desit. Siquidem igitur Verbum viuit, vt quod Vita sit, omninò etiam voluntatis facultatem habebit. Ex iis enim quæ vitâ pollent, nihil prorsus est quod voluntatis facultate destituatur. Hanc porrò voluntatem, vt etiam potentiam iti consequenti ratione existimemus, sanctum primùmque est. Quàm longè enim à deitatis sensu abhorret, vt impotens esse censeatur. Necesse verò vt tantam Verbi potentiam profiteamur, quanta eius voluntas decreuerit, ne contrariorum mixtio quædam atque concursus in re simplici intelligatur; impotentiâ scilicet ac potentiâ in eodem consideratis voluntatis proposito, vt alia quidem præstare possit, ad alia viribus deficiatur. Cùmque omnia possit Verbi voluntas, in nullum quod

Psal 50. v. 12. & 14.
Act. 13. v. 2.
1. Cor. 12. v. 11.
Isai 11. v. 2.
Psal 32. v. 6.

malum sit nutu, ac propensione ferre. Aliena A enim à diuinâ naturâ incitatio ad malum: sed quicquid bonum est, hoc velle. Cùm autem velit, omninò etiam possit. Quæ autem possit, otiosam non esse, sed bonam omnem voluntatem in opus proferre. Atqui mundus bonus est, cunctaque in eo sapienter artéque disposita. Sunt ergo cuncta Verbi opera, quemadmodum etiam ait Magnus Dauid, *Verbo Domini cæli firmati sunt*; nempe Verbo quod viuat, ac verè existat, quod sit Verbum Dei: quod sit præditum voluntate, vti viuens, possitque omnia quæcunque voluerit quod bonum est, exque sapientiæ rationibus; ac siquid melioris ominis atque ominis sit. B Quòd ergo certò liqueat mundum quid bonum esset; dictorum fide probatum est, esse mundum Verbi opus, quod bonum velit, ac possit.

Psal. 32. v. 6.

Analogia verbi & Spiritus in nobis & Deo.

Quemadmodum igitur nostris ex rebus certâ quadam comparatione, ac ratione in naturâ omnium supremâ Verbum cognouimus, eodem etiam modo ex spiritus notione, atque conceptu, contra aduersarios prouehemur, vmbras quasdam ac simulacra eius potentiæ quàm nulla sermonis vis explicare possit, in nostrâ ipsi naturâ offendentes. Enimuerò in nobis quidem spiritus tractus aeris est, extrariæ scilicet rei ad corporis conseruationem, ac incolumitatem tum C subeuntis tum exeuntis; quæque in prolatione vox fiat, verbi vim in se manifestans. In diuinâ autem naturâ, esse Spiritum Dei sensus est pietatis, vti etiam concessum est esse Verbum Dei. Quemadmodum igitur Dei Verbum cùm audimus non rem eiusmodi putauimus quæ non verè existat, nec quæ ex disciplinâ accedat, aut quæ voce proferatur, vel post prolationem dissoluatur, seu cui eiusmodi affectus quidã ac in nostro noscuntur verbo, competant: sed quæ substantialiter existat; voluntate, efficaciâ agendi, omnipotentiâ polleat. Sic & Spiritum Dei, qui sit Verbo comes, eiusque actionem, vimque manifestet, discentes, non flatus spiraculum cogitamus; alioqui enim diuinæ potentiæ maiestatem D in humile cogeremus, si qualem in nobis in eâ Spiritum intelligeremus; sed potentiam per se in propriâ viuentem, ac existentem personâ; eiusmodi sanè vt neque à Deo in quo est, neque à Dei Verbo separari possit, neque in nihilum refundatur; sed perinde ac Dei Verbum substantialiter existens, voluntate prædita sit, à se mobilis existat, atque efficax: bonum semper velit; quicquid decreuerit, pari cum voluntate potentiâ fulgeat.

Tu verò qui aduersaris, vide quòd erat in principio Spiritus, vti etiam Verbum; participaturque ab omni creaturâ cuius incolumitati necessarius sit; ipse verò nullo impertiatur, quippe cùm nullius egeat, sed sibi ipse sufficiat. Cuncta, ipsos etiam Angelos, sanctificationis munere perficit. E Est enim naturâ perfectus, ac qui augmentum nullum admittat. *Spiritus* enim *Domini repleuit orbem terrarum*, loquit Salomon. Itemque Dauid, *A Spiritu tuo, quò fugiam?* Ipse verò non impletur, sed plenus, ac super plenus est; deque eius plenitudine nos omnes accipimus, & implemur. Ipse porrò nihil indigens est, ac qui nihil minuatur, haud secus ac sol cùm luce affundat corpora, variéque iis participetur, nihil minuitur ab his qui ipsum participant. Sanctificat, vt qui sanctus naturâ sit. Etenim nos quoque abluti

Spiritus sancti dotes.

Sap. 1. v. 7.

Psal. 138. v. 7.

sumus & sanctificati in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Ipse verò Spiritus non sanctificatur. Quod enim essentiæ ratione sanctum est, haud necessariam habet sanctificationem. Homines deos facit per adoptionem, ac gratiæ munere, sacro tinctos baptismate: ipse verò haud imbuitur deitate; nam quòd aliis tribuit vt imbuantur, Deus naturâ est. Ipse idem secum est, eodemque se semper modo habet, nullam admittens mutationem aut vicissitudinem, vti neque Pater, neque Filius, quibuscum vnius ordinis est. Alia quidem omnia extrariè habent vt moueantur; hoc est, à Deo: at Spiritus sanctus Deus cùm sit, à nullo productus est, neque mouetur ab aliquo, sed à se mobilis, atque adeò semper mobilis est. Est & à se potens naturâ Spiritus sanctus, atque à seipso habet quòd potest.

1. Cor. 6. v. 11.

Sin dixerit aduersarius, Si Deus, & Deos, & Deus, quomodò non tres Dii? aut quomodò non πολυαρχία, id est, multorum principatus, atque multiplex quod ita sentitis? Ad quos respondemus. Haudquaquam Tritheitæ, hoc est, trium Numinum cultores sumus; sed est nobis vnus Deus, propterea quòd etiam vna deitas, atque ad vnum quæ ex Deo sunt referuntur, tametsi tria credimus; id est, tres personas: nec enim alia magis, minùs alia Deus; neque alia prius, alia posterius. Non secatur voluntate, non potentiâ partibus diuiditur, nec aliquid eorum quæ diuiduis insunt: sed indiuidua in diuiduis, vt sic dicam, deitas; ac velut trino sole altero alteri hærente vna lucis concretio. Nos quidem cùm in deitatem, primumque auctorem, ac principatum vnum aspexerimus, vnum nobis comminiscimur: cùm verò ad ea in quibus est deitas, ac quæ ex primo sunt auctore, ex eo ante omne tempus, parique claritate existentia, tria sunt quæ adoramus. Rursus adoramus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, proprietates quidem distinguentes, deitatem verò vnientes; ac neque in vnum tria conflamus, nec hæc in tria diuersi generis, alienaque alia aliis diuidimus. Tum enim malam Sabellii concretionem repudiamus, tum quæ ipsam absurditate vincit, diuisionem Arii, vt neque in vnam personam doctrinam contrahamus, neque in tres peregrinas, ac dissimiles, diremptasque substantias diuidamus. Idcirco[illegible]t ego ne pro contumeliâ, ac iniquâ conci[illegible] Dei faciam iacturam, dum vel Filium à Patre, vel qui eiusdem substantiæ sit, Spiritum à Filio rescindo. Nihil enim ex iis quæ consubstantialia sunt, substantiâ maius, aut minus est. Nam si quid aliquis ex trium deitate abstulerit, totum quicquid est sustulerit.

Deus vnus & trinus.

Verè paruuli aduersarii, & fluctuantes, ac qui omni vento circumferantur, nec cognoscant veram doctrinam: sed dum plenam, integramque atque perfectam se scientiam nactos autumant, verâ se Spiritus scientiâ vacuos pronuntiant. Quippe *initium sapientiæ timor Domini*: Ergo stultitiæ initium, nescire Dominum: *Dominus autem*, vti ait Apostolus, *Spiritus est*. Idcirco necessarius nobis sapiens animus, ac mens quædam cœlo celsior, ingénsque. *Mente* enim *&* *linguâ, salus*, inquit. Etenim Spiritus sancti negatio in mortem euertit; fides nos ad vitam manuducit.

Eph. 4. v. 14.

Psal. 110. v. 10.

2. Cor. 3. v. 17.

Hæc omnia colligentes, qui aduersæ sententiæ estis, incredulitatis morbum funditus euellite, vt

veras

A veras nacti fidei diuitias, grauíque hac egestate liberati, vitæ præsentis ac futuræ bona consequamini. Cùm enim Dei Filius nobiscum carne, ita vt sensu percipi, ac visu vsurpari posset, versatus esset, par erat vt & Spiritus sanctus corporaliter appareret. Et verò apparuit, priùs quidem, in specie columbæ; nunc verò in specie linguarum ignearum; Christóque humano more ab humanæ salutis negotio in gloriam suam, quam habebat priusquam mundus esset, reuerso, necesse erat vt & Spiritus post Christum ad nos descenderet: consdentibúsque in cœnaculo Apostolis, apparuerunt eis dispertitæ linguæ tanquam ignis; idcirco forsitan quòd Spiritus sanctus purgandi vi polleat, velut ignis, de quo ait Do- B minus, *Ignem veni mittere in terram* (porrò illi comparatum, vt materiam, prauósque habitus consumat) quem & velocissimè accendi cupit; nempe Euangelicam prædicationem; quæ ignis instar, fidelium peccata emundet, delcátque. Scriptum namque est in Deuteronomio, *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Planè ignem Deum esse noui, his, qui sunt increduli Spiritui sancto; lucem verò credentibus in illum. Dictus igitur etiam Spiritus ignis, vt qui sit Deus, & ad consubstantialis puto exprimendum vim, vel si enecentur aduersarii, ac angustientur, quòd concludimus, iisque Spiritum sanctum Patri Filióque consubstantialem probamus. Nam si Deus ignis est; estque etiam ignis Spiritus sanctus, Deo & ipse consubstantialis, ac Deus monstrabitur. Est enim tremenda Theologia, maiorque quàm pro dignitate. Quemcunque de Deo sermonem habeamus, exilis est atque humilis, nec diuinam quanta est magnitudinem assequi potest. Idcirco, Deum cùm dicimus, trinum vnumque lumen intelligimus; trinum, personis; essentiâ, ac indiuisâ adoratione, vnum. Nam distinguitur quidem penes tres personas; copulatur verò penes essentiam. Operæpretium igitur Deum vnum Patrem noscamus principij expertem ac ingenitum, Filiúmque vnum ex Patre genitum, ac Spiritum sanctum cuius à Deo existentia sit; Patri quidem cedentem, quòd nullo natus est; Filio, quòd est natus; reliquis verò coniunctum naturâ; pari solio, claritate, honore decoratum atque sublimem. Nihil enim fide limpidius, vti nihil infidelitate impurius. Altera, sole splendidior est; altera cœno fœdior. Non enim qui sint animales diuina intelligere possint. Erroris namque extremi est, ac fallaciæ, vt cùm bona speraueris, contraria nanciscaris. Non enim mens nostra deitatem assequitur, ac si quid circa eam sublimius intelligere concedatur, nullo sermone quod illa conceperit ad Filij Dei generationem, ac Spiritus sancti processionem declarandam possit enuntiari.

Descensus Spiritus in discipulos, eiusq; mysterium.

Luc 12. v. 49.

Deut. 4. v. 24.

1. Cor. 2. v. 14.

O imperitiam! ô sinistros aduersariorum mores! Stultis enim seducti rationibus, vana ac inania de Spiritu sancto philosophantur; ac reuerâ de terrâ, inque aërem loquuntur, mente obtenebrati, ac, præ ignorantiâ quæ in eis est, ac cæcitate cordis eorum, abs Spiritus vitâ abalienati; diuinitatis acerbi expensores; quæ digna laude sunt, hæc vituperantes, inque creatorum sortem Spiritum detrahentes, ipsumque à Patris ac Filij deitate submouentes. Homines scilicet, qui corda sua pro lapideis carnalia reddere nequiuere. Id caussæ est, cur Spiritus sanctus diuinos suos sermones in eorum cordibus non scripserit: non enim cor eorum Spiritu Dei viuentis conscriptum est, sed atramento, illotum tenebris affini, ac lucis inimico. En rursus dicam cum beato Dauide, *Non prohibebo labia mea* à baptismatis initiatione, vt aduersarios perficiam. Perficiam autem baptizans in Trinitatem. Nam in Patrem solùm baptizare, Iudaicum est; etiam verò in Filium, necdum perfectum; denique etiam in Spiritum sanctum, hoc perfectum. Fidem porrò, neque nos ab aliis nobis conscriptam recentiorem recipimus, nec ipsi nostri animi sensa, ac cogitata tradere audemus, ne humana faciamus pietatis dogmata; sed quæ didicimus à sanctis Patribus, hæc qui nos percontatur, ipsi edicamus.

Psal. 39. v. 10.

LEONIS, ÆTERNI REGIS

Christi gratiâ, Imperatoris, Oratio, In Pentecosten, cùm Spiritûs sancti gratia, ignearum linguarum specie, in sacratissimos Discipulos venit.

EODEM Interprete.

QVando nunc etiam diuina celebritas adest, quantum Deus ipse dederit, ad eiusdem C honorem conferemus, nec propterea cunctabimur, quòd eius celebrandis præconiis impares simus: Quis enim eius pro dignitate laudes deprædicauerit? sed quod facultas nostra suppeditabit, libenter ad festi huius solemnitatem decorandam promemus. Quòd verò munus oratione congruentius præstari possit? non eâ solùm ratione, quòd nihil sermone, ac oratione sit honorabilius; sed quia præsenti quoque tempori nihil magis competit, quàm orationis munus. Nam quibus hodiernâ die donum linguarum missum fuit; his hodiè perquàm aptè, ac consentaneè orationis munus D dedicandum sit. Hæc propositi, ac instituti nostri ratio est. Precemur verò, vt ainsi ex illa virtus nobis auxiliatrix adsit, quæ hodie rudia piscatorum ora aperuit, atque aduersus eos, qui dicendi vi inexpugnabiles videbantur, armauit; simúlque & illis, & eâ, quâ loquebantur sapientiâ; superiores effecit. Eius namque etiam modò muneris sit, vt indoctam linguam excitet, ac sermonis copiam haud prorsus argumento imparem concedat. Veni igitur veræ cognitionis doctrix Sapientia, Spiritus veritatis, ac te celebrare volentibus, de E te ipse loquere, os nostrum adimplendo. Domini enim potestate ades, tuúmque vbi velis diuinum afflatum præstas, atque impendis: quanquam à Verbo, quod benignitate nobis simile factum, ad Patrem, cui assidet, reuersum est, mittaris. Neque enim vt seruus; sed vt diuino honore æqualis, vtque cognatus Spiritus, ipso in cœlum profecto, ad illos aduenis, quos vnà cum ipso condidisti. Veni igitur, orationis nobis apparatum largiens pariter, atque exornans: adesto omni modo, qui condecoras omnia. Te enim gubernatore, orationi ad nauigationem vela pandemus.

Oratio cōgruum munus, quo die effusū est donum linguarum.

Inuocatio sancti Spiritus.

Non pridem Vnigenitus, quos non deseruisset Patris sinûs, repetierat; ingens illud opus,

Ratio aduentus Spiritus sancti.

nostram illi allaturus, ac oblaturus redemptionem, atque locum illic nobis paraturus. Oportebat autem illo à nobis ablato, alium illi & gloriâ, & honore parem, vbi fuisset beneficium collatum, in vicem constitui, ne incauti, ac obliuione reconciliationis munus in inimicitias solueremus. Facile enim est genus mortalium, vt in eiusmodi dolum, fraudémque inducatur. Simul verò cùm Filius ab æterno genitus hominibus innotuisset, oportebat etiam coæternum Spiritum noscere, vt ita diuinum totum principatum colentes, rectè Deo in personarum Trinitate honorem haberemus: atque vt ille, Vnigeniti gloriam proferret, eius in orbem vniuersum maiestatem declarans, viuificæque eius doctrinæ præclara semina adaugens. Quemadmodum enim Filius humanæ naturæ consuescens, Patrem clarificauit, ita par erat, vt & Spiritus substantiali ad nos aduentu Filium clarificaret.

Spiritus sancti vera deitas.

Nemo idcircò angustus, rixosusque adeat; nec quis Paracleti dominium in seruitutem deprimat. Clarificauit Deum & Patrem, qui ante Luciferum natus est Deus: Clarificat Vnigenitum, qui vnà cum illo ab æterno, ex Patre processit Deus. Non seruum; non creaturam; non à Dei naturâ alienum eum repures, qui creaturam deitate donet: ne malè compositos ordines, aut gradûs excogites: neve huic quidem minorem; illi verò superiorem locum tribuas. Nihil ad immortalem, incorruptámque naturam spectant creatarum, ac caducarum rationum inuenta. Ne vnde honore aucti sumus, inde contra naturam omni superiorem naturâ, honoréque, ac gloriâ, contumeliam excogitemus. Missus quidem est Filius, ad figmenti, ac hominis salutem præstandam; non quasi Patre minor: sed quia eum tanquam hæredem dispensatio deceret, quâ nos cohæredes effecturum se statuisset. Sed & Spiritus sanctus mittitur, non quasi minus quiddam Filio habeat; sed velut etiam ipse Paracletus, nostræque pariter adoptionis auctur existens. Ne sectionem, diuisionémque illud suspiceris esse, per quod tu diuinæ naturæ consortium nactus es. Vnus Patris, Filiique, ac sancti Spiritus est honor: quoniam vna natura, atque regnum vnum. Nullius indigens Deus Pater æqualem sibi gignit Deum Filium; ac æqualem producit optimum Spiritum; non sectâ per personarum discretionem diuinitate, sed citra confusionem in enumeratione Trinitatis vnitâ. Nihil in eâ posterius, aut ve creatum ex nihilo; ac idcirco recentius: sed coæternæ personæ, eiusdemque ordinis, ac gloriæ: hoc solùm discretæ, causæ ac principij ratione; generatione, & processione: Ita vt Pater, Filij ac Spiritûs sancti sit principium: Filius verò generetur; ac Spiritus sanctus procedat. Verùm de his in præsenti hactenus oratio.

Quinquagesimæ, ac sacræ Pentecostes ex numero mysteria.

Venit verò sacer Spiritus, implente Verbo suam promissionem, quam velut arrhabonem suis reliquerat; idque præstitit, die quidem ab ascensione eius decimo, à resurrectione autem die quinquagesimo. Hoc verò quânam ex causâ? Anne hæc ipsa, occultâ Iesu dispensatione dignum quid mysterij habent, aut sic temerè, nullóque consilio gesta opportet accipere? Absit: Nihil temerè, ac frustra; nihil Verbum implebat, quod non spiritalis aliquid intelligentiæ haberet. Itaque, si lubet, habenas orationi laxabimus, vt in mysteriorum altitudinem intuens, inde, quoad fieri potest, extrahere quidpiam coner, haud fortè illud, spiritalium sensorum contemplatione eruditis oculis spernendum ad spectaculum. Reperio itaque honori habitam Quinquagesimam; nedum eo titulo; quòd velut sacra, sacrâ ex radice originem habeat; ex illâ nimirum die, quæ in seipsam recurrens, ac aliquantò repetita, hanc generat; quâ nempe rerum opifex, ab omni requieuit opere; quæcunque tandem libuerit opera, siue aduentûs ac incarnationis; siue creationis: verùm etiam, quòd dici remissionis, ac vesperam non habentis, figuram gereret. Idcirco etiam apud eos, quorum res ex scriptæ legis præscripto administrabantur, velut in vmbrâ, obscuráque delineatione apparens, ab vniuersis liberos præstabat, vbi annorum circulus ad eum numerum reuolutus esset.

Quinquagenarius ex septenario septies repetito, additâ vnitate.

Quibus, opinor, significabatur, fore, vt post septenariam hanc vitæ nostræ periodum, temporaneam illam ac seruituti obnoxiam, ille adueniat dies, quo in integrum restituendi simus, pristinamque ac antiquam libertatem recepturi.

Annus Iubileus.

Quoniam igitur etiamnum diuinus Spiritus, eò venit, vt nouam nobis vitæ rationem constituat; nosque ad illam diem, ab huius sæculi noctis tenebris excitet, idcirco hoc ipso die aduenit. Quòd autem decimâ ab eius in cœlum Ascensione fiat, ea ratio sit, quòd sicut septima; sic & tertia repetita, ac reuoluta, sacram hanc nobis conficiat diem. Erat verò hoc rationi consentaneum, non solùm propter diuinam Trinitatem; sed quia etiam Verbum, magnum illud excitati, ac ressuscitati mundi opus, tridui spatio absoluisset. Verùm hæc fortassis non abs re dicta apud eos fuerint, qui eiusmodi sensis delectantur: sed nobis regrediendum eò, vnde sumus egressi. Venit ergo Filij promissionem impleturus Paracletus; bonus, inquam, ille Spiritus; in sacratos Discipulos, vtque per illos creaturam sanctificaret, à malis malè habitam, damoisque affectam spiritibus. Haud vltra ille sigillatim, ac ex parte sanctificat; nec vni tantùm nationi sua dona copiose effundit; sed simul vniuersum mundum sanctimoniâ plenum efficit. Nec porrò ampliùs ingratus, improbusque Iudæus, diuinarum solus diuitiarum delicias percipit; cùm nimirum, quem ille hæredem malè morte affecit, in suam omnes introducat hæreditatem: haud item solus nouerit Dei gloriam, cùm omnis caro, Dei salutare doceatur. Nec demum, prophetiæ apud eum donum depositum erit, cùm Spiritus effundatur in omnem carnem, filiique ac filiæ intemerato editi partu prophetent.

Matth. 21. v. 39.

Isai 51. v. 10

Nunc effusa est affluenter sancti Spiritûs gratia; quod quidam Prophetarum olim in spiritu videns, vaticinatus est. Propter hoc è labris rudibus, & indoctis, sapientiæ profluunt fluenta: tribusque, & linguæ enarrari audiunt Dei magnalia. Nunc probi coloni virtute ex alto roborati, atque firmati, ex agro Dominico nequitiæ zizania auferunt, cœlestisque areæ fructum ad vbertatem vsque audegebunt. Nunc linguæ igneis dispertitæ, diuisionis olim factæ vnitatem efficiunt. Nam & mihi ideireo videtur formâ hac linguas apparuisse; quanquam liberum est,

Ioel. 2. v. 28.

vt quis eius rei alias rationes velit assignare. Ac A verò huius specta doctrinæ mysterium. Olim quidem diuidens, ac ab inuicem separans humanam stirpem, quid agit? *Venite*, inquit, *descendamus, & confundamus linguas eorum*: descendentis voce, in multitudinem diuidens eos, qui non ritè adunati fuissent. Nunc verò, ignearum linguarum distributione, diuisionem in vnum colligit. Obserua verò, vnitum ignem in quot ac quantas partes dispertiatur. Et hoc quidem hunc in modum à nobis obseruatum est.

Gen.11.v.7

Audiebatur autem inter gentes variarum linguarum, cuique propria loquens eorum lingua, quos nesciuissent quidem vbinam gentium habitarent, priusquàm illi Iesu sociati essent. Eratque res omni admiratione plena: quippe erat B planè inusitata, atque à loquentium naturâ, ac moribus lōge aliena. Quocirca ab absurdissimis mortalium in absurdis numerabatur, ac tantum miraculum, tanquam incantamentum ac præstigiatum ludibrium traducebatur; temulentiæque adscribebatur ab his, qui immedicabili temulentiâ laborabant. Vetus hic eorum, qui enim Deo pugnant, mos est; vt non solùm diuinis operibus nullam fidem adhibeant, verùm etiam conentur, vt de propriâ improbitate, improbæ aliquid suspicionis, inculpatis, ac in quibus nihil criminetis, aspergant. Patrabat Verbum indutum carnem in Spiritu sancto humanâ virtute maiora miracula; inque Beelzebud dæmoniorum principem hanc tantam virtutem referebant: agit nunc secundum conuenientem sibi potestatem Spiritus sanctus; reinque, musti opus esse nugantur: in hunc modum arbitrantes se miraculo illaturos calumniam: verùm vincit sapientia petulantiam; quodque Spiritu os loquebatur, eorum ora, quæ ad loquendum liuor compellebat. Ille enim qui non pridem virgam piscatoriam, ac retia piscator reliquerat, os simplex, ac rude aperiens, malignitatis nugas sobriâ, ac sapiente oratione dissoluit. Vnde verò mustum nouas linguas effingit, ac creat, tu qui insaniæ litas? Nosce Petrum illum timidum, publicâ concione orantem, ac calumniam in plenum stupore conuerte miraculum, atque loquentis in eo Spiritûs gloriam. Non est musti, ac temulentiæ hæc loquendi libertas; sed virtutis, quæ recèns descendit de cœlo, quâ eius tum mens, tum lingua excitata sunt. Cogita vt factus sit tam animatus, ac audens, qui ne ancillæ quidem verba ferre potuisset? Sed enim quibuscunque auditus mensque pigra erant, ac torpida, ab inuidiâ tales redditi, Spiritûs sancti verba non intellexerunt: quibus autem sensus non erat impeditus, hi, & intellexerunt, & linguæ piscatorum, ac Spiritûs præda extiterunt. O quàm beatè, feliciterque sagenâ intercepti! O è sagenâ exitiosâ extracti! O dum capiuntur, ad vitam reducti! O ad mortem capti vocatu, dum id cauent, ne venatu capiantur! Verùm Spiritus sanctus linguæ igneæ specie cuique discipulorum insedit; cùm priùs quidem, olimque eis adesset; nunc verò suæ præsentiæ maturus, ac peculiarius specimen ederet: dissolueretque, siquid in eis terrenæ labis, ac concretionis adhæreret; atque ad diuinam ipsos cognationem assumeret. Etenim rationi consentaneum, ac par erat, vt qui missi essent ad mundum instaurandum, summi rerum opificis deitatis participes fierent. Haud ergo vltrò quæsitui sunt, vt cognoscant Patrem; vt neque viam quâ Magister ab eis digressus est. Iam enim & Patrem cognouerunt, & ei indiuiduè semper coniunctum Filium: iam item nouerunt viam confecisse è terrâ ad ipsum, quo nunc loco agit. Nam Spiritus, qui *profunda Dei scrutatur*, suo ille aduentu suggerit omnia, tum quæ Magister præsens docuit; tum quæ ad Spiritûs præsens magisterium reseruata voluit, cùm necdum illi eorum capaces essent.

Iudæorum calumnia.

Matth. 12. v.41.

Petrus calumniam comprimit.

Spiritus sanctus nunc copiosiùs datus.

Ioan. 14. v.9. & 4.

1. Cor. 2. v. 10.

Ac sacratissimi quidem discipuli, eiusmodi gratiam in sacrâ æde, ac cœnaculo consecuti sunt, sacro Pentecostes die: omninò verò etiam nunc, & si non tantâ, verumtamen digno Spiritûs sancti munere donantur, quotquot Spiritum sanctum honorant. Honorare autem censentur illi, qui Deum esse confitentur, æqualis cum Patre, & Filio gloriæ, potentiæ, cultûs, ac adorationis; quicquid amborum est, commune habentem, exceptis iis, quibus distinguntur personæ: omnia, inquam, habentem, quæ par est Deum habere; vt sit Creator, sit increatus; contineat, ac conseruet creata; incomprehensâ ratione omnia replentem: qui non tantùm circa naturam eius nihil innouant; sed neque originem eius ad C duas causas, seu principia referunt. Vtrunque enim abit à rectâ sententiâ. Alterum est eorum, qui creatricem naturam in creatorum deiiciunt sortem: alterum eorum, qui multa principia in vnius principij, ac principatûs Trinitatem inducunt. Diuino igitur honore prosequendus est Spiritus sanctus: Quippè cùm Deus sit; non quidem quales priscus error deos finxit, ac fingendo in errorem induxit, maiori, ac minori parte deitatem diuidens: sed qualem scientia, quâ Deo vniti sumus, fidésque docuit, omni erroris ignorantiâ perpurgatâ, atque sublatâ. Ne rursum ad creata descendamus, qui iam ad Deum vnitate constan- D tem ascendimus. Qui enim Spiritum sanctum creaturam esse existimat; ille creaturis diuinos honores impendit. Ne ineffabile deifici Spiritûs beneficium, munusque extenues, non sine tuo detrimento: neque enim fieri potest vt à creatâ naturâ renouationem accipias, aut eâ præstante, Deo coniungaris: vel nisi is præstet, qui te, cùm non esses, condidit; ac cùm esses corruptus, potentiâ diuinâ instaurauit. Cæterùm, qui tuum, Paraclete, honorem integrum conseruant; his etiam à te honos obtinget: qui verò aliter affecti, te debito honore priuare contendunt; hi seipsos vitâ pri- E uant. Sed tu, ô patiens ac longanimis; hos quoque à blasphemiâ, ac errore liberari concede, vt omnes rectâ fidei concordiâ, quos, vt Verbum in cœlis connectat, ipse quoque cùm ille ascendisset aduenisti, vnione simus conserti, omnésque diuinorum tuorum munerum participes efficiamur, vni regno ac dominationi, vnius in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, Dei, supremum vnum cultum, ac adorationem exhibentes, nunc, & in sæcula: Amen.

Nec Latini duas causas dicunt, sed vnam quæ est Pater & Filius, vt etiam cautum est in Concil. Florent. eoque malè reprehensus Leo à Gretz.

B. IVONIS CARNOTENSIS Episcopi, In die sancto Pentecostes.

SERMO.

Dies Pentecostes sacer in lege, & in Euangelio. Exod. 19. Act. 2.

DIes Pentecostes sacratus est in lege, & in Euangelio. In lege, quia die quinquagesimo à die quo Ægyptus spoliata est, in tabulis lapideis digito Dei scripta, populo Dei in monte Sinai, data est. In Euangelio quia die quinquagesimo, à die quo infernus spoliatus est, lex charitatis in tabulis cordis carnalibus populo Nazareno Spiritu Dei scripta est. B Vnde dicit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sed illa quidem in seruitutem data est, hæc autem in libertatem. De illâ dicit Apostolus: *Vnum quidem testamentum, quod est in monte Sina, in seruitutem generans:* De istâ autem, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et alio loco: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Sub hac significatione antiquus Hebræorum populus anno quinquagesimo, qui Iubileus appellabatur, ab omni opere seruili vacabat: & his qui annis retroactis C sub seruitutis iugo seruierant, libertatem dare consueuerat. Septenarius enim septies ductus quadragintanouem facit: & vt quinquagenarius fiat, vnitas superadditur. In quadragenario, quia à septenario non recedit, temporum volubilitas: in vnitate quæ sequitur, tempori succedens significatur æternitas, in quâ vera dabitur libertas. Congruè ergo quinquagesimo die Spiritum sanctum accepimus; qui sicut post huius temporis decursum, *à seruitute corruptionis* huius *in libertatem gloriæ filiorum Dei liberandi sumus*, sic isto die ipsum Spiritum sanctum, æternæ hæreditatis & veræ libertatis pignus accepimus. Hinc est etiam, quòd decimo die post Ascensionem Domini, missus est D idem Spiritus sanctus: quia in mercedem denarius promittitur operarijs, perseueranter in vineâ Domini laborantibus. Igitur quia temerarium est aliquid diffinire de ineffabili eius essentiâ, dicamus aliqua quæ ipse Spiritus donauerit de mirabili & amabili eius efficentiâ.

(Margin: Rom. 5. v. 5. — Lex vetus lex seruitutis, noua libertatis. — Gal. 4. v. 24. — 2. Cor. 3. v. 17. — Rom. 8. v. 15. — Annus Iubileus. — Septenarii & quinquagenarii allegorica explicatio. — Spiritus sancti aduentus congruè factus est 50. die. — Rom. 8. v. 21.)

Hic Spiritus sanctus gratiarum distributor est; hic cogitationum & intentionum cordis discretor est; hic secretorum diuinorum reuelator est. *Spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Et sicut *nemo ea nouit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in homine: ita nemo nouit quæ Dei sunt nisi* E *Spiritus Dei.* Hic digna postulantibus pium supplicandi præstat affectum, & apud eum qui pia vota intuetur, velocem obtinere donat effectum. Hic peccatoribus inspirat pœnitentiam, hic impœnitentium peccata detinet, hic pœnitentium peccata delet. Sic enim Dominus dicit ad discipulos: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic conuersos ad iter iustitiæ facit per timorem humiles, per pietatem mites, per scientiam lugentes, per amorem iustitiæ fortes, per consilium misericordes, per intellectum mundi cor- A dis, per sapientiam contemplantes, per tolerantiam persecutionum patientes, quibus Dominus regnum cœlorum repromittit, quoniam quos timor inchoat, septimo gradu perficit sapientia, in octauâ tanquam in vero Iubileo, liberat & coronat patientia.

(Margin: Spiritus sancti efficientia atque opera. — 1. Cor. 2. v. 10. & 11. — Ioan. 20. v. 22.)

Ad huius perfectionis apicem, Apostolorum Principem prouexit hodiernâ die Spiritus sanctus, vt qui in passione Domini vnius ancillæ vocem exhorruerat, iam perfidam Iudæorum multitudinem prophetico testimonio manifestè confutare non timeat. Talem reddidit Thomam, vt qui resuscitati Saluatoris dubitando palpandas postulauerat cicatrices, post collatam B gratiam Spiritus sancti, factâ diuisione Apostolorum, confidenter Euangelium prædicaturus mittatur ad Gentes. Tales per eandem gratiam effecti sunt Christi discipuli, vt qui relicto Domino in tempore Passionis præ timore latuerant, de cæterò gaudentes irent *à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tam velox & efficax doctor demonstratus est hodie Spiritus sanctus, vt idiotarum corda vno momento erudiret ad scientiam, & eorundem linguas formaret ad omnem linguarum facundiam.

(Margin: Matth. 26. v. 69. — Act. 2. v. 16. — Ioan. 20. v. 25. — Act. 5. v. 41. — Spiritus sanctus velox doctor.)

Vt etiam attendamus quantus opifex sit iste Spiritus sanctus, audiamus Apostolum dicen- C tem: *Vnicuique datur manifesta gratia Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Iste Spiritus sanctus qui Patris & Filij vnus est Spiritus, à Patre procedit & à Filio, & ad corda credentium pariter mittitur & à Patre & à Filio. Vnde & Dominus dicit in Euangelio: *Cùm venerit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnem veritatem. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* D Hæc verba ita interpretatur Didymus, illustrium virorum titulo clarus: *Inseparabilis est Spiritus à meâ & Patris voluntate: & ampliùs, quia non ex se est, sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum quòd subsistit & loquitur, à Patre & à me illi est.* Quid est ergo & Spiritum sanctum à Patre Filioque subsistere, nisi eundem Spiritum à Patre Filioque procedere? Vnde & in sequentibus dicit: *Consensus significatio est Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, spiritúsque sapientiæ. Non potest audire Filio loquente quæ nescit, cùm ipsum sit quod profertur à Filio, id est, procedens* E *Deus de Deo, Spiritus Veritatis procedens à Veritate, Consolator manans de Consolatore.* Hæc aduersus hæresim quorumdam Græcorum, Græci auctoris auctoritate protulimus, qui dicunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere, ne quis Latinorum omnes Græcos hoc errore infatuatos arbitretur, & eorum auctoritati innitens, sal infatuatum esse mercatur. Idem in symbolo Ephesini concilij, quod Græcorum fuisse constat, manifestè his verbis adstruitur: *Quamuis in suâ substantiâ sit Spiritus Filij, & intelligatur in personâ proprietas, iuxta id quod Spiritus est, & non Filius, non est tamen alienus ab ipso. Nam Spiritus appellatur veritatis, & veritas*

(Margin: 1. Cor. 12. v. 7. — Ioan. 15. v. 26. — Ioan. 16. v. 13. — Didymi testimonium côtra Græcos negantes Spiritũ sanctum à Filio procedere: apud Hieron. l. 2. — Non liquet vnde istæc petita: nisi fortè ex actis quibusdam Latinis aduersus Nestorianos; côtra quos hoc definitum in Occidente côtendunt Latini in Concil. Florent. — Ioan. 14. v. 6.)

Christus est. Vnde & ab ipso similiter, sicut à Deo Patre procedit.

Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, glorificauit Dominum Iesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Præterea sicut Filius appellatus est manus Dei Patris, non quòd ei sit aliqua cum maiestate Patris inæqualitas, sed propter substantiæ identitatem, & propter manifestam operum exhibitionem: Ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei propter eam, quam habet cum Patre & Filio, substantiæ vnitatem, & manifestam charismatum distributionem: quia per manum, in vnitata corporis existentem, fieri solet operatio, & per digitum in vnitate manus manentem, suis tamen articulis distinctum, solet notari discretio. Cùm verò per verba aliunde translata, aliqua nominatur in Diuinitate persona, non vsquequaque earum natura rerum, de quibus hæc translata sunt, Diuinitati est arroganda, sed illæ tantùm causæ attendendæ sunt, propter quas res corporeæ rebus incorporeis assimilari possunt: Quia omnis humana vox nihil potest aliud dicere, nisi corporalia: Et Trinitas, de quâ nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat: Ideirco nullum verbum potest ei propriè aptari, & eius propriè & dignè intimare substantiam. Et quia ipse Spiritus charismatum distributor est, inuocemus ipsum Paracletum, cuius hodiè solennitatem colimus, cuius hodiè dona fidelibus collata miramur, vt augeat in nobis fidem, dilatet charitatem, confirmet spem & cætera virtutum charismata, quæ nobis in hac peregrinatione sunt necessaria, cooperante Patre & Filio, cum quibus idem Paracletus viuit & regnat per æterna sæcula: Amen.

Filius Dei manus appellatur.

Quare Spiritus sanctus vocetur digitus Dei.

SANCTI BERNARDI ABbatis, *in festo Pentecostes.*

SERMO I.

Festi sancti Spiritus dignitas.

CElebramus, dilectissimi, hodie Spiritus sancti solennitatem, totâ cum iucunditate celebrandam, dignam omni deuotione. Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde si celebramus Sanctorum solennia, quantò magis eius à quo habuerunt vt sancti essent quotquot fuerunt sancti? Si veneramur sanctificatos, quantò magis ipsum sanctificatorem conuenit adorari? Hodie itaque festiuitas est Spiritus sancti, quâ visibiliter apparuit inuisibilis: sicut & Filius cùm sit nihilominus inuisibilis in seipso, dignatus est exhibere se in carne visibilem. Hodie Spiritus sanctus reuelat nobis aliquid de seipso, sicut ante de Patre & Filio aliquid noueramus. Nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus; reliqua credimus quæ minimè sufficimus comprehendere. Et de Patre quidem noui creationem, clamantibus Scripturis, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Inuisibilia enim Dei à creaturâ mundi, per ea qua facta sunt, intellecta conspiciuntur.* At verò æternitatem, & immutabilitatem ipsius comprehendere multum est à me: *Lucem habitat inaccessibilem.* De Filio magnum aliquid noui, eius gratiâ, Incarnationem. Nam *generationem eius quis enarrabit?* Quis comprehendat æqualem Genitum Genitori? Iam & de Spiritu sancto si non processionem, quâ ex Patre Filióque procedit (illa enim *mirabilis facta est scientia à me; confortata est, & non potero ad eam*) noui tamen aliquid, videlicet inspirationem. Duo enim sunt, vnde procedat, & quò. Processio à Patre & Filio, potuit tenebras latibulum suum: sed processio ad homines, hodie cœpit innotescere, & est fidelibus manifesta.

Ioan. 17. v. 3.

Singularum personarum nota.

Psal. 99. v. 3.

Rom. 1. v. 20.

1. Tim. 6. v. 16.

Isai. 53. v. 8.

Psal. 138. v. 7.

Et priùs equidem (quoniam sic oportebat) signis visibilibus inuisibilis Spiritus suum declarabat aduentum: nunc eius signa quo spiritualiora sunt, eo magis congrua, eo magis videntur Spiritu sancto digna. Venit tunc super discipulos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legem igneam prædicarent. Nemo conqueratur, quòd minimè nobis illa manifestatio Spiritus fiat. *Vnicuique enim datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Denique si dicere opus est, nobis illa manifestatio potiùs quàm Apostolis facta est. Ad quid enim illis necessariæ linguæ Gentium, nisi ad conuersionem Gentium? Fuit eis alia quædam manifestatio magis ad eos pertinens: & hæc vsque hodie fit in nobis. Manifestum enim fuit indutos esse virtute ex alto, qui de tantâ pusillanimitate spiritûs ad tantam deuenire constantiam. Non est iam fugere, non est iam abscondi, propter metum Iudæorum: constantiùs modò prædicant, [illegible] delitescerent antè timidiùs. Denique [illegible] illam dexteræ Excelsi manifestè declarat Principis Apostolorum priùs quidem inter ancillæ verba formido, postmodum inter principum verbera fortitudo. *Ibant* (ait Scriptura) *gandentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati;* quem sanè priùs cùm duceretur ad concilium, solum reliquerunt fugientes. Quis dubitet aduenisse Spiritum vehementem, qui mentes eorum inuisibili illustraret potentiâ? In hunc modum etiam modò quæ Spiritus operatur in nobis, testimonium perhibent in nobis de eo.

Spiritûs manifestatio potior, per signa occulta; quæ & nunc perseuerat.

1. Cor. 12. v. 7.

Signum linguarum.

Interior in viros fortes mutatio Apostolorum.

Act. 5. v. 41.

Quia igitur mandatum accepimus, vt declinantes à malo faciamus quod bonum est, vide quemadmodum Spiritus in vtroque adiuuat infirmitatem nostram. Nam *diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim reuertendi ad Deum, pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster, sed Dei: idque & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodum feruore quodam pœnitentiæ accendatur, alium Spiritum, qui suum arguit, & diiudicat, non dubitet aduenisse. Habes hoc & in Euangelio, vbi cùm loqueretur de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum, *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato.*

Psal. 33. v. 15.

1. Petr. 3. v. 11.

1. Cor. 12. v. 4.

Spiritus in nobis operatur ad declinandum à malo.

Compunctio, seu pœnitentia cordis.

Ioan. 16. v. 8.

Sed quid prodest pœnitere de culpâ, & non supplicare pro veniâ? Necesse est vt etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus sancti?

Supplicatio pro veniâ.

A Voque dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu noo inuenies. Denique ipse est *in quo clamamus, Abba, Patrr.* Ipse, *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis ioterpellat pro nobis, ita in Patre delicta dooat nobis cum Patre. Aduocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Domious oorter in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat vt postulemus: & sicut nos erigit piâ quadam fiduciâ, ita Deum inclinat magis piâ misericordiâ suâ. Itaque vt omninò scias quia remissionem peccatorum Spiritus sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apostoli, B *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et de malo quidem declinando, sic.

Rom. 8. v. 15. & 26.

Peccatorum remissio.

Ioan. 20. v. 22.

Ad bonum operandũ, monet, docet, mouet.

Porrò ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonos operatur? Profectò monet, & mouet, & docet. Monet memoriam, raoonem docet, mouet voluntatem: in his eoim tribus tota coosistit anima. Memoriæ suggerit bona io cogitatiooibus sanctis, atque ita ignauiam nostram torporémque repellit. Propterea quoties huiusmodi suggestionem boni senseris in corde tuo, da bonorem Deo, & age reuereotiam Spiritui sancto, cuius vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur iustitiam. Et in Euaogelio habes, quia ille *suggeret vobis omnia quæcunque dixero nobis.* Et ad- C uerte quid præmiserit, *Ille docebit vos omnia.* Dixeram enim quia docet rationem. Multi siquidem moneniur, vt benefaciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia Spiritûs saocti, vt quam inspirat cogitationem doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi gratia.* Propterea non solùm moneri & doceri, verùm etiam moueri & affici ad booum necesse est, ab eo vtique Spiritu, qui adiuuat infirmitatem oostram; & per quem io cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est booa voluntas.

Isai. 63. v. 1

Ioan. 14. v. 26.

Iacob. 4. v. 17.

Aduentus specie ignis Spiritus sancti, ac impletio mystica.

Itaque, cùm sic adueniens Spiritus totam pos- D sederit animam suggereodo, instituendo, afficiendo, loquens semper io cogitationibus nostris, vt audiamus & nos quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem inflammans; non tibi videtur quia totam domum impleoerint dispertitæ linguæ tanquam igois? Nam in his tribus superiùs dictum est animam consistere totam. Siot autem dispertitæ linguæ propter multiplices cogitationes: sed earum multiplicitas & voo lumine veritatis, & vno feruore charitatis sit tanquam ignis. Aut certè domus impletio fini potiùs reseruetur, quando mensuram bonam, & confertam, & coagitatam E & supereffluentem dabunt in sinus nostros. Sed quando hæc erunt? Profectò cùm completi fuerint dies Pentecostes.

Luc. 6. v. 38.

Apoc. 14. v. 13.

Quinquagesima requietionis, & eius completio, dies Pentecostes.

Felices vos, qui iam intrastis quinquagesimam requiei, & iubilæum annum. Fratres nostros loquor, quibus iam dixit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Etenim hoc quoque inter eius opera reperimus. Duo oamque tempora celebramus, Quadragesimæ vnum, alterum Quinquagesimæ: illud ante Passionem, istud post Resurrectionem: illud in compuoctione cordis & lamentis pœoitentiæ, istud in deuotione spiritus, & Alleluia solenni. Prius quidem tempus ipsa est vita præsens: posterius verò quietem Sanctorum significat, quæ est post mortem. Cùm autem venerit illius Quinquagesimæ finis, in iudicio scilicet & resurrectione, completis diebus Pentecostes; aderit plenitudo Spiritus, & totam replebit domum. Pleoa siquidem erit omnis terra maiestate eius, quando non solùm anima, sed & ipsum corpus spirituale resurget, si tamen iuxta Apostoli monitum, dum adhoc est animale, fuerit seminatum.

Psal. 71. v. 19.

1. Cor. 15. v. 44.

EIVSDEM, IN EODEM FESTO.

SERMO II.

Psal. 67. v. 9.

HOdie, dilectissimi, cœli distillaoerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël: & pluuia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Spiritus enim sanctus procedens à Patre, & largiori munere suæ maiestatis in Apostolos superuenit, & tribuit eis charismatum dona. Post magnificentiam enim Resurgentis, post gloriam Ascendeotis, post Residentis sublimitatem, noo restabat nisi vt expectationi iustorum lætitia aduenirer, & cœli muneribus cœlestes homines implerentur. Vide autem si non & sententiarum pondere, & verborum ordioe hæc omnia Esaias loogè antè prædixit. *Erit*, inquit, *in die illâ germen Domini in magnificentiâ & gloriâ, & fructus terræ sublimis: & exultatio his, qui fuerint saluati, de Israël.* Germen Domini, Iesus Christus solus de mundissimo conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, noo tamen in carne peccati. Et si filius carnis Adæ, non tamen filius præuaricatioois Adæ: qui ooo fuit naturâ filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen qood de virgâ Iesse virore virgineo pullulauit, in magnificentiâ fuit, cùm resurrexisset à mortuis; quia nunc *Dominus Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento.* Quanta autem Ascendentis gloria, cùm medius Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceris; & triumphatrice palmâ cœlis inuectus, susceptum hominem in ipsâ diuinitatis claudis identitate? Quis cogitet, oedum loqoatur, quàm sit fructus terræ sublimis in consessu ad dexteram Patris, quod vtique cœlestium oculos reuerberat naturarum, quod Angelicus iotuitus contremuit, noo attingit? Veniat ergo exultatio Domine Iesu his qui saluati sunt de Israël, Apostolis tuis quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus qui sordes abluat, & infundat virtotes, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris Dei.

Isai. 4. v. 2. Isaiæ locus de Christo expositus.

Psal. 103. v. 1

Nempe, personali.

Eia igitur, fratres, cogitemus super nos & io nos opera Trinitaois ab initio mundi vsqoe ad finem, & videamus quàm solicita fuerit illa maiestas, cui administratio pariter & gubernatio sæculorum incumbit, ne nos perderet io æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & sapieoter omoia gubernabat; & vtrarúmque rerum (tam potentiæ quàm sapientiæ) signa manifestissima tenebantur in creatione & conseruatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem io Deo erat, & bonitas multa nimis: sed latebat io corde Patris cumulanda quandoque super genus filiorum Adam tempore opportuno. Dicebat tamen Domious, *Ego cogito cogitationes pacis*, vt mitteret illum qui est pax nostra, qui fecit vtraq;

Dei operũ meditatio, in negotio nostræ salutis.

Ier. 29. v. 11.

Eph. 2. v. 14.

Potentia & sapientia vbique conspicua; bonitas, in opere redemptionis.

A

vnum: vt iam daret pacem super pacem, pacem his qui longè & pacem his qui prope. Verbum igitur Dei in sublimi constitutum, vt ad nos descenderet, propria benignitas inuitauit, misericordia traxit; veritas, quâ se promiserat venturum, compulit; puritas vteri virginalis saluâ Virginis suscepit integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, charitas verbis & miraculis manifestauit.

Prorsus amplissima mihi nunc materia & malorum meorum suppetit, & bonorum Domini mei; vt cùm cogitauerim vias meas, conuertam pedes meos in testimonia sua. Illa enim bona ineffabilia sunt, quia (vt breui verbo cuncta concludam) nihil melius inuenire potuit, vnde nos redimeret sapientia Dei, in omni sapientiâ suâ.

B

Psal. 39. v. 13

Sed & mala circundederant nos, quorum non erat numerus: quia *peccaui* (iustus loquitur) *super numerum arenæ maris*. Et, *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim.*

Psal. 24. v. 13

Missus est coluber tortuosus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem.

Euæ, Mariæque collatio.

Missus est interim Gabriel Angelus à Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret; vt eadem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intrauerat. Verè vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre: quia totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis,

Paterna Christi in nos viscera.

C

vt nihil in Filio Dei nisi dulce, nisi paternum humani generis trepidatio suspicetur. A plantâ pedis vsque ad verticem non erat in nobis sanitas: errauer amus ab vtero: in vtero damnati, antequam nati; quia de peccato, & in peccato concepti.

Christus ergo ibi priùs medicinam apposuit, vbi primus vulneri patebat locus: & substantialiter vtero Virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est: vt conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat: vt non esset etiam in vtero vita ipsius otiosa, dum nouem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, vt dicitur, vsque ad imum putredinem virulentam, vt sanitas sempiterna succederet.

D

Terræ medium, Mariæ vterus.

Et nunc iam operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno; & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati eorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt resarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur; qui sequuntur, vt glorificentur.

Luc. 1. v. 48

Eò beatam te dicent omnes generationes Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. *Omnes*, inquam, *generationes*. Sunt enim generationes cœli & terræ. *Pater Spirituum*, ait Apostolus, *ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terrâ nominatur.*

Hebr. 12. v. 6
Eph. 3 v. 15.

Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, recreauit.

A Paschate.

A

Christi nobis donata omnia.

Placebitne tibi Domine Iesu, vt des mihi vitam tuam, sicut dedisti conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda, sed mors peruersa, vita periculosa, & post mortem restat mors grauior, mors secunda. Non solùm, ait, conceptionem meam, sed & vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus, infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis tibi donabo, adijciens mortem, resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritûs sancti. Hoc autem ideo, vt conceptio mea emundet tuam, vita mea instruat tuam, mors mea destruat tuam, resurrectio mea præcedat tuam, ascensio mea præparet tuam; porrò Spiritus adiuuet infirmitatem tuam. Sic etiam planè videbis & viam per quam ambules, & ad quam ambules mansionem.

B

In vitâ meâ cognosces vitam tuam, vt sicut ego paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, charitatis & misericordiæ indeclinabiles semitas tenui, sic & tu eisdem vestigijs incedas, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. In morte autem meâ dabo tibi iustitiam meam, dirumpens iugum captiuitatis tuæ, & expugnans hostes qui sunt in viâ vel iuxta viam, vt non apponant ampliùs nocere tibi. His autem completis reuertar in domum meam vnde exiui, & ouibus illis quæ in montibus remanserant, & quas propter te reliqueram, vt non te ducerem, sed reportarem, reddam faciem meam.

Abs Spiritu, pignus salutis, robur vitæ, lumen scientiæ.

C

Et ne de absentiâ meâ vel murmures vel contristeris, mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen, Pignus salutis, vt ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quòd Filius Dei sis, qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat & ostendat: qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli si non continuè, tamen sæpissimè mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solùm possibile, sed & facile fiat: ita vt in laboribus, in vigilijs, in fame & siti, & in omnibus obseruantijs (quæ nisi farinulâ istâ dulcorentur, prorsus mors in ollâ appareant)

4. Reg. 4 v. 40.

delectabiliter incedas sicut in omnibus diuitijs. Scientiæ lumen, vt cùm omnia benefeceris, te

D

seruum inutilem putes: & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas à quo omne bonum est; sine quo non paruum aliquid, sed nihil omninò potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergo Spiritus iste in tribus te docebit omnia quæ ad tuam pertinent salutem, quia in ipsis est plena & absoluta perfectio.

Ose. 10. v. 12

Hoc est quod per Prophetam idem Spiritus dicit, *Seminate vobis ad iustitiam*, vbi pignus salutis ostenditur: *metite spem vitæ*, vbi vitale robur accipitur: *illuminate vobis lumen scientiæ*, quod verbis proprijs subinsertur.

Spiritus in igne apparens.

Vnde & Spiritus iste super Apostolos in igne apparuit, propter lumen pariter & ardorem.

E

Quos enim repleuerit, & spiritu feruere, & in veritate cognoscere facit, quia sola misericordia est quæ eos & præuenit, & perducit. Multum sibi de hac misericordiâ vndique contraxerat puer Domini, cùm diceret,

Al. condixerat.

Psal. 58. v. 11 & 22. v. 3. & 22. v. 6. & 102. v. 4. & 58. v. 18.

Misericordia eius præueniet me. Et, *Misericordia tua ante oculos meos est.* Et, *Misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Et, *Qui me coronat in misericordiâ & miserationibus.* Et, *Deus meus misericordia mea.* Quam dulciter Domine Iesu cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa & magna bona

hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna quàm aspera pro hominibus passus es, ita vt liceat sugere mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo: duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his, sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Vides igitur quàm verum dixerit ille qui dixit, *Dominus solicitus est mei.* Pater vt seruum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit: Spiritum sanctum vterque mittit; & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Psal. 39. v. 18.

O duri indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro tam vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter vndæ sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanauerunt. Quid vltrà debuit facere, & non fecit? Illuminauit cæcos, reduxit erroneos, reconciliauit reos, iustificauit impios, triginta & tribus annis super terram visus, cum hominibus conuersatus, pro hominibus mortuus, qui de Cherubim & Seraphim, & de omnibus Angelicis Virtutibus dixit, & facta sunt; cui subest omnia cùm voluerit posse. Quid ergo à te quærit, qui tantâ solicitudine te quæsiuit, nisi te solicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc solicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum & intentionum cordis; qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit: Spiritus dulcis & suauis, qui nostram voluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad suam, vt eam & veraciter intelligere, & feruenter diligere, & efficaciter implere possimus.

B

1. Petr. 1. v. 18.

C

Mich. 6. v. 8

Solicitudo ambulandi cum Deo in nobis ex Spiritu sancto.

D

EIVSDEM, IN EODEM FESTO.

SERMO III.

QVàm libenter vobis communicem si quid mihi supernâ dignatione sensero inspiratum, nouit Spiritus ipse, cuius hodie solennitatem, & solennitatem præcipuam celebramus; vtinam deuotione præcipuâ. Ipse est enim, dilectissimi, qui vos sedere facit non solùm in ciuitate, sed & in domo vnâ, vt sedeat super sedentes, vt requiescat super humiles & trementes ad sermones suos. Ipse est qui Virgini obumbrauit, Apostolos roborauit, vt & Virgineo corpori temperaret Deitatis accessum, & Apostolos indueret virtute ex alto, feruentissimâ scilicet charitate. Hanc nimirum Apostolicus ille chorus *loricam sese induit sic vt gigas ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quia enim in domum fortis, ligare eum, & vasa eius diripere mittebantur, opus erat fortitudine ampliori. Alioqui quàm multum erat ad ipsos, vt de morte triumpharent, & ne ipsæ quidem portæ inferi præualerent aduersus eos, si non vigeret in eis, quæ in eis vinceret, dilectio fortis vt mors, dura sicut infernus æmulatio? Hunc sibi zelum imbiberant, cùm vino ebrij putarentur. Et verè ebrij vino,

Spiritus sancti opera.

E

1. Macch. 3. v. 3.

Psal. 149. v. 7.

Matth. 12. v. 29.

Cant. 8. v. 6.

Act. 2. v. 13.

A sed non eo, quo ab incredulis ebrij credebantur. Planè, inquam, ebrij, sed vino nouo, quod veteres quidem vtres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vitis illa fuderat de excelso, vinum lætificans cor, non statum mentis euertens: vinum germinans virgines, non apostatare faciens etiam sapientes. Nam in cœlis quidem olim copiosissimè redundabat, non in vtribus, nec in testeis vasis, sed in cellâ vinariâ, in spiritualibus apothecis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius ciuitatis vinum in quo lætitia cordis, non carnis luxuria est: nam terrigenæ, & filij hominum vinum eiusmodi non habebant.

Matth. 9. v. 17.

Vinum mysticum, ac spiritalis ebrietas.

B Sic igitur cœlum quidem vino proprio fruebatur, quod terra interim nesciebat: sed ne ipsa quidem terra penitus inops carne Christi gloriabatur, cuius præsentiam nihilominus cœlum sitiebat. Quidni fidelissimum fieret gratissimumque commercium inter cœlum & terram, inter Angelos & Apostolos, vt exhiberetur illis caro Christi, istis vinum cœli; essetque in terrâ Spiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum? *Nisi*, inquit, *ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Hoc est dicere, C Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis. Expedit ergo vobis vt ego vadam, vos quoque de terrâ ad cœlum, de carne ad spiritum translaturus. Filius enim spiritus, Pater spiritus. Spiritus sanctus spiritus est. Denique *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Sed & Pater, quia Spiritus est, tales quærit adoratores, qui adorent eum in spiritu & veritate. Spiritus tamen sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quòd ab vtroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis: tanquam propriè sanctus, quòd sit donum Patris & Filij, D omnem sanctificans creaturam; quamuis Pater quoque & spiritus & sanctus; itemque & Filius, & spiritus & sanctus sit. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ait Apostolus.

Dandi accipiendiq; inter cœlũ & terram commercium.

Ioan. 16. v. 7.

Thren. 4. v. 20.

Ioan. 4. v. 24.

Rom. 11. v. 36.

Tria in huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodò sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tum multa, tum magna, tum multipliciter, tum magnificè sunt creata. Sanè in modo ipsa sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè E siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Veruntamen & fuisse nouimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filijs hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi huius totâ sensualitate depressi, totos se dederunt his quæ facta sunt, quonam modo, vel ad quid facta sint, negligentes. Quid istos nisi carnales dicamus? Paucissimus iam esse arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, atque vnica solicitudo, modum & ordinem inuestigare factorum; adeò vt plerique non modò vtilitatem rerum perquirere dissimulauerint, sed & ipsas magnanimiter spreuerint, cibo paruissimo vilissimoque contenti. Ipsi quidem sese philosophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectiùs appellantur.

Philosophorum inanis occupatio.

Spiritalium occupatio; vt intelligāt ad quid sint facta.

Vtrisque igitur successerunt viri prudentiores (A) vtrisque, qui nimirum & quæ facta sunt, & quomodò facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, vt ad quid facta sunt, viderent. Nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum fecit, Deus, omnia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos: in eo quippe quòd dicitur, omnia propter se, præueniens commendatur origo; in eo autem quòd dicitur, omnia propter suos, magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit propter semetipsum, gratuitâ videlicet bonitate: omnia fecit propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate; vt illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales viri, (B) sic vtentes hoc mundo tanquam non vtentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigantes, quonammodo mundialis hæc machina volueretur: primi voluptate, secundi vanitate, tertij veritate impleti.

Gaudeo vos esse de hac scholâ; de scholâ videlicet Spiritûs, vbi bonitatem, & disciplinā & scientiam discatis, & dicatis cū Sancto, *Super omnes docentes me intellexi.* Quare, inquam? Nunquid quia purpurâ & bysso me indui, & quia lautioribus epulis abundaui? Nunquid quia Platonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut vt intelligerem laboraui? Absit, inquam, sed *quia testimonia tua exquisiui.* Felix qui in hoc sancti Spiritus thalamo commoratur, vt possit intelligere triplicem illum Spiritum; de quo idem ipse (C) puer Domini super seniores intelligens clamabat, & decantabat, *Ne proiicias me à facie tuâ, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.*

Psal. 118. v. 99.

Psal. 50. v. 13. 12. 14.

Spiritus sanctus.

Spiritum sanctum ipsum intellige proprio nomine designatum. Rogat ergo ne proiiciatur à facie eius tanquam aliquid immundum: quia Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse: nec in vno domicilio pariter morabuntur (D) tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo sancto Spiritu per sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum, audet quis ante faciem eius apparere tanquam lotus & mundus: vtpote qui contineat se ab omni malo; & qui actiones, etsi non cogitationes frenauerit.

Sap. 1. v. 3.

Spiritus rectus.

Sed quia *peruersæ & immundæ cogitationes separant à Deo*: orandum est vt cor mundum creetur in nobis: quod vtique fiet, si Spiritus rectus fuerit in nostris visceribus innouatus. Spiritum rectum quod ait, Filio potest non inconuenienter aptari, qui nos veterem hominem exuens, nouum induit; qui nos renouauit in spiritu mentis nostræ tanquam in visceribus nostris, (E) vt cogitemus quæ recta sunt, vt ambulemus in nouitate spiritus, & non in literæ vetustate. Formam enim rectitudinis de cœlis attulit, reliquit in terris: immiscens sanè & mittens dulcedinem rectitudinis in omnibus operibus suis, sicut de eo idē ipse prædixerat, *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc dabit legem delinquentibus in viâ.* Castigato ergo opere per sanctitudinem operum, mundato corde vel potiùs innouato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia salutaris, vt iam in lumine vultûs Dei ambules, & in nomine eius exultes totâ die.

Psal. 24. v. 8.

Spiritus principalis.

(A) Quid igitur restat nisi vt Spiritu principali confirmeris? Patrem intellige Spiritum principalem: non quòd maior, sed quòd solus à nullo, cùm ab eo sit Filius, Spiritus sanctus ab vtroque. In quo autem confirmatio hæc nisi in charitate? Aut quod donum aliud tam dignum Patre? quod munus aliud tam paternum? *Quis nos*, ait Apostolus, *separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Certi sitis, quia neque mors, neque vita, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quàm audacter enumerat, poterunt nos separare à charitate Dei quæ est (B) in Christo Iesu. Nunquid non hoc confirmationem ab omni huius sententiæ parte demonstrat? Scis vas tuum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderij? Spiritum sanctum accepisti tibi. Vis vt quæcunque tibi vis ab hominibus fieri, tu quoque facias illis, & quod tibi fieri non vis, alij ne feceris? Spiritum rectum ad opus proximi suscepisti. Hæc est enim rectitudo quam lex vtraque commendat; & quæ naturæ indita est, & quæ tradita per Scripturam. Iam si in vtroque bono & in his quæ ad vtrunque pertinent, firmiter perseueras, principalem Spiritu, quem solum Deus approbat, recepisti: alioquin quæ modò sunt, modò non sunt, is qui verè est, nō acceptat; nec in caducis istis sibi potest æternitas complacere. Itaque si desideras vt in te Deus eligat partem sibi, esto solicitus sicut tibi Spiritum sanctum, (C) sicut proximo Spiritum rectum, sic ei quoque tanquam vero principi & Patri Spirituum, Spiritum principalem exhibere.

Rom. 8. v. 35.

Spiritus in nobis testimonia.

Spiritus ad vsum vitæ, ad miraculum &c.

Verè multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filijs hominum inspiratur, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Siquidem conceditur eis ad vsum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad feruorem. Ad vsum quidem vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens, ita vt videatur hîc discretionis limitem non tenere. Ingratus, qui in his quoque beneficium Spiritûs non agnoscit. Ad miraculum, in signis & prodigijs, (D) in varijs virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur. Ipse est antiqua miracula suscitans, vt ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propriâ vtilitate largitur, tertiò infunditur ad salutem, cùm in toto corde nostro reuertimur ad Dominum Deum nostrum. Nam cùm testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei simus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad feruorem, cùm in cordibus perfectorum vehementiùs spirans validum ignem charitatis accendit, vt non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriemur; contumeliam gloriam reputantes, (E) opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est Spiritus ad salutem, ad feruorem non ita. Pauci enim sunt qui hoc Spiritu repleantur: pauci qui studeant æmulari. Contenti sumus angustijs nostris, nec respirare in libertatem illam, non saltem ad eam spirare conamur. Oremus, fratres, vt compleantur in nobis dies Pentecostes, dies remissionis, dies verissimi Iubilei: & inueniat nos semper Spiritus sanctus omnes propter præsentiam corporalem, pariter propter cordium vnitatem, in eodem loco propter promissam stabilitatem: ad laudem & gloriam sponsi Ecclesiæ Iesu Christi Domini no-

Ad feruorē paucis datus.

sti, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

AVCTORIS DE OPERIBVS *Christi Cardinalibus, nomine S. Cypriani Episcopi Carthag. de Sancto Spiritu.*

SERMO.

Inuocatio sancti Spiritus. ADesto sancte Spiritus, & paraclesim tuam expectantibus illabere cœlitùs: sanctifica templum corporis nostri, & consecra inhabitaculum tuum: desiderantes te animas tuâ præsentiâ lætifica: dignam te habitatore domum compone: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circunda varietatibus virtutum: sterne pauimenta pigmentis, niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecus spirent odoramēta: affatim balsami liquor fragrantiâ suâ cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quicquid tabidum est, quicquid corruptelæ seminarium, stabile & perpetuum hoc facias gaudium nostrum, & creationis tuæ renouationem in decore immarcescibili solides in æternum. Interfuimus sacræ Verbi infantiæ, & puerperio Virginis obsecuti sumus: cum cœlesti militiâ gloriam decantauimus paruulo: confessi sumus omnipotentem, quem in cunabulis vidimus vagientem: circuncisionis celebrauimus sacramenta, & truncato præputio voluptatum sanctimoniæ didicimus mancipari. *Christi rerum recapitulatio, quas his auctor stylo exornauit.* Interfuimus baptismati Saluatoris, & auditâ Patris voce de cœlis, ad obediendum Christo traditi sumus: & instructi cœlitùs quomodò Patrem & Filium Dilectio iungat & vniat, ita vt in ipsis nominibus intimetur distinctio personarum, & naturæ vnitas euidentissimè innotescat. Sed & Spiritum sanctum in specie columbæ inter illa mysteria vidimus, & intelleximus ex illâ specie, gemitus pœnitentiæ & desideria contemplationis diuinæ, ex simplicitate cordis & innocentiâ vitæ immaculatæ incessanter prodire: & neminem nisi suspirijs huiusmodi præcedentibus, & inspiratione diuinâ mouente, posse ad cœlestia aspirare: vt suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto Spiritu & causam habeant, & effectum, & materiam, & prouentum. Sequuti quoque sumus in eremum Dominum ieiunantem, & repulsa pariter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus Cœnæ, & de calice Domini bibimus: pedes lauimus, mortui sumus cum Christo, & ecce viuimus: prosequimur ascendentem, & præstolamur promissum nobis Spiritum sanctum, cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuisibili magisterio nos doceat, & cœlestibus instruat disciplinis: qui carnales hebetet sensus, & conterat appetitus.

Gen. 1. v. 2. Spiritus sanctus ferebatur super aquas creationis initio. Hic Spiritus sanctus ab ipso mundi initio aquis legitur superfusus, non materialibus aquis quasi vehiculo egens, quas potiùs ipse ferebat, & complectentibus firmamentum dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Huius sempiterna virtus & diuinitas cùm in propriâ naturâ ab inquisitoribus mundi antiquis Philosophis propriè inuestigari non posset, subtilissimis tamen intuiti sunt coniecturis compositionem mundi: compositis & distinctis elementorum affectibus præsentem omnibus animam affuisse, quæ secundum genus & ordinem singulorum vitam præberet & motum, & intransgressibiles figeret metas, & stabilitatem assignaret & vsum. *Mundi animam posuerunt Philosophi, quod reuerà Spiritus sanctus.* Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum essentiam animam mundi Philosophi vocauerunt: putantes cœlestia corpora, solem dico & lunam & stellas, ipsumque firmamentum, huius animæ virtute moueri & regi, & aquas & terram & aërem huius semine impregnari: qui si Spiritum & Dominum, & creatorem, & viuificatorem, & nutritorem crederent, omnium quæ sub ipso sunt; conuenientem haberent ad fidem accessum. Sed abscondita est à sapientibus & prudentibus tantæ rei maiestas, nec potuit humani fastus ingenij secretis interesse cœlestibus, & penetrare ad superessentialis naturæ altitudinem: & licet intelligerent quòd verè esset creatrix & gubernatrix rerum diuinitas, distinguere tamen nullo modo potuerunt quæ esset deitatis Trinitas, vel quæ Vnitas, vel quæ personarum proprietas.

Superferebatur quidem elemento purificatorio Spiritus sanctificator, iam tunc baptismi virtutem enuntians. *Spiritus aquis incubans, in figuram baptismi.* Iam tunc illa præfigurabantur tempora, quibus arca Noë aquis inuecta diluuij viri iusti familiam conseruauit illæsam, abolitâ generatione adulterâ, qui in filiabus hominum bestiali petulantiâ effrænes, impudenter se illis commiscuerant: nec diuinos, nec humanos in flagitijs publicis verebantur aspectus. *Arca Noë, baptismi figura & Ecclesiæ. Gen. 6. v. 4.* Arcam illam quæ typum gerebat Ecclesiæ, Spiritus sanctus & tunc regebat, & adhuc regit, extra quam quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum: & impossibile est eum viuere, cui non superfertur Spiritus vitæ, cuius viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fœcundat. Hic Spiritus sanctus omnium viuentium anima, ita largitate suâ se omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabilia & irrationabilia secundum genus suum ex eo quòd sunt, & quòd in suo ordine suæ naturæ competentia agunt: non quòd ipse sit substantialis anima singulis, sed in se singulariter manens, de plenitudine suâ distributor magnificus, proprias efficientias singulis diuidit & largitur: & quasi sol omnia calefaciens, subiecta omnia nutrit, & absque vllâ sui diminutione integritatem suam de inexhaustâ abundantiâ, quod satis est & sufficit, omnibus commodat & impartit.

Exod. 14. v. 16. Miracula in eductione populi Israël de Ægypto, & in deserto. Hic Spiritus Rubri maris aquas siccauit, & suspensis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium & Ægypti pulmentarijs populum ad spiritualem eremi libertatem eduxit incolumem; & alimonijs cœlestibus pauit, manna quasi rorem matutinum infundens granioribus, quod colligi iussum est ad mensuram. *Obscura hæc sextæ comparatio cum octauâ, vt etiam notauit Pamelius.* Aderat plena mensura per totam hebdomadam vacante sabbatri die, cui sexta præcedens dies consueti victus duplicans quantitatem octauę præfigurabat quietem, in quâ absque labore & solicitudine in delicijs epulabuntur electi, & saturabuntur in terrâ suâ duplicia possidentes, corporis & animæ felicitate perenni, & perenni felicitate ditati. *Isai. 61. v. 7. Exod. 8. v. 19. Digitus Dei in Ægypto.* Hic est Spiritus sanctus, quem Magi in Ægypto tertij signi ostensione conuicti, cùm sua defecisse præstigia faterentur, Dei digitum appellarunt, & antiquis Philosophis eius intimarunt præsentiam defuisse. *Platonici Patrem & Filium vtcunque cognouerunt, non Spiritum sanctū.* Et licet de Patre, & Filio aliqua sensissent Platonici, spiritus tamen tumidus & humani appetitor fauoris sanctificationem intel-

lectus diuini mereri non potuit: & vbi ad profunditatem sacramentorum ventum est, omnis eorum caligauit subtilitas, nec potuit infidelitas

Luc. 11 v. 20
Idem Dei digitus in nouo testamento.

sanctitudini propinquare. Hic digitus Dei mundanę iudex & vindex perfidię, noui tempore Testamenti potenter expellit dæmonia: nec laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia: quod dicit, facit; quod iubet, implet: secreta indicat, pandit occulta, reuelat ignota, hebetat acutos, & perspicaces confutat.

In deserto, & monte Sina.
Exod. 31. v. 18.
Exod. 32. v. 1 & 19.

Hoc digito in lapideis tabulis lex primùm conscripta, quinquagesimo die post egressum Israël de Ægypto in monte Sina Moysi est commendata: sed populus nequam & gens duræ ceruicis, à B quorum animis rector ille recesserat, quem mons ardens & flammea iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruscæ, & horrenda tonitrua nuper incusserant, in apostasiam conuersi, & de Moysi reditu desperantes, lege diuinitùs missâ indigni iudicati sunt: quia in oculis eorum Moyses frangens tabulas, tam verba quàm instrumenta comminuit, & deleuit. Quin etiam sceleris vl-

Exod. 34. v. 1.

tione patratâ, reuersus in montem ad Dominum, quadraginta diebus ieiunans & colloquens, tandem obtinuit vt ipse alias de saxo ad instar priorum excideret tabulas, in quibus eandem quæ in primis fuerat, scripturam insculperet & formaret. Factúmque est mirabili dispensatione su- C

Tabulæ legis Dei digito scriptæ confractæ sunt, restitutę à Moyse, seruatæ.

perni iudicij, vt lex, quam sanctus scripserat Spiritus, deleretur: & quam manus humana restituit, in posterum teneretur. Quod eâ ratione credi potest sic actum, vt populus prior secundum carnem ambulans & viuens, diuinis colloquijs & spiritualibus mandatis ostenderetur indignus: nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium regmine velabantur. Porrò testamenti noui quæ Christo euangelizante patuit veritas verbo Chri-

Noui testamenti stabilis gratia.

sti prolata, indissolubilis permansit, & solidâ deinde stabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita est, eò quòd oblatam gratiam humiles susceperunt, & quòd Filius inter pauperes spiritu inuenit sibi domum in quâ caput reclinaret: & meri- D tò reprobatos visibiles tabulæ inuisibilis Dei indicant contemptores, & ampliori dignos honore incarnati Verbi credulos auditores, & deuotos veneratores.

Data lex quinquagesimo die ab esu agni Paschalis.
Quinquagesimus numerus reuoluto septies septenario, additâ vnitate.

Lex igitur à Paschalis agni immolatione die quinquagesimo datur, & Pentecostes nomen tantæ rei solennitas ex lege accepit, in ipso dierum numero sacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus septies reuolutus, quinquagesimum efficit, additâ monade, quæ præsentis sæculi meta, & futuri initium, perpetuitatem sub octauæ nomine continens, sic præsentia terminat, vt nos ad perpetua introducat. Sacratus hic septenarius numerus à conditione mundi auctoritatem obtinuit: quoniam in sex diebus prima Dei opera patrata sunt, & septi- E

Septima initio creationis sanctificata.

ma consecrata quieti, & quasi sancta & sanctificans solennitate vocationis honorata, & Spiritui sanctificatori attitulata. Vnde & cessanti à seruilibus operibus populo iubetur, vt diem sabbati

Exod. 20. v. 8.
Sanctificationis huius mysterium.

sanctificet; & Spiritui rectitudinis, & sanctitudinis, & fortitudinis adscribat, quòd directè, quòd honestè, quòd viriliter incedit: quia totum ex eius constat ducatu, quòd deuij diriguntur, quòd impij conuertuntur, quòd debiles confirmantur. Spiritus rectus, Spiritus sanctus, Spiritus principalis regit, componit, consummat, A & perficit, quas inhabitat mentes, & corda quæ possidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos possederit, quos gladio potentissimæ virtutis accinxerit.

Septenarii partes quaternarius & ternarius, Dei symbolo & creaturæ.

Septenarius iste ex quaternario & ternario constans, cùm in se propter prædictas causas honorabilis habeatur, habet ex partibus suis excellentiam maximam: quia artificis & materiæ videtur exprimere, & distinguere primarias substantias: vt ternarius creatorem propter Trinitatem enuntiet, & quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium causæ sunt & semina, sub huius numeri breuitate concludat. Spiritus sanctus à Patre procedens, à Patre & Filio quaternario superfertur, & conditor benignus opus suum amplectitur, & diligit quod plasmauit, & creaturam suam sanctus ipse sanctificat & consociat sibi, & charitatis nexu statuit & conquadrat. His aliísque secretioribus rationibus, quas virorum subtiliora ingenia indagarunt, septenarius numerus in Scripturis sanctis sæpe sacramentales causas complectitur; & simplex & multiplicatus necessarios ad intelligentiam diuinorum operum parturit intellectus.

Leuit. 23. & 25.
Annus septimus.

In hebdomadibus apud Hebræos dies septimus Sabbatum, id est requies appellatur, qui numerus non tantùm in septimanis, sed etiam ob- C seruatur in annis, & annorum hebdomadâ consummatâ, septimus annus requietionis est, & ipsi terræ sabbatum imperatur: nec fas est cuiquam eo anno serere vel metere quippiam, sed quæ sponte siue in terrâ, siue in vineis, vel in arboribus nascuntur, alimoniæ pauperum deputantur.

Annus quinquagesimus, & iubileus.

Annorum quoque septimanæ apud Hebræos quinquagesimum annum faciunt, quem iubileum appellant, in quo decreto legis (vt suprà dictum est) fit terræ remissio, & seruorum libertas, & restitutio possessionum, quas eatenus distractio alienauerat, & cætera huiusmodi gratis ad hæreditatis ordinem reuertuntur. De numero septenario cùm multa dicta sint, plura supersunt, quæ in lege & Euangelio præcipuè commendantur.

Act. 2 v. 1.

Quinquagesimus itaque annus perficit iubileum, quinquagesimus dies à Pascha Pentecosten facit, in quo verè Spiritu sancto infuso Apostolis, ad hæreditatem cœlestem, à quo venundati sub peccato exulabant, quos diabolo domino mendicitas & egestas subiecerat, reuertuntur. Septem sacerdotalibus clangentibus tubis, Hiericho corruit: septem petitionibus orandum Patrem Filius docuit. Remissio peccatorum duplicato septies septenario Petro mandatur. Leprosus septimi diei inspectione à Sacerdote iudicatur: summi Sacerdotis in septem diebus consecratio consummatur. Dominus Iesus Christus de septem panibus quinque millia hominum reficit: & iustus quisque Deo laudes per diem septies dicit. Ipse Dominus Iesus ab Adam secundum generationes, quas Lucas commemorat, septuagesimus septimus inuenitur; vt vltionem in Lamech septuagesies septies promulgatam veniens terminaret. Septem diebus in Paschâ edũtur azyma; septem diebus mense septimo tabernaculorum solennitas celebratur. In septem annis templum à Salomone construitur; septem brachijs & totidem luminibus candelabrum adornatur.

Iosue 6 v. 20
Matth. 6 v. 9.
Matth. 18. v. 22.
Leuit. 13. v. 13.
Exod. 29. v. 30.
Matth. 15. v. 14.
Psal. 118. v. 164.
Luc. 3. v. 23.
Gen. 4. v. 24.
Exod. 12. v. 15.
Deut 16. v. 13.
3. Reg. 6. v. 38.
Exod. 25. v. 37.

Celebramus tam nos quàm Iudæi quinquagesimum diem, sed illi in typo; nos autem in veri-

Iudæorum Pentecoste in type, Christianorum in veritate.
Act.2.v.1.
Donum linguarum ad Euangelii facilē prædicationē.

tate, non tam significamus quàm agimus. Pen- A tecosten igitur celebrantes, commemoramus quæ olim sub Moyse in veteri Testamento sunt acta, & quæ sub Christo facta sunt: post cuius ascensionem in cœlos Spiritus sanctus visibiliter super Apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris sæculi, vniuersitatem fidelium vnius labij esse voluit: vt quorum erat cor vnum & anima vna, vna esset & lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas verborum; sed Euangelica doctrina propriâ linguâ prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret; & Barbaris omnibúsque gentibus verbum Euangelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus linguæ, in quâ nati erant, idiomata resonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Mesopotameni, & Arabes: Hi omnes, dum Hebræâ B linguâ Apostoli prædicarent, locutio Iudaica enuntiationis suæ articulos cursu consueto euolueus, nullo exponebatur interprete; sed verbo eorum per Spiritum sanctum inerat virtus & gratia, vt habitantes Pontum & Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant: quasi primitiuæ linguæ libertas ad antiquitatis reuersa originem, confusionis contumeliam euasisset. Nec tantùm Apostolis collata est hæc gratia, sed multitudini credentium idem Spiritus superfusus est, intus ardentibus, extrà loquentibus; & complectebantur se dilectio & verbum, & de calore Spiritus sermo feruebat ignitus. Iam omni timore exclusо, obedire sed Deo magis quàm homini- C bus publicè profitebantur: & videbatur eis gloria, si pro Christo iniuriam paterentur.

In eo positum, vt Apostoli Hebræâ linguâ loquentes, ab omnibus intelligebantur.

Num.11.v.16.
Datum septuaginta senibus de Moysi spiritu.

Ad hunc modum olim Moysi iussum est, vt in viros septuaginta, quos ipsos presbyteros iudicaret, de Spiritu suo partiretur, vt in negotijs partem gererent solicitudinis: quibus cùm imposuissent Moyses manus, requieuit in eis Spiritus sanctus; qui non Moysi ablatus est, quasi ipse sine Spiritu remaneret, vel idem Spiritus secaretur in partes; sed secundum mensuram donationis diuinæ, quæ erat in Moyse, gratia singularis facta est multiplex & communis, & data est multis in eo potestas, quod prius solius Moysi disponebat auctoritas. Sic Eliæ Spiritum duplicem recepit D Elisæus, non quòd in duas substantias idem Spiritus sit diuisus, & duos Propheta sanctus habuerit Spiritus; sed quòd, populo Christiano, cuius typum Elisæus gerebat, accepto Spiritu sancto data sit potestas in opere & sermone; & ascendentem Eliam, id est Christum, pio desiderio prosequutus, fide claruerit & intellectu, & vitâ & signis & miraculis fulserit, & exemplis.

4.Reg.2.v.9
Eliæ spiritus duplex datus Elisæo.

Spiritus opera.

Hic sacrorum ordinum distributor, reges creat & principes, sacrat Pontifices, eligit Sacerdotes. Hic sapientiâ Salomonem, intellectu Danielem, Ioseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientiâ, Dauid pietate, Iob timore pro- E sequitur: & Sanctorum animas omnimodis fœcundat virtutibus, in tantum affectus pacificos prouehens, vt iam in cœlis nostra sit conuersatio, diffusâ in nobis charitate per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionē. Hic humiles cœlibes habet domesticos, abominatur ærarios, falsarios detestatur. Hic Giezi mercenarium leprâ condemnat, & Ieroboam vendentem sacerdotia cum apostatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à sanctorum consortio exhæredat, cuius detestabiles ausus vltrix ruina confundit & quassat. Hic

Rom.5.v.5.
4.Reg.5.v.27.
3.Reg.12.v.31
Act.8.v.21.

Num.22.v.28.

A Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit, & per asinam redarguitum, colliso ad parietem pede, vacuum pecuniâ, contumeliâ oneratum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus Ecclesiæ sacramentis interest, quæ ipse efficit, & consummat. Hic peccata diluit, hic iustificat impios, ad vitam reuocat mortuos. Hic discordes pacificat, & vinculo dilectionis astringit & ligat. Hic nos cœlo inuehit, & à mundi huius vanitatibus auulsos superni regni constituit hæredes, cuius summa est felicitas, quòd corpus istud spirituali effectu cum Angelis conuersabitur, nec vltra erit carnis & sanguinis aliquis appetitus, sed erit omnium plena sufficientia, cognuscibilis Deus, & inhabitator Spiritus sanctus.

B

GVERRICI ABBATIS IN DIE *sancto Pentecostes.*

SERMO I.

Dei immēsa liberalitas, & profusio.

INeffabilis Deus, ineffabilis misericordia eius. Secundum nomen eius, ita & opus eius. Planè ineffabilis diuinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat Patri tradidisse Filium, vt redimeret seruum, nisi daret & Spiritum sanctum, quo seruum adoptaret in filium. Dedit Filium in pretium redemptionis, dedit Spiritum in priuilegium adoptionis, se denique totum seruat hæreditatem adoptatis. O Deum (si fas est dici) pro- C digum sui, præ desiderio hominis! An non prodigum, qui non solùm sua, sed & seipsum impendit, vt hominem recuperaret, non tam sibi quàm homini ipsi? An non prodigum, qui sicut *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; sic nec Spiritui sancto pepercit (vt ita loquar) sed nouâ & mirâ largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus, sui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quàm seipsum donauit meretricibus: sed multò effusior Pater in recuperatione perditi filij, quàm ille in perditione sui: si tamen vlla debet esse comparatio gratiæ & pecuniæ, spiritûs & carnis, Dei & hominis. Vide enim quantâ largitate toto or- D be gratia Spiritus effusa sit, non solùm iustis confirmandis, sed & peccatoribus iustificandis: quomodò vbique gentium Spiritu creante nouum genus hominum, renouata sit facies terræ; imò quanta mutatio fiat per dexteram Excelsi, vt repente perditissimi hominum publicani & meretrices, iustos quàm plurimos præcedant in regno Dei, & nouissimi fiant primi. Prorsus non sicut delictum, ita & donum: quia vbi abundauit delictum, ibi superabundans gratia, non solùm donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita: & sublimiùs restituit lapsos redemptio, quàm E constituerat prima creatio.

Rom.8.v.32.
Luc.15.v.13
Gratiæ Spiritûs largitas.
Psal.103 v.30.
Psal 76.v.11.
Matth.21.v.31.
Rom 5.v.20.

Sanè in his omnibus quamò mirabilior Dei gratia prædicatur, tantò damnabilior hominis duritia conuincitur: si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non seruet. Cui enim non offertur? Super quem non fulget lumen illius? Quis se abscondit à calore eius? Neque enim reliquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, & fouens calore bonitatis: cùm & lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; & Deus faciat oriri solem suum super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos.

Ingrati hominū mores.
Ioan.1.v.9.
Matth.5.v.45.

Sed væ

Sed væ illis qui rebelles sunt lumini; id est, resistunt Spiritui sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt: & sicut lutum ex calore Solis, ita ex bonitate & beneficijs Dei duriores fiunt: audacter etiam prouocantes eum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.

Verùm quid ad nos de his qui foris sunt? Ad vos potiùs nobis est sermo, qui Spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eundem Spiritum signum adoptionis, & pignus hæreditatis, qui velut quidam character insignis vasa misericordiæ à vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostrâ, vel magis spe salutis, eâ nobis modestiâ gaudendum sit, vt quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostrâ mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium: cùm tam de nobis, quàm de illis qualiscunque sit scientia præsentiũ, nulla possit esse præscientia futurorum: nec leuis fit iniuria summæ potestatis, penes quam est arbitrium vitæ & mortis, si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præiudicetur eius iudicijs. Denique de massâ eorum sumus assumpti: & qui paulò antè eramus sicut illi naturâ & vitâ filij iræ, repente facti sumus filij gratiæ. Nos ergo simus illis exemplum spei ad pœnitentiam, ipsi nobis timoris ad perseuerantiam. In nobis se misericordia vt ametur, in illis se iudicium exerit vt timeatur. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:* pro istâ gratiam agens, pro illo preces fundens: pro istâ gratus & lætus, pro illo timoratus & cautus; & de vtroque eruditus, exultabo tibi cum tremore: quia tunc ingrediar in veritate tuâ, si ita lætetur cor meũ, vt timeat nomen tuũ. Neque enim timor iste quem amor castũm facit, gaudium tollit, sed custodit: non destruit, sed instituit: non inamaricat, sed condit; vt tantò sit durabilius, quantò modestius: tantò verius, quantò sanctius. O castum & fidele gaudium, quàm fidelis est illa de te sententia Sapientis, *Non est sensus super salutem corporis, & non est oblectatio super gaudium cordis.* Hoc vtique gaudio non est gaudere impijs, quorum fatuos risus & friuola gaudia, Sapiens detestatur & increpat. *Risum,* inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis? Risus dolore miscebitur; & extrema gaudij luctus occupat.*

Incertus semper timendus salutis exitus; nec vnquam desperandus.

Psal.100.v.1
Misericordia & iudicium cantanda.

Timor castus gaudiũ non tollit.

Eccl.30 v.16

Eccl.2.v.2.
Pro.14.v.13.

O beate Iesu, quàm dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renuntiantes illi falso & fallaci gaudio, quantò melior misericordia tua super vitas: quantò *melior est dies vna in atrijs tuis super millia:* quantò beatiores facis pauperes tuos ipsâ paupertate tuâ, quàm mundus facere possit suâ quantalibet affluentiâ: vbi quicquid affluit, defluit, sibique inhærentem perefluere facit. Alijs affluebat delicijs illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans ciuitatem Dei, cùm scilicet hodiernâ die tanquam Spiritus torrens repleuit totam domum vbi erant sedentes Apostoli. Exhibebat quippe diuina veritas, quod per Prophetam promiserat, *Ecce ego declino in vos vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentium.* Quantùm illis affluebat, quibus tantùm influebat: quantùmque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ viuæ? Nec solum de corde beneuolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquij, cui nõ poterant resistere & contradicere omnes eorũ aduersarij: sicut de Stephano dicitur, quia *non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.*

Psal.83.v.11.
Iesu dulce gaudium; mundi, vanum.

Act.2.v.2.
Isai.66.v.12.

Spiritus eloquii vis in discipulis

Act.6 v.10.

Ad huiusmodi gaudia vos internu, fratres, Consolator vester inuitat. Hoc torrente voluptatis suę sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis sitit, veniat, & bibat.* O affluens liberalitas Dei! ô indeficiens largitas diuinæ bonitatis! Spiritum, cuius hodie primitias dedit Apostolis, offert vniuersis. Thesaurum suum, fontem aquæ viuæ aperit tam hominibus quàm iumentis: tanquam & ipse omnibus sapientibus & insipientibus debitor sit. *Omnes,* inquit, *sitientes, venite ad aquas.* Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantùm sitire quis nouerit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes: sed sicut esurientes implet bonis, sic diuites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum, quod abominari facis bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carnium. Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam lethalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac malè securum appropinquantem vsque ad portas mortis? Sed vnde rogo tam latè lues ista Christi ouilia infecit, greges inuasit, vt compluribus de grege videatur etiam locus horroris & vastæ solitudinis, locus pascuæ vbi sunt collocati; & in pascuis vberrimis, in herbis virentibus miserè pereant fastidio languidi? An non quæso gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti? gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, & virtutes sæculi venturi. Si enim non gustauerunt bonum Dei verbum, vnde toties eructauit cor eorum verbum bonum, cùm scilicet de memoriâ abundantiæ suauitatis eius eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem diuinis intersunt laudibus & dormitant, aut otiosa, vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum & oscitant: verbum exhortationis audiunt, & ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt, quàm illa: iugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame.

Ioan.7 v.37
Gratia omnibus oblata.
Isai.55.v.1.
Fastidium spirituale.
Hebr.6.v.4.

Vnde ergo post illam felicem experientiam, gustumque suauem supernæ dulcedinis, tanta hæc obliuio & incuria boni, lãguorque mentium subintrauit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere velint, *Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Currebant vtique bene; quis eos fascinauit retrorsum conuerti? Spiritu cœperunt, quomodò nunc carne consummantur? Voluptuosè vescebantur, quomodò nunc intereunt in vitijs? Videant quæso ipsi, ne forte inimicus homo, qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consueuit, post illam suauem escam Christi, felle suo fauces eorum vnxerit: & per hoc non modò desiderium, sed & memoriæ prioris gustûs oboleuerit. Enimuerò statim denuntiat Apostolus his qui eiusmodi sunt, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* An non tibi videtur non modò putatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium rapiatur furore passionum? Ego (vt loquar de his quæ iam magis in vsu, quàm in crimine sunt) puto quòd & ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis: cuius os abundat malitiâ, & lingua con-

Psal.101.v.5

Fastidii istius causa diabolus, ac super seminata vitia.
1.Cor.10.v.21.

Peccatum susurrii & detractionis vsu frequentissimū.
Psal. 49. v. 20.

cinnat dolos: qui sedens aduersus fratrem suum A loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiam si non detrahit, detrahentem libenter audit; qui scurrilitate stultiloquij cachinnantes dissoluit. Videat ergo qui huiusmodi est, an dignum sit, vt vulturatus velut in cruore immolationum & sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi & Angelorum. Absit autem, fratres mei, vt hæc dicens, innocentiam vestram, quâ plurimum delector, inscribam sceleri: sed hæc dico vt salui sitis, & aliorum exemplo cautiores facti, manusque lauantes in sanguine peccatoris, gratiam Spiritus sancti, quam alij negligentiâ perdunt, vos omni vigilantiâ seruare curetis, ad laudem & gloriam ipsius largitoris Iesu Christi Domini nostri, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM, DE EODEM.
SERMO II.

Act. 2. v. 11.

LOquebantur varijs linguis Apostoli, magnalia Dei. Nimirum ex abundantiâ cordis linguæ loquebantur in eis. Exultationes Dei in gutture eorum, quia charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum. O Domine Deus meus, & ego vtique laudarem, si similiter potatus essem. Quia verò arida est anima, ideo est & torpida lingua. Sed,

Psal. 62. v. 6. Psal. 118. v. 171. & 60.

sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, sic C *& labijs exultationis laudabit os meū. Eructabunt labia mea hymnum, sed cùm docuerit me iustificationes tuas*: id est, cùm dederis gustare quàm suauis es, vt discam te diligere toto corde, totâ animâ, totâ virtute. *Bonus es tu, & in bonitate tuâ doce me iustificationes tuas.* Bonitas siquidē tua, vnctio tua est, quâ doces eos de quibus prædictum est, *Erunt omnes docibiles Dei. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum. Lex Domini immaculata conuertens animas.* charitas est: lex vtique ignea, quæ est in dexterâ eius, quæ cùm digito Dei scribitur super latitudinē cordis, & ipsum cor amoris incendio, & os ignitu feruere facit eloquio. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* O quātâ facilitate & ce- D lenitate, quantâ copiâ & facultate, ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, non solùm erudiuit imperitos, sed etiā expediuit impeditos? Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispartiuit ignis ille, quæ sic ignescere fecerunt non solùm mentes, sed & linguas Apostolorum, vt etiam nunc pios auditor ad sermones ignescat eorū. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque viuit ignis perpetuus: qui & super corda nostra scintillat, si accedamus; si autem vel animum ab eorum sermonibus non auertamus. Si meruissem aliquam de linguis accipere huiusmodi, dicerē vtique & ego, *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsâ laudabo eum*, sicut de illis scriptū est, *Loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei.* Dicerē & illud, *Dominus* E *dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Apostoli, & eorū similes linguis sibi datis, magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cœlos aperiunt: quia linguæ eorum claues cœli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autem vel lingua canis data sit, quâ possim primùm quidē propria, deinde & aliena vlcera lingere: si qui fortè sint qui ad hoc ipsum sibi me dignantur admittere. Beati quidē, quibus amor & dilectio diuinæ laudis cor replet

Threu. 1. v. 13.
Psal. 54. v. 13. Ioan. 6. v. 45. Psal. 93. v. 12. & 18. v. 8.
Igneæ in Apostolis linguæ.
Eccl. 51. v. 30.
Isai. 50. v. 4.
Earum vis, ac magnalia.

gaudio, & os iubilo: sed & illos vtique beatos dixerim, qui cùm de vulneribus animarū virus oblingunt, & purulentiam; trahunt ad se, quo anima eorum saginetur, Spiritum & gratiam. Esuriūt siquidem & sitiunt iustitiā, & famem patiuntur vt canes, ideoque nihil fastidiūt, quod in corpus suū possint traijcere; neminem peccatorem abominātur, quem ad iustitiam possint conuertere. *Quod Deus mundauit, tu ne immundum duxeris*, dictū est Principi aliorū, & in ipso alijs: & ob hoc mactat & mādūcat omne genus reptilium & volanlium, & ait, *Quæ prius tāgere nolebat anima mea, nūc præ angustiâ* impatiētis desiderij, *cibi mei sunt.*

Lingua canis lingens vlcera.
Psal. 50. v. 7.
Act. 11. v. 9.
Iob. 6. v. 7.

B Quinimmò mirum in modū quantò quisque peccator ante conuersionem amarior, tantò postmodum conuersio eius dulcior: quantóque desperatior, tantò gratior nobis eius salus: quia & saluātis gratiam plus miramur, qui ouem perditā reportās in humeris, *gaudium facit Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis.*

Dulcior peiorum conuersio.
Luc. 15. v. 7.

Dicant igitur alij quibus datum est, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine!* Anima autem mea esuriens, & famen patiens vt canis, etiam amarum sumet pro dulci, & abominabile pro desiderabili. Delectētur alij lambere mella Scripturarum, ego delectabor vlcera lingere peccatorū; mei scilicet, mihique similiū. Fœdum quidē vlcus peccati, visuque horribile: sed tamē ipsum lingere cuius sit saporis & gratiæ, non sapit, non capit, nisi qui salutem periclitantium esurit, & famē patitur vt canis: qualibus dictum est, *Lingua canum tuorum ex inimicis.* Sed væ miseris qui tanto studio pereunt, tantóque desiderio mortē sibi consciscūt vt vulnera sua tegant, curamque canum refugiāt, & asperitatē linguę medicinalis arbitrentur morsum odij lethalis. *Oderūt corripientem in portâ, & perfectè loquentē abominati sunt.* Perfectè loquētem dico, non tam de perfectione differentem, quàm perfectâ dilectione corripientem. Sed dicā perfectâ dilectione, imperfecto odio: imò vtrūq; & perfectâ dilectione, & perfecto odio: quia perfectū odiū nihil aliud est, quàm perfecta dilectio, & vna est vtriusque perfectio, quā Apostolus determinat, dicens, *Odientes malum, adhærentes bono.* Sed reuertar ad id vnde regressus eram.

Psal. 118. v. 103.
Lingere peccatorū vlcera, dulcissimum.
Psal. 67. v. 24.
Amos 5. v. 10.
Perfectum odium, perfecta charitas.
Rom. 12. v. 9.

Optabam mihi linguam, quâ laudarem Deum; vel certè linguam, quâ cōfitentium vlcera curarē: in altero quidem mihi quærens diuinæ deuotionis fructū, in altero fraternæ salutis lucrum: vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans vtilis. Nam & de sæcularium arte, & officio Poëtarum, ita sumptum est apud quendam eorum,

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Horat. in arte Poëticâ.

Optabam, inquam, mihi gratiam oris, quâ Deo & vobis officiosus deseruirem, vt aliquatenus compensarem verbo, quod minùs prosum exemplo: quanquam satis suspecta mihi sit consolatio si dicam, & non faciam: si suppetant suffragia linguæ, cùm desint merita vitæ: imò fortasse magis timēdum sit, ne peccanti dicat Deus, *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Sed quid agam: *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me.* Pauor est vtrobique molestus, & coarctor è duobus; quia locutionem, & officij locus exigit, & vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud Sapientem inueni, *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suū.* Loquar igitur, nō prout

Psal. 49. v. 16.
Iob. 16. v. 7.
Pro. 16. v. 26.

petit, sed prout sensus expetit: imò prout Dominus dederit, in cuius manu sumus nos, & sermones nostri. Loquar, inquam, & memetipsum linguâ obligabo propriâ, vt vel præ confusione aliquando laborare compellar: & si corpus à labore manuum excusauerit, certè anima laborantis laboret sibi, vt dicat cum Dauid, *Laboraui in gemitu meo.*

Gemituum labor.

Psal.6.v.7.

Rom.8.v.26

O si mihi dentur illi gemitus inenarrabiles, quibus Spiritus postulat pro Sanctis, vt laborem in eis! Proculdubio labor huiusmodi gemituum satis dignè compensaret mihi quotidianum laborem manuum. Sed & vos ipsi, fratres, qui æmulati meliora charismata didicistis, optate gemitus huiusmodi à Spiritu vobis infundi. Nescio si sit in donis Spiritûs aliud conuenientius aut commodius his, qui sunt infirmitate & miseriâ circundati: nescio si Spiritui sancto, qui in columbâ apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta, tamque parata nobis suppetat materia, sicut in gemitu & planctu nostri: nisi miseriam nostram nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore & amentiâ.

Donū summè nobis conueniēs, ac familiare Spiritui sancto.

Hoc autem primum circa infirmos quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra & salus nostra: vt videlicet seipsum freneticus sentiat & sciat, & conuersus ad cor dicat Domino cum Prophetâ, *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam: & postquam ostēdisti mihi, percussi femur meum* Nisi enim quis apponat scientiam, nō apponet dolorem: nisi doluerit, non meretur consolationē. *Beati* enim *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Puto quia nec in Apostolis hodie locum inuenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filij sponsi, cùm sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Nisi desolati fueritis præsentiâ meâ corporali, non vos consolabitur visitatio spiritalis. *Date*, inquit, *ciceram mœrentibus & vinum his qui amaro animo sunt*: non scilicet ijs qui ebrij sunt gaudio, & luxu sæculi. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Nunquid bibere possunt calicem Domini, & calicem dæmoniorum? Bibant, inquit, potiùs pauperes Apostoli, & obliuiscantur egestatis suæ, vt dicant, *Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Bibant mœrentes de absentiâ sponsi, & dolorum non recordentur ampliùs, sed dicant, *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam nunc non cognouimus.* Nam & teipsum (si pro affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper & dolens*) sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas huius præclari calicis, vt etsi pauper sis, paupertas animum non vrat: & si doleas quia peccasti, iam peccati reatus conscientiam non mordeat. Vide autem si non & ipse Spiritus sanctus in iudicium venit in hunc mundum, vt qui dolent non doleant: & qui rident, æterno & inconsolabili se luctui tradant. *Melius est* igitur *ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuy.* Et reuerâ sapiens etsi aliquando consolationem meretur, vt dolorum non recordetur ampliùs, eorum scilicet de quibus consolationem accipit: semper tamen vt locum paret consolationibus nouis, nouas exquirit de seipso causas doloris: non statim blandiens sibi quasi iam per omnia iustus sit, sed eò subtilior quò iam illuminari cœpit: eò districtior, quò iustificari cœpit, fit accusator & iudex sui. Ei ergo qui eiusmodi est, crebro (nisi fallor) Spiritus consulator aduenit: quoniam & aduentum iam ipse suum anteuenit, adueniens scilicet vt consolationem tribuat; sed antè veniens, vt lugere doceat. Luctus siquidem pius & religiosus in doctrinâ Spiritûs, & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus: quippe cùm sit summa sapientia Sanctorum, custodia castorum, sobrietas modestorum: prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus: promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum quæ futura sunt: ad quæ nos perducat, qui viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ier.31.v.19.

Matth. 5.v. 5.

In discipulis ad Spiritus aduentū præparatio.

Ioan.16.v.7

Pro. 31.v.6.

2.Cor.6.v. 14.

1.Cor.10 v. 20.

2.Cor 6 v 10. & 5.v.16

Psal.68.v. 9.

Ioan.9.v.39

Eccl 7.v 3.

In iustis nouæ semper causæ doloris.

Luctus religiosi elogia.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

IOAN. III.



N illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo. Sic Deus dilexit

a Id est, humanam naturam. b In mortem, vt omnis aspiciens in eius mortem non pereat, sed habeat vitam æternam.

[a] mundum, vt Filium suum vnigenitum [b] daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

c Verè salus per Filium Dei: Non enim aliâ causâ venit, nisi vt saluet, non vt iudicet, id est, damnet. d In humanam naturam.

[c] Non enim misit Deus Filium suum in [d] mundum vt iudicet

e Vnde Saluator mundi dicitur. f Quia per fidem dimittuntur peccata pro quibus damnaretur.

mundum, sed vt [e] saluetur mundus per ipsum. Qui [f] cre-

g Ne dicam iudicabitur. h Cur?

dit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam [g] iudicatus est: [h] quia non

i In quo solo est salus: non habet nisi eos filios Deus, per quos saluat. k Causa damnationis. l Verbum in carnem.

credidit in nomine [i] vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem [k] iudicium, quia lux [l]

m Hoc est in damnationis. n Carnales. o Peccata quæ habebant. p Peccata arguentem.

venit in mundum, & [m] dilexerunt [n] homines magis [o] tenebras, quàm [p] lucem.

p Quæ ex se. q Quare? r Cur? Ideo. s Qui est in intentione mali, & cui placet malum.

Erant enim eorum mala opera. q Omnis enim qui malè agit, r odit s lucem: &

t Quæ aperit mala. Non coniungitur luci, sed fugit eam. u Mala quæ diligit. x Id est, bona opera quæ veritas iubet.

non t venit ad lucem, vt non arguantur u opera eius. Qui autem facit x veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius: quia in Deo facta sunt.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.

A

Ioan. 3. v. 16 ET quia dixerat de filio hominis, ne hoc solùm putet Nicodemus, subdit eundem etiam esse Filium Dei. *Sic enim Deus dilexit &c.* Aperit causam humanæ salutis, scilicet dilectionem Dei Patris, ex quo omnis restauratio est per Filium suum in Spiritu sancto.

Mundum. Cosmos Græcè, quod Latinè mundus interpretatur, ornatus dicitur. Per mundum igitur humana natura significatur: non quòd secundum corpus ex quatuor elementis constet, B sed quia secundum animam à Deo est ornata, & ad imaginem Dei est facta, quam ad hoc diligit Deus vt eam æternam faciat.

V. 17. *Vt Filium.* Ecce idem dicit de Filio Dei, quod supra de Filio hominis: vt per quem in deitate conditi sumus, per eundem in homine restauremur.

V. 17. 2. Tim. 2. v. 19. *Vt iudicet.* Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. *Nouit Dominus qui sunt eius.* Nihil enim aliud est iudicium, id est, æterna damnatio, quàm non cognoscere, & non credere in Filium Dei: sicut nihil aliud est bea- C titudo & vita, nisi credere & cognoscere Filium

Ioan. 17. v. 3 Dei, vnde dicitur, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Sed vt saluetur mundus.* Ex eo saluatur homo, non iudicatur: sed si iudicatur, ex se habuit, quia non credidit.

V. 19. *Hoc est autem iudicium.* Cur qui non credit iudicatur? Quia lux venit quæ excitat homines, & admonet cognoscere sua mala, in quibus omnes sunt: sed alij oderunt admonentem lucem, & fugiunt, ne arguantur eorum mala quæ diligunt. Alij admoniti per lucem accusant sua mala, quod est facere veritatem, & sic illuminantur. *Erant* D *enim eorum mala opera.* Qui est in tenebris, & diligit lucem, non est malus: sed ille dicitur malus, & opera eius mala, qui postquam lux venit odit lucem, & diligit mala. Et hoc est quod dicit, *Erant enim opera eorum mala opera.* Opera, id est, impietas, & incredulitas, & odium æternæ lucis; & nolle eam aspicere, sed velle in tenebris peccatorum remanere.

V. 21. *Qui autem facit veritatem.* Ostenso quâ iustitiâ damnetur, qui non credit; ostendit quâ iustitiâ saluetur, qui credit. *Qui autem facit veritatem*: id est, cui displicent mala sua, & accusat, non sibi ignoscit, nō sibi parcit, sed venit ad lucem. Et incipit agere cum Deo, qui mala accusat: quia ini- E tium boni est accusatio mali: Ergo opera eius hæc, scilicet quòd se accusat, sicut Deus accusat, manifestat, quia in Deo sunt facta: nisi enim Dei lux sibi luceret, sibi non displiceret.

CATENA AVREA. in idem Euang.

Ioan. 3. v. 16 Hom. 26. in Ioan. SIc enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum, &c. CHRYS. Quia dixerat, *Oportet exaltari Filium hominis*, quo mortem occultè significauit, ne auditor tristis ab his fieret verbis, humanum quid de eo suspicans, & mortem eius æstimans non esse salutarem, hoc ad rectitudinem reducit; Filium Dei dicens eum, qui datur ad mortē, & mortem eius causam esse vitæ æternæ. Vnde dicit, *Sic enim Deus dilexit mundum &c.* Quasi dicat, Ne mireris quoniam ego debeo exaltari vt vos saluemini: etenim & Patri hoc videtur, qui ita vos dilexit, vt pro seruis ingratis [margin: ἀγνωμόνων ingratis.] & indeuotis Filium dederit. Dicendo autem, *Sic Deus dilexit mundum*, multam indicat, amoris intensionem. Multa enim est in medio, & infinita distantia: Qui enim immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos qui sunt ex terrâ & cinere infinitis plenos peccatis dilexit. Sed & ea quæ post hoc ponit, ostensiua sunt magni amoris. Non enim seruum, non Angelum, non Archangelum dedit, sed Filium suum. Rursus si filios plures habuisset, & dedisset vnum: hoc etiam esset maximum. Nunc verò Filium vnigenitum dedit: vnde subdit, *Vnigenitum*. [margin: Dei in homines amoris intensio.]

HILAR. l. 6. de Tri. Sed si dilectionis hinc fides est creaturam creaturæ præstitisse, non facit magni meriti fidem vilis & spernenda iactura. Pretiosa autem sunt quæ commendant charitatem: & ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens mundum Filium non adoptiuum, sed suum & vnigenitum dedit. Hîc proprietas est, natiuitas est, veritas est. Non creatio est, non adoptio est, non falsitas est: hîc dilectionis & charitatis fides est, ad mundi salutem & Filium suum, & vnigenitum præstitisse. [margin: Libr. 6. à med.]

THEOPH. Videtur autem mihi quòd sicut superiùs dixit, quòd Filius hominis descendit de cœlo, cùm caro de cœlis non descenderit, sed propter vnam personam in Christo, quæ Dei sunt, attribuit homini: sic & nunc econuerso quæ sunt hominis, Verbo Dei appropriat. Etenim Dei Filius impassibilis mansit; sed quia vnus erat secundum hypostasim Dei Filius & homo qui passionem sustinuit, Filius dari dicitur in mortē, qui passibiliter patiebatur, non naturâ propriâ, sed carne propriâ. Est autem maxima vtilitas consecuta ex huiusmodi datione, mentem excedens humanam. Sequitur enim, *Vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Vetus namque Testamentum, his qui seruabant illud dierum longitudinem promittebat: Euangelium verò, æternam & insolubilem vitam. [margin: In hoc loco.] [margin: Promissio Legis & Euangelii.]

BEDA. Notandum verò quòd eadem de Filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiserat, dicens: *Vt omnis qui credit in eum*, qui idem redemptor & conditor noster Filius Dei ante sæcula existens, filius hominis factus est in fine sæculorum: vt qui per diuinitatis suæ potentiam nos creauerat ad perfruendam beatitudinem perennis vitæ, ipse per fragilitatem humanitatis nos restauraret ad percipiendam quam perdidimus vitam. [margin: Hom. de inuent. sanctæ Crucis, & hic in Ioan.]

ALCVIN. Verè autem per Filium Dei habebit mundus vitam, quia non aliâ de causâ venit in mundum nisi vt saluet mundum. Vnde sequitur, *Non enim misit Deus Filium suum, &c.*

Tract. 12. in Ioan.

AVG. Quare eoim Saluator mundi dictus est, nisi vt saluet mundum? Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotom. Ipse se interimit, qui præcepta medici seruare, non vult, aut cootemnit.

Hom. 27. in Ioan.

Aduentus Christi duplex.

CHRYS. Sed quia hoc dicit, molti pigrorum in peccatorum magnitudine & negligentiæ superabundantiâ, Dei abutentes misericordiâ dicuot, Non est gehenna, non est supplicium, omnia nobis Deus peccata dimittit. Sed considerandum quòd duo sunt Christi aduentus; quis iam factus est, & qui futurus est. Et priot quidem factus est, non vt iudicet quæ facta sunt à nobis, sed vt dimittat. Secuodus autem non vt dimittat, sed vt iudicet. De priore igitur ait, *Non veni vt iudicem mundum.* Quia enim clemens est, non facit iudicium: B sed interim remissionem omnium peccatorum per baptismum primò, & postea per pœnitentiam: quia si hoc modo noo fecisset, vniuersi simul perditi essent. *Omnes enim peccauerunt, & egent gratiâ Dei.* Ne igitur aliquis crederet se impunè peccare, subdit de pœnâ non credētis: *Qui credit in eum, non iudicatur*: Qui credit, inquit, oon qui inuestigat. Quid igitur si immuodā habeat vitam? Maximè quidē Paulus tales non fideles esse dicit. *Confitentur*, inquit, *se nosse Deum, factis autem negant*: Sed hoc illud significat, quia secuodùm hoc quod credit, non iudicatur; sed operum quidem gratiâ grauiotem sustioebit pœoam: infidelitatis autem causâ non torquebitur.

Rom. 3. v. 23.

Tit. 1. v. 16.

ALCVIN. Vel qui credit io eum; & adhæret ei vt membrum capiti, non iudicabitur.

Tract. 12. in Ioan.

AVGV. Quid autem dicturum sperabas de eo qui oon credit, nisi quòd iudicatur? Sed vide quid dicit, *Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. *Nouit enim Dominus qui sunt eius*: nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam.

2. Tim. 2. v. 19.

Hom. 27. in Ioan.

CHRYS. Aut hoc dicit, quia ipsum discredere, impœnitentis supplicium est: Esse eoim extra lumen, etiam secundum se, maximom supplicium est: Vel quod futurum est, prænuntiat. Sicut enim qui occidit hominem, etsi nondum sententiâ iudicantis condemnatus sit, rei tamen naturâ condemnatus est: ita & qui incredulus est: sicut & Adam quâ die comedit de ligno, mortuus est.

Lib. 27. in nouis exēp. 24. in antiq.

Varia iudicia.

GREG. 27. Mor. Vel aliter: In extremo iudicio aliqui oon iudicantur, & pereunt, de quibus hic dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Non enim eorum tunc causa discutitur, qui à conspectu districti iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis abscedunt: Professionem verò fidei retinentes, sed professioois opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, iocrepationem iudicis in extremâ examinatione non audiunt; quia præiudicati in infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerant, inuectione argui non merentur. Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit ciuem interiùs delinquentem, aliter hostem exteriùs rebellantem. In illo iura sua consulit; contra hostem verò bella mouet, dignáque eius malitiæ tormenta retribuit: de malo verò eius quid lex habeat, non requirit: Neqoe enim lege necesse est perimi eum, qui lege nunquam potuit teneri.

ALCVIN. Quare autem iudicatus est qui non A credit, causam assignat, dicens, *Quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* In hoc enim solo nomioe est salus. Noo habet Deus multos filios qui possint saluare: hunc habet vnigenitum per quem saluat.

Lib. 1. de peccatorum meriti & remiss. c. 38.

AVGVST. de bapt. paruulorum. Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos, nisi inter eos qui crediderunt? Hos enim eis acquiritur per virtutem sacramenti, & offerentium responsionem. Ac per hoc eos qui baptizati noo sunt, inter eos qui non crediderunt, statuimus.

V. 19.

Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, &c. ALCVIN. Reddit causam quare non crediderunt, & quare iustè damnantur, dicens, *Hoc est autem iudicium, &c.*

CHRYS. Quasi dicat, Nuoquid ipsi eam quæsierunt, vel laborauerunt vt inuenirent? Ipsa lux venit ad eos, nec ei occurrerunt. Vnde sequitur, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Hîc de reliquo omni eos priuat excusatione: Venit enim eripere à tenebris, & ad lucem ducere. Quis ergo eius qui non vult ad lucem accedere miserebitur?

BEDA. Lucem seipsum appellat, de quâ suprà Euangelista dixit, *Erat lux vera.* Tenebras verò appellat peccata.

Vbi supra.

CHRYS. Deinde quia videbatur multis esse incredibile quod dictum est (nullus enim tenebras præhonorat luci) subdit causam quare hæc passi sunt, dicens, *Erant enim eorum opera mala.* Et C siquidem in iudicium venisset, haberet hoc aliquam rationem. Qui enim malorum sibi conscius est, fugere iudicem consueuit: parcenti verò, qui deliquerunt, occurrunt: Decens igitur erat, eos qui multorum sibiipsi erant conscij peccatorum, maximè Christo ad ignosceodum venienti occurrere: Quod & in multis factum est. Etenim publicani, & peccatores venientes recumbebant cum Iesu. Quia verò quidam sunt ita molles ad eos qui pro virtute sunt labores, vt vsque ad vltimum velint adhærere malitiæ, in horum iniuriam subdit, *Omnis enim qui malè agit, odit lucem.* Quod quidem dictum est de his, qui eligunt in malitiâ manere.

Matth. 9. v. 10. Mar. 2. v. 14. Luc. 5. v. 29.

Lucis acceptio mysticè.

ALCVIN. Quia omnis qui malè agit, odit lucem; D id est, qui est in inteutione peccandi, cui placet peccatum, odit lucem quæ detegit peccatum.

Libr. 10 c. 23. t. 1.

AVG. 10 conf. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam cùm seipsam indicat, & oderunt eam cùm eos ipsa lux indicat. Inde retribuetur eis vt eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Amant ergo veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem: Vnde sequitur, *Et non venit ad lucem &c.*

Hom. 27. in Ioan.

Dei, in Græco, & in Aniani versione.

Gentilium, vel nulla, vel rara vera virtus. Vide hæc meliora in ipso Chrys. quibus nec τὸ σχῆμα οἶον, P. Nicolai medicinam facit

CHRYS. Eum enim qui in Paganismo viuit, nullus redarguit: qoia deos tales habet, & digna dogmatibus opera demonstrat. Qui verò Christi sunt malè viuentes, ab omnibus rectis E accusaotur. Si autem Gentiles sunt rectè viuentes, hoc manifestè non noui. Non enim mihi dicas eos qui à naturâ sunt mites & honesti (non enim est hoc virtus) sed eum dic qui à passiooibus sustinet violeotiam, & sapieoter viuit: Sed non vtiqoe habes. Si enim regni enuntiatio, & gehennæ minæ, & alia tanta documenta vix detioent homines in virtute: nullo horum persuasi pertransiboot virtutem: Si verò per hypocrisim fingunt, gloriæ gratiâ hoc faciunt: Vnde cùm potuerint latere, non omittent vti malis desiderijs. Quæ etiam vtilitas est, cùm aliquis sobrius

A Paschate.

sit & non rapit, fit verò vanæ gloriæ? Hoc enim non est rectè viuere. Inanis enim gloriæ seruus fornicario non minor est. Multò enim plura, & grauiora operatur. Si aotem quidam rectè sont vioentes in Gentilibus, non boc aduersarur buic sermoni, quia noo frequeoter contingit, sed rarò.

Hab. in glossâ ordin. ex Bedâ. BEO. Moraliter etiam illi magis teoebras quàm lucem diligoot, qui suos prædicatores benè docentes odijs & detractionibus insequuntur. Sequitur, *Qui autem facit veritatem, &c.*

Hom. 27. in Ioan. CHRYS. Non autem de his qoi ab initio facti sunt Christiani hoc dicit, sed taotùm de his qui ex Gentibus vel Iudæis ad rectam disponendi erant fidem: Osteodit enim qooniam nullus vtique eliget in errore viuens ad fidem venite, nisi priùs præscribat sibiipsi viam rectam.

Lib. de peccat. meritis & remiss. c. 33. AVGVST. de bapt. par. Io Deo autem facta dicit opera, eius, qui veoit ad lucem: quia intelligit iustificationem suam non ad soa merita, sed ad Dei gratiam pertioere.

Tract. 12. in Ioan. AVGVST. sup. Ioan. Sed si omnia opera Deus mala iouenit, qoomodò quidam fecerunt veritatem, & veoerunt ad locem, id est, ad Christum? *Sed dilexerunt* (inquit suprà) *tenebras magis, quàm lucem:* ibi posuit vim. Multi dilexerunt peccata sua, multi ea confessi sunt. Accusat Deus peccata tua: Si & tu accuses, adiungeris Deo: Oportet vt oderis io te opus tuum, & ames in te opus Dei. Initium operom bonorum, confessio est operum malorum; & tuoc facis veritatem, quia noo te palpas, noo tibi blandiris. Venis autem ad lucem, quia hoc ipsum quòd obi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Facit autem aliquis veritatem coofessionis, & venit ad lucem in operibus bonis, etiam liberatus ab illis lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulreria; ptopter illa quæ videntur mioota esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immorationis in rebus concessis. quooiam minuta plura peccata, si oegligantur, occiduot. Minutæ sunt guttæ quæ flumen implent, minuta sunt grana arenæ; sed si multa arena imponatur, arena ptemit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens: Paulatim per sentinam intrat aqua, sed diu iotrando & oon exhauriendo mergit oauem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obtuant peccata, gemendo, ieiunando, tribueodo, igooscendo?

Mali confessio, initium boni.

Tract. 17 in Ioan. parum à fine.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Cat. Cord.

Ioan. 3. v. 16. SIc *Deus dilexit mundum.* APOLINARII. Qood dicit, eiusmodi est. Ne mireris, si ego exaltandus sim, vt vos salutem conseqoamini. Sic namque Patri visum est; sicque ille vos dilexit, vt pro seruis, ijsque iogratissimis Filiom suum daret: quod vix ne pro amicissimo quisquam fecerit.

AMMONII. Omnia hîc iterum communia facit; nullam ab vnione agnoscens separationem. Carne siquidem positâ pro mundi salute, atque io mortem datâ, Filius in mortem datus dicitur; quamuis vt Deus passionis expers permanserit, solâ carne ea sustineote, quæ illi propria eraot, cùm id ille permittebat, atque volebat.

Filium suum vnigenitum. EIVSDEM. Ariani, idcirco Filium vnigenitum vocati aiunt, quòd solus ex Deo ortus sit. Ad quos dicendum, non deesse qui & solem vnigeoitum dicant, eâ ratione quâ sol vnicus est; haud tamen ille etiam Filius est.

μόνος factus, creatus: sic enim illi sentiebant: malè adeò Cord. *natus sit*, quæ est Catholica fides, non quem sugillet Ammonius, error Arij.

V. 17. *Vt iudicet mundum.* INCERTI AVCTORIS. Duo soot Christi aduentus: quorum vous iam extitit, & alter futurus est. Sed non idem vtriusqoe scopus est. Primus siquidem fuit, non vt iudicijs seueritate acta commissáqoe exquireret, sed vt dimitteret: secundus verò cootrà, non dimittendi causâ erit, sed habendæ quæstionis ac vlciscendi. Idcirco de priore aiebat, *Non veni vt iudicem mundum, sed vt eum saluem.* Tametsi hoc quoque tempus iudicij erat. Quid ita? Quòd nimirum priorem eius adoeotum & Propbetæ, & Lex, & doctrinæ, ac innumeræ promissiones, signotumque exhibitiones, castigationes, supplicia, lex naturalis, aliáque plura antecesserant, quæ nos erudirent, ac emendarent; atque adeò conseotaneum erat vt omnium illorum stricta ratio exigeretur. Quòd tamen benignissimus sit, necdum cognitionem instituit, sed indulget, ac parcit. Nam nisi fecisset, omnes simul sublati fuissent. *Omnes enim*, inquit, *peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* Vides immensam Dei benignitatem?

Lego, κρίσιν, alioqui tum hiat textus, tum nullus Interpretû sensus.

Rom. 3. v. 23

V. 18. *In nomine vnigeniti Filij Dei.* ORIG. Ex præsentis textus sententiâ, licet eos arguere, qui dicunt Filij appellatiooem de illo duntaxat dici quod est ex Mariâ, nooitem de Deo Verbo. Ecce enim Dei Filius est, qui missus in mundum est. Missum verò est in mundum, non quod sumptum fuit ex Virgine (hîc enim productum est ac conflatum, quod oatum ex ipsâ est) sed qui verè Deus Verbom, ac vera lux esset. Pro ipso enim Deo supplicant, qoi aiunt, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Et iterum scriptum est, *Misit Verbum suum, & sanauit eos.*

Psal. 42. v. 3. Psal. 106. v. 20.

V. 19. *Hoc est autem iudicium.* INCERTI AVCTORIS. Nisi lux in mondum venisset, qui honesta, ac quæ officij sunt, noo egissent, eorum causari ignorantiam potuissent. Sicut etiam malefici excusationis locum habuissent, dicendo nesciuisse se, quòd illa mala esseot. Cùm autem lux in mundum venerit, omni procul fictitiâ excusatione submotâ, cognitio instituetur ac iudiciom, in quo actiooum ex meritis cuiusque ratio exquiratur. Atque adeò futurum, vt in probatis habeantur, ac Dei regnum consequantur, qui lucem amauerunt; quippe qui & ipsi, quâ eam dilectiooe prosecoti sont, lux facti per bona opera, veróque mentis sensu ac prudentiâ, tenebras oderint, malitiam scilicet ac impietatem; qui verò virtutem, ac quo illa auctore præbeatur, Deum auersati sint, pœnis excrucieotur sempiternis; eò nimirum quòd malis operibus dediti, lucem, ipsorum nequitiam, quà eam manifestat, argueotem odijs, insectati sint.

AMMONII. Lux sponte suâ venit, nemine operam confereote vt reperiri posset. Quare omni carent excusatione, qui præ luce tenebras amauerunt. Non enim ex ignorantiâ, fidem Christi respuunt, sed quia peruersè agere statuerunt: quod Christi disciplina non permittit. Cùm igitur oon potuisse illos credere audioerimus, haudquaquam a naturæ poteotiâ, aut alterius vim aliquam animo reputemus, sed ipsam & sui arbitrium

rationem, quæ se turpiom seruituti dedat passionum, ac pessimam abrumpere consuetudinem nolit. Hi namque, cùm lucem cogooscant, haud tamen ad illam veniunt, ne eorum simulatio arguatur, qui dicaot se nosse Deum, factis autem negent. *Tit. 1. v. 16.*

ORIG. Cùm scriptum sit, *Dilexerunt homines tenebras, magis quàm lucem*; inquirendum, ao vtraque diligentes, maiori tamen tenebras, minori verò amore lucem prosecoti siot: qood fortè in hominibus, oeque omninò perditæ frugis, neque etiam perfectæ virtutis, locum habere, posse videatur. Haud tamen id ego potem significari; oempe, cùm vtraque dilexerint, tenebras præ luce dilexisse: sed magis huoc esse sensum, vt insinuetur, bomines, cùm arbitrij libertate præditi, lucem suscipere, tenebrasque refugere debuissent, contrà eos fecisse, sic malis operibus deditos, vt teoebras, nequaquam verò lucem, dilexerint. Quòd itaque magis tenebras, quàm lucem dilexerint, noo comparationis gratiâ sumendum; siquidem nullâ ratione odio babentes lucem, eam dilexere. Hunc esse verùm loci huius sensum, *b* ex ipso contextu liquet. Idcirco enim eos tenebras præ luce dilexisse asserit, quòd qui peruersè aguot, lucem oderuot. Si autem oderuot eam, haudquaquam teoebrarum comparatione diligunt. Pari quoque sensu accipies illud Apostoli, quod ita de peruersis hominibus scriptum habet, *Voluptatum amatores magis quàm Dei*. *2. Tim. 3. v. 5.* Nam & eâ dicendi formulâ significatur, cùm solam voluptatem, non Deum, amauerint, voluptatum potiùs amatores dictos esse, quàm Dei. Quin & in Psalmis de quodam prauo sctiptum est, *Dilexisti malitiam super benignitatem*: *Psal. 51. v. 5.* ooo enim qui vtraque dilexerit, magis prauitatem dilexit.

a Natura potentiam: μὴ φύσεως δύναμιν, ἢ ἄλλῳ τινὸς ἐπιχείρησιν· errore scilicet Manichæorum, qui inesse nobis mali naturam, ac Deo pugnare asserebant: quem errorem non semel exagitat Chrysost. Non ergo assecutus Ammonij mentem Corderius, cùm reddit, *Haudquaquam natura defectus, aut impotentia*. Imò, potentia, visque alia maior, ac præualens.

b Ex ipso contextu. ἐξ αὐτῶν τῶν περικειμένων. Cord *ex circunstantijs*: sic vbique in Græcis peregrinus.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI,

Ex libro primo de Pænitentiâ contra Nouatianos.

Cap. 10. ERgo quia de Ioanois generali Epistolâ sermo est, ipsius Ioannis in Euangelio scripta interrogemus, vtrum cum vestrâ interpretatiooe conueniant. Scribit enim dixisse Domioum, *Quia sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. *Ioan. 3. v. 16.* Si quem ergo lapsum reuocare cupias: vt credat, an vt noo credat, hortaris? Vtiqoe vt credat. Sed qui credit, iuxta Domini sententiam, habebit vitam æternam. Quomodo ergo prohibebis orare pro eo, cui æterna vita debetur? cùm diuinæ sit gratiæ fides, sicut Apostolus io diuisionibus gratiarum docet, *Quia alij datur in eodem Spiritu, fides*: *1. Cor. 12. v. 9.* & discipuli Domino dicant, *Adauge nobis fidem*. *Luc. 17. v. 5.* Qui ergo fidem habet, babet vitam: qui habet vitam, non est vtique exclusus à veniâ: *Vt omnis*, inquit, *qui credit in eum non pereat*.

A Paschate.

A Cùm omnis dicitur, oullus excluditur, nullus separatur. Non enim excipit eom qui lapsus est, si tamen postea bene credat. Plurimos comperimus se reformasse post lapsum, & pro nomioe Dei passos. Num possumus his Martyrum coosortia negare, quibus Dominus Iesus non negauit? *Martyres post lapsi.* Audemus igitur dicere oon esse his vitam redditam, quibus Christus coronam reddidit? Sicut ergo post lapsû plerisque, si patiantur, corona redditur: ita se credant, & fides redditur. Quæ fides Dei dooum est, sicut habes scriptum, *Quia à Deo vobis datum est, non solum vt credatis in eum, sed etiam vt pro illo patiamini*. *Phil. 1. v. 29.* Nuoquid is qui Dei dooum habet, potest oon habere indulgentiam? Non voa taotùm, sed duplex gratia est, *Dei gratia duplex, credere, & pati.* B vt omnis qui credit, & patiatur pro Domino Iesu. Habet igitur qui credit suam gratiam: habet autem alteram, si fides eius passionibus coronetur. Neque eoim priusquâ pateretur Petrus, sine gratiâ fuit: sed vbi passus est, acquisiuit alteram. Et plerique qui non habuerunt gratiam vt pro Christo paterentur, habuerunt tamen gratiam vt in Iesum crederent. Ideo dicit, *Vt omnis qui credit in eum, non pereat*. Omnis, inquit, hoc est, ex quocunque statu, ex quocunque lapsu, si credat, perire non timeat. *Omnium salus, ex omni statu.* Potest eoim fieri vt aliquem de Hierusalem descendentem in Hiericho, *Luc. 10. v. 30.* hoc est, de martyrij certamine relapsum, io istius vitæ cupiditatem sæcularémque gratiam, vulne- C ratum à latronibus, hoc est, à persecutoribus, & semiuiuum relictum, Euangelicus ille Samaritanus inueniat, qui nostrarum custos animarum *Lapsi figura in descente ab Hierusalem in Hiericho.* (Samaritanus enim custos dicitur) & non prætereat eum, sed curet & saoet. Fortasse ideo non præterit eum, quia aliqoid io eo vitale agnoscit, vode possit vitam resumere. Nonne vobis videtur ille qui lapsus est, semiuiuus esse, si vitale aliquid fides spiret? Nam qui penitus Deum ex suo corde abijcit, ille mortuus est. Qui ergo non penitus abijcit, sed per impressionem tormentorum ad tempus negauit, semiuiuus est. Aut si mortuus est, cur ei dicitis agendam pœnitentiam, D qui iam curari non potest? Si semiuiuus est, infunde oleum & vioum: scilicet quod & foueat & remordeat. Tolle eum in iumentum tuum, trade stabulario, duo æra ad eius curam impende, esto ei proximus. Proximus autem esse non potes, nisi facias misericordiam suam. Nemo enim dici potest proximus, nisi curauerit, non occiderit. Si autem vis dici proximus, dicit tibi Christus, *Vade, & tu fac similiter*.

Aliud simile consideremus. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. *Cap. 11. Ioan. 3. v. 36.* Quod manet, vtique iam cœpit, & E ex delicto aliquo cœpit: quia antè noo credidit. Vbi ergo qois credit, ira Dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo io Christum, lucrum vitæ est. Qui enim credit in eum, noo iudicatur. Sed referunt hoc loco, quoniam is qui credit io Christum, custodire debeat sermonem eius. Sic enim aiunt scriptum, dicente Domino, *Ego lux in hunc mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat: & si quis audierit sermonem meum, & custodierit eum, ego non iudico eum*. *Ioan. 12. v. 40.* Ille noo iudicat, & tu iudicas? Ille dicit, *Vt qui credidit in me, in tenebris non maneat*: hoc est, etsi fuerit in tenebris, noo permaneat in eis, errorem emendet, culpam corripiat, custodiat mandata Dei. Dixi enim, *Nolo mortem peccatoris, sed*

Ezech. 18. v. 32. Ioan. 3. v. 17

correctionem. Dixi supta, *Quoniam qui in me* A *credit, non iudicatur*: & hoe eustodio. Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluetur mundur per me. Libentei ignosco; promptus indulgeo: *Misericordiam malo quàm sacrificium*: quia per sacrificium iustus commendatur; per misericordiam peccator redimitur. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* In lege sacrificium, in Euangeliu misericordia est: Lex per Moysen data est, per me gratia. Quid hoe euidennus? Denique & subter ait, *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.* Num tibi videtur aeeipere verba Christi, qui se non correxerit? Profectò non videtur. Qui ergo corrigit se, accipit verbum eius. Hoc est enim verbum eius, vt se vnusquisque reuocet à culpâ. Aut excludas igitur necesse est hanc eius sen- B tentiam: aut si negate oon potes, aequiesce.

Ose. 6. v. 6. Matth. 9. v. 13.

Misericordia Deo gratior sacrificio.

Ioan. 12. v. 48.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantinopolitani in superius Euang.

HOMILIA I.

ANIANI multis emendata versio.

Ex homil. 26. in Ioan. 3. v. 16.

SIc enim dilexit Deus mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &c. Quod autem dicit, huiusmodi est. Ne mireris quòd exaltari debeam vt saluemini: ita enim Patri videtur, qui C adeò vos dilexit, vt pro seruis, & quidem ingratis, Filium daret. Atqui neque pro amico, neque pro iusto sponte quispiam id fecerit, quod Paulus his verbis ostendit: *Vix enim pro iusto quis moritur.* Sed lungiori hic sermone vsus est, quoniam fideles alloquebatur: Christus breui, quoniam Nicodemum, verùm significantiùs. Etenim singula verba magnam vim habent. Nam illud verbum; *Sic dilexit*: & illud, *Deus mundum*; immensam amoris significant vehementiam. Magna enim inter hæc differentia est, & minimè conferenda. Qui enim immortalis est, & nullo fine comprehenditur: qui potentissimus, ex terrâ & cinere factos, & innumeris peccatis ob- D noxios, & malè de se meritos, & ingratos dilexit. Quæ præterea sequuntur, magnam vim habent. *Vt Filium suum vnigenitum*, inquit, *daret*. Non seruum, non Angelum, non Archangelum. Nemo vnquam pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantam pro seruis & iogratis seruis Deus. Passionem itaque non apertè, sed in vmbrâ prædicit. Ex eâ autem emolumentum manifestiùs enarrat.

Rom. 5. v. 7.

Amoris vis immensa in homines Christi prodita incarnatione.

Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam quòd dixerit; *Exaltari oportet*, seque moriturum indicauerit, ne Nieodemus humanum quid de illo suspicans tri- E stis efficeretur, & omninò interiturum putaret, vide quo pacto auferat dubitationem; cùm ipsum qui datur Dei Filium dicat, & vitæ, ac sempiternæ vitæ auctorem eum esse profiteatur: & profectò qui morte suâ vitam aliis elargitur, perpetuâ in morte minimè est futurus. Nam si credentes in crucifixum non pereunt, multò minus ipse crucifixus peribit. Qui oamque alios ab interitu, longè magis seipsum vendicat. Qui vitam aliis, eâ sibi potiùs elargietur. Animaduertis semper fide opus esse? Fontem vitæ crucifixum dixit: hoc non facilè humanæ menti persuadetur, vt ex Gentilibus apparet, qui ad hunc ipsum irrident, & contemnunt. Verumenimuerò fides perquàm facilè humanæ mentis imbecillitatem superans, ad eredendum nos illuminat.

Fides vbique necessaria.

Vnde autem tantopere dilexit Deum mundum? Solâ charitate. Eam igitur dilectionem ne contemnamus. Pudeat tam immensæ non respondere dilectioni. Ipse ne vnigenito quidem Filio nostri gratiâ pepercit; nos pecuniis in nostrum parcimus detrimentum. Ipse dilectissimum Filium pro nobis obtulit: nos pro eo, imò pro nobis argentum offerre nolumus: & quánam hæc veniâ digna sunt? Si hominum quempiam pericula & mortem nostri gratiâ subeuntem videmus, eum omnibus præferimus, in primis amicum adnumeramus, & omnia nostra ei credimus, neque adhue eius nos meritis respondere arbitramur. Erga Christum autem eum gratitudinis modum minimè seruamus. Sed ipse quidem animam pro nobis posuit, & pretiosum sanguinem fudit, neque propterea nos sibi conciliare potuit, qui neque pro nobis peeunias erogamus, sed ipsum nudum & hospitem pro nobis mortuum contemnimus: & quisnam, quæso, à futuro nos supplicio liberabit? Nam si non Deus nos, sed nosmetipsi damnamus, nónne contra nos sententiam ferimus? nonne gehennam in nos prouocamus, cùm qui pro nobis animam posuit, eum fame pereuntem contemnimus? Et quid ego pecunias memoro, cùm etiamsi innumeræ animæ nobis essent, omnes pro eo ponere oporteret? quanquam neque sic pro aeceptis beneficiis gratiam retulissemus. Nam qui prior beneficus est, maximum præ se fert bonitatis indicium. Qui beneficium accepit, quicquid dederit, debitum reddit, non gratiam init: & maximè cùm qui primùm exhibuit, inimicos beneficiis prosecutus sit: qui verò accepit, gratiam refert, rursúmque accipit. Sed minimè his mouemur ingratissimi: seruos, mulos, equos auro exornamus, Dominum nudum, errantem, ostiatim mendicantem, in compitis semper stantem, & manus extendentem despicimus, & toruo nonnunquam oculo indignamur. Atqui hoc ipsum propter nos tolerat. Lubens esurit, vt deliciis perfruaris: nudus obambulat, vt incorruptionis vestem induaris. At neque sic quicquam exhibetis, sed vestimenta vestra partim à tineis corroduntur, partim arcæ oneri sunt, & superfluæ curæ possessoribus. Ille & hæc, & alia vobis metuens, nudum se exhibet. Atqui vos non in arcâ vestes reconditis, sed induimini, vt ornati appareatis? cur, nisi vt vulgus vos admiretur? Verùm non tam his indutos vestibus, quàm sua indigentibus erogantem, multitudo admiratur. Si igitur in admiratione haberi cupis, nodos vesti: ita etiam innumeri te plausus prosequentur. Tunc & Deus te, & homines laudabunt; vestibus autem conspicuum, nemo: inuidebunt potiùs omnes, cùm corpus ornatum, animam neglectam intuebuntur. Huiusmodi cultus corporis meretrices excolant, quibus vestimenta quàm anima chariora sunt: ornatus animæ, virtutis duntaxat amici possessores existunt. Hæc ego frequenter repeto, repetámque, nec cessabo, non tam pauperum quàm vestrarum animarum gratiâ. Illi enim & si nihil à nobis, aliunde tamen aliquid adiumenti consequuntur. Et si nullum consequuntur, sed fame pereant, non multum capiunt detrimentum. Quid enim nocuit Lazaro paupertas? quid fames? Vos autem nemo âge-

Morale, de charitate.

Hominum ingrati mores pro tantâ Dei dilectione.

Simile.

Nullā Deo parem gratiam referre possumus.

Immanitas in Christū in personâ pauperum.

Beneficentia, quàm vestium lusus homanis ipsis cōparatior plausibus.

Pauperum neglecta cura cumprimis diuitibus dānosa.

Luc. 16. v. 22

hennâ eripiet, nisi panperum eleemosynæ opi A tulentur, sed cùm diuite perpetuis cruciatibus damnabimini. Verùm absit, vt quisquam tam diram audiat sententiam, sed in sinu Abrahæ omnes recipiamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo Patri & Spiritui sancto gloria, in sæcula sæculorum: Amen.

EIVSDEM IN IDEM.

HOMILIA II.

Hom. 27. in Ioan. 3. v. 17.

Præsumptio de diuinâ misericordiâ.

NOn enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, &c. Magna peccantium pars in scelerum sordibus diuinâ abutens clementiâ, nullam gehennam, nullum esse supplicium, omnia Deum peccata dimittere asseuerat, quorum os Sapiens his verbis obstruit: *Ne dicas, Miseratio eius magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores requiescet ira illius.* Et iterum: *Secundum magnitudinem misericordiæ eius multa reprehensio eius.* Vbi igitur Dei clementia est, si pro peccatorum nostrorum meritis accipiemus? Quòd autem ita se res habeat, audi Prophetam & Paulum dicentes, alterum quidem; *Tu retribues vnicuique secundum opera eius*: alterum verò: *Qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Quòd autem in hoc multa Dei clementia ostendatur, hinc constat. Duas nobis vitas Deus constituit, præsentem & futuram. Præsentem, in certamen posuit: futuram, in certaminis præmium. Quânam ratione? Multa & grauia commisimus, neque à pueris in vltimam vsque senectutem abstinuimus, quin innumeris animam sceleribus coinquinaremus: nullam horum à nobis rationem exigit, sed per regenerationis lauacrum his nos absoluit, iustitiam & sanctificationem largitus est. Quid ergo, dices, qui à cunabulis diuinis mysteriis initiatus, deinde multa in peccata prolapsus est? Is profectò maioris reus est supplicij: eorumdem namque peccatorum, grauiores longè pœnas damus, cùm post mysteriorum initiationem peccauerimus, quod Paulus his verbis significauit: *Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritus gratiæ contumeliam fecerit?* Maiori igitur supplicio hic obnoxius, veruntamen etiam huic pœnitentiæ portas aperuit, & multas abluendi peccati vias præbuit. Considera, quæso, quanta hæc sint benignitatis E exempla, vt & per gratiam peccata remiserit, & post gratiam peccanti & reo non supplicium, sed emendationis spatium diuina largiatur clementia. Propterea inquit Christus Nicodemo: *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Duo enim sunt Christi aduentus; præteritus & futurus; sed non iisdem de causis: præteritus quidem non vt iudicaret, sed vt dimitteret: futurus contrà, non vt dimittat, sed vt iudicet. Propterea de præterito inquit: *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam mundum.* De futuro: *Cùm venerit Filius in gloriâ Patris sui, statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris*: &

Eccl. 5. v. 6.

Psal. 61. v. 13. Rom. 2. v. 6.

Dei misericordia, vt in baptismo relaxet omnia peccata.

Maioris reatus post baptismum commissa.

Hebr. 10. v. 28.

Illis etiam concessa pœnitentia.

Duplex aduentus Christi, alter ad dimittendum, alter ad iudicandum.

Ioan. 12. v. 47.

Matth. 25. v. 31.

A alias, quas in hanc sententiam parabolas locutus est. Atqui & prior aduentus iudicij erat, vt iuris rationem spectes. Quamobrem? Quoniam ante ipsum naturalis Lex fuit, & Prophetæ: & præterea Lex scripta, & doctrinæ, & promissiones innumeræ, & ostensa signa, & pœnæ ac supplicia, aliáque plura, quæ nos admonuisse poterant: quorum ratio non iniuriâ fuisset exigenda, sed immensâ benignitate suâ hæc non inquirit, sed interim parcit: nam si peccata iudicasset, omnes repente periissent: *Omnes enim peccauerunt*, inquit, *& egent gloriâ Dei.* Vides summam Dei clementiam?

Primus ipse aduentus suapte naturâ iudicij erat.

Rom. 3. v. 23.

Atqui si tunc non venit vt iudicaret mundum, quo pacto *qui non credit, iam iudicatus est*, si B nondum est iudicij tempus? Aut hoc ait, quòd ipsa incredulitas sine pœnitentiâ supplicium sit (siquidem priuatio lucis per se supplicium maximum est) aut futurum prænuntiat. Nam quemadmodum homicida, etsi iudicis sententiâ sit indemnatus, damnatur tamen ipsius rei naturâ, ita & incredulus: siquidem & Adam, quâ die comedit è ligno mortuus est. Ea enim lata est sententia, *In quacunque die comederitis è ligno, morte moriemini.* Atqui viuebat: quomodò igitur mortuus est? Diuinâ sententiâ, & rei naturâ. Nam qui seipsum supplicio facit obnoxium, sub supplicio est; si non re, tamen sententiâ. Ne quis enim C cùm audiret eum non venisse, vt iudicaret mundum, impunitum fore peccatum arbitraretur, & pigrior fieret: hanc tollit opinionem, inquiens, *Iam iudicatus est.* Nam cùm multo pòst tempore futurum sit iudicium, eius iam formidinem incutit, quod incredibilem ipsius præ se fert humanitatem: quòd non solùm Filium dederit, sed iudicij quoque tempus in longum distulerit, vt abolendi criminis potestas fieret peccatoribus & infidelibus.

V. 18.

Incredulus, iam est iudicatus.

Gen 2. v. 17.

Dilatum iudicium ad pœnitentiæ inducias.

Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui credit, non curiosiùs inuestigat, non percuntatur diligentiùs. Quid igitur, si immundam vitam viuat? si non rectè operetur? Ne verè quidem fi- D deles esse Paulus inquit. *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant*: Verùm hîc istud significat, propter hoc ipsum non iudicari, sed operum grauius postmodum supplicium daturum: infidelitatis autem causâ, eo quòd semel credidit, non punitur. Vides quo pacto à tremendis exorsus in eandem rursus rationem descendit? Primùm inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non introibit in regnum Dei*: nunc autem: *Qui non credit in Filium, iam iudicatus est.* Noli, inquit, arbitrari dilationem ac moras quicquam ei qui reus est, conferre, nisi pœnitentiam egerit. Nihil meliori conditione erit infidelis, E quàm qui iam damnati sunt, & supplicio affecti.

Mali fideles, ne fideles quidem.

Tit 1. v. 16.

Non iudicandi de fide, sed de vitâ.

Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Cuius particulæ hæc est sententia: Idcirco plectuntur, quòd tenebras dimittere, lucique accurrere noluerunt. His verbis omnem aufert infidelibus excusationem. Nam si ad operum rationum exigendam, & errata punienda venissem, possent sanè excusare, eâ re deterritos resiliisse: sin autem venerim vt à tenebris liberem, & ad lucem adducam, quisnam eius miserebitur, qui à tenebris ad lucē noluit accedere? Cùm enim nullâ in re nos accusare possint, sed innumera à nobis acceperint beneficia, resiliunt tamen: quod & alibi exprobrans, *Oderunt*, inquit, *me gratis*: Et rursus,

V. 19.

Ioan. 15. v. 26. & 24.

Ioan.15. v.26. & 22. *Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatũ non haberent.* Si quidem qui in tenebris versatur, deficiente lumine, aliquã fortassis veniã dignus est: qui verò adueniente luce tenebras sectatur, mali profectò prauique animi pręe se fert argumentum. Sed cùm multis hoc incredibile videatur, vt quispiam luci tenebras præferat, adducit causam quare ita affecti sint:

Erant enim, inquit, *eorum mala opera*, *&c.* Et profectò non ad iudicandum, neque ad inquirendum venit, sed ad dimittenda peccata, & salutem per fidem largiendam. Suo igitur malo fugerunt. Si enim iudicaturus venisset, aliquid habuissent excusationis. Qui enim alicuius sibi culpæ conscius est, iudicem fugere solet: indulgenti autem etiam criminosi diligentiã accurrunt. Quòd si ad indulgendum venit, consentaneum erat, vt plurimorum criminum conscii prompto animo accurrerent: quod & multi fecerunt: Matth.9.v.10. *Publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu.* Quid ergo his verbis significauit? eos notat qui semper in malitia perseuerant. Ipse idcirco venit, vt vetera peccata dimitteret, & in posterum cautiorem hominem redderet: verùm cùm nonnulli ita ad virtutis labores tolerandos molles sint, atque remissi, vt ad mortem vsque malitiæ studeant, nunquam se absoluere curantes, eos hoc in loco Christus significauit. Nam cùm Christi asseclæ, ad doctrinæ rectitudinem vitam etiam sanctam addat, ideo ad me venire formidant, inquit, quoniam nolunt vitam rectam exhibere. Qui enim Gentilium errores sectatur, à nemine inte reprehendatur. Qui namque eiusmodi deos colat, ipsisque turpes & ridiculos, quales ipsi sunt, honores exhibeat, non alienã à doctrinã suã opera præ se fert: qui autem Dei sunt, & desidiosè viuunt, omnes & expostulant eos, & accusant: tantæ etiam apud inimicos admirationi est veritas. Vide igitur quàm accuratè ponat quod ait. Non enim, inquit, qui malè fecit, non venit ad lucem: sed, qui facit semper: hoc est, qui idem velit semper in perditionis ac vitiorum luto versari, non vult meis subiici legibus: sed foris manens fornicatur licenter, & cætera omnia quæ prohibentur, exequitur. Huc enim veniens, tanquam fur in luce manifestus redditur. Idcirco sub ditionem meam venire recusat. Multos sanè & nunc Gentilium audire licet, qui dicant, ideo se Christianæ religioni inhærere non posse, quoniam ab ebrietate, fornicatione, & cæteris huiusmodi vitiis nequeant abstinere.

Donat Christus peccata vetera, & cauet à futuris.

Infidelibus à superstitione & errore peccãdi licentia.

Quid igitur? Nónne & Christiani malæ & perditæ vitæ, Gentiles verè philosophiam colentes inueniuntur? Quòd multi Christiani perditè viuant, non ignoro: quòd autem Gentiles rectè viuant, nondum perspicuè satis compertum habeo. Neque tu mihi naturã ipsã mansuetos & modestos adduxeris, hoc enim non est virtus: sed eos qui cùm affectibus violentiùs tt ahuntur, fortiter resistunt: hos tamen non habes. Futurorum bonorum spes, & gehennæ metus, & alia huiusmodi vix hominem in virtute continent: quibus nihil horum persuasum est, hi ægre admodum virtutem amplectantur. Sin autem quidam simulant, gloriæ causã simulant: & qui ita affectus est, cùm latere opera sua posse confidet, minimè à prauis cupiditatibus abstinebit. Verùm ne cuipiam contentiosi esse videamur, concedamus ex Gentibus esse qui rectè viuant, neque hoc positioni nostræ contradicit. Quod enim frequenter, non quod rarò contingit, intelligendum est. Considera autem quo pacto aliunde etiam omnem aufert Gentilibus excusationem, cùm ait, venisse in mundum lucem. Num enim, inquit, eam quæsierunt? num laborarunt, num adnixi sunt, vt eam inuenirent? Venit ad eos lux, neque obuiam facti sunt: quòd si Christianorum nonnulli malè viuunt, respondebimus non de his intelligi qui Christiani nati sunt, & à maioribus suis pietatem didicerunt, licet hi sæpenumero doctrinæ adminiculo vitiosam vitam depulerunt: sed de his, vt arbitror, qui Gentilium vel Iudæorum professione contemptã, veram fidem complectuntur. Ostendit enim errantium neminem fidei se subiecturum, nisi priùs rectam sibi vitam persuadeat, & neminem nisi prorsus malitiæ deditum in incredulitate persistere.

In illis nulla facilè vera virtutes admirandæ.

Neque mihi dixeris, eum neque incontinentem esse, neque raptorem: non enim hæc sola virtus est. Quid hæc illi prosunt, si inanis gloriæ seruus sit, & amicorum sodalitatem veritus, in errore permaneat? Hoc non est rectè viuere: neque enim gloriæ seruus minus peccat quàm fornicator, imò longè plura & grauiora committit. Sed da mihi apud Gentiles aliquem omnibus affectibus, & malinã liberum: non inuenies. Nam qui apud eos magni habentur, & pecuniis, & ventri, vt aiunt, dominantur, maximè omnium hominum gloriæ seruierunt: quod malorum omnium est causa. Hinc & Iudæi in perfidiã manserunt, quos arguens Christus inquit: Ioan.5.v.44. *Quomodò potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Et qui tandem ad Nathanaël, cui etiam veritatem testatus est, hæc verba non habuit, neque longiori sermone vsus est? Quoniam non eo studio venerat: hic enim hoc sibi faciendum constituerat, & quod alii quieti, hic auditioni tempus exhibebat: ille ab alio persuasus accessit; non tamen quin admoneret præteriit. Siquidem inquit: Ioan.1.v.51. *Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.* Huic nihil tale, sed de incarnatione & vitã æternã, diuerso sermone secundum subiectam materiam locutus est. Nam cùm ille Prophetarum dicta procul dubio crederet, nec adeò meticulosus esset, tantum audire satis habuit: hic autem cùm adhuc formidaret, non quidem manifestè omnia ei Christus aperuit: sed eius mouit mentem, vt timore timorem eijceret, eùm non credentem iudicari, & non credere à prauã conscientiã proficisci diceret. Quia namque humanam gloriam magni faciebat, & pluris quàm supplicium. Ioan.12.v.42. *Multi*, enim, inquit, *ex principibus crediderunt in eum, sed propter Iudæos non confitebantur*: ab hac ipsã eum perstringit, ostenditque cùm dicat nullã aliã ratione hominem non credere, quàm quòd vitam immundam viuit. Et quidem in sequentibus inquit, *Ego sum lux*: hic autem, v.19. Ioan.8.v.12. *Venit lux in mundum.* Principiis enim obscuriùs, inde apertiùs locutus est. Verumtamen Nicodemus multitudinis gloriã mulcebatur, & ob hanc debitam fiduciam habere non poterat.

Vnum vitiũ virtutẽ tollit.

Inanis gloria peius omnibus vitiis.

Obstitit illa fidei Iudæorum.

Diuersæ ad Nathanaëlem & Nicodemum doctrinæ ratio.

Fugiamus igitur inanem gloriam, quæ cæteris est affectibus violentior: hinc auaritia, hinc pecuniarum amor, hinc odium, bella, pugnæ. Nam qui plus habere amat, nunquam quiescere poterit: amat autem nullam aliam ob rem, quàm ob inanem gloriam. Et quãnam gratiã, dic quæso,

Morale aduersus inanem gloriã vitiorum caput ac parens.

eunochorum, & mancipiorom gregibus, & huiusmodi rebus friuolis, & inanibus multi stipari volunt? non necessitatis gratiâ, sed vt importuni huius affectus obuios omnes testes habeant. Modò itaque hanc absciderimus, vnà cum capite etiam reliqua malitiæ membra interibunt, & nil prohibuerit, quin terram vt cœlum incolamus. Neque ad malitiã tantùm, quos capit animos impellit inanis gloria, sed & virtutibus se insinuat: quibus cùm nos abstrahere non possit, in ipsâ virtute, maiori nos damno afficit; quæ nimirũ multis nos laboribus subiiciat, eorumque fructum penitus auferat. Quisquis etenim inani gloriâ mulcetur, ieiuniorum, orationum, misericordiæ omnem mercedem amittit. Quid hoc damno miserius, cùm frustra verberemur, & ridiculi fiamus, & supernâ excidamus gloriâ? Neque enim fieri potest, vt qui vtramque desiderat vtramque consequatur: sed si vnam optauerimus, cœlorum videlicet gloriam, vtramque consequemur. Quamobrem si gloriam assequi volumus, humanam fugiamus gloriam, & diuinam duntaxat prosequamur: hoc pacto & hanc & illam adipiscemur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

Virtutis lues.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE

in Epistolam ad Romanos; peccatum gehenna granius; Dei in nos amor, nosterque in eum stupor.

F. Francisco Combefis Interprete.

QVi, obsecro te, tum futuri sumus, cùm vincti fremitu dentium in tenebras exteriores abducemur? seu potiùs (quod omnium terribilissimum est) quid facturi sumus, cùm Deum offenderimus? Nam si quis est, qui sensu ac mente præditus sit, is certè iam etiam gehennam sustinuit, cùm à Dei se conspectu subduxerit. Quòd tamen istud haud doleamus, idcirco ignis minas adiecit. Etenim oportebat tum demum nos dolore affici, non cùm pœnas dare, sed cùm peccare contigerit. Audi sanè Paulum lugentem, ac deplorantem ea peccata, quorum nomine non erat pœnas daturus. *Non sum*, inquit, *idoneus, vt Apostolus vocer, quòd sim persecutus Ecclesiam.* Audi & Dauidem, à supplicio quidem exemptum; quòd tamen Deum se offendisse reputaret, in seipsum pœnam deuocantem, atque dicentem, *Vertatur, obsecro, manus tua in me, & in domum patris mei.* Dei namque offensio, nullo non supplicio grauior est. At nunc tam miserè animati, affectique sumus, vt nisi gehennæ timor esset, nec honesti vllo genere facilè defungi velimus. Quapropter, sin nullam aliam ob causam, certè ob hanc vnam gehennâ digni sumus, quòd plus gehennam, quàm Christum timemus. At non ita beatus Paulus, sed è contrario. Nos autem, ob id, quod diuersum affectum gerimus, gehennæ supplicio damnamur: qui si Christum sic amaremus, vt amare certè oportet, iudicaremus vtique amati offensionem gehennâ esse grauiorem. Quandoquidem autem eius nullo amore capimur, certè supplicij huius magnitudo quanta sit, nescimus. Atque hoc ipsum quidem est, quod maximè omnium lamentor, ac deploro: quanquam quid tandem est, quod Deus non fecerit, vt à nobis ipse amaretur? quid autem non est commentus? quid autem omisit? Illum iniuriâ affecimus, qui nihil sanè commeritus sit; sed qui etiam infinitis, ac inenarrabilibus nos bonis, beneficus largitor, affecerit. Vocantem ipsum, vndequaque illectantem, auersati sumus; ac ne sic quidem de nobis ille pœnas sumpsit, sed accucurrit, ac fugitantes inhibuit; nosque excussimus, & ad diaboli castra prosiliimus. Ac ne sic quidem ille destitit, sed & sexentos rursus qui hortarentur, Prophetas, Angelos, Patriarchas misit. Nos verò nedum legationem non admisimus, sed & qui venissent legati, iniuriâ affecimus. At ille, ne sic quidem nos respuit; sed, in eorum morem, qui vehementiùs cùm ament, despiciuntur, cunctos cunctáque compellans circuibat, cœlum, terram, Hieremiam, Michæam; non vt grauaret accusatione, sed vt pro se ipse defensione vteretur: ac vnà cum Prophetis ad eos ipse adibat, qui se auersarentur, paratus etiam, ac postulans ad rationis reddendæ calculos descendere, trahénsque ad colloquium qui surdi ad omnia essent. *Populus meus*, inquit, *quid feci tibi, aut quid contristaui te? responde mihi.* Secundum hæc omnia, interfecimus Prophetas, lapidauimus, innumera alia mala fecimus. Quid igitur ille pro his omnibus? Non iam Prophetas, non iam Angelos, non iam Patriarchas, sed ipsum suum misit Filium: & hic vbi venisset, morte sublatus est. At ne sic quidem amorem extinxit, sed eo etiam magis accendit, Filióque perempto perseuerat nihilominus exhortans, obsecrans, rogans, omnem denique mouens lapidem, vti ad ipsum conuertamur. Ac clamat Paulus, dicens, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante, reconciliamini Deo.* At nihil tamen illorum nos illi conciliauit. Quid ne sic quidem non ille destituit, manétque quà gehennam minitans, quà regnum promittens, vt vel sic nos attrahat.

Hom. 5. vbi est Morale. Longè aliter Germanus Brixius, nec ex Chrysostomi sensu.

1. Cor. 15. v. 9.

2. Reg. 24. v. 17.

Dei offensa, gehennâ grauior.

Dei in nos amor; nostræque salutis cura.

Isai. 1. v. 2. Ier. 2. v. 9. Mich. 6. v. 2. Mali priora de cœlo & terrâ omissa Brixio, quæ emphasim habeant.

2. Cor. 5. v. 20.

Nos enimuerò adhuc stupidi, nullo ad eum sensu sumus. Quid hac feritate deterius? Nam si hæc in nos homo aliquis merita collocasset, nonne ei crebriùs nos ipsos seruos addixissemus? Deum autem, qui sic agat nobiscum, auersamur. O miram nostram segnitiem! ô improbitatem! Vitam totam peccatis traducimus, ac sceleribus; sin autem, vel tantillum quod officij sit, præstiterimus, improborum seruorum more, id certè accuratâ ac velut institoriâ supputatione examinamus; ac scrupulosiùs, ecquam res à nobis gesta mercedem habitura sit, exquirimus. Atqui maior tibi merces, si modò citra mercedis spem feceris. Hæc enim dictitare, ac pensiculatiùs subducere, mercenarij potiùs verba sunt, quàm probi serui. Sunt enim omnia propter Christum agenda, non mercedis causâ. Nam idcirco & gehennam comminatus est, ac regnum pollicitus, vt nobis ipse amori haberetur. Amemus itaque illum, pro eo ac amandus est. Hoc enim magna certè merces, hoc regnum & voluptas, hoc deliciæ ac gloria honorque, hoc lumen, hoc beatitudo infinita, quam nec vlla vis sermonis repræsentauerit, nec mens vlla comprehenderit.

Mercedis importunius desiderium puriori dilectioni aduersum.

Præmia, ac Dei nos amorem inducunt.

Enimuerò, quo pacto in eiuscemodi sermonem adductus sim, nescio, qui nec terrenum principatum, atque gloriam propter Christum spernentes, regnum ipsum contemnere iubeam. Atqui magni illi, ac generosi viri in hunc ipsum dilectionis modum euaserunt. Audi sanè quàm Pe-

Apostolorũ in Christum amor.

Petri dolor à negatione.

A ctus illâ ardeat, qui ipsum omnibus, animque animæ, tum vitæ anteponat. Sed & cùm illum negasset, non supplicij metu lugebat, sed quòd desideratum negauerat, id quod omni acerbius supplicio ducebat. Et quidem hæc omnia, cùm necdum Spiritus gratiam accepisset, præ se ferebat, iugiterque instabat, dicens, *Quò vadis?* Et antea, *Ad quem ibimus?* Ac rursus, *Sequar te quocunque ieris.* Omnia enim ipse illis erat; ac neque cœlum, neque regnum amato præferebant. Tu enim inquit, mihi hæc omnia.

Ioan. 13. v. 36. Ioan. 6. v. 69

Psal. 72. v. 25. Dauidis in Deum purior dilectio.

Ecquid miraris si Petrus erat sic animatus? nam & Prophetam audi, quid dicat, *Quid enim mihi est in cœlo; & à te quid volui super terram?* ac si dixisset, Nullius prorsus alterius rei, aut in cœlo, aut in terrâ, sed tui duntaxat, desiderio teneor. B Hoc sanè amor est, hoc amicitia; hoc modò si amauerimus, nedum huius æui, sed & futuri bona, præ illâ amoris vi, nullo in pretio habebimus; hincque regni fructus percipiemus, qui eius dilectione etiam atque etiam delectemur. At quo esse id queat pacto, inquies? Si considerauerimus quoties in illum iniurij, innumeris ab ipso accepti muneribus sumus, cùm ipse nihilo secius interim exhortetur: quoties eum præterimus, cùm ipse non negligat, sed accurrat, allicitque, ac ad se trahat. Nam si hæc, & his similia reputauerimus, hinc, quam dico amoris flammam, accendere poterimus. Si enim qui sic amat, vilis quidam esset, qui autem sic amatur, regio culmine præfulgeret, nonne C reuerentiâ quadam is duceretur, ac honorem haberet. Planè quidem. Nunc verò vbi prorsus res è contrario se habet, estque eius qui nos amat immensa pulchritudo, claritas, opulentia; nostra autem ingens vilitas ac tenuitas, qui non infinitis digni suppliciis sumus, qui sic viles atque abiecti, tali ac tanto magno illo atque mirando cum omni amore exuperantiâ, illius in nos sic amori illudamus? Ille nullius eorum quæ nostra sunt, eget, ac ne sic quidem cessat amare; nos iis, quæ eius sunt, admodum egemus, ac ne sic quidem illius amori adhærescimus. Verùm tum pecunias, D tum hominum amicitias, corporisque delicias atque otium, principatum ac claritatem illi præferimus, qui nobis tamen nihil quicquam anteponit? Vnum enim cùm haberet Filium vnigenitum verúmque, ne huic quidem propter nos pepercit: nos autem quàm multa sunt quæ illi præponimus? Nonne igitur meritò gehenna, ac supplicium; vel si illud duplicatum, vel si triplicatum, vel si decies millies grauius foret? Quid enim conqueri liceat, cùm diabolica mandata Christi legibus anteponamus? cùm salutis nostræ nullam rationem habeamus; vt illi qui pro nobis nihil non passus est, nequitiæ opera præferamus? E Quam tandem hæc veniam merentur? quam defensionem? nullam prorsus. Cessemus igitur per præceps ruere, ac resipiscamus; cunctáque hæc reputantes, gloriam illi ipsis operibus (non enim verbis sufficit) summittamus, vt & gloriam quæ ab ipso est, consequamur: cuius vtinam nos omnes compotes efficiamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, vnà cum sancto Spiritu, gloria, potestas, honor, in sæcula sæculorum, Amen.

Diuini in nobis incentiua amoris.

Rom. 8. v. 32.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE *in Genesim, de Dei in nos beneficijs, eorumque memoriâ.*

EODEM Interprete.

Est proœm. Hom. 17. in Gen. c. 8.

DEmus nos etiam operam, vt, quanta facultas, pro bonis in nos collatis, gratiarum actiones Domino offeramus, quò maiora consequi mereamur; nec vnquam, quibus nos Deus demeruit, munerum obliuiscamur, sed perenni versemus memoriâ, vt eâ instigante, iugem quandam gratiarum actionem illi dependamus, quanquam tot sunt hæc eius munificentiæ munera, vt B iis enumerandis mens nostra nulla sufficiat. Quomodo enim quis cogitare sufficiat, quæ iam in nos collata sint, quæ item promissa, ac quæ quotidie conferantur? Quòd ex nihilo produxit vt essemus, quòd corpus, & animam dedit, quòd vtentes ratione nos condidit, quòd aërem hunc respirationi concessit, quòd quicquid in creatis est in hominum gratiam edidit; quòd ipse quidem initiò frui hominem paradisi delicijs voluit, vitamque agere omnis expertem doloris, nulloque labore ac ærumnâ infestam; parem denique Angelis, ac incorporeis illis Potestatibus, etsi in corpore agentem, nihil tamen etiam corporalibus necessitatibus obnoxium, iisque superiorem C esse? Tum, quòd per socordiam diaboli fallaciâ serpentis admissione susceptâ supplantatus homo est, neque sic destitit præuaricatori benefacere: sed per illa ipsa, per quæ punierat, sicut heri dicebamus, humanitatis suæ, ac clementiæ excessum ostendit; multáque etiam alia numerum omnem vincentia munerum genera, in illum collocauit. Iamque procedente tempore, atque hominum auctâ progenie, ac in vitium propensiùs vergente, quòd vulnera immedicabilia videret, haud secus ac prauum quoddam fermentum, malos operarios, gentem sceleratam, deleuit, iusto Noë relicto, vt humani generis radix, origóque D existeret. Ac vide rursus quantam erga iustum illum declaret liberalitatem. A iusto hoc, atque liberis vniuersum humanum genus in tantam multitudinem auxit; ac paulatim iustos eligens (Patriarchas scilicet) reliquo humano generi illos præceptores dedit, qui suâ virtute nos omnes moribus, virtutisque cultu instituere, ac medicorum instar, ægrotos curare possent. Modò in Palæstinam, modò in Ægyptum deducit, tum seruorum suorum patientiam exercens, tum pariter suam virtutem illustrioribus documentis prodens: sicque iugiter humanæ curam saluti E impendebat, Prophetas designans, ac per eos signa operans. Atque (vt summâ dicam) quemadmodum enim maris fluctus, quamuis etiam, etiamque repetito conatu, enumerare nunquam poterimus, sic neque beneficiorum Dei, quæ in nostrum genus contulit, tantam illam varietatem.

Népe mortis damnatione, ac corruptione.

Tandem, vbi vidit post tantam illam prouidentiam, multâ adhuc, nulláque vi sermonis explicabili humanitate, ac curâ indigere humanum genus, nec quicquam ampliùs Patriarchas, Prophetas, prodigiosa illa miracula, pœnas, correptiones quotidie inflictas, ac adhibitas, captiuitates penè assiduas, effecisse: quasi eius misertus, animorum ac corporum medicum, ex Paterno

(vt sic

(vt sic loquar) sinu vnigenitum Filium suum A exsuscitans, assumptâ serui formâ, nasci ex Virginem fecit, ac versari nobiscum, cunctáque nostra ferre, vt genus nostrum peccatis oppressum imóque depressum è terris in cœlum subuehere posset. Atque hoc obstupescens tonitrui filius, considerânsque charitatis diuinæ excellentiam, quam exhibuit erga genus humanum, clamabat, atque dicebat, *Sic enim Deus dilexit mundum.* Vide quanto miraculo plena hæc dictio. *Sic*, inquit, magnitudinem expendens, quam dicturus erat. Propterea ad hunc modum exorsus est. Dicito igitur nobis, beate Ioannes. *Sic:* quomodò? Dicito modum; dicito magnitudinem, doceto nos excellentiam. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium* B *suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vidisti hanc aduentus Filij esse caussam, vt qui erant perituri, per fidem salutis compendia in ipso inuenirent? Quidnam quis cogitet, magnæ illius ac stupendæ magnificentiæ, omnemque vincentis rationem præstantiam reputans, quam humano generi per baptismi munus impendit, omnium nobis delictorum remissionem donans? Sed quid dicam? Neque mens sufficit, neque oratio quæ sint reliqua enumerare valet. Nam quæcunque dixero, tanta restant, vt eorum quæ dicta sunt, exuperantiam vincant.

Summum Dei in nos beneficium, Incarnatio. Ioan.3.v.16

Incarnationis causa, pereuntium salus.

Iam quis pœnitentiæ viam cogitauerit, quam C præ ineffabili suâ humanitate humano generi concessit; itémque mirabilia illa mandata, quæ sunt à baptismo, per quæ, si velimus, eius nobis præsidium conciliare licebit? Vidisti, dilecte, illius beneficiorum abyssum? Vidisti quanta enomerauimus, etsi eorum longè minimam partem dicere potuimus? Quomodò enim queat humana lingua percensere, quæ in nos à Deo collata sunt munera? Licet igitur hæc talia ac tanta sint, multò magis, ac magis arcana sunt, quæ se daturum in futuro sæculo postquam hinc migrauerimus pollicitus est, virtutem colentibus, munera. Quorum D magnitudinem, ac exuperantiam vt nobis paucis commendaret beatus Paulus, inquit, *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt se.* Vidisti donorum præstantiam? Vidisti beneficia illius omnem humanum cogitatum excellentia? Dicit enim, *In cor hominis non ascenderunt.* Si igitur voluerimus ea animo reuoluere, & pro viribus nostris gratias agere, poterimus multò maiorem illius gratiam nobis conciliare, ac excitatiores virtutem adire. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiens est vt ad virtutis nos labores ad- E hortetur, ac cuncta nos præsentia præstet despicere; eique adeò, qui tanta in nos beneficia contulit, amore inhærescere, atque vigens semper ac vegetum eius in nobis desiderium exhibere.

1.Cor.2.v.9.

EIVSDEM, EX EADEM *expositione in Genesim, de Dei charitate, ac nostrâ in eum gratitudine.*

EODEM Interprete.

MAgna & immensa promisit Dominus, ac quæ nostram transcendunt rationem; nempe participes nos regni, ac arcanorum illorum bonorum fore, pari cùm Angelis societate victuros, à gehennâ liberatum iri. Cæterum nihil diffidamus, eò quòd corporalibus hæc oculis non videamus: sed cogitemus mentiri non posse eum, qui promisit; eiúsque potentiæ magnitudinem fidei oculis contueamur; atque ex iis, quæ iam concessa sunt, etiam de futuris bonam spem habeamus. Idcirco enim etiam hîc multa nobis donata sunt, vt ex iis certiores facti, de illis etiam freti esse possimus. Nam qui Filium suum tradidit propter suam in nos charitatem, quomodo non etiam reliqua omnia nobis præstabit, vti & Paulus ait, *Qui proprio Filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo nobis omnia donabit?* Si Filium suum pro peccatoribus tradidit, si baptismatis donum largitus est, si anteriorum peccatorũ veniam indulsit, si pœnitentiæ viam aperuit, si innumera alia ad nostram salutem molitus est, manifestum quòd & futura bona nobis reposita præbebit. Nam qui propter suam bonitatem, antequam esse inciperemus hæc præparauit, quomodò non etiam iis frui dabit? Quòd autem priùs hæc bona nobis præparauerit, audi quid dicat constitutis à dextris, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Vidisti bonitatis excellentiam, quantâ erga humanum genus propensione vsus sit, vt ante etiam facta mundi fundamenta, fruendum nobis cœlorum regnum præparauerit? Igitur, ne simus ingrati, obsecro, neque indignos talibus nos donis constituamus; sed, vt decet, Dominum nostrum diligamus, nec quod eius erga nos beneuolentiam impediat, aliquid faciamus. Num enim nos priores illum huc prouocauimus? Prior ipse magnam, nullâque vi sermonis explicabilem in nos dilectionem exhibuit: quomodò igitur non absurdum fuerit, si eum qui sic dilexit, non & ipsi pro virili nostrâ diligamus? Ipse propter suam in nos charitatem cuncta cum voluptate sustinuit; exque ipso, vt ita loquar, excussus Paterno sinu, serui formam assumere voluit, cunctáque humana obire, ac Iudæorum atrociores iniurias, probráque sustinere, ac ad extremum, crucem, mortémque turpissimam ferre, vt nos humi repentes, ac infinitis peccatorum fascinis oppressos per fidem quæ in ipsum est, libertate donaret. Vnde omnia hæc mente reputans beatus Paulus, feruidus ille Christi amator, qui altis in modum totum orbem percurreret, qui in corpore quæ incorporeorum essent, ac Spirituum exhibere satageret, clamabat, dicens, *Charitas enim Christi constringit nos.* Vide probitatem, vide virtutis excellentiam; vide desiderij feruorem. *Charitas*, inquit, *Christi constringit nos*; hoc est, impellit, cogit, vrget. Deinde volens interpretari quod à se dictum sit, *Charitas*, inquit, *Christi constringit nos; Iudicantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo*

Hom.34.

Priora Dei munera, ad fidem futurorum.

Rom.8.v.32.

Matth.25. v.34.

Præparatũ nobis regnũ cœlorum.

Christi in nos benignitas sacramento incarnationis.

2. Cor.5. v.14.

συνέχει, quæ vox emphasim habet.

omnes mortui sunt: mortuus autem pro omnibus A *est, vt & qui viuunt, non iam sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Vides quàm iustâ ratione diceret, *Charitas Christi constringit nos?* Si enim, inquit, pro nobis omnibus mortuus est, propter hoc mortuus est, vt nos qui viuimus, non iam nobis ipsis viuamus; sed illi, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Et quomodò, dicet quispiam, poterimus non nobis ipsis viuere? Audi eum iterum dicentem, Gal. 2. v. 20 *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Christus.* Vide quomodò super terram ambulans, & carne circundatus, ac si iam cœli municipatu gauderet, ac cum incorporeis Potestatibus versaretur, sic afficiebatur. Proinde alibi iterum dicebat, Gal. 5. v. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam* B *crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Hoc igitur est non nobis ipsis viuere, sed ei, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit; cùm quasi mortui sumus præsenti vitæ, nec eorum aliquid, quæ videntur, suspicimus. Idcirco enim Dominus crucifixus est, vt hac vitâ illam commutemus: immò vt per ipsam nobis illam commercemur. Præsens enim vita, si sobrij esse velimus, atque sapere, ad fruitionem nos ducit vitæ æternæ. Ac poterimus, dum parumper expergisci voluerimus, ac aperire mentis oculum, beatæ illius sedis, ac quietis semper apud nos meminisse, inque eum modum, ea, quæ videntur, præterire, ac præuolare, nec non ad ea quæ futura sunt, atque æterna mentem intendere; C vti etiam nos erudiens beatus ille dicebat, Gal. 2. v. 20. *Quòd autem nunc viuo in carne: in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Vide accensum animum; vide mentem excelsam; vide Dei desiderio ardentem. *Quòd nunc viuo*, inquit, *in fide viuo.* Ne enim, inquit, existimetis, huius me vitæ negotiis aliquid dare. Nam licet carne vestitus sim, ac necessitatibus carnis alligatus, in fide tamen viuo quæ est in Christum: præsentia cuncta despiciens, fidéque quæ in ipsum est, cuncta præteriens, intentam in eum mentem habeo. Denique vt eius vis amoris excellentiam discas, Rom. 8. v. 32. *In fide*, inquit, *viuo. Filij Dei, qui me dilexit, &* D *tradidit semetipsum pro me.* Quid dicis ô beate Paule? Paulò antè dicebas, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum;* & nunc dicis, *Qui dilexit me*, & vt proprium, commune tibi beneficium vsurpas? Profectò, inquit. Nam licet pro omni hominum genere sacrificium ab eo oblatum sit, ob mei tamen in eum amoris vim, id quod factum est, mihi ipse proprium vendico. Sic & Prophetis vsu venit vt & Psal. 17. 117. 142. faciant, & loquantur; *Deus Deus meus*; atqui orbis vniuersi est Deus. Verùm id amoris proprium, vt quod est commune sibi rapiat, ac faciat singulariter deditum. *Filij Dei*, inquit, *qui* E *dilexit me.* Quid dicis? Te solum dilexit? Omnem quidem, inquit, hominum naturam dilexit, sed ego ei gratias habeo, ac si me solum dilexisset. Ioan. 12. v. 39. *Et tradidit semetipsum pro me.* Quid igitur? Pro te solo crucifixus est? An non ipse ait, *Cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum?* Rom. 8 v. 32. Nónne tu ipse dixisti, Quòd *pro nobis omnibus tradidit illum?* Profectò, inquit; non loquor pugnantia, sed meum sic amorem solor. Iam vide iterum etiam aliud, quod dictorum nos tenore docere vult. Cùm enim superiùs dixerit de Patre, quòd pro omnibus nobis illum tradiderit; hîc dicit, *Semetipsum tradidit.* Et illic quidem, vt concordiam, ac parem dignitatem Patris & Filij, obscurè subnotaret; nam & alio loco ait, *Factus obediens vsque ad mortem*, vbique dispensationem astruens. Hic verò, *Tradidit semetipsum*, posuit, vt ostendat sponte passionem suscepisse; nec vi aliquâ, aut necessitate, sed vltrò, suáque ipsum voluntate, vt totius humani generis salutem præstaret, crucem sustinuisse.

[Margin: ἑαυτόν malè edita. ἑαυτόν atque interpres, *semetipsum*, aduersante sequenti textu Chrysost nec bene ascriptum marg. Eph. 5.]

Quam igitur illi vicissim dilectionem exhibere poterimus, cuius in nos copiosa adeò affluxit dilectio? Vel si animam impenderimus, vt illius legibus obsequamur, ac ab eo posita mandata seruemus, nec sic eius dilectionis modum, quâ humanum genus prosecutus est, assequemur. B Nam ipse Deus cùm esset, hominum causâ, hoc suscepit, atque Dominus pro seruis, iisque eiusmodi qui ingrati, ac perpetui inimici essent. Ipse denique prior in immeritos, ac qui millies offendissent, tantum beneficium effudit: Nos autem quicquid præstare poterimus, nihil magni faciemus, qui ei, qui tantis nos beneficiis præuenit, rependere satagamus. Nostra enim, si qua sequantur, retributio quædam sunt atque debitum; illius autem, gratia, beneficia, muneris magnitudo.

Hæc igitur omnia cogitantes, diligamus Christum, sicut Paulus eum dilexit; nec præsentium vllam rationem habeamus, sed perpetuum eius C amorem nostris mentibus insidentem seruemus. Ita enim tum quæ sunt vitæ huius cuncta deridebimus, tum quasi cœlum terram habitabimus, ac neque felici rerum successu emolliemur, neque aduersis ac tristibus casibus consternabimur; sed omnia transeuntes ad Dominum nostrum, cuius æstuemus desiderio, inde festinabimus: quin nec ipsam dilationem grauatim feremus, sed nos quoque beatum illum secuti, dicemus, Quòd nunc viuimus in carne, in fide viuimus Filij Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; vt & præsentem vitam sanctè transigamus, ac futuris bonis perfrui mereamur, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, D cum quo Patri vnà cum sancto Spiritu, gloria, potestas, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

EIVSDEM, EX EXPOSITIONE *Epistola secunda ad Corinthios.*

EODEM Interprete.

Ex hom. 11. 2. Cor. 5. v. 21.

E*Vm, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Non priora colligo, nempe quòd contumeliâ eum affecistis; quòd eum à quo E nihil iniuriæ acceperatis, quòd præclarè de vobis meritum: non illud etiam, quòd nullas à vobis pœnas expetiuit; quòd prior iniuriâ affectus, prior rogat: nihil horum nunc commemoretur. An non vel ob hoc vnum beneficium, quod nunc in vos contulit, æquum fuerit vt cum ipso in gratiam redeatis? Et quod tandem? *Eum, qui non nouerat peccatum, pro vobis peccatum fecit.* Nam etiamsi nihil omninò præstitisset, sed hoc duntaxat effecisset, cogita, quæso, quanti illud æstimandum erat, quòd Filium suum pro iis, à quibus contumeliâ affectus fuerat, dedisset. Nunc verò

Diuini in nos amoris singulare opus; quòd pro nobis Christus peccatum factus.

& magna & perfecit, & præterea eum, qui nihil læserat, pro iis qui læserant, cruciari permisit. At hoc minimè quidem dixit Apostolus: sed, quod eo multò maius erat, ac præstantius, posuit. Quidnam verò? *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum*, qui ipsamet iustitia erat, *peccatum fecit*: hoc est, vt peccatorem condemnari passus est, vt sceleratissimum hominem mori. *Maledictus enim, qui pendet in ligno.* (Deut. 21. v. 23.) Multò quippe atrocius erat ita mori, quàm duntaxat mori. Id quod ipse quoque alio loco subindicat, dicens, *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* (Phil. 2. v. 7.) Neque enim cruciatum duntaxat ea res habebat, sed & ignominiam. B

Exaggeratum ex Pauli circunstantiis id beneficium.

Animaduerte itaque quot ab eo beneficia acceperis. Magnum enim atque amplum censendum est, cùm quis, etiam peccator, pro alio, quicunque tandem ille sit, mortem oppetit: at cùm iustus etiam est qui patitur, & pro peccatoribus moritur; nec solùm moritur, sed etiam vt impius & execrandus; nec denique vt execrandus tantùm moritur, verùm etiam ingentia hinc, & quæ nunquam expectaueramus, bona nobis conciliat, (*vt enim efficiamur iustitia in ipso*, inquit) quænam hæc oratio, quænam mens hæc consequi ac exprimere queat? Eum enim, qui iustitiæ laude præstabat, inquit, peccatum fecit, vt peccatores iustos efficiat. Imò ne sic quidem locutus est: sed, quod longè maius erat. Neque enim affectionem posuit, sed ipsam qualitatem. Non enim dixit, Fecit peccatorem, sed, *fecit peccatum*: non, eum qui peccatum non patrauerat, sed, qui ne peccatum quidem norat: vt & nos efficiamur, non iusti, sed iustitia ipsa, atque adeò *Dei iustitia*. (Dei iustitia.) Dei enim ipsa est, cùm non ex operibus (nam in iis nullam labem inueniri necesse esset) sed ex gratiâ, quæ peccatum omne prorsus delet atque extinguit, iustificamur. Hoc porrò duplex commodum simul nobis gignit. Nam nec efferri animis nos sinit (quòd videlicet Deus id totum nobis tribuerit) & beneficij magnitudinem ostendit. Prior enim illa, Legis atque operum iustitia est: hæc verò, Dei iustitia.

Grauissimè quid non pœna, sed ipsum quòd in Deum peccamus.

Hæc igitur cum animis nostris reputantes, magis verba ista quàm gehennam timeamus: magis has res, quàm ipsum cœlorum regnum admiremur: nec in eâ opinione simus, vt graue esse pœnâ affici, sed, peccare demum iudicemus. Nam etiamsi ipse in nos minimè animaduerteret, nos tamen de nobis ipsis pœnas sumere deberemus, qui tam ingrati in bene de nobis meritum extitimus. (Simile.) Et quidem, amasiam quispiam habens, sæpe etiam sibi mortem consciuit, quòd non licuisset eius amoribus potiri: atque etiam potitus, si quid in eam peccarit, ne luce quidem ac vitâ se dignum existimat: nos autem tam suauem ac benignum Dominum contumeliis incessentes, non nos ipsos in gehennæ flammam iniiciemus? Mirum aliquid dicam, atque ab humanis sensibus alienum, quodque plerisque incredibile videatur. Maior ei futura consolatio est, qui, cùm tam facilem ac benignum Dominum offenderit, pœnas luit (modò solùm sanæ mentis sit, atque vt par est, amet) quàm ei, de quo nulla eo nomine pœna sumenda sit. Atque hoc vel ex communi consuetudine perspi-

Amanti omni durius supplicio non puniri, cùm amatum offenderit.

A ci potest. Nam qui hominem charissimum læsit, tum maximè sedatur, ac conquiescit, cùm à se pœnas exegerit, ac mali aliquid perpessus fuerit. Quo in genere illud est, quod aiebat Dauid, *Ego qui pastor sum, peccaui; ego qui pastor sum malè egi; isti qui oues sunt; quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* (2. Reg. 24. v. 17.) Ad hæc cùm Absalonem amisit, grauissimas à seipso pœnas exposcebat. (2. Reg. 18. v. 33.) Atqui non ipse erat, qui iniuriam intulerat, sed qui acceperat. Sed tamen quia ingenti amore filium extremo vitæ die functum complectebatur, doloribus sese conficiebat: hoc nimirum cruciatu casus mœrorem leuans. B Ad eundem igitur ipsi quoque modum, cùm in eum peccamus, in quem peccare non decebat, pœnam ipsi de nobis sumamus. An non eos videtis, qui charissimis pignoribus orbati sunt, quemadmodum propterea discruciantur, ac capillos vellunt: quòd illa, sic eorum causâ, quos amant, assumpta afflictio, iis solatio sit? Quòd si, cùm nihil sceleris in homines nobis charissimos admiserimus, leuamur tamen, cùm ex eorum calamitatibus dolore ipsi afficimur: an non cùm ipsi simus, qui Deum ad iracundiam concitauimus, ipsique iniuriam fecimus, num longè magis iuuabit ac recreabit, quòd pœnas demus, quàm quòd C eo nomine nihil supplicij pendamus? Nemini profectò id dubium est.

Si quis eo amore, quo decet, erga Christum affectus est, quid dicam intelligit; ac quomodo, ne ipso quidem ignoscente, quin in se animaduertatur libens sustinebit. Maximum enim supplicium ipso hoc nomine pendit, quòd ad iracundiam ipsum extimulauit. Nec verò me fugit incredibilia plerisque videri quæ dico: sed tamen ita se res habet, vt dixi. Quocirca si Christum ita amemus, vt amandus est, ipsimet nostrorum vindices peccatorum erimus. Iis enim, qui cuiusuis hominis amore flagrant, non illud molestum est, quòd graue D aliquid pro eius ferant offensâ, quem amant: sed illud ante omnia torquet, ægréque habet, quod eum offenderint, quem diligant. Ac siquidem ille irâ commotus, iniuriam acceptam minimè vlciscatur, hoc ipso amicum grauiùs excruciat: contrà, si quid pœnarum sumat, plus et leuationis affert.

Quæ cùm ita sint, ne gehennam perhorrescamus, sed id potiùs timeamus, ne Deum offendamus: hoc enim illo atrocius est. Cùm nobis offensus à nobis vultum auertit, hoc quouis supplicio grauius atque acerbius est. Atque vt intelligas quantum in hoc mali positum sit, animaduerte quod dico. Si quis (Simile.) E Rex latronem aliquem ac facinorosum hominem pœnas luentem conspiciens, charum & amicum ac germanum filium necandum dederit, atque vnà cum morte crimen quoque ab illo in filium, longè ab illius flagitiis remotum, transtulerit, vt reum & supplicio eximat, & ab infamiâ vindicet, atque insuper ad ingentem dignitatem euexerit; isque deinde post eiusmodi acceptam salutem, amplissimamque gloriam, eum ipsum à quo tanta consecutus sit, contumeliosè habuerit, an non millies mortem oppetere, si modò mente constet, quàm in tantæ ingratitudinis crimine perspicuè hærere malit? Hoc itaque nunc quoque

nobiscum expendamus, atque ad eum offen- A sum, cuius tot in nos beneficia extant, acerbos gemitus emittamus: nec quia iniuriis à nobis lacessitus lenem ac longanimem se præbet, idcirco fideotem animum præferamus; verùm ob id quoque ipsum distorqueamur.

Simile. Vltio maior, iniuriæ forti animo toleratio.

Nam etiam apud homines, cùm quis impactâ sibi in dextram maxillam alapâ, sinistram quoque feriendam præbet, maiorem vltionem sumit, quàm si mille plagas aduersario inflixisset: & cùm maledictis impetitus, non modò maledicta non regerit, sed etiam conuiciatori suo fausta precatur, grauiùs eum ferit, quàm si sexentis eum probris aspersisset. Quòd si in hominibus hoc vsu venire conspicimus, vt cùm is, quem iniuriâ affecimus, lenem se B nobis ac facilem præbet, erubescamus ipsi: quantò magis in Deo metuendum illis est, qui peccandi finem non faciunt, nec tamen quicquam aduersi patiuntur? Siquidem in capitis ipsorum perniciem eiusmodi cruciatus asseruantur, qui nullâ explicari oratione possint. Hæc igitur animo voluentes, peccatum ante omnia timeamus. Hoc enim pœna est, hoc gehenna, hoc innumera mala. Nec verò tantùm timeamus, sed etiam fugiamus, ac Deo perpetuò placere studeamus. Hoc enim regnum est, hoc vita, hoc innumera bona; ita fiet vt hîc iam regno, & bonis futuris po- C tiamur: quibus nos omnes potiri contingat, gratiâ & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto, gloria, potestas, honor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

SANCTI AVGVSTINI EPIScopi Hipponensis in superius Euangelium.

HOMILIA.

Ex tract. 12. in Ioan. 3. v. 17.

NOn enim misit Deus Filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus D *per ipsum.* Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici obseruare non vult. Venit Saluator in mundum.

Dominus mundi Saluator.

Quare Saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso, ex teipso iudicaberis. Et quid dicam, iudicaberis? Vide quid ait: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit*: quid dicturum sperabas, nisi iudicatur? Quod addit, *Iam*, inquit, *iudicatus est*. Nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium.

Al. *speras.* Al. *putas.*

2. Tim. 2. v. 19.

Nouit enim Dominus qui E *sunt eius.* Nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in areâ suâ triticum, nouit & paleam: nouit segetem, nouit & zizania. Iam iudicatus est qui non credit. Quare iudicatus est? *Quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei.*

Infidelis, iã iudicatus.

V. 19.

Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: Erant enim mala opera eorum. Fratres mei, quorum opera bona inuenit Dominus? Nullorum. Omnia opera mala inuenit. Quomodò ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem,* A *vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Quomodò quidam opus bonum fecerunt, vt venirent ad lucem, id est, ad Christum? Et quomodò quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant, & propter morsum serpentis erectus est serpens, id est, mors Domini, propter mortales homines, quos inuenit iniustos: quomodò intelligitur, *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: Erant enim mala opera eorum?* Quid est hoc? Quorum enim erant bona opera? Nónne venisti vt iustifices impios? B *Sed dilexerunt*, inquit, *tenebras magis quàm lucem*: Ibi posuit vim.

Non iustificati, qui noluerunt accusare peccata sua, & conuerti.

Multi enim dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accuses, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quòd audis homo, Deus fecit: quòd audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera C tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum.

Initium bonorum operum, confessio malorum.

Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid est, facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis iustus sum, cùm sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem vt manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta: quia & hoc ipsum quòd tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet.

Peccatum non displicet nisi Deo lucente.

Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, vt non arguantur opera eius mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua. Non sibi par- D cit, non sibi ignoscit vt Deus ignoscat: quia quod vult vt Deus ignoscat, ipse agnoscit, & venit ad lucem: cui gratias agit, quòd illi quid in se odisset ostenderit.

Ps. 50. v. 11.

Dicit Deo: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Et quâ fronte dicit, nisi iterum dicat: *Quoniam facinus meum ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper?* Sit ante te, quod non vis esse ante Deum. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos: & tunc retorquet, quando iam pœnitentiæ fructus nullus erit.

Al. *agnosco.* Al. *delictũ.* Al. *contra.*

Ioan. 12. v. 35.

Currite, ne tenebræ vos comprehendant. Fratres mei, euigilate ad salutem vestram, euigilate dum tem- E pus est, nullus retardetur à templo Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus auocetur ab oratione continuâ, nullus à solitâ deuotione fraudetur. Euigilate cùm dies est, lucet dies. Christus est dies.

Christus dies, in quo ambulandum.

Paratus est ignoscere reis, sed agnoscentibus: punire autem defendentes se, & iustos se iactantes, & putantes se esse aliquid cùm nihil sint. In dilectione autem eius & in misericordiâ eius qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora hominum, homicidia, furta, adulteria, præter illa quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam

Nota differentiam lethalium, & venialium peccatorũ.

Peccata minuta plura si negligantur, occidũt.

minuta plora peccata si negligantur, occidũt. Minutræ sunt gutrę quę flumina implẽt, minura suut grana arenæ: sed si multa arena imponatur, premit, atqoe opprimit. Hoc facit seotina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauticodo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obtuant peccata, gemendo, ieiunando, ittibuendo, ignoscendo? Iter autem huius sæculi molestum est, plenum est teotationibus: in rebus prosperis ne extollat, in rebus aduersis ne frangat. Qui tibi dedir felicitarem huius sæculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursus qui te flagellat in istu sæculo, ad emendatiooem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudiẽtem, ne sentias iudicem punientem. Hæc quotidie dicimus vobis, & sæpe dicenda sunt, quia bona & salutaria sunt.

Vide satisfactoria, & expurgatorii opera peccatorũ.

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI Alexandrini, Euangelij eiusdem expositio.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioan. 3. v. 16.

Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum, &c. His palam, Deum se per naturam esse, ostendere contendit. Siquidem eom qui ex Deo Patre effulsit, necesse est vt & Deum omnino intelligamus, non cui dignitas hæc quæsito iure aduenerit, vti nobis, sed qui verè id existat, quod esse creditur. Id verò etiam commodè admodum, ac solerter ait, Dei ac Patris io nos dilectionem egregie adnectens, sciteque prorsus ad hæc tractanda veniens. Pudorem enim incredulo Nicodemo iniicit: quin iam etiam incredulum ostendit. Deo enim rem aliquam docente non propensè admodum ad fidem præstandam accedere, quid demum aliud sit, quàm veritati mendacij crimen innectere? Præterea, dicendo se pati pro mundi vitâ, imprimis cogitandum admonet, quanto digni supplicio fuerint, qui tam admirabilem Dei ac Patris gratiam pro nihilo ducunt. *Sic enim*, inquit, *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit.* Audiat rursus Christi hostis hæreticus, ac dicat obiter, quid magni habeat Dei ac Patris dilectio, aut quomodò ipsam meritò admiremur. Sed respondebit vtiqoe in eâ dilectione id eerni admiratione dignum, quòd datus sit pro nobis Filius, idque vnigenitus. Igitur vt constet magna illa Dei ac Patris dilectio, Filius intelligendus est, non creatura. Filium autem dico, qui est ex substantiâ Patris, nimirum ei qui genuit consubstantialis, ac reverâ Deus. Quod si iuxta tuam doctrinam, ô quisquis es, non est ex substaotiâ Dei ac Patris, simul etiam naturalis Filius, ac Deus esse amittet, & inanis erit demum eximia illa & admirabilis Patris dilectio. Creaturam enim pro creaturis, ac non verè Filium commutauit. Frustra verò nobis beatus Paulus obstrepet, dicens, *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine vllâ miseratione, duobus aut tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit?* Conculcat enim proculdubio, is, qui spernit: Atqui non vt Filium verum, sed Mosis conseruum, siquidem creatura rei creatæ

Dei iniuria negando illi fidem.

Hebr. 10. v. 28.

A omniò germana est, eâ ratione quâ fuit creata, licet maiori bonitate, aut dignitate alterius gloriam superet. At vera est Pauli sententia: ac grauiorem pœnam luet qui Filium conculcauerit, non velut qui in creaturam peccet, aut io vnum ex Mosis conseruis. Magna igitur, ac eximia est illa Patris dilectio, qui pro mundi vitâ, ipsum ex se genitum dederit, ac qui illi proprius est.

Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quoniam Filium Dei ac Patris seipsum apertè nominauit, id citra probationem dictum, vt sinat, haud operæpretium ducit; sed ex rerum ipsarum, vt ita dicam, qualitate, probationem infert, auditores in fide B confirmans. Non enim missus sum, inquit, quemadmodum sacrorum ille interpres Moses, vt per Legem terrarum orbem condemnem, neque ad redargnendum peccatum mandatum fero, aut seruili fungor ministerio: sed qualem Dominum deceat, benignitatem exhibeo. Vt Filius, ac hæres Patris, seruitute homines liberos condemnantem Legem in Gratiam iustificantem commuto: suorum catenis delictorum constricto, peccatum remitto. Veni vt orbi terrarum salutem conferrem, non vt condemnarem. Oportebat enim, inquit, Mosen tanquam famulum Legis condemnantis ministrum fore; me C verò vt Filium ac Deum Legis execratione orbem absoluere, ac mundi infirmitatem benignitatis exuperantiâ curare. Quòd si iustificans gratia potior est mandato condemnante, qui non consentaneum est, vt seruilem eum conditionem arbitremur excedere, qui diuinam adeò infert potestatem? nec illepida, vt opinor, propositæ sententiæ ratio. Altera verò eadem penè complectens, ac dictis affinem sensum importans, ea est. Saluator Nicodemum Mosaicis scitis addictiorem cernebat; ac veteri quidem mordicus adhærere mandato, ad regenerationem verò, quæ per Spiritum est, velut exhorrescere, D atque ad nouam ac Euangelicam vitam turpere; rarum, vt vero simile est, haoc legalibus mandatis fore difficiliorem. Cùm ergo non ignoraret, vt pote Deus, qui ex inscitiâ metus inuasisset, vnicâ breuique ratione perturbationem illam adimit; & præceptum quidem Mosaicum ex eo quòd orbem condemnat, intolerabilius esse demonstrat, seque benignitatis auctorem producit, dicens, *Non enim misit Deus, &c.*

v. 17. à Properante prælo editum Auberto, vt iudicetur.

Domini præ Mose Legi ergo præstantia.

Euangelica vita Lege leuior.

Qui credit in Filium non iudicatur: &c. v. 18.
Postquam rebus ipsis, Dei se ac Patris Filium esse demonstrauit, ac Mosis ministerio præstabiliorem mundo gratiam inuehere (qui enim non E præstabilius Gratiâ iustificari, quàm Lege condemnari? alium oobis modum illecebrosum sanè ad fidem, diuinâ commentus est auctoritate, eos qui perierant vndique ad salutem compellens. Proponit igitur hoc præmium credenti, quòd non vocandus sit ad iudicium: non credenti autem supplicium, in vnam eandemque viam vtrinque tendens; & hos quidem promissione gratiæ, illos terrore cruciatus longâ patientiâ ad fidem inuitans. Graue autem ac magnum esse crimen infidelitatis ostendit, quandoquidem Filius est & vnigenitus. Quantò enim præstat, qui contumeliam accipit, tantò grauius condemnabitur, is, qui intulit. Iam verò iudicatum esse ait incredulum, tanquam ille iam dictâ sen-

Non indicandus fidelis; infidelis iudicatus.

Psal. 1. v. 5. iuxta illud, *Non resurgent impij in iudicio.* Indigni enim habentur vt rationem dent impij, sicut & diabolus. In iudicium igitur non resurgent, sed in condemnationem. Ita & in Euangelio di-
Ioan. 12. v. 31. cit Dominus, quòd princeps huius mundi iam iudicatus sit, non solùm quòd ipse non crediderit, sed quòd & Iudam proditorem fecerit, & alijs perditionis fuerit auctor. Quamuis autem Dominus in parabolis adducat nonnullos quasi
Parabolæ quatenus assumendæ. eos à quibus sumatur ratio, ne mireris. Primùm quidem eo ipso, quia parabolæ sunt ea quæ dicuntur, non oportet omnia quæ in parabolis dicuntur, quasi canones ac leges assumere. In die enim illo vnusquisque conscientiam habens pro B iudice qui falli nequeat, non opus habebit alio qui reprehendat, sed semetipsum quisque confutabit, ac abibit. Deinde Dominus non induci incredulos, quòd mereatur vt rationem reddant;
Matth. 25. sed credentes quidem, at immisericordes. Nos autem de impijs, & incredulis loquimur. Aliud autem est impius ac infidelis: & aliud immisericors & peccator.

V. 19. *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum.* Ostendit hoc loco infideles omni excusatione destitutos. Ista enim condemnatio est, inquit, quia venit ad eos lux, & neque sic ad illam accesse- C runt. Non enim in hoc solo peccarunt, quòd ipsi non quæsiuerunt lucem, sed hoc pessimum est, quòd lux ad illos venit, & illam non susceperunt: propterea & condemnati sunt. Nam siquidem non venisset lux, potuissent homines prætexere ignorasse se quid esset bonum: verùm quia venit quidem Deus Verbum, deditque verbum suum vt illuminaret, non susceperunt autem illi, omni excusatione posthac carent. Vt A autem nullus dicat, Nemo præfert tenebras luci, ponit causam propter quam tenebris adhæserint homines.

Erant enim, inquit, *opera illorum mala.* Quia enim Christianismus non solùm recta dogmata, sed & honestam vitam exigit: ipsi autem voluerunt luto peccati inuolui, ideo nolunt improbi ad lucem Christianismi venire, & se meis subijcere legibus. Porrò qui facit veritatem, & contendit & aspirat ad vitam quæ Deo placeat, is ad Christianismum veluti ad lucem accedit: quò magis in bono proficiat, & appareant eius opera secundum Deum facta. Qui talis est cum fide B rectâ, & vitam quoque honestam instituit, lucétque omnibus hominibus: in illo glorificatur Deus. Et ita Gentilibus incredulitatis causa facta est immunditia vitæ. Christianis opus cum fide rectâ, etiam honestâ vitâ.

Sed fortè dixerit quis, Quid igitur? non sunt & Christiani improbi, & Gentiles honestæ vitæ? Fateor & ipse quidem improbos Christianos: at bonos Gentiles inueniri non asseuerauerim. Et naturâ quidem mansueti, & boni reperiuntur Infidelium quidam, sed non virtute. Nam exercitatione & nemo fastidiosus. meditatione boni, nullus inuenietur: & quamuis boni quidam habiti sint, omnia tamen ad va- C nam gloriam fecerunt. Qui autem bonus propter gloriam, & non propter bonum ipsum, si quando tempus inuenerit, malis indulgebit concupiscentijs. Nam si apud nos interminatio gehennæ, & omne aliud studium, & vitæ innumerabilium Sanctorum vix conseruant homines in virtute: quo pacto nugæ Gentilium illos in bono continebunt? Magna quoque res fuerit si non & pessimos reddiderint.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

IOAN. X.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Amen amen
a Id est, in catholicam Ecclesiam, in consortium fidelium.
dico vobis, qui non intrat per ostium in [a] ouile ouium, sed
b Caritas ex alto, humilis intrat. c Quoquo modo præter Christum, vel non benè de eo sentiendo, vel non eius gloriam, sed suam quærendo. d Id est, qui rectè sentit de Christo, & non sua, sed quæ Christi sunt, quærit.
[b] ascendit [c] aliunde, ille fur est, & latro. [d] Qui autem intrat
e Prædestinatis ad vitam. f Prædestinati ad vitam.
per ostium, [e] pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & [f]
g In quocunque sonat vox verbi Dei. h Obediendo. i Quia habet nomina scripta in libro vitæ: vnde & dicitur, Nouit Dominus qui sunt eius.
oues [g] vocem eius [h] audiunt. [i] Et proprias oues vocat nomi-
k Quasi de Ægypto in doctrinam vel regnum. l De tenebris ad lucem, dum ante eas vadit, quasi in columnâ nubis & ignis. m Exemplum eis faciens quod docuit, vel ad regnum præcedit.
natim, & [k] educit eas. Et cum proprias oues [l] emiserit, [m] ante eas vadit: & oues
n Quocunque ierit. Perseuerando vsque in finem o In quo non est vox Christi, etiam si bonus videatur.
illum [n] sequuntur, quia sciunt vocem eius. [o] Alienum autem non sequuntur, sed
p Exercet obscuris, pascit manifestis, dum exponit.
fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc [p] prouerbium dixit
q Qui iactant se videre. r In quo conuincuntur cæci esse. s Vt credens quæ dixit, & piè quærens intelligat.
[q] eis Iesus. Illi autem non [r] cognouerunt quid loqueretur eis. [s] Dixit ergo eis iterum
t Per me ergo intrat qui intrat. u Præter me: Prophetæ præmissi cum eo, id est, cum veritate.
Iesus: Amen amen dico vobis: quia [t] ego sum ostium ouium. Omnes [u] quot-
x Veræ. y Sed.
quot venerunt fures sunt & latrones, sed non audierunt eos [x] oues. [y] Ego sum

z Non fictus a Perseuerando. b Intus bene cogitando. Vel, ingreditur credendo, operando. Egreditur ad pugnam contra hæreticos.
ostium: per me si quis [z] introierit, [a] saluabitur: & [b] ingredietur, & egredietur, &
c Benè operando. d Autem. e Et ideo non audiunt eum oues.
pascua [c] inueniet. Fur [d] non venit, nisi vt furetur, & [e] mactet & perdat. Ego ve-
f Hic iustus ex fide viuit. g De hac vitâ transmigrando. h In futuro.
ni, [f] vt vitam habeant, & [g] abundantiùs [h] habeant.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Ioan.10.v.1 *MEN, amen dico vobis.* Quia Pharisæi iactabant se videre, quod possent, si oues Christi essent, Dominus contra eorum arrogantiam de grege suo, & de ostio quo intratur in ouile similitudinem proponit: ostendens quòd nec sapientia, nec obseruatio legis, nec bona vita quidquam valet nisi per eum: Sine eo nihil sunt in quocunque Iudæo, vel Gentili & Philosopho vel Pharisæo qui B docent beatè viuere; vel hæretico sub nomine Christi, nec tamen in Christo prædicante; sed omnes sine eo rapiunt & occidunt.

Per ostium. Id est, per me, vt pòst exponit. Hæc ianua est humilis: qui per hanc vult intrare, oportet vt se humiliet; ne si erectus est, offendat in humilem ianuam. (Porta humilis Christus.)

Fur. Quia quod alienum est, suum dicit; id est, oues Dei suas facit. *Latro.* Quia quod furatus est, occidit. Sed omnes qui veritatem tenent, & docent in Christo Pastore, sunt vnus Pastor.

V. 2. *Pastor est ouium.* Christus propriè Pastor est secundum officium pascendi oues: C vt ipse pòst exponit, qui per se ostium intrat in ouile ouium. Sed quia alij participes sunt ei Pastoralis officij: quæ de eo propriè dicuntur, etiam eis suo modo congruunt. Ostium est quo intratur Christus. Ergo Pastor per se ostium: & quicunque sub eo pastor, per ipsum ostium intrat in corda ouium: quia si aliud prædicat, non audiunt oues: si Christum, oues Christi hanc vocem agnoscunt. Quòd ostium est Christus, sibi soli tenuit: quia non est alius qui prædicetur ouibus, vel in quem credatur: non est alius per quem prædicans intret ad corda ouium, vel per quem oues intrant ad Deú. D Quòd Pastor est, communicat suis. Pastor autem intrat per ostium, quia & ipse se Christum prædicat. Vt lumen, & alia, & se ostendit: Intellectus & alia, & se intelligit: & alij pastores similiter Christum prædicant.

V. 3. *Huic ostiarius.* Ostiarius, id est, Christus, qui se aperit: vel Scriptura, quæ ducit ad Christum: vel Spiritus sanctus, qui docet omnem veritatem.

2. Tim.2.v.19. *Et oues vocem &c.* AVGVST. Aliqui sunt veræ oues, quia *nouit Dominus qui sunt eius*, siue iam cœperint, siue nondum: & tamen sunt errantes foris, audientes vocem alienorum in multis. E contra lupi sunt intus, & audiunt vocem pastoris in multis. E Sed est quædam propria vox pastoralis, scilicet, *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* (Matth.10.v.22.) Hanc nullus proprius contemnit, nullus alienus audit.

V. 6. *Illi autem non cognouerunt.* Prædestinatæ oues ad tempus se nesciunt, nec vocem Pastoris audiunt: sed in fine perseuerant: econtrà lupi ad tempus audiunt & intrant, sed retrò abeunt. *Omnes quotquot venerunt.* Fur est qui per simoniam, vel aliquo alio modo contra Christum intrat; & postquam intrauerit, malo exemplo occidit: & A fit apertè latro. Nec talis dicendus est mercenarius: ideò lupo veniente non resistit, sed pro mercede cedit. Si lupo violenter distrahenti non resistit, mercedem hanc recipit, quòd non distrahitur cum ouibus: sed postea malè viuendo oues corrumpit, & iam in aliam partem relapsus fit fur vel latro, nomen mercenarij amittens.

Si quis. Hîc euidenter ostendit, non solùm Pastorem, sed & oues intrare per ostium. V. 9. *Et ingredietur.* Intus benè cogitando, egredietur extra exemplo aliorum benè operando. Vel, ingredietur in Ecclesiam, vt hîc viuat per fidem. Vnde pòst dicit, *Vt vitam habeat*: & egredietur B de istâ vitâ, vt in æternum viuat. Vnde pòst, *& abundantiùs habeat* vitam, & pascua inueniet, ingrediens & egrediens.

Nisi vt furetur, &c. Furetur, alienam rem sibi vsurpando: V. 10. mactet, à fide retrahendo; perdat, in æternam damnationem.

CATENA AVREA.
in idem Euang.

A*Men, amen dico vobis, Qui non intrat per ostium in ouile ouium, &c.* CHRYS. Quia Dominus de cæcitate Iudæorum disputauerat, (Ioan.1.v.10 Hom 50. in Ioan.) C ne dicant, Non est ex nostrâ cæcitate, quòd ad te non accedimus, sed à te auertimur, vt erroneum fugientes: vult ostendere quòd non est erroneus, sed Pastor; ponens signa latronis & pastoris. (πλάνον hic potiùs impostorē sonat.) Et primò ostendit quis est erroneus & fur, dicens: *Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, ille est fur & latro.* Hoc autem & eos qui ante eum fuerunt, occultè insinuat, & eos qui post eum futuri sunt, Antichristum & pseudochristos: Ostium autem Scripturas vocauit: hæ enim Dei cognitionem aperiunt, hæ oues custodiunt & lupos superuenire non permittunt, hæreticis introi- D tum præcludentes. Qui ergo non Scripturis vtitur, sed aliunde ascendit (hoc est, aliam sibi & non legitimam viam facit) hic fur est. Dicit autem, *Ascendit*, & non, intrat, ad similitudinem furis maceriam transcendere volentis, & periculosè omnia agentis. Dicens autem, *Aliunde*, etiam Scribas occultè insinuauit, qui docebant mandata & doctrinas hominum, & legem præuaricabant. Si autem infrà seipsum ostium dicit, non oportet turbari: Etenim & Pastorem seipsum, & ouem differenter prædicat: Quia enim adducit nos Patri, ostium se dicit: quia verò procurat, pastorem.

E AVGV. Vel aliter: Multi sunt qui secundum quandā vitæ huius cōsuetudinem dicuntur boni (Tract.45.in Ioan.) homines, qui ea quæ in lege mandata sunt quasi obseruant, & Christiani non sont: & plerunque se iactant sicut Pharisæi, *Nunquid & nos cæci sumus?* Quia verò omnia ista quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, Dominus de grege suo & ostio qoo intratur ad ouile similitudinem posuit, dicens: *Amen, amen dico vobis, Qui non intrat &c.* Dicant ergo Pagani, vel Iudæi, vel hæretici, Benè viuimus, si

Virtutes infidelium vanæ, vero fine destitutæ.

per ostium nun intrant, quid eis prodest? Ad boc enim debet vnicuique prodesse benè viuere, vt detur illi semper viuere: quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem benè viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera sempet viuendi, nisi cognoscat vitam, quod est Christus: & per hanc ianuam intret in ouile. Quicunque ergo vult intrare ad ouile, per ostium intret: non solùm Christum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Humilis autem ianua est Christus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, vt sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere; ideo exaltatut vt cadat. Quærunt ergo plerunque tales homines etiam persuadere hominibus, vt bene viuant, & Christiani non sint: Per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere. Tales ergo fures sunt, quia quod alienum est, suum dicunt. Lattones, quia quod furantur, occidunt.

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Vidisti qualiter descripsit latronem? intuere & pastoris diffinitionem. Sequitur enim, *Qui autem intrat per ostium, &c.*

Serm. 40. ante med.

AVGVST. de ver. Do. Intrat per ostium qoi intrat per Christum, qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi: vt cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim vult Deus videri cùm sit homo, non imitatur illum qui cùm Deus esset, homo factus est: Tibi autem non dicitur aliquid minus quàm es, sed agnosce quid es. Sequitur, *Huic ostiarius aperit.*

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Nihil probibet ostiarium vocare Moysen: ille enim est cui eloquia Dei credita sunt.

In hoc loco.

THEOPH. Vel Spiritus sanctus est ostiarius, per quem Scripturæ reseratæ nobis indicant Christum.

Tract 45. in Ioan.

AVGVST. Vel aliter, Ostiarium ipsum Dominum debemus accipere: Multò sunt enim magis inter se diuersa in rebus humanis pastor & ostiú, quàm ostiarius & ostium: & tamen Dominus & pastorem se dixit, & ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum ostiarium? Ipse enim se aperit, qui seipsum exponit. Si aliam personam quæris ostiarij, vide ostiarium fortè Spiritum sanctum, de quo Dominus dicit, *Ipse vos docebit omnem veritatem.* Ostium est Christus, qui est veritas: Quis aperit ostium, nisi qui docet veritatem? Cauendum tamen est, ne maior æstimetur ostiarius esse quàm ostium, quia in domibus hominum ostiarius ostio, non ostium præponitur, ostiario.

Ioan. 16. v. 13

Hom 58. in Ioan.

CHRYS. Quia verò dicebant eum esse deceptorem, & hoc ex infidelitate sui ipsorum certificabant, dicentes, *Quis principum credidit in eum?* ostendit nunc quòd ex hoc quòd non attendunt ei, ex ordine ouium excluduntur, vnde sequitur, *Oues vocem eius audiunt.* Si enim pastoris est per legitimum intrare ostium, per quod ipse intrauit, ab ouium congregatione se abstrahunt qui ipsum non audiunt. Sequitur, *Et proprias oues vocat nominatim.*

Ioan. 7. v. 48.

Tract. 45. in Ioan.

AVG. Nouit enim nomina prædestinatorum, vnde discipulis ait, *Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Sequitur, *Et educit eas.*

Luc. 10. v. 20.

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Oues educebat quando eas mittebat, non extra lupos, sed in medio luporum. Videtur

A autem & de cæco occultè insinuare. Etenim illum eduxit vocans ex medio Iudæorum.

Tract 45. in Ioan.

AVG. Sed & quis alius oues emittit, nisi qui earum peccata dimittit? vt eum sequi duris liberatæ vinculis possint. Sequitur enim: *Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit.*

Interl.

GLOS. Emittit siquidem eas de tenebris ignorantiæ ad lucem, dum ante eas vadit, quasi in columnâ nubis & ignis.

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Nimirum pastores contrarium faciunt, oues ipsas sequentes; sed ipse ostendit se contrarium facere, quoniam oues deducit ad veritatem.

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Et quis est qui oues præcessit, nisi qui surgens à mortuis iam non moritur? & Patri dixit, *Quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, &*

Ioan 17. v. 24.

B *ipsi sint mecum?* Sequitur, *Et oues illum sequuntur, &c.*

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Alienos dicit eos qui circa Theudan & Iudam, aut eos qui post hæc alios debent decipere pseudoapostolos: Vt enim non dicatur vnus illorum esse, per multa se ab eis separat. Primò quidem, per doctrinam Scripturarum, per quas Christus ad se homines adducebat; illi verò ab eis homines abstrahebant. Secundò, per ouium obedientiam. Nam in eum quidem non solùm viuentem, sed etiam mortuum homines crediderunt; illos autem confestim reliquerunt.

In hoc loco.

THEOPH. Significat etiam Antichristum, qui paululum decipiens non obtinebit sequaces post

C eius mortem.

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Sed quomodo soluetur ista quæstio? Audiunt vocem Christi quandoque non oues (audiuit enim Iudas, sed lupus erat) & non audiunt oues; aliqui enim eorum qui Christum crucifixerunt non audierunt; sed oues erant. Sed dicet aliquis, quando non audiebant, oues non erant: vox audita eos mutauit, & ex lupis oues fecit. Me autem adhuc mouet quod per Ezechielem obiurgat Dominus pastores, & dicit inter cætera de ouibus, *Errantem non reuocastis*: Et errantem dicit, & ouem appellat. Non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideo errauit, quia vocem alieni audiuit: Dico ergo: *Nouit Dominus qui sunt eius*: nouit præscitos, nouit prædestinatos. Ipsi sunt oues, aliquando se ipsi nesciunt,

Ezech. 34. v. 4.

Oues prædestinati etsi errantes ad tempus.

D

2. Tim. 2. v. 19.

sed pastor nouit eas. Multæ enim oues foris sunt, & multi lupi intus. De prædestinatis ergo loquitur. Est autem aliqua vox pastoris, in quâ oues non audiunt alienos: in quâ non oues non audiunt Christum. Quæ est ista vox? *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. Sequitur, *Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.* Pascit enim Dominus manifestis, exercet obscuris. Cùm autem duo audiunt verba Euangelij, vnus impius, alter pius: & talia fortè sunt, vt ambo non

Matth. 10. v. 22.

E intelligant. Vnus dicit, Verum est quod dixit, & bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus. Iste quia credit, iam pulsat, dignus est cui aperiatur, si pulsare persistat. Alius dicit, Nihil dixit, qui adhuc audiat, *Nisi credideritis non intelligetis.*

Isai. 7. v. 9.

Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium, &c. CHRYS. Dominus attentiores volens Iudæos facere, manifestat quod suprà dixerat, vnde dicitur, *Dixit ergo iterum eis Iesus, Amen, amen dico vobis, &c.*

Hom. 58. in Ioan.

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Ecce quod clausum posuerat, aperuit: Ipse est ostium, intremus, & nos intrasse gaudeamus. Sequitur, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.*

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Non de Prophetis hoc dicit, sicut hæretici dicunt: sed de seditiosis, vnde & laudans oues subiungit, *Sed non audierunt eos oues.* Nusquam autem videtur laudare eos, qui non obedierunt Prophetis: sed eis detrahit vehementer.

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Intellige ergo: Quotquot venerunt præter me: Non autem præter illum Prophetæ venerunt; quia cum illo venerunt qui cum verbo Dei venerunt. [B] Qui cum illo venerunt, veraces fuerunt; quia ipse Verbum & veritas. Venturus præcones mittebat; sed eorum corda, quos miserat, possidebat: Carnem quippe ipse accepit ex tempore qui est semper. Quid est semper? *In principio erat Verbum.* Ante aduentum autem eius quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti, sic eum credentes venturum, quomodò nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Eadem enim fides vtrosque coniungit; & eos qui venturum esse, & eos qui venisse crediderunt. Quotquot ergo præter illum venerunt, fures fuerunt & latrones; id est, ad furandum & occidendum venerunt. *Sed non audierunt eos oues*, illi scilicet, de quibus dictum [C] est, *Nouit Dominus qui sunt eius.* Eos ergo non audierunt oues, in quibus non erat vox Christi; errantes, vana fingentes, miseros seducentes. Quare autem se ostium dixerit, aperit subdens: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.*

Vna fides omnium temporum.

2. Tim. 2. v. 19.

ALCVIN. Quasi dicat: Illos non audiunt oues, sed me audiunt, quia ego sum ostium: & qui per me (non fictus, sed verus) introierit, perseuerando saluabitur.

In hoc loco.

THEOPH. Educit autem ad pascua Dominus oues per ostium, vnde sequitur. *Et ingredietur, & egredietur, &c.* Quæ sunt autem hæc pascua nisi delectatio futura & requies in quam nos Dominus introducit?

Pascua mystica.

Tract. 45 in Ioan.

AVGVST. Sed quid est quod dicit, *Ingredietur, & egredietur?* [D] Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium ipsum, valde bonum est: exire autem de Ecclesiâ, non est bonum. Potest ergo dici ingredi nos, quando interiùs aliquid cogitamus: egredi autem, quando exteriùs aliquid operamur: secundum illud, *Exiuit homo ad opus suum.*

Ingredi & egredi.

Psal. 103. v. 23.

In hoc loco.

THEOPH. Vel ingredi dicitur, cui est curæ homo interior: egredi verò, qui hominem exteriorem, id est, membra quæ sunt super terram, in Christo mortificat: Hic enim pascua in futuro reperiet sæculo.

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Vel hoc dicitur propter Apostolos, [E] qui cum otio intrauerunt & exierunt, vt totius orbis terrarum facti domini: & nullus eos eijcere valuit, & nutrimentum habuerunt.

μετὰ ἀδείας securè, tutò.

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Sed plus me delectat quòd ipse quodammodò nos admonuit, cùm secutus adiunxit, *Fur non venit, nisi vt furetur.*

ALCVIN. Quasi dicat, Meritò oues non audiunt vocem furis, quia non venit fur nisi vt furetur, alienam rem sibi vsurpando; non de præceptis Christi suos sectatores instruens, sed suis exẽplis eos viuere suadens, vnde subditur, *Et mactet*; malâ doctrinâ retrahendo à fide. *Et perdat*; in æternâ damnatione. Illi ergo furantur & occidunt. *Ego veni, vt vitam habeant, &c.*

Tract. 45. in Ioan.

AVGVST. Videtur mihi dixisse vt vitam habeant ingredientes; hoc est, per fidem quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur vt viuant, quia *iustus ex fide viuit. Et abundantius habeant*, egredientes; scilicet quando veri fideles moriuntur: & abundantiùs habeant vitam, vbi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hîc in ipso ouili non desint pascua, inuenient tamen pascua vbi saturentur, qualia inuenit cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso.*

Habac. 2. v. 4.

Luc. 23. v. 43.

Hom 13. in Ezech.

GREG. sup. Ezech. in hom. 13. Ingredietur [B] ergo ad fidem, egredietur ad spem, pascua verò inuenier in æternâ satietate.

Hom. 58. in Ioan.

CHRYS. Quòd autem dicit, *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat*, de seditiosis dicit; quod ad literam est factum omnibus occisis & perditis, qui eos sequebantur; & sic etiam præsenti vitâ eos priuauerunt. Ego autem veni pro salute ouium, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant in regno cœlorum. Et hæc est tertia differentia, quâ se discernit à pseudoprophetis.

In hoc loco.

THEOPH. Mysticè autem fur diabolus est, qui venit tentando vt furetur per cogitationes illicitas, & mactet per consensum, & deinde per opera destruat.

[C]

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Cat. Cord.

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

ILle fur est, & latro. AMMONII. Fur est, qui non legitimâ ex Scripturis doctrinâ vtitur; sed per aliam haud legitimam venit. Idcirco posita illa vox, *Aliunde*, vt & Scribas notet, qui docentes mandata hominum, legem violabant.

Ioan. 10. v. 1.

Matth. 15. v. 9.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. *V. 2.* THEOD. HERACL. Prophetis, eius ad homines aduentum prænuntiantibus, ac propheticâ visione ingressum ei in vitam præmunientibus, solus ipse per omnia, quæ scripta de illo erant transijt, ac velut per ostium in humanam ingressus vitam, [D] ad oues quæ perierant domus Israël peruenit. *Huic, inquit, ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.* *V. 3.* Oues nimirum ratione vtentes eos vocans, qui vocem ipsius agnoscentes, veram fidei doctrinam secuti sunt. Cùm enim ouium, aliæ quidem obedientes ac faciles se Pastori præbuerint, aliæ verò per inobedientiam procul refugæ, sponte suâ in perditionem abierint; suas ille ab alienis; quæ salutem consequuntur, ab ijs quæ pereunt; obedientes, à non obedientibus, necessariò discreuit. Ostiarium autem vocat Paracletum (nempe Spiritum sanctum) qui per Prophetas eius prædicauit ingressum; [E] cunctisque reliquis ob signa iam relata clausum ostium, vni ipsum Domino reserauit.

Paracletus ostiarius.

THEODOR. MOPSVESTENI. Ouile ouium ponamus legis doctrinam; oues, qui illi subiecti sunt, ac qui omninò sub illâ se victuros professi sunt. Ouilis huius ostiarius beatus Moyses, qui legitimorum promulgatione caulam hanc, atque ouile struxit. Pastor ouium, quisquis operum suffragio doctorale munus suscepit, legitimè scilicet ingressus, omnique diligentiâ legis cultu, ac disciplinâ versatus; sicque hac in caulâ conueniente sedulitate perfunctus. Is sanè eiusmodi, etiam reliquos, tanquam oues, ad doctrinæ fili-

Moses, ostiarius: Pastores boni & mali.

Dicta hæc videantur in Iudæos ab homine Christiano.

gillatim pascua educit. Ergo cùm sit ille pastor, fit planè vt qui talis non est, fur sit ac latro, qui nimirum temere insiliens magistratum, ac dignitatem inierit, inque ouium interitum grassatus sit. Eaquirendum igitur, si ita videtur, penes vos atque me vtri legitimè ingressi; vtri legi diligentem nauauerint operam, vtris legis ostiarius Moyses aperiat. Sanè enim penes me potiùs, quàm vos legis adimpletio inuenietur.

APOLINARII. Parabolâ, ceu velo quodam mirabili, sensum obtegit, ob eos qui indigni sunt; rei agnitione dignis relictâ. Vis autem parabolæ in hoc sita est, vt recessum in bono, atque laudatum à legali ac Iudaico ritu ad fidem, ac Christianam perfectionem, significet. Oues enim quas pastor probè educit, ac quæ eius cognoscunt vocem, ducemque ipsum sequuntur, ij sunt Israëlitæ, qui populo corporalibus institutis addictiore, nec se ab illis auelli patiente, valere iusso, cum Domino è mundo caeuntes, vnà exeunt; qui nempe ea quæ sunt Christi verè diuina esse intelligāt, atque à minoribus ad maiora ipsum prouehere; non à bonis ad malis, quod profectò non pastoris existat, sed furis ac latronis; mali scilicet doctoris, ac eius qui à lege ad impietatem traducat. Quem dum ouibus sequendum negat, sceleratos doctores, ac qui nec Deo nec legi obsequantur, nequaquam sequendos esse, affirmat.

THEOD. HERACL. Necessarium in primis, omnibus Christi asseclis, vt omnem alieni fugiant prauitatem, eiusque omninò caueant impietatem, vt nec voci aurem præbeant, ob seductionis labem, nec sermoni credant.

V. 7. *Ego sum ostium ouium.* AMMONII. Ostium est Christus, vt qui oues includat, fures autem arceat atque arguat. Vel quòd per solam fidem in ipsum ad Patrem ingrediamur, eiusque necessitudine gaudeamus: vel quòd per ipsum ad populorum profecturam veniamus: vel denique quòd dignos in sacram caulam admittat, indignis autem aditum præcludat.

V. 8. *Omnes quotquot venerunt.* THEOD. HERACL. Idcirco enim etiam exactâ loquendi ratione vsus est, dicendo, *Quotquot venerunt*, non, omnes qui missi fuerunt. Nam Dei quidem Prophetæ, eo mittente aduenerunt: falsi autem Prophetæ nemine eos mittente ad euersionem errantium venerunt.

Per me si quis introierit, saluabitur. APOLINARII. Ac si dicat, Res eius in tuto erunt. *Pascua* autem hoc loco vel cibum vocat, & pabulum ouium, vel potestatem & dominationem. Id est, Intus manebit, nec quisquam ipsum expellet. Hoc vtique in Apostolis vsu venit: securi namque ingressi sunt atque egressi, ac si orbis vniuersi domini extitissent.

Psal. 99. v. 2. DIDYMI. Ostium, Dei sermo est, his, qui ad Deum ingrediuntur, iuxta illud, *Introite in conspectu eius in exultatione.* Præterea, cùm homo interior mens sit; exterior verò, pars illius crassior, ac corpus; qui interioris hominis curæ impenditur, is, per sermonem, qui ostium est, ingreditur: qui verò mortificat membra, quæ sunt super terram, & mortificationem Iesu in suo corpore circunfert, is egreditur.

Col. 3. v. 5. 2. Cor. 4. v. 10.

AMMONIS. Pascua sunt diuina documenta, quibus potiuntur fideles. Ostium est Dei sermo, qui ad Dei cognitionem admittit, ac fidem: excedduntque mundo, qui per eum ingrediuntur.

V. 10. *Et abundantiùs habeant.* INCERTI AVCTORIS. Quæ abundantiùs habeatur vita, intelligenda participatio Spiritûs sancti. Nam resurrectio iustis æquè ac iniustis communis est: participatio autem sancti Spiritus ijs duntaxat propria est, qui credunt in Dominum nostrum Iesum Christum; quam regnum cœlorum Scriptura vocare consueuit.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
in superius Euang.

HOMILIA.

Ex Hom. 58 in Ioan. 10.

VNde ergo esse non deceptorem, sed pastorem probat? Adducendo vtriusque indicia: & sic eis rei veritatem inquirendam relinquit. Et primùm quis deceptor & fur sit, demonstrat, inquiens: *Amen, amen dico vobis: qui non ingreditur per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Ecce latronis signa: primùm palam non ingreditur, neque audet: inde non per Scripturarum testimonium, quod per ostium significat. Hîc & eos qui fuerunt notat, & qui futuri sunt; nempe & Antichristum, & falsos Christos, Iudam scilicet & Theudam, & alios huiusmodi. Meritò autem ostium Scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius nobis cognitionem aperiunt: ipsæ oues faciunt, ipsæ custodiunt, neque lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, nosque à quibus omnibus velimus in tuto constituunt, nec errare sinunt. Et nisi hoc ostium infringamus, nunquam nos inimici nostri poterunt expugnare. Per hoc & pastores, & non pastores omnes cognoscemus. Quid autem est, *In ouile?* hoc est, ad oues, & earum curam. Qui enim sacrâ non vtitur Scripturâ, *sed ascendit aliunde*; id est, aliam init, nec legitimam viam, is fur est. Ecce & hîc eius cum Patre conuenientiam, cùm Scripturas in medium proferat. Ideo & Iudæis dicebat: *Scrutamini Scripturas.* Moysen quoque produxit in medium, & testem eum appellauit, & Prophetas omnes. *Omnes*, inquit, *qui audierint ex Prophetis, veniunt ad me.* Et, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi.* Hac autem particulâ; *Ascendit aliunde*, etiam Scribas significat, quia *docebant præcepta, doctrinas hominum*, & ipsi legem transgrediebantur, quod & ipse exprobrauit dicens: *Nemo vestrûm facit legem.* Et rectè inquit, *ascendit*, & non ingreditur: nam furis est sepem vel parietem ascendere, & cum periculo omnia moliri. Ecce quo pacto descripsit latronem. Considera & pastoris signa.

V. 1.

Latronis signa, furtiuus ingressus, & non per ostium.

Scripturæ sacræ, ostiũ.

Ioan. 5. v. 39

Ioan. 6. v. 4

Ioan. 5. v. 46.

Matth. 15. v 9.

Ioan. 7. v. 19

V. 2. *Qui ingreditur per ostium, hic est pastor ouium, &c.* Hæc pastoris est & furis differentia. Videamus quo pacto sequentia conueniant: *Huic*, inquit, *ostiarius aperit.* Mansit in translatione, vt significantiùs loqueretur. Quòd si & ad verbum parabolam vis exponere, nihil prohibet hoc in loco per ostiarium Mosen significari, cui eloquia Dei credita sunt, cuius vocem oues audiunt. *Et proprias vocat nominatim.* Cùm enim frequenter eum deceptorem vocarent, idque ea incredulitate suâ confirmarent, dicentes: *Quis principum credidit in eum?* non ex ipsorum pertinaciâ se, sed illos deceptores putandos quòd sibi non crederent, & meritò ab ouium numero expellendos, ostendit. Nam si pastoris est per solitum ingredi ostium, ipse per hoc ingressus est, & omnes

Pastoris indicia.

V. 3.

Moyses, ostiarius.

Ioa. 7. v. 48.

secuti poterunt oues esse: qui inde se auerterunt, A non ipsos pastor, sed ipsi se ab ouium numero abdicarunt. Quòd autem se ostium appellarit, nemo perturbetur: siquidem & pastorem se, & ouem dicit: & variè suas prædicat dispensationes. Quando nos Patri adducit, ostium: cùm nostri curam gerit, pastorem se profitetur. Néve eius id vnum munus potes vt nos adducat Patri, etiam se pastorem dicit. *Et oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat, & educit eas, & ipse ante eas vadit.* At contrarium pastores faciũt: sequuntur, non præcedunt. Sed vt se omnium ad veritatem inueniendam ducem ostendat, contrarium pastoribus morem seruat: quemadmodum B & cùm oues per orbem dimisit, non extrà, sed in medio luporum misit. Longè enim admirabilior nostrâ est ars illa pastoralis. Videtur autem & cæcus hoc in loco significari: quem è medio Iudæorum vocauit, & audiuit vocem eis, & cognouit.

Christus ostium, & pastor.

V. 4.

Christus oues præcedit.

Ioan. 9.

Alienum autem non sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum. Siue de Theudâ & Iudâ hic loquitur. *Omnes*, enim inquit, *qui crediderunt illis, dispersi sunt*: siue de futuris pseudochristis qui decepturi erant. Et ne dicerent ipsum vnum illorum esse, plurimùm se ab illis diuersum ostendit, & primùm à doctrinâ Scripturarum quibus eos adducit, illi aliundè; inde ab ouium obedientiâ, quæ omnes ipsi non viuenti tantùm, C sed & mortuo paruerunt, illos verò quamprimùm dimiserunt. Præterea, quod non paruum est, illi tanquam tyranni per seditionem omnia faciebant: à quâ suspicione tantùm hic aberat, vt cùm vellet ipsum Regem facere, recusarit: & cùm rogarent, an liceret censum dari Cæsari, afferri præcepit, vt numisma cognosceret. Ad hæc ipse pro ouium salute venit, *vt vitam haberent*, inquit, *& abundantiùs haberent*; illi etiam præsenti vitâ priuarunt. Atque illi quidem, sibi creditos tradiderunt atque fugerunt; hic autem adeò generosè persistit, vt & animam traderet: illi inuiti, coacti, fugientes quæ passi sunt pertulerunt, hic sponte omnia subiuit. D

Act. 5. v. 36.

Christi à pseudochristis notæ distinguentes.

Ioan. 6. v. 15.
Matth. 22. v. 17.

V. 10.

Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Et quâ gratiâ obscuriùs locutus est? Vt attentiores redderet: quod mox exponit inquiens, *Ego sum ostium: per me si quis introierit, &c.* Hoc est, securus erit & liber. Pascua autem hoc loco escam dicit & pabulum ouium, & potestatem & dominatum; hoc est, intus manebit, & nemo inde eum expellet: quòd & Apostolis vsu venit, qui audenter ingressi sunt & egressi, tanquam vniuersi orbis domini, & à nemine eijci potuerunt.

V. 6.

V. 7. & 9.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt, &c. Non de Prophetis hoc intelligendum, vt aiunt hæretici: illos enim audierunt, & per eos crediderunt, sed de Theudâ & Iudâ, & alijs seditiosis. Illud præterea verbum, *non audierunt*, in ouium lau- E dem dictum est: quod contra esset, si Prophetas non audissent, fuissent enim maximè reprehendendi.

V. 8.

Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Vt tunc vsu venit, siquidem omnes mactati sunt, & deperditi. *Ego autem veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et quid, quæso, vitâ abundantius? Regnum cœlorum: nondum tamen dicit, sed adhuc vitæ nomine, tanquam eis noto contentus est.

V. 10.

Regnum cœlorum quid vitâ abundãtius.

S. AVGVSTINI EPISCOPI

Hippon. in superius Euang.

HOMILIA.

De illuminato illo, qui cæcus natus est, sermo ad Iudæos Domini exortus est. Huic itaque lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit & commoneri charitas vestra. Cùm enim Dominus dixisset: *In iudicium enim ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*: quod eo tempore, quando lectum est, vt potuimus exposuimus: quidam ex Pharisæis dixerunt, *Nunquid & nos cæci sumus?* Quibus respondit Dominus, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: Nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* His verbis subiunxit ea, quæ hodie cùm recitarentur, audiuimus.

Tract. 45. in Ioan. 10.

Ioan. 9. v. 39

Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est & latro. Dixerunt enim se cæcos non esse, videre autem tunc possent, si oues Christi essent. Vnde sibi vsurpabant lumen, qui furebant contra diem? Propter illorum ergo vanam & superbam & insanabilem arrogantiam Dominus Iesus ista contexuit, in quibus salubriter nos, si aduertamus, admonuit. Multi enim sunt, qui secundum quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminæ, innocentes, & quasi obseruantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum testimonium aduersus quenquam perhibentes, & cætera, quæ in lege mandata sunt, velut obseruantes Christiani non sunt, & plerunque se iactant quomodò isti: *Nunquid & nos cæci sumus?* Quia verò ista omnia quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, Dominus de grege suo, & de ostio quo intratur ad ouile, similitudinem proposuit in hodiernâ lectione. Dicant ergo Pagani, Benè viuimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse bene viuere, vt detur illi semper viuere: nam cui non datur semper viuere, quid prodest bene viuere? Quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem benè viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus: & per ianuam intret in ouile. Quærunt ergo plerunque tales homines etiam persuadere hominibus vt benè viuant, & Christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere, non vt bonus pastor conseruare atque saluare.

V. 1.

Infidelium opera specie tenus bona.

Al. quà.

Fuerunt ergo quidam Philosophi, de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes: qui etiam dicere auderent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare & occidere. Quid de istis dicam? Ecce ipsi Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant, venturum sperabant, & præsentem non agnoscebant: iactabant se etiam ipsi inter videntes,

Philosophi non intrantes per ostiũ

Al. ratiocinantes, acutissimè.

Al. benè.

Pharisæi.

ses, hoc est, inter sapientes, & negabant Christum, & non intrabant per ostium. Ergo & ipsi si quos fortè seducerent, mactandos & occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus, videamus illos si fortè ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur.

Hæretici. Innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solùm iactant, sed à Christo illuminatos videri volunt: sunt autem hæretici. Fortè ipsi per ianuam intrauerunt? Absit. Sabellius dicit, Qui Filius est, ipse est Pater: sed Filius, non est Pater. Non intrat per ostium qui Filium dicit Patrem. Arrius dicit, Aliud est Pater, aliud est Filius. Rectè diceret, si diceret, alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit à quo

Ioa.10.v.30. audit, *Ego & Pater vnum sumus.* Nec ipse ergo per ostium intrat: prædicat enim Christum qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit. Nomen

Al. habet. habes, rem non habes. Alicuius rei nomen est Christus: tene ipsam rem, si vis prodesse tibi nomen. Alius nescio vnde, sicut Photinus, Christus homo est, inquit, Deus non est. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus homo & Deus est. Et quid opus est multa percurrere, & multa vana hæresum enumerare?

Hoc tenete, ouile Christi esse catholicam Ecclesiam. Quicunque vult intrare ad ouile, per

Ouile Christi, Ecclesia Catholica. ostium intret, Christum verum prædicet. Non solùm Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam: nam multi quærendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potiùs, quàm congregauerunt. Humilis est enim ianua

Christus humilis ianua. Christus Dominus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, vt sano corpore possit in-

Al. *humiliet se.* trare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere: qui autem per maceriam ascendit, ideo exaltatur vt cadat. Tectè tamen adhuc loquitur Dominus Iesus, nondum intelligitur: nominat ostium, nominat ouile, nominat oues. Commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus nobis aliqua quæ dixit dignetur exponere: ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde. Væ misero, quia casurus est. Sit ergo humilis, per ostium intret: plano pede veniat, & non offendet. *Ille*, inquit, *fur est &*

Fur & latro. *latro:* [qui] oues suas vult dicere oues alienas. Ad hoc suas, id est, furto ablatas, non vt saluet, sed vt occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est, suum dicit: latro, quia & quod est furatus,

V.2.& 3. occidit. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium: huic ostiarius aperit.* De ostiario isto tunc quæramus, quando ab ipso Domino audierimus quod sit ostium, & qui sit pastor. *Et oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim.*

Apoc. 3.v.2. Habet enim nomina eorum scripta in libro vitæ. *Propr. as oues vocat nominatim.* Hinc dicit Apo-

2.Tim.2.v.19. stolus, *Nouit Dominus qui sunt eius.*

V.4. *Et adducit eas.* Et cùm *proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Tecta sunt [verba] hæc, plena quæstionibus, grauida sacramentis. Sequamur ergo & audiamus Magistrum ex his obscuris aliquid aperientem: & per id quòd aperit, nos fortè intrare facientem. *Hoc prouerbium dixit illis Iesus,*

V.6.

A Paschate.

A *illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.* Fortè nec nos. Quid ergo interest inter illos & nos, antequam ista verba agnoscamus & nos? Quia nos pulsamus vt aperiatur nobis: illi autem Christum negando nolebant intrare seruandi, sed foris remanere perdendi. Quòd ergo nos audimus hæc piè, quòd antequam illa intelligamus, credimus vera esse atque diuina: magnâ ab istis diuersitate distamus. Cùm enim duo audiunt verba Euangelij, vnus impius, alter pius, & talia sunt vt fortè ambo non intelligant, vnus dicit, Nihil dixit: alius dicit, Verum dixit, & bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus. Iste quia credit,

B iam pulsat, & dignus est cui aperiatur, si pulsare perstitat: ille verò adhuc audiat, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isai.7.v.9. Quare ista commendo? Quia etiam cùm verba hæc obscura sicut possum exposuero, aut quia valde sunt abdita, vel ego eorum non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam fuerit quisque tardus, vt etiam exponentem non sequatur: non de se desperet. Maneat in fide, ambulet in viâ, audiat Apostolum dicentem: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Phil.3 v.15. Incipiamus ergo audire exponentem, quem audiuimus proponentem.

C *Dixit ergo iterum eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium* V.7. Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnouimus, intremus: vt nos intrasse gaudeamus. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.* Quid est hoc Domine. *Omnes quotquot venerunt?* Quid enim? Tu non venisti? Sed intellige: *Omnes quotquot venerunt* dixi, vtique præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipsius venerunt Prophetæ. Nunquid fures & latrones fuerunt? Absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Prophetæ non sine Christo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt;

D qui est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo, semper? *In principio erat Verbum.* Ioan 1.v.1. Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita.* Ioan.14.v.6 Si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergo præter illum, fures sunt & latrones, id est, ad furandum & occidendum.

Sed non audierunt eos oues. Maior hæc quæstio est, *non audierunt eos oues.* Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti: sic in eum credentes venturum, quomodò nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur, cum variè declinantur. Vna fides omnium temporum. Alium sonum habet, venturus est:

E alium sonum habet, venit. Mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides vtrosque coniungit, & eos qui venturum esse & eos qui eum venisse crediderunt: Diuersis quidem temporibus, sed vtrosque per vnum fidei ostium, hoc est, per Christum, videmus ingressos. Nos credimus Dominum nostrum natum ex Virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse: totum hoc sicut verba audis præteriti temporis, impletum esse iam credimus. In eius sunt fidei societate nobiscum & illi Patres, qui crediderunt de Virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascen-

furum: illos enim ostendit Apostolus vbi ait; A *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Propheta dixit, *Credidi, propter quod locutus sum.* Apostolus dicit, *Et nos credimus, propter quod & loquimur.* Vt scias autem quòd vna sit fides, audi dicentem, *Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus.* Sic & alio loco: *Nolo enim vos,* inquit, *ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.* Mare rubrum, significat baptismum: B Moyses ductor per mare rubrum, significat Christum: populus transiens, significat fideles: mors Ægyptiorum, significat abolitionem peccatorum. In signis diuersis eadem fides: sic in signis diuersis, quomodò in verbis diuersis: quia verba sonos mutant per tempora, & vtique nihil aliud sunt verba quàm signa. Significando enim verba sunt: tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus, prophetata prænuntiabantur? Vtique credebant: sed illi ventura esse, nos autem venisse: ideo & sic ait, *Eundem potum spiritalem biberunt.* Spiritalem eundem, nam corporalem non eundem. C Quid enim illi bibebant? *Bibebant enim de spiritali sequente petrâ: petra autem erat Christus.* Videte ergo fide manente, signa variata. Ibi petra Christus; nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de petrâ, nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est; si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt. Quotquot ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Iacob, vel Moysi, vel alijs Patriarchis, alijsque Prophetis Christum prænuntiantibus, oues erant, & Christum D audierunt: non alienam vocem, sed ipsius audierunt. Iudex fuerat in præcone. Quia & quando iudex loquitur per præconem, exceptor non facit: præco non dixit, sed iudex dixit. Alij sunt ergo quos non audierunt oues, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes. Quid est ergo quod dixit? Maior hæc quæstio est: quid habet obscurum & ad intelligendum difficile. Audite obsecro.

2. Cor. 4. v. 13.
Psal. 115. v. 10.
1. Cor. 10. v. 1.
Eundē antiqui potum spiritalem biberunt, & nos cibum edimus, sed sub aliis symbolis, vnâ omniū fide in Christum.

Ecce Dominus ipse Iesus Christus venit, prædicauit: vtique multò magis vox pastoris erat, expressa ipso ore pastoris. Si enim per Prophetas vox pastoris erat, quantò magis vocem pastoris E proferebat lingua ipsa pastoris. Non omnes audierunt. Sed quid putamus? Qui audierunt, oues erant? Ecce audiuit Iudas, & lupus erat: sequebatur, sed pelle ouinâ tectus, pastori insidiabatur. Aliqui verò eorum qui Christum crucifixerunt, non audiebant, & oues erant: ipsos enim videbat in turbâ, quando dicebat, *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Quomodò ista soluitur quæstio? Audiunt non oues, & non audiunt oues: sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oues; postremò pastorem occidunt oues. Soluitur quæstio: respondet enim aliquis & dicit, Sed quando non audiebant, oues nondum erant, tunc lupi erant: vox audita eos mutauit, & ex lupis oues fecit. Quando autem factæ sunt oues, audierunt, & pastorem inuenerunt, pastorémque secutæ sunt: pastoris promissa sperauerunt, quia iussa fecerunt. Soluta est vtcunque ista quæstio, & cuiquam fortè sufficiat. Me autem adhuc mouet, & quid me moueat, communico vobiscum, vt quodammodò quærens vobiscum, reuelante illo vobiscum merear inuenire. Quid ergo me moueat, accipite.

Oues, vt pastoris vocem audiant.
Ioan. 8. v. 28.
Audisse cùm fiunt oues.

Per Ezechielem Prophetam Dominus obiurgat pastores, & dicit inter cætera de ouibus: *Errantem* [*ouem*] *non reuocastis.* Et errantem dicit, & ouem appellat. Si quando errabat ouis erat, cuius vocem vt erraret audiebat? Proculdubiò enim non erraret, si vocem pastoris audiret. Sed ideo errauit, quia vocem audiuit alieni: vocem furis & latronis audiuit. Certè latronum voces non audiunt oues: *Qui venerunt,* inquit: & intelligimus præter me, id est, qui venerunt præter me, *fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues.* Domine, si non audierunt eos oues, quomodò errant oues: si oues non audiunt nisi te? Tu autem veritas es: quisquis veritatem audit, non vtique errat. Illi autem errant, & oues appellantur: nam si in errore ipso oues non appellarentur, non diceretur per Ezechielem Prophetam; *Errantem ouem non reuocastis.* Quomodò & errat, & ouis est? Vocem alieni audiuit. Certè non audierunt eos oues. Deinde modò multi colliguntur ad ouile Christi, & ex hæreticis fiunt Catholici: à furibus tolluntur, pastori redduntur. Et aliquando murmurant, tædium patiuntur ad reuocantem, & non intelligunt iugulantem: veruntamen etiam cùm renitentes venerunt, quæ oues sunt, agnoscunt vocem pastoris, & se venisse lætantur, & errasse erubescunt. Quando ergo in illo errore tanquam in veritate gloriabantur, & vtique non audiebant vocem pastoris, & alienum ideo sequebantur: oues erant an non erant? Si oues erant, quomodò alienos oues non audiunt? Si oues non erant, quare obiurgantur illi quibus dicitur, *Errantem ouem non reuocastis?* In ipsis etiam iam factis Catholicis Christianis, bonæ spei fidelibus, aliquando mala contingunt: seducuntur in errorem, & post errorem reuocantur. Quando seducti sunt in errorem, & rebaptizati sunt, aut post ouilis Dominici societatem rursus in errorem pristinum reuoluti sunt, oues erant an non erant? Vtique Catholici erant. Si Catholici, fideles erant, oues erant. Si oues erant, quomodò vocem alieni audire potuerunt, cùm Dominus dicat, *Non audierūt eos oues?*

Ezech. 34. v. 6.

Audistis fratres altitudinem quæstionis. Dico ergo, *Nouit Dominus qui sunt eius:* Nouit præscitos, nouit prædestinatos: de illo quippe dicitur; *Quos autem præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit: & quos vocauit, ipsos iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Adde adhuc, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodò etiam non cum illo omnia nobis donauit?* Sed quibus *nobis?* Præscitis, prædestinatis, iustificatis, glorificatis, de quibus sequitur, *Quis accusabit aduersus electos Dei? Nouit Dominus qui sunt eius,* ipsæ sunt oues. Aliquando se ipsæ nesciunt,

2. Tim. 2. v. 19.
Rom. 8. v. 30.
Oues prædestinati.
Ibid. v. 32.
2. Tim. 2. v. 19.

sed pastor nouit eas, secundum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ouium, ante constitutionem mundi. Nam de hoc dicit Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi*.

Eph. 1. v. 4.

Secundum istam ergo præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus: & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris. Quid est quod diai, quàm multæ oues foris? Quàm multi modò luxuriantur, casti futuri? quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum? quàm multi se inebriant, futuri sobrij? quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas? Veruntamen modò vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri? casti sunt, fornicaturi? sobrij sunt, se vino postea sepulturi? stant, casuri? & non sunt oues. De prædestinatis enim loquimur. De his loquimur, quos *nouit Dominus, qui sunt eius*, & tamen ipsi quandiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: & tamen secundum prædestinationem non oues isti, oues illi. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolui.

2. Tim. 2. v. 19.

Est aliqua vox, est, inquam, voa aliqua pastoris, in quâ oues non audiuot alienos, in quâ non oues non audiunt Christum. Quæ est ista voa? *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Hanc vocem non uegligit proprius, non audit alienus: oam & ille hoc ei prædicat, vt perseueret apud ipsum vsque io finem, sed nou apud eum perseuerando non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audit alia & alia verba, illa & illa, omnia vera, sana omnia: inter quæ omnia est & illa vox; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Istam qui audierit, ouis est. Sed audiebat illam nescio quis, & desipuit, refrignit, audiuit alienam. Si prædestinatus est, ad tempus errauit: in æternum non perijt. Redit vt audiat quod neglecerit, faciat quod audiuit. Si enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præsciuit, & conuersionem futuram: si aberrauit, redit vt audiat illam vocem pastoris, & sequatur dicentem, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Bona voa fratres, vera, pastoralis: ipsa est *vox salutis in tabernaculis iustorum*. Nam facilè est audire Christum, facilè est laudare Euangelium, facilè acclamare disputatori: perseuerate vsque in finem, hoc est ouium vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, perseuera vsque in finem: [quia tentatio non perseuerat vsque in finem.] Vsque in quem finem perseuerabis? Quousque finies viam. Quandiu enim non audis Christum, aduersarius tuus est in istâ viâ, hoc est, in istâ mortali vitâ. Sed quid dicit? *Concorda cum aduersario tuo citò, cum es cum eo in viâ*. Audisti, credidisti, concordasti. Si aduersabaris, concorda. Si tibi præstitum est concordare, noli vlteriùs litigare. Quando enim finiatur viá nescis, sed tamen ille scit. Si ouis es, & si perseuerraueris vsque in finem, saluus eris: ac per hoc istam vocem nou contemnunt sui, non audiunt alieni.

Matth. 10. v. 22.
Peculiaris vox pastoris, quam solæ & omnes audiant oues; vt scilicet perseuerent vsque in finē.
Al. perit.
Psal. 117. v. 15.
Matth. 5. v. 26.

Vt potui, vt ipse donauit, profundam multùm quæstionem aut exposui vobis, aut tractaui vobiscum. Si qui minus intellexerunt, maneat pietas, & reuelabitur veritas: qui autem intellexerunt, non se extollant quasi celeriores super tardiores, ne extollendo se exorbitent, &

A

faciliùs perueniant tardiores. Omnes autem perducat cui dicimus; *Deduc me Domine in viâ tuâ, & ambulabo in veritate tuâ*. Per hoc ergo quod exposuit Dominus, quia ipse est ostium: intremus ad ea quæ proposuit, nec exposuit. Et pastor quidem quisnam sit, quamuis non diaerit in istâ lectione, quæ hodie recitata est: tamen in eâ quæ sequitur, apertissimè dicit: *Ego sum pastor bonus*. Quod & si non diceret, quem alium præter ipsum intelligere deberemus in eis verbis, vbi ait: *Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues eum sequuntur, quia sciunt vocem eius?* Quis enim alius oues proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, nisi qui nouit nomina prædestinatorum? Vnde ait discipulis suis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo*: hinc enim vocat eas nominatim. Et quis alius eas emittit: nisi qui earum peccata dimittit, vt eum sequi duris liberatæ vinculis possint? Et quis eas præcessit quò eum sequantur, nisi qui *surgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur*. Et cum hîc conspicuus esset in carne, ait; *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum?* Vnde illud est quod ait,

Psal. 85. v. 11.
Infra v. 11.
Supra v. 2.
B
Dominus, pastor.
Luc 10. v. 20.
Rom. 6. v. 9.
Ioan. 17. v. 24.

Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. In hoc euidenter ostendit, non solùm pastorem, sed etiam oues intrare per ostium. Sed quid est, *ingredietur & egredietur, & pascua inueniet?* Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est: exire autem de Ecclesiâ, sicut ait iste ipse Ioannes Euangelista in Epistolâ suâ: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*: non est vtique bonum. Talis ergo egressus oon posset à bono pastore laudari: vt diceret, *& ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*. Est ergo aliquis non solùm ingressus, verumetiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed qui est iste laudabilis & beatus egressus? Possem quidem dicere ingredi nos, quando interiùs aliquid cogitamus: egredi autem, quando exteriùs aliquid operamur. Et quooiam, sicut dicit Apostolus, per fidem habitat Christus in cordibus nostris, ingredi per Christum esse secundum ipsam fidem cogitare: egredi autem per Christum, secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari: vnde & in Psalmo legitur, *Exiet homo ad opus suum*. Et ipse Dominus dicit, *Luceant opera vestra coram hominibus*. Sed plus me delectat quod ipsa veritas tanquam pastor bonus, & ideo bonus doctor, quodammodò nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus, quod ait, *Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*, cùm secutus adiunxit, *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat: ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Videtur enim mihi dixisse, vt vitam habeant ingredientes, & abundantiùs habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit in specie: nisi per ipsum ostium, hoc est, per eundem Christum in Ecclesiam eius quæ est ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem quæ est in fide. Ideo ait, *Ego veni vt vitam habeant*, hoc est, fidem, quæ per dile-

V. 9.
C
1. Ioan 2. v. 19.
Ingressus & egressus per Christum ostium.
D
Eph. 3. v. 17.
Psal. 103. v. 23.
Matth. 5. v. 17.
E
Al. quod.
Gal. 5. v. 6.

Abac. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17. ctionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur, vt viuant, quia *iustus ex fide viuit. Et abundantiùs habeant*, qui perseuerando vsque in finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur: & abundantiùs habebunt vitam, veniendo quò pastor ille præcessit, vbi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hîc in ipso ouili non desint pascua, quoniam ad vtrunque possumus intelligere quod dictum est, *& pascua inueniet*, id est, & ad ingressum, & ad egressum: tamen tunc vera pascua inuenient vbi saturentur, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, qualia pascua inuenit cui dictum est; *Hodie mecum eris in paradiso*. Matth. 5. v. 6. Luc. 23. v. 43. B Quomodò autem ipse sit ostium, ipse pastor, vt per seipsum quodammodò etiam ipse ingredi & egredi intelligatur, & quisnam sit ostiarius, longum est hodie quærere, & disserendo sicut ipse donauerit explicare.

EIVSDEM, DE PASTORE, & mercenario, & fure, ex Euangelio secundum Ioannem.

De verb. Dom. serm. 49.

Cap. 1.

Eadem Inscriptio est in Indiculo Possidij. Et hinc multa Beda citat, ad Corinth. & ad Philipp.

NOn ignorat fides vestra, charissimi, & vos didicisse nouimus, docente Magistro de cœlo, in quo spem vestram posuistis, quia Dominus noster Iesus Christus, qui iam pro nobis passus est, & resurrexit, caput est Ecclesiæ, & est corpus eius Ecclesia, & in eius corpore vnitas membrorum, & compago charitatis tanquam sanitatis existit. Quicunque autem in charitate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille qui iam exaltauit caput nostrum, etiam infirma membra sanare; dum tamen non nimiâ impietate præcidantur, sed hæreant corpori donec sanentur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est: Quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Christus, Ecclesiæ caput, ipsa eius corpus. D Cùm ergo ille sit caput Ecclesiæ, & sit corpus eius Ecclesia, totus Christus caput & corpus est. Resurrexit iam ille. Caput ergo habemus in cœlo: Caput nostrum interpellat pro nobis. Caput nostrum sine peccato & sine morte iam propitiat Deum pro peccatis nostris: vt & nos in fine resurgentes, & immutati in gloriam cœlestem, sequamur caput nostrum. Quò enim caput, & cætera membra. Sed dum hîc sumus, membra sumus; ne desperemus, quia secuturi sumus caput nostrum.

Cap. 2. Videte enim, fratres, dilectionem ipsius capitis nostri. Iam in cœlo est, & hîc laborat, quandiu hîc laborat Ecclesia. Hîc Christus esurit, hîc sitit, nudus est, hospes est, infirmatur, in carcere est. Sibi ascribit quæ sunt illius. Quicquid enim hîc patitur corpus eius, se dixit pati: & in fine segregans ipsum corpus suum ad dexteram, & reliquos à quibus modò conculcatur segregans ad sinistram, dicturus est his, qui sunt ad dexteram, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Matth. 25. v. 34. Quibus meritis? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Sic exequitur tanquam ipse accepisset: vsque adeò vt illi non intelligentes, respondeant & dicant, *Domine quando te vidimus esurientem, hospitem, & in carcere?* A Et dicit eis, *Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sic etiam in nostro corpore caput sursum est, pedes in terrâ sunt: tamen in aliquâ constipatione & coartatione hominum, quando tibi aliquis pedem calcat, nonne dicit caput, Calcas me? nec caput tuum, nec linguam tuam quisquam calcauit. Sursum est, in tuto est, nihil ei mali contigit, & tamen quia per connexionem charitatis vnitas est à capite vsque ad pedes, non se inde lingua separauit, sed dixit, Calcas me: cùm eam nemo contigerit. Quomodo ergo lingua, quam nemo contigit, dicit Calcas me: sic Christus caput, quod nemo calcat, dixit, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*. Et illis qui hoc non fecerunt, dixit, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*. Et quomodo conclusit? *Sic, ibunt illi in ambustionem æternam: iusti autem in vitam æternam*. Simile. v. 46.

Cap. 3. Cùm ergo nunc loqueretur dixit se esse pastorem, dixit se esse & ianuam. Vtrunque ibi habes; &, *Ego sum ianua*; &, *Ego sum pastor*. Ioan. 10. v. 9. & 10. Ianua est in capite, pastor in corpore. Dicit enim Petro, in quo vno firmat Ecclesiam, *Petre, amas me? Respondit, Domine, Amo. Pasce oues meas. Et tertiò, Petre, amas me? Contristatus est Petrus, quòd eum tertiò interrogarit*: quasi ille qui vidit conscientiam negatoris, non videret fidem pœnitentis. Ioan. 21. v. 15. C Nouerat illum semper, nouerat illum & quando se Petrus ipse non nouerat. Tunc enim se non nouerat, quando dixit, *Tecum ero vsque ad mortem*: & quàm esset infirmus, nesciebat. Luc. 22. v. 33. Quomodo plerunque teneræ & infirmis contingit, vt ægrotus nesciat quid cum illo agatur; medicus autem sciat: cùm ille ægritudinem illam patiatur, medicus non patiatur. Simile. Magis dicit medicus quid agatur in altero, quàm ille qui ægrotat quid agatur in seipso. Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus. Iste dicebat se habere vires, quas non habebat. Ille autem tangens venam cordis eius, dicebat, quòd ter eum esset negaturus. Et ita factum est, quomodo prædixit medicus, non quomodo præsumpsit ægrotus. Ergo post resurrectionem suam Dominus interrogauit eum, non nesciens quo ille animo confiteretur amorem Christi, sed vt trinâ confessione amoris, deleret trinam negationem timoris. Trinâ confessione amoris deleta trina negatio timoris.

Cap. 4. Ergo hoc Dominus exigit à Petro, *Petre, amas me?* Quasi, Quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstiturus Petrus resurgenti Domino, & eunti in cœlum, atque sedenti ad dexteram Patris? Quasi diceret, Hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, vt pascas oues meas. Per ianuam intres, non per aliam portam ascendas. Audistis cùm Euangelium legeretur, *Qui intrat per ianuam, pastor est: Qui autem ex aliâ parte ascendit, fur est & latro. Et dissipare quærit, & spargere, & tollere*. Intrare per ianuam, id est, Christum. Ioan. 10. v. 2. E Quis est qui intrat per ianuam? qui intrat per Christum. Quis est iste? Qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi: vt cùm Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim Deus vult videri, cùm sit homo, non imitatur illum, qui cùm Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dicitur, Esto aliquid minus quàm es, sed cognosce quod es. Cognosce te infirmum, cognosce te hominem, cognosce te peccatorem: cognosce te, quia ille iustificat: cognosce te quia maculosus es. Appareat in confessione tuâ macula cordis

Confeſſio peccatorum inuitat medicum.

Luc. 18. v. 11.

Pharisæi & Publicani parabola.

tui, & pertinebis ad gregem Christi, quia confeſſio peccatorum inuitat medicum ſanaturum, quomodo in ægritudine qui dicit, Sanus ſum, non quærit medicum. Nunquid non ad templum aſcenderat Phariſæus ille & Publicanus? Ille de ſuâ ſanitate gloriabatur; iſte vulnera ſua medico oſtendebat. Dicebat enim ille, *Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut Publicanus iſte.* Gloriabatur ſuper alterum. Ergo ſi Publicanus ille ſanus eſſet, inuideret illi Phariſæus: quia non haberet ſuper quem extolleretur. Quomodo ergo venerat, qui ſic inuidebat? Non erat vtique ſanus. Et cùm ſe ſanum diceret, non deſcendit curatus. *Ille autem ad terram oculos deijciens, & non audens in cœlum tollere, percutiebat pectus ſuum, dicens, Domine propitius eſto mihi peccatori.* Et quid dicit Dominus? *Amen dico vobis, quia deſcendit iuſtificatus de templo Publicanus magis quàm Phariſæus. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Qui ergo ſe exaltant, per aliam viam volunt aſcendere ad ouile: qui autem ſe humiliant, per ianuam intrant in ouile. Ideo de illo dixit, *Intrat:* de illo, *Aſcendit.* Qui aſcendit, videtis quia alta petit; non intrat, ſed cadit. Ille autem qui ſe ſubmittit, vt per ianuam intret, non cadit, ſed paſtor eſt.

Intrat per ianuam, qui ſe humiliat.

Cap. 5.

Paſtor, mercenarius, fur; diligẽdus, tolerãdus, cauendus.

Sed tres perſonas dixit Dominus, & debemus eas inueſtigare in Euangelio, paſtoris, mercenarij, & furis. Cùm legeretur, puto quòd animaduertiſtis; deſignauit paſtorem, deſignauit mercenarium, deſignauit furem. Paſtorem dixit animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, & intrare per ianuam. Furem dixit & latronem aſcendere per aliam partem. Mercenarium dixit, lupum vel etiam furem, ſi videat, fugere; quia nõ eſt illi cura de ouibus, Mercenarius enim eſt, non paſtor. Ille intrat per ianuam, quia paſtor eſt; iſte aſcendit per aliam partem, quia fur eſt. Iſte videns eos qui volunt tollere oues, timet & fugit, quia mercenarius eſt, quia non eſt illi cura de ouibus; mercenarius eſt enim. Si inuenerimus tres iſtas perſonas, inuenit ſanctitas veſtra & quos diligatis, & quos toleretis, & quos caueatis. Diligendus eſt paſtor, tolerãdus eſt mercenarius, cauẽdus eſt latro. Sunt homines in Eccleſiâ de quibus dicit Apoſtolus, *Qui ex occaſione euangelizant,* quærẽtes ab hominibus commoda ſua, ſiue pecuniaria, ſiue honoris vel laudis humanæ. Quomodolibet volentes accipere munera euangelizant, & non tam ſalutem eius quærunt cui annuntiant, quàm commodum ſuum. Ille autem qui audit ſalutem ab eo qui non habet ſalutem, ſi ei crediderit quem ille annuntiat, neque in illo ſpem poſuerit, per quem illi annuntiatur ſalus: qui annuntiat, habebit detrimentum, cui annuntiatur, habebit lucrum.

Phil. 1. v. 17.

Beda.

Cap. 6.

Matth. 23. v. 2.

Al. *inſtitueret.*

Eph. 2. v. 14.

Habes Dominum dicentem de Phariſæis, *Cathedram Moyſi ſedent.* Nec eos ſolos ſignificabat Dominus: quaſi verò eos qui crederent in Chriſtum, ad Iudæorum ſcholam mitteret, vt ibi diſcerent quemadmodum iter eſt ad regnum cœlorum. Nonne ideo Dominus venit, vt inſtrueret Eccleſiam, ipſóſque Iudæos bene credentes & bene ſperantes, & bene diligentes ſegregaret tanquam frumenta à paleis, & faceret vnum parietem circumciſionis, cui coniungeretur alius paries ex præputio Gentium: quibus duobus parietibus de diuerſo venientibus eſſet ipſe lapis angularis? Nonne ergo idem Dominus de duabus iſtis plebibus in vno futuris dixit, *Habeo & alias oues, quæ non ſunt ex hoc ouili?* Loquebatur autem Iudæis: *Oportet me,* inquit, *& eas adducere, vt ſit vnus grex, & vnus paſtor.* Ideo duæ naues erant vnde vocauerat diſcipulos. Duas perſonas plebis ſignificabant quando miſerunt retia, & leuauerunt tantam vim & tantum numerum piſcium, vt penè retia rumperentur. *Et onerauerunt,* inquit, *duas naues.* Duæ naues ſignificabant vnam Eccleſiam, ſed de duabus plebibus factam, coniunctam in Chriſto, quamuis de diuerſo venientem. Hoc ſignificabant etiam duæ vxores, habentes vnum virum Iacob, Lia & Rachel. Has duas ſignificant etiam duo cæci, qui ſedebant iuxta viam, quos Dominus illuminauit. Et ſi aduertatis Scripturas, in multis locis inuenietis ſignificari duas Eccleſias, quæ non ſunt duæ, ſed vna. Ad hoc enim valet lapis angularis, vt ex duabus faciat vnam. Ad hoc valet ille paſtor, vt de duobus gregibus faciat vnum.

Ioan. 10. v. 16.

Vna ex Iudæis Gentibuſque Eccleſia.

Luc 5. v. 7.

Al. *duas ſpeſas plebes ſig.*

Gen. 29.

Matth 20. v. 30.

Scribæ & Phariſæi futuri in Eccleſiâ: Moſes Chriſti figura.

Ergo Dominus docturus Eccleſiam, & habiturus ſcholam ſuam præter Iudæos, ſicut videmus modò, nunquid credentes in ſe, ad Iudæos miſſurus erat vt diſcerent? Sed nomine Phariſæorum & Scribarum ſignificauit quoſdam in Eccleſiâ ſuâ futuros, qui dicerent, & non facerent: ſe autem figurauerat in perſonâ Moyſi. Etenim perſonam eius gerebat Moyſes, & velum ante ſe ideo ponebat, quando loquebatur populo: quia quandiu illi in lege carnalibus gaudijs & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamen poſitum erat contra faciem eorum, ne viderent Chriſtum in Scripturis. Ablato enim velamine, poſteaquam paſſus eſt Dominus, viſa ſunt ſecreta templi. Ideo cùm in cruce penderet, ſciſſum eſt velum templi à ſummo vſque deorſum: & apertè dicit Apoſtolus Paulus, *Cùm autem tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen: Qui autem non tranſierit ad Chriſtum,* quamuis legat Moyſen, *velamen poſitum eſt ſuper cor eius,* ſicut dicit Apoſtolus. Cum ergo præfiguraret quoſdam tales futuros Dominus in Eccleſiâ ſuâ, quid ait, *Scribæ & Phariſæi cathedram Moyſi ſedent; Quæ dicunt, facite; ſed quæ faciunt, facere nolite.*

Matth. 27. v. 51.

2. Cor. 3. v. 16.

Cap. 7.

Al. *ſi.*

Quando illud audiunt Clerici mali quod in ipſos dicitur, volunt peruertere. Nam audiui quoſdam peruertere velle iſtam ſententiam: Nunquid non ſi illis liceret, delerent illam de Euangelio? Quia verò delere eam non poſſunt, peruertere illam quærunt. Sed adeſt Domini gratia & miſericordia, nec ſinit eos facere, quia circumſepſit veritate ſuâ omnes ſententias ſuas & librauit: vt quiſquis inde aliquid præcidere voluerit: aut inducere malè legendo vel interpretando, ille qui cor habet, quod præciſum eſt iungat Scripturæ, & legat ſuperiora vel inferiora, & inueniet ſenſum quem volebat ille malè interpretari. Quid ergo putatis iſtos dicere de quibus dicitur, *Quæ dicunt, facite?* Quia reuerà à ſanis laïcis dicitur. Laïcus enim qui vult bene viuere, cùm attenderit Clericum malum, quid ſibi dicit? Dominus dixit, Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite. Ambulabo viam Domini, non ſequar iſtius mores. Audiam ab illo, non verba ipſius, ſed Dei. Sequar Deum, ſequatur ille cupiditatem ſuam. Quia ſi voluero apud Deum ſic me defendere, vt dicam, Domine, vidi malè viuentem illum Clericum tuum, & ideo malè vixi: nónne mihi dicturus eſt, Serue nequam, non à me audieras, Quæ dicunt, facite: quæ autem fa-

ciunt, facete nolite? Malus autem laïcus, infidelis, non pertinens ad gregem Christi, non pertinens ad frumentum Christi, qui tanquam palea toleratur, quid sibi dicit, quando cœperit illum arguere verbum Dei? Exi: quid ad me loqueris? Ipsi Episcopi, ipsi Cletici non illud faciunt, & me cogis, vt faciam? Quærit sibi non pattonum ad causam malam, sed comitem ad pœnam. Nam nunquam eum ille defensurus est in die iudicij, quemcunque malum voluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnetur: sic omnes qui sequuntur malos, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cœlorum. Quomodo ergo peruertunt isti hanc sententiam, quando illis dicitur malè viuentibus, Meritò dictum est à Domino, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite? Rectè dictum est, inquiunt. Dictum est enim vobis, vt quæ dicimus, faciatis: quæ autem nos facimus, vos non faciatis. Nos enim offerimus sacrificium; vobis non licet.

Insulsa Scripturæ expositio.

Cap. 8.

Videte versutias hominum. Quid dicam? mercenariorum? Nam si pastores essent, ista non dicerent. Ideo Dominus vt os illis clauderet, secutus est, & dixit, *Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt.* Quid est ergo, fratres? Si diceret de sacrificio offerendo; diceret, Dicunt & non faciunt: Faciunt enim sacrificium, Deo offerunt. Quid est quod dicunt, & non faciunt? audi quid sequatur: *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt ea super ceruices hominum, quæ ipsi vno digito nolunt tangere.* Apertè exprobrauit, descripsit, & ostendit. Sed illi quando sic volunt peruertere sententiam, ostendunt quia nihil quærunt in Ecclesiâ, nisi commoda sua, nec Euangelium legerunt. Si enim nossent ipsam paginam, & totum legissent, nunquam hoc dicere auderent. Sed apertiùs attendite, quia habet tales Ecclesia: Ne quis dicat nobis, Prorsus & Pharisæis dixit, de Scribis, de Iudæis dixit. Qui sunt ergo illi, de quibus Dominus dicit, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Et addidit, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus,* & in nomine tuo manducauimus & bibimus? Nunquid in nomine Christi, Iudæi faciunt ista? Certum est, manifestum est, quia de his qui nomen Christi habent. Sed quid sequitur? *Tunc dicam illis, Nunquam noui vos. Recedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Audi Apostolum gementem de talibus. Dicit alios annuntiare Euangelium per charitatem, alios per occasionem. De quibus dicit, *Annuntiant Euangelium, non rectè.* Rem rectam, sed ipsi non recti. Quod annuntiant, rectum est: sed qui annuntiant, non sunt recti. Quare non est rectus? Quia aliud quærit in Ecclesiâ, non Deum quærit. Si Deum quæreret, castus esset; quia legitimum maritum anima Deum habet. Quisquis à Deo aliquid præter Deum quærit, non castè Deum quærit. Videte, fratres, si vxor amet maritum quia diues est, non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat. Si enim propterea amat, quia diues est, quid si (quomodo sunt casus humani) proscribatur, & subitò egens remaneat? Renuntiat illi forte: quia quod amabat non maritus erat, sed res eius. Si autem verè maritum amat, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordiâ amat.

In Ecclesiâ Scribæ & Pharisæi.

Matth. 7. v. 21.

Mercenarii à Christo repudiandi.

Phil. 1. v. 16.

Christus nō rectè annūtiatus.

Cor castū.

Cap. 9.

Deus nunquam pauper: solus tamen ipse amandus est.

Et tamen, fratres, Deus noster nunquam pauper esse potest. Diues est, ipse fecit omnia, cœlum & terram, mare & Angelos. Quicquid videmus, quicquid non videmus in cœlo, ipse fecit. tamen non diuitias amare debemus, sed eum qui fecit illas: Non enim tibi promisit nisi se. Inueni aliquid pretiosius, & hoc tibi dabit. Pulchra est terra, cœlum, & Angeli: sed pulchrior est qui fecit hæc. Qui ergo annuntiant Deum, amantes Deum; qui annuntiant Deum propter Deum, pascunt oues, & non sunt mercenarij. Ipsam castitatem exigebat ab animâ Dominus noster Iesus Christus, quando dicebat Petro, *Petre, amas me?* Quid est, Amas me? Castus es? Non est cor tuum adulterum? Non tua quæris in Ecclesiâ, non mea? Si ergo talis es, & amas me, pasce oues meas. Non enim eris mercenarius, sed pastor. Illi autem non castè annuntiabant, de quibus gemit Apostolus. Sed quid dicit? *Quid enim? Dum omni modo siue occasione, siue veritate Christus annuntietur:* permisit ergo esse mercenarios. Pastor veritate Christum annuntiat, mercenarius occasione Christum annuntiat, aliud quærens. Tamen & ille Christum annuntiat, & ille Christum. Audi vocem pastoris Pauli, *Siue occasione, siue veritate Christus annuntiatur.* Ipse pastor voluit habere mercenarium. Faciunt enim vbi possunt: vtiles sunt quantum possunt. Quando autem ad alius vsus, quærebat Apostolus, cuius vias imitarentur infirmi, *Misi vobis,* inquit, *Timotheum, qui vos commonefaciat vias meas.* Et quid ait? Misi pastorem qui vos commemoret vias meas: id est, quia quomodo ego ambulo, & ipse ambulat. Et mittens Pastorem quid ait? *Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincerâ affectione pro vobis solicitus sit.* Nonne cum illo erant multi? Sed quid sequitur? *Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi:* id est, Ego vobis pastorem mittere volui; nam multi mercenarij sunt: sed non oportebat vt mercenarius mitteretur. Ad alias res & negotia peragenda mittitur mercenarius: ad illas autem quas tunc volebat Paulus, pastor erat necessarius. Et vix inuenit vnum pastorē inter multos mercenarios: quia pauci pastores, multi mercenarij. Sed quid dicitur de mercenarijs, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* De pastore autem quid ait Apostolus? *Quisquis autem mundauerit se ab huiusmodi, vas erit in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum semper.* Non ad quasdam res paratum, sed, *ad omne bonum opus paratum.* Hæc de pastoribus dixit.

Ioan. 21. v. 15.

Petri castitas cordis.

Phil. 1. v. 18.

Phil. 2. v. 19.

Pastores pauci; mercenarii multi.

Matth. 6. v. 2.

2. Tim. 2. v. 21.

Cap. 10.

Mercenarii

De mercenarijs autem iam dicemus. Mercenarius quando videt lupum insidiantem ouibus, fugit. Hoc Dominus dixit. Quare? *Quia non est ei cura de ouibus.* Tandiu ergo est vtilis mercenarius, quandiu non videt lupum & latronem. Cùm autem viderit, fugit. Et quis est de mercenarijs qui non fugit de Ecclesiâ, quando videt lupum & latronem? Abundant lupi, abundant latrones. Ipsi sunt qui ascendunt; per alteram partem ascendunt. Qui sunt isti qui ascendunt? Qui de parte Donati volunt deprædari oues Christi. Ipsi non sunt humiles. Quia superbi sunt, ascendunt. Quid est, Ascendunt? Extolluntur. Vnde ascendunt? Per alteram partem: Vnde de

Lupi & latrones Donatistę aliūde ascendētes.

parte dici voluot. Qui in veritate non sunt, de A alterâ parte sunt, & de ipsâ parte ascendunt; id est, extolluntur, & volunt tollere oues. Quomodo ascendunt, videte. Nos, inquiunt, sanctificamus, nos iustificamus, nos facimus iustos. Ecce quò ascenderunt. Sed *qui se exaltat, humiliabitur.* Potens est Dominus Deus noster humiliare eos. Lupus autem diabolus est: insidiatur vt decipiat, & qui illum sequuntur; oam dictum est, quòd *sint induti quidem pellibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Si viderit mercenarius aliquem peccare, aut sentire secundum perniciem animæ suæ, aut aliquid facere sceleratum & obscœnum, & tamen tacet, quia videtur habere alicuius momenti personam in Ecclesiâ, vnde sibi sperat commoda, non reprehendit, mer- B cenarius est. Et cùm videt hominem perire in peccato, videt illum sequi lupum, videt illius guttur trahi morsu ad supplicium: non illi dicit, Peccas, non illum obiurgat, ne perdat commoda sua. Hoc est ergo, cùm viderit lupum, fugit: non illi dicit, Scelerate facis. Noo corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo, cùm vider peccatorem, & non dicit illi, Peccas, cùm etiam consilium cum illo habet.

Luc 14.v.11.

Matth.7.v.15.

Mercenarii fuga animo.

Cap. 11.

Fratres mei, nunquid non ascendit aliquando aut Presbyter, aut Episcopus: & non dicit aliud de superiori loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur? Non possunt dicere aliud, qui cathedram Moysi sedent, & ipsa loquitur de illis, oon ipsi. Quid est ergo, C *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Et, *Omnis arbor ex fructu cognoscitur.* Pharisæus potest bona loqui: Pharisæos spina est. Quomodo de spinâ lego vuam? quia tu Domine dixisti, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* De spinis iubes me vuam decerpere, cùm dixeris, *Nunquid colligunt de spinis vuam?* Respondit tibi Deus, Non iussi te de spinis vuam legere: sed vide, & attende bene, ne fortè, vt fieri solet, vitis dum circuierit per terram, inuoluta sit spinis. Nam aliquando inuenimus illud, D fratres mei, vitem positam super pariecem, quia ibi haber sepem spinosam, & extendit palmites suos, & inserit in sepem. Extendit in spinas botros, & qui videt botruos, carpit, non tam de spinis quàm de vite, quæ circunplexa est spinis. Sic ergo illi spinosi sunt, sed sedendo in cathedrâ Moysi, inuoluit eos vitis, & peodent ad eos botri, id est, verba bona, & bona præcepta. Tu lege vuam; noo te pungit spina, quando legis. *Quæ dicunt, facite: sed quæ faciunt, nolite facere.* Pungit autem te spina, si quod faciunt, facis. Vt ergo legas vuam, & non inhæreas spinis, quæ dicuut, facere debetis: sed quæ fa- E ciunt, nolite facere. Facta ipsorum, spinæ sunt; verba ipsorum, vua est: sed de vite, id est, de cathedrâ Moysi. Fugiunt ergo isti quando vident lupum, quando videor latrooem. Hoc autem cœperam dicere, quia de loco superiore non possunt dicere isti nisi Bene facite. Nolite periurare, nolite fraudare, nolite aliquem circunuenire. Aliquando autem sic viuunt, vt de tollendâ villâ alienâ, cum Episcopo consilium habeator, & petatur ab Episcopo consilium. Aliquando nobis contigit; & experti dicimus: Nam non crederemus. Multi à nobis consilia mala petunt, coosilia mentiendi, circunueniendi: putantes quia placent nobis. Sed in nomine Christi, si Domino placeet quod dicimus, nullus talis nos tentauit, & inuenit quod volebat in nobis. Quia si vult ipse qui nos vocauit, Pastores sumus, oon mercenarij. Sed quid ait Apostolus? *Mihi minimum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque ego meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est.* Non ideo bona est conscientia mea, quia vos illam laudatis. Quid enim laudatis, quod non videtis? Ille laudet, qui videt; ille etiam corrigat, si quid ibi videt quod eius oculos offendit: quia & nos oon dicimus perfectè sanos, sed tundimus pectus nostrum, & dicimus Deo, Propitius esto, ne peccem. Tamen puto (coram illo enim loquor) nihil aliud io vobis quærens, nisi salutem vestram: & gemimus plerúnque in peccato fratrum nostrorum, & vim patimur & torquemur animo, & aliquando corripimus illos: imò nunquam non corripimus. Testes sunt omnes qui recordantur quod dico, quoties sunt à nobis correpti fratres peccantes, & vehementer correpti.

Mercenarii fuga animo.

Al. Vua in spinis

A Paschate.

Al. *vitis circungyrat.*

Vua in spinis, non de spinis.

Al. *& pendet inter spinas botrus.*

Al. *illud.*

1. Cor. 4. v. 3.

Beda.

Cap. 12.

Modò consilium nostrum tracto cum sanctitate vestrâ. In nomine Christi plebs Dei estis, plebs catholica estis, membra Christi estis. Non estis diuisi ab vnitate. Communicaris membris Apostolorum, communicaris memoriis sanctorum Martyrom, diffusorum per orbem terrarum, & pertioeris ad curam nostram, vt ratiooem bonam de vobis reddamus. Tota autem ratio nostra quæ est, scins. Domine scis, quia dixi, scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia fleui tibi, cùm dicerem, & non audiret. Ipsa puro quod integra ratio nostra est. Securos enim nos fecit Spiritus sanctus per Ezechielem Prophetam. Nostis enim ipsam lectionem de speculatore: *Fili, ait, hominis, speculatorem posui te domus Israel. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris*: hoc est, Ego enim tibi dico, vt dicas: *si non annuntiaueris, veneritque gladius, & tulerit eum*: id est, quod minatus sum peccatori: *ille quidem impius, in impietate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tuâ* speculatoris *requiram.* Quare? Quia non dixit. *Si autem speculator viderit gladium venientem, & cecinerit tubâ, vt fugiat, & non se obseruauerit*, id est, non se correxerit, vt non eum ioueniat in supplicio, quod minatot Deus, *veneritque gladius, & tulerit aliquem, ille quidem impius in iniquitate suâ mortuus est: Tu autem*, inquit, *animam tuam liberasti.* Et in illo loco Euangelij quid aliud dicit seruo, cùm diceret, *Domine, sciebam te molestum esse sine durum hominem, quia metis vbi non seminasti, & colligis vbi non sparsisti; & timens abij, & abscondi talentum tuum in terrâ: ecce habes quod tuum est?* Et ille, *Serue*, inquit, *nequam & piger, magis quia me sciebas molestum & durum esse, metere vbi non seminaui, & colligere vbi non sparsi;* ipsa auaritia mea debuit te docere, quia lucrum quæro de pecuniâ meâ. *Oportuit te ergo vt dares pecuniam meam nummularijs, & ego veniens cum vsuris exegissem quod meum est.* Nunquit dixit, Dares, & exigeres? Nos ergo, fratres, damus; veniet ille qui exigat. Orate, vt paratos vos inueniat.

Pastoris ratio apud Deum.

Ezech. 33. v. 2.

Matth. 25 v. 24.

Luc. 19. v. 22

SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, *Euangelij eiusdem expositio.*

F. Francisci Combefis Interprete.

Ioan.10.v.1. A*Men, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, &c.* Non satis accuratè rem expendentibus videri possit huius parabolæ sermo parum opportunè inuectus. (Ordo istorū ad præcedētia de cæco & illuminatione.) Cùm enim de cæcitate, ac visus recuperatione dissereret, statim de ouibus, & caulâ, atque ostio sermonem mouet. Sed qui prudenti animo est, studétque diligentiùs altiores sensus percipere, is rursus rectâ procedentem doctrinam, nihilque à decoro aberrantem, perspiciet. Quod autem sæpenumero dixi, iterum & dicam. Moris est Saluatori Christo, cùm ad eum aliqui accedant, non ad solum verborum sonum respondere: sed quoniam scrutatur renes & corda, ad nudas ipsas eorum animi commentationes, ac cogitatus, quod (Psal.7.v.10.) ita respondet, componere. *Sunt enim omnia ei nuda & aperta; nec vlla creatura est inuisibilis in conspectu eius.* (Hebr.4.v.13.) Propterea & ad vnum è Sanctis ait, *Quis est qui celat me consilium; cohibens autem verba in corde, ac me celare putat?* (Iob.42.v.3.) Quia igitur Pharisæorum profanus cuneus, malignè quærebat, vti modò dicebamus, num & ipsi cæci essent, vt si verè cæcos diceret, iterum condemnaretur, velut qui Magistratibus ac populi Principibus conuiciatus esset (immane enim quantum eo nomine superbiebant) (Ioan.9.v.40.) necessariò Dominus noster Iesus Christus illi eorum cogitationi pugnans, infert commodè parabolam, obscurius fere, ac velut ambagibus innuens, non fore illis firmum ac stabilem quem iniuriâ inuadant principatum; sed nec illis constare posse tutam dignitatem, qui eius datorem Deum ex superbiâ spernant, probríque afficiant: docet verò hoc solis illis affuturum, quos ipse ad populorum præfecturam vocauerit. (Dominus ipse ostium quò intrent Ecclesiarum præsides, non fures, ac latrones.) Itaque seipsum ostium esse dicit, qui suo consilio ouibus ratione vtentibus eum præficiat, qui regendi solertiâ polleat, ac religiosâ mente præniteat. Furem autem & latronem, atque aliunde ascendentem, vocat, qui per vim ac tyrannidem non datum sibi honorem posse se arripere putat; cuiusmodi erant, de quibus per vnum è Prophetis ait, *Regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non per Spiritum meum.* (Ose 8.v.4.) Quibus significat, siquidem illos regendorum populorum cupiditas incessat, ita demum iis conitendum si fidem susceperint, ac diuinam prædicationem amplexi sint, quò deinceps etiam firmum probéque stabilem principatum obtineant, quod & factum est tum in sanctis Apostolis, tum in sanctarum Ecclesiarum, qui illos exceperunt, Magistris: quibus etiam ostiarius aperit; vel scilicet Angelus Ecclesiarum præses, ipsque adiutor, qui sacerdotium, populorum vtilitatibus dediti, nacti sunt, vel rursus ipse Saluator, ipse tam ostium, tam ostij arbiter. (Ostiarius, Angelus præses, & Christus.) Obedire verò pastoris voci ouium gregem planè asseuerat, detrectare verò ac quàm diligenter deuitare alienorum vocem; vtque rem veram intelligas, eo quod generaltus sit, sermonis vim dilatat. Docemus enim in Ecclesiis, quæ diuinis tradita Scripturis sunt, afferentes dogmata, ac ceu spiritalem quandam escam, Euangelicam pariter ac

A Apostolicam doctrinam apponentes. Audiunt verò talia credentes in Christum, ac qui rectâ ac incorruptâ fide coruscant. Falsorum verò pastorum voces repudiant, ac ceu exitiosam labem malumque auersantur. Quid igitur inde, dicet quispiam, intelligendum Pharisæis præstatur? Paucis ego ac summatim comprehendam. Seipsum designat, tum caulæ herum, tum ianitorem, ac ostij arbitrum; vt planè nouerint, haud se firmum ac stabilem principatum habituros, nisi ad eum adeuntes, diuino munere concessum bonum habuerint. Quòd autem adiecit, obedire oues suis pastoribus, ab alienis verò resilire, ingeniosè rursus subindicat, eos nequaquam B præsides futuros iis, qui in ipsum credituri sint; contrà verò fore, vt illi ab eorum doctrinâ refugiant, atque ab ipso datis pastoribus adhæreant.

Hoc prouerbium dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt. (V.6.) Simplex est Sanctorum sermo, cultúsque ac curiositatis Græcanicæ expers. *Elegit enim Deus quæ stulta sunt mundi*, inquit Paulus, *vt confundat sapientes.* (1.Cor.1.v.27.) Abusus est autem prouerbij nomine: sic enim vocat parabolam; forte quòd eorum semper velut commixtus character, ac vtrinque tanquam vno res significata intelligatur. Cæterùm illud dicimus, diuinum Euangelistam magnopere admirari Iudæorum stuporem, ac dementiam. Teste namque rerum C ipsâ experientiâ, nihil ij aliter ac saxa, aut ferrum comparati animis erant; quippe qui nullam prorsus salutarium auditionum admittebant. Idcirco etiam Iöëlis ad eos Prophetæ voce dictum est, *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* (Ioel.2.v.13.) Rursus verò mihi videtur libri scriptor haud inscitè istud dixisse, *Hanc parabolam dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis*; at certâ quadam emphasi ita exclamans. Idem enim est, ac si diceret, Tantum abest vt eorum aliquid quæ necessaria sunt intelligere valeant Pharisæi, licet opinione sapientiæ oppidò inflati, vt nec istam parabolam intellexerint, tam alioqui perspicuam ac dilucidam, in quâ D difficile nihil est aut flexuosum: eáque ratione comprehensionis mentis incommodum. Scitè verò Iudaicam irridet amentiam, qui nihil Christum ducebant, quamuis doceret quæ lege superiora erant, ac multò quàm Moses gratiorem adhiberet doctrinam.

Dixit ei Iesus, Amen dico vobis, Ego sum ostium ouium. (V.7.) Nouerat sanè, vtpote Deus per naturam, ac cui ipsa imo corde pressa conspecta erant, Pharisæos etsi intolerabili fastu, pro legis peritiâ, ac sapientiæ opinione inflatos, eorum quæ dicerentur, nihil intellexisse. Idcirco rem eis manifestissimè exponit, dictáque prolixiori E sermone velut ruminans, atque remandens, paucis admodum quò spectet parœmia exponit. Cùm enim bonus sit naturâ, etiam immerentes, quasi manu ad cognitionem ducit, si quid tandem inde eis vtilitatis affulserit. Se verò apertè ouium ostium esse profitetur, docens nimirum rem cunctis compertam. Per solam enim fidem quæ in ipsum est, prouehimur ad Dei necessitudinem. Cuius rei testis ipse est, dicens, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* (Ioan.14.v.6.) Vel igitur tale quidpiam vult significare; vel, quod sensibus traditis magis congruit, explanat rursus nos per eum ad principatum, & ad greges ratione vtentes moderandos venire, iuxta id quod dictum à Paulo est, *Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed* (Hebr.5.v.4.)

qui vocatur à Deo. Ac ſanè nullus Prophetarum ſeipſum elegit, ac deſignauit: ſed neque clarus ille ac magnus Apoſtolorum chorus ad id ſe muneris vocaſſe comperietur. Electus enim eſt per voluntatem Chriſti, qui ex nomine, atque ſingulos ad Apoſtolatum vocauit, quemadmodum in præſenti parœmiâ dicit. Scimus enim quo pacto in Matthæi Euangelio certo quodam ordine Apoſtolorum poſita nomina ſint, tumque ſubiunctus ſit deſignationis modus. Hos enim inquit, *duodecim deſignauit* Saluator, *quos & Apoſtolos nominauit.* Phariſæum igitur imperandi libidine prurientem, atque principatûs re pariter atque nomine haud mediocriter deſiderio accenſum, commodè docet, eſſe ſe principatus datorem, ac qui facilè eò perducere poſſit. Cùm enim ſacræ ac diuinæ caulæ oſtium ſit, admittet idoneum & merentem; ei autem qui non ſit eiuſmodi, aditum ad interiora intercludet.

Luc. 6. v. 13. vt ſit lapſus memoriæ. Vox etiam ἀπόςολοι de 72. dicta: de Apoſtolis. ἐν ἀκρῷ ... (margin)

B

V. 8.

Omnes quotquot venerunt ante me, *fures ſunt & latrones:* &c. Vndequaque cicurare volens, ac delinire efferam Phariſæorum mentem, atque ad ſapientem rationem traducere, nititur oſtendere rem eſſe inutilem, ac periculoſæ plenam aleæ, velle præeſſe, non cœlitùs ad id electos, nec diuinâ voluntate, ſed humanâ arrogantiâ, etiam inuito largitore arbitrantes ſacri ſe principatus compotes fore. Quare eſſe ſe oſtium clarè prolocutus, tanquam qui ſolus idoneos admoueat rerum gubernaculis, proponit e veſtigio antiquiorum inolitiones: vt quaſi depictam in tabellâ videntes totius rei ſeriem ac euentum, iam manifeſtè intelligant, poteſtatem præſidendi gregibus ac populis, non ab audaciâ tyrannicâ, ſed à Numinis gratiâ petendam eſſe. Commodè igitur etiam hic loci ait, ad refricandam vetuſtiorum memoriam, *Omnes quotquot venerunt fures ſunt, & latrones: ſed non audierunt eos oues.* Prodierunt quippe nonnulli in medium, qui proborum paſtorum officium, ac partes ſimularent: quòd tamen non ſuppeteret qui & imperium iis ſubdidiſſet, & à ſubditis obſequium præſtaret, ouium multitudo ab eis reſiliuit. Nullo tamen modo ſuſpicari conuenit, eò quòd *omnes* dicat, ſanctorum Prophetarum miſſioni, Saluatorem noſtrum Chriſtum detrahere. Non enim de illis, ſed de aliis illi ſermo eſt. Nam quia de falſis paſtoribus, ac aliunde in caulas inuadentibus orationem inſtitueiat, cen iam liquidò declarato quos illa attingeret, ſic *omnes* dicit, vt explodere eum ſanctos Prophetas ac abdicare nulla ſuſpicio ſit. Qui enim abdicaſſet, iisque detraxiſſet, quibus internuntiis aduentus ſui manifeſtas ſignificationes dediſſet? Qui nempe ait, *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum.* Qui ad Ieremiam dixit, *Noli dicere quia iunior ſum; quoniam ad omnes, ad quos miſero te, ibis: & iuxta omnia quæ mandauero tibi, loqueris.* Et ad beatum Ezechiel, *Fili hominis, mittam ego te ad domum Iſraël, exacerbantes me.* Igitur non pertinet ſermo ad cœtum ſanctorum Prophetarum: ſed magis ad eos ſpectat, qui aliquando in Iudæâ prophetias fingebant, ac ſe à Deo miſſos venire mentiebantur, atque populo auctores erant, ne tam Prophetis miſſis à Deo, quàm ſuis ipſorum commentis, ac ſermonibus obſequerentur: de quibus ait quodam loco & ipſe vniuerſorum Dominus ac Deus, *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non locutus eram ad eos, & ipſi prophetabant.* Et ad beatum Ieremiam, *Falſa Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non miſi eos, & non ſum locutus ad eos, & non mandaui eis, quia viſiones, & omnia, & prophetias cordis ſui ipſi prophetant vobis. Si Prophetæ ſunt, & ſi eſt verbum Domini in eis, occurrant mihi. Quid palea ad triticum?* Qui enim verè à Deo ſermo procedit, vim alendi maximam habet, ac *confirmat cor hominis*, vti diuino ſcriptum oraculo eſt: profanorum autem vatum, ſeu falſorum doctorum ſummè fragilis, ac paleæ ſimillimus cùm ſit, auditoribus nihil commodi parit. Cùm ergo fures nuncupat & latrones, eos, qui aduentum ſuum præceſſerunt, vel multitudinem eorum, quos modò diximus, fallacem mẽdacemq; denotat: aut certè vim ſermonis transferas licet in eos, de quibus ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum. Magiſtratus enim Iudæorum aliquando coactis ſanctis Apoſtolis, ac impio ſuo concilio adhibitis, vrbe eos eiicere, atque extrema eis inferre ſupplicia deliberabant. At Gamaliel falſos eis doctores in memoriam reuocauit, dicens. *Viri Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theudas dicens ſe eſſe aliquem, cui adhæſerunt viri numero circiter quadringenti, qui occiſus eſt. Et omnes qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit Iudas Galilæus in diebus cenſus, & auertit populum poſt ſe: & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei diſperſi ſunt.* Ex quibus certum & indubitatum relinquitur, non de ſanctis Prophetis, ſed de aliis qui in aliâ claſſe ſint, hæc Chriſtum loqui: vt velint nolint Phariſæis perſuadeat, haud propriâ temeritate ac arrogantiâ, inuito etiam Deo, populorum quærendam præfecturam, ſibique arrogandam, ſed omnium arbitrium diuinæ voluntati eſſe permittendum, ac enitendum vt per verum oſtium potiùs ingrediantur, quàm prædonum more hoc ſatagere vt aliunde in gregem ouium aſcendere moliantur.

Oſe. 12. v. 10

Ier. 1. v. 7.

E

Ezech. 2. v. 3

Ier. 23. v. 21. & 17. v. 15.

A

& 23. v. 28

Pſ. 103. v. 16.

B

Act. 5 v. 35.

C

Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Ex eo quod vſu venire ſolet, ad ſpiritalem contemplationem, velut hiſtoriâ ob oculos poſitâ, ſermonis characterem componit: ex quâ iis quæ ſunt notiora, atque omnium oculis expoſita, nec ad comprehendendũ ardua, obſcuriorum ſimulacrum ducit. Fures enim, inquit, & latrones, in ſtabula ouium audacter irrumpentes, per oſtium minimè introeunt, ſed aliunde inuadentes, ac caulæ ſeptum tranſilientes, rem aleæ plenam moliuntur. Fiat namque vt ſic furans, ac ſpontè ad ſcelus animatus, capiatur: qui verò per ipſum oſtium intrant, longè ſunt ab eo diſcrimine, qui nimirum viri ſint non obſcuri, ſed nec ouium domino ignoti. Intrant ſiquidem aperiente illis qui oſtio præfectus eſt. Tales itaque, inquit, liberè admodum cum ouibus verſabuntur, quippe qui legitimè, nullâque maleficij aut furti ſuſpicione ingreſſi ſint. Et hæc quidem hiſtoriæ ratio. Cuius ſenſum ad ſpiritalem vtilitatem traducentes dicimus, eos, qui Dei iniuſſu, nec ex eius ſententiâ ad regendos populos aſcendunt, perinde ac qui per oſtium ingredi recuſent, omninò vtique eſſe perituros: qui ſcilicet, quod ad eorum ſpectat audaciam, atque conatum, diuino vim iudicio inferant. Qui verò diuinitus ſibi conceſſa gubernacula ſuſceperunt, atque ad ea ſuſcipienda per Chriſtum venirunt, ſummâ cum auctoritate atque gratiâ ſacro præ-

D

V. 9.

runt ouili, adeò nulli inde iræ, & offensioni ob- A noxii, vt eos potiùs inde honores maneant, ac coronas breui venturas expectent; quibus oon perniciem ouibus, sed vtilitatem potius afferte consilium sit, atque vt gregis dominum demerentes, subditornm incolumitati perpetuò studeant. Qun his etiam Dominus dutiutes Pharisæos graui metu percellit, minimè salutem consecuturos dicens, ac quo polleant, principatum omninò amissuros; ac sanè meritò, quippe nou Dei munere, sed suâ improbitate ac malitiâ ratum sibi fore illum arbittatos. Enimuerò hoc ipso oomine admirari subit omni maiorem comparatione Saluatoris bulnaoitatem. Misericors enim profectò ac benignus est Domious, qui cunctis salutis iter proponat, multisque modis etiam admo- B dum contumaces, ac dutos ad illud inuitet. Suppetet verò rursus ex re ipsâ mihi probatio. Nam cùm neque miraculis, neque desiderio æternorum, atque gloriæ expectatiooe Pharisæum ad suscipiendam doctrinam suam permoueat, ad illud acritet cootendit, in quo cunsentaneum est maximè turbatos Pharisæos tanquam ab ineluctabili necessitate ad obsequium deinceps animis esse incltoaturos. Sciens enim eos imperandi gloriam ardenter expetere, oec parum inde sibi lucri proponere, eâ spoliandos ait, ac qui magno bonore potiantur, omniuò desolatos spretosque fore, idque quamprimùm, nisi citiùs ad parendum coouersi, veniam ab eo ac misericordiam coosequantur. C

Domini impensior misericordia, quâ Pharisæis comminatur.

V. 10.

Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat: &c. Cùm se ostium Saluator noster Iesus Christus diceret, ac penes se arbitrium doceret, vt quos vellet introduceret, ac rursus qui minùs idooeus esset, foris manere sineret, quique item pascendi imperitos arceret: cumque adeò eoam lattones, ac fures eos appellasset, qui se vltrò ad gratiam obtrudant quam minimè cœlitùs coosecuti sint; cogitabant rursus miseri Pharisæi, quisnam iste foret tantæ libertatis homo, illis fortè ipsis computaodus qoorum aduentum culparet. Eteoim falsum ipsum pasto- D rem, falsùmque doctorem existimabant, vt suâ ipsius designatum voluntate, non qui Deus existens homo factus esset iuxta diuinæ Scripturæ antiquissimam prædicationem: fitque vero simile, veram quoque de illo notitiam cùm collegissent, ceu molestum onus suâ illos incredulitate à se eam reiicere: Cùm itaque hæc illos cogitantes, seu etiam alios aliis susurrantes cognouisset, oon expectato vt se illi apertiùs incessant, conuenienti ratiooe respondet, ex ipsis disquirendum operibus, atque censendum, quisnam sit pastor, quisnam verò fur: oec illud quidem ad iudicium difficilè ait, dum quis vtriusque finem, E atque indolem circunspicere velit. Nam fur, ioquit, ad perniciem ouium venit, cùm furandi cupiditas baud dubiè talem euentom babeat: at verò bonus reipsâ pastor, nullum illaturus damnum ad ouium caulam accedet, sed vt potiùs quod iis conducibile, impleat ac præstet; si quid denique maiorem io modum ipsis commodum fore iotellexerit, id verò omni diligentiâ ac conatu efficiat. Veniat ergo tanquam ab alio simulacro ad id quod veritate firmius est vis orationis, videátque rursus Pharisæos, quidnam tunc falsi pastores,

atque doctores abs se deceptis præstiterint, quámque Christus daturus, seu ad quam oos prouecturus felicitatem venerit. Igitur quibus nulla vnquam fuit religio falsa loqui, qui se à Deo missos commenti sunt, prophetantes, sicuti scriptum est, ex corde suo, & uoo ex ore Domini; cúmque his pariter Theudas ille, ac Iudas Galilæus, qui populum post se ad defectionem traxeruot, cum iis quos seduxerant, perierunt. Ad Domious noster Iesus Christus, ex summo in nos amore, vitam nobis conciliaturus aduenit. Quorum autem aduentus tum scopus, tum modus tantopere distant, quomodò non etiam mens atque institutum planè dissentiant? Igitur ex rerum qualitate probandum ait, quinam illi fuerint, ac qoisnā rursus sit ipse. Sic enim persuaderi poterat, ne quid absonum de eo sentirent, cùm alioqui vnum è falsis pastoribus, ac qui aliunde in caulam ouium ascenderunt, ipsum existimarent: quin potiùs venisse Christum ostium, & admissorem, atque pastorem, non eò duntaxat vt oues vitam habeant, sed vt etiam amplius aliquid obtineant. Præterquam enim quòd credentes in ipsum instauratâ vitâ gaudeant, haud dubiâ spe fulciuntur, omni se bonorum genere cumulandos esse. Sit verò consentaneum, istud eum vitâ quoque ipsâ abundantius, hoc est, amplius, seu præstantius, perfectissimam Spiritus participationem dicere, quanquam obuolutè admodum atque obscurè. Quippe resurrectio, Sanctis pariter ac peccatoribus communis est. Resurgent enim mortui, & qui in monumentis sunt excitabuntur, ac lætabantur qui in terrâ sunt, pro eo ac verissimè Saluator pollicitus est. At Spiritu sancto impartiri, nequaqoam omnibus commune est, sed præter vitam abundans quid, ac ceu cumulus, maiorque appendis eius quod omnibus inerit, solis iis eroganda qui per fidem in Christum iustificati fuerint. Spiritus verò illam impartitionem etiam regnum cœlorum Scriptura vocare consueuit. Sed & diuinus Apostolus id oobis significat, dicens, *Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissimâ tubâ: canet enim tubâ, & mortui in Christo resurgent incorrupti: & nos immutabimur.* Omnes quidem ex mortuis suscitabuntur, quòd resurrectionis gratia omni naturæ concessa sit, atque in vno Christo, qui à principio, ac primus mortis imperium euertit, & in vitam perpetuam suscitatus est; communis scilicet humanæ naturæ ratio ac norma ad incorruptiooem reformata, sicut io Adam voo illo ac primo ad mortem ac corruptionem damnata. Magnum tamen erit tunc resurgentium discrimen. Qui enim in fide Christi requieuerint, ac quandiu in corpore viuunt Spiritus arrhabonem consecuti fuerint, perfectissimam illam gratiam nanciscentur, ac immutabuntur, ad eam cuius auctor Deus est, euecti claritatem. Qui autem non crediderint Filio, ac tam illustrem mercedem pro nihilo duxerint, redarguentur, ac solum hoc muneris consecuti, vt pari cum reliquis sorte vitæ repareotur, prolixæ adeò iocredulitatis ac contumaciæ pœnas dabunt. Ibuot enim ad inferos supplicio afficiendi, nec quicquam illos sera pœnitentia iuuabit. *Erit enim ibi fletus, & stridor dentium.*

Fur & pastor quantis distinguātur.

Ier. 14. v. 14.

Act. 5. v. 35.

1. Cor. 15. v. 52.

Ioan. 5. v. 28

1. Cor. 15. v. v. 51.

κοιμηθησόμεθα quod perinde Rabens Vulgata Græca: licèt in nouus Interp. *resurgemus.* Quid enim etsi Vulgatus noster habeat? cui in reliquis consentit Cyrillus, immutatione iustis prædestinatis solis afferta.

Matth. 8. v. 12. &c.

FERIA IV. QVATVOR TEMPORVM PENTECOSTES.

IOAN. VI.



N illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum, Nemo potest
a Credere in me, nisi gratia eum præuenerit, nisi Pater ei reuelauerit, quæ reuelatio est attractio.
[a] venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego
resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis:
b Qui facilè doceantur à Deo. Quod non Iudæi. c Quod est trahi à Patre.
Et erunt omnes [b] docibiles Dei. Omnis qui [c] audiuit à Patre
& didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam,
nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vo-
d Qui pasco donec pastor iungam vitæ.
bis, qui credit in [d] me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri
e Non morte carnali communi cum Moyse & aliis, sed morte spirituali. f Id est, in hoc loco panis: vel demonstratiuè dicit. f Quem manna significauit.
manducauerunt manna in deserto, & [e] mortui sunt. Hic est panis de cœlo descen-
f Intus in corde intelligendo & amando. g Spiritu. h Et ideo viuus, quia de cœlo descendi.
dens, vt si quis ex ipso manducauerit, non [f] moriatur. Ego sum [g] panis [h] viuus, qui
i Non tantùm in præsenti per iustitiam.
de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, [i] viuet in æternum. Et panis
quem ego dabo caro mea est, pro mundi vitâ.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.



Ioan. 6. v. 44. Math. 11. v. 27. *EMO potest venire ad me.* Alibi dicitur: *Nemo cognoscit Patrem nisi per Filium*, quod contrarium videtur huic dicto, *Nemo potest venire ad me.* Sed non est, quia Pater reuelat, trahit, &c. per Filium. *Nisi Pater.* Illum Pater trahit ad Filium, qui ideo credit in Filium, quia cogitat Patrem
Dei tractio amore. eius esse Deum, id est, qui credit æqualem Patri Genitum. Tractatio hæc non est violentiæ, nec necessitatis, nec est inuiti: sed voluntatis & desi- B
Virgilius. derij. Vnde dicitur: *Trahit vnumquemque sua voluptas.* Si ergo in his in quibus non est vera dilectio, trahitur homo amore, & desiderio, quantò magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui Pater reuelat Panem qui est vita & beatitudo & omne bonum? In quo commendatur magna gratia.

Et ego resuscitabo. Ego æqualis Patri faciam eum videre quod credit, manducare quod esurit, habere quod amauit & desiderauit: quod non potest esse in præsenti, vbi tantùm trahitur.

Est scriptum. Verè nemo venit ad me nisi Pater docuerit, quia ita testantur prophetiæ. Om- C nes homines regni illius, id est, Christianæ fidei, erunt docibiles Dei: quia & si homines foris loquuntur, tamen Deus solus intus sensum aperit, intus instruit veritatis cognitione & amore: ita quicunque audit & discit à Patre, venit ad me. Et ne quis excuset se, dicens, Nunquam vidi Patrem, quomodo disco ab eo? Subdit ratio quia Pater inuisibilis sit alicui: Et tamen nemo credit

A nisi ipse docuerit, quomodo ergo docet? Dum audis Verbum eius, id est, me: dum ego homo Verbum eius coæternum, factus homo vobis loquor. Et hoc est, *Is qui est à Deo*, id est, Filius, *vidit Patrem*, id est, nouit, & vos docet, & ideo me audite. v. 46.

In Prophetis. Prophetis, dicit pluraliter: quia omnes Prophetæ vno & eodem spiritu repleti, licet diuersa prophetarent, tamen ad idem tendebant: quapropter cum quouis eorum omnes alij concordabant, sicut in Ioel, qui dicit: *Et erunt omnes docibiles Dei.* v. 45. Fallitur auctor: est Isai. 54. v. 13.

Non quia Patrem vidit quispiam: &c. Id est, Ego noui Patrem, quia ab illo sum: & ideo credite; quia *qui credit in me, habet vitam æternam.* Potuit dicere, Habet me; sed reuelat quòd ipse sit vita æterna; quia Verbum est vita hominum: quod & carni suæ, quam susceperat; cui interuenit mors vt mortem tolleret, dat vitam in resurrectione: sic & aliis credentibus in se. v. 46. v. 47.

Ego sum panis vitæ. Patres vestri. Manna, de quo superbitis, patribus murmuratoribus, quorum estis filij murmurando, non fuit panis vitæ: quia non intellexerunt in eo spiritualem cibum: sic & vos qui me auditis, non spiritualiter intelligitis. Vixit autem Moyses, & alij electi de mannâ, quia spiritualiter manducauerunt: Sic & qui modò verba mea spiritualiter accipiunt. v. 48. & 49

Ego sum panis vitæ. Ecce sacramentum verbis tegit, vt Iudæi & etiam aliqui discipuli non credentes verbis illius, magis scandalizentur, & humiles Apostoli humiliter credentes probentur. Vnde Petrus, *Verba vitæ æternæ habes.* v. 69.

Et panis quem ego dabo. Quomodo sit panis determinat, non solùm secundum Verbum quo viuunt omnia, sed etiam secundum carnem as- v. 52. Christus & carne vita.

sumptam pro mundi vitâ. Humana enim caro quæ erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni eius mundæ vnita, incorporata, vnum cum illo effecta, viuit de Spiritu eius, sicut viuit corpus de suo spiritu. Qui verò non est de corpore Christi, non viuit de Spiritu Christi. Quia autem Iudæi non erant huius vnitatis, litigabant: nec talibus exponitur quomodo Dominus carnem suam det ad manducandum: sed audiunt, vnde magis moneantur.

CATENA AVREA,

in idem Euang.

Ioan. 6. v. 44. Tract. 26. in Ioan. NEmo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit illum. AVGVST. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus: quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe & intellige, si nondum traheris, ora vt traharis.

Hom. 45. in Ioan. CHRYS. Hic autem insiliunt Manichæi, dicentes, quoniam nihil in nobis est positum: sed hoc non quod in nobis est destruit, sed ostendit nos diuino auxilio indigere: ostendit enim hîc non eum qui inuitus venit, sed eum qui multam patitur oppugnationem.

Tract. 26. in Ioan. AVGVST. Si enim inuiti trahimur ad Christum: ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur: Sed intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, credere non potest nisi volens: *Corde enim creditur ad iustitiam.* *Rom. 10. v. 10.* Si ergo inuitus venit qui trahitur, non credit: si non credit, non venit: non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus; ergo voluntate traheris. *Trahitur animus & voluptate.* Quid est autem trahi voluntate? *Psal. 36. v. 4.* *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Est quædam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cœlestis. *Virgilio 2. Eclog.* Porrò si Poetæ dicere licuit, *Trahit sua quemque voluptas*, quantò fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitiâ, sempiternâ vitâ, quod totum Christus est. An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Da amantem, da desiderantem, da feruentem, da in istâ solitudine peregrinantem ac sitientem, & ad fontem æternæ patriæ suspirantem, & scit quid dicam. Sed quare voluit dicere, *Quem traxerit Pater*? Si trahendi sumus, ab illo trahamur, cui dicit quædam quæ diligit, *Trahe me post te.* *Cant. 1. v. 3.* Sed quid intelligi voluit, aduertamus. Trahit Pater ad Filium, eos, qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum. Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium: & qui cogitat atque in fide suâ sentit ac ruminat æqualem esse Patri eum in quem credit, ipsum trahit Pater ad Filium. Arrius credidit creaturam, non eum traxit Pater. Photinus dicit, Homo solus est Christus: qui sic credit, non eum Pater trahit: trahit Petrum, qui dixit, *Tu es Christus Filius Dei viui*: *Matth. 16. v. 16.* vnde ei dictum est, *Non tibi reuelauit caro.* *Reuelatio diuina, ipsa attractio.* Ista reuelatio, ipsa attractio est. Si enim qui inter delicias terrenas reuelantur amantibus trahunt, non trahet reuelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem? Sed hîc homines esuriunt, ibi saturabuntur. Ideo subiecit, *Et ego resuscitabo eum, &c.* Quasi dicat. Saturabitur eo quod & hîc sitit, in resurrectione mortuorum, quoniam *ego resuscitabo eum.*

Cap. 27. Incipit hic liber: Deus certè perfectus est. AVGVST. de quæst. noui & vet. Test. Vel attrahit Pater ad Filium, per opera quæ faciebat per illum.

Hom. 45. in Ioan. CHRYS. Non parua dignitas Filij, si Pater adducit, & ipse suscitat: non diuidens ad Patrem opera, sed ostendens parilitatem virtutis. Deinde ostendit modum secundum quem Pater trahit, dicens, *Scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* Vides fidei dignitatem, quoniam non ab hominibus neque per homines, sed ab ipso Deo eam debeant addiscere. Magister enim præsidet, omnibus paratus existens sua tribuere, ad omnes suam doctrinam effundens. Si autem omnes docibiles Dei, qualiter quidam non credunt? Quia hoc de pluribus dictum est: siue quoniam omnes si volunt.

Cap. 8. in med. AVGVST. de prædest. San. Vel aliter. Sicut integrè loquimur cum de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus, Omnes iste hîc literas docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi literas discit. Ita rectè dicimus, Omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.

Tract. 26. in Ioan. AVG. su. Ioan. Vel aliter. Omnes regni illius homines docibiles erunt Dei, non ab hominibus audient: etsi hîc ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur: Strepitum verborum ingero auribus vestris: Nisi reuelet ille qui intus est, quid dico? quid loquor? Dicit ergo, *Et erunt docibiles Dei*: Quasi dicat, Quomodo, Iudæi, me potestis agnoscere, quos Pater non docuit?

Glossa ordinaria. BEDA. Dicit autem pluraliter, *In Prophetis*, quia omnes Prophetæ, vno eodémque spiritu repleti, licet diuersa prophetarent, tamen ad idem tendebant: Quapropter cum quouis eorum omnes alij concordabant, sicut cum Ioële Prophetâ qui dicit, *Erunt omnes docibiles Dei.*

GLOS. Hoc in Ioële non inuenitur, sed aliquid simile; dicitur enim ibi, *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo nostro, quia dedit vobis doctorem.* *Ioel. 2. v. 23.* Expressiùs tamen est in Esaiâ vbi dicitur, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* *Isai 54. v. 13.*

Hom. 45. in Ioan. CHRYS. Quod quidem præcipuum est, quia ante per homines discebant quæ Dei sunt, nunc autem per vnicum Filium Dei & Spiritum sanctum.

Cap. 8. circa princip. AVG. de præde. San. Omnes autem docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt & didicerunt à Patre per Filium: vnde subditur, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Si autem omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit. *Scholæ cœlestis descriptio.* Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in quâ Pater auditur & docet, vt veniatur ad Filium: nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis, vbi est & ipse Filius, quia ipse est Verbum eius per quod Pater sic docet: simul est & Spiritus sanctus. Inseparabilia enim dicimus esse opera Trinitatis: sed Patri hoc potissimùm est attributum, quia de ipso procedit & Filius, & Spiritus sanctus. Itaque gratia quæ occultè & humanis cordibus diuinâ largitate tribuitur, à nullo corde duro respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Christum? nisi

nisi quia eot quos docet, misericordiâ docet: quos autem non docet, iudicio non docet. Si autem dixerimus quòd volunt discere quos non docet: respondebitur nobis, Et vbi est quod ei dicitur:
Psal.84.v.7 *Deus tu conuertens viuificabis nos?* Aut si non facit volentes ex nolentibus [Deus, vt quid otat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? Non enim quisquam dicere potest, Credidi, vt sic vocaret: præuenit quippe eum misericordia Dei, quia sic est vocatus vt crederet.

Tract.26.in Ioan. AVG. sup. Ioan. Ecce ergo quomodò trahit Pater docendo de veritate, non necessitatem imponendo: trahere enim Dei est. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quid igitur Christus nihil docuit? Quid quòd Patrem magistrum homines non viderunt, Filium viderunt? Filius ergo dicebat, sed Pater docebat. Si ego homo cùm sim, illum doceo qui audiuit verbum meum, illum docet & Pater qui audiuit Verbum eius. Exponit autem hoc ipse, & ostêdit nobis quid dixerat, continuò subiungens, *Non quia Patrem vidit quisquã, &c.* Quasi dicat, Ne forrè cùm dico vobis, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit*, dicatis apud vos: Nunquam vidimus Patrem, quomodo ab eo discere potuimus? à meipso audite. Ego noui Patrem, ab illo sum, quomodò verbum est ab illo cuius est verbum: non quod sonat & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem.

Trahit Pater docendo de veritate.

Hom.45.in Ioan. CHRYS. Omnes quidem à Deo sumus. Id verò quod est præcipuum Filij & proprium, hic non posuit propter auditorum imbecillitatem.

V.47. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* AVG. Reuelare voluit se Dominus quid esset, vnde dicit: *Amen, amen dico vobis, &c.* quasi dicat, Qui credit in me, habet me. Quid est autem habere me? Habere vitam æternam. Vita enim æterna est Verbum quod in principio erat apud Deum, & vita erat lux hominum. Assumpsit vita mortem, vt vita occideret mortem.

Tract.26.in Ioan.

THEOPH. Quia verò turbæ instabant cibum corporalem petentes, & eius cibi qui patribus eorum datus erat reminiscentes: vt ostendat quòd omnia illa figura erant huius veritatis præsentis, mentionem de cibo spirituali facit, dicens: *Ego sum panis vitæ.*

Vbi supra. CHRYS. Panem quidem vitæ seipsum vocat, quoniam vitam nostram continet, & hanc & futuram.

Tract.26.in Ioan. AVGVST. Sed quia illi de mannâ superbiebant, subiungit: *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.* Ideo patres vestri, quia similes estis illorum: murmuratores patres murmuratorum filiorum. Nam de nullâ re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quàm contra Deum murmurando. Ideo autem mortui sunt, quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non credebant neque intelligebant.

Hom.45.in Ioan. CHRYS. Non autem sine causâ addit, *In deserto;* sed occultè insinuans quoniam non longum tempus fuit, quo scilicet manna datum est, neque simul cum eis venit in terram promissionis: Sed quia videbant panem datum à Christo minus quid esse illo quod patribus datum erat (in eo quòd illud desuper descendebat, miraculum verò panum inferius gerebatur) propterea subiungit, *Hic est panis de cælo descendens.*

Tract.26.in Ioan. AVG. Hunc panem significauit manna, hunc panem significabat altare Dei. Sacramenta hæc sunt, & illa fuerunt. In signis diuersa sunt, in re quæ significatur, paria sunt: Apostolum audi, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* *1.Cor.10.v.3.*

Hom.45.in Ioan. CHRYS. Deinde ostendit (quòd maximè eos poterat persuadere) quoniam ipsi patribus suis multò digniores effecti sunt, qui manna manducantes sunt mortui & ideo subdit: *Vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* A fine vtriusque cibi ostendit differentiam: panem autem hîc dogmata salutaria dicit, & fidem quæ in ipsum est, aut corpus suum. Hæc enim conseruant animam.

Tract.26.in Ioan. AVG. Sed nunquid nos non morimur, qui manducamus panem descendentem de cælo? Sic illi sunt mortui, quemadmodum & nos sumus morituri, quantum attinet ad mortem huius corporis visibilem atque carnalem: quantum autem pertinet ad mortem spiritualem, quâ patres istorum mortui sunt, manducauit manna Moyses & multi qui Domino placuerunt, & mortui non sunt: quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti: quoniam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde Apostolus, *Iudicium sibi manducat & bibit.* Panem ergo cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate: peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si dimittis, dimittentur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Si quis ergo ex hoc pane manducauerit, non morietur. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibila sacramentum. Qui manducat, scilicet intus, non foris.

1.Cor.11.v.29. *Vt accedêdum ad altare, & participanda mysteria.* *Matth.6.*

ALCVI. Ideo namque non moritur qui comedit hunc panem, quia ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.

In hoc loco. THEOPH. Per hoc scilicet quòd incarnatus est. Non ergo priùs solùm fuit homo, & postmodum assumpsit diuinitatem, vt Nestorius fabulatur.

Tract.26.in Ioan. AVG. De cœlo descendit & manna; sed manna vmbra erat, ista veritas est.

ALCVI. Est autem mea vita viuificans: Vnde sequitur, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet,* non tantùm in præsenti per fidem & iustitiam, sed *in æternum.*

V.51. *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* AVG. Determinat consequenter Dominus quomodò se panem dicat, non tantùm secundum diuinitatem quę pascit omnia, sed etiam secundũ humanam naturam quæ est assumpta à Verbo Dei, cùm subdit, *Et panis quem ego dabo, &c.* *Tract.26.in Ioan.*

BED. Hunc panem tunc Dominus dedit, quando mysterium corporis & sanguinis sui discipulis tradidit, & quando semetipsum Deo Patri obtulit in arâ crucis. Quòd verò dicit, *Pro mundi vitâ,* non debemus intelligere pro elementis, sed pro hominibus qui mundi nomine designantur.

In hoc loco. THEOPH. In hoc quod dicit, *Quem ego dabo,* potestatem suam demonstrat: quòd non sicut seruus minor Patre crucifixus est, sed voluntariè: Nam etsi à Patre dari dicatur, tamen seipsum tradidit ipse. Attende autem quòd panis qui in mysteriis à nobis assumitur, non solùm figuram gerit carnis Christi, sed ipse est vera caro Christi: non enim dixit, Panis quem ego dabo figuram

A Paschate. Eee

Transmutatio panis in verum corpus Christi. ἀπορρήτως λόγοις· arcanis : non bene quòd occultè dicantur, quod quidā somniauit & scripsit, nam altè Græci proferunt, etsi nos submissè, quod vtrunque iteus Ecclesiarum est; sed quòd mystica ac diuiniora, nec temere efferēda verba sint. Tract. 26. in Ioan.

carnis meæ gerit, sed *caro mea est*. Transmutatur autem inenarrabilibus verbis iste panis, per mysticam benedictionem & accessionem Spiritus sancti, in carnem Christi. Sed quare non videmus carnem? Quia si caro videretur, horror nos in eius assumptione inuaderet: Vnde vt nostræ infirmitati condescendatur, talis nobis videtur mysticus cibus, secundum quod nostræ consuetudini competebat. Pro mundi autem vitâ carnem suam tradidit, quia moriendo mortem soluit. Ego etiam intelligo pro mundi vitâ resurrectionem: nam Domini mors vniuersalem resurrectionem toti generi humano ministrauit. Fortè autem & vitam quæ in sanctificatione, & beatificatione consistit & spiritu, mundi vitam dixit: Quamuis enim non omnes susceperint vi- B tam quæ est in sanctificatione & spiritu, tamen Dominus seipsum pro mundo tradidit, & (quantum in eo est) totus mundus sanctificatur.

A VG. Quando autem caperet caro, quod dixit panem, carnem? Norunt autem fideles Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi. De Spiritu enim Christi non viuit, nisi corpus Christi. Nunquid enim corpus meum viuit de spiritu tuo? Hunc panem exponit Apostolus, dicens: *Vnum corpus multi sumus*. O sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis! qui vult viuere, accedat; credat, incorporetur vt viuificetur.

ADDITIO AD CATENAM
Auream.

Ex Cat. Cor. Ioan. 6. v. 44.

NIsi Pater, qui misit me, traxerit eum. AMMON. Eos Pater trahit, qui per arbitrium voluntaris probi sunt; prauos autem sibi relinquit. Nec Scriptura facultatem arbitrij tollit, sed indigere nos diuino auxilio ostendit. Trahitur enim non inuitus, sed qui ingenti auxilio potiatur. Dei porrò doctrinâ acceptum bonum est, Christi mysterium.

Non bene Cord. *qui magnum adhibet conatum*: nec τὸ ἀπολαύειν συμμαχίας id velit.

Est scriptum in Prophetis. AMMON. Trahebat D Pater & per doctrinam Prophetarum: at ingens discrimen est. Nam veteres quidem per homines diuina docebantur, fideles autem per Filium, siue Spiritum sanctum.

Necessaria tamen peculiarior Dei gratia, ac fides.

DIDYMI. Homini ad imaginem ac similitudinem condito, atque hoc ipso ratione prædito, ceu semina quædam virtutum, ac rerum rectè gerendarum, nec non etiam scientiæ veritatis, indita à Deo dictamina sunt. Qui igitur hosce communes instinctus audit, didicitque à Patre, per fidem ad Dominum venit.

EIVSDEM. Pater diuinâ docendo reuelatione, ea, quæ Iesu sunt, audientes, ac qui didicere, E trahit ad ipsum. Sic enim & Petrum reuelando induxit, vt crederet Dei Filium.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
Episcopi Constant. in superius Euang.

HOMILIA I.

Ex Hom. 45. in Ioan. 6. v. 44. Idem nostri temporis hæretici contendūt.

SEd quid murmurantibus illis Christus? *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hic insurgunt Manichæi, nihil in nostrá positum facultate, huius particulæ testimonio contendentes. Sed planè nos posse quæ volumus, hinc maximè ostenditur. Si quis enim, inquiunt, A venit ad eum, quid opus est vt trahatur? Verùm neque hoc nostrum tollit arbitrium, sed magis ostendit nos diuino egere auxilio; quòd nimirum non quemuis venire ostendat, sed eum qui multo potitur auxilio. Inde quo pacto trahat, ne quid sēsibile de eo suspicarētur, his verbis prosequitur.

Sana doctrina & catholica, quā tradit hic Chrysostomus, necessarium esse arbitrii facultate auxilium diuinum.

Non quia Patrem vidit quispiam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Quomodò igitur trahit, inquit? Hoc olim Propheta ostendit, dum prædicat, & ait, *Erunt omnes docibiles Dei.* Vides fidei dignitatem, quòd non ab hominibus, neque per hominem, sed per ipsum Deum eā imbuendi sunt: Idcirco vt fidem verbis suis compararet, eos ad Prophetas relegat. Atqui si erunt omnes docibiles Dei, quare aliqui non credunt? Quoniam hoc de pluribus dictum est. Et prætetea illud propheticum, non omnes simpliciter, sed omnes volentes significat. Magister enim omnibus proponitur paratus ad docendum, & communicandum doctrinam suam.

V. 46. Esai. 54. v. 13. Fidei præstantia, vt eius Deus ipse sit doctor. Vt omnes Deus doceat.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Nō parua hoc in loco Filij dignitas: siquidem Pater trahit, & hic resuscitat. Neque hoc tanquam si diuidat Patris & Filij opera. Quonam enim pacto? sed vt potestatis æqualitatem ostendat. Quemadmodum igitur illic dicendo, *Et qui misit me Pater, testimonium perhibet de me*; inde ne qui vocem rogando insisterent, ad Scripturas relegauit: ita hoc in loco, ne idipsum suspicarentur, ad C Prophetas amandat, frequenter ostendens se Patri non esse contrarium. Quid autem qui ante hac fuerunt, nunquid non docibiles erant Dei? Quid hoc in loco eximium est? Quòd tunc per homines res diuinas docebantur, nunc per Vnigenitum Dei, & Spiritum sanctum. Deinde inquit:

V. 44. Ioan. 5. v. 37.

Non quia Patrem vidit quispiam, nisi is qui à Deo est. Non secundum causæ rationē hîc loquitur, sed secundum modum substantiæ. Nam si hoc diceret, omnes à Deo sumus. Vbi itaque præstantia & differentia Filij? Sed quare non apertiùs dixit? Propter illorum imbecillitatem. Etenim si dicendo, *De cœlo descendi*, tantùm scandalizati sunt; D quidnam fecissent si & hoc addidisset? Panem autem vitæ seipsum appellat, quoniam vitam nostram & hanc & futuram corroborat. Idcirco etiā adiecit: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Panem autem hoc loco siue salutarem doctrinam dicit & fidem in ipsum, siue corpus suum. Vtrunque enim animam fortiorem reddit. Atqui alibi dixit; *Si quis sermonem meum audierit, mortem non gustabit*, & perturbati sunt: hîc non itidem, quia iam ob panis miraculum eum reuerebantur. Animaduerte autem quam faciat huius panis & mannæ differentiam, ab vtriusque scilicet fine. Quòd enim manna nihil magnum E præberet, addidit.

V. 46. Panis vitæ. V. 52. Eucharistia animam fortiorem reddit. Ioan. 8. v. 51.

Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Inde subdit maximam persuasionem, quòd longè maiora patribus ipsorum consecuti sint, Moysen ac mirabiles illius ætatis viros insinuans. Idcirco cùm illos dixisset mortuos, qui manna comedissent, prosecutus est: *Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, &c.* Illa prætetea particula, *In deserto*: manna non diu durasse, neque in terram promissionis venisse significat. Hic autem panis non est eiusmodi.

V. 49. V. 50.

Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Meritò hoc in loco dubitare quispiam posset, cur hæc nunc Christus loqueretur, cùm nihil proficeret, nihil ædificaret, imò esset ædifi-

Cur ista locutus Christus cùm nō proficeret.

A catisnocumento? *Ex hoc enim*, inquit, *multi ex discipulis suis retrò abierunt.&c.* Etant igitur hæc solis discipulis communicanda, vt Matthæus priuatim cum ipsis loqui testator. Quid ad hoc dicemus? Quænam horum verborum vtilitas? Magna quidem & necessaria. Cùm enim in petendo cibo instarent, & patribus suis datum memorarent, & manna tanquam magnum quiddam laudarent: omnia illa figuram & vmbram fuisse, rerum autem veritatem præsentem ostendit. Ideo spiritalis cibi meminit. Sed erat, inquit, ditendum. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, ego autem vobis panem præbui. Sed magna sanè differentia erat. Minus enim hoc etiam B illo visum esset, propterea quòd manna de cœlo laberetur, panum autem miraculum infernè gestum esset. Cùm ergo delabentem de cœlo cibum quærerent, ideo frequenter de cœlo se descendisse testatur.

Matth. 13. v. 36. Mar. 4. v. 34.
Locutus hæc, vt veritatem figuræ opponeret.

Quòd si quis percontetur, cur Mysteriorum sermonem adduxerit? Respondebimus, quòd horum nunc maximè tempus erat. Obscurius enim dictum semper auditorem erigit, & attentiorem reddit. Non ergo perturbari debebant, sed interrogare & quærere. Sed abierunt. Quòd si Prophetam eum arbitrabantur, credere eius verbis oportebat. Itaque stultitiâ suâ, non sermonis C Christi obscuritate perturbabantur. Tu autem considera quomodò discipulos ad se paulatim trahit. Hi enim sunt qui dicunt, *Verba vitæ habes; quò ibimus?* Cæterùm se hoc loco docet dare, non Patrem; *Quam ego dabo pro mundi vitâ.* At non sic multitudo, sed econtrario: *Durus est hic sermo:* Ideo etiam recesserunt. Atqui non erat hæc noua quædam doctrina ac dissentanea. Nam Ioannes superiùs hoc indicauerat, Agnum ipsum appellans: sed neque sic intellexerunt. Non me latet. At neque discipuli sciebant. Nam si de resurrectione nondum quicquam norant, & propterea ignorabant, quid sibi vellet, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud:* multò magis quæ hîc dicuntur, quæ obscuriora sunt. D Quòd enim Prophetæ suscitassent, norant, quamuis non tam manifestè locutæ sint Scripturæ: quòd autem carnem quis commederit, nunquam quisquam illorum dixerat. Veruntamen persuasi sunt, & sequebantur, & habere eum verba vitæ confitebantur. Hoc discipuli est, quæ magister asserit non curiosiùs inuestigare, sed audire & credere, & idoneum solutionis tempus expectare. Quid igitur ait? Contrarium accidisse. *Abierunt retrò*: Hoc propter eorum stultitiam. Quando enim subit quæstio quomodò aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ita & Nicodemus perturbatus est, inquiens: *Quomodò potest homo in* E *ventrem matris suæ iteratò introire?* Itidem & hi nunc: *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Nam si hoc inquiris, cur non idem in quinque panum miraculo dixisti, quomodò eos in tantum auxit? Quia tunc tantùm saturari curabant, non considerare miraculum: Sed res ipsa tunc docuit, inquies. Ergo ex eo & hæc credere oportuit es facilia factu esse. Propterea id priùs fecit miraculum, vt per illud non essent ampliùs increduli his, quæ postmodum diceret.

Sermo de Mysteriis ac Eucharistiâ commodè adductus.
V. 69.
Insinuata à Ioanne doctrina de Eucharistiâ.
Ioan. 1. v. 29
Ioan. 2. v. 19.
Discipuli in magistrum munus, audire & credere.
Quæstio quomodò in diuinis operibus incredulitatis comes.
Ioan. 3. v. 4.

Illi quidem tunc temporis nihil ex dictis commodi reportarunt: nos autem reipsâ ipsius beneficij vtilitatem cepimus. Quare necessariò discendum Mysteriorum miraculum, quidnam illa

A Puschate.

A sint, & cur data sint, ac quænam eorum vtilitas. *Vnum corpus sumus: membra*, inquit, *ex carne & ossibus eius.* Initiati autem, ea quæ dicuntur, diligenter considerent & sequantur. Vt itaque non solùm per dilectionem, sed re ipsâ in illam carnem commisceamur: (id enim per cibum efficitur, quem nobis largitus est, cùm suum in nos amorem indicare vellet) idcirco se nobis commiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid simus tanquam corpus vnitum cum capite. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob obscurius significabat de seruis suis, à quibus ita eximiè amabatur, vt eius carnibus admisceri se peroptarent. B Cùm enim amoris in eum sui vim cohibere vix possent, dicebant: *Quis det de carnibus eius vt saturemur?* Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.

1. Cor. 10. v. 17.
Eph. 5. v. 30.
Iob. 31. v. 31.
Vnio corporalis Christi cum fidelibus in Eucharistiâ.

Ab illâ igitur mensâ tanquam leones ignem spirantes surgamus, facti diabolo formidolosi, & caput nostrum animo cogitantes, ac quam in nos præ se tulit charitatem. Parentes sæpenumero liberos C suos aliis alendos dederunt: ego autem inquit, non sic, sed carnibus meis alo: meipsum vobis appono, vos omnes volens esse ingenuos, ac vobis optimas de futuris expectationes prætendens. Qui enim in hac vitâ ita se nobis exhibet, multò magis in futurâ. Vester ego frater fieri volui; propter vos communicaui carni & sanguini; ipsamque rursus carnem & sanguinem, per quæ vobis cognatus effectus sum, trado. Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat: hic sanguis, immensam pulchritudinem efficit: hic sanguis, animæ ingenuitatem quam semper irrigat, & nutrit, languescere non sinit. Nam qui ex cibis nobis sanguis prouenit non fit repentè, sed priùs aliud quiddam: hic quàm primùm irrigat D animam, eámque vi quadam magnâ imbuit. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos autem, & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim vbicunque Dominicum sanguinem viderint, in fugam vertuntur, Angeli autem procurrunt. Hic sanguis effusus, vniuersum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos prosecutus est. Hic sanguis adyta, & Sancta sanctorum purgabat. Quod si eius figura tantam habuit vim cùm in templo Hebræorum, tum in mediâ Ægypto liminibus aspersus, longè magis veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificauit. Sine hoc Princeps Sacerdotum in penetralia in- E gredi non audebat. Hic sanguis Sacerdotes faciebat: hic sanguis in figurâ peccata purgabat; in quâ si tãtam habuit vim, si vmbram ita mors horruit, quantopere quæso ipsam formidabit veritatem?

Eucharistiæ sumptionis fructus.
Eucharistiæ vis mira, & encomia vsque ad finē homiliæ.
Hebr. 9. v. 7.
Exod. 12. v. 23.
Sanguis Christi quē nos sumimus non est figura, sed veritas.

Hic nostrarum animarum salus est, hoc lætatur anima, hoc ornatur, hoc inceditur: hic igne clariorem nostram mentem reddit, hic animum auro splendidiorem. Huius sanguinis effusio cœlum peruium fecit. Tremenda sanè Ecclesiæ Mysteria, tremendum altare. Ascendebat fons è paradiso, à quo sensibiles fluuij emanarent: à mensâ hac prodit fons, qui fluuios spiritales diffundit. Iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus maturos, sempérque solidos producunt. Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, ac refrige-

Gen. 2. v. 6.

rium sentiet. Æstus enim tollit, ardotémque omnem mitigat, non quem radij solares, sed quem sagittæ illæ ignitæ imprimunt. Etenim ortum suum supernè habet, indeque radicem, vnde & irrigatur. Multi huius fontis riui, quos Paracletus diffundit, & Filius arbiter est, non bidente, aut ligone viam faciens, sed sibi ipse animos nostros aperiens. Hic fons, lucis est fons diffundens radios veritatis. Huic & supernæ adstiterunt Virtutes, fluctuum eius pulchritudinem inspicientes. Nam manifestiùs quàm nos illæ propositorum virtutem, & fulgorem inaccessibilem intuentur. Quemadmodum enim si quis liquefacto auro manum vel linguâ iniiciat, quam primùm deauratur: ita hæc nobis proposita animam auteam reddunt. Feruet enim vehementiùs igne fluuius, neque tamen incendit, sed abluit tantùm quicquie comprehenderit.

Eph. 6. v. 16.

Hic sanguis omnibus rettò temporibus præfigurabatur, io altatibus, in iustorum cædibus. Hic orbis terrarum pretium est; hoc Christus emit Ecclesiam, hoc vniuersam illam ornauit. Vt enim homo seruos auro emit, & ornat: ita nos sanguine suo Christus. Qui huius sanguinis sunt participes, eum Angelis, & Archangelis, & supernis Virtutibus constituti existunt: ipsam regiam Christi stolam induo, spiritalibos armis muniti. Verùm nihil hactenus magnum, ac quod sit ex dignitate, dixi; ipsum namq; induti sunt Regẽ. Sed sicut magnũ quid existit, & admirabile: ita, si purè accesseris, ad salutem accessisti: sin prauâ conscientiâ, ad pœnam, & supplicium. *Qui enim manducat, & bibit indignè corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat, & bibit.* Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus quàm qui scinduot, puniuntur: quid mirum, si qui immundâ cõscientiâ Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affiserunt? Vide quàm formidandam pœnam his minetur Paulus: *Irritam quis faciens legem Mosis, sine vllâ miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?* Consideremus igitur rem nostram, dilectissimi, cùm tantis fruamur bonis: & cùm turpe aliquod animum subit, cùm irâ, vel aliâ quauis affectione rapimur, cogitemus quibus digni effecti simus, quem Spiritum acceperimus, sanáque cogitatio irrationabiles nostros cohibebit affectus. Quoosque rebus præsentibus incumbemus? Quousque non excitabimur? Quousque nullam saluti nostræ curam adhibebimus? Intelligamus quot in oos beneficia contulit Christus. Gratias habeamus, glorificemus, non fide tantùm, sed & operibus, vt futura bona consequamur: gratiá & benignitate Domini nostri Iesu Christi, per qoem, & cum quo Patri gloria, simul & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

Indignè cõmunicantiũ scelus, ac pœna.

1. Cor. 11. v. 29.

Deut. 17. v. 9.

Hebr. 10. v. 20.

S. AVGVSTINI EPISCOPI
Hippon. in superius Euang.

HOMILIA.

Ea tract. 26. in Ioan. 6. v. 44.

NEmo *potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Magnæ gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & qoem non trahat: quare illum trahat, & illom non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Non traheris? ora vt traharis. Quid hîc dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus: ergo violentia adhibetur, non voluntas escitatur? Intrare qoisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum oolens: credere nõ potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in noleutibus: sed non corpore creditur. Apostolum audi dicentem: *Corde creditur ad iustitiam.* Et quid sequitur? *Ore autem confessio fit ad salutem.* De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem, & nescis credentem. Sed nec debes vocare confitentem, quem iudicas non credentem: hoc est enim confiteri, dicere quod habes in corde. Si autem aliud in corde habes, aliud dicis: loqueris, non cõfiteris. Cùm ergo in Christum corde credatur, quod nemo viique facit inuitus: qui autem trahitur, tanquam inuitus cogi videtur, quomodo istam soluimus quęstionem. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui me misit, traxerit eum?* Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit: si inuitus venit, nec credit: si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo. nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quàm turba, quæ pressit. Ideo Dominus dixit, *Quis me tetigit?* Et mirantes discipuli dixerunt, *Turba te comprimit, & dicis, Quis me tetigit?* Et ille repetiuit, *Tetigit me aliquis.* Illa tangit, turba premit: quid est, *tetigit,* nisi credidit? Vnde & mulieri illi post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes eius, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Quod vides hoc solùm me esse putas. *Noli me tangere,* quid est? Hoc me solùm esse putas, quod tibi appareo. Noli sic credere, hoc est. noli me tãgere; *nondum enim ascendi ad Patrem meum:* tibi nondum ascendi, nam inde nunquam recessi. In terrâ non tangebat stantem, & quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit. Sic tangitur ab eis à quibus benè tangitur: ascendens ad Patrem, manens cum Patre, æqualis Patri.

1. fen distinct.
2. cap. Non est tamen.

Rom. 10. v. 10.

Luc. 8. v. 45.

Tangitur Christus cũ creditur.

Ioan. 20. v. 17.

Inde & hîc si aduertis: Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. Noli te cogitare inuitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maximè diuinis intelligendis longè remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum Euangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis; Quomodò voluntate credo si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poëtæ dicere licuit, *Trahit sua quemque voluptas;* non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quantò fortios nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur: *Filij autem hominum, sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente delitiarum tuarum potabis eos: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen?* Da amantem, & sentit quod dico. Da desiderantem,

Trahimur & amore & voluptate.

Psal. 36. v. 4.

Virgilius. Eclog.

Psal. 35. v. 8.
Al. voluptatis tuæ.

Al. *feruientem.* da esurientem, da in istâ solitudine peregrinan-
tem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ
suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Si au-
tem frigido loquor, nescit quid loquor. Tales
erant isti, qui inuicem murmurabant.

Pater, inquit, *quem traxerit, venit ad me.*
Quid est autem, *Pater quem traxerit*, cùm ipse
Christus trahat? Quare voluit dicere, *Pater quem*
* *Trahe me post te.* Cant.1.v.4. *traxerit?* Si trahendi sumus, ab illo trahamur
cui dicit quædam quæ diligit: *Post odorem vn-*
guentorum tuorum curremus. Sed quid intelligi
voluit, aduertamus fratres, & quantum possu-
Trahitur à Patre qui Filiũ credit ei æqualẽ. mus capiamus. Trahit Pater ad Filium eos, qui
propterea credunt in Filium, quia eum cogitant
Patrem habere Deum. Deus enim Pater æqua-
lem sibi genuit Filium: & qui cogitat, atque in
fide suâ sentit & ruminat æqualem esse Patri eum
in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium.
Contra Arrianos. Arrius credidit creaturam, non eum traxit Pater,
quia non considerat Patrem, qui Filium non cre-
dit æqualem. Quid dicis ô Arri? Quid dicis hæ-
retice? Quid loqueris? Quid est Christus? Non,
inquit, Deus verus, sed quem fecit Deus verus.
Non te traxit Pater; non enim intellexisti Pa-
trem, cuius Filium negas. Aliud cogitas, non est
ipse Filius: nec à Patre traheris, nec ad Filium
traheris. Aliud est enim Filius, aliud quod tu di-
Christus nõ tantum homo contra Photinum. cis. Photinus dicit; Homo solùm est Christus, non
est & Deus. Qui sic credit, non Pater eum trahit.
Quem trahit Pater? Illum qui dicit: *Tu es Chri-*
stus Filius Dei viui. Non sicut Propheta, non si-
cut Ioannes, non sicut aliquis magnus iustus, sed
sicut vnicus, sicut æqualis, *Tu es Christus Filius*
Matth.16. v.16. *Dei viui*, ait. Vide quia tractus est, & à Patre
Reuelatio Patris, ipsa attractio. tractus est. Et Dominus quid? *Beatus es Simon*
Bar-jona, quia non tibi reuelauit caro, & sanguis,
sed Pater meus qui in cœlis est. Ista est reuelatio,
ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis oui,
& trahis illam. Nuces puero demonstrantur, &
trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando tra-
hitur. Sine læsione corporis trahitur, cordis vin-
culo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & vo-
luptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt,
Virg. in Eclog. quoniam verum est; *Trahit sua quemque volu-*
ptas: non trahit reuelatus Christus à Patre? Quid
Trahit animum veritas. enim fortius desiderat anima quàm veritatem?
Quo auidas fauces habere debet, vnde optare, vt
sanum sit intus palatum vera iudicandi: nisi vt
manducet & bibat sapientiam, iustitiam, verita-
tem, æternitatem? Vbi autem hoc? Ibi meliùs, ve-
Al. *pleniùs.* riùs ibi, planiùs ibi: nam hîc faciliùs possumus esu-
rire, & hoc si bonam spem habemus, quàm satura-
ti: *Beati* enim inquit, *qui esuriunt & sitiunt insti-*
Matth.5. v.6. *tiam*, sed hîc: *quoniam saturabuntur*, sed ibi. Ideo
cùm dixisset, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui*
misit me, traxerit eum, quid subiecit? *Et ego re-*
suscitabo eum in nouissimo die. Reddo illi quod
amat, reddo quod sperat. Videbit quod adhuc
non videndo credidit: manducabit quod esuriit,
saturabitur eo quod sitiuit. Vbi? In resurrectione
mortuorum? quia *ego resuscitabo eum in nouissi-*
mo die.

V.45. *Scriptum est enim in Prophetis: Et erunt omnes*
Isai.54.v.13. *docibiles Dei.* Quare hoc dixi, ô Iudæi? Pater vos
non docuit, quomodo potestis me agnoscere?
Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt,
Doctrina Dei interior. non ab hominibus audient: Et si ab hominibus
audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, in-
tus coruscat, intus reuelatur. Quid faciunt homi-
nes forinsecus annuntiantes? Quid facio modò,

A ego cùm loquor? Strepitum verborum ingero au-
ribus vestris. Nisi ergo reuelet ille qui intus est,
quid dico; quid loquor? Exterior, cultor arboris:
interior, est creator. Qui plantat, & qui rigat, ex-
trinsecus operatur: hoc facimus nos. Sed *neque* 1.Cor.3.v.7.
qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui in-
crementum dat Deus: hoc est, erunt omnes doci-
biles Dei. Qui omnes? *Omnis qui audiuit à Patre,* Al. *audit.*
& didicit, venit ad me. Videte quomodò trahit
Pater: docendo delectat, non necessitatem impo-
nendo. Ecce quomodò trahit. *Erunt omnes doci-*
biles Dei: trahere Dei est. *Omnis qui audiuit à*
Patre, & didicit, venit ad me: trahere Dei est.

Quid igitur fratres? Si omnis qui audiuit à Pa-
tre & didicit, ipse venit ad Christum, Christus ni-
hil hîc docuit? Quid quòd Patrem magistrum ho-
B mines non viderunt, Filium viderunt? Filius dice-
bat, sed Pater docebat. Ego cùm homo sim, quem
doceo? Quem, fratres, nisi eum qui audit verbum
meum? Si ego cùm homo sim, illum doceo, qui
audit verbum meum: illum docet Pater, qui audit
Verbum eius. Si illum docet Pater, qui audit Ver-
bum eius, quære quid sit Christus, & inuenies
Verbum eius. *In principio erat Verbum.* Non in Ioan.1.v.1.
principio fecit Deus Verbum, quomodò in prin-
cipio fecit Deus cœlum, & terram: ecce quia non
est creatura. Disce trahi ad Filium à Patre, doceat
te Pater, audi Verbum eius. Quod Verbum, in-
quies audio? In principio erat Verbum. Non fa-
ctum est, sed *erat, & Verbum erat apud Deum, &*
C *Deus erat Verbum.* Quomodò homines in carne
constituti audiant tale Verbum? Quia *Verbum ca-*
ro factum est, & habitauit in nobis. Exponit hoc &
ipse, & ostendit nobis quid dixerit, *qui audiuit à*
Patre, & didicit, venit ad me. Continuò enim sub-
iecit, quod cogitare possimus.

Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est V.46.
à Deo, hic vidit Patrem. Quid est quod ait? Ego Al. *videt.*
vidi Patrem, vos non vidistis Patrem: & tamen
non venitis ad me, nisi trahamini à Patre: Quid est
autem nobis trahi à Patre, nisi discere à Patre?
Quid est discere à Patre, nisi audire à Patre? Quid
est audire à Patre, nisi audire Verbum Patris, id
est, me? Ne fortè ergo cùm dico vobis; *Omnis qui*
D *audiuit à Patre & didicit*, dicatis apud vos, sed
nunquam vidimus Patrem, quomodò ergo disce-
re potuimus à Patre? A meipso audite: *Non quia*
Patrem vidit quisquam, sed qui est à Deo, hic vidit
Patrem. Ego noui Patrem, ab illo sum: sed quo-
modò Verbum ab illo, cuius est Verbũ. non quod
sonat & transit, sed quod manet cum dicente, &
trahit audientem. Admoneat quod sequitur.

Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, ha- V.47.
bet vitam æternam. Reuelare se voluit quid esset:
nam compendio dicere potuit, qui credit in me,
habet me. Ipse enim Christus verus Deus est, &
vita æterna. Qui ergo credit in me, inquit, it in Christus vita mortuus, vt vitã habeamus.
E me: & qui it in me, habet me. Quid est autem ha-
bere me? Habere vitam æternam: Vita æterna
mortem assumpsit, vita æterna mori voluit: sed
de tuo, non de suo. Accepit à te, vbi moreretur
pro te: ab hominibus enim carnem assumpsit, sed
non more hominum. Nam Patrem habens in cœ-
lo, matrem elegit in terrâ: & illic natus sine ma-
tre, & hîc sine patre. Assumpsit ergo vita mor-
tem, vt vita occideret mortem. Nam *qui in me*
credit, inquit, *habet vitam æternam*: non quod pa-
tet, sed quod latet. Vita enim æterna Verbum, in
principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum,
& vita erat lux hominum. Ipse vita æterna, dedit

A Paschate.

A
Al. *venit.*
& caroi susceptæ vitam æternam. Mori voloit, sed die tertio resurrexit. Inter Verbum suscipiens, & carnem resurgeotem, mors media consumpta est.

V.48.
V.49.
Ego sum, inquit, *panis vitæ*. Et vode illi superbiebaot? *Patres vestri*, inquit, *manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt*. Quid est vnde superbitis? *Manducauerunt manna, & mortui sunt*. Quare manducaoerunt, & mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod ooo videbant, oon iotelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum.

Manna spiritaliter manducatum viuificauit.
Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem & corporalem, nunquid nos noo morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem? Sic sunt mortui & illi, quemadmodum & oos sumus morituri;

B
quantum attinet, vt dixi, ad mortem huius corporis visibilem atque carnalem. Quaotum autem pertinet ad illam mortem, de quâ terret Dominus, qoia mortui soot patres istorum: manducauit manna & Moyses, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, maoducauerunt ibi mulri qoi Domioo placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustauerunt, vt spiritaliter satiarentur. Nam & nos hodie accepimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti.

Eucharistia indignè sumpta occidit.
Quàm multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipieodo moriuntur.

C
1.Cor.11.v.29.
Vode dicit Apostolus: *Iudicium sibi manducat & bibit*. Nónoe buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit: & cùm accepit, io eum ioimicus intrauit: oon quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit.

De conf. dist.2.ca. *Et sanita* & cap. *Sicut Iudas.*
Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritaliter manducante, innocentiam ad altare apportate. Peccata & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera.

De conf dist 2.cap. *Panem de altari.*
Matth.6.v.12.
Antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum.

D
Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere noo potes. Nouit ille quid agas. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, iotus iudicat: intus aut damoat, aut coronat. Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores partes mormuratotum. Nam de nullâ re magis Dominum offendisse ille populus dictus est, quàm contra Deum murmuraodo. Ideo & Dominus volens ostendere eos talium filios, hinc ad eos cœpit. Quid murmuratis [in] iouicem mormuratores, filij murmuratorum?

E
Patres vestri manna manducauerunt, & mortui sunt: ooo quia malum erat manna, sed quia

V.50.
malè manducauerunt. *Hic est panis, qui de cœlo descendit*. Hunc panem significauit manna, hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, io signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi:

1.Cor.10.v.1
Nolo enim vos, ioquit, *ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt*. Spiritalem vtique eandem:

De cōs.dist. 2 c. *Inquis* Eadem esca spiritualiter Patrū & nostra, quia idem Christus.
Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritalem verò quam oos. Sed patres nostri, noo patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes foerunt. Et adiongit: *Et omnes eundem potum spiritalem biberunt*. Aliud illi, aliud nos: sed specie visibili, quod tameo hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodò enim eundem potum? *Bibebant*, ioquit, *de spiritali sequente petrâ: petra autem erat Christus*. Inde panis, inde potus. Petra Christus io signo, verus Christus in Verbo & in carne.

Num.20.v.11.
Et quomodò biberuot? Percussa est petra de virgâ bis. Gemina percussio, duo ligna crucis significat.

V.50.
Hic est ergo *panis, qui de cœlo descendit. Vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur*. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacrameotum. Qui manducat intus, noo foris: qui manducat io corde, non qui premit dente.

V.51.
Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Ideo viuus, quia de cœlo descendi. De cœlo descendit & manna: sed manna vmbra erat, iste veritas est.

V.52.
Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo mag s noo capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim xhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt: hoc non posse fieri putauerunt. *Caro mea est*, inquit, *pro mundi vitâ*. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si voluoe viuere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi noo viuit, nisi corpus Christi. Iotelligite fratres mei quid dixerim. Homo es, & spiritum habes, & corpus habes. Spiritom dico, quæ anima vocatur,

Al. *constat.*
Commendatur vnitas exemplo spiritus viuificantis corpus.
quâ constas quòd homo es: constas enim ex animâ & corpore. Habes enim spiritum inuisibilem, corpus visibile. Dic mihi qoid ex quo viuat? Spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui viuit. Qui autem hoc non potest respondere, oescio si viuit. Quid respondet omnis qoi viuit? Corpus vtique meum viuit de spiritu meo. Vis ergo & tu viuere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. Nunquid enim corpus meum viuit de spiritu tuo? Meum viuit de spiritu meo, & tuum de spiritu tuo. Non potest viuere corpus Christi nisi de Spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem;

1.Cor.10.v.17.
De conf. dist. 2 ca. *Hoc est sacramentum.*
Vnus panis, ioquit, *vnum corpus multi sumus*. O sacramentum pietaos, ô sigoum vnitatis, ô vinculū charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vode viuat. Accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanū: hæreat corpori, viuat Deo de Deo.

* *Viuat in Deo de Deo.*
Nunc laboret in terrâ, vt postea regnet io cœlo.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euang. eiusdem expositio.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Ioā. 6.v.44
N*Emo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, &c.* Iudæi, Iesu dignitatē imminuunt, qui Patrem, qui in cœlis est, ignorent; nec ipsum vniuersorum Domini prolem esse, vllatenus agnoscant, sed ad solā Matrem, & Ioseph respiciant. Proinde acriùs quodammodo eis occurrit, atque ad ipsam rursus diuinam dignitatem resilit, quâ ratione ipsum hoc nouerat, quod

illi susurrarent, eisque in mentem venisset, cogitandum ipsis relinquens, se à veritate excidere, & abiectè admodum de eo sentire. Qui enim omnino corda nouit, & cogitationes cordis scrutatur, nihilque ignorat quod mente versetur, quomodo non diuinâ iam gloriâ exornandus sit, ac supra humanam paruitatem in tantum efferendus, quantum supra homines Deus attollitur? Cogitationem itaque muris adhuc formis impressam, & murmurationem occulto susurro inter eos exortam, ob eam, quam modò dicebam,
V. 43. causam patefaciens, *Nolite murmurare*, inquit, *inuicem*. Tum ostendens diuinâ doctrinâ acce-
Fides, Dei donum. ptum bonum esse Christi mysterium, ac supernæ gratiæ opus esse eius cognitionem, non posse quemquam ad se peruenire ait, nisi Patris admonitionibus tractum. Hîc autem rursus aliud agebat nihil, quàm vt fleto, & acerbissimo dolore quærendam suaderet, eorum, quæ iam molesta fecissent, veniam, & vt per fidem in ipsum velut è profundo ad salutem trahantur, Patris scilicet consilio, propensiorique diuinâ ope iter eis planum, ac facile reddente, quod ipsi licenter peccando exasperauerant. Cæterùm, excitaturum se à mortuis qui crediderit, commodùm asserebat, hinc iterum crassis & indoctis Deum se per naturam, ac verum ostendens. Viuificandi enim, & mortuum ad vitam iterum reuocandi potestas, soli quidem naturæ diuinæ iurè congruat, nec vlli creaturæ adscribenda sit. Viuentis enim est viuificare, non eius qui precariò vitæ munus ab alio accipit.

V. 45. *Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo.* Auditorum contumaciam vt Deus intelligens, testimonio comprobat quod à se dictum erat; iamque olim per sanctos Prophetas prædictum, ac prænuntiatum fuisse, ostendit, causas omnes præuertens quibus illi meritò ei contradicendum putauerint; ipsorumque nihilominus inscitiam retegens, quòd & istud rursus nescire conspiciantur, quamuis lege instructi vt futura pernoscerent. Cogit igitur vel inuitos iam assentiri. Nec enim consentaneum erat, Prophetarum quoque vocibus ipsos repugnaturos, quibus prædictum est, Deum & Patrem eius mysterium dignorum auribus instillaturum, & Filium suum reuelaturum, arcanâ ratione quemlibet alloquendo, bonumque intelligentiam, ac sensum diuinitus infundendo. Cùm autem superiùs ait, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* eiusmodi tractionem ostendit, quæ nullâ vi, ac necessitate cogat, dum addit.

V. 45. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad*
Arbitrii ad fidem libertas. *me.* Vbi enim auditio, & disciplina, & eruditionis fructus, fides vtique persuasione atque assensu, non necessitate existit. Opitulantis potiùs munere, ceu ex charitate, à Patre præstatur Christi ea notio ac intellectus, quàm cogentis necessitate. Etenim veritatis dogma, rectáque fides, hominis nos animo adigit seruare voluntatis arbitrium, vt ob virtutes iusta præmia deposcat; sin autem à recto deflexerit, ac præ inertiâ Legislatoris voluntatem transgressus fuerit, iustissimam pœnam recipiat. Sciendum porrò, tametsi Pater, Christi mysterium aliquos docere dicatur, non tamen in hoc solum ipsum operari, quin potiùs per Filium, ceu propriam sapientiam, rem peragere. Intelligere quippe conuenit, reuelationem eam quâ intelligentia præstetur, fore nunquam à Patre citra sapientiam. Patris verò sa-

A Paschate.

pientia, Filius est. Igitur vt per sapientiam, per suam prolem, Pater, in iis qui digni sint, reuelationem præstabit. Et vt verbo, ac planè verè dicam, si quis omnia quæ Deus ac Pater in nonnullis vult & operatur, quæque Filius similiter, ac quæ sanctus Spiritus, communia totius Trinitatis esse dixerit, haud à veritate aberrarit. Ob
Opera Trinitatis indiuisa. hanc enim causam, vt existimo, cùm Deus ac Pater Filium suum reuelare dicatur, ac vocare ad eius fidem qui sunt comparatiores, ipse etiam Filius id facere deprehenditur, nec minus Spiritus sanctus. Ait quippe Saluator, Petro, qui magnâ fiduciâ fidem in ipsum profiteretur, *Bea-* Matth. 16. v.
tus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non 17.
reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Ipse autem istud alibi facere cernitur. Ac præclarè sanè sibi Paulus placet, triumphatque ac ouat, dum de Christi mysterio clamat, *Neque* Gal. 1. v. 12.
enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu Christi. Quin etiam videre licet Spiritum sanctum nihilominus nobis reuelare Christum. Vnde sapientissimus Ioannes scribit, *Et vos vnctionem quam accepistis ab eo,* 1 Ioan. 2. v.
maneat in vobis: & non necesse habetis vt aliquis 27.
doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Et ipse alicubi Saluator, de Paracleto, ait, hoc est, de Spiritu: *Adhuc multa habeo vobis di-* Ioan 16. v.
cere, sed non potestis portare modò. Cùm autem 12.
venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Cùm enim sit Spiritus veritatis, illuminabit eos in quibus fuerit, & ad veritatis intelligentiam deducet. Atque hæc dicimus, non quasi in diuersa scindamus, aut vel Patrem suis omnibus diuisum à Filio, seu Filium à Patre, quin nec Spiritum ab vtroque, statuamus: sed quoniam vna reuerâ deitas est, & ita in sanctâ ac consubstantiali Trinitate existens prædicatur; quæ earum cuilibet tribuuntur, & seorsim adscribi videntur, cùm operationes, tum consilia totius Trinitatis esse decernimus. Non enim per seipsam separatim, diuina ac inseparabilis natura operatur, quod ad vnam deitatis rationem attinet, quamuis per se, ac in propriâ hypostasi singulæ personæ consistant. Est enim Pater id quod est, & Filius similiter, ac Spiritus sanctus.

Obseruandum porrò nomina quæ ad aliquid Pater Filiū, Filius Patrem, manifestat ex ipsâ relatorum naturâ.
dicuntur, alterum ex altero cognosci, & vnius significationem in significatione alterius spectari. Igitur necesse est planè per Patrem indicari Filium, & vicissim per Filium Patrem. Cum altero enim alterum simul intelligitur: & si quis nouerit Patrem Deum, vtique Filium ex ipso genitum intelliget, & vicissim. Qui enim Filium confiteatur, non nesciet Genitorem. Quare Deus quatenus est Pater, atque ita intelligitur & prædicatur, suæ prolis notitiam auditoribus infundit: quà verò Filius ex ipso per naturam nominatur, ac reuerâ est, Patrem annuntiat. Idcirco ad ipsum ait, *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Ioan. 17. v.
Quia enim apud fideles innotuit Filius, Patris 26.
nomen manifestatum esse ait. Cognitionem verò suæ Prolis Deus ac Pater nobis indere censendus est, non voce fragoris ex alto, ac tonitrui instar orbem circumsonante, sed diuinâ scilicet illustratione nobis affulgente ad intelligentiam Scripturæ diuinæ: ad quod nobis quoque Filium adiutorem esse comperies. Scriptum enim est quodam loco de sanctis discipulis, quia *tunc aperuit* Luc 24. v.
45.

oculos eorum, vt nimirum *intelligerent* diuinas A *Scripturas*.

V. 46. *Non quia Patrem vidit quis, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Præuidens rursum, vt Deus, reuelaounem Spiritus minimè suscepturos, nec supernam illam illnminationem intellecturos, sed præ nimiâ temeritate petiuros vt Patrem liceret contueri, atque, vt ita dicam, ex ipsomet eius aspectu, erudiri, quod, vt existimabant ipsorum quondam Patribus obtigisset, cùm in montem Sina Dei claritas descendisset: eos denuo reuocat, ac freno veluti quodam à tam crassâ de Deo intelligentiâ retrahit, docetque nun esse putandum inuisibilem naturam corporeis oculis cerni vnquam posse. *Nemo* enim, inquit, *Patrem vidit vnquam.* Videtur autem hîc rursus etiam Moses Propheta subinnui. Existimabaur enim, idque stultissimè Iudæi sentiebant, ex eo quòd in caliginem iogressus erat, arcanam Dei spectasse naturam, ac corporeis oculis, quod est per naturam, purissimam illam ac incorruptam pulchritudinem vsurpasse. Sed ne si apertiùs de sapientissimo Mose diceret, videretur ad solitum eos furorem irritare, tum simul de omnibus indefinitè, tum quasi de illo, air, *Non quia Patrem vidit quis.* Nolite enim, inquit, poscete quæ naturam excedunt, nec ad ea quæ creaturis omnibus inuia sunt, stultis desiderijs inuolate. Fugit enim diuina & incomprehensa natura, latetque, non modò nostros, sed & omnium creaturatum oculos. Hac enim dictiooe, *nemo*, C omnia complectitur: cùmque se & ex Deo esse, & Patrem vidisse statuat, ab omnium se nimirum classe eximir; de quibus intelligenda vox illa negans, *Nemo.* Cùm ergo extra omnia sit, & nemine Patrem vidente, solus ipse planè videat, num iam noo io omnibus, vt vnus ex illis, censeodus sit, sed extra omnia, tanquam superior omnibus? Ac cùm omnia à Deo esse dicantur, nec quicquam tameo videat Deum: *Omnia enim ex Deo*, vt Paulns air: vnus autem ipse Deum videat: illud *à Deo*, rectè exponemus, vt & vni ipsi proprium sit, quod est esse ex substantiâ Patris. Nisi enim ita se res haber, quamobrem cùm omnia à Deo esse dicantur, vti modò dicebamus, D solus ipse ad Genitoris visionem ascendit, propterea quòd est à Deo? Quapropter paulò licentiori abusu dictum istud sit de creaturis: A Deo enim sunt omnia opificij ratione, propterea quòd in ortum per ipsum educta suut: de Filio verò, alio qoodam ac veriori modò, *à Deo* dicetur; tanquam ex ipso per naturam. Quare cùm in omoium oumero non sir positus, sed extra omnia existat, ac super omuia, velut Pater, non pari cum omnibus imbecillitate tenebitur, quippe cùm pari cum illis naturâ non teneatur: sed velut qui ad Genitoris recurrat naturam, eum omninò videbit, ex quo sir. Quo autem modo, quáue E ratione vel ipse Patrem videat, aut vicissim videatur à Patre, haud nostræ liogua facultatis sit explicare: eâ tamen quæ Deum maximè deceat existimaodum fieri ratione.

I. Ioan. 4. v. 12.

Exod. 19.

Nulli, nec Mosi visus Deus corporalibus oculis.

Sic fere Græci, Chrys. Theodor. &c. exponendi de visione vel ex naturâ, vel quâ Deus comprehendi possit.

Christus ex Deo: id est, ex eius substantiâ.

V. 47. *Amen, amen dico vobis, Qui credit in me habet vitam æternam.* Fides itaque ianua est, & via ad vitam, atque à corruptione ad iocorrupoonem recursus. Mirari tamen nihilo secius licear auditoribus singularem in his dispeusationem, Quia enim cernir eos oihil planè intelligere, oeque putare Prophetarum dictis fidem habendam esse, quicquid ad fidem ceu ex humanis rationibus infirmum, outansque erat, iureiurando assertâ veritate succidens, luculentisque, ijs, qui crediderint, propositis præmijs, non secus ac quibusdam machinis eos vel nolentes trahit, & ad id quod prædicatur, impellit. Quid enim charios vitâ æternâ, ijs, esse possit, quibus mors acerba, & corruptionis casus videntur duri? Sapientem porrò magistrum & hoc decet, vt qualibet viâ ad vitam ducente insipientes ac væcordes ad meliorem frugem reuocare contendat. Ipse verò qui vita æterna sit, seipsum credenobus præbiturum pollicetur: Quod est, *Inhabitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Eph. 3. v. 17.

V. 48. *Ego sum panis vita. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt &c.* Clarè admodum in his videre licet, quod ab Esaiâ B Prophetâ prædictum est, *Manifestatus sum non quærentibus me: inuentus sum ab his, qui me non interrogabant. Dixi, Ecce ego, genti, quæ nomen meum non inuocauerunt. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, & contradicentem.* Toto euim sermonis detracto cortice, omnique vt ita dicam, retectâ veste ac inuolucro, nudè iam se Israëlitis manifestat, dicens, *Ego sum panis vita*: vt binc discant, si velint corruptionis immunes esse, ac quæ ex præuaricatione eis ingruat, mortem depellere, necessariò accedendum ad eum sumendum, qui vitam præstare queat, aboleatque corruptionem, ac mortem destruat. Proprium namque illud reuerâ, ac conuenientissimum facinus vitæ per naturam. Quoniam autem Patribus suis datum in deserto manna asserentes, panem qui reuerâ de cœlo descendit, id est, Filium, non suscipiebant, idcirco figuram necessariò cum veritate componit, vt ita intelligant, ooo esse illum panem qui de cœlo descendit, sed quem rei ipsum periculum talem per naturam esse monstrarit. Vestri Patres, inquit, ac maiores manducando maona, quod natûra corporis debitum exposceret, reddiderunt, temporariam inde vitam elucrati, exque illo diurouin carni adhibentes cibum, vix obtinebaot quin statim morerentur. Quòd autem ad vitam immortalem nullo manoa sumentibus compendio fuerit, argumentum certissimum est, non esse rejpsâ panem, qui de cœlo descendit. Contrà verò signum est Filium verè ac propriè vitæ panem esse, quòd qui semel sumpserint, ac per communionem quodammodo ei commixti fuerint, ipsis quoque mortis vioculis potiores teddaotur. Quòd enim pro imagine potiùs, seu Christi vmbrâ manna sumatur, ac paoem vitæ subindicaret, nec ipse panis vitæ esset, multis antea diximus. Fauet & Psalmista clamans io Spiritu, *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Videtur id quodammodo de Israëlitis dictum esse: haud tamen ita est; imò potiùs ad nos pertinet. Nunquid enim stultum, ac E dementiæ plenissimum, existimare sanctos Angelos, qui in cœlo suor, licet incorpoream sortitos naturam, crassiori cibo vesci, ijsque adiumeotis egere ad vitam conseruandam, quæ terrenum hoc corpus experieris? Haud enimuerò intellectu difficile arbitror, quòd cùm sint Spiritus, cibo quoque spiritali ac iotelligibili nutriaotur. Quooam igitur modo panis Angelorum maioribus Iudæorum subministratus esse dicitur, si verè hæc à Propbetâ dicuntur? Verùm clarè liquet, quòd cùm manna Christi figura ac simulacrum esset, qui omnia vt sint cootinet atque

Isai. 65. v. 1.

Manna figura panis vitæ; id est, Christi, & Eucharistiæ.

Psal. 77. v. 24.

Manna panis Angelorum, Christi figurâ.

conseruat, ac Angelos quidem alit, quæ verò in terris versantur, viuificat, veritatis nomine, quod velut in vmbrâ, obscuriúsque significaretur, Propheta vocabat: eâ ratione quòd non possint Angeli terreno illo cibo vti, auditores etiam inuitos à crassâ illâ mannæ existimatione extrahens: & ad rationem spiritalem (Christi nimirum, qui & sanctorum Angelorum panis sit) reducens. Itaque qui manducauerunt manna, inquit, mortui sunt, vtpote qui nullâ ab eo vitâ impartiti sint. Non enim erat profectò viuificum; sed aduersus potiùs carnis famem remedio erat, velutque in typum verioris mannæ vsurpatum. Qui verò vitæ in se panem suscipiunt, præmij loco immortalitatem habebunt, sprétaque penitùs corruptione, ac quæ inde mala sunt, ad perpetuam vitæ in Christo longitudinem ascendent. Nec obstat quòd ijs qui Christo impartiti sunt, necessariò mors gustanda sit. Nam licet humanitùs eis mors accidat, tamen, vt Paulus ait, viuunt, in Christo victuri.

Rom.6.v.11.

V. 50. Phil. 3.v 1. Repetitâ sæpe doctrinâ opus.

Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi &c. *Eadem vobis loqui, me quidem non piget; vobis autem tutum est;* scribit quodam loco diuinus Paulus, hoc ipsum, puto, ex ipsis verbis Dominicis edoctus. Quemadmodum enim feris vlceribus non vno medicamento est opus, sed multiplici remedio, eoque iugi ac continuo tandem expugnatur: sic animo contumaci ac præfracto crebra & continua à magistris subsidia adhibenda esse reor. Nec enim vna, primáque statim admonitio deliniat; sed identidem, licet ijsdem verbis, repetita. Sæpe itaque Saluator eundem Iudæis sermonem inculcans variè proponit, modò quidem ænigmate, ac multâ inuolutum obscuritate, modò autem reiectâ tunicâ nudum & apertum: vt nisi crediderint, defugiendæ damnationis omni iam prætextu careant, malique malè pereant, qui sibi ipsi in suam perniciem gladium adigant. Nihil igitur occultans demum Christus ait, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Manna typus erat, & vmbra, & figura. Audite palam nunc, & apertè, *Ego sum panis viuus. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Qui ex illo manducauerunt, mortui sunt: non enim erat viuificus: *Qui autem manducat hunc panem* (me scilicet, id est, carnem meam) *viuet in æternum.* Cauendum itaque ne obdurescamus pietatis sermonibus, Christo nos haud semel, sed sæpius ad se vocante. Haud quippe dubium est, quin grauissimorum criminum habendi sint rei, qui extremâ ducti væcordiâ, & per immanem incredulitatem, rerum optimarum Magistro impudenter insultare non verentur. Quare de Iudæis ait, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent à peccato suo.* Nam qui auribus verbum salutis in cor nunquam admiserunt, mitiorem forsitan iudicem nancíscentur, nullo modo se audisse causantes, licet maximè eo nomine ex eis reposcenda ratio, quòd vt discerent quærere neglexerunt. At qui sæpe, etiam ijsdem admonitionibus, ac sermonibus ad inuestiganda ea quæ sibi prosint, erudiuntur, séque tamen ipsos rebus optimis stultè fraudare in animum inducunt, acerbissimè punientur, ac velut in offensum Regem occurrent, nullam suæ dementiæ excusationem, quâ eum placare possint, inuenire valentes.

V.49.

Ioan.15.v.22.

V.52.

Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Morior, inquit, pro omnibus, vt omnes per meipsum viuificem, & carnem meam pro omnium carne redemptionem dedi. Morietur enim mors in morte meâ; & mecum simul, quod corruit, inquit, resurget hominum genus. Idcirco enim vobis similis factus sum, homo nimirum ex semine Abraham, vt per omnia fratres referrem. Quod cùm rectè intelligeret (Christi nimirum dictam modò sententiam) ipse quoque beatus Paulus ait, *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter eorum particeps fuit: vt per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium: id est, diabolum.* Nec enim aliter vnquam destrui poterat, is, qui mortis imperio pollebat, adeóque mors ipsa, quin se Christus pro nobis, vnus pro omnibus redemptionem daret: quippe cùm supra omnes esset. Proinde etiam in Psalmis quodam loco seipsum pro nobis quasi hostiam immaculatam Deo ac Patri offerens, ait, *Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Holocausta & pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Cùm enim sanguis taurorum & hircorum, & iuuencarum cinis non sufficeret ad expiãdum peccatum: sed nec brutarum animantium cędes mortis imperium destruere vnquam posset, ipse se propemodum Christus pœnas pro omnibus perpessurus infert. *Liuore enim eius sanati sumus,* inquit Propheta; *Et peccata nostra in corpore suo ipse pertulit super lignum.* Crucifixus autem est pro omnibus, & propter omnes, vt vno pro cunctis moriente, omnes in ipso viuamus. Non enim fieri poterat vt à morte detineretur, aut corruptioni succumberet, qui Vita per naturam esset. Quòd autem pro mundi vitâ suam Christus obtulerit carnem, ex eius porrò verbis cognoscemus. *Pater* enim, inquit, *sancte, serua eos.* Et rursus, *Pro eis sanctifico meipsum.* Quibus verbis ipse seipsum sanctificare ait, non sibi ipse consulens, eâ sanctificatione, quæ animi, ac spiritus emundatione geritur, quemadmodum se res in nobis habere intelligitur; ac neque participatione Spiritus sancti (erat enim in eo Spiritus naturaliter; eratque, & est semper sanctus, atque in perpetuum erit) sed *sanctifico*, ait, pro consecro & offero quasi hostiam immaculatam in odorem suauitatis. Sanctificabatur enim, siue sanctum iuxta legem vocabatur, id, quod super altare offerebatur. Dedit ergo suum corpus Christus pro vitâ omnium, & per ipsum rursus in nobis vitam inserit: quonam autem pacto, dicam pro viribus. Postquam enim viuificum Dei Verbum in carne habitauit, in suum eam bonum, hoc est, ad vitam transmutauit; prorsusque arcanâ vnionis ratione ei copulatum, viuificam reddidit, non secus ac ipsum est per naturam. Proinde Christi corpus ipsum sumentes viuificat. Quippe mortem expellit, cùm in morti obnoxios venerit, eximitque à corruptione, dum rationem quæ perfectè corruptionem aboleat, in se parturit.

Hebr.2.v.14.

Matth.20.v.28. 1.Tim.2.v.6

Psal.39.v.7

Isai.53.v.5. 1.Petr.2.v.24.

Act.2.v.24

Ioan.17.v.11.&19.

Christi sanctificatio, eius de se oblatio.

ἐνοικίζει locat, ponit in nobis. Christi caro viuifica.

Sed dicet forsan aliquis, resurrectionem mortuorum mentis oculo attentè considerans. Num verò qui Christi fidem non susceperunt, nec eius sunt facti participes, resurrectionis tempore non reuiuiscent? Quid porrò? Nonne omnis creatura, quæ in mortem lapsa sit, ad vitam reuocanda est? Ita sanè: futurum est, vt omnis caro re-

Futura omnium resur-

rectio, vera, Christi fidelium. uiuiscat; suscitatum enim iri mortuos, Propheta prænontiat. Christi enim resurrectionis mysterium ad omne humanum genus spectare statuimus, ac in ipso, primóque nostram omnem naturam à corruptione liberatam esse credimus.
Isai.26.v.19
Omnes enim resurgent, pro eius similitudine, qui propter nos suscitatus est, ac qui eâ ratione quâ homo est, vniuersos in se habet. Et quemadmodum in primo Adamo cõclusi sumus in mortem, sic in Primogenito rursus ex mortuis propter nos, omnes reuiuiscent; sed, *Qui bona quidem egerunt, in resurrectionem vitæ*, vti scriptum est: *qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*
Ioan.5.v.29.
Resurgere verò ad pœnam, & ad sola supplicia reuiuiscere, morte ipsâ longè acerbius esse iudico. Magis itaque propriè vita vtique in Christo intelligenda est, quæ in sanctitate, & beatitate, ac perpetuâ iucunditate posita est. Nam & hanc veram esse vitam, agnoscit sapientissimus Ioannes, dicens, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.*
Vita propriè quæ in Christo.
Ioan.3.v.36
Ecce enim, ecce non visuros vitam incredulos affirmat: quamuis omnis creatura reditum ad vitam, ac resurrectionem expectet. Manifestum est igitur, illam Sanctis paratam in gloriâ & sanctitate, vitam iure meritò Saluatori nuncupatam esse, quam ijs persequendam qui ad viuificam carnem sumendam accedunt, nemo sanæ mentis ambigit. Sed quoniam Saluator sæpe iam seipsum panem nuncupauit, videamus rursus cum aliquid eorum quæ anterioribus prædicta oraculis sunt, hoc nobis vocabulo in mentem reuocare, ac sacris contenta literis, in memoriam reducere velit, in quibus sub figurâ panis pridem etiam designatus sit.

Scriptum igitur est in Numeris: *Et ait Dominus ad Moysen, dicens, Loquere filijs Israël, & dices ad eos, cùm ingrediemini in terram, in quam ego induco vos: & erit quando comedetis de panibus terræ, tolletis delibationem, segregationem Domino, primitias conspersionis vestræ. Panem segregabitis ipsam delibationem. Sicut delibationem ab areâ, sic segregabitis ipsum, primitias conspersionis vestræ: & dabitis Domino delibationem in progenies vestras.* Obscurè profectò, ac velut crasso sub amictu istiusmodi lex figurabat: prænuntiabat verò rursus panem vtique illum verum qui de cœlo descendit, hoc est, Christum, & dat vitam mundo. Animaduerte enim quo pacto homo sicut nos propter nostri similitudinem factus, delibatiu velut quædam nostræ massæ, ac primitiæ, sicut scriptum est, primogenitus ex mortuis factus, Deo ac Patri oblatus est, & primitiæ omnium resurrectionis in ipsum cœlum ascendens. Quippe ex nobis assumptus est; nam semen Abrahæ apprehendit, vti Paulus testis est: oblatusque est vt ex omnibus ac pro omnibus, vt omnes viuificaret, ac tanquam ex areâ primus manipulus Deo ac Patri offerretur. Quemadmodum autem cùm sit ipse vera lux, eius rei etiã gratiam, discipulis suis adiecit, Quippe ait, *Vos estis lux mundi*: sic quoque cùm sit panis ille viuus, & cuncta viuificans, atque vt sint conseruans, iuxta similitudinem rursus ac per vmbram Legalem, ceu in duodecim panibus sactum Apostolorum chorum figurauit. Sic enim ait in Leuitico. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Præcipe filijs Israël: & sumant tibi oleum de oliuis mundum expressum ad lumen, vt ardeat semper lucerna extra velum in tabernaculo testimonij.*
Num.15.v.18.
V.33.
Col.1 v.18. 1.Cor.15.v.20.
Matth.5.v.14.
Leuit.24.v.2.
Apostolorũ figura panes propositionis.

Addit prætereà. *Et sumetis similaginem, & facietis inde duodecim panes: de duabus decimis erit panis vnus: & impones eos duplici ordine. Sex panes vno ordine super mensam mundam coram Domino. Et impones super dispositum ordinem thus mundum & sal: & erunt panes ad commemorationem propositi Domino.* Lucerna igitur quæ in tabernaculo sancto erat, & extra velum lucebat, diuinum Ioannem esse, antè diximus: quæ oleo quidem purissimo fouebatur, hoc est, illuminatione spiritali. Extra velum tamen, quòd eius doctrina primæ institutionis, ac præparantis rationem habebat. *Parate* enim, inquit, *viam Domino: rectas facite semitas Dei nostri.* Quæ enim erant intra velum, hoc est, occultum de Christo mysterium, haud multum patefecit. *Ego enim*, inquit, *vos baptizo in aquâ in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu & igni.* Vides quo pacto effulgeat quidem, qui velut simpliciore doctrinâ ad pœniteńtiam vocet: quæ verò sunt intra velum ea denudanda relinquat, qui per ignem ac Spiritum baptizat. Sed de his fusiùs in principio libri disseruimus ad istum locum, *Erat ipse lucerna ardens, & lucens.* Hæc autẽ velut obiter modò attigimus, quòd necesse erat ostenderemus, è proximo statim à Ioannis ingressu sequi sanctorum Apostolorum designationem. Ob hanc enim causam, vt existimo, Scriptura ipso prænuntiato, duodecim nobis panum contemplationem apponit. *Facietis*, inquit, *duodecim panes: de duabus decimis erit panis vnus.* Solet diuina Scriptura denarium numerum semper perfectum accipere, & plenissimum agnoscere. Numerorum enim sequentium series & ordo, reuolutione quadam & multiplicatione eiosdem numeri, quò libuerit, progreditur, & excreditur. Ex duabus itaque decimis singulos quosque panes constare iubet, vt in discipulis pari iugo (actione scilicet & contemplatione) virtutem perfectam spectares. Imponi autem duos ordines iubet, ipsum propemodum locum submonstrans, quem ijs meritò Christo deferebant, cùm sibi eum medium semper adhiberent; atque vt præceptorem circumstare solerent. Vt autem extremus ipsos, sicuti Paulus ait, Christi bonum odorem Deo ac Patri fuisse, thus imponi iubet panibus, & sale conspergi. Dictum est enim ad eos quodam loco, *Vos estis sal terræ.* Sed & sabbatis cummodum afferri iubet: extremis quippe sæculi temporibus designari sunt. Est autem sabbatum, postremus septimanæ dies. Neque id solùm: verùm etiam quia tempore aduentus Saluatoris nostri spiritaliter sabbatizauimus. Cessauimus enim à peccatis. Contingit verò vt & sancti Apostoli nobis tunc exhiberentur, quorum diuinis scriptis enutriti, ad sanctimoniam vitæ euehimur. Idcirco sabbatis potissimum iubet panes in sacrâ mensâ proponi, hoc est, in Ecclesiâ: sæpe enim ex parte totum significatur. Quid verò sanctâ illâ Christi mensâ sanctius fuerit? Quocirca, vt panis quidem Saluator præfigurabatur in lege: sed panes rursum discipuli ad similitudinem eius dicuntur. Omnia enim verè quidem erant in Christo, sed similitudine cum ipso, etiam in nobis sunt per eius gratiam.
Ioannes lucerna extra velum.
Matth.3.v.3 Isai.40.v.3
Ioan.5.v.35
μετὰ τὸν πρόδρομον velut ab eius ingressu in theatrum.
Leuit 24.v.5.
2.Cor.2.v.15.
Matth.5.v.13.

SANCTI LEONIS PAPÆ
de ieiunio Pentecostes.

SERMO I.

Cap. 1.

HOdiernam, dilectissimi, festiuitatem descensione sancti Spiritus consecratam sequitur, vt nostis, solenne ieiunium, quod animis corporibúsque curandis salubriter institutum, deuotâ nobis est obseruantiâ celebrandum. Repletis namque Apostolis virtute promissâ, & in corda eorum Spiritu veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cœlestis sacramenta doctrinę, hanc spiritalis continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio primitùs fuisse conceptam: vt sanctificatæ ieiunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores. Aderat quippe Christi discipulis protectio omnipotentis auxilij, & principibus nascentis Ecclesiæ tota Patris Filijque diuinitas, in præsentiâ sancti Spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus persequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudine, nec carnis erat saturitate certandum: cùm hoc maximè hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat: & tantò fiat rationalis anima purgatior, quantò fuerit substantia carnis afflictior.

Ieiunium animis, corporibúsque curandis salubriter institutum.

Ieiunium Pentecostes institutum Spiritu sancto auctore.

Ieiunium contrà persecutiones roborat.

Cap. 2.

Hi itaque doctores, qui exemplis & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis ieiunijs inchoarunt: vt contra spiritales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma raperent, quibus incentiua vitiorum truncarent. Inuisibiles enim aduersarij, & incorporales hostes non erunt contra nos validi: si nullis carnalibus desiderijs fuerimus immersi. Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est, sed inermis atque inefficax erit, si nihil in nobis vnde contra nos pugnet, inuenerit. Quis autem hac fragili carne circundatus, & in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multum validéque profecerit, ita iam de suâ salute securus sit, vt ab omni se illecebratû periculo credat alienum? Donet licet Sanctis suis quotidianam gratia diuina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipsum de misericordiâ protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret.

Armat aduersus spiritales nequitias.

Nunquam deest dimicandi materia.

Cap. 3.

Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, póstque perceptum sancti Spiritus donum, salubriter & necessariè consuetudo est ordinata ieiunij: vt si quid fortè inter ipsâ festiuitatum gaudia, negligens libertas & licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Quæ ob hoc quoque studiosiùs exequenda est, vt illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ diuinitùs sunt collata, permaneant. Templum enim facti Spiritus sancti, & maiore quàm vnquam copiâ diuini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentijs vinci, nullis vitijs possideri: vt virtutis habitaculum nullâ sit contaminatione pollutum.

Instituti post Pentecosten ieiunij ratio.

Cap. 4.

Quod vtique regente atque adiuuante Domino omnibus obtinere possibile est, si per ieiunij purificationem, ac per misericordiæ largitatem studeamus & peccatorum sordibus liberari, & A charitatis fructibus esse fœcundi. Quicquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captiuorum, & in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur: nec vnquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit, dum quodcunque tribuit ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsorũ miserebitur* Deus: neque delictorum memoria erit, vbi testimonium pietatis adfuerit. Quartâ igitur, & sextâ feriâ ieiunemus. Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolũ vigilias celebremus: cuius nos orationibus, & à spiritalibus inimicis, B & à corporeis hostibus confidimus liberari, Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecom viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Ieiunio, & eleemosy-nâ peccata purgantur.

Matth. 5. v. 7.

Intercessionis Sanctorum efficacia.

EIVSDEM DE IEIVNIO
Pentecostes.

SERMO II.

Cap. 1.

DVbitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam eruditionis esse C diuinæ, & quicquid ab Ecclesiâ in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione Apostolicâ, & de sancti Spiritus prodire doctrinâ: qui nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, vt ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Nam cùm in die Pentecostes, quem à Pascha Domini quinquagesimum celebramus, promissus à Domino Spiritus sanctus, expectantium mentes maiori quàm vnquam copiâ, & clariore præsentiâ suæ maiestatis impleuerit, manifestissimè patet inter cætera Dei munera, ieiuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festiuitatem indiuisa subsequitur tunc fuisse donatam: vt sicut fuit concupiscenD tia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum.

Traditionis Apostolicæ auctoritas.

Ieiunium Pentecostes Spiritu sancto auctore institutum.

Cap. 2.

In exercendo autem hoc Dei munere, non ideo segniores esse debemus, quia & Iudæi & hæretici sæpe ab edendi libertate se continent, & apud ipsos paganos sunt quædam vana ieiunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* cum diuisis ab vnitate corporis Christi, nullâ similitudine comparamur, nullâ communione miscemur, quod vtique nobis saluberrimum maximúmque ieiunium est. Ad virtutem enim conE tinentiæ nihil prius pertinet, quàm ab erroribus abstinere: quia tunc demum benè ambulatur, cùm per viam veritatis incedimur. Nam quia angusta & ardua declinantes, procliua & lata sectando, citò in perditionem deueniunt, melior est gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas festina per deuium.

Infidelium ieiunia infidelitate polluta.

Rom. 14. v. 23.

Saluberrimum ieiunium, nullâ communione misceri diuisis ab vnitate corporis Christi.

Cap. 3.

Agnoscat ergo catholicus Christianus fructus ieiunij sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti Spiritus rigatione processerit. Cùm enim dicat Apostolus, nullas sibi virtutes sine charitate prodesse, idémque

Al. sanctitatem.

1. Cor. 13. v. 4.

Rom. 5. v. 5.

dicat, eharitatem Dei diffusam esse in cordibus A nostris per Spiritom sanctum, qui datus est nobis: cauendum est, ne booa quæ facere sine eharitate non possumus, elaóone perdamus. Nam omni se mentò laude dispoliat, qui de studijs industriæ suæ in se magis quàm in Domino gloriatur; cùm beatus Dauid doceat in Sanctorum operibus Deum esse laodandum, dicens: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël; ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi sua.* Et iterum: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in iustitiâ tuâ exaltabuntur: quoniam gloria virtutis eorum es tu.*

Al. bonitate Perennat bona opera per inanem gloriam.

Psal. 67. v. 36.

Psal. 88. v. 17.

Cap. 4.

Et ideo, dilectissimi, secundum eruditionem B Spiritus sancti, per quem Ecclesiæ Dei omnium virtutom collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solenne ieionium, & in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione iactantiæ, ad Dei gloriam euncta referentes, qui & bonarum est inspirator vnluntatum, & bonarum est auctor actionum, dicente Domino: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum: Ameo.

Deus & bonorum inspirator voluntatum, & auctor actionum.

Matth. 5. v. 16.

EIVSDEM DE IEIVNIO *Pentecostes.*

SERMO III.

SAnctarum solennitarum, dilectissimi, ordine celebrato, & spiritalis lætitiæ deuotione completâ, oportet nos ad salubritatem recurrere parcitatis, remediúmque ieiunij & exercendis mentibus, & castigandis adhibere corporibus: vt quia nos satis de hoe & diuina monita, & propria experimenta docuerunt, primùm per sacratorum dierum recursum dioinæ pietati gratias referamus, cùm sanctas continentiæ delitias appetentes, aliquantolum nobis de terrenorum ci- D borum abundantiâ subtrahamus: ita proficiat eleemosynis, qnod non impenditur mensis. Tunc enim demom ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiunijs præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino; *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis:* si animas nostras à peccatorum sordibus eopimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur, Per Christum Dominum nostrum: Amen.

Iungenda ieiunijs eleemosyna. Hæc illis præstat.

Luc. 11. v. 4.

EIVSDEM DE IEIVNIO E *Pentecostes.*

SERMO IV.

Cap. 1. Ieiunium Pentecostes ab Apostolis institutum.

INter omnia, dilectissimi, Apostolicæ instituta doctrinæ, quæ ex diuinæ institutioois fonte manarunt, dubium non est, influente in Ecclesiæ Principes Spiritu sancto, hanc primùm ab eis obseruantiam fuisse conceptam, vt sancti obseruatione ieionij, omniom virtutum regulas inchoarent: quia multum ad præcepta Dei exe- A quenda prodesset, si Christiana militia contra incentiua omnia vitiorum, continentiæ se sanctificatione muniret. Cùm enim per illeeebram cibi irrepserit prima causa peccati, quo salubriore Dei munere vtitur redempta libertas, quàm vt nouerit abstinere à concessis, quæ frenare se nesciuit à vetitis? *Omnis* quidem *creatura Dei bona est, & nihil est abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Sed non ad hoe ereati sumus, vt fœdâ & impudeoti auiditate omnes mundi copias expetamus, tanquam, quod lieet sumi, oon liceat prætermitti.

Ieiunii causa & origo.

1. Tim. 4. v. 4.

Laudabile licitis piè abstinere.

Cap. 2.

Lauderur Deus, qui homioom vsui tam multa donauit: sed agnoscat rationalis animus, maio- B res delicias menti datas esse quàm earni. Et cùm audit sibi per Spiritum sanctum dici, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ auertere,* intelligat sibi eontra omnia, quæ seosibus corporeis blandiuntur, temperantiæ sectandam esse virtutem: per quam dum exterioris hominis voluntas minuitur, sapientia interioris aogetur. Non enim idem vigor cordis est sub onete cibi, qui sub lenitate ieiunij, nec eundem sensum potest sarietas generare, quem parcitas. Quia eùm caro concupiscens aduersus spiritum, spiritali cupiditate superatur: libera obtinetur sanitas, & sana libertas, vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio.

Eccl. 18. v. 30.

Temperantia, animi vigorem auget.

Gal. 5. v. 17.

Cap. 3.

C Ad hanc ergo vtilitatem nos, dilectissimi, præsens tempus iouitat, vt à resurrectione Domini vsque ad aduentum Spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in lætitiâ præcipoæ festiuitatis exegimus, ad ieiuniorum remedia recurramus: ne fortè per occasionem licentiæ blandioris, aliqoas oegligentiæ culpas delectabilium vsus inciderit. Terra enim earnis nostræ nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas tribulósque prodocit, & partu degeneri dabit froctum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum, dicente Domino: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* D Custodienda igitur nobis omnium germinum seminúmque generositas, quam ex summi agricolæ plantatione concepimus, & vigili solicitudine prouidendum, ne Dei munera aliquâ inuidentis inimici fraude violentur, & in paradiso virtutum non crescat sylua vitiorum.

Caro assiduè domanda, ac castiganda.

Matth. 15. v. 13.

Cap. 4.

Ad declinandum autem hoe malum, nihil est potentius eleemosynis atque ieiunijs: dum & carnales cupiditates continentia necat, & desideriorum spiritalium fructus, misericordiæ cura multiplicat. Vnde charitatem vestram solenniter admonemus, vt per castigationem corporis, & per opera pietatis, muodari ab omnium peecatorum sorde curemus. Quartâ igitur, & E sextâ feriâ ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias eelebremus, cuius meritis & orationibus ita nos per omnia credimus adiouandos, vt misericordia Dei & ieiunijs nostris adsit & votis, Per Christum Dominum nostrum: Ameo.

Sanctorum meritis & orationibus adiuuamur.

THEOPHYLACTI EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangely expositio.

Ioan. 6.v. 44. Liberū arbitrium. Sed tamen hæc aptitudo oon est in nobis nisi à Deo.

N*Emo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Hoc dicit, non vt libertatem tollat arbitrij: absit, sed vt ostendat quòd multa habeat opus cooperatione à Deo is, qui crediturus est. Et aliter, Illos trahit Pater, qui habent voluntatis aptitudinem: eos autem qui seipsos non faciunt idoneos, non trahit ad fidem. Nam sicut magnes oon omnia ad quæ propriùs applicatur, sed solum ferrum attrahit; ita & Deus ad omnes quidem appropiat, eos autem qui magis idonei, & familiaritatem erga ipsum præ se ferunt, trahit. Igitur Pater quidem trahit & adducit ad Filium, Filius autem resuscitat & viuificat, spirationem in bonis ac vitam, hoc est, Spiritum sanctum, tribuens. Itaque sancta Trinitas benefacit ijs qui credunt, & non Pater solus, vel Filius solus: sed sicut vna natura, ita vna operatio beneficentiæ Patris adducentis, Filij viuificantis, Spiritus sancti qui sit ijs qui viuificantur, pro spiratione. Omnis enim qui viuit, etiam spirationem habet. Vide autem auctoritatem Filij, *Ego*, inquit, *resuscitabo*. Non enim dicit, Pater meus resuscitabit, sed, *ego*: Non enim omnia humilia loquitur, sed nonnunquam sublimia suæ deitatis detegit.

V. 45. *Est scriptum in Prophetis, &c.* Dixit superius, C quòd is quem Pater traxerit, ad ipsum veniet: volens autem hoc probare & confirmare, in Prophetas refert sermonem: *Est* enim, inquit, *scriptum in Prophetis, Erunt omnes docti à Deo.* (Isai. 54. v. 13) *Omnes* autem, qui voluerint videlicet. Communis enim doctor Pater per reuelationem notum facit dignis Filium suum. Tangit enim corda simplicium, & dolo carentium: reuelat illis Filium, sicut & Petro reuelauit ipsum. (Vt docti omnes à Deo. Matth. 16. v. 16.) Igitur qui audit à Patre, hoc est, qui Patris reuelationem accipit, & discipulus illius verè efficitur, hic venit ad me. Vide autem quomodò cum diligentiâ loquitur omnia. Non enim dixit, Qui audit à Patre, ille venit ad me: sed addit, *& didicit.* D Non enim sufficit audire, sed adsit oportet & discere. Quid igitur? Nunquid in veteri non fuerunt docti à Deo? Fuerunt quidem, sed non sic. Hic enim excellentia est, in nouo dico testamento. (Noui testamenti doctrinæ excellētia præ testamenti veteris.) Nam tunc quidem discebant per homines de Deo: Nunc autem Vnigenito incarnato, ab ipso Patre in sancto Spiritu scientia fit, vt ita impleatur propheticum dictum, *In lumine tuo*, Patris scilicet, hoc est Spiritu, *videbimus lumen*, (Psal. 35. v. 10) quod est Filius. Meritò nunc omnes docti sumus à Deo, qui fidem in Christum suscepimus.

V. 46. Quia autem dixit, *Qui audit à Patre, ille venit ad me:* vt ne quis suspicetur quòd de carnali E patre dicat, inquit, Non hoc dico, quòd videat quis Patrem, nisi Filius, qui verè ex illo est, & natus ex substantiâ illius. Nam omnes quidem A ex Deo sumus, sed propriè Filius vnus est; qui & Patrem nouit.

Ego sum panis ille vitæ, &c. Comparat cum V. 48. manna alimoniam quam ipse dat. Nam ego quidem, inquit, sum panis vitæ. Verùm qui comederunt manna, mortui sunt. Non absque causâ autem addit, *in solitudine*, sed volens monstrare quòd non valde diu datum fuit patribus manna, sed tantùm in solitudine, nec cum eis inuectum sit in terrâ promissionis. Verùm hic panis non est talis, sed perpetuò durans: & ita Iudæi multò plura bona accepturi erant, siquidem voluissent, quàm patres sui. Quomodò autem non maiora, quæ dantur à Christo? (Maius quid panis datus à Christo, quàm māna) Nam etsi quis gustauerit mortem, viuit tamen propter spem resurrectionis. Manifestè autem nobis hoc loco de mysticâ B communione corporis sui dicit.

Nam panis, inquit, *quem ego dabo, caro mea* V. 51. *est, quam ego dabo pro mundi vitâ.* Porrò potestatem suam indicans, quod non vt seruus, & minor Patre crucifigendus sit, sed voluntariè, inquit, *Ego dabo carnem meam pro mundi vitâ.* Nam quamuis & à Patre dicatur esse traditus, attamen & seipsum tradidisse dicitur: & illud quidem, vt discamus eius cum Patre concordiam; hoc autem, vt liberam voluntatem Filij non ignoremus. Attende autem, quòd panis qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantùm figura quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. (Panis qui in sacris editur mysteriis, non tantùm figura est, sed caro Domini.) Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, C figura est carnis: sed, *Caro mea est.* Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti Spiritus, in carnem Domini. (Panis per mysticam benedictionem transformatur in carnem Domini, quod appositissimâ similitudine demonstrat, quam copiosè exponit Samonas Episcopus.) Et ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodò, inquit, non apparet nobis caro, sed panis? Vt non abhorreamus ab eius esu. Nam siquidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente D Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus. Pro mundi autem vitâ carnem suam ad mortem dedit: moriens enim mortem soluit. Intellige autem per vitam mundi, etiam resurrectionem. Mors enim Domini generalem resurrectionem toti hominum generi operata est. Fortassis autem & eam quæ in sanctificatione in beatitudine consistit vitam, mundi vitam nominauit. Nam quamuis non omnes acceperint sanctificationem & vitam in spiritu, Dominus tamen seipsum pro mundo dedit, & quantum in ipso erat, mundus seruatus, naturáque sanctificata est, eò quòd ac- E cepit virtutem vincendi peccatum per vnum hominem Dominum nostrum Iesum Christum, sicut & per vnum peccatum Adam ceciderat. (Rom. 5. v. 18)

FERIA V. POST PENTECOSTEN.

LVCÆ IX.



N illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi [a] manete, & inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illâ, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes, & curantes vbique.

[a] Quandiu in illâ ciuitate prædicabitis.

GLOSSA ORDINARIA *in superius Euang.*

Luc.9.v.1.

Onuocatis autem. Concessâ primùm potestate signorum mittuntur prædicare regnum Dei, vt magnitudini promissorum attestetur etiam magnitudo factorũ: & fidem verbis daret virtus ostẽsa, & noua facerent qui noua prædicarent.

V. 3. *Nihil tuleritis.* In Marco legitur, vt nihil tol-
Marc.6.v.8 lerent in viâ nisi virgam tantùm. Sed sciendum est, quia vtrunque præceptum est à Domino: vt nihil nisi virgam ferrent, & vt nec virgam ferrent. Non ferre virgam, est non esse solicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi: quia hæc debentur prædicatoribus ab his, quibus prædicant: quando sine scandalo possunt accipi. Nihil ferre nisi virgam, est vti illâ potestate accipiendi necessaria, quæ data est prædicatoribus.

Ferre virgam, & non ferre.

Duas tunicas. Simplex vestimentum est, quicquid est necessarium alicui secundum qualitatem loci vel temporis. Duplex est, quod vltra necessitatem est. Allego. In duabus tunicis, duplicitatem prohibet.

V. 4. *Ibi manete.* Ne excurseris per domos, & inuiolabilis hospitij iura muteris. Vnde secundum Matthæum, domus in quâ manere debeant priùs
Matth.10.v.11. eligenda est, vt mutandi hospitij necessitas auferatur.

V. 5. *Puluerem pedum.* Puluis excutitur in testimonium laboris sui: quòd ingressi sunt in ciuitatem, & vsque ad illos prædicatio peruenit. Vel, excutitur vt nihil ab eis accipiant qui Euangelium spreuerunt, nec etiam necessaria vitæ. Allegor. Ne communiceris inanibus verbis & gestis perfidorum, quæ pulueri comparanda sunt, ne castæ mentis vestigium polluatur. Puluerem verò fidelis populi qui humanâ fragilitate colligitur, de-
2. Cor.11.v.29. bet prædicator Euangelij abolere, & quasi suum in se suscipere. Vnde Apostolus, *Quis infirma-*
A *tur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?*

Egressi autem. In Marco legitur, *Exeuntes* V. 6.
prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmo- Marc.6.v.12.
nia multa eyciebant, & vngebant oleo multos agros & sanabant.

CATENA AVREA. *in idem Euang.*

Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, Luc.9.v.1.
dedit illis virtutem, &c. Cyril. Decebat In Cat. Græc.
institutos ministros factarum doctrinarum posse mira peragere, & per ipsos effectus credi quòd essent Dei ministri: vnde sequitur, *Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis &c.* In quo cla-
B tum supercilium diaboli flectit, qui dicebat aliquando, *Non est qui contradicere valeat.* Isai.10.v.14.

Evseb. Et vt per eos venetur genus huma- In ead. Cat.
num, non solùm dat eis vt prauos spiritus pellant, sed etiam quamlibet infirmitatem sanent ex eius imperio: vnde sequitor, *Et vt languores curarent.*

Cyril. Attendas hîc diuinam Filij potestatem Thesauri l.4.c.14.
naturæ corporali non conuenientem. Agere namque miracula aderat Sanctis, non naturâ, sed participatione Spiritus sancti. Super hoc autem alijs concedere potestatem, prorsus alienum erat ab eorum virtute. Qualiter enim posset natura creata super Spiritus dona possidere dominium? At Dominus noster Iesus Christus tanquam natu-

Potestas miraculorũ ab Spiritu sancto.

C raliter Deus existens, impartitur huiusmodi gratiam quibus vult, non inuocans in eos alienam virtutem, sed infundens ex promptuarijs proprijs.

Chrys. Postquam autem satis confortati Hom 33. in Matth. inter princip. & med.
fuerant ex eius comitiuâ, & competens nacti sunt argumentum virtutis eius, mittit eos: vnde sequitur, *Et misit illos prædicare &c.* Vbi considera quòd non committitur eis aliquod sensibile dicere, sicut Moyses & Prophetæ, qui terram & bona terrena promittebant. Hi verò regnum cœlorum, & quæcunque continentur in eo.

In Cat. Græc. GREGOR. NAZIAN. Mittens autem discipulos A ad prædicandum Dominus multa eis iniunxit, quorum summa est: sic eos virtuosos esse, sic constantes atque modestos, & vt breuiter loquar, cœlestes, vt non minus propter eorum modum viuendi, quàm propter verbum Euangelica doctrina propagaretur. Et ideo cum æris & baculi carentiâ, & amictus singularitate mittebantur. Et ideo subdit: *Et ait ad illos, Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, &c.*

Hom. 33. in Matth circa med illius. CHRYS. Plurima quidem per hoc constituebat: Primò quidem insuspectos reddens discipulos: secundò sequestrans eos à qualibet curâ, vt totum studium adhiberent verbo: tertiò docens eos propriam virtutem. Sed forsan dicet aliquis, cætera quidem habere rationem, sed non habere peram in viâ, nec duas tunicas, nec baculum, cuius rei B causâ præcipit? Volẽs scilicet excitare eos in qualibet diligentiâ. Et vt ita loquar ex hominibus Angelos faciebat eos, dirimens à qualibet curâ vitæ, vt vnâ solâ curâ detineantur doctrinæ.

In Cat. Græc. EVSEB. Volens igitur eos carere cupidine rerũ in solicitudinibus vitæ, protestatus est hæc. Sumebat enim experimentum fidei & animositatis eorum, qui habito in mandatis extremæ vitam ducere paupertatis, non effugiunt quæ iubentur. Decebat enim eos quoddam commercium facere, & recipientes salubres virtutes recompensare obedientiâ mandatorum: & cùm milites eos faceret regni Dei, accingit eos ad pugnam in hostes, monendo colere paupertatem. *Nullus enim militans* C

2. Tim. 2. v. 4. *Deo implicat se vitæ sæcularis negotijs.*

L. 6. in Luc. AMBROS. Qualis ergo esse debeat qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur: hoc est, vt subsidij sæcularis adminicula non requirat, fideique totus inhærens putet quò minùs ista requirat, magis posse suppetere.

In hoc loco. THEOPH. Sic enim ipsos mendicos mittit, quòd neque panes ipsos portare vult, nec aliquid aliud quibus indigent multi.

Lib. 2. c. 30. AVG. de con. Euang. Vel Dominus hæc possidere discipulos ac ferre noluit, non quòd necessaria non sint sustentationi huius vitæ, quia sic eos mittebat, vt eia hæc deberi monstraret ab illis, quibus Euangelium credentibus nuntiarent, vt D sic securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit secundum Marcum *nisi virgam*: ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Hanc autem potestatem

Marc. 6. v. 8. virgæ nomine significauit, cùm diceret: *Ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm.*

L. 6. in Luc. AMBROS. Possunt etiam qui volunt hoc ad eum deducere tractatum, vt spiritalem tantummodò locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solùm potestate reiectâ contemptisque diuitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. E

In hoc loco. THEOPH. Quidam etiam Apostolos non portare peram, neque baculum, aut duas tunicas sic intelligunt, quòd non thesaurizent: hoc enim pera innuit congregans multa: neque sint iracundi & turbulenti spiritus, quòd significat baculus: neque sint ficti & duplici corde, quod significat tunica duplex.

In Cat. Græc. CYRIL. Sed diceret aliquis, Vnde eis necessaria erunt? Et ideo subdit, *Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.* Quasi dicat, Sufficiat vobis discipulorum fructus, qui recipientes à vobis spiritualia vos procurabunt. Iussit autem eos in vnâ domo manere, vt nec hospitem contristent (eum scilicet dimittendo) nec ipsi gulositatis & leuitatis suspicionem incurrant.

AMBR. Alienum namque à prædicatore regni cœlestis asserit cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Sed vt hospitij gratia deferenda censetur, ita etiam si non recipiantur excutiendum puluerem, egrediendúmque de ciuitate mandatur, cùm sequitur, *Et quicunque non receperint vos, &c.* L. 6. in Luc.

BED. Puluis excutitur de pedibus Apostolorum in testimonium laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio Apostolica ad illos vsque peruenerit: siue excutitur puluis, cùm nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui Euangelium spreuerunt. Luc. 9. c. 34. in Beda.

CYRIL. Nam improbabile valde est contemnẽtes sermonem & patremfamiliâs, se famulis benignos ostendere, vel benedictiones eorum exigere. In ead. Cat.

AMBROS. Vel non mediocris etiam boni remunerario docetur hospitij: vt non solùm pacem tribuamus hospitibus, verumetiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs auferantur. L. 6. in Luc.

BED. Qui verò perfidâ negligentiâ, vel etiam studio verbum Dei contemnunt, horum vitanda communio est, excutiendus puluis pedum, ne gestis inanibus pulueri comparandis mentis castæ vestigium polluatur. Luc. 9. c. 34. in Bedâ.

EVSEB. Cùm autem præcinxisset Dominus discipulos suos tanquam milites Dei diuinis virtutibus & sapientiæ monitis, mittens eos Iudæis vt doctores & medicos, ipsi secundum hoc procedebant: vnde sequitur, *Egressi autem circuibant per castella, & curantes vbique.* Quasi doctores quidem euangelizantes, sed quasi medici præstantes remedia, & verba miraculis comprobantes. In Cat. Græc.

EVSEBII PAMPHILI, *Euangelij eiusdem expositio.*

Ex Cat. Em. Card. Max.

F. FRANCISCO COMAAPIA Interprete.

COnuocatis autem Duodecim, &c. Idcirco Dominus suos discipulos diuinis virtutibus instruxit; atque in primis vt dæmonum cuneos, humanique hostes generis, ac inimicas acies mũdarent; tumque vt morbis, omnique ægritudine ijs laborantes liberarent, regni hæc prædicati insignia vniuersis spectanda præbens. Par enim erat vt qui nouam, ac inauditam prædicationem annuntiarent, nouorum, ac inauditorum bonorum signa perspicua discipulis exhiberẽt. Erant itaque regni Dei indicia portentosæ virtutes, ac miracula; animorumque, ac corporũ salubres curationes: adeóque sermo omnis rebus destitutus, imbecillior est quàm vt vnquam certam auditoribus fidẽ queat facere. Quamobrem ex ijs quæ reipsâ mirãda præstabant, claram prædicationi fidem perstruebant. Etenim si nudis verbis, ac temerè prolatis vocibus Dei regnum in omnium aures clamarent, deósque quos paterno illi ritu colebant profligandos edicerent, quis eis animum adhiberet? Cur nam suaderent Iesum Deum annuntiãtes, cùm testimonium nullo argumento probarent? Idcirco omnem Saluator rationem diuinis actionibus occupans, cùm primùm quidem incultos moribus, mundanæque sapientiæ ac eruditionis

Luc. 9. v. 1. Apostoli cur miraculorum virtute donati.

rudes discipulos suos, quorum operâ vniuersum A terrarum orbem componeret, elegisset, túmque facturum se illos piscatores humanarum animarũ prædixisset, auctor ipse promissionis effectus est. Quamobrem rerum illos admirandarum patratores faciens, salutares animarum hamos hæc illis tradit, quò per ea captum humanum genus è nequitiæ profundo extraherent, fugantes malignos spiritus, omnémque morbum eius præcepti vi sanantes, atque languorem.

V. 3. Matth. 10. v. 9. Præscripta illis inter prædicandũ vitæ ratio.

Et ait illis: Nihil tuleritis in viâ. In Matthæi quidem Euangelio, aurum, & argentum, æsque possidere illos prohibet futuri præcicius. Nouerat enim fore vt quos illi morbis curassent, atque insanabilibus ægritudinibus liberassent, suas ipsis B lubentes facultates omnes cederent; idcirco occupans retrahit ne gratiam quæstui habeant, admonensque ne donorum Dei institores existant; iuxta verò reliquos Euangelij scriptores, ipsúmque adeò Matthæum, non permittés illos virgam tollere, neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas; at neque panem, neque pecuniam deferre, cùm in alieno solo profectionem suscepturi essent; eorum fidem, ac propensam voluntatem probat, num iussi extremam paupertatem colere, vt ne quotidiani quidem cibi curam haberent, nec alteram tunicam, mutatoriamque deferrent, aut calceis vterentur, cùm vniuersum terrarum orbem peragraturi essent, ardua adeò C mandata defugerent. Sed & alieno eos ab auaritiâ animo esse volens, & vt nullâ vitæ solicitudine tangerentur, hęc contestabatur, tanquam Dei dona hac demum conditione collata essent, si modò illi quoque à seipsis congruam vitæ rationem, donorumque Dei possessione condignam pręstarét. Oportere enim vicem quandam, ac commutationem obtingere; vt à Deo quidem virtutes salutares, ac quibus humanum genus demereretur, acciperent, ijque vicissim illius præceptis dicto audientes essent, atque propensam voluntatem, omníque mundanâ affectione liberam rependerent. Sed & qui cœlestes diuitias in animorum suorum D penu reciperent, Deique regni arrhabone instructi essent, terrena putauit debere contemnere, ac ita comparatos esse, vt neque aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque eorum aliquid quæ in pretio habent homines, cœlestibus concessis diuitijs condigna existimarent. Denique etiam regni Dei milites eos instituens, expeditos bello contra aduersarios defungendo comparat; eámque ob rem abdicatis omnibus paupertatem co-

2. Tim. 2. v. 4.

lere admonet: quippe cùm *nemo militans implicet se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, qui ipsum militiæ ascripsit.*

V. 4.

Et in quamcunque domum intraueritis, &c. Posteaquàm Dominus pecunijs, auro, argẽto, duplici tunicâ, omníque rerum possessione discipulis in- E terdixit, tum consentaneè iuxta Matthæum vnde necessaria alimenta eis suppetẽt, necessariò exponit; idcirco adiunxit, dicens: *Dignus est enim operarius cibo suo;*

Matth. 10. v. 10.

idque dicendo, cibi duntaxat communicationem cum ijs qui eo impartiri velint, illis permittit; tantumque accipere indulget, quantùm ad annonam sufficiat viro, qui in diem locauerit operam. Sic itaque & illis non exigendam beneficiorum mercedem (*Gratis enim,* inquit, *accepistis, gratis date*) sed pro otio, atque operâ quam prædicandu impenderet, próque tantis laboribus quos longa adeò itinera conficientes desudare A conuenit, necessarium duntaxat cibum percipiendum fore, nec eius cum quouis obuio communicationem admittendã, autue ab ijs qui velint præbere nullâ personarum exploratione accipiẽdam; sed eos solùm qui sint digni, accipiendo honorandos esse.

S. AMBROSII MEDIOLANENsis Episcopi superioris Euang. expositio.

Luc. 9. v. 1. Prædicator Euãgelicus subsidia terraria non requirat.

Connocatis autem Iesus, &c. Qualis debeat esse qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur: vt sine virgâ, sine perá, si- B ne calceamento, sine pecuniâ, hoc est, subsidij sæcularis adminicula non requirens; fidéque tutus, putet sibi quò minùs ea requirat, magis posse suppetere: Quæ possunt qui volunt ad eum deriuare tractatum, vt spiritalem tantummodò locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiectâ, contemptísque diuitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum: vt pacem ferant, constantiam seruent, hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienum à prædicatore regni cœlestis astruens, cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura C mutare. Sed vt hospitij gratia deferenda censetur, ita etiam si non recipiantur, excutiẽdum puluerẽ, & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitij: vt non solùm pacẽ tribuamus hospitibus, verumetiam si qua eos terrenæ obombrãt delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs, auferantur. Nec otiosè secũdum Matthæum domus quam ingrediantur Apostoli, eligenda decernitur, vt mutandi hospitij necessitudinísque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hospitii; ne dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur.

Nam olim hospitii ius sanctum habebatur.

Matth. 10. v. 11.

D Sed hæc vt secundum litteram de hospitii religione venerabilis est forma præcepti, ita etiam de mysterio sententia cœlestis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquiritur: Videamus igitur ne fortè Ecclesia præferenda designetur, & Christus. Quæ enim dignior domus Apostolicę pręedicationis ingressu, quàm sancta Ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus videtur esse quàm Christus, qui pedes suis lauare consueuit hospitibus; & quoscunque suâ receperit domo, pollutis non patiatur habitare vestigiis; sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mutare processus? Hic est igitur solus quem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui benè dicitur: *Domine, ad quem ibimus? verba* E *vitæ æternæ habes: & nos credimus.* Vides executorem cœlestium præceptorum; qui quoniam non mutauit hospitium, cœlestis consortium consecrationis emeruit.

Domus spiritalis, Ecclesia; hospes Christus 24. q. 1. c. Quæ dignior

Ioan. 13. v. 5.

Ioan. 6. v. 69.

Fides igitur in primis Ecclesiæ quærenda mandatur: in quâ si Christus habitator sit, haud dubiè sit legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda synagoga censetur. Excutiendus pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus, tanquam humi arido arenosóque mentis tuę vestigium polluatur. Nam sicut cor-

poteas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet Euangelij prædicator, & tanquam proprijs inania gesta pulueri comparanda alleuare atque abolere vestigijs, iuxta quod scriptum est, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* (1.Cor.11. v. 29.) ita si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Quod Apostolus quoque euidenter asserit, dicens: *Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem deuita.* (Tit.3. v.10.)

Ex Cat. Re. & Em. Car. Maz.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euang. eiusdem expositio.*

F. FRANCISCO COMBEFIS Interprete.

Luc.9.v.1. **C***Onuocatis autem Duodecim, &c.* Verum dictu, clarum esse, ac gloriosum bonorum laborum fructum. Eos enim qui castissimam, ac purissimam, quoad homini concessum est, vitam instituere elegerint, suis Christus donis illustres reddit, vberémque eis rectè factorum mercedem sanctè tribuit, ac suæ claritatis consortes facit.

Apostolorũ gloria. Clarè id, ac perspicuè probatum sancti Apostoli exemplo fecerint. Vide enim præclarissimos effectos, humanáque maiori claritate donatos, hoc ipsum eis cum alijs tribuente Christo. *Dedit enim illis*, inquit, *virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt morbos curarent.* Vide autem iterum, vt factus homo Deus Verbum, humanæ naturæ transgrediatur modum, deitatisque ornamentis clareat. Superat enim humanæ modos naturæ potestatem impartiri quibus velit aduersus immundos spiritus, atque adeò posse morbis liberare illos, qui ijs teneantur, Deique solius id virtutis existit. Supremæ enim naturæ excellentia, ac claritas nulli rerum inest per naturam, præterquam vni illi, solique. Digna itaque admiratione, quæ sanctis Apostolis gratia collata fuit; omnemque laudem, ac miraculum superans tribuentis munificentia. Suam enim, vti dicebam, illis tribuit claritatem. Homo potestatem accipit aduersus spiritus nequam; excelsúmque adeò, atque superbum supercilium, nempe diaboli, detrahit: atque id, cùm is olim diceret: *Orbem terræ vniuersum comprehendam manu sicut nidum, & sicut oua relicta tollam: & non est qui me effugiat, aut mihi contradicat.* (Isai.10.v.14) Errauit tamen à veritate, atque à spe excidit arrogans ille, præfractéque temerarius, ac qui se aduersus omnes efferebat tanquam imbecilles. Aduersâ namque acie Dominus virtutum, sacræ illi prædicationis ministros opposuit. Idque enimuerò sit, quod prædictum vnius è sacrorum Prophetarum choro oraculis, déque satanâ, ac sanctis Magistris. *Subitò exurgent mordentes illum, & euigilabunt insidiatores tui, erisque illis in direptionem.* Tantùm enim illi satanam non momorderunt, eius gloriæ insidiantes, ac diripientes illius vasa, Christóque per fidem in ipsum offerentes. Iam, curiosiùs si lubet exquiramus, vnde clara hæc summéque illustris gratia deuenerit. Ergo tanto, talique honore, humanum genus vnigenitum Dei Verbum factum homo coronauit; nullóque modo à suâ excellentiâ deiectum, diuina operatum est: enutriuit satanam verbo robustissimo, increpauit spiritus nequam. Hæc via acceptæ potesta-

A tis super terram imperandi spiritibus nequam.

Ex Thesar. Christi deitas asserta. Hîc mihi iterum considera diuinam Filij potestatem, ac quæ naturam creatam minimè addeceat. Posse namque eorum aliquid efficere quæ meritò admirationem habeant, Sanctis quoque inerat, etsi non naturâ, sed Spiritus sancti participatione, ac a Deo; verùm alijs quoque munus impartiri quo hæc præstent, alienum prorsus ab eorũ virtute, ac potestate existit. Quomodò enim natura creata donorum Dei arbitra esse possit? At Dominus noster Iesus Christus, tanquam qui Deus naturâ existat, ac Filius, curat quidem auctoritate, non vt precum ambitum quærat, vti B illi, sed vt suæ, ac substantialis virtutis effectus edat; subministrat verò pariter & quibus velit hoc ipsum muneris, non alienam super eos inuocans virtutem, sed à se illis tribuens, haud secus ac ignis quoque, his qui propè accedunt, naturalem vim suam immittit. Quomodò igitur qui virtute Spiritus eos in quibus fuerit diuinæ substantiæ facit participes, creatus factúsque extiterit?

Miraculorũ gloriâ conciliata fides Apostolis. Quid verò? Ergóne frustra Apostolos tales fecit, ac cùm nulla necessitas suaderet, claros adeò reddidit? At quinam id verum sit? Decebat enim, vt qui sacræ prædicationis ministri designati essent, res admirãdas nouásque præstare possent, quò ab effectis fidem haberent, Dei se ministros esse, ac orbis terræ mediatores, qui vniuersos ad reconci- C liationem, ac fidei iustificationem inuitarent. Nã viris quidem cordatis, ac prudentibus, ipsa quandoque verba ad agnitionem veritatis sufficiant. Quòd tamen ad illos spectat qui minùs comparati suscipiendis ijs quæ dicuntur existant, miraculis opus sit, ac prodigijs. Sic enim vix tandem trahantur vt veritati assensum præbeant.

V.3. Apostolis vt iniunctũ nihil habere, aut ferre. *Et ait ad illos, Nihil tuleritis in viâ, &c.* Cùm sanctos Apostolos magnificis adeò dotibus ornasset, ire iubet vt vbique terrarum eius prædicent mysterium. Idcirco etiam expeditissimos esse præcipit, vúltque ab omni mundanâ solicitudine esse liberos, vt ne necessarij quidem cibi, ac quo humana fragilitas destitui non ferat, rationem vllam habeant. Ornamentum enim, ac velut coronam, inquit, illis fore, quòd nihil possideant, D nec omninò quicquam deferant, non virgam, non peram, non panem, non pecuniam, non duas tunicas, vix non dicens illud Psalmi, *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* (Psal.54. v. 23.) Etenim verum est quod ait ipse: *Non potestis Deo seruire, & mamonæ.* (Luc. 16.v.13) Vt igitur vniformem vniusque rationis vitam habeant, nec aliud spectent quàm solam doctrinam, omnem tum vestimentorum, tum cibi præcepit curam ablegandam. Verùm dicat aliquis, Vndenam ergo suppetant quæ sint necessarij vsus, & vt ijs carere non possint? Hoc quoque statim ostendit, cùm ait.

V.4. Ex eadem Mas. & Cord. *Et in quamcunque domum intraueritis, &c.* E Sufficiet, inquit, quem ij qui instituentur suggerent fructum. Illi à vobis spiritalia accipientes, necessarij commeatus vicem rependent. In domo autem vnâ manere illos iussit, & ab illâ non discedere, vt neque hospitem suum contristent, neque ipsi gulositatis, ac leuitatis suspicionem incurrant. Decebat enim, vt neque ij à quibus semel recepti essent, dono priuarentur; nec verò sancti Apostoli diuinæ prædicationis diligentiam ardorémque interrumperent, multis hinc inde trahentibus, non vt ea quæ saluti necessaria sunt ex illis discerent, sed vt mensam eis lautam, ac

necessitatis terminos excedentem instruerent.

Ex Maz.

Quòd verò honor Sanctis habitus mercede non careat, ex Saluatoris noscemus verbis. Ait enim ad discipulos: *Qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui misit me.* Proprios namque facit, inque suam personam accommodatione quadam refert, qui Sanctis habentur honores, quò tutos vndique reddat. Ac sicut omni bono potitur, spéque illustrissimâ fulcitur, qui eos recipit, ita vicissim. Extremæ namque miseriæ plenus erit, qui Sanctos honori habere nullius rem momenti duxerit. Idcirco ait.

Matth. 10. v. 40.

V. 5.

Et quicunque non receperint vos, &c. Ab ijs enim qui non eos receperint, nec sacræ verba prædicationis audire sustinuerint, nihil omninò accipiendum. Valde enim abhorret à fide, vt qui B salutarem prædicationem, ac patremfamilias probro affecerint, erga famulos benigni probique videantur, aut eorum quærant vestigijs susceptis benedici.

SANCTI MAXIMI, AD *idem Euangelium.*

Ex Cat. Em. Card. Maz.

ALtiori intellectu, dæmonia eijciebant; hoc est, perturbationum, atque vitiorum vim effugabant: ægrotos sanabant, ad pietatis habitum, qui priuati essent, spe reducentes; atque eos qui torpore languerent, mollesque effecti essent adstringentes iudicij incusso terrore.

Allegorica, ac moralis expositio, in quibus totus Maximus est.

Discipulus Euangelium prædicatum missus ille C existat, qui se moribus à mundo alienum prorsus ostendit; qui, quòd sine ære, sine virgâ, vnicámque tunicam habeat, auaritiam sibi, ac iram siue fiduciâ pro magistratu amputauerit; inartificiosámque, ac simplicem, & vniformem, omníque liberam duplicitate, velut tunicam vnam, moralem consectetur philosophiam; qui denique nullum prorsus instar calcei mortalitatis symbolum reliquerit animæ hærens vestigio. Fortè verò quò discipulos expeditos esse designet, hoc quoque alijs addit Dominus, *Neque peram tuleritis in viâ, neque virgam, neque calceamenta in pedibus vestris,* tanquam deceat eum, qui sublimem scientiæ viam capessiuit, omni terreno liberum esse pondere, omníque cupiditatis, ac D iræ vitiosâ affectione vacare, vti tum pera declarat, tum virga; quarum illa, cupiditatem; hæc, iram significat. Præsertim verò nudum esse simulationis dolo, calcei instar obtegente vestigium vitæ, vitiosámque animæ affectionem modestiæ fictâ specie celante: quos stultè calceos induti Pharisæi, speciem pietatis non pietatem habentes, tametsi se latere existimabant, à Verbo coarguti sunt. Atque hæc quod ad spiritalem attinet intelligentiam.

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Ex comment. in Luc. 9. v. 1.

COnuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, &c. Concessâ primùm potestate signorum, misit prædicare regnum Dei, vt promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum: fidémque verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent. Vnde nunc quoque cùm fidelium numerositas excreuit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt qui viam virtutum tenent, & signa virtutum non habent.

Data signa, vt nouæ doctrinæ facerent fidem.

A Quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam iuxta Magistri Gentium vocem, *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

1. Cor. 14. v. 22.

V. 3.

Et ait ad illos. Nihil tuleritis in viâ, &c. Solet quæri, quomodò Matthæus & Lucas commemorauerint dixisse Dominum discipulis vt nec virgam ferrent, cùm dicat Marcus, *Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ; nisi virgam tantùm.* Quod ita soluitur, vt intelligamus sub aliâ significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub aliâ illam, quæ secundum Matthæum & Lucam non est ferenda. Sicut sub aliâ significatione intelligitur tentatio, de quâ dictum est: *Deus neminem tentat;* & sub aliâ, de B quâ dictum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligitis eum.* Illa seductionis est, hæc probationis. Vtrumque ergo accipiendum est à Domino Apostolis dictum, & vt nec virgam ferrent, & vt non nisi virgam ferrent. Cùm enim secundum Matthæum diceret eis; *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* continuò subiecit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Vnde satis ostendit, cur eos hæc possidere, ac ferre noluerit. Non quòd necessaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus Euangelium credentibus adnunciarent. Claret autem hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam Euangelistæ viuere aliunde non debeant, quàm C eis præbentibus, quibus adnuntiant Euangelium: Alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam grauis esset: sed potestatem dedisse, in quâ scirent sibi ista deberi. Cùm autem à Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est. Cùm autem potestas datur, licet cuique non vti, & tanquam de suo iure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, *ijs qui Euangelium adnuntiant de Euangelio viuere,* illa Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna nec minima. Ideo posuit, *nec virgam,* ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, D nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est enim operarius cibo suo,* prorsus aperuit & illustrauit, vnde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significauit, cùm dicit, *ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm.* Vt intelligatur quia per potestatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt.

Mar. 6. v. 8. Discipulis vt virgâ prohibitis tollere, & vt permissi.

Iacob. 1. v. 13. Deut. 13. v. 3. Tentatio bona & mala.

Matth. 10. v. 9.

Permissum Apostolis ac prædicatoribus accipere necessaria vitæ subsidia ab his quibus prædicant, non præceptum.

1. Cor. 9. v. 14.

Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam, quam esset indutus, aliam portandam putaret, solicitus ne opus esset, cùm ex illâ potestate posset accipere. Quod E verò secundum Marcum non portari, vel haberi duas tunicas, sed expressiùs indui prohibet, dicens: *Et ne induerentur duabus tunicis,* quid eos monet, nisi non dupliciter sed simpliciter ambulare? Aliter. In duabus tunicis, videtur mihi duplex ostendere vestimentum. Non quòd in locis Scythiæ, & glaciali niue rigentibus vnâ quis tunicâ debeat esse contentus, sed quòd in tunicâ vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore seruemus.

Duas tunicas habere siue portare vt prohibitum Apostolis.

Mar. 6. v. 9.

V. 4.

Et in quancunque domum intraueritis, ibi ma-

nete, & inde ne exeatis. Dat constantiæ generale mandatum, vt hospitalis necessitudinis iura custodiant: alienum à prædicatore regni cœlestis adstruens cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Nec otiosè secundum Matthæum domus, quam ingrediantur Apostoli, legenda decernitur, vt mutandi hospitij, necessitudinísque violandæ causa non suppetat.

V. 5. *Et quicunque non receperint vos, &c.* Puluis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio Apostolica ad illos vsque peruenerit. Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Euangelium spreuerint. Allegoricè autem, qui verbo humiliter intendunt, si quibus vt homines terrenæ leuitatis næuis obscurantur, per ea mox, quæ recipiunt, Euangelicæ prædicationis vestigia, purgantur. Qui verò perfidiâ, vel negligentiâ, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur, excutiendus pedum puluis, ne gestis inanibus & pulueri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur.

Vt preceptũ excutere puluerẽ de pedibus.

V. 6. *Egressi autem circumibant per castella, &c.* Quid euangelizarent, vel quomodò curarent

Mar. 6. v. 12 Apostoli, Marcus exponit pleniùs: *Prædicabant,* inquit, *vt pœnitentiam agerent, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Dicit & Iaco- C

Iac. 5. v. 14. bus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super ipsum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Vnde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse contraditum, vt pontificali benedictione consecrato oleo, perunguantur ægroti. Prædicabant autem vt pœnitentiam agerent, & supra: *Misit illos,* inquit, *euangelizare regnum Dei.* Quia videlicet vtrun-

Vnctio extrema ex Apostolicâ traditione deriuata.

Math. 3. v. 2. que, iuxta Ioannis Baptistæ, vel ipsius Saluatoris exemplum prædicabant. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Regni enim cœlorum ianuis propinquare est, de ijs quemque, quibus ab eo discesserat, pœnitere.

D

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Luc. 9. v. 1. CONuocatis autem duodecim discipulis suis, *dedit illis potestatem, &c.* Ex hoc loco ostenditur excellentia deitatis Iesu: non enim ipse tantùm miracula facit, sed & discipulis hoc concedit. Vtique hoc non hominis, sed Dei fuerit, tanta ac talia dona præstare suis amicis. Dans autem eis potestatem contra malos spiritus, non illo contentus fuit, sed iussit etiam Euangelium prædicare. Docet enim vt is, cui concredita est doctrina, & prædicare, & miracula agere debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem: E multi enim multa miracula per dæmones fecerunt, quorum prædicatio sana non fuit, & miracula eorum ex Deo non fuerunt.

Ita autem ab omni re superfluâ nudat, vt neque panem eos ferre velit, neque aliud quid quæ plerique secum tollunt. Porrò præcipit eis & hoc, ne à loco in locum transiliant, sed in quancunque domum intrauerint, in illâ maneant, vt ne videantur inconstantes & mobiles. Puluerem verò excutiendum dicit, si non recipiantur, *in testimonium illis*, hoc est, in reprehensionem

A Paschate.

A ipsorum ac condemnationem, ostendentes eis, quòd multum itineris propter eos confecerint, nullumque inde lucrum habuerint. Quidam autem sic intelligunt Apostolos non gestare vel virgam vel peram, & nec tunicas duas habere. Ne thesaurizetis, cuius symbolum pera, quæ multa congreget: neque virgam gestetis: hoc est, ne sitis importuni, & ad verberandum proni: neque duas tunicas habeatis, hoc est, ne sitis duplices ac varij motibus.

Pera, virga, duæ tunicæ.

EVTHYMII ZIGABONI.
superioris Euang. expositio.

B

Luc. 9 v. 1. ET *accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus spiritus, &c.* Quomodò ergo cùm pauci essent discipuli, non addidit etiam dignitatem? Addidit vtique illis: at non in numero, sed in virtute. *Dedit,* inquit, *eis potestatem*; ita vt paucos etiam dixerit illos, non secundum defectum virtutis, sed numeri. Primùm ergo constituit eos medicos corporum, postmodum quod maius est etiam committit, curam videlicet animarum. Eijciebant autem dæmonia, & morbos curabant per nomen Christi.

Desumpta est expositio hæc ex capite 10. Matthæi, quo loco totum hoc Euangelisti explicatum erat.

V. 3. *Nihil tuleritis, &c.* Moris enim erat his qui per viam gradiebantur, crumenas ferre zonis appensas, in quibus æreos nummos habebant. Dat autem primùm discipulis legem perfectæ inopiæ, volens vt non solùm sine suspicione, sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis ac quibuslibet obuijs contenta. Deinde omni eos curâ liberat, quæ frequenter impedimento esse solet: suámque vult ostendere potentiam, quæ eis ad omnia sufficiat. Ideóque postmodum dicebat, *Quando misi vos sine loculis & perâ, num aliquid defuit vobis?*

Apostoli omni à Domino curâ liberati.

Luc. 22 v. 35

Neque peram ad viam, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque baculum. Quia regnum cœlorum annuntiabant, oportebat eos quasi Angelos de cœlo descendentes, leues ac D expeditos incedere, omni terrenâ curâ liberos, & ad solum ministerium sibi commissum respicientes. Peram autem dicit marsupium, quo ad iter immittendo pani vtebantur. Dignum est autem vt quæramus, quomodò Matthæus & Lucas dicunt iussisse, vt illi neque calceamenta neque baculum haberent: Marcus verò ait sola hæc eis permisisse. Quid ergo dicendum est? Quòd primùm quidem ita iusserit, sicut Matthæus & Lucas dixerunt; postmodum autem permiserit eis vt calcearentur tantùm sandalijs, & retinerent baculum ad pedum custodiam & sustentamentum corporis, demittens se ad imbecillitatem eorum, propter laborem qui ab itinere prouenit. Lucas verò pro eo quod est, *Nolite possidere*: habet, *Nolite portare*, sicut etiam refert Marcus. Ne autem dicant, Vnde alemur si nihil tulerimus. Ideo dicit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Nullo, inquit, vobis opus est viatico: digni enim estis qui alamini ab his, qui à vobis iuuantur, apud quos operamini, apud quos laboratis. Nam hoc non donum, sed merces est operis vestri, ac necessarium tanquam debitum.

Quasi Angeli expediti, & iccirco prædicatores missi.

Math. 10. v 10.

Mar. 6. v. 8. & 9.

Virga prius prohibita, tum concessa, vt & sandalia.

Math. 10. v 10.

Debita Euangelii ministris sustentatio.

Math. 10. v. 11. *In quamcunque ciuitatem aut vicum intraueritis, inquirite quis in eâ dignus sit: & ibi manete donec exeatis.* Ne putent quòd omnium qui

Diligendus hospes, nec delectus mutandus.

ab eis iuuarentur ianuas ingredi debeant, iubet A vt in quacunque ciuitate & vico, quærant vnum dignum, qui eos suscipiat, videlicet honestum Dei cultorem: & apud eum maneant, donec è ciuitate exeant: ne domum in domum permutantes, & eum qui se susciperat contristent, & gastrimargiæ suspicionem incurrant.

Ingredientes autem in domum salutate illam. Salutate, hoc est, pacem illi precamini. Hæc enim postmodum septuaginta discipulis præcipiens, dixit: *In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.*

Math. 10. v. 12.

Luc 10. v. 5.

Et siquidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super illam: si autem indigna fuerit, pax vestra ad vos conuertatur. Quia is qui suscipit sæpiùs digni nomen habet, vitam autem indignam, ideo dicit: Siquidem fuerit domus digna, veniat super illam pax quæ à vobis datur, id est, operetur in illam, fruatúrque pace & tranquillitate: si verò fuerit indigna, pax vestra ad vos conuertatur, siue nihil operetur: sed hac vobiscum sumptâ, exite. Vide quòd non dederit eis præcognitionem digni & indigni: vt re maximè necessariâ destituti, sese deprimant tanquam imperfecti. Admirandum est autem, quomodò postquam omnibus eos nudaunt, rursum illis omnia submiserit. Quis enim lætâ fronte non suscipiat hospitio quibuslibet obuijs contentos, ac solicitudine carentes, fulgentes non verbo tantùm & miraculis, verùm etiam quod magis est, bonâ vitâ?

Math. 10. v. 13.

Et quicunque non susceperit vos, neque audierit B *sermones vestros, exeuntes de domo aut ciuitate illâ, excutite puluerem pedum vestrorum.* Marcus dixit. *Excutite puluerem qui est subpedibus vestris, in testimonium illis,* siue ad redargutionem illorum. Manifestabant enim per talem excussionem quòd non solùm nihil inde acceperant, sed etiam puluerem qui inde adhæsisset, à pedibus suis excuterent, tanquam propter illos impium.

Math. 10. v. 14.

Mar. 6. v. 11.

FERIA VI. QVATVOR
TEMPORVM PENTECOSTES.
LVCÆ V.



IN illo tempore, Factum est in vnâ dierum, & Iesus sedebat docens: Et erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Hierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes quâ parte illum inferrent præ turbâ, [a] ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. [b] Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt autem cognouit Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est faciliùs [c] dicere: dimittuntur tibi peccata: an dicere, [d] Surge & ambula? [e] Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, [f] Surge, tolle lectum tuum, & [g] vade in domum tuam. Et [h] confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abijt in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

a Diuinitate cognitâ.
b Non paralytici qui sensu carebant.
c Dicto facere. Quod solus noui, qui dimitto.
d Quod vos etiam videre potestis.
e Innuit resurrectionem omnium.
e Quia idem est filius hominis & Deus.
f Vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis.
g Ne Christianâ fide curatus, moreris in perfidiâ Iudæorum.
h Bed. Magna virtus, vbi sine morâ salus imperium comitatur. vnde meritò qui aderant relictis blasphemijs stupentes ad laudem conuertuntur tantæ maiestatis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Luc.5.v.17.  *T factum est in vnâ dierum.* BED. Vbi sedens docuerit Lucas breuiandi gratiâ præteriit, sed Matthæus in ciuitate suâ; Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testatur. Sed ciuitas Christi dicitur Galilæa, in quâ erat Nazareth & Capharnaum, ad distinctionem regionis transmarinæ Gerasenorum de quâ transfretando venerat Galilæam, sicut Matthæus scribit. B Vel ipsa Capharnaum ciuitas Christi est, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam fecerat.

Et erant Pharisæi. AMBR. Inter cæterorum remedia debilium, conuenientibus ex omni parte doctoribus hæc paralytici sanatio describitur, vt magna & magnæ rei significatiua. Vnde orasse præmittitur, non propter suffragium sed propter dandum exemplum; id est, quo docetur vnusquisque æger petendæ salutis precatores adhibere, per quos vitæ nostræ compago resoluta, actuúmque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur.

V.18. *Viri portantes.* ALLEGOR. Id est, erigentes ad C superiora animum hominum, quamuis exterioris hominis debilitate torpentem: quorum rursus adminiculis, & attollere & humiliare se facilis, ante Iesum locetur, Dominico dignus videri aspectu. Humilitatem enim respicit Deus. (Vitiosa hæc ex Ambr. emendata.)

Et quærebant eum inferre, &c. BED. Desiderant offerte, sed turbâ interpositâ recluduntur: quia sæpe anima post infirmi corporis desidiam ad Deum respiciens, & diuinâ gratiâ innouari desiderans, pristinæ conuersationis obstaculo retardatur. Sæpe dum cum Deo in orationibus colloquitur, turba cogitationum interueniens, aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Sed non est exterius in infimis, vbi turbæ tumultuantur, remanendum: sed tectum domus in D quâ Christus docet, ascendendum; id est, sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, & lex Dei Psal.118.v.9. nocte diéque meditanda: quia in custodiendo sermones Dei corrigit iunior viam suam. Et patefacto tecto, id est, reseratis Scripturis, æger submittitur: quia ad Christi humilitatem fidei pietate descenditur, & ad Christi notitiam venitur.

V.19. *Et per tegulas.* BED. Domus Iesu tegulis tecta describitur, quia sub contemptibili literarum velamine, si assit doctor, qui reseret diuina, spiritualis gratiæ virtus inuenitur. Quòd cum lecto E deponitur, significat ab homine adhuc in istâ carne constituto, Christum debere cógnosci.

V.20. *Quorum fidem.* BED. Multum valet fides propria cuiusque, cùm per alienam fidem homo interius & exterius fit saluatus.

BED. Hæc curatio paralytici significat saluationem animæ suspirantis ad Deum de diuturnâ illecebrâ carnalis inertiæ, quæ indiget bonis doctoribus qui eam subleuent, & Christo offerant, Marc.2.v.3. & pro eâ intercedant. Qui apud Marcum quatuor fuisse leguntur, propter quatuor Euangeliorum libros, seu propter quatuor virtutes, quibus ad promerendam sospitatem mentis fiducia erigitur, quæ sunt, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia.

A Paschate.

A *Homo, remittuntur.* Tu homo peccator: ego Deus qui peccata remitto, qui aliorum merito tibi peccata relaxo. Qui ergo peccatis grauatur, adhibeat Ecclesiam quæ pro eo precetur. Quia pro culpâ animæ etiam corpus infirmabatur: ideo sanaturus corpus, priùs sanat animam.

Quis potest dimittere peccata. Nemo dimittit V.21. peccata nisi Deus, qui per eos quoque dimittit quibus potestatem dimittendi dedit. Cùm ergo Christus dimittat, verè Deus probatur. Verum testimonium Deo reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non B deest diuinitati, fides deest saluti. Deus autem volens saluos facere peccatores, & occultorum cognitione se Deum esse demonstrat, & admiratione factorum illis respondens: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Eadem maiestate & potentiâ quâ cogitationes vestras intueor, possum hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Sed quia spiritualem gratiam non cognoscitis, nec creditis quod interius factum est, probetur signo visibili quod non minoris constet esse potentiæ, vt in Filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, quâ potest peccata dimittere vt C Deus.

Vt autem cognoscatis. AMBR. Magnus Sa- V.14. cerdos lepram videbat in cordibus Iudæorum, & Luc.13. v.2. peiores ostendit illo leproso, cui purgato iussit se offerre Sacerdoti. Sed hos summus Sacerdos repudiat, ne alios quoque eorum lepra contaminet.

Tibi dico, Surge. BED. Surgere, est animam à carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, carnem à terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, ad paradisum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. Ecce per remissionem pœnæ, remissionem culpæ intellige.

Et stupor. AMBR. Spectant surgentem incre- D duli, mirantur abeuntem; & diuini operis miracula malunt timere, quàm credere. Nam si crederent, non timerent, sed diligerent. *Perfecta* 1. Ioan. 4. v.18. enim *dilectio, foras mittit timorem.*

CATENA AVREA,
in idem Euang.

Luc 5. v.17. ET *factum est in vnâ dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores, &c.* CYRIL. Scribæ & Pharisæi qui facti fuerant prodigiorum Christi visores, audiebant ipsum quoque docentem: vnde dicitur, *Et* E *factum est in vnâ dierum, &c.* (In Cat. Græc. Intellectus historiæ.) Non quasi mutuò acciperet potestatem alterius: sed quasi Deus & Dominus propriâ operabatur virtute. Fiunt autem homines sæpe donorum spiritalium digni, sed plerunque deficiunt eâ ratione, quam nouit donorum largitor, quod in Christo non accidit: Affluebat enim in præstandis remediis virtus diuina. Quia verò necessarium erat vbi tanta Scribarum & Pharisæorum turba conuenerat, aliquid fieri ex his quæ virtuti attestarentur ipsius, coram eis qui eum paruipendebant, factum est quoddam miraculum in paralytico: in quo quia defecisse videbatur medicinalis ars, portabatur à proximis ad supernum & cœlestem Medicum: vnde sequitur, *Et ecce viri, &c.*

In Cat. Græc.

CHRYS. Mirandi verò sunt qui paralyticum A addnxerunt, qualiter rùm nequissent intrare per ostium, nouum aliquid & alienum attentauerunt: vnde sequitur, *Et non inuenientes, &c.* Detegentes autem tectum deponút grabbatum, & ponunt in medio paralyticum: vnde sequitur, *Et per tegulas, &c.* Dicet aliquis demissum fuisse locum, à quo per tegulas deposuerunt paralytici lectum.

Luc. 5. cap. 17. in Bed.

BED. Hominem autem Dominus à paralysi curaturus, primò peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari; nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari: vnde sequitur. *Quorum fidem vt vidit, &c.*

Lib. 4. in Luc. cap. de sumitten-tium fide.

AMBR. Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, B cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscat.

Hom. 30. in Matth.

CHRYS. Occurrebat autem & in hoc ipsius patientis fides: non enim sustinuisset se inferiùs submitti, nisi credidisset.

Lib. 5. cap. 25. à prin.

AVG. de con. Euang. Quòd autem dicit, *Homo, dimittuntur tibi peccata*, ad hoc insinuandum valet, quia homini dimittebantur peccata, qui eo ipso quòd homo erat, non posset dicere, Non peccaui. Simul etiam vt ille qui homini dimitte- C bat, intelligeretur Deus.

In Cat. Græc. ex homil. 14. & 30. in Matthæum.

CHRYS. Nos autem si corporaliter patimur, satagimus nociuum abiicere: cùm verò malè sit animæ, differimus, atque ideo nec à corporis nociuis curamur. Abscindamus igitur fontem malorum, & cessabunt ægritudinum fluxus. Metu autem multitudinis suam intentionem aperire Pharisæi non audebant, sed solùm in cordibus suis meditabantur: vnde sequitur, *Et cœperunt, &c.*

Theoph. in hoc loco id habet.

CYRIL. In quo mortis præcipitant sententiam. Erat enim mandatum in lege, quòd quicunque blasphemaret in Deum, morte puniretur.

Libr. 5. in Luc.

AMBR. Itaque ab ipsis ex operibus suis Dei Fi- D lius accipit testimonium. Nam & validius est ad fidem, quòd confitentur inuiti, & perniciosius ad culpam, quod negant qui suis assertionibus relinquuntur: vnde sequitur, *Quis potest peccata dimittere, &c.* Magna in fide plebis amentia, vt cùm confessa fuerit filius Dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti.

Luc. 5. c. 17. in Bed.

BED. Verum enim dicunt, quia nemo peccata dimittere nisi Deus potest; qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest.

Libr. 5. in Luc.

AMBR. Dominus autem saluos volens facere E peccatores, ex occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. Vnde sequitur, *Vt autem cognouit, &c.*

In Cat. Græc.

CYRIL. Quasi dicat. O Pharisæi quia dicitis, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Respondeo vobis, Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus? qui per Prophetas dicit: *Ego Dominus scrutans corda, & probans renes.* (Ier. 17. v. 10.)

Hom. 30. in Matth.

CHRYS. Si ergo increduli estis erga primum, scilicet remissionem peccati, ecce aliud adiicio, dum intima vestra patefacio: quinetiam aliud, dum paralytici corpus solido: vnde subdit, *Quid est facilius, &c.* Palam quidem est, quia consolidare corpus facilius est: quantò namque nobilior est anima corpore, tantò est excellentior absolutio criminum: verùm quia illud non creditis, eo quòd lateat, adiiciam quod minus est, apertius tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstretur. Et quidem cùm allocutus est infirmantem, non dixit, Dimitto tibi peccata, propriam exprimens potestatem, sed *Remittuntur tibi peccata.* Cogentibus autem illis euidentiùs propriam declarat potestatem, dicens: *Vt autem sciatis, &c.*

Maius animam sanare, quàm corpus.

In hoc loco.

THEOPH. Vide quòd in terrâ dimittuntur peccata. Dum enim sumus in terrâ, peccata nostra delere possumus. Postquam verò à terrâ tollimur, non valebimus confiteri: clauditur enim ianua.

Hom. 30. in Matth.

CHRYS. Demonstrat autem peccatorum veniam per corporis sanationem: vnde sequitur, *Ait paralytico, Tibi dico, Surge.* Ipsam verò corporis sanitatem demonstrat per lecti portationem, vt sic non reputetur phantasia quod factum est: vnde sequitur, *Tolle grabbatum tuum.* Quasi dicat. Ego volebam per tuam passionem curare illos qui sani videntur, infirmantur autem in animâ: sed quia nolunt, vade tuam correcturus familiam.

L. 5. in Luc.

AMBR. Nec mora vlla sanitatis interuenit: vnum dictorum remediorúmque momentum est. Vnde sequitur, *Et confestim surgens, &c.*

In Cat. Græc.

CYRIL. Quo facto patuit, quòd Filius hominis potest in terrâ relaxare peccata, quod pro se & pro nobis dixerat: ipse namque vt Deus factus homo tanquam Dominus legis peccata dimittit. Sortiti sumus etiam nos ab eo tam mirabilem gratiam. Dictum est enim discipulis, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quomodò autem non magis ipse peccata dimittit, qui & cæteris potestatem faciendi hoc tradidit?

Potestas dimittendi peccata à Christo cómunicata ministris.

Ioan. 20. v. 23.

In I. ad Cor.

CHRYS. Reges autem terreni & principes homicidas absoluentes, à pœnâ præsenti liberant: à criminibus autem expiare non possunt.

L. 5. in Luc.

AMBR. Spectant autem surgentem increduli, mirantur abeuntem: vnde sequitur, *Et stupor, &c.*

Hom. 30. in Matth.

CHRYS. Adhuc humi repunt Iudæi magnificantes Deum, non tamen putant eum Deum esse: obstabat enim eis caro. Nec tamen erat modicum æstimare eum præcipuum esse mortalium, & à Deo processisse.

L. 5. in Luc.

AMBR. Diuini autem operis miracula malunt timere quàm credere: vnde sequitur, *Et repleti sunt timore, &c.* Si autem credidissent, non timuissent vtique, sed dilexissent: *perfecta enim dilectio foras timorem excludit.* Non otiosa autem huius paralytici nec angusta medicina est, quoniam orasse præmittitur: non propter suffragium, sed propter exemplum.

1. Ioan. 4. v. 18.

L. 2. q. 4. in princ. c. 4.

AVG. de quæst. Euang. De paralytico enim potest intelligi animam dissolutam membris, hoc est operationibus Christum quærere, id est, voluntatem verbi Dei. Impediri autem à turbis, scilicet cogitationum, nisi tecta, id est, operta Scripturarum aperiat, & per hoc ad notitiam Christi perueniat, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descendat.

Luc. 5. c. 17. in Bed.

BED. Benè domus Iesu tegulis contecta descri-

bitur, quia sub contemptibili literarum velamine spiritalis gratiæ virtus inuenitur.

L.5. in Luc. AMBR. Vnusquisque autem æger petendo precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuúmque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem ad superiora erigant, quorum rursus adminiculis & attollere, & humiliare se facilis ante Iesum locetur, Dominico videri dignus aspectu: humilitatem enim respicit Dominus.

Moralis intellectus.

L.2. qq. 4. t. 4. AVG. de qq. Euang. Hi ergo à quibus deponitur, bonos doctores Ecclesiæ possunt significare: quòd autem cum lecto deponitur, signat ab homine in istâ carne adhuc constituto Christum debere cognosci.

L.5. in Luc. AMBR. Dominus autem plenam spem resurrectionis ostendens, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit: hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamuis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere, tamen multò diuinius est resurrectionem donare corporibus: quandoquidem Deus resurrectio est: Lectus autem qui tolli iubetur, nihil aliud est quàm corpus humanum.

L.2. qq. 4. t. 4. AVG. de quæst. Euang. Vt non iam in carnalibus gaudiis tanquam in lecto requiescat infirmitas animæ, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, & tendat ad domum suam, id est, requiem secretorum cordis sui.

L.5. in Luc. AMBR. Vel domum repetere suam, hoc est, ad paradisum redire: ea enim est vera domus quæ hominem prima suscepit, non iure amissa sed fraude. Meritò ergo restituitur, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret, iusque reformaret.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Cat. Card. Maz. & Cord. in quâ malè, *Isaac Archiepiscops*, vt sæpe alias Archiepiscopos ex Monachis facit.

HOmo, remittuntur peccata tua. ISAAC MONACH. Tunc quis nouerit veniam se consequutum suorum peccatorum, cùm in animo suo senserit se ea perfectè ex corde odisse, ac cùm externos suos actus secus ac consueuerat, moderari nouerit. Talis confidit indulgentiam se delictorum à Deo percepisse, conscientiæ suæ testimonio fretus, quod in se habet, iuxta quod sacro profertur eloquio: *Conscientia indemnis ipsa testis est.* Sed hoc nimis morale.

Luc. 5. v. 20.

Ex Reg. & Card. Maz. Cat. TITI. Digni admiratione qui Paralyticum detulerunt; quomodò cùm non licuisset per ianuam ingredi, nouo ac insolito conatu super tectum extulerunt. Remotis enim tegulis, subiectos asseres seposuerunt: cumque hæc fierent, tum Iesus longanimiter ferebat, tum qui aderant intentis animis rei euentum expectabant, ac quid ille tum dicturus, tum facturus esset. Aperto itaque tecto, grabbatum submittunt, ac Paralyticum medium inferunt. Dicat fortè aliquis subdialem fuisse locum, quo per tegulas lectum demiserunt, vt nihil omninò è tecto fuerit disturbandum. *Dominus autem videns fidem illorum*; qui nimirum hominem tecto submiserant, ac præclarè enixi erant: adeóque etiam alius aliorum fide curatur.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS Episcopi, *superioris Euang. expositio.*

Luc. 5. v. 17. Orat Christus paralyticum curaturus.

ET factum est in vnâ dierum, &c. Non otiosa huius paralytici, nec angusta medicina est, quando Dominus & orasse præmittitur: Non vtique propter suffragium, sed propter exemplum. Imitandi enim speciem dedit, non precandi ambitum requisiuit. Et conuenientibus ex omni Galilæâ, & Iudæâ, & Hierusalem legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilium, paralytici istius medicina describitur. Primùm omnium, quod antè diximus, vnusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigant. Quorum rursus adminiculis & attollere, & humiliare se facilis ante Iesum locetur, Dominico videri dignus aspectu. Humilitatem enim respicit Dominus, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Ambienda orationum aliorum suffragia.

Baiuli, & qui ante Iesum demittant.

Luc. 1. v. 48.

v. 20. *Quorum fidem*, inquit, *vt vidit.* Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Disce qui iudicas, ignoscere: disce qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. Et quamuis historiæ fidem debeamus non omittere, vt verè paralytici istius corpus credamus esse sanatum: cognosce tamen interioris hominis sanitatem, cui peccata donantur.

Nam olim in vsu erant publicæ pœnitentiæ, & exomologeses, vt est videre in historiis Ecclesiasticis.

v. 21. *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, &c.* Cùm Iudæi asserunt peccata à solo Deo posse concedi, Deum vtique eum confitentur, suóque iudicio perfidiam suam produnt: qui opus astruunt, vt personam negent. Itaque ab ipsis & operis sui Dei Filius accipit testimonium, & vocis suffragium non requirit. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non deest diuinitati, fides deest saluti. Nam & validius est ad fidem quod confitentur inuiti; & perniciosius ad culpam quod negant, qui suis assertionibus reuincuntur. Magna itaque in Iudæ plebis amentia, vt cùm confessa fuerit solius Dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti. Dominus autem saluos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum se esse demonstrat, & admiratione factorum: adiiciens ait,

Christi diuinitas ab ipsis aduersariis testimonium habet.

v. 23. *Quid est facilius dicere, Dimissa, &c.* Quo loco plenam speciem resurrectionis ostendit, qui mentis vulneribus corporisque sanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit: hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamuis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere: (Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem?) tamen multò diuinius est resurrectionem donare corporibus, quando quidem ipse Dominus resurrectio est.

Hominis totius curatio.

Deus peccata dimittit per Sacerdotes, quibus dimittendi tribuit potestatem.

Ioan. 11. v. 25
V. 24.

Vt autem sciatis quòd Filius hominis, &c. A Hic lectus qui tolli iubetur, quid est aliud, nisi quia humanum iubetur corpus attolli? Ipse est, qui per singulas noctes lauatur à Dauid lectus doloris, in quo anima nostra graui conscientiæ ægra cruciatu iacebat. Sed si quis secundum Christi præcepta se gesserit, iam non lectus doloris est, sed quietis. Miseratione etenim Domini cœpit quies esse quod mors erat: qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis. Nec solùm leuare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est, ad paradisum redire censetur. Ea est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit: non iure amissa, sed fraude. Meritò ergo restituitur domus, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret, ius reformaret. Nec mora vlla B sanitatis interuenit: vnum dictorum, remediorumque momentum est. Spectant surgentem increduli: mirantur abeuntem, & diuini operis miracula malunt timere, quàm credere. Nam si credidissent, non timuissent vtique, sed dilexissent. *Perfecta* enim *dilectio timorem excludit foras*. Et ideo isti, quia non diligebant, calumniabantur. Calumniantibus autem dicit; *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quis hoc dicit? Sacerdos magnus, qui lepram videbat in cordibus Iudæorum ostendit eos peiores esse leprosis. Ille Sacerdoti est se iussus offerre purgatus: hos Sacerdos repudiat, ne alios quoque lepra eorum contaminet.

Psal. 6. v. 7

1. Ioan. 4. v. 18.

Leuit. 14.

SANCTI CYRILLI ARCHIepiscopi Alexandrini, Euangelij eiusdem expositio.

F. Francisco Combefis Interprete.

Ex Cat. Em. Card. Maz.
Luc. 5. v. 17.

Et factum est in vnâ dierum, &c. Circunstabat illum inuidorum theatrum; nempe Scribæ, & Pharisæi; tumque ea quæ mirabiliter ab eo patrabantur oculis aspectabant, tum docentem audiebant. *Et virtus*, inquit, *Dei erat ad sanandum eos*. Ergo tanquam Deo illi tribuente vt D diuina signa posset edere? Ergo virtutem ab alio mutuam accipiebat? Quisnam verò hæc loqui audeat? Ipse enim potiùs erat, qui propriâ virtute vt Deus, ac Dominus operabatur, non tanquam diuinæ gratiæ particeps foret. Cæterùm homines non rarò spiritalia dona consequuntur; verùm illos quandoque etiam infirmos videre licet, quâ nouit ratione qui ipse diuinorum donorum arbiter est. At in omnium nostrûm Saluatore nihil eiusmodi occurrit, sed in eo virtus ad sanandum, non tam humana, quàm diuina ac inseparabilis erat. Deus enim, ac Dei Filius existebat.

Virtus Dei in Christo à natura.

Ex ead. & Reg.
V. 18.

Et ecce viri portantes in lecto hominem, &c. E Quia necesse erat innumerâ penè multitudine Scribarum, & Pharisæorum in vnum collectâ rem quampiam summè diuinam, ac mirabilem fieri, ex quâ illi commodum reportarent (abiectè enim de illo sentiebant) miraculi iterum occasio prouidè offertur. Iacebat homo paralyticus lectulo decumbens, insanabili morbo detentus. Quia verò infirmior iam medicorum industria, quàm vt ægritudinem posset depellere, explorata erat, ad supernum Medicum, ac qui è cœlis descendisset, domestici deferunt. Cæterum quia iam in conspectum eius qui mederi posset positus erat, placuit quidem fides. Quòd autem illa vim

Fides aufert peccata.

habeat auferendi peccatum, ostendit statim Christus, cùm ita ægrotum compellat: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Verùm, puto, dicat aliquis: Liberari morbo volebat, cur ergo Christus peccati remissionem promittebat? Vt nimirum noueris Deum silentiò, ac sine strepitu res humanas diligenter considerare, ac cuiusque vitæ viam inspicere. Sic enim scriptû est: *Sunt enim coram Dei oculis via viri; eius omnes semitas considerat.* Sed quia ille bonus est, ac omnes homines vult saluos fieri, nonnunquam peccatis abstergit, qui iis tenentur, immissâ ægritudine corporali. Sic enim quodam loco Ieremiæ voce ait: *Dolore, & flagello erudieris Hierusalem* Sed & Parœmiastes: *Fili*, inquit, *noli negligere disciplinam Domini; neque deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit; & flagellat omnem filium quem suscipit.* Benè igitur Christus morbi occasiones, & ægritudinis velut radicem, nempe peccatum, prius se amputaturum pollicetur. Hoc enim sublato, quod morbi causa existat, morbum quoque vnà auferri omninò oportebat.

V. 20.

Pro. 5. v. 21.
Ægritudines corporales ad medendû peccatis.
Ier. 6. v. 8.
Pro. 3. v. 11.
Hebr. 2. v. 6.

Et cœperunt cogitare Scribæ, &c. Ille quidem, vti dictum est, qui diuinissimâ potestate polleret, peccatorum remissionem pollicitus est: iterum verò turbatur tarda ad disciplinam, inuidáque Pharisæorum officina. Secum enim colloquentes C aiebant: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias?* At nunquam hæc de illo, ô Pharisæe, eras dicturus, se sciuisses diuinas Scripturas; si meminisses verborum Prophetarum; si venerandum, magnumque intellexisses incarnationis mysterium. Agunt verò reum blasphemiæ, supremum illi decernentes supplicium, ac mortis condemnantes. Qui enim blasphemiam in Deum locutus esset, morti addicendum sancit, quam Moses legem tulit. Verùm quia eò iam audaciæ proruperant, se Deum esse statim ostendit, vt iterum supra modum impios reuincat. *Quid*, inquit, *cogitatis in cordibus vestris?* Igitur cùm ais, ô Pharisæe, *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* quæram ex te vicissim, Quis potest corda nosse, ac eas quæ in imo pectore latitant cogitationes peruidere, nisi solus Deus? Ipse enim quodam loco Prophetarum voce ait: *Ego Deus scrutans corda, & probans renes.* Dixit verò & Dauid de se pariter, ac nobis: *Qui finxit sigillatim corda eorum* Itaque qui nouit corda, & renes tanquam Deus, ipse idem diuinâ auctoritate remittit peccata.

V. 21.

Refellitur crimen blasphemiæ.
Leuit. 24. v. 14.

Christus Deus, qui sciat secreta cordium.
Ier. 17. v. 10.

Psal. 32. v. 5.

Vt autem scitis quia Filius hominis, &c. In eo quod dicitur, *Remittuntur tibi peccata tua*, non rarò incredulitati facilis patet locus: neque enim homo remissa peccata oculis corporeis cernit: quòd verò morbus abscedat, ac paralyticus erectus deambulet, clarum hoc diuinæ potentiæ specimen habet. Reuersus est in domum suam, qui longâ ab ægritudine liberatus erat. Reipsâ ergo probatum est habere Filium hominis potestatem super terram dimittendi peccata. De quonam verò hoc ait? De sene, an de nobis? Verùm vtrumque: nam ipse quidem vt Deus factus homo, tanquam legis arbiter remittit peccata: accepimus verò & ipsi ab eo sic claram, ac miraculo plenam gratiam. Eo namque honore etiam humanum honestauit genus: ait siquidem sanctis Apostolis, *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solueritis*

Ex Cat. Card. Maz.
V. 24.

Potestas remittendi peccata communicata & nobis.

Matth. 18. v. 18.

super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quando hæc illis dixisse inuenitur? Tunc nimirum, cùm conculcato mortis imperio, ac suscitatus à mortuis, insufflauit in eos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Ioan. 20. v. 23. Vbi enim ostendit eiusdem consortes naturæ, atque illis Spiritum sanctum infudit, tunc quoque suæ consortes claritatis fecit, dans potestatem remittendi peccata, ac illa retinendi. Quando igitur nos ipsum hoc iussi sumus implere, quomodò non ipse magis dimittit peccata, qui aliis potestatem tribuit vt hoc possint præstare?

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in superius Euang. expositio.

Ex cōment. in Luc. 5. v. 17. Matth. 9. v. 2. Mar. 2. v. 1.

ET *factum est in vnâ dierum, & ipse sedebat docens, &c.* Vbi Dominus sedens docuerit, quando Scribis, & Pharisæis considentibus paralyticum curauit Lucas breuiandi gratiâ præterit, sed Matthæus & Marcus qui narrant, quæstionem facere videntur. Quoniam quidem Matthæus in ciuitate suâ, Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testantur. Quæ difficiliùs solueretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret. Nunc verò vel ipsa Galilæa, in quâ erat Nazareth, intelligenda est dicta ciuitas Christi, ad distinctionem videlicet regionis transmarinæ Gerasenorum, de quâ transfretando sicut Matthæus scribit venerat Galilæam. Vel certè ipsa Capharnaum ciuitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam ipse fecerat.

V. 18. *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, &c.* Curatio paralytici huius, animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam ad Christum suspirantis indicat saluationem. Ministri dimittentes paralyticū. Quæ primò omnium ministris qui eam subleuent & Christo adferant, id est, bonis doctoribus qui spem sanationis opémque intercessionis suggerant, indiget. Qui benè Marco narrante D quatuor fuisse reperiuntur, siue quia quatuor Euangelij libris omnis prædicantium virtus, omnis sermo firmatur, seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur. De quibus in æternæ sapientiæ Sap. 8. v. 7. laude dicitur, *Sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vitâ hominibus.* Quas nonnulli versis nominibus, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam appellant.

V. 19. *Et non inuenientes quâ parte illum inferrent, &c.* Turba Christum adire impediens. Desiderant paralyticum Christo offerre, sed turbâ interpositâ ab omni parte recluduntur. Quia sæpe anima post infimi corporis desidiam E ad Deum resipiscens, supernæque gratiæ remedio cupiens renouari, priscæ consuetudinis obstaculo retardatur. Sæpe inter ipsas orationis secretæ dulcedines, & quasi suaue cum Domino colloquium, turba cogitationum interueniens aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Conscendendum domus tectū. Et quid inter hæc agendum? Non vtique in infimis exteriùs quà turbæ tumultuantur remanendum, sed tectum domus, in quâ Christus docet, ascendendum, id est, sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, léxque Domini cum Psal. 118. v. 9. Psalmistâ, die noctuque meditanda. *In quo enim*

A *corrigit iunior viam suam? in custodiendo,* inquit, *sermones tuos.*

Et submiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. Patefacto tecto æger ante Iesum submittitur, quia reseratis Scripturarum mysteriis, ad notitiam Christi peruenitur: hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descenditur. Aperto tecto demittitur æger ante Iesum. Et benè domus Iesu tegulis contecta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine, si adsit, qui reseret doctor, diuina spiritalis gratiæ virtus inuenietur. Quòd autem cum lecto deponitur, significat ab homine in istâ carne adhuc constituto Christum debere cognosci.

Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. V. 20. Hominem Dominus à paralysi curaturus, primò peccatorum vincula Peccatum causa morborum. B dissoluit: vt ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari. Sic & illi paralytico, qui iuxta probaticam piscinam diu motum aquæ frustra præstolabatur, sanato à Domino dicitur: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 5. v. 14. Et benè is cui peccata dimittebantur homo vocatur, qui hoc ipso quòd homo erat non posset dicere, Non peccaui: simul etiam vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Intuendum Alienâ fide salus veraq; paralytico impetrata. C sane quanti propria cuiusque fides apud Deum valeat, vbi tanti valuit aliena, vt totus homo repente, id est, exterius interiusque iam saluatus exurgeret, aliorumque merito aliis laxarentur errata.

Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, &c. V. 21. Verum dicunt Scribæ, quia nemo dimittere peccata nisi Deus potest, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Verum Deo testimonium reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Dei propriū dimittere peccata. Errant itaque Iudæi, qui cùm Christum & Deum esse, & peccata dimittere posse credant, Iesum tamen Christum esse non credunt. D Sed multò dementiùs errant Arriani, qui cùm Iesum & Christum esse, & peccata posse dimittere Euangelij verbis deuicti negare non audeant, nihilominus tamen Deum negare non timent. At ipse perfidos saluare desiderans, & occultorum cognitione, & virtute operum, Deum se esse manifestat.

Respondens enim, dixit ad illos. Quid cogitatis? V. 22. Eidem namque Deo, qui dicit; *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas,* Isai. 4. v. 25. sapientissimus orator ait: 3. Reg. 8. v. 39. *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum.* Proprium item nosse cordium secreta. Eadem ergo, inquit, maiestate & potentiâ quâ cogitationes vestras intueor, possum & hominibus delicta dimittere. E Ex vobis intelligite, quid paralyticus consequatur.

Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, &c. V. 23. Vtrum sint paralytico peccata dimissa, solus nouerat qui dimittebat. *Surge* autem *& ambula,* tam ille qui surgebat, quàm ij qui surgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, vt probetur spiritale.

Vt autem sciatis quia Filius hominis, &c. V. 24. Si & Deus est iuxta memoratum Esaiæ testimonium, qui delet iniquitates nostras, & Filius hominis potestatem habet in terrâ dimittendi peccata, ergo idem ipse & Deus & Filius hominis

Rom. 5. v. 5.

dicat, charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: cauendum est, ne bona quæ facere sine charitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se meritò laude dispoliat, qui de studijs industriæ suæ in se magis quàm in Domino gloriatur: cùm beatus Dauid doceat in Sanctorum operibus Deum esse laudandum, dicens: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël; ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Et iterum: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in iustitiâ tuâ exaltabuntur: quoniam gloria virtutis eorum es tu.*

Al. bonitate. Pereunt bona opera per inanem gloriam.

Psal. 67. v. 36.

Psal. 88. v. 17.

Cap. 4.

Et ideo, dilectissimi, secundum eruditionem Spiritus sancti, per quem Ecclesiæ Dei omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solenne ieiunium, & in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione iactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui & bonarum est inspirator voluntatum, & bonarum est auctor actionum, dicente Domino: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Deus & bonarum inspirator voluntatum, & auctor actionum.

Matth. 5. v. 16.

EIVSDEM DE IEIVNIO *Pentecostes.*

SERMO III.

SAnctarum solennitatum, dilectissimi, ordine celebrato, & spiritalis lætitiæ deuotione completâ, oportet nos ad salubritatem recurrere parcitatis, remediúmque ieiunij & exercendis mentibus, & castigandis adhibere corporibus: vt quia nos satis de hoc & diuina monita, & propria experimenta docuerunt, primùm per sacratorum dierum recursum diuinæ pietati gratias referamus, cùm sanctas continentiæ delitias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantiâ subtrahamus: ita proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiunijs præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino; *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis:* si animas nostras à peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur, Per Christum Dominum nostrum: Amen.

Iungenda ieiunijs eleemosyna. Hæc illis præstat.

Luc. 11. v. 4.

EIVSDEM DE IEIVNIO *Pentecostes.*

SERMO IV.

Cap. 1. Ieiunium Pentecostes ab Apostolis institutum.

INter omnia, dilectissimi, Apostolicæ instituta doctrinæ, quæ ex diuinæ institutionis fonte manarunt, dubium non est, influente in Ecclesiæ Principes Spiritu sancto, hanc primùm ab eis obseruantiam fuisse conceptam, vt sancti obseruatione ieiunij, omnium virtutum regulas inchoarent: quia multum ad præcepta Dei exe-

A quenda prodesset, si Christiana militia contra incentiua omnia vitiorum, continentiæ se sanctificatione muniret. Cùm enim per illecebram cibi irrepserit prima causa peccati, quo salubriore Dei munere vtitur redempta libertas, quàm vt nouerit abstinere à concessis, quæ frenare se nesciuit à vetitis? *Omnis* quidem *creatura Dei bona est, & nihil est abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Sed non ad hoc creati sumus, vt fœdâ & impudenti auiditate omnes mundi copias expetamus, tanquam, quod licet sumi, non liceat prætermitti.

Ieiunii causa & origo.

1. Tim. 4. v. 4.

Laudabile licitis piè abstinere.

Laudetur Deus, qui hominum vsui tam multa donauit: sed agnoscat rationalis animus, maiores delicias menti datas esse quàm carni. Et cùm B audit sibi per Spiritum sanctum dici, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ auertere,* intelligat sibi contra omnia, quæ sensibus corporeis blandiuntur, temperantiæ sectandam esse virtutem: per quam dum exterioris hominis voluntas minuitur, sapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi, qui sub lenitate ieiunij, nec eundem sensum potest satietas generare, quem parcitas. Quia cùm caro concupiscens aduersus spiritum, spiritali cupiditate superatur: libera obtinetur sanitas, & sana libertas, vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio.

Cap. 2.

Eccl. 18. v. 30.

Temperantia, animi vigorem auget.

Gal. 5. v. 17.

C Ad hanc ergo vtilitatem nos, dilectissimi, præsens tempus inuitat, vt à resurrectione Domini vsque ad aduentum Spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in lætitiâ præcipuæ festiuitatis exegimus, ad ieiuniorum remedia recurramus: ne fortè per occasionem licentiæ blandioris, aliquas negligentiæ culpas delectabilium vsus inciderit. Terra enim carnis nostræ nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas tribulósque producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inserendum, sed ignibus concremandum, dicente Domino: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* D Custodienda igitur nobis omnium germinum seminúmque generositas, quam ex summi agricolæ plantatione concepimus, & vigili solicitudine prouidendum, ne Dei munera aliquâ inuidentis inimici fraude violentur, & in paradiso virtutum non crescat sylua vitiorum.

Cap. 3.

Caro assiduè domanda, ac castiganda.

Matth. 15. v. 13.

Ad declinandum autem hoc malum, nihil est potentius eleemosynis atque ieiunijs: dum & carnales cupiditates continentia necat, & desideriorum spiritalium fructus, misericordiæ cura multiplicat. Vnde charitatem vestram solenniter admonemus, vt per castigationem corporis, & per opera pietatis, mundari ab omnium peccatorum sorde curemus. Quartâ igitur, & E sextâ feriâ ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus ita nos per omnia credimus adiuuandos, vt misericordia Dei & ieiunijs nostris adsit & votis, Per Christum Dominum nostrum: Amen.

Cap. 4.

Sanctorum meritis & orationibus adiuuamur.

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulgar. superioris Euangelij expositio.

Ioan. 6. v. 44.

Liberũ arbitrium. Sed tamen hæc aptitudo non est in nobis nisi à Deo.

N*Emo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Hoc dicit, non vt libertatem tollat arbitrij: absit, sed vt ostendat quòd multa habeat opus cooperatione à Deo is, qui crediturus est. Et aliter, Illos trahit Pater, qui habent voluntatis aptitudinem: eos autem qui seipsos non faciant idoneos, non trahit ad fidem. Nam sicut magnes non omnia ad quæ propriùs applicatur, sed solum ferrum attrahit; ita & Deus ad omnes quidem appropiat, eos autem qui magis idonei, & familiaritatem erga ipsum præ se ferunt, trahit. Igitur Pater quidem trahit & adducit ad Filium, Filius autem resuscitat & viuificat, spirationem in bonis ac vitam, hoc est, Spiritum sanctum, tribuens. Itaque sancta Trinitas benefacit ijs qui credunt, & non Pater solus, vel Filius solus: sed sicut vna natura, ita vna operatio beneficentiæ Patris adducentis, Filij viuificantis, Spiritus sancti qui fit ijs qui viuificantur, pro spiratione. Omnis enim qui viuit, etiam spirationem habet. Vide autem auctoritatem Filij, *Ego*, inquit, *resuscitabo*. Non enim dicit, Pater meus resuscitabit, sed, *ego*: Non enim omnia humilia loquitur, sed nonnunquam sublimia suæ deitatis detegit.

V. 45.

Est scriptum in Prophetis, &c. Dixit superius, quòd is quem Pater traxerit, ad ipsum veniet: volens autem hoc probare & confirmare, in Prophetas refert sermonem: *Est* enim, inquit, *scriptum in Prophetis, Erunt omnes docti à Deo.* *Omnes* autem, qui voluerint videlicet. Communis enim doctor Pater per reuelationem notum facit dignis Filium suum. Tangit enim corda simplicium, & dolo carentium: reuelat illis Filium, sicut & Petro reuelauit ipsum. Igitur qui audit à Patre, hoc est, qui Patris reuelationem accipit, & discipulus illius verè efficitur, hic venit ad me. Vide autem quomodò cum diligentiâ loquitur omnia. Non enim dixit, Qui audit à Patre, ille venit ad me: sed addit, *& didicit.* Non enim sufficit audire, sed adsit oportet & discere. Quid igitur? Nunquid in veteri non fuerunt docti à Deo? Fuerunt quidem, sed non sic. Hic enim excellentia est, in nouo dico testamento. Nam tunc quidem discebant per homines de Deo: Nunc autem Vnigenito incarnato, ab ipso Patre in sancto Spiritu scientia fit, vt ita impleatur propheticum dictum, *In lumine suo*, Patris scilicet, hoc est Spiritu, *videbimus lumen*, quod est Filius. Meritò nunc omnes docti sumus à Deo, qui fidem in Christum suscepimus.

Isai. 54. v. 13

Vt docti omnes à Deo.

Matth. 16. v. 16.

Noui testamenti doctrinæ excellẽcia præ testamento veteri.

Psal. 35. v. 10

V. 46.

Quia autem dixit, *Qui audit à Patre, ille venit ad me:* vt ne quis suspicetur quòd de carnali patre dicat, inquit, Non hoc dico, quòd videat quis Patrem, nisi Filius, qui verè ex illo est, & natus ex substantiâ illius. Nam omnes quidem

A ex Deo sumus, sed propriè Filius vnus est; qui & Patrem nouit.

V. 48.

Ego sum panis ille vitæ, &c. Comparat cum manna alimoniam quam ipse dat. Nam ego quidem, inquit, sum panis vitæ. Verùm qui comederunt manna, mortui sunt. Non absque causâ autem addit, *in solitudine*, sed volens monstrare quòd non valde diu datum fuit patribus manna, sed tantùm in solitudine, nec cum eis inuectum sit in terrâ promissionis. Verùm hic panis non est talis, sed perpetuò durans: & ita Iudæi multò plura bona accepturi erant, siquidem voluissent, quàm patres sui. Quomodò autem non maiora, quæ dantur à Christo? Nam etsi quis gustauerit mortem, viuit tamen propter spem resurrectionis. Manifestè autem nobis hoc locu de mysticâ

Maius quid panis datus à Christo, quàm mãna

B communione corporis sui dicit.

V. 52.

Nam panis, inquit, *quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ.* Porrò potestatem suam indicans, quod non vt seruus, & minor Patre crucifigendus sit, sed voluntariè, inquit, *Ego dabo carnem meam pro mundi vitâ.* Nam quamuis & à Patre dicatur esse traditus, attamen & seipsum tradidisse dicitur: & illud quidem, vt discamus eius cum Patre concordiam; hoc autem, vt liberam voluntatem Filij non ignoremus. Attende autem, quòd panis qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantùm figura quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis: sed, *Caro mea est.* Transformatur

Panis qui in sacris editur mysterijs, non tantùm figura est, sed caro Domini.

Panis per mysticam benedictionem transformatur in carnem Domini, quod appositissimâ similitudine demonstrat, quam copiosè exposuit Samonas Episcopus.

C enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti Spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodò, inquit, non apparet nobis caro, sed panis? Vt non abhorreamus ab eius esu. Nam siquidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente

D Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus. Pro mundi autem vitâ carnem suam ad mortem dedit: moriens enim mortem soluit. Intellige autem per vitam mundi, etiam resurrectionem. Mors enim Domini generalem resurrectionem toti hominum generi operata est. Fortassis autem & eam quæ in sanctificatione in beatitudine consistit vitam, mundi vitam nominauit. Nam quamuis non omnes acceperint sanctificationem & vitam in spiritu, Dominus tamen seipsum pro mundo dedit, & quantum in ipso erat, mundus seruatus, naturáque sanctificata est, eò quòd ac-

E cepit virtutem vincendi peccatum per vnum hominem Dominum nostrum Iesum Christum, sicut & per vnum peccatum Adam ceciderat.

Rom. 5. v. 18

FERIA V. POST PENTECOSTEN.

LVCÆ IX.



IN illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi [a] manete, & inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illâ, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes, & curantes vbique.

[a] Quandiu in illâ ciuitate prædicabitis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Luc. 9. v. 1. *COnuocatis autem.* Concessâ primùm potestate signorum mittuntur prædicare regnum Dei, vt magnitudini promissorum attestetur etiam magnitudo factorũ: & fidem verbis daret virtus ostẽsa, & noua facerent qui noua prædicarent.

V. 3. Marc. 6. v. 8. *Nihil tuleritis.* In Marco legitur, vt nihil tollerent in viâ nisi virgam tantùm. Sed sciendum est, quia vtrunque præceptum est à Domino: vt nihil nisi virgam ferrent, & vt nec virgam ferrent. Non ferre virgam, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi: quia hæc debentur prædicatoribus ab his, quibus prædicant: quando sine scandalo possunt accipi. Nihil ferre nisi virgam, est vti illâ potestate accipiendi necessaria, quæ data est prædicatoribus.

Ferre virgam, & non ferre.

Duas tunicas. Simplex vestimentum est, quicquid est necessarium alicui secundum qualitatem loci vel temporis. Duplex est, quod vltra necessitatem est. Allego. In duabus tunicis, duplicitatem prohibet.

V. 4. *Ibi manete.* Ne excursetis per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutetis. Vnde secundum Matthæum, domus in quâ manere debeant priùs Matth. 10. v. 11. eligenda est, vt mutandi hospitij necessitas auferatur.

V. 5. *Puluerem pedum.* Puluis excutitur in testimonium laboris sui: quòd ingressi sunt in ciuitatem, & vsque ad illos prædicatio peruenit. Vel, excutitur vt nihil ab eis accipiant qui Euangelium spreuerunt, nec etiam necessaria vitæ. ALLEGOR. Ne communiceris inanibus verbis & gestis perfidorum, quæ pulueri comparanda sunt, ne castæ mentis vestigium polluatur. Puluerem verò fidelis populi qui humanâ fragilitate colligitur, debet prædicator Euangelij abolere, & quasi suum 2. Cor. 11. v. 29. in se suscipere. Vnde Apostolus, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?*

A

V. 6. Marc. 6. v. 12. *Egressi autem.* In Marco legitur, *Exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eyciebant, & vngebant oleo multos ægros & sanabant.*

CATENA AVREA.
in idem Euang.

Luc. 9. v. 1. In Cat. Græc. *COnuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, &c.* CYRIL. Decebat institutos ministros sacrarum doctrinarum posse mira peragere, & per ipsos effectus credi quòd essent Dei ministri: vnde sequitur, *Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis &c.* In quo elatum supercilium diaboli flectit, qui dicebat aliquando, *Non est qui contradicere valeat.* Isai. 10. v. 14.

B

In ead. Cat. EVSEB. Et vt per eos venetur genus humanum, non solùm dat eis vt prauos spiritus pellant, sed etiam quamlibet infirmitatem sanent ex eius imperio: vnde sequitur, *Et vt languores curarent.*

Thesauri l. 4. c. 14. CYRIL. Attendas hîc diuinam Filij potestatem naturæ corporali non conuenientem. Agere namque miracula aderat Sanctis, non naturâ, sed participatione Spiritus sancti. Super hoc autem alijs concedere potestatem, prorsus alienum erat ab eorum virtute. Qualiter enim posset natura creata super Spiritus dona possidere dominium? At Dominus noster Iesus Christus tanquam naturaliter Deus existens, impartitur huiusmodi gratiam quibus vult, non innocans in eos alienam virtutem, sed infundens ex promptuarijs proprijs.

Potestas miraculorũ ab Spiritu sancto.

C

Hom. 33. in Matth. inter princip. & med. CHRYS. Postquam autem satis confortati fuerant ex eius comitiuâ, & competens nacti sunt argumentum virtutis eius, mittit eos: vnde sequitur, *Et misit illos prædicare &c.* Vbi considera quòd non committitur eis aliquod sensibile dicere, sicut Moyses & Prophetæ, qui terram & bona terrena promittebant. Hi verò regnum cœlorum, & quæcunque continentur in eo.

In Cat. Græc. GREGOR. NAZIAN. Mittens aotem discipulos A ad prædicandum Dominus multa eis iniunxit, quorum summa est: sic eos virtuosos esse, sic constantes atque modestos, & vt breuiter loquar, cœlestes, vt noo minus propter eorum modum viuendi, quàm propter verbum Euangelica doctrina propagaretur. Et ideo cum æris & baculi carentiâ, & amictus singularitate mittebantur. Et ideo subdit: *Et ait ad illos, Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, &c.*

Hom. 33. in Matth circa med illius. CHRYS. Plurima quidem per hoc constituebat: Primò quidem insuspectos reddens discipulos: secundò sequestrans eos à qualibet curâ, vt totum studium adhiberent verbo: tertiò docens eos propriam virtutem. Sed forsan dicet aliquis, cætera quidem habere rationem, sed non habere peram in viâ, nec duas tunicas, nec baculum, cuius rei B causâ præcipit? Volēs scilicet excitare eos in qualibet diligentiâ. Et vt ita loquar ex hominibus Angelos faciebat eos, dirimens à qualibet curâ vitæ, vt vnâ solâ curâ detineantur doctrinæ.

In Cat. Græc. EVSEB. Volens igitur eos carere cupidine rerū in solicitudinibus vitæ, protestatus est hæc. Sumebat enim experimentum fidei & animositatis eorum, qui habito in mandatis extremæ vitam ducere paopertatis, non effugiunt quæ iubentur. Decebat enim eos quoddam commercium facere, & recipientes salubres virtutes recompensare obedientiâ mandatorum: & cùm milites eos faceret regni Dei, accingit eos ad pugnam in hostes, monendo colere paupertatem. *Nullus enim militans* C *Deo implicat se vitæ sæcularis negotijs.* 2. Tim. 2. v. 4.

L. 6. in Luc. AMBROS. Qualis ergo esse debeat qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur: hoc est, vt subsidij sæcularis adminicula non requirat, fideique totus inhærens putet quò minùs ista requirat, magis posse suppetere.

In hoc loco. THEOPH. Sic enim ipsos mendicos mittit, quòd neque panes ipsos portare vult, nec aliquid aliud quibus indigent multi.

Lib. 2. c. 30. AVG. de con. Euang. Vel Dominus hæc possidere discipulos ac ferre noluit, non quòd necessaria non sint sustentationi huius vitæ, quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus Euangelium credentibus nuntiarent, vt sic securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit secundum Marcum *nisi virgam:* ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Hanc autem potestatem
Marc. 6. v. 8 virgæ nomine significauit, cùm diceret: *Ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm.*

L. 6. in Luc. AMBROS. Possunt etiam qui volunt hoc ad eum deducere tractatum, vt spiritalem tantummodò locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solùm potestate reiectâ contemptísque diuitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis.

In hoc loco. THEOPH. Quidam etiam Apostolus non portare peram, neque baculum, aut duas tunicas sic intelligunt, quòd non thesaurizent: hoc enim pera innuit congregans multa: neque sint iracundi & turbulenti spiritus, quòd significat baculus: neque sint ficti & duplici corde, quod significat tunica duplex.

In Cat. Græc. CYRIL. Sed diceret aliquis, Vnde eis necessaria erunt? Et ideo subdit, *Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.* Quasi dicat, Sufficiat vobis discipulorum fructus, qui recipientes à vobis spiritualia vos procurabunt. Iussit autem eos in vnâ domo manere, vt nec hospitem contristent (eum scilicet dimittendo) nec ipsi gulositatis & leuitatis suspicionem incurrant.

AMBR. Alienum namque à prædicatore regni cœlestis asserit cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Sed vt hospitij gratia deferenda censetur, ita etiam si non recipiantur excutiendum puluerem, egrediendúmque de ciuitate mandatur, cùm sequitur, *Et quicunque non receperint vos, &c.* L. 6. in Luc.

BED. Puluis excutitur de pedibus Apostolorum in testimonium laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio Apostolica ad illos vsque peruenerit: siue excutitur puluis, cùm nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui Euangelium spreuerunt. Luc. 9. c. 34. in Beda.

CYRIL. Nam improbabile valde est contemnētes sermonem & patremfamiliâs, se famulis benignos ostendere, vel benedictiones eorum exigere. In ead. Cat.

AMBROS. Vel non mediocris etiam boni remunerario docetur hospitij: vt non solùm pacem tribuamus hospitibus, verumetiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs auferantur. L. 6. in Luc.

BED. Qui verò perfidâ negligentiâ, vel etiam studio verbum Dei contemnunt, horum vitanda communio est, excutiendus puluis pedum, ne gestis inanibus pulueri comparandis mentis castæ vestigium polluatur. Luc. 9. c. 34. in Bedâ.

EVSEB. Cùm autem præcinxisset Dominus discipulos suos tanquam milites Dei diuinis virtutibus & sapientiæ monitis, mittens eos Iudæis vt doctores & medicos, ipsi secundum hoc procedebant: vnde sequitur, *Egressi autem circuibant per castella, & curantes vbique.* Quasi doctores quidem euangelizantes, sed quasi medici præstantes remedia, & verba miraculis comprobantes. In Cat. Græc.

EVSEBII PAMPHILI, *Euangelij eiusdem expositio.*

Ex Cat Em. Card. Maz.

F. FRANCISCO COMBAFIA Interprete.

D *CONUOCATIS autem Duodecim, &c.* Idcirco Dominus suos discipulos diuinis virtutibus instruxit; atqoe in primis vt dæmonum cuneos, humaníque hostes generis, ac inimicas acies mūdarent; tumque vt morbis, omnique ægritudine ijs laborantes liberarent, regni bæc prædicati insignia vniuersis spectanda præbens. Par enim erat vt qui nouam, ac inauditam prædicationem annuntiarent, nouorum, ac inauditorum bonorum signa perspicua discipulis exhiberēt. Erant itaque regni Dei indicia portentosæ virtutes, ac miracula; animorumque, ac corporū salubres curationes: adeóque sermo omnis rebus destitutus, imbecil- E lior est quàm vt vnquam certam auditoribus fidē queat facere. Quamobrem ex ijs qoæ reipsâ mirāda præstabant, claram prædicationi fidem perstruebant. Etenim si nudis verbis, ac temerè prolatis vocibus Dei regnum in omnium aures clamarent, deósque quus paterno illi ritu colebant profligandos edicerent, quis eis animum adhiberet? Cuinam suaderent Iesum Deum annuntiāres, eùm testimonium nullo argumento probarent? Idcirco omnem Saluator rationem diuinis actionibus occupans, cùm primùm quidem incultos moribus, mundanæque sapientiæ ac eruditionis

Luc. 9. v. 1. Apostoli cur miraculorum virtute donati.

rudes discipulos suos, quorum operâ vniuersum terrarum orbem componeret, elegisset, túmque facturum se illos piscatores humanarum animarũ prædixisset, auctor ipse promissionis effectus est. Quamobrem rerum illos admirandarum patratores faciens, salutares animarum hamos hæc illis tradit, quò per ea captum humanum genus è nequitiæ profundo extraherent, fugantes malignos spiritus, omnémque morbum eius præcepti vi sanantes, atque languorem.

v. 3. *Et ait illis: Nihil tuleritis in viâ.* In Matthæi

Matth. 10. v. 9. quidem Euangelio, aurum, & argentum, æsque possidere illos prohibet futuri præscius. Nouerat enim fore vt quos illi morbis curassent, atque insanabilibus ægritudinibus liberassent, suas ipsis lubentes facultates omnes cederent; idcirco occupans retrahit ne gratiam quæstui habeant, admonensque ne donorum Dei institores existant; iuxta verò reliquos Euangelij scriptores, ipsúmque adeò Matthæum, non permittẽs illos virgam tollere, neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas; at neque panem, neque pecuniam deferre, cùm in alieno solo profectionem suscepturi essent; eorum fidem, ac propensam voluntatem probat, num iussi extremam paupertatem colere, vt ne quotidiani quidem cibi curam haberent, nec alteram tunicam, mutatoriamque deferrent, aut calceis vterentur, cùm vniuersum terrarum orbem peragraturi essent, ardua adeò mandata defugerent. Sed & alieno eos ab auaritiâ animo esse volens, & vt nullâ vitæ solicitudine tangerentur, hęc contestabatur, tanquam Dei dona hac demum conditione collata essent, si modò illi quoque à seipsis congruam vitæ rationem, donorumque Dei possessione condignam pręstarẽt. Oportere enim vicem quandam, ac commutationem obtingere; vt à Deo quidem virtutes salutares, ac quibus humanum genus demererentur, acciperent, ijque vicissim illius præceptis dicto audientes essent, atque propensam voluntatem, omníque mundanâ affectione liberam rependerent. Sed & qui cœlestes diuitias in animorum suorum penu reciperent, Deique regni arrhabone instructi essent, terrena putauit debere contemnere, ac ita comparatos esse, vt neque aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque eorum aliquid quæ in pretio habent homines, cœlestibus concessis diuitijs condigna existimarent. Denique etiam regni Dei milites eos instituens, expeditos bello contra aduersarios defungendo comparat; eámque ob rem abdicatis omnibus paupertatem co-

2. Tim. 2. v. 4. lere admonet: quippe cùm *nemo militans implicet se negotijs secularibus, vt ei placeat, qui ipsum militia ascripsit.*

Præscripta illis inter prædicandũ vitæ ratio.

v. 4. *Et in quamcunque domum intraueritis, &c.* Posteaquàm Dominus pecunijs, auro, argẽto, duplici tunicâ, omníque rerum possessione discipulis interdixit, tum consentaneè iuxta Matthæum vnde necessaria alimenta eis suppeterẽt, necessariò expo-

Matth. 10. v. 10. nit; idcirco adiunxit, dicens: *Dignus est enim operarius cibo suo;* idque dicendo, cibi duntaxat communicationem cum ijs qui eo impartiri velint, illis permittit; tantumque accipere indulget, quantùm ad annonam sufficiat viro, qui in diem locauerit operam. Sic itaque & illis non exigendam beneficiorum mercedem (*Gratis* enim, inquit, *accepistis, gratis date*) sed pro otio, atque operâ quam prædicando impenderet, próque tantis laboribus quos longa adeò itinera conficientes desudare conuenit, necessarium duntaxat cibum percipiendum fore, nec eius cum quouis obuio communicationem admittendã, aut ne ab ijs qui velint præbere nullâ personarum exploratione accipiẽdam; sed eos solùm qui sint digni, accipiendo honorandos esse.

S. AMBROSII MEDIOLANENsis Episcopi superioris Euang. expositio.

COnuocatis autem Iesus, &c. Qualis debeat esse qui euangelizat regnum Dei, præceptis Luc. 9. v. 1.

euangelicis designatur: vt sine virgâ, sine perâ, sine calceamento, sine pecuniâ, hoc est, subsidij sæcularis adminicula non requirens; fidéque totus, putet sibi quò minùs ea requirat, magis posse suppetere: Quæ possunt qui volunt ad eum deriuare tractatum, vt spiritalem tantummodò locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiectâ, contemptísque diuitijs, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum: vt pacem ferant, constantiam seruent, hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienum à prædicatore regni cœlestis astruens, cursitare per domos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Sed vt hospitij gratia deferenda censetur, ita etiam si non recipiantur, excutiẽdum puluerẽ, & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitij: vt non solùm pacẽ tribuamus hospitibus, verumetiam si qua eos terrenæ obumbrãt delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs, auferantur. Nec otiosè secũdum Matthæum domus quam ingrediantur Apostoli, eligenda decernitur, vt mutandi hospitij necessitudinísque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hospitij; ne dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur.

Prædicator Euãgelicus subsidia terraria non requirat.

Nam olim hospitij ius sanctum habebatur.

Matth. 10. v. 11.

Sed hæc vt secundum litteram de hospitii religione venerabilis est forma præcepti, ita etiam de mysterio sententia cœlestis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquiritur: Videamus igitur ne fortè Ecclesia præferenda designetur, & Christus. Quæ enim dignior domus Apostolicę prędicationis ingressu, quàm sancta Ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus videtur esse quàm Christus, qui pedes suis lauare consueuit hospitibus; & quoscunque suâ receperit domo, pollutis non patiatur habitare vestigiis; sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mutare processus? Hic est igitur solus quem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui benè dicitur: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus.* Vides executorem cœlestium præceptorum; qui quoniam non mutauit hospitium, cœlestis consortium consecrationis emeruit.

Domus spiritalis, Ecclesia, hospes Christus 24. q. 1. c. *Quæ dignior*

Ioan. 13. v. 5.

Ioan. 6. v. 69.

Fides igitur in primis Ecclesiæ quærenda mandatur: in quâ si Christus habitator sit, haud dubiè sit legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda synagoga censetur. Excutiendus pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus, tanquam humi arido arenosóque foentis tuę vestigium polluatur. Nam sicut cor-

poreas infirmitares populi fidelis suscipere in se debet Euangelij prædicator, & tanqoam proprijs inaoia gesta pulneri compatanda alleuare atque abolere vestigijs, iuxta quod scriptum est, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* ita si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Quod Apostolus quoque euideoter asseruit, dicens: *Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem deuita.*

2. Cor. 11. v. 29.

Tit. 3. v. 10.

Ex Cat. Re. & Em. Car. Maz.

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI *Alexandrini, Euang. eiusdem expositio.*

F. FRANCISCO COMBAFIS Interprete.

Luc. 9. v. 1.

Conuocatis autem Duodecim, &c. Verum dictu, clarum esse, ac gloriosum bonorum laborum fructum. Eos enim qui castissimam, ac purissimam, quoad homioi concessum est, vitam instituere elegerint, suis Christus donis illustres reddit, vberémque eis rectè factorum mercedem sanctè tribuit, ac suæ claritaris consortes facit. Clarè id, ac perspicuè probatum sancti Apostoli exemplo fecerint. Vide enim præclarissimos effectos, humanáque maiori claritate donatos, hoc C ipsum eis cum alijs tribuente Christo. *Dedit enim illis*, inquit, *virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt morbos curarent.* Vide autem iterum, vt factus homo Deus Verbum, humanæ naturæ transgrediatur modum, deitatísque ornamentis clareat. Superat enim homanæ modos naturæ potestatem impartiri quibus velit aduersus immundos spiritus, atque adeò posse morbis liberare illos, qui ijs teneantur, Deique solius id virtutis existit. Supremæ enim naturæ excellentia, ac claritas nulli rerum inest per naturam, præterquam vni illi, solique. Digoa itaque admiratione, quæ sanctis Apostolis gratia collata fuit, omnemque laudem, ac miraculum superans tribuentis munificentia. Suam enim, vti dicebam, illis tribuit claritatem. Homo potestatem D accipit aduersus spiritus nequam; excelsúmque adeò, atque superbum supercilium, nempe diaboli, detrahit: atque id, cùm is olim diceret: *Orbem terræ vniuersum comprehendam manu sicut nidum, & sicut oua relicta tollam: & non est qui me effugiat, aut mihi contradicat.* Errauit tamen à veritate, atque à spe excidit arrogans ille, præfractéque temerarius, ac qui se aduersus omnes efferebat tanquam imbecilles. Aduersâ namque acie Dominus virtutum, sacræ illi prædicationis ministros opposuit. Idque enimuerò fit, quod prædictum vnius è sacrorum Prophetarum choro oraculis, déque satanâ, ac sanctis Magistris. E *Subitò exurgent mordentes illum, & euigilabunt insidiatores tui, erisque illis in direptionem.* Tantùm enim illi sataoam non momorderunt, eius gloriæ insidiantes, ac diripientes illius vasa, Christóque per fidem in ipsum offerentes. Iam, curiosiùs si lubet exquiramus, vnde clara hæc summéque illustris gratia deuenerit. Ergo tanto, talique honore, humanum genus vnigenitum Dei Verbum factum homo coronauit, nullóque modo à suâ excellentiâ deiectum, diuina operatum est: contriuit satanam verbo robustissimo; increpauit spiritus nequam. Hæc via acceptæ potesta-

Apostolorū gloria.

Isai. 10. v. 14

A Paschate.

A tis super terram imperandi spiritibus nequam.

Ex Thesaur. Christi deitas asserta.

Hic mihi iterum considera diuinam Filij potestatem, ac quæ naturam creatam minimè addeceat. Posse namque eorum aliquid efficere quæ meritò admirationem habeant, Sanctis quoque inerat, etsi non naturâ, sed Spiritus sancti participatione, ac à Deo; verùm alijs quoque munus impartiri quo hæc præstent, alienum prorsus ab eorū virtute, ac potestate existit. Quomodò enim natura creata donorum Dei arbitra esse possit? At Dominus noster Iesus Christus, tanquam qoi Deus naturâ existat, ac Filius, curat quidem auctoritate, oon vt precum ambitum quærat, vti B illi, sed vt suæ, ac substantialis virtutis effectus edat; subministrat verò pariter & quibus velit hoc ipsum muneris, non alienam super eos inuocans virtutem, sed à se illis tribuens; haud secus ac ignis quoque, his qui propè accedunt, oaturalem vim suam immittit. Quomodò igitur qui virtute Spiritus eos in quibus fuerit diuinæ substantiæ facit participes, creatus factúsque extiterit?

Miraculorū gloriâ conciliata fides Apostolis.

Quid verò? Ergóoe frustra Apostolos tales fecit, ac cùm nulla necessitas suaderet, claros adeò reddidit? At quinam id verum sit? Decebat enim, vt qui sacræ prædicationis ministri designati essent, res admirãdas nouásque præstare possent, quò ab effectis fidem baberent, Dei se ministros esse, ac orbis terræ mediatores, qui vniuersos ad reconciliatiooem, ac fidei iustificationem inuitarent. Nā viris quidem cordatis, ac prudentibus, ipsa quandoque verba ad agnitionem veritatis sufficiant. Quòd tamen ad illos spectat qui minùs comparati suscipiendia ijs quæ dicuntur existant, miraculis opus sit, ac prodigijs. Sic enim vix tandem trahantur vt veritati assensum præbeant.

V. 3. Apostolis vt iniunctū nihil habere, aut ferre.

Et ait ad illos, Nihil tuleritis in viâ, &c. Cùm sanctos Apostolos magnificis adeò dotibus ornasset, ire iubet vt vbique terrarum eius prædicent mysterium. Idcirco etiam expeditissimos esse præcipit, vúltque ab omni mundanâ solicitodine esse liberos, vt ne necessarij quidem cibi, ac qoo humana fragilitas destitui non ferat, rationem vllam babeant. Ornamentum enim, ac velut corunam, inquit, illis fore, quòd nihil possideant, oec omninò quicquam deferant, non virgam, non peram, non panem, non pecuniam, non duas tunicas, vix non dicens illud Psalmi, *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Etenim verum est quod ait ipse: *Non potestis Deo seruire, & mamonæ.* Vt igitur vniformem vniusque rationis vitam habeaot, nec aliud spectent quàm solam doctrinam, omnem mm vestimentorum, tum cibi præcepit curam ablegandam. Verùm dicat aliquis, Vndenam ergo suppetant quæ sint necessarij vsus, & vt ijs carere noo possint? Hoc quoqoe statim osteodit, cùm ait.

Psal 54. v. 23.

Luc. 16. v. 13

V. 4. Ex eadem Maz. & Cord.

Et in quamcunque domum intraueritis, &c. Sufficiet, ioquit, quem ij qui instituentur suggerent fructum. Illi à vobis spiritalia accipieotes, necessarij commeatus vicem rependent. Io domo autem vnâ manere illos iussit, & ab illâ noo discedere, vt neque hospitem suum coontristent, neque ipsi gulositatis, ac leuitatis suspicionem incurtaot. Decebat enim, vt neque ij à quibus semel recepti essent, dono priuarentur; nec verò sancti Apostoli diuinæ prædicationis diligentiam ardorémque ioterrumperent, multis hinc inde trahentibus, noo vt ea quæ saluti necessaria sunt ex illis discerent, sed vt mensam eis lautam, ac

necessitatis terminos exceedentem instruerent.

Ex Maz.

Quòd verò honor Sanctis habitus mercede non careat, ex Saluatoris noscemus verbis. Ait enim ad discipulos: *Qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui misit me.* Proprios namque facit, inque suam personam accommodatione quadam refert, qui Sanctis habentur honores, quò tutos vndique reddat. Ac sicut omni bono potitur, spéque illustrissimâ fulcitur, qui eos recipit, ita vicissim. Extremæ namque miseriæ plenus erit, qui Sanctos honori habere nullius rem momenti duxerit. Idcirco ait.

Matth.10.v 40.

V. 5.

Et quicunque non receperint vos, &c. Ab ijs enim qui non eos receperint, nec sacræ verba prædicationis audire sustinuerint, nihil omninò accipiendum. Valde enim abhorret à fide, vt qui salutarem prædicationem, ac patremfamilias probro affecerint, erga famulos benigni probique videantur, aut eorum quærant vestigijs susceptis benedici.

SANCTI MAXIMI, AD *idem Euangelium.*

Ex Cat. Em. Card. Maz.

ALtiori intellectu, dæmonia eijciebant; hoc est, perturbationum, atque vitiorum vim effugabant: ægrotos sanabant, ad pietatis habitum, qui priuati essent, spe reducentes; atque eos qui torpore languerent, mollesque effecti essent astringentes iudicij incusso terrore.

Allegorica, ac moralis expositio, in quibus totus Maximus est.

Discipulus Euangelium prædicatum missus ille existat, qui se moribus à mundo alienum prorsus ostendit; qui, quòd sine ære, sine virgâ, vnicámque tunicam habeat, auaritiam sibi, ac iram siue fiduciã pro magistratu amputauerit; inartificiosámque, ac simplicem, & vniformem, omníque liberam duplicitate, velut tunicam vnam, moralem consectetur philosophiam; qui denique nullum prorsus instar calcei mortalitatis symbolum reliquerit animæ hærens vestigio. Fortè verò quò discipulos expeditos esse designet, hoc quoque alijs addit Dominus, *Neque peram tuleritis in viâ, neque virgam, neque calceamenta in pedibus vestris*, tanquam deceat eum, qui sublimem scientiæ viam capessiuit, omni terreno liberum esse pondere, omníque cupiditatis, ac iræ vitiosâ affectione vacare, vti tum pera declarat, tum virga; quarum illa, cupiditatem; hæc, iram significat. Præsertim verò nudum esse simulationis dolo, calcei instar obtegente vestigium vitæ, vitiosámque animæ affectionem modestiæ fictâ specie celante: quos stultè calceos induti Pharisæi, speciem pietatis non pietatem habentes, tametsi se latere existimabant, à Verbo coarguti sunt. Atque hæc quod ad spiritalem attinet intelligentiam.

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in idem Euang. expositio.

Ex comment. in Luc.9.v.1.

COnuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, &c. Concessâ primùm potestate signorum, misit prædicare regnum Dei, vt promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum: fidémque verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent. Vnde nunc quoque cùm fidelium numerositas excreuit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt qui viam virtutum tenent, & signa virtutum non habent.

Data signa, vt nouæ doctrinæ facerent fidem.

A Quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam iuxta Magistri Gentium vocem, *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* 1.Cor.14.v.22.

Et ait ad illos. Nihil tuleritis in viâ, &c. Solet quæri, quomodò Matthæus & Lucas commemorauerint dixisse Dominum discipulis vt nec virgam ferrent, cùm dicat Marcus, *Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ; nisi virgam tantùm.* Quod ita soluitur, vt intelligamus sub aliâ significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub aliâ illam, quæ secundum Matthæum & Lucam non est ferenda. Sicut sub aliâ significatione intelligitur tentatio, de quâ dictum est: *Deus neminem tentat*; & sub aliâ, de quâ dictum est: B *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligitis eum.* Illa seductionis est, hæc probationis. Vtrumque ergo accipiendum est à Domino Apostolis dictum, & vt nec virgam ferrent, & vt non nisi virgam ferrent. Cùm enim secundum Matthæum diceret eis; *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* continuò subiecit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Vnde satis ostendit, cur eos hæc possidere, ac ferre noluerit. Non quòd necessaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus Euangelium credentibus adnuntiarent. Claret autem hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam Euangelistæ viuere aliunde non debeant, quàm C eis præbentibus, quibus adnuntiant Euangelium: Alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam grauis esset: sed potestatem dedisse, in quâ scirent sibi ista deberi. Cùm autem à Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est. Cùm autem potestas datur, licet cuique non vti, & tanquam de suo iure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, *ijs qui Euangelium adnuntiant de Euangelio viuere*, illa Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna nec minima. Ideo posuit, *nec virgam*, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, D nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo; *Dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit & illustrauit, vnde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significauit, cùm dicit, *ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm.* Vt intelligatur quia per potestatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt.

V. 3.

Mar 6. v.8. Discipulis et virgâ prohibitu tollere, & vt permissi.

Iacob.1 v.13 Deut 13.v.3 Tentatio bona & mala.

Math 10.v 9.

Permissum Apostolis ac prædicatoribus accipere necessaria vitæ subsidia ab his quibus prædicant, non præceptum.

1.Cor.9.v.14

Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam, quam esset indutus, aliam portandam putaret, solicitus ne opus esset, cùm ex illâ potestate posset accipere. Quod E verò secundum Marcum non portari, vel haberi duas tunicas, sed expressiùs indui prohibet, dicens: *Et ne induerentur duabus tunicis*, quid eos monet, nisi non dupliciter sed simpliciter ambulare? Aliter. In duabus tunicis, videtur mihi duplex ostendere vestimentum. Non quòd in locis Scythiæ, & glaciali niue rigentibus vnâ quis tunicâ debeat esse contentus, sed quòd in tunicâ vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore seruemus.

Duas tunicas habere siue portare vi prohibitum Apostolis.

Mar.6.v 9.

V. 4.

Et in quancunque domum intraueritis, ibi ma-

nete, & inde ne exeatis. Dat constantiæ generale maodatum, vt hospitalis necessiiudinis iura custodiant: alienum à prædicatore regni cœlestis adstruens cursitare per dumos, & inuiolabilis hospitij iura mutare. Nec otiosè secundum Matthæum domus, quam ingrediantur Apostoli, legenda decernitur, vt mutandi hospitij, necessitudinisque violandæ causa non suppetat.

V. 5. *Et quicunque non receperint vos, &c.* Puluis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio Apostolica ad illos vsque peruenerit. Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Euangelium spreuerint. Allegoricè autem, qui verbo humiliter intendunt, si quibus vt homines terrenæ leuitatis næuis obscurantur, per ea mox, quæ recipiunt, Euangelicæ prædicationis vestigia, purgantur. Qui verò perfidiâ, vel negligentiâ, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur, excutiendus pedum puluis, ne gestis inanibus & pulueri comparandis mentis castæ vestigium polluatur.

Vt præcepti excutere puluerẽ de pedibus.

V. 6. *Egressi autem circumibant per castella, &c.* Quid euangelizarent, vel quomodò curarent

Mar. 6. v. 12. Apostoli, Marcus exponit pleniùs: *Prædicabant*, inquit, *vt pœnitentiam agerent, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Dicit & Iaco-

Iac. 5. v. 14. bus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super ipsum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Vnde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse contraditum, vt pontificali benedictione consectato oleo, perunguantur ægroti. Prædicabant autem vt pœnitentiam agerent, & supra: *Misit illos*, inquit, *euangelizare regnum Dei.* Quia videlicet vtrun-

Vnctio extrema ex Apostolicâ traditione deriuata.

Matth. 3. v. 2. que, iuxta Ioannis Baptistæ, vel ipsius Saluatoris exemplum prædicabant. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Regni enim cœlorum ianuis propinquare est, de ijs quemque, quibus ab eo discesserat, pœnitere.

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Luc. 9. v. 1. CONuocatis *autem duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem, &c.* Ex hoc loco ostenditur excellentia deitatis Iesu: non enim ipse tantùm miracula facit, sed & discipulis hoc concedit. Vtique hoc non hominis, sed Dei fuerit, tanta ac talia dona præstare suis amicis. Dans autem eis potestatem contra malos spiritus, non illo contentus fuit, sed iussit etiam Euangelium prædicare. Docet enim vt is, cui concredita est doctrina, & prædicare, & miracula agere debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem: multi enim multa miracula per dæmones fecerunt, quorum prædicatio sana non fuit, & miracula eorum ex Deo non fuerunt.

Ita autem ab omni re superfluâ nudat, vt neque panem eos ferre velit, neque aliud quid quæ plerique secum tollunt. Porrò præcipit eis & hoc, ne à loco in locum transiliant, sed in quancunque domum intrauerint, in illâ maneant, vt ne videantur inconstantes & mobiles. Puluerem verò excutiendum dicit, si non recipiantur, *in testimonium illis*, hoc est, in reprehensionem

A Paschate.

A ipsorum ac condemnationem, ostendentes eis, quòd multum itineris propter eos confecerint, nullumque inde lucrum habuerint. Quidam autem sic intelligunt Apostolos non gestare vel virgam vel peram, & nec tunicas duas habere. Ne thesaurizetis, cuius symbolum pera, quæ multa congreget: neque virgam gestetis: hoc est, ne sitis importuni, & ad verberandum proni: neque duas tunicas habeatis, hoc est, ne sitis duplices ac varij motibus.

Pera, virga, duæ tunicæ.

EVTHYMII ZIGABONI.
superioris Euang. expositio.

B

ET *accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus spiritus, &c.* Quomodò ergo cùm pauci essent discipuli, non addidit etiam dignitatem? Addidit vtique illis: at non in numero, sed in virtute. *Dedit*, inquit, *eis potestatem*; ita vt paucos etiam dixerit illos, non secundum defectum virtutis, sed numeri. Primùm ergo constituit eos medicos corporum, postmodum quod maius est etiam committit, curam videlicet animarum. Eijciebant autem dæmonia, & morbos curabant per nomen Christi. *Luc. 9 v. 1.*

Desumpta est expositio hæc ex capite 10. Matthæi, quo loco totum hoc Euangelium explicatum erat.

Nihil tuleritis, &c. Moris enim erat his qui per viam gradiebantur, crumenas ferre zonis ap- *V. 3.*
C pensas, in quibus æreos nummos habebant. Dat autem primùm discipulis legem perfectæ inopiæ, volens vt non solùm sine suspicione, sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis ac quibuslibet obuijs contenta. Deinde omni eos curâ liberat, quæ frequenter impedimento esse solet: suámque vult ostendere potentiam, quæ eis ad omnia sufficiat. Ideóque postmodum dicebat: *Quando misi vos sine loculis & perâ, num aliquid defuit vobis?* *Luc. 22. v. 35.*

Apostoli omni à Domino curâ liberati.

Neque peram ad viam, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque baculum. Quia regnum cœlorum annuntiabant, oportebat eos quasi Angelos de cœlo descendentes, leues ac
D expeditos incedere, omni terrenâ curâ liberos, & ad solum ministerium sibi commissum respicientes. Peram autem dicit marsupium, quo ad iter immittendo pani vtebantur. Dignum est autem vt quæramus, quomodo Matthæus & Lucas dicant iussisse, vt illi neque calceamenta neque baculum haberent: Marcus verò ait sola hæc eis permisisse. Quid ergo dicendum est? Quòd primùm quidem ita iusserit, sicut Matthæus & Lucas dixerunt: postmodum autem permiserit eis vt calcearentur tantùm sandalijs, & retinerent baculum ad pedum custodiam & sustentamentum corporis, demittens se ad imbecillitatem eorum, propter laborem qui ab itinere prouenit. Lucas verò pro eo quod est, *Nolite possidere:* habet, *Nolite portare*, sicut etiam
E refert Marcus. Ne autem dicant. Vnde alemur si nihil tulerimus. Ideo dicit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Nullo, inquit, vobis opus est viatico: digni enim estis qui alamini ab his, qui à vobis iuuantur, apud quos operamini, apud quos laboratis. Nam hoc non donum, sed merces est operis vestri, ac necessarium tanquam debitum.

Quasi Angeli expediti & leues prædicatores missi.

Matth. 10. v. 10.

Mar. 6. v. 8. & 9.

Virga prius prohibita, tum concessa, vt & sandalia.

Matth. 10. v. 10.

Debita Euangelii ministris sustentatio.

In quamcunque ciuitatem aut vicum intraueritis, inquirite quis in eâ dignus sit: & ibi manete donec exeatis. Ne putent quòd omnium qui *Matth. 10. v. 11.*

Diligendus hospes, nec delectus mutandus.

ab eis iuuarentur ianuas ingredi debeant, iubet A vt in quacunque ciuitate & vico, quærant vnum dignum, qui eos suscipiat, videlicet honestum Dei cultorem: & apud eum maneant, donec è ciuitate exeant: ne domum in domum permutantes, & eum qui se susceperat contristent, & gastrimargiæ suspicionem incurrant.

Math.10.v.12. *Ingredientes autem in domum salutate illam.* Salutate, hoc est, pacem illi precamini. Hæc enim postmodum septuaginta discipulis præcipiens, dixit: *In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.* Luc 10.v.5.

Math.10.v.13. *Et siquidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super illam: si autem indigna fuerit, pax vestra ad vos conuertatur.* Quia is qui suscipit sæpiùs digni nomen habet, vitam autem indignam, ideo dicit: Siquidem fuerit domus digna, veniat super illam pax quæ à vobis datur, id est, operetur in illam, fruanturque pace & tranquillitate: si verò fuerit indigna, pax vestra ad vos conuertatur, siue nihil operetur: sed hac vobiscum sumptâ, exite. Vide quòd non dederit eis præcognitionem digni & indigni: vt re maximè necessariâ destituti, sese deprimant tanquam imperfecti. Admirandum est autem, quomodò postquam omnibus eos nudauit, rursum illis omnia submiserit. Quis enim lætâ fronte non suscipiat hospitio quibuslibet obuijs contentos, ac solicitudine carentes, fulgentes non verbo tantùm & miraculis, verùm etiam quod magis est, bonâ vitâ?

Et quicunque non susceperit vos, neque audie- Math 10.v.14.
B *rit sermones vestros, exeuntes de domo aut ciuitate illâ, excutite puluerem pedum vestrorum.* Mar.6.v.11.
Marcus dixit. *Excutite puluerem qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis*, siue ad redargutionem illorum. Manifestabant enim per talem excussionem quòd non solùm nihil inde acceperant, sed etiam puluerem qui inde adhæsisset, à pedibus suis excuterent, tanquam propter illos impium.

FERIA VI. QVATVOR

TEMPORVM PENTECOSTES.

LVCÆ V.



IN illo tempore, Factum est in vnâ dierum, & Iesus sedebat docens: Et erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Hierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes quâ parte illum inferrent præ turbâ, [a] ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. [b] Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt autem cognouit Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est faciliùs [c] dicere: dimittuntur tibi peccata: an dicere, [d] Surge & ambula? [e] Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, [f] Surge, tolle lectum tuum, & [g] vade in domum tuam. Et [h] confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abijt in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

a Diuinitate cognitâ.
b Non paralytici qui sensu carebant.
c Dicto facere. Quod solus noui, qui dimitto.
d quod vos etiam videre potestis.
¶ Innuit restitutionem omnium.
e Quia idem est filius hominis & Deus.
f Vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis.
g Ne Christianâ fide curatus, moreris in perfidiâ Iudæorum.
h Bed. Magna virtus, vbi sine morâ salus imperium comitatur: vnde meritò qui aderant relictis blasphemijs stupentes ad laudem conuertuntur tantæ maiestatis.

GLOSSA ORDINARIA
in superius Euang.

Luc.5.v.17. ET *factum est in vnâ dierum.* BED. Vbi sedens docuerit Lucas breuiandi gratiâ præteriit, sed Matthæus in ciuitate suâ; Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testatur. Sed ciuitas Christi dicitur Galilæa, in quâ erat Nazareth & Capharnaum, ad distinctionem regionis transmarinæ Gerasenorum de quâ transfretando venerat Galilæam, sicut Matthæus scribit. Vel ipsa Capharnaum ciuitas Christi est, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam fecerat. B

Et erant Pharisæi. AMBR. Inter cæterorum remedia debilium, conuenientibus ex omni parte doctoribus hæc paralytici sanatio describitur, vt magna & magnæ rei significatiua. Vnde oratio præmittitur, non propter suffragium sed propter dandum exemplum; id est, quo docetur vnusquisque æger petendæ salutis precatores adhibere, per quos vitæ nostræ compago resoluta, actuúmque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur.

V.18. *Viri portantes.* ALLEGOR. Id est, erigentes ad C superiora animum hominum, quamuis exterioris hominis debilitate torpentem: quorum rursus adminiculis, & attollere & humiliare se facilis, ante Iesum locetur, Dominico dignus videri aspectu. Humilitatem enim respicit Deus.

Vitiosa hęc ex Ambr. emendata.

Et quærebant eum inferre, &c. BED. Desiderant offerre, sed turbâ interpositâ recluduntur: quia sæpe anima post infirmi corporis desidiam ad Deum respiciens, & diuinâ gratiâ innouari desiderans, pristinæ conuersationis obstaculo retardatur. Sæpe dum cum Deo in orationibus colloquitur, turba cogitationum interueniens, aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Sed non est exterius in infimis, vbi turbæ tumultuantur, remanendum: sed tectum domus in D quâ Christus docet, ascendendum; id est, sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, & lex Dei nocte diéque meditanda: quia in custodiendo sermones Dei corrigit iunior viam suam. Et patefacto tecto, id est, reseratis Scripturis, æger submittitur: quia ad Christi humilitatem fidei pietate descenditur, & ad Christi notitiam venitur.

Psal.118.v.9.

V.19. *Et per tegulas.* BED. Domus Iesu tegulis tecta describitur, quia sub contemptibili literarum velamine, si assit doctor, qui reseret diuina, spiritualis gratiæ virtus inuenitur. Quòd cum lecto deponitur, significat ab homine adhuc in istâ E carne constituto, Christum debere cognosci.

V.20. *Quorum fidem.* BED. Multum valet fides propria cuiusque, cùm per alienam fidem homo interius & exterius sit saluatus.

BED. Hæc curatio paralytici significat saluationem animæ suspirantis ad Deum de diuturnâ illecebrâ carnalis inertiæ, quæ indiget bonis doctoribus qui eam subleuent, & Christo offerant, & pro eâ intercedant. Qui apud Marcum quatuor fuisse leguntur, propter quatuor Euangeliorum libros, seu propter quatuor virtutes, quibus ad promerendam sospitatem mentis fiducia erigitur, quæ sunt, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia.

Marc.2.v.3.

A Paschate.

A *Homo, remittuntur.* Tu homo peccator: ego Deus qui peccata remitto, qui aliorum merito tibi peccata relaxo. Qui ergo peccatis grauatur, adhibeat Ecclesiam quæ pro eo precetur. Quia pro culpâ animæ etiam corpus infirmabatur: ideo sanaturus corpus, priùs sanat animam.

Quis potest dimittere peccata. Nemo dimittit peccata nisi Deus, qui per eos quoque dimittit quibus potestatem dimittendi dedit. Cùm ergo Christus dimittat, verè Deus probatur. Verum testimonium Deo reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non B deest diuinitati, fides deest saluti. Deus autem volens saluos facere peccatores, & occultorum cognitione se Deum esse demonstrat, & admiratione factorum illis respondens: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Eadem maiestate & potentiâ quâ cogitationes vestras intueor, possum hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Sed quia spiritualem gratiam non cognoscitis, nec creditis quod interius factum est, probetur signo visibili quod non minoris constet esse potentiæ, vt in Filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, quâ potest peccata dimittere vt C Deus. V.21.

Vt autem cognoscatis. AMBR. Magnus Sacerdos lepram videbat in cordibus Iudæorum, & priores ostendit illo leproso, cui purgato iussit se offerre Sacerdoti. Sed hos summus Sacerdos repudiat, ne alios quoque eorum lepra contaminet. V.24. L.sup.13.v.2.

Tibi dico, Surge. BED. Surgere, est animam à carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, carnem à terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, ad paradisum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. Ecce per remissionem pœnæ, remissionem culpæ intellige.

Et stupor. AMBR. Spectant surgentem incre- D duli, mirantur abeuntem; & diuini operis miracula malunt timere, quàm credere. Nam si crederent, non timerent, sed diligerent. *Perfecta enim dilectio, foras mittit timorem.* 1. Ioan.4.v.18.

CATENA AVREA,
in idem Euang.

ET *factum est in vnâ dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores, &c.* CYRIL. Scribæ & Pharisæi qui facti fuerant prodigiorum Christi visores, audiebant ipsum quoque docentem: vnde dicitur, *Et factum est in vnâ dierum, &c.* Non quasi mutuò acciperet potestatem alterius: sed quasi Deus & Dominus propriâ operabatur virtute. Fiunt autem homines sæpe donorum spiritalium digni, sed plerunque deficiunt eâ ratione, quam nouit donorum largitor, quod in Christo non accidit: Affluebat enim in præstandis remediis virtus diuina. Quia verò necessarium erat vbi tanta Scribarum & Pharisæorum turba conuenerat, aliquid fieri ex his quæ virtuti attestarentur ipsius, coram eis qui eum paruipendebant, factum est quoddam miraculum in paralytico: in quo quia defecisse videbatur medicinalis ars, portabatur à proximis ad supernum & cœlestem Medicum: vnde sequitur, *Et ecce viri, &c.* Luc.5.v.17. In Cat. Græc. Intellectus historiæ.

In Cat. Græc. CHRYS. Mirandi verò sunt qui paralyticum A adduxerunt, qualiter cùm nequirent intrare per ostium, nouum aliquid & alienum attentauerunt: vnde sequitur, *Et non inuenientes, &c.* Detegentes autem tectum deponũt grabbatum, & ponunt in medio paralyticum: vnde sequitur, *Et per tegulas, &c.* Dicet aliquis demissum fuisse locum, à quo per tegulas deposuerunt paralytici lectum.

Luc. 5. cap. 17. in Bed. BED. Hominem autem Dominus à paralysi curaturus, primò peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari; nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari: vnde sequitur. *Quorum fidem vt vidit, &c.*

Lib. 4. in Luc. cap. de sumittentium fide. AMBR. Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, B cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscat.

Hom. 30. in Matth. CHRYS. Occurrebat autem & in hoc ipsius patientis fides: non enim sustinuisset se inferius submitti, nisi credidisset.

Lib. 5. cap. 15. à prin. AVG. de con. Euang. Quòd autem dicit, *Homo, dimittuntur tibi peccata*, ad hoc insinuandum valet, quia homini dimittebantur peccata, qui eo ipso quòd homo erat, non posset dicere, Non peccaui. Simul etiam vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus.

In Cat. Græc. ex homil. 14. & 30. in Matthæum. CHRYS. Nos autem si corporaliter patimur, satagimus nociuum abiicere: cùm verò malè sit animæ, differimus, atque ideo nec à corporis nociuis curamur. Abscindamus igitur fontem malorum, & cessabunt ægritudinum fluxus. Metu autem multitudinis suam intentionem aperire Pharisæi non audebant, sed solùm in cordibus suis meditabantur: vnde sequitur, *Et cœperunt, &c.*

Theoph. in hoc loco id habet. CYRIL. In quo mortis præcipitant sententiam. Erat enim mandatum in lege, quòd quicunque blasphemaret in Deum, morte puniretur.

Libr. 5. in Luc. AMBR. Itaque ab ipsis ex operibus suis Dei Fi- D lius accipit testimonium. Nam & validius est ad fidem, quòd confitentur inuiti, & perniciosius ad culpam, quod negant qui suis assertionibus relinquuntur: vnde sequitur, *Quis potest peccata dimittere, &c.* Magna in fide plebis amentia, vt cùm confessa fuerit solius Dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti.

Luc. 5. c. 17. in Bed. BED. Verum enim dicunt, quia nemo peccata dimittere nisi Deus potest; qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest.

Libr. 5. in Luc. AMBR. Dominus autem saluos volens facere E peccatores, ex occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. Vnde sequitur, *Vt autem cognouit, &c.*

In Cat. Græc. CYRIL. Quasi dicat. O Pharisæi quia dicitis, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Respondeo vobis, Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus? qui per Prophetas dicit: *Ego Dominus scrutans corda, & probans renes.* Ier. 17. v. 10.

Hom. 30. in Matth. CHRYS. Si ergo increduli estis erga primum, scilicet remissionem peccati, ecce aliud adiicio, dum intima vestra patefacio: quinetiam aliud, dum paralytici corpus solido: vnde subdit, *Quid est facilius, &c.* Palam quidem est, quia consolidare corpus facilius est: quantò namque nobilior est anima corpore, tantò est excellentior absolutio criminum; verùm quia illud non creditis, eo quòd lateat, adiiciam quod minus est, apertius tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstretur. Et quidem cùm allocutus est infirmantem, non dixit, Dimitto tibi peccata, propriam exprimens potestatem, sed *Remittuntur tibi peccata.* Cogentibus autem illis euidentiùs propriam declarat potestatem, dicens: *Vt autem sciatis, &c.* Maius animam sanare, quàm corpus.

THEOPH. Vide quòd in terrâ dimittuntur peccata. Dum enim sumus in terrâ, peccata nostra delere possumus. Postquam verò à terrâ tollimur, non valebimus confiteri: clauditur enim ianua. In hoc loco.

CHRYS. Demonstrat autem peccatorum veniam per corporis sanationem: vnde sequitur, *Ait paralytico, Tibi dico, Surge.* Ipsam verò corporis sanitatem demonstrat per lecti portationem, vt sic non reputetur phantasia quod factum est: vnde sequitur, *Tolle grabbatum tuum.* Quasi dicat. Ego volebam per tuam passionem curare illos qui sani videntur, infirmantur autem inanimâ: sed quia nolunt, vade tuam correcturus familiam. Hom. 30. in Matth.

AMBR. Nec mora vlla sanitatis interuenit: C vnum dictorum remediorúmque momentum est. Vnde sequitur, *Et confestim surgens, &c.* L. 5. in Luc.

CYRIL. Quo facto patuit, quòd Filius hominis potest in terrâ relaxare peccata, quod pro se & pro nobis dixerat: ipse namque vt Deus factus homo tanquam Dominus legis peccata dimittit. Sortiti sumus etiam nos ab eo tam mirabilem gratiam. Dictum est enim discipulis, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quomodò autem non magis ipse peccata dimittit, qui & cæteris potestatem faciendi hoc tradidit? In Cat. Græc. Potestas dimittendi peccata à Christo cõmunicata ministris. Ioan. 20. v. 23.

CHRYS. Reges autem terreni & principes homicidas absoluentes, à pœnâ præsenti liberant: à criminibus autem expiare non possunt. In 1. ad Cor.

AMBR. Spectant autem surgentem increduli, mirantur abeuntem: vnde sequitur, *Et stupor, &c.* L. 5. in Luc.

CHRYS. Adhuc humi repunt Iudæi magnificantes Deum, non tamen putant eum Deum esse: obstabat enim eis caro. Nec tamen erat modicum æstimare eum præcipuum esse mortalium, & à Deo processisse. Hom. 30. in Matth.

AMBR. Diuini autem operis miracula malunt timere quàm credere: vnde sequitur, *Et repleti sunt timore, &c.* Si autem credidissent, non timuissent vtique, sed dilexissent: *perfecta enim dilectio foras timorem excludit.* Non otiosa autem huius paralytici nec angusta medicina est, quoniam orasse præmittitur: non propter suffragium, sed propter exemplum. L. 5. in Luc. 1. Ioan. 4. v. 18.

AVG. de quæst. Euang. De paralytico enim potest intelligi animam dissolutam membris, hoc est operationibus Christum quærere, id est, voluntatem verbi Dei. Impediti autem à turbis, scilicet cogitationum, nisi tecta, id est, operta Scripturarum aperiat, & per hoc ad notitiam Christi perueniat, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descendat. L. 2. q. 4. in princ. t. 4.

BED. Beoè domus Iesu regulis contecta descri- Luc. 5. c. 17. in Bed.

bitur, quia fub contemptibili literarum velamine fpiritalis gratiæ virtus inuenitur.

L. 5. in Luc. AMBR. Vnufquifque autem æger petendo precatores falutis debet adhibere, per quos noftræ vitæ compago refoluta, actuúmque noftrorum clauda veftigia verbi cœleftis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem ad fuperiora erigant, quorum rurfus adminiculis & attollere, & humiliare fe facilis ante Iefum locetur, Dominico videri dignus afpectu: humilitatem enim refpicit Dominus. (Moralis Intellectus.)

L. 2. qq. 4. t. 4. AVG. de qq. Euang. Hi ergo à quibus deponitur, honos doctores Ecclefiæ poffunt fignificare: quòd autem cum lecto deponitur, fignat ab homine in iftâ carne adhuc conftituto Chriftum debere cognofci.

L. 5. in Luc. AMBR. Dominus autem plenam fpem refurrectionis oftendens, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit: hoc eft enim totum hominem effe curatum. Quamuis igitur magnum fit hominibus peccata dimittere, tamen multò diuinius eft refurrectionem donare corporibus: quandoquidem Deus refurrectio eft: Lectus autem qui tolli iubetur, nihil aliud eft quàm corpus humanum.

L. 2. qq. 4. t. 4. AVG. de quæft. Euang. Vt non iam in carnalibus gaudiis tanquam in lecto requiefcat infirmitas animæ, fed magis ipfa contineat affectiones carnales, & tendat ad domum fuam, id eft, requiem fecretorum cordis fui.

L. 5. in Luc. AMBR. Vel domum repetere fuam, hoc eft, ad paradifum redire: ea enim eft vera domus quæ hominem prima fufcepit, non iure amiffa fed fraude. Meritò ergo reftituitur, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret, iufque reformaret.

ADDITIO AD CATENAM *Auream.*

Ex Cat. Card. Maz. & Cord. in quâ malè, Ifaac Archiepifcopus, vt fæpe alias Archiepifcopos ex Monachis facit. Luc. 5. v. 20.

HOmo, *remittuntur peccata tua.* ISAAC MONACH. Tunc quis nouerit veniam fe confequutum fuorum peccatorum, cùm in animo fuo fenferit fe ea perfectè ex corde odiffe, ac cùm externos fuos actus fecus ac confueuerat, moderari nouerit. Talis confidit indulgentiam fe delictorum à Deo percepiffe, confcientiæ fuæ teftimonio fretus, quod in fe habet, iuxta quod facro profertur eloquio: *Confcientia indemnis ipfa teftis eft.* Sed hoc nimis morale.

Ex Reg. & Card. Maz. Cat. TITI Digni admiratione qui Paralyticum detulerunt; quomodò cùm non licuiffet per ianuam ingredi, nouo ac infolito conatu fuper tectum extulerunt. Remotis enim tegulis, fubiectos afferes fepofuerunt: cumque hæc fierent, tum Iefus longanimiter ferebat, tum qui aderant intentis animis rei euentum expectabant, ac quid ille tum dicturus, tum facturus effet. Aperto itaque tecto, grabbatum fubmittunt, ac Paralyticum medium inferunt. Dicat fortè aliquis fubdialem fuiffe locum, quo per tegulas lectum demiferunt, vt nihil omninò è tecto fuerit difturbandum. *Dominus autem videns fidem illorum;* qui nimirum hominem tecto fubmiferant, ac præclatè enixi erant: adeóque etiam alius aliorum fide curatur.

S. AMBROSII MEDIOLANENfis Epifcopi, *fuperioris Euang. expofitio.*

Luc. 5. v. 17. Orat Chriftus paralyticum curaturus.

ET *factum eft in vnâ dierum, &c.* Non otiofa huius paralytici, nec angufta medicina eft, quando Dominus & oraffe præmittitur: Non vtique propter fuffragium, fed propter exemplum. Imitandi enim fpeciem dedit, non precandi ambitum requifiuit. Et conuenientibus ex omni Galilæâ, & Iudæâ, & Hierufalem legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilium, paralytici iftius medicina defcribitur. Primùm omnium, quod antè diximus, vnufquifque æger petendæ precatores falutis debet adhibere, per quos noftræ vitæ compago refoluta, actuumque noftrorum clauda veftigia verbi cœleftis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem, ad fuperiora erigant. Quorum rurfus adminiculis & attollere, & humiliare fe facilis ante Iefum locetur, Dominico videri dignus afpectu. Humilitatem enim refpicit Dominus, quia refpexit humilitatem ancillæ fuæ. (*Ambienda orationum aliorum fuffragia.* — *Baiuli, & qui ante Iefum demittant.* — *Luc. 1. v. 48.*)

v. 20. *Quorum fidem,* inquit, *vt vidit.* Magnus Dominus, qui aliorum merito ignofcit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cùm apud Deum feruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Difce qui iudicas, ignofcere: difce qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclefiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare poffet, ignofcat. Et quamuis hiftoriæ fidem debeamus non omittere, vt verè paralytici iftius corpus credamus effe fanatum: cognofce tamen interioris hominis fanitatem, cui peccata donantur. (*Nam olim in vfu erant publicæ pœnitentiæ, & exomologefes, vt eft videre in hiftoriis Ecclefiafticis.*)

v. 21. *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharifæi, dicentes: Quis eft hic, &c.* Cùm Iudæi afferunt peccata à folo Deo poffe concedi, Deum vtique eum confitentur, fuóque iudicio perfidiam fuam produnt: qui opus aftruunt, vt perfonam negent. Itaque ab ipfis & operis fui Dei Filius accipit teftimonium, & vocis fuffragium non requirit. Perfidia enim confiteri poteft, credere non poteft. Itaque teftimonium non deeft diuinitati, fides deeft faluti. Nam & validius eft ad fidem quod confitentur inuiti; & perniciofius ad culpam quod negant, qui fuis affertionibus reuincuntur. Magna itaque Iudææ plebis amentia, vt cùm confeffa fuerit folius Dei effe donare peccata, non credat Deo peccata donanti. Dominus autem faluos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum fe effe demonftrat, & admiratione factorum: adiiciens ait, (*Chrifti diuinitas ab ipfis aduerfariis teftimonium habet.*)

v. 23. *Quid eft facilius dicere, Dimiffa, &c.* Quo loco plenam fpeciem refurrectionis oftendit, qui mentis vulneribus corporifque fanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit: hoc eft enim totum hominem effe curatum. Quamuis igitur magnum fit hominibus peccata dimittere: (Quis enim poteft peccata dimittere, nifi folus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit poteftatem?) tamen multò diuinius eft refurrectionem donare corporibus, quandoquidem ipfe Dominus refurrectio eft. (*Hominis totius curatio.* — *Deus peccata dimittit per Sacerdotes, quibus dimittendi tribuit poteftatem.*)

ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et iterum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quando hæc illis dixiſſe inuenitur? Tunc nimirum, cùm conculcato mortis imperio, ac ſuſcitatus à mortuis, inſufflauit in eos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum.* (Ioan. 20. v. 23.) Vbi enim oſtendit eiuſdem conſortes naturæ, atque illis Spiritum ſanctum infudit, tunc quoque ſuæ conſortes claritatis fecit, dans poteſtatem remittendi peccata, ac illa retinendi. Quando igitur nos ipſum hoc iuſſi ſumus implere, quomodò non ipſe magis dimittit peccata, qui aliis poteſtatem tribuit vt hoc poſſint præſtare?

BEDÆ VENERABILIS PRESbyteri in ſuperius Euang. expoſitio.

(Ex cōment. in Luc. 5. v. 17. Matth. 9. v. 2. Mar. 2. v. 1.) *ET factum eſt in vnâ dierum, & ipſe ſedebat docens, &c.* Vbi Dominus ſedens docuerit, quando Scribis, & Phariſæis conſidentibus paralyticum curauit Lucas breuiandi gratiâ præterit, ſed Matthæus & Marcus qui narrant, quæſtionem facere videntur. Quoniam quidem Matthæus in ciuitate ſuâ, Marcus in Capharnaum hoc eum feciſſe teſtantur. Quæ difficiliùs ſolueretur, ſi Matthæus etiam Nazareth nominaret. Nunc verò vel ipſa Galilæa, in quâ erat Nazareth, intelligenda eſt dicta ciuitas Chriſti, ad diſtinctionem videlicet regionis tranſmarinæ Geraſenorum, de quâ transfretando ſicut Matthæus ſcribit venerat Galilæam. Vel certè ipſa Capharnaum ciuitas Chriſti eſt dicta, quam non naſcendo, ſed virtutibus illuſtrando ſuam ipſe fécerat.

V. 18. *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, &c.* Curatio paralytici huius, animæ poſt diuturnam illecebræ carnalis inertiam ad Chriſtum ſuſpirantis indicat ſaluationem. (Miniſtri dimittentes paralyticū.) Quæ primò omnium miniſtris qui eam ſubleuent & Chriſto adferant, id eſt, bonis doctoribus qui ſpem ſanationis opémque interceſſionis ſuggerant, indiget. Qui benè Marco narrante quatuor fuiſſe reperiuntur, ſiue quia quatuor Euangelij libris omnis prædicantium virtus, omnis ſermo firmatur, ſeu quia quatuor ſunt virtutes, quibus ad promerendam ſoſpitatem fiducia mentis erigitur. De quibus in æternæ ſapientiæ laude dicitur, (Sap. 8. v. 7.) *Sobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vitâ hominibus.* Quas nonnulli verſis nominibus, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iuſtitiam appellant.

V. 19. (Turba Chriſtum adire impediens.) *Et non inuenientes quâ parte illum inferrent, &c.* Deſiderant paralyticum Chriſto offerre, ſed turbâ interpoſitâ ab omni parte ſecluduntur. Quia ſæpe anima poſt infimi corporis deſidiam ad Deum reſipiſcens, ſupernæque gratiæ remedio cupiens renouari, priſcæ conſuetudinis obſtaculo retardatur. Sæpe inter ipſas orationis ſecretæ dulcedines, & quaſi ſuaue cum Domino colloquium, turba cogitationum interueniens aciem mentis ne Chriſtus videatur intercludit. (Conſcendendum domus tectū.) Et quid inter hæc agendum? Non vtique in infimis exteriùs quà turbæ tumultuantur remanendum, ſed tectum domus, in quâ Chriſtus docet, aſcendendum, id eſt, ſacræ Scripturæ ſublimitas eſt appetenda, léxque Domini cum (Pſal. 118. v. 9.) Pſalmiſtâ, die noctuque meditanda. *In quo enim* A *corrigit iunior viam ſuam? in cuſtodiendo,* inquit, *ſermones tuos.*

Et ſubmiſerunt illum cum lecto in medium ante Ieſum. (Aperto tecto demittitur æger ante Ieſum.) Patefacto tecto æger ante Ieſum ſubmittitur, quia reſeratis Scripturarum myſteriis, ad notitiam Chriſti peruenitur: hoc eſt, ad eius humilitatem fidei pietate deſcenditur. Et benè domus Ieſu tegulis contecta deſcribitur, quia ſub contemptibili literarum velamine, ſi adſit, qui reſeret doctor, diuina ſpiritalis gratiæ virtus inuenietur. Quòd autem cum lecto deponitur, ſignificat ab homine in iſtâ carne adhuc conſtituto Chriſtum debere cognoſci.

V. 20. *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* (Peccatum cauſa morborum.) Hominem Dominus à paralyſi curaturus, primò peccatorum vincula B diſſoluit: vt oſtenderet eum ob nexus culparum artuum diſſolutione damnari, nec niſi his relaxatis membrorum poſſe recuperatione ſanari. Sic & illi paralytico, qui iuxta probaticam piſcinam diu motum aquæ fruſtra præſtulabatur, ſanato à Domino dicitur: (Ioan. 5. v. 14.) *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et bene is cui peccata dimittebantur homo vocatur, qui hoc ipſo quòd homo erat non poſſet dicere, Non peccaui: ſimul etiam vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. (Alienâ fide ſalus vtraq; paralytico impetrata.) Intuendum ſane quanti propria cuiuſque fides apud Deum C valeat, vbi tanti valuit aliena, vt totus homo repente, id eſt, exterius interiuſque iam ſaluatus exurgeret, aliorumque merito aliis laxarentur errata.

V. 21. *Et cæperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, &c.* Verum dicunt Scribæ, quia nemo dimittere peccata niſi Deus poteſt, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatem. Et ideo Chriſtus verè Deus eſſe probatur, quia dimittere peccata quaſi Deus poteſt. (Dei propriū dimittere peccata.) Verum Deo teſtimonium reddunt, ſed perſonam Chriſti negando falluntur. Errant itaque Iudæi, qui cùm Chriſtum & Deum eſſe, & peccata dimittere poſſe credant, Ieſum tamen Chriſtum eſſe non cre- D dunt. Sed multò dementiùs errant Arriani, qui cùm Ieſum & Chriſtum eſſe, & peccata poſſe dimittere Euangelij verbis deuicti negare non audeant, nihilominus tamen Deum negare non timent. At ipſe perfidos ſaluare deſiderans, & occultorum cognitione, & virtute operum, Deum ſe eſſe manifeſtat.

V. 22. *Reſpondens enim, dixit ad illos. Quid cogitatis?* Eidem namque Deo, qui dicit; (Iſai. 4. v. 25.) *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas,* ſapientiſ- (3. Reg. 8. v. 39.) ſimus orator ait: *Tu enim ſolus noſti corda omnium filiorum hominum.* (Proprium item noſſe cordium ſecreta.) Eadem ergo, inquit, maieſtate & potentiâ quâ cogitationes veſtras intueor, poſſum & hominibus delicta dimittere. E Ex vobis intelligite, quid paralyticus conſequatur.

V. 23. *Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, &c.* Vtrum ſint paralytico peccata dimiſſa, ſolus nouerat qui dimittebat. *Surge* autem *& ambula,* tam ille qui ſurgebat, quam ij qui ſurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale ſignum, vt probetur ſpiritale.

V. 24. *Vt autem ſciatis quia Filius hominis, &c.* Si & Deus eſt iuxta memoratum Eſaiæ teſtimonium, qui delet iniquitates noſtras, & Filius hominis poteſtatem habet in terrâ dimittendi peccata, ergo idem ipſe & Deus & Filius hominis

est, vt & homo Christus per diuinitatis suæ potentiam dimittere peccata possit, & idem Deus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori.

At paralytico: Tibi dico, &c. Spiritaliter de lecto surgere, est animam se à carnalibus desiderus, vbi ægra quiescebat, abstrahere. Lectum verò tollere, est ipsam quoque carnem per continentiæ fræna correptam, spe cœlestium præmiorum deliciis priuare terrenis. Ipse est enim
Psal. 6. v. 7. lectus qui per singulas noctes lauatur à Dauid, id est, pro vniuscuiusque noxæ maculis digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto domum ire, ad paradisum redire est. Ipsa est B
Domus nostra antiqua paradisus. enim vera domus quæ hominem prima suscepit, non iure amissa sed fraude, tandémque restituta per eum, qui fraudulento hosti nihil debuit. Aliter. Sanus qui languebat lectum reportat domum, cùm anima peccatorum remissione acceptâ, ad internam sui custodiam cum ipso se corpore refert, ne post veniam quid vnde iterum iustè feriatur, admittat.

V. 25. *Et confestim surgens coram illis, &c.* Mira diuinæ potentiæ virtus, vbi nulla temporis interueniente morulâ, iussa Saluatoris salus festina comitatur. Meritò qui adfuerant, damnatis blasphemiæ iaculis ad laudem tantæ maiestatis stupentia corda conuertunt. C

THEOPHYLACTI EPISCOPI
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Luc. 5. v. 17. ET *factum est in vna dierum, & ipse docebat: erántque Pharisæi, &c.* Oportebat Dominum rarius quoddam coram inimicis facere miraculum: proinde sanat hominem difficillimi morbi, vt sanando tantum morbum, sanaret & mirabilem Pharisæorum insaniam. Primùm igitur animam sanat, dicens: *Remittuntur tibi peccata tua:* vt discamus multas infirmitates à peccatis nasci: deinde & corpus sanat, visâ offerentium fide. Sæpe enim alios propter aliorum seruat fidem. — Plures infirmitates à peccatis ortum habẽt.

V. 21. Porrò Pharisæi dicunt, *Cur iste loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* Hæc autem dicunt, mortis reum condemnantes. Lege enim statutum, vt blasphemans in Deum morte puniretur. Dominus igitur monstrans eis se verum Deum, & non arrogantiâ illud à se dictum, alio signo illis suadet. Sciebat enim quid illi cogitarent. Vnde omninò liquidum, eum esse Deum. Dei enim est videre cor: propterea dixit. — Leuit. 24. v. 14. Blasphemis pœna mortis indicta.

V. 23. *Quid vobis videtur? Faciliúsne remittere peccatum, vel sanare corpus?* Omninò iuxta vestram sententiam videtur facilius remittere peccata, vt obscurum & quod nemo coarguat, quamuis difficilius sit: sanare autem corpus, vt oculis conspicuum, difficilius videtur, quamuis naturâ facilius: attamen ego & hoc & illud faciam: & idcirco sanabo corpus, quæ res vobis difficilior videtur, vt credibilem vobis faciam & animæ sanationem, quæ reuerâ difficilior est, quamuis vobis (quia non videtur) facilis videatur. — Animæ quã corporis sanatio difficilior.

Vide autem, quòd super terram remittantur peccata. Quandiu enim super terram sumus, poterimus delere peccata nostra: at postquam è terrâ migrauerimus, non vltra nobis ipsis poterimus per confessionem delere peccata: clausa enim est ianua.

Ampliorem Euangelij huius explicationem, pluriúmque auctorum allegationem, require in Dominica 18. post Pentecosten, sequenti Tomo.

Sabbato Quatuor Temporum Euangelium, *Surgens Iesus de Synagogâ,* Feriâ 5. post Dominicam 3. Quadragesimam.

